Storia

10
4-1
6
28/0
6
1422
10.—4.A.5

Digitized by Google

JOHANNIS SPENCERI

S. T. D. ECCLESIÆ ELIENSIS DECANI & COLLEG. CORPORIS CHRISTI
APUD CANTABRIG. PRÆFECTI,

DE

LEGIBUS HEBRÆORUM
RITUALIBUS

EARUMQUE RATIONIBUS,

LIBRI QUATUOR.

AD

NUPERAM CANTABRIGIENSEM,

IN QUA LIBER QUARTUS,

VARIA CAPITA & DISSERTATIONES
ALIAQUE AUTORIS SUPPLEMENTA,
ACCESSERE,

ACCURATE EFFORMATA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRÆMITTITUR

CHRISTOPH. MATTHÆI PFAFFII,

THEOLOGI PRIMARII & CANCELLARII TUBINGENSIS,

DISSERTATIO PRÆLIMINARIS,

QUA DE

VITA SPENCERI,

DE

LIBRI PRETIO & ERRORIBUS

QUOQUE DISSERITUR,

Autoreſque, qui contra SPENCERUM ſcripſere,

ENARRANTUR.

TUBINGÆ

SUMTIBUS JOHANNIS GEORGII COTTÆ.

A. MDCCXXXII.

Digitized by Google

ILLUSTRI
ATQUE EXCELLENTISSIMO
VIRO
DOMINO
JOACHIMO FRIDERICO
DE
PFEIL,
ILLUSTRIS CONSISTORII DUCALIS
DIRECTORI
MAGNIFICO
DOMINO SUO
PERQUAM
GRATIOSO
LIBRUM HUNC
D. D. D.

SUBMISSA SUI COMMENDATIONE
Johannes Georgius Cotta.

VIR
ILLUSTRIS atque EXCELLENTISSIME, DOMINE GRATIOSE,

TAntam in orbe Erudito Nominis celebritatem conſecutus eſt Johannes Spencerus, Anglus, ut, ex quo ante aliquot annos doctiſſimi ejus libri de Legibus Hebræorum Ritualibus earumque rationibus cum magna acceſſione in Anglia iterum ederentur & ad nos in Germaniam tandem afferrentur, ſed carius, quam noſtrorum hominum fert conditio, venderentur, nullus dubitaverim & eos prelo meo ſubmittere, & Tibi, *Vir Illuſtris atque Excellentiſſime*, ſacros eſſe & dedicatos, jubere. Cum enim Tibi ſuprema apud nos Sacrorum cura à Serenisſimo & Clementisſimo Patriæ noſtræ Patre EBERHARDO LUDOVICO gratioſisſime ſit demandata, cum Tuum ſit, ad clavum Eccleſiæ noſtræ Wirtembergicæ ſedere, ejus Directorem agere, ſaluti ejus invigilare, ritus & ceremonias determinare atque totius noſtri cultus rationem habere, mirum non eſt, libros de Ritibus Hebræorum, ex quibus haud pauci etiam ad noſtras dimanarunt Eccleſias, præſidium apud Te ſuum quærere & facillimo negotio invenire. Namque tanta eſt Tua, *Vir Illuſtris atque Excellentiſſime*, erga literatos homines benevolentia, tantus rem literariam, ſtudia liberaliora, optimos quosvis libros eorumque autores promovendi, fovendi, ornandique ardor, ut ad Te ceu ſuum Mæcenatem confluant, Tuum favorem, Tuum Patrocinium, Tuamque gratiam ardenter exoptent, ſubmiſſe expetant & gratioſe conſequantur. Neque vero alienis id mihi, *Vir Illuſtris atque Excellentiſſime*, conſtat indiciis, nec ex aliorum tantum auditu & relatu id inaudivi, ſed ipſe hoc Tuum in Literas Patrocinium frequentius ſum expertus, qui, quoties mihi de re Literaria Tecum colloquendi gratioſam indulſiſti veniam, indulges autem ſæpius, toties quantopere veram eruditionem ada-

mes,

mes, quanto ſtudio rem literariam promoveas, quam promto, quam benevolo, quam gratioſo in literaturam omnem ſis animo, non tam ex verbis Tuis ſemper humaniſſimis intellexi, quam potius ex ipſis operibus magna cum animi lætitia deprehendi. Accedit alia ratio, quæ ad me ſpectat propius, quæve non hos ſolum libros Spencerianos de Legibus Hebræorum Ritualibus earumque rationibus, ſed mea Tibi, *Vir Excellentiſſime*, mancipat omnia. Ea enim humanitate, ea benevolentia, ea gratia me inde a longo jam tempore complexus es, iis beneficiis me cumulatiſſime affeciſti, quibus rependendis omnis mea ætas par non eſt, ut ingratiſſimus eſſem hominum, niſi publicum devotisſimi mei in Te obſequii ponerem monumentum. Quotiescunque enim Te adeo, quod & ad teſtandam meam obſervantiam & propter multiplicia mea negotia facio crebrius, apertisſimus mihi ad Te ſemper patet aditus, humanisſime mea excipis deſideria, prudentisſime conſulis, &c, qua es autoritate ſumma, ut votis meis reſpondeat eventus, efficis atque procuras. Patere igitur, *Vir Illuſtris atque Excellentiſſime*, ut cum hoc libro Johannis Spenceri de Legibus Hebræorum ritualibus earumque rationibus ad Te mihi liceat accedere & eum Tibi dare, dedicare, ſacrumque eſſe, jubere. Suſcipe non ejus tantum in Te præſidium, ſed etiam potisſimum mei meorumque. Conſerva mihi Tuam gratiam, protege me adverſus malevolorum inſultus atque Patrocinii Tui radiis nunquam non colluſtra. Complectere etiam Tua gratia Fratrem meum jam per plures annos iter literarium facientem & nunc Londini commorantem, promove ejus ſtudia, atque ut Gratia SERENISSIMI NOSTRI DUCIS & Domini Clementisſimi juxta mecum posſit perfrui, effice. Denique me meosque Tibi, *Vir Illuſtris & Excellentiſſime*, habe commendatisſimos, res Tuas felicisſime perage, bonas literas cum immortali Nominis Tui Gloria ſemper exorna & ad Neſtoris annos uſque incolumis permane, ex intimo voto,

VIR
ILLUSTRIS atque EXCELLENTISSIME,
DOMINE GRATIOSE,

Obſequioſiſſimi Servi TUI
Johannis Georgii Cottæ.

PRÆFATIO.

ACCIPIAS, Lector, SPENCERUM de novo editum. Viro ipſi eruditiſſimo hoc *Opus aggredi*, in animo fuiſſe, ex verbis ſuis diſcere licet: In Libro enim Tertio, Diſſert. 1. Cap. 9. pag. 716. (*a.d.h.*) provocat ad LIBRUM QUARTUM. Illa etiam quæ *Editionem Priorem* claudunt, idem loquuntur: viz. “Cum jam
“ librum hunc, de Ritibus Hebræorum divinitus inſtitutis, ad umbilicum
“ perduxerim; Lector expectat forſan, ut promiſſi fidem liberem, librum
“ illum ſubjungens, cujus quandoque mentionem facio. Fateor equi-
“ dem, initio conſilium fuiſſe, libris hiſce tribus, de Judæorum legibus
“ ritibuſque Deo auctori tribuendis, quartum addere, *De ritibus Hebræo-*
“ *rum, in Scriptura plerunque, Canonica vel Apocrypha, memoratis; nullibi*
“ *tamen, quod ſcimus, a Deo præſcriptis aut inſtitutis.* Huic etiam Libro,
“ complementi loco, ſubjicere decreveram, Diſſertationem ſingularem
“ De JUDÆORUM PHYLACTERIIS, quorum originem genuinam
“ nondum a Judæis aut Chriſtianis compertam arbitror. Huic equi-
“ dem Operi principio manum admovere ſtatui, quod Operi jam abſo-
“ luto cognatione non adeo remota conjungatur, &c.——

“ CUM autem hæc materia ſuum volumen poſtulet, & præter expe-
“ ctatum excreverit libri jam ſcripti moles; in præſenti calamum meum
“ ab hoc Argumento cohibere, conſultum duxi. Poſthac autem opus
“ illud aggredi decrevi, modo propoſito meo ſerviat opportunitas, &
“ hæc eruditis haud prorſus ingrata reperiantur.

“ [1] Hoc unum ſuperaddo & deſino: ſi quis quicquam a me ſcriptum
“ refutandum cenſeat, haud ægre laturus ſum; nam ſi quid veri ſcripſi,
“ vincet Veritas: ſi quid falſi, vincat Adverſarius.

SPENCERO vita functo, Libri Editi & Manuſcripti fidei Reverendiſſimi Thomæ Archi-Epiſcopi nuper Cantuarienſis commiſſi ſunt; qui Academiæ ſuæ non oblitus, Manuſcriptos cum Editis, in plurimis locis paululum mutatis, & Quinquaginta Minis, Teſtamento legavit. Gratiæ meæ ALMÆ MATRI debitæ ſunt; quæ Senatus Decreto, copiam mihi fecit tum SPENCERI edendi,

1 *Hoc unum &c. addidit.*

tum

tum Ampliſſimi Præſulis munificentia fruendi. Omnibuſque hujus noſtræ Editionis Fautoribus me quamplurimum devinctum teneo; præſertim digniſſimo Præfecto, & Sociis Collegii *Corporis Chriſti*, qui in memoriam Beneficiorum SPENCERI, Optimi Viri effigiem impenſis ſuis æri inciſam huic Operi præfigi voluerunt; ut *mortuus* quamvis, *adhuc loquatur*.

QUOD ad me attinet: Auctores laudatos diligenter evolvi, paucos tantum excipias, quos Bibliothecæ noſtræ, licet inſtructiſſimæ, non ſuppeditarent. Errores quoſdam in locis citatis, Notis ad veram mentem reſtitui, & obſcuriora illuſtravi. *Indices* adduntur *Rerum; Locorum S. Scripturæ; Auctorum Græc. Latin. & Anglic. Hebr. Chald. Syr.* & *Arabicorum:* cum toto illo Opere Talmudico, cui nomen *Miſchna;* & Maimonidis *Jad Chazakah.* ——

DE Origine Legum Hebræorum, non me latet plures in diverſa eſſe ſententia; & altis clamoribus, ne dicam opprobriis in SPENCERUM invehi, qui ab Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum, aliorumque moribus & inſtitutis illarum rationem petit.

FATERI quidem neceſſe eſt, quæ objici ſolent, aliquam veritatis ſpeciem ſecum ferre. Sed cum probe novimus, populum Hebræorum paucum admodum fuiſſe, præ cæteris Terrarum Orbis Gentibus; cum odium inter Judæos & Ethnicos erat acerrimum; cum Judæorum ſtatus erat humillimus, Gentilium autem florentiſſimus; cum *Zabiorum*, (quorum mentionem ſæpe facit *Maimonides*, Lib. 3. *Mor. Neb.*) ritus & ceremoniæ, eædem fere erant: *Spencerus* cum *Maimonide* affirmare nullus dubitat, Deum Leges Hebræorum Rituales tuliſſe Ethnicorum ceremoniis adverſas; non tamen adeo adverſas, ut *contradictionis* aut *ſingularitatis* amori ortum ſuum debeant. —— *A me* enim, inquit, *nunquam impetrare potero, ut cenſeam, Deum O. M. leges ullas, e mero contradictionis aut ſingularitatis amore Judæis impoſuiſſe. Nihil unquam in vetitis a Deo poſitum eſt, niſi quod malum in ſe eſſet, aut mali alicujus ſpeciem haberet, aut gravi alicui malo feneſtram aperire poſſet.* Vid. Lib. 2. Cap. 20. Sect. 5. p. 415.. Plura Veterum Monumenta ſacra periiſſe, ſatis conſtat; quorum copia ſi nobis eſſet hodierno die, nullus forſan conjecturis hominum locus daretur: ſed face illa extincta, per nubes, per tenebras ſæpe iter facimus. Felix autem ille habetur, qui parum lucis nactus, ſi non omnem, aliquantulum tamen Viæ poſſit monſtrare. *Spencerus* fortis hujus iniquæ memor, ait: —— *Si Lector legum rationes alibi datas inveniat, iiſdem nominibus commendatas, non eſt quod eas contemnat ſtatim, aut me ſolis conjecturis niti ſuſpicetur, tantum quod Auctoris alicujus teſtimonium ad fidem dictis meis aſtruendam deſideretur. Serio dolendum eſt, tot Auctores, qui vetera ſacra memoriæ conſignarunt, e rebus evanuiſſe, quos rei literariæ multum intererat minime periiſſe.* Vid. Lib. 2. Cap. 14. Sect. 3. pag. 376.

PRÆFATIO.

PRÆFATIO AUCTORIS,

AD

LECTOREM.

De præſentis Argumenti ſcopo.

RATIONE, nihil homini; ratione legum, nihil homini conſulto; ratione legum rituumque ſacrorum, nihil homini pio; gratius advenire debet. Quanti legum rituumque ſacrorum rationes æſtimandæ ſint, & quanti interſit ut illæ penitus intelligantur, e [a] *Plutarchi* verbis aperte cognoſcatur: *ἔνιοι ἀποσφαλέντες παντάπασιν εἰς δεισιδαιμονίαν ὤλισθον· οἱ δὲ φεύγοντες ὥσπερ ἕλος τὴν δεισιδαιμονίαν, ἔλαθον αὖθις ὥσπερ εἰς κρημνὸν ἐμπεσόντες τὴν ἀθεότητα·* nonnulli, a ſacrorum rationibus *aberrantes, prorſus in ſuperſtitionem delapſi ſunt: alii, Superſtitionem tanquam paludem fugientes, imprudentes in Atheiſmum tanquam præcipitium ceciderunt.* Hujus dicti (dicam, an oraculi?) veritatem, temporum omnium experientia claram fecit & exploratam. Quid enim Judæi tot morum ſuperſtitioſorum [b] *ſtipulam* legum ſuarum fundamento ſuperſtruunt hodieque Moſis inſtituta contumacia tam invicta retinent; niſi quod circa legum earum rationes talpa cæciores ſint, & earum origines vel indagare nefas habeant? Quid etiam tot Chriſtiani paſſim reperiuntur, qui Judæorum Sabbatiſmos, abſtinentiam a ſanguine & ſuffocato, uſuram etiam omnem prohibent, aliaque Legis inſtituta, zelo tam pugnaci retinent; niſi quod inſtitutionem earum cauſas ignorent, & Moſem quaſi velatum etiamnum intueantur? Ex adverſo: Nonnullos hæc ignorantia proxime duxit ad Atheiſmi præcipitium: eos intelligo, qui leges haſce rituales, quaſi nugas tantum difficiles & voluntatis arbitrariæ documenta, contemptim prætereunt; & de iis ita ſæpe loquuntur, quaſi, cum veteri [c] Manichæorum gente, Deum unum Evangelii, alium autem Legis, auctorem crederent.

a Lib. de *Iſid.* & *Oſir.* p. 378. b 1 *Cor.* 3. 12. c *V. S. Aug.* de *Civ. Dei* lib. 11. c. 22.

b MALIS

MALIS hiſce gravioribus, e ratione ſacrorum minus intellecta profluentibus, idem [a] *Plutarchus* remedium ſatis aptum excogitavit: nam de ſacris inſtitutis agens, inquit, δεῖ, μάλιϛα πρὸς ταῦτα, λόγον ἐκ φιλοσοφίας μυϛαγωγὸν ἀναλαβόντας, ὁσίως διανοεῖσθαι τῶν λεγομένων καὶ δρωμένων ἕκαϛον· ἵνα μὴ — ἃ καλῶς οἱ νόμοι περὶ τὰς θυσίας καὶ τὰς ἑορτὰς ἔταξαν, ἡμεῖς ἑτέρως ὑπολαμβάνοντες, ἐξαμάρτωμεν. *nos oportet, ad hæc præcipue, rationem e Philoſophia nos initiantem & manuducentem arceſſentes, eorum quæ aguntur dicunturque unumquodque ſancte conſiderare: ne — quæ leges de ſacrificiis, feſtivitatibus, aliisque ſacris, optime præcipiunt, nos aliorſum accipientes peccemus,* Superſtitione nempe vel Atheiſmo & contemptu legum. Hæc *Plutarchi* verba prudentiam non vulgarem produnt, cum legis alicujus ritualis ratio cognita, mentem legis certius interpretari doceat, obedientiæ limites accuratius indicet, eique juſtam auctoritatem & reverentiam aſſerat. Pictorum tabulæ, bono lumine conſtitutæ, intuentium oblectant oculos; quæ tamen, in obſcuro poſitæ, nihil artis aut ingenii præ ſe ferunt, ſed rudiora tantum penicilli minus exercitati tentamina videri ſolent: Leges etiam, Judaicæ præcipue, penitus intellectæ & in media quaſi luce poſitæ, voluptate non levi perfundunt ingenii capacis homines; at caligine ſolita circumfuſæ gratiam omnem amittunt, & apud Atheos, omnesque rerum ſacrarum æſtimatores iniquiores, in contemptum abeunt.

AD hunc finem itaque contendit hic labor meus, ut legum earum rationes & origines, longi temporis injuria, ſed Hebræorum præcipue tarditate, pene deletæ & oblivioni traditæ, in lucem & memoriam revocentur. Ut autem eo felicius hoc inceptum proſequar, non raro Ægyptiorum, Syrorum, Phœnicum, Græcorum, Romanorum ritus, hic in medium profero, & in eo ſterquilinio veritatis gemmam invenire ſtudeo. Nec Ethnicos tantum & eorum ritus ad ſubſidium meum advoco, ſed antiquioris Eccleſiæ Patres, qui pene ſemper partes adjuvarunt meas, & ſententiam meam a novitatis invidia frequentius aſſeruerunt. Et ſiquis ad varia Patrum hic paſſim adducta teſtimonia diligentius attendat, facile percipiat, me plerumque Patrum veſtigiis inſiſtere; ſed ævi recentioris Interpretes vix unquam longius ab Antiquis aberrare, quam cum leges ritusque Moſaicos explicare ſatagunt.

HÆC apud me recolens, in ſpem illam adducor, fore ut Lectores omnes, faſtidioſi licet & in magna diverſitate poſiti, nonnihil hic inveniant eorum ingenio & palato conſentaneum. Novi nempe, nonnullis nihil arridere, niſi ex Antiquitatis maxime remotæ penetralibus eruatur; aliis e contra, nihil ſalivam movere, niſi novum

a Ub. ſupr.

ſit,

ſit, & quaſi recens ab incude prodeat. Nonnullis etiam omnia male grata ſunt, niſi quæ rerum ſacrarum cognitioni miniſtrant, & intime cum Theologia conjunguntur: Alii Theologica, tanquam ſæpe decantata, faſtidire ſolent, niſi Philologicis amœnitatibus omnia condiantur. Neque Lectorum ingeniis minus varium & diſſimile eſt præſentis Operis argumentum: nonnunquam enim in antiquis legibus & ritibus Hebræorum illuſtrandis; nonnunquam in rationibus earum novis aſſerendis, induſtria mea deſudavit. Rem equidem Theologicam præcipue promovere ſtudeo: ſed ita, ut ancillam ejus Philologiam ei ſæpiſſime miniſtrare cogam. Ut rem amplam in compendium redigam: hic antiquis novitatem quandam, novis (uti forte videantur) antiquitatem, exoletis gratiam, parvis magnitudinem, [a] *elementis egenis* dignitatem, obſcuris nitorem, conciliare conatus ſum.

IN hujus autem argumenti ſtylo curioſi forte multa notabunt quæ limam deſiderare videantur. In eo ſcilicet adornando, ſtylo uſus ſum, nec plane rudi & neglecto, nec ſollicito ſemper & ad unguem examinato. Novi nempe Theologiam matronam eſſe, quæ munditiem curat: fucum aut affectatam elegentiam negligit. Viris non placet ſtylus, in re ſancta præſertim & ſeria, ſollicitus & nugatorius; nec a rebus gravioribus tantum otii mihi ſemper erat, ut vocem, phraſin, aut periodum quamlibet, ad amuſſim criticam examinarem. Ea mihi cura ſemper antiquiſſima, ut omnia clare, & (qua fas erat) ad Lectoris cujusvis captum accommodate, dicerentur. Ideoque verbis plerunque vulgaribus, & ad ſenſum meum exprimendum aptioribus, licet a *Cicerone* non adeo probatis, utor. [b] *Quid* [1] *enim prodeſt clavis aurea, ſi aperire quod volumus non poteſt? aut quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt? quando nihil quærimus niſi patere quod clauſum eſt.*

HUJUS Argumenti tractandi modum quod attinet, ita me paraſſe cenſeo, ut nullius notam cenſoriam meruiſſe videar. Doctorum enim, a quibus diſſentire contigit, nomina plerunque tacitus, & aliorum non lapſus tantum ſed & cenſuras absque ulla triſti acerbitate prætermiſi: ab illiberali illa rabie qua Docti non raro ſe mutuo lacerant ubique temperavi: non mihi conſcius ſum, me Scripturam unquam, invitam, ad ſenſum meum protraxiſſe: circa res obſcuriores, non uſus ſum immodica vel effræni conjiciendi licentia, ſed libertate (niſi me fallam) matura & caſtigata: ea doctis illuſtranda reliqui, quæ, a me tractata, decus aut nitorem nullum habitura cenſui: allegorias aut ſignificationis myſticas, pro arbitrio

Et tractandi modo.

a *Galat.* 4. 9. b *Agobard.* in *Opuſcul.* p. 5.

1 *Quid enim &c.* ſunt verba *S. Auguſtini de Doctr. Chr.* L. 4. cap. 11.

 vel

vel ingenio meo Dei legibus affigendi licentiam mihi nuſquam ſumſi: non leges denique vel dictata protuli, ſed opiniones per ſe probabiles, aut ratione plerunque multiplici confirmatas, doctiorum etiam judicio ſubditas.

CUM itaque in Argumenti mei tractandi *modo* me tam caute geſſiſſe, & omnibus æquum me probaſſe, videar; ſpem alo, me Lectorem non minus æquum & conditionis humanæ memorem reperturum, ſi forſan in illius *materia* me quandoque ceſpitantem deprehenderit. Spem illam mihi libentius adblandiri patior, quod in ſemita tam lubrica, impedita, & paucorum notata veſtigiis, jam incedam; ut labi nonnunquam & errare, non tantum humanum ſit, ſed pene neceſſarium.

SED & eo nomine me, ſi forſan errantem, venia non indignum cenſeo, quod, non gloriolæ, lucri, contentionis, aut novandi, ſtudio ductus laboris hujuſce moleſtiam tulerim. Sola veritatis inveſtigatio, *noſtri pretiumque & cauſa laboris.* Et ſiquid mihi ſcripſiſſe contigerit, unde Reip. literariæ cenſus auctior, vel aliqua Scripturæ loca clariora, fiant; me operæ legibus illis inſumptæ, mihi licet inutilis, nunquam pœnitebit.

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTOPHORI MATTHÆI PFAFFII,

THEOLOGI PRIMARII ET CANCELLARII TUBINGENSIS, ABBATIS LAUREACENSIS

DISSERTATIO PRÆLIMINARIS.

NEmo facilè eſt eruditorum, quem lateat Jo. SPENCERI, Theologi Angli nomen, quem lateat de legibus Ebræorum ritualibus liber, hoc Auctore conſcriptus. Laudatur paſſim Viri eruditio, quæ ſanè vaſta eſt, per omnem literarum & ſacrarum & profanarum, hiſtoriæ & antiquitatis campum diffuſa, eò magis æſtimanda, quòd propria Illi eſt, ex ipſis fontibus hauſta, quorum indeſeſſa lectio ipſum totum occupaverat, non derivata ex aliorum Scriptorum penu, ut ſolet gregariorum Scriptorum mos eſſe, qui alienis ſuperbiunt plumis, ingenium porrò fœcundiſſimum & exuberans, ratio etiam ſcribendi clara, concinna & elegans. Culpatur verò meos profana, in ſacra ab ipſo Deo dictata ſæviens, quæ è lacunis & fæcibus gentilium magno numero derivat ille, quem majorem utique divinis legibus honorem deſerre prorſus decebat, licet & plura alia ritibus Gentilium non ſine exceſſu dictitet oppoſita. Culpantur argumenta levia, ex ſolâ utplurimùm rituum Judaicorum & gentilium affinitate deducta, deducta & ex teſtimoniis autorum veterum Moſe longè recentiorum, qui de ritibus Gentilium Moſe anterioribus certa ſaltem dicere haud valent, deducta è ritibus Zabiorum idololatricis, gentis vel ſectæ, cujus antiquitas incerta, dubia, falſa. Culpatur frigida de typicis legum ritualium Moſaicarum rationibus ſententia, penitus ferè ab hoc Auctore eliminatis & proſcriptis. Culpatur pruritus novitatis, pruritus conjiciendi, quo Vir actus paſſim conjecturarum fumos pro demonſtrationis & certitudinis luce venditat. Scandalo hæc Theologis ſunt, qui reverentiâ tanguntur divini nominis & ſanctæ legis. Meritò id ſanè! Etſi enim Vir doctus eruditione ſuâ haud parvam ſed inſignem lucem explicationi legum Moſaicarum ſubinde adſperſerit, hæc tamen gloria, vel laus, quam ipſi invidendam haud exiſtimaverim, vitiis, quorum numerum jam inivimus, haud parum minuitur & maculatur. Nec ſufficit, quod ad Virum tantiſper excuſandum dici poteſt, ſcripſiſſe illum librum hunc ex zelo defendendorum Eccleſiæ Anglicanæ rituum, quos ex Papatu retinuerit illa, adverſus Presbyterianos, quos conſtat, nimio itidem zelo contra eosdem ferri. Si enim conſtet, ipſum Deum ritus gentilium adoptâſſe in cultu ſuo Iſraëlitis præſcripto, quidni & licuerit Eccleſiæ Anglicanæ, tanto exemplo prævio, retinere ritus Pontificios, indifferentes illos & ſanos, ſi dematur, quæ illos inquinat, ſuperſtitio? Sunt loca, ex quibus hic ſcriptionis finis diſpale-

ſcere videtut. Vide f. 11. * 659. 660. hujus editionis & ſub finem editionis anterioris verba, queis librum promittit quartum *de ritibus Hebræorum in ſcripturâ plerumque, canonicâ vel apocryphâ memoratis, nullibi tamen, quod ſcimus, à Deo præſcriptis aut inſtitutis*, cui *operi*, in hâc editione adjecto, ait, ſe *manum admoturum*, tùm, *quòd* reliquis libris *cognatione non adeò remotâ conjungatur*, tùm *quòd multos Scripturæ locos explicandi occaſionem adminiſtret*, tùm, *quod etiam argumentum ſit ad reprimendam FANATICORUM contumaciam cumprimis accommodatum. Quamvis enim partium iſtarum homines in varias ſententias & ſectas multifarias abeant, in hanc* tamen *ſententiam conſpirare omnes, nullam cum Eccleſiâ Anglicanâ communionem colendam eſſe, quòd in eâ ſacra pleraque ritibus & inſtitutis humanis diluantur & à primo cultûs exemplari, Eccleſiâ nempe Judaicâ (cui divinis inſtitutis aliquid* addere Deut. XII. 32. *vetitum) longè recedatur. Hinc etiam apud credulum vulgus in crimen odiumque Illam trahi & in eam fervidius invehi iſtiusmodi homines, eos præcipuè, qui ſint ad omnia turbanda & miſcenda faciliores.* Jam verò putârim, defenſionem rituum Eccleſiæ Anglicanæ fuiſſe Auctoris fioem vel ſecundarium tantùm vel qui per accidens ſaltem heic ipſi in mentem venerit & ſubiotroierit. Certè hoc argumento, ut rectè Armandus Capella Bibl. Angl. T. 15. P. 2. art. 3. p. 318. Eccleſia Anglicana non eget, quæ meliora dare novit. Imò auſim dicere, SPFNCERUM adeò palpum non obtrudere heic diſſidentibos Anglis, ut potiùs frigidam illis ſuffundar. Cùm enim ajat, Deum ob σκληροκαρδίαν populi Judaici, & malè compoſitos illius mores ritus Gentiles, queis adſuetus ille fuerit & quos dediſcere vix potuerit idem, ſuo in cultu adoptâſſe, cùm & addat, eos ſaltem adoptâſſe Eundem è cultu gentium, qui fuerint *ineptiæ magis tolerabiles* f. 640. tacite &, ſi hoc exemplo Eccleſiæ Anglicanæ ritus è Papatu retentos deſeodere voluerit, ſubinnuat neceſſe eſt, ob σκληροκαρδίαν populi retentas fuiſſe iſtas *ineptias, vix tolerabiles*. Vix, imo planè haud congrua hæc fuerint Viri intentioni & zelo. Sed quicquid hujus ſit, neque enim nos iſta tangunt, melius forſan calculum ſuum ſubduxiſſet Vir eruditus, ſi, ratiociniis omnibus procul eſſe juſſis, librum iofcripſiſſet de Judaicorum & gentilium rituum conformitate vel difformitate, quàm, quòd ex hac arguit, leges hùc ſpectaotes idololatriæ gentilium omnes præcisè oppoſitas fuiſſe, ex illâ verò, Deum ritus gentilium in cultu ſuo formando apud Iſraëlitas ſuis uſibus adaptâſſe, ut populo illis adſueto per συγκατάβασιν quandam velificarerur. Io regolas logicas peccaverir, qui ſie argumentarl ſuſtinuerit. In affines ritus diverſi labi poſſunt populi, fortunâ & caſu. Nulla hinc ſine propioribus rationibus concluſio manare poteſt, ritus conſimiles hos ab illis, vel ab his illos eſſe mutuatos. Minimè verò de gente Ebræâ dici hoc poteſt, quæ juſſa eſt à DEO ab omnibus ritibus Ægypti ſibi cavere ſub graviſſimi anathematis minis. Et ſit ita, ſanxerit Deus ritus quosdam legesque in populo ſuo oecaſione gentilium, Ægyptiorum maximè, quod e. g. de arcâ & tabernaculo nolimus morosè inficiari Amos V. 26. non tamen adoptavit per συγκατάβασιν, noo ad imitanda gentium ſacra, quod impium & proſanum dictu, ſed potiùs ritum eundem aliter inflexum ſuo adaptavit eultui, ut cultui gentium illum opponeret.

Hæc cùm ita ſint, mirum baud videri poſſit, SPENCERUM paſſim à viris doctis fuiſſe refutatum & in exilium acta principia, quæ non ſine gravi causâ periculi pleoa religionique infeſta eſſe judicavit Theologorum phalanx. Veniamus eja in rem præſentem, ita quidem, ut per totum librum eamus & memoremos tùm eos, qui SPENCERUM reſutârunt, tùm quoque illos, qui argumentis à SPENCERO evolutis ſuis quoque ſtudiis lucem haud vanam affudere, digitumque ſempet intendamus ad ea, quæ Vir doctus malè & in damnum vel periculum religionis ſcripſit.

Et primò quidem, quæ in prolegomenis differit autor, oon ſine ratione tùm generali tùm ſpeciali inſtitutas eſſe leges ritusque Judaicos, ſat benè ſeſe habent. Vide Nat. Alex. in hiſt. Eccl. V, T. T. 1. Diſſ. 3. f. 404. ſqq. Quæ verò de fine legum harum ritualium f. 19. traduntur, nec adæquata ſunt, nec poouotur rectè. Non prius, neque enim legum harum duo ſaltem iſti fines ſunt, I. ut ab idololatriâ revoearetur populus, id quo eruditè ſanè & ingenioſè Vir doctus oſtendit, licet paſſim & heic arcum nimis iotendat & pro more conjectutis indulgeat, omnibusque ferè legibus ritualibus hnoe finem tribuat, & II. ut ritibus hiſce res quædam Evangelicæ & officia moralia tanquàm io imagine repræſentarentur, ubi tamen ootandum, verba, quæ in primâ editione exſtabant: *Nam in Judæorum ritibus & ceremoniis tot myſteria ſtatum Evan-*

* n. 3. Nota, verba in editionibus anterioribus paulò aliter poſita eſſe. Ubi enim heic dicitur: *errantium quorundam Proteſtantium*, in veteri editione habetur: *Fanaticorum, ut vulgo audiunt.* Presbyterianos & Independentes pungit SPENCERUS.

gelicum

gelicum ſpectantia latuerunt, ut gens illa non minùs regnum propheticum quàm Sacerdotale videretur, ſecundis cutis ab antore expuncta eſſe, cùm in poſtremâ editione ſ. 19. non exſtent. Ipſe autor plures aliâs rituum Judaicorum fines memorat, uti vel ex iis ſaltem patet, quæ de cauſis inſtitutæ circumciſionis f. 48. ſqq. diſſerit. Alibi ſanè dicit, maximam harum legum partem Judæis datam, ut indulgentiâ quâdam tituum, queis in Ægypto aſſueviſſent, & hos, populum ſanè contumacem, ſibi devinciret, & gentiles quoque ſic ad cultum Iſraëliticum alliceret. Collimat hùc torus liber tertius, qui de ritibus à gentibus ad Hebræos derivatis agit. Et quis, niſi SPENCERUS, dubitaverit, tot ritus Judæis præſcriptos fuiſſe, ut jugo boe ferocia populi edomaretur? Vide verba L. 1. e. 2. §. *primò* p. 43. editionis anterioris, quæ tamen correxit Idem curis poſterioribus in novâ hâc editione f. 196. ſq. ita quoque, ut Matth. XI. 28. ſqq. hùc traheret, ad quem locum confer, quæ contra Clericum idem cum SPENCERO heic ſentientem nuper monuit cel. Deylignus in obſervat. exeg. p. 8. 9. Quis dubitârit, multos ritus à Deo fuiſſe inſtitutos, ut populum hunc, ſibi dicatum ab aliis gentibus diſcerneret, ut beneficia, queis olim illum mactavetat, in memoriam ejusdem revocaret? Taceo fines alios, quos enarravit maximè Witſius tùm in Ægyptiacis L. III. C. 14. tùm in œconomiâ fœderum Dei L. IV. C. XIII. §. 10. ſq. Aſt nee rectè quoque ponuntur, quæ de finibus iſtis legum ritualium, primario & ſecundario dicuntur. Neque enim ratio harum legum myſtica & typica ſecundaria ſaltem fuit. Dicis ſaltem gratiâ & ne rationem typicam prorſus hîc eliminare videatur, dixiſſe hoc videtur autor, quem ob periculoſam hanc ſententiam infra ſuo loco datâ operâ notabimus. Quæ de ingenio Iſraëlitarum Ægyptiacorum rudi dixit idem fol. 20. 41. alibique, tantiſper perſtrinxit cel. Deylingius in oratione de hoe argumento, quæ adjecta conſpicitur P. 1. obſervationum ſacrarum. Neque tamen in dubium vocare licet, Iſraëlitas in Ægypto idololatriæ quoque Ægyptiacæ ſubinde litâſſe. Probat id autor inter alia ex vitulo quoque aureo, in deſerto ab ipſis culto f. 21. 22. & elidit diſſentientium ſententiam. Addi hîc poſſunt poſt Autores à SPENCERO citatos Heideggerus diſſ. ſel. T. 3. diſſ. 8. de vitulo Aharonis p. 265. ſqq. Juriæus in hiſt. ctit. des dogmes & des cultes des Juifs P. 3. p. 502. ſqq. ubi exhibetur traitté du veau d'or, Saurinus in diſc. 53. ſur le V. T. T. 2. p. 174. ſqq. Braunius ſel. ſacr. L. IV. C. 8. & 12. & Dav. Millius diſſ. ſel. 2. p. 31. ſqq. queis ex noſtris addi meretur Mœbius in diſſ. de μοσχολατρείᾳ populi Iſraëlitici ad Exod. XXXII. quæ prima eſt in diſp. ſelectis theologicis, & Rev. Deylingius in diſſ. de fletu ſuper Tammuz in calce P. 3. l. c. itemque cl. Zornius io Biblioth. antiqu. exeg. T. 1. p. 660. ſqq. Ad dictum Amoſi V. 25. 26. f. 22. citatum infra dabimus Autores. Ad locum Ezech. XX. 25. quem autor f. 24. 25. explicat, conferri poſſunt autores, quos laudavimos io diſſ. de abrogatione legis ceremonialis etiam quoad Judæos C. 1. §. 2. p. 2. ſqq. queis ſaltem addi jam velim Hulſium in Spec. Theol. Cocc. P. 1. p. 123. ſqq. Marckium in exercit. juven. 8. ſqq. & Andalam in exeg. illuſtr. loc. p. 1. ſqq. Ad locum Gal. III. 19. qui f. 25. adducitur, vide benè dicta in exercitatione Theologicâ de legis divinæ Sinaiticæ cauſis, uſu, duratione & Miniſtris, quam ante biennium ſub noſtro præſidio beic loci deſendit M. Georg. Ad. Demamal, Auguſtanus, p. 7. 8. ubi & rectè refutat errorem Coeeejanorum, qui ſtatuunt, occaſionem legibus cærimonialibus demùm peperiſſe vitulum aureum & idololatriam populi, quæ & ipſa SPENCERI mens eſt l. c. f. 26. & f. 749. 750. Confetti hîc velim Leydekkeri vim veritatis L. IV. contr. 1. p. 183. ſqq. & b. Jægeri noſtri tr. de ſœdere gratiæ L. 2. p. 121. ſqq. maximè & Meyerum in diatribe de origine & cauſis feſtorum p. 21. ſqq. & Friſchmuthum, qui Judæos heie perſtringit eandem ſententiam tenentes in diſſ. ad Pſ. XL. 7. ſqq. C. 2. §. 26. Quæ f. 28. ſqq. dicit autor, decalogum non omnia præcepta moralia continere & nonniſi obtorto collo hùc rapi poſſe, ſine cenſurâ dimitti nequeunt. Falſum id eſſe Matth. V. monſtravit Chriſtus. Ita porrò argumentis admodum infirmis probat, decalogum nonniſi idololatriæ gentilium fuiſſe oppoſitum. Cæterùm ad ea, quæ f. 29. SPENCERUS de אחר dicit, conferri meretut diſſ. Dav. Millii ſelecta 5. de idolo אחר ad Jes. LXVI. 17. Jam & f. 40. ſqq. malè ſupponitur, In lege Moſaicâ bona ſaltem & mala tempotalia proponi idque ob ruditatem populi, radicem idololatriæ, religionis ubique receptæ genium, vulgi opinionem, ἅγιον κοσμικόν, œconomiam humiliorem, rationem legum nec hominis naturæ nec rationi congruam & leges haſce à Deo ſaltem ut Magiſtratu politico latas. Perperam hæc omnia dicuntur & rationem legum harum typicam excludunt prorſus, lieet SPENCERUS f. 43. 45. ajat, immortalitatis & gloriæ cœleſtis myſterium paulo obſcuriùs & ſub terreſtrium velamine hîc propoſitum fuiſſe. Si enim hie Legiſlatoris divini finis fuit, ratiooes antea poſitæ omninò exulare debent. Scili-

cet hanc ipſam Viri docti ſententiam aliâs in Socinianis & Remonſtrantibus, imò & in JO. COCCEJO, qui tamen alibi meliora elocutus eſt, reprehendunt Theologi. Inſtat omnium ſit Witſius in œconomiâ fœderum Dei L. III. C. 2. L. IV. C. 12. §. 4. ſqq. Adde diſſ. ſupra citatam de legis Sinaiticæ cauſis ad Gal. III. 19. p. 16. ſqq. ubi autores hîc conſulendi fuere laudati pleniùs.

Sequitur, ut SPENCERI de circumciſione ſententiam evolvamus, quam fol. 48. ſeqq. tradit. Carpas heic, quòd inter circumciſionem Patriarchalem & Moſaicam ita diſtinguit, ut ajat fol. 52. priorem fuiſſe ſignum & teſſeram religionis naturalem, poſteriorem Moſaicæ. At verò circumciſio Abrahami juxta Rom. IV. 11. fuit ſignaculum juſtitiæ fidei, non naturalis, ſed ſpecialis in Meſſiam, ſecus ac explicat SPENCERUS f. 49. qui per fidem Abrahami illius pietatem ſaltem intelligi ſupponit. Jam &, ubi idem fol. 54. ſeqq. ad ſententiam MARSHAMI inclinat, circumciſionem utramque ab Ægyptiis derivantis, refutatus fuit certatim à Viris doctiſſimis. Conferri poſſunt Witſius in Ægyptiacis L. III. C. 6. & in œcon. fœd. Dei L. IV. C. 8. van der Waeyen in variis ſacris p. 320. ſqq. Paulus Antonius in diſſ. de circumciſione gentilium Marſhamo oppoſitâ Lipſ. 1682. Chriſtfridus Wæchtlerus in epiſtolâ alterâ ad Mauritium Henricum à Miltiz Dreſdæ A. 1692. fol. editâ inque actis eruditorum Lipſienſibus eodem anno, menſe Martio p. 124. ſqq. recenſitâ, Sam. Baſnagius in exercit. hiſtorico-criticis contra Baronium p. 117. ſqq. Stephanus le Moyne in notis ad varia ſacra p. 745. ſqq. Natalis Alexander in hiſt. Eccleſ. V. T. T. 1. diſſ. 3. art. 4. f. 65. ſqq. Leydekkerus de republ. Ebr. L. 2. C. 4. Heideggerus in Corp. Theol. T. 1. L. 12. §. 81. Jac. Baſnagius dans l'hiſtoire des Juiſs L. 6. C. 8. Bynæus in diſſ. de circumciſione Jeſu Chriſti §. 18. ſqq. p. 26. ſqq. Herm. von der Hardt in juris Hebræorum Canonici prodromo de circumciſione C. 1. p. 18. Grapius in pec. diſſ. an circumciſio ab Ægyptiis ad Abrahamum fuerit derivata? Roſtochii A. 1699. editâ & in Theologiâ recens controverſâ abſolutâ C. 5. qu. 4. p. 65. ſqq. Wernsdorfius in ſegmentis de circumciſione Wittebergæ A. 1711. editis, Buddeus in hiſt. eccl. V. T. T. 1. p. 276. ſqq. & Saurinus in diſc. 15. ſur le vieux Teſtament T. 1. p. 245. ſqq. itemque cel. Deylingius obſerv. ſacr. P. 2. obſ. 6. & 10. Addi poteſt Steph. Morinus, qui in diſſ. 2. de cognat. Lacedæm. & Hebr. p. 79. putat, Ægyptios tempore demùm Salomonis circumciſionem admiſiſſe. Jam &, ſi circumciſio Ægyptiis debetur, populo idololatrico, cur dicit SPENCERUS, eam adverſus idololatriam plurimùm valuiſſe f. 64. 65.

Ita &, quam SPENCERUS de Sabbato f. 65. ſqq. defendit, ſententia, illum non in Paradiſo, ſed demùm in deſerto & quidem ſolis Judæis præceptum fuiſſe, adeoque totum hoc præceptum nonniſi particulare & cærimoniale eſſe, paſſim reprehenſa legitur. Vide ſaltem Chriſtfridi Wæchtleri epiſtolam ad Georg. Ad. Struvium Dreſdæ A. 1692. fol. editam & in actis erud. Lipſ. A. 1693. Jan. p. 35. ſqq. recenſitam. Defendit hîc SPENCERUS communem Epiſcopalium ſententiam adverſus Presbyterianos, qui contrarium ſentiunt. Hæc controverſia cùm ante hos C. annos in Belgium fœderatum migrâſſet, magna inter Theologos Belgas hîc nata ſunt certamina, Voetio, Walæo, Riveto, Hoornbeekio, aliis Presbyterianorum, Gomaro, Heydano, Coccejo, Burmanno, van Til, aliis Epiſcopalium ſententiam defendentibus. Conferatur Bibliotheque univerſelle T. 5. p. 450. ſqq. & T. 8. p. 236. ſqq. ubi & hiſtoria dogmatica hujus articuli juxta ordinem ſeculorum panditur. Ita & in Germaniâ inter noſtros Theologos acriter de hoc argumento decertatum fuiſſe conſtat. Controverſiæ ab Oſiandro & Zellero contra Wagnerum & Schmidium, Fechtio horum ſententiam tuente, ventilatæ hiſtoriam enarravit hic ipſe in præfatione ad Dorſchei Comment. in IV. Evangeliſtas n 3. b. ſqq. cui jungenda ſunt ea, quæ in libro commentario de actis & ſcriptis publicis Eccleſiæ Wirtembergicæ p. 49. ſcripſimus. Controverſiam Holſaticam de Sabbato recenſuit idem Fechtius in lect. theol. in Syllogen p. 7. 8. Adde cl. Ruſii Harmon. Evang. T. 1. p. 655. ſqq. & T. 2. p. 710. ſqq. Ita &, quæ contra Stryckium & Wagnerum heic diſputavere Seeligmannus & Schwerdnerus, ſcripſere & hanc in rem Schelguigius, Brunſmannus, alii, plenè recenſita legi poſſunt in relationibus nov-antiquis Lœſchetianis. Adde introd. noſtram in hiſt. Theol. literat. P. 2. p. 286. 287. & cel. Walchii *Einleitung in die Religions-Streitigkeiten* P. 1. p. 780. 781. 783. 784. P. 3. p. 78. ſqq. SPENCERUM verò heic poſt alios refutavit quoque Vir ill. Jo. Henr. Bergerus in ſupplementis ad electa Juriſprudentiæ criminalis P. 2. p. 565.

565. ſqq. Jam & Sabbatum non fuiſſe inſtitutum à Deo præciſè ad Iſraelitas ab idololatria avocandos, uti uec reliquos dies feſtos coutra SPENCERUM illud aſſerentem f. 65. ſqq. 155. ſqq. fuſè probatum ivit Meyerus in diatribe de origine & cauſis feſtorum Judaicorum. Add. Cattenburgii Spicileg. Theol. Limburgianæ f. 647. ſqq. Mirum, Virum ingenioſum, qui dicit dies feſtos idololatriæ oppoſitos, f. 706. ſqq. 804. ſqq. alibique, eorum originem à gentibus idololatricis derivare. Quod reſtat, & hîc προλήψιν SPENCERUS ſtatuit, uti & cæteri, qui eandem tenent ſententiam. Coustat enim, iu ſacris frequentes eſſe προλήψεις. Vide Glaſſium iu Gramm. ſacrâ p. 753. 754. 799. ſqq. Chamierum in Panſtrat. Cath. T. 1. f. 280. 281. Epiſcopium in inſtit. Theol. op. T. 1. f. 270. 271. Hackſpanium iu not. Philol. Theol. P. 1. p. 151. 152. Clericum ad Gen. XIII. 10. XIV. 7. XXXI. 21. XXII. 2. & Turrettinum In metbodo interpretandæ ſcripturæ p. 239. 240. Inſigne de prolepſibus Scripturæ S. tùm veris tûm fictis argumentum ſe illuſtraturum eſſe nuper promiſit vir Rev. Joh. Zellerus.

Sententiam SPENCERI ad Deut. XXIII. 2. f. 105. ſqq. de voce ממזר elatam, quâ putat, uon innui ſpurium, ſed gentilem, uou improbabilem ſanè exiſtimaverimus. Quæ f. 115. ſqq. idem de ciborum & animalium delectu ſcribit, examinavit in epiſtolâ ad Jo. Caſp. de Loos Dreſdæ A. 1693. fol. editâ & iu actis erud. Lipſ. 1693. Nov. p. 519. ſqq. relatâ Cbriſtfr. Wæchtlerus, cui jungas velim Buddeum in hiſt. eccl. V. T. T. 1. p. 734. ſqq. & Vogetium in oratione de natalibus ad aram Jehovæ non factis p. 38. ſqq. itemque Clericum ad Lev. XI. Ita & idem Wæchtlerus ad ea, quæ f. 141. ſqq. de ſacrorum reſtrictione ad certa loca exſtant, conſulendus eſt in epiſtolâ ad Jo. Abr. Birnbaumium Dreſdæ A. 1696. fol. editâ & in actis erud. Lipſ. hujus auni menſe Auguſto p. 375. ſqq. recenſitâ, & ad f. 155. ſqq. de ſacrorum reſtrictione ad certa tempora in epiſtolâ ad Miltizium Dreſdæ A. 1690. fol. cuſâ. Vide eadem acta 1690. menſe Apr. p. 182. ſqq. Meyerum in diatr. de origine & cauſis feſtorum C. 11. & d' Outrein de clangore Evang. diſs. XI. p. 217. ſqq. Jam & Cremerus in commentario myſtico in Lev. XXI. §. 24. 25. p. 60. ſqq. SPENCERUM reprehendit, f. 173. ſtatuentem, quòd Deus tantùm perſonarum ſacratum houori proſpexerit, ubi juſſit, ut ſacerdotes etiam ab omni corporis maculâ eſſent immunes.

Magis adhùc reprehendeudus venit Noſter, ubi de fine ſecundario legum ritualium agit, quem ait fuiſſe repræſentationem rerum quarundam Evangelicarum & officiorum moralium f. 208. ſqq. Sic ille ſatis frigidè, cùm non ſaltem aſferat, perpauca in hiſce legibus eſſe, quæ hùc ſpectent, ſed & ajat, hieroglyphicam illam legum iſtarum rationem Ægyptiorum myſteriis bieroglypbicis accommodatam à Deo & Moſe fuiſſe, maximè, cùm hujus utpote ſapientiæ Ægyptiorum hieroglyphicæ innutriti ingenio iſta arriderent. Conferri poſſunt, quæ heic contra SPENCERUM diximus in diſſ. de rectâ Theologiæ typicæ conformatione C. 1. §. 3. & C. 2. §. 5. ſqq. ubi & Sociuianos, Remonſtrantes, Thomaſium, Joncourtium & Poiretum notavimus, eandem ferè cum SPENCERO tibiam Inflantes, & diſſ. de rectâ Theologiæ parabolicæ & allegoricæ conformatioue C. 2. §. 7. ubi argumenta ejuſdem SPENCERI, Clerici quoque & ejuſdem Joncourtii atque etiam cel. BARBEYRACII hauc iu rem examinavimus. Scilicet nec nimis cumulandi ſunt nec exſibilandi typi, vitaudus hîc eſt exceſſus, vitandus & defectus, mediaque ineunda via, quam in diſſertatioibus illis commendavimus & mouſtravimus. Jam verò & in exceſſu heic peccâſſe exiſtimamus Theologum Lugdunenſem Batavum longè doctiſſimum, qui Theologiæ typicæ, emblematicæ & propbeticæ inſtitutiones Lugd. Bat. A. 1730. edidit, Jo. van den Honert, qui in præfatione hujus libri Theologiam typicam adverſus Clericum & Limburgium defendit. Adde Zornium in Bibliotb. autiqu. exeg. T. 1. p. 836. ſqq. & Amelium in N. T. T. 1. p. 437. & T. 2. p. 842. Quod reſtat, de Moſis ingenio hieroglyphicis Ægyptiorum myſteriis innutriro vide eundem Zornium l. c. T. 1. p. 829. ſqq. Snabelium in Orat. de origine & praſtautiæ Theologiæ hieroglyphicæ & typicæ, amœnitatibus Theologicis præfixa, Adami in exercit. exeg. 2. p. 92. ſqq. Baſhuyſen iu diſs. de Moſe, Ægyptiorum ſapientiâ imbuto & regni Ægypriaci Caudidato & Rev. Walchium iu obſervationibus ad libros novi fœderis obſ. 8. de ſapientiâ Moſis p. 62. ſqq.

 Hypotheſin

Hypotheſin SPENCERI f. 275. ſqq. de Zabiorum ſive Chaldænrum veterum, gentis idololatricæ, antiquitate legibuſque ritualibus Moſaicis ipſorum idololatriæ maximè oppoſitis illuſtravere multi atque etiam refutavere certatim. Conferri hîc à rerum curioſis poſſunt poſt Scaligerum, Salmaſium, Seldenum, Caſaubonum, Golium, Pocockium, Hottingerum, Waltonum & Huetium à SPENCERO laudatos poſſunt Stanlejus in hiſtoriâ Philoſophiæ Orientalis L. III. C. 4. p. 122. Hyde in hiſt. de relig. vet. Perſarum C. 3. p. 57. Herbelotus in Biblioth. Orienr. p. 726. Tollius in ſortuitis C. 8. p. 66. le Moyne in notis ad varia ſacra p. 685. Stillingfleetus in origінibus ſacris L. 1. C. 3. §. 3. Guſſetius in Comm. linguæ Ebr. f. 706. Witſius in œcon. fœd. Dei L. IV. C. 14. §. 8. & in Ægypriacis p. 284. van der Waeyen in variis ſacris p. 288. ſqq. Simon in hiſt. crit. du vieux Teſtamenr L. 1. C. 7. Clericus in indice ad Stanlejum, vncibus *ritus Moſaici* & *Sabai*, Nichols in a conference with a Theiſt P. 2. p. 247. ſqq. van Dale de idololatriæ origine & progreſſu C. 3. p. 28. ſqq. Gürtlerus de origine mundi p. 100. Thevenotius dans ſes vojages en Aſie & Afrique P. 2. p. 584. ſqq. Lœſcherus in manip. 2. originum religioſarum §. 21. & de cauſis linguæ Ebrææ L. 1. C. 6. §. 7. p. 58. 59. Obſerv. ſel. Halenſes T. 5. obſ. 8. p. 247. ſqq. Rev. Wolfius in diſs. de hyporheſi Spencerianâ de Zabiis Wittebergæ A. 1706. datâ & in Manichæiſmo p. 85. ſqq. Jo. Henr. Majus, F. in diſs. de Zabiis Gieſſæ A. 1716. editâ, Jacobi in examine hypotheſeos Spencerianæ de legibus Moſaicis Zabiorum moribus atque erroribus oppoſitis in Miſcellan. Lipſ. T. 2. obſ. 31. p. 458. ſqq. & Buddeus io hiſt. eccl. V. T. T. 1. p. 417. ſqq. ut alios jam taceamus. Adde tamen Dav. Millium in diſs. ſel. 9. §. 24. ſqq. p. 276. ſqq. diſs. 10. §. 21. 22. p. 337. ſqq. & Reimannum in hiſtoria atheiſmi p. 82. ſqq. itemque cl. Zornium in Bibliothecâ antiquario-exegeticâ T. 1. p. 134. ſqq. Certè & antiquitas & gens Zabiorum in obſcuro latet, meriſque adeò conjecturis hypotheſis Spenceriana innititur.

Errorem SPENCERI de Paſchate, quod totum ritibus Zabiorum oppoſitum eſſe miris conjecturis conjicit, ut rationem typicam eò magis enervaret, refutârunt Meyerus de origine & cauſis feſtorum Jud. C. 7. Clericus ad Ex. XII. Buddeus in hiſtoriâ eccl. V. T. T. 1. p. 561. ſqq. & Snabelius in diſs. de agno Paſitali §. 5. in amœnitatibus Theologiæ emblematicæ & typicæ p. 211. ubi & Grotium, idem ferè ſtatuentem reprehendit. Adde tamen Saurini diſcours ſur le Vieu Teſtament T. 2. n. 48. & Zornii Bibl. antiqu. exeg. T. 1. p. 926. ſqq. Mirum, negare f. 311. SPENCERUM, quòd Johannes XIX. 36. ubi impletam ſcripturam de oſſe non frangendo in Chriſto crucifixo dicit, ad Ex. XII. 46. reſpexerit, ſed ad Pſ. XXXIV. 20. eandem tibiam inflante heic Grotio. Addi poſſunr, qui utrumque locum conjungunt, Jac. Capellus ad Pſ. XXXIV. 20. Operum f. 661. van Til ad iſtum Pſalmi locum & Vitringa obſ. ſacr. L. II. C. 10. §. 11. p. 399. 400. Sed Grotium quidem refutavit Friſchmuthus in exerc. de Judaico agno Paſchali C. II. §. 9. & Calovius in Bibl. ill. ad Joh. XIX. 36. egregiè prorſus. Adde Lampium ad eundem Johannis locum. Quæ de altari terreo ad Ex. XX. 24. f. 311. ſqq. diſputat SPENCERUS, ad h. l. examinavit Clericus, qui & eundem refellit ad Ex. XX. 25. f. 315. ſqq. conjecturas ſuas promentem. Idem exſibilat SPENCERI opinionem de lege gradus in altari prohibente f. 324. ſqq. ad Ex. XX. 26. Adde Cramerum in exercit. philol. de atâ templi ſecundi exteriore C. 7. Ad f. 333. ſqq. de lege hœdi coctionem in lacte matris prohibente Ex. XXIII. 19. iterum videatur Clericus, qui & noſtrum f. 345. ſqq. de lege mellis oblationem prohibente perſtringit ad Lev. II. 11. Adde tamen cl. Zornium l. c. p. 637. ſqq. Ad f. 349. ſqq. de cultu Seirim interdicto videri poteſt & van Dale de origine & progreſſu idolol. C. 5. p. 94. ſqq. Clericus ad Lev. XVII. 7. & Marckius in exerc. Scriptur. 7. ad h. l. p. 452. ſqq. itemque Amelius in V. T. T. 1. p. 1049. ſqq. & Vitringa ad Jeſ. XIII. 21. De cultu Molochi ad f. 390. ſqq. confer poſt Autores infra ad Amos V. laudandos ibique citandam diſs. Juriæi de Molocho Calmeti diſs. ſur Moloch, Dieu des Ammonites Levitico f. 11. ſqq. præmiſſam & M. F. Crameri diſs. de Molocho Ammonitarum idolo Witt. A. 1720. editam. Ad f. 371. ſqq. de primis fructibus non comedendis vide Clericum ad Lev. XX. 23. ſqq. Quæ f. 376. ſqq. ad legem de non comedendo ſuper ſanguinem dicuntur, diluenda ſibi ſumſit Rev. Deylingius obſ. ſacr. P. 2. n. 25. poſt Clericum ad Lev. XIX. 26. Adde tamen, quæ nos diximus in diſſ. de abrogatione legis cærimon. p. 46. 47. Ad legem con-

tra

tra divinationes Lev. XIX. 26. à SPENCERO f. 385. ſqq. explicatam evolvi quoque poteſt van Dale de divinationibus idololatricis in V. T. memoratis C. 1. 2. 3. & Deylingius P. 2. obſ. 15. §. 20. itemque Zornius in Biblioth. antiqu. exeg. T. 1. p. 630. ſqq. Ad legem Lev. XIX. 27. quâ tonſio capitis in rotundum interdicta eſt, quæ f. 390. diſſerit noſter, conſerri poteſt idem Clericus & vel maximè Daſſovius in diſſ. de comâ Hebræorum licitâ & interdictâ atque cel. Deylingius obſerv. ſacr. P. 2. obſ. 14. itemque Nicolai ad Cunæum de Rep. Ebr. p. 329. 330. Jam & ad f. 403. ſqq. ubi lex contra carnis inciſuram Lev. XIX. 28. lata exponitur, conferri meretur Wichmanshauſen in diſſ. ad h. l. de corpore ſciſſuris figuriſque non cruentando Witteb. A. 1713. editâ. Addi poteſt cel. Deylingius l. c. P. 3. obſ. 43. §. 3. & Clericus ad h. l. itemque Zornius in Biblioth. antiquario-exegeticâ T. 1. P. 3. p. 272. De Obhot prohibitis ad f. 417. ſqq. videatur van Dale de divinationibus idololatricis C. 9. p. 608. ſqq. C. 11. p. 649. ſqq. & Dav. Millius diſſ. ſel. 7. p. 193. ſqq. Add. Jurieu dans l' hiſt. crit. des dogmes & des cultes des Juifs P. 3. C. 5. p. 469. ſqq. & Rev. Deylingius P. 2. obſ. 18. ubi de Pythoniſſa Endorea ad 1. Sam. XXVIII. commentatur, id quod & pec. diſſ. fecit Heideggerus Diſſ. ſel. triac. diſſ. 10. atque ex noſtris Jo. Ern. Gerhardus, Ægidius Strauchius, alii. Ita & Marckius hic conſulendus venie in exercitatione juvenili III. & in ſylloge diſſ. in V. T. exerc. 17. nec minùs Buddeus in diſſ. epiſtolica ad Graffium de Pythoniſſa Endorea contra Turrettinum, ut taceam autores de Engaſtrimythis, quos recenſuit cel. Fabricius in Bibliogr. antiq. C. 12. §. 2. p. 420. 421. Addendi & vel maximè hic ſunt idem van Dale de oraculia Erhnicorum C. 2. p. 24. ſq. & Bekkerus in mundo faſcinato L. 2. C. 24. L. 3. C. 6. Ita & de חמנים ad f. 469. ſqq. conferri poteſt Z. B. Poeari diſſ. de ſimulachris ſolaribus Iſraelitarum Jenæ 1725. edita. SPENCERI de vitulâ ruſâ dictata f. 482. ſq. refutavit Natalis Alexander in hiſt. eccl. V. T. T. 1. diſſ. 3. art. 4. §. 5. n. 7. reprehendit & Deylingius l. c. P. 3. obſ. 9. §. 10. ſqq. & prolixâ diſſertatione refutaturus erat Rev. Abbas Anhuſanus, Andreas Chriſtoph. Zellerus, quam in tr. de vaccâ ruſâ promiſit. Addi debent J. B. Carpzovii de hoc argumento diſſ. Drieſſenii exerc. de juvencæ ruſæ literâ & myſterlo & Marckii exerc. 3. in faſcic. diſſ. ad V. T. p. 114. ſqq. uti & diſſ. Daſſovii de luſtratione Hebræorum. Peccat verò hic maximoperè SPENCERUS, quòd ſ. 488. 505. negat, vaccam ruſam fuiſſe Chriſti typum, quòd & putat, legem hanc de vitula ruſa immolanda & Ægyptiis oppoſitam, & ab ipſorum ritibus idololatricis transſumtam ſimul fuiſſe. Adde tamen cel. Zornii Biblioth. antiqu. exeg. T. 1. P. 7. p. 657. ſqq. Ad ſ. 506. ſqq. de lucis in altaris viciniâ plantari prohibitis poſt autores à cel. Fabricio in Bibliogr. antiqu. laudatos conferri poſſunt Urſinus in analectis ſacris Vol. 2. L. 2. qu. 29. p. 126. ſqq. Zornius in Bibliothecâ antiquario-exegeticâ T. 1. P. 4. p. 378. ſqq. & in opuſc. ſacris T. 2. p. 220. 221. ubi & alios autores huc ſpectantes citat, itemque von Pehnen in diſſ. de arbore non plantandâ ad altare Dei Jenæ A. 1725. data. Ad f. 523. ſqq. de lege utriusque ſexus veſtes promiſcuè uſurpari probibente addendus erit Dav. Millius diſſ. ſel. 9. de commutatione veſtium utriusque ſexus prohibitâ Deut. XXII. 5. ubi ſanè & SPENCERUM reprehendit, quemadmodum & Pezoldus in diſſ. de promiſcuâ veſtium utriusque ſexûs uſurpatione Lipſ. 1702. & Haſſen in diſſ. de non commutando ſexûs habitu Witteb. 1714. Vide heic & Buddeum in hiſt. eccl. V. T. T. 1. p. 733. Ad f. 528. ſqq. de ſemine mixto prohibitn videatur Daſſovii diſſ. de modis ſeminandi diverſa ſemina & Clericus ad Lev. XIX. 19. & Deut. XXII. 9. uti & ad ſ. 534. ſqq. idem ad Deut. XXII. 10. Ad f. 539. ſqq. de coitu diverſorum animalium prohibito vide eundem Clericum ad Lev. XIX. 19. & Zornium in Biblioth. antiquario-exegeticâ T. 1. P. 5. p. 398. ſqq. De veſte ex lanâ & lino vetitâ ad f. 544. ſqq. confer Clericum ad Lev. XIX. 19. & Deut. XXII. 11. itemque Buddeum in hiſt. eccl. V. T. T. 1. p. 731. maximè & Braunium de veſtitu ſac. Ebr. L. 1. C. 5. Jam ad ſ. 561. ſqq. conferri poſſunt Saldenus in Otiis Theol. L. 1. ex. 7. de de canis pretio, p. 123. ſqq. Gebhardi in vindiciis Hebræi textûs contra Pezronium ad Deut. XXIII. 17. 18. Zornius in Biblioth. antiquario-exegeticâ T. 1. P. 2. p. 186. ſqq. & Alethæus ad h. l. tentamine 46. p. 575. ſqq. Ad ſ. 574. ſqq. haud incongruum fuerit conferre ſcriptores de decimis, quos laudavit cel. Fabricius in Bibliogr. antiqu. C. 16. §. 1. 2. queis adde Saubertum in op. poſthb. P. 2. C. 10. p. 378. Friſchmuthi diſſ. de decimis & obſerv. ſel. Hal. addit. n. 9. p. 221. ſqq. itemque Prideauxium & Quenſtedium, illum in Operibus p. 360. ſqq. hunc in antiqu. Bibl. p. 249. queis jungi velim & Zornium l. c. p. 607. ſqq. Denique ad f. 581. ſqq. de tonſurâ Sacerdotum videri poteſt Cremerus in Com. liter. in Lev. 21. p. 26. ſqq. Ad diſſ. in Act. XV. 20. ſ. 588. ſqq. quædam in diſſ. de abrogatione legis cærim. p. 41. ſqq. nos diximus. Sed addi merentur autores à

Rev. Wolfio in curis ad Act. XV. 20. laudati p. 1120. ſqq. itemque Zornius l. c. p. 614. ſqq. Cum diſſ. de Anchialo f. 627. ſqq. ubi miram conjecturam SPENCERUS vendit, ingenioſam licet, ſed eò minus ſolidam, confer, quæ dedere Dav. Clericus in quæſt. ſacr. 12. p. 112. ſqq. Steph. le Moyne in notis ad varia ſacra p. 83. ſqq. Morinus T. 2. des memoires de literature de l' Academie Royale des inſcriptions & des belles lettres p. 366. ſqq. ubi exſtant ipſius differentes conjectures ſur l' Anchialus de Martial, Jac. Baſnage dans l' hiſtoire des Juifs L. 7. Ch. 8. §. 21. 22. p. 236. ſqq. Benoit ibid. L. 6. p. 739. ſqq. & Nicolai in diatribe de juramentis p. 78. ſqq. itemque Greenius in diſſert. de hoc juramento Witteb. A. 1697. datâ aliique, quos laudat doctiſſimus Zornius in diſſ. de Scholis publicis Judæorum ad litora exſtructis C. 2. §. 7. 8. qui & in Bibliothecâ antiquario-exegeticâ T. 1. P. 3. p. 203. ſqq. hîc conferendus eſt. Addi poſſunt &, quæ nos in Matth. p. 96. 97. ſcripſimus.

Circa L. III. SPENCERI f. 639. ſqq. majora notanda veniunt. Heic enim demonſtrare conatur Vir ingenioſus, Deum in legibus ritualibus Judæis datis complures ritus, queis hi adſueti erant, è gentibus ad illos derivâſſe, ex συγκαταβάσει quâdam, quâ ad ingenium hujus populi pro ſapientiâ ſua ſe accommodaverit, eùm aliis ritibus idololatricis gentilium alias leges oppoſuiſſet. Scilicet illos ritus, *quos ineptias nôrit tolerabiles, aut ad myſterium aliquod adumbrandum aptos*, Eundem *in ſacrorum ſuorum numerum adoptâſſe.* Φορτικὸν hoc ἔγκλημα eſt, quod paſſim certatimque refutavere Viri doctiſſimi, Witſius in Ægyptiacis ſive tribus libris de Ægyptiacorum ſacrorum cum Hebraicis collatione Amſtelodami A. 1696. editis, & in Miſcell. ſacr. T. 1. p. 429. ſqq. van der Waeyen in variis ſacris, ubi p. 263. ſqq. habetur Spenceriana de hirco Azazel diſſertatio excuſſa, principe de Hebræorum ritibus maximam partem ex Ægypto arceſſendis errore breviter quoque confutato, Wæchtlerus in epiſtolâ ad Jo. Georgium Bœrnerum de locis Chryſoſtomi à Spencero malè intellectis Dresdæ A. 1694. fol. editâ & in actis erudit. Lipſ. 1695. Mart. p. 110. ſqq. recenſitâ, Jac. Triglandius in diſſ. de origine & cauſis rituum Moſaicorum Lugduni Batavorum A. 1702. impreſsâ, Chriſtianus Wormius de corruptis antiquitatum Hebræarum apud Tacitum & Martialem veſtigiis L. 1. C. 4. p. 87. ſqq. Nat. Alexander in hiſt. eccleſ. Vet. Teſt. T. 1. diſſ. 3. f. 406. ſqq. Fraſſenius in diſquiſ. Bibl. L. 1. C. 4. ſqq. Leydeckketus de Republ. Ebr. L. V. C. 5. §. 8. f. 285. 286. Heideggerus in exercit. Bibl. diſſ. X. §. 10. ſqq. p. 287. ſqq. & in corpore Theologiæ T. 1. L. 15. §. 8. 9. van Til in het voorhof der Heydenen voor alle ongeloovige geopent p. 108. ſqq. Simon Patricius, Epiſcopus Elienſis in Comm. Angl. in Leviticum, Neh. Grew in Coſmologiâ ſacra L. V. C. 7. Guil. Nichols in a conference with a Theiſt P. 2. p. 253. ſqq. Grapius in Theol. recens controverſâ abſolutâ C. 4. qu. 3. p. 53. ſqq. Deylingius obſerv. ſacr. P. 2. obſerv. 37. ad Act. XIII. 18. ad quem locum & conferendæ ſunt curæ Wolfianæ p. 1185. ſqq. cel. Weidlerus in diſſert. de corruptis legum Hebræarum rationibus apud ipſos Hebræos (Maimonidem præcipuè) deprehenſis Witteb. 1713. Buddeus in hiſt. eccleſ. V. T. T. 1. p. 668. ſqq. Carpzovius in introd. ad libros hiſtoricos V. T. p. 104. ſqq. Snabelius in orationede origine & præſtantiâ Theologiæ hieroglyphicæ & typicæ, in amœnitatibus Theologiæ emblematicæ & typicæ p. 40. ſqq. ut infinitos alios taceamus, qui paſſim SPENCERUM heic notârunt, ex quibus & aliquos infra quoad argumenta ſpecialia nominabimus. Unum eſt, quòd addimus, ad Gal. IV. 3. fol. 643. conferendos eſſe Bajerum in diſſ. de elementis mundi Altorfii A. 1711. habitâ & Weſſelium in diſſert. ſacr. Leidenſ. 15. de eodem argumento pag. 474. ſqq.

Quæ f. 651. de prophetiis populo Judaico ad imitationem Oraculorum ethnicorum conceſſis ſcribit SPENCERUS, poſt alios tetigit Wichmanshauſen in diſſ. de Prophetis p. 17. Ad f. 655. notandum, eſſe, qui ἐπιφανείας Deorum potius ex Ebræorum ſacris derivent. Vide cl. Zornium in opuſc. ſacris T. 1. p. 254. Jam verò de hoc argumento conferri meretur J. G. Nimptſchius in ἐπιφανείας Θεῶν ex philologiâ ſacrâ & profanâ deſcriptis Lipſiæ 1720. Ubi f. 661. 760. 761. SPENCERUS eos exſibilat, qui putant, Gentiles ex κακοζηλίᾳ plures ritus ex ſacris Judaicis derivâſſe, adponere licebit auctores hîc conſulendos, quos verò & ipſos ſubinde miris modia excedere obſervant naſutiores. Pertinent hùc poſt modò laudatos, qui SPENCERUM refutârunt, G. J. Voſſius de Theol. gentili, Bochartus in Geographia ſacra & Hierozoico paſſim, Huetius in demonſtratione Evangelicâ & quæſtionibus Alnetanis de concordiâ rationis & fidei, Henricus à Monte acuto in libro, cui titulus: Dæmonis mimica, apud cl. Zornium in Biblioth. antiqu. exeget. T. 1. p. 805. ſqq. Dickinſonus in Delphis Phœnicizantibus, Pfannerus

in

in ſyſtemate Theologiæ gentilis, Bompartius in parallelis ſacris & profanis, Fileſacus L. 2. elect. p. 169. ſqq. Novarinus in electis ſacris, Doughtæus & Urſinus in analectis ſacris, Colbergius de ſapientiâ vet. Ebr. Almeloveen in opuſculis ſive antiquitatum è ſacris profanarum ſpecimine, Crœſus in Homero Εβρ. Nicolai in demonſtr. de origine Theologiæ gentilis ex Script. S. Baniere de l'origine des fables, Albrechtus in diſſ. de plagio gentili ex V. T. & vel maximè Claſenius in Theologiâ gentili, ſeu demonſtratione quâ probatur, Gentilium Theologiam, Deos, ſacrificia & alia ex fonte ſcripturæ originem traxiſſe apud Gronovium in Theſ. antiqu. Gr. T. 7. n. 1. Jo. Fabricius in diſſ. de cacozeliâ gentilium, ſacris ipſorum plurimis demonſtratâ, quæ exſtat in diſſ. acad. Dilherri, tomo novo p. 162. ſqq. Dietericus in antiquit. Bibl. V. T. ad 1 Macc. III. 48. f. 745. ſqq. itemque f. 343. aliique paſſim, quos & porrò notare continget, quos & magno citavit numero incomparabilis Fabricius de Scriptoribus de veritate religionis Chriſtianæ p. 302. ſqq. 634. ſqq. qui tùm eos, qui quoad dogmata, tùm, qui quoad ritus, tùm qui quoad hiſtoriam, tùm &, qui quoad phraſes Scripturam S. ex ſcriptis gentilium illuſtravere, refert latiùs, ubi ſaltem poſt Pineinellum de Roa, Sherlogum, Knatchbullum, Petitum, Majum, Amelium, Falſterum &c. maximè Grotium, Hammondum, Clericum, Europe ſavante 1718. Dec. n. 8. & quos non? adjicimus. Quod ipſum dum ſcribimus, memoriæ ſuccurrit, & Clericum dans les ſentimens de quelques Theologiens de Hollande ſur l'hiſtoire critique du V. T. du P. Simon Ch. I. p. 14. 15. ferè & Boſſuetum in hiſt. univ. maximè Wachterum in Spinoziſmo Judaico p. 40. ſqq. ſententiam SPENCERI de rituum Judaicorum origine gentili adoptâſſe. Ad ordalia veterum eorumque origines f. 657. confer autores ab eodem Fabricio in Bibliogr. antiqu. C. 12. §. 2. p. 425. 426. nominatos. Ubi f. 663. ſqq. noſter originem tabernaculi Moſaici à gentilium ſacris vi loci Amos V. deducere conatur, adverſos habet paſſim Viros eruditiſſimos, etſi SPENCERI ſententiam hîc amplexus fuerit Clericus ad Ex. XXVI. 1. Vide primùm illos, qui dictum hoc Propheticum illuſtrârunt. Eminent ex his Witſius in miſcellaneis ſacris T. 1. L. 2. diſſ. 5. §. 6. ſqq. Braunius ſel. ſacr. L. 4. C. 9. ſqq. Vitringa obſerv. ſacr. L. 2. C. 1. van der Waeyen in variis ſacris p. 491. ſqq. Guſſetius in confutatione libri Chiſſuk Emuna P. 2. C. 64. Gebhardi in vindiciis Hebræi textûs adv. Pezronium ad h. l. Jac. Baſnagius in antiqu. Jud. T. 2. p. 575. ſqq. Jurieu dans l'hiſtoire des dogmes & des cultes des Juifs P. 4. tr. 2. Ch. 1. p. 565. ſqq. Schwabius in diſſ. de Moloch & Remphan, recuſâ in Theſauro Theol. phil. T. 2. f. 444. ſqq. Majus in diſſ. de Kijun & Remphan Exercit. philol. & exeg. ſel. T. 1. p. 763. ſqq. Rev. Deylingius in obſerv. ſacr. P. 2. obſ. 37. Calmetus in diſſ. ſur l' idolatrie des Iſraëlites dans le deſert & en particulier ſur le Dieu Réphan ou Rempha ad h. l. præmiſſâ Comm. in Prophetas minores f. 736. ſqq. Amelius in loca V. T. difficilia P. 2. p. 903. ſqq. & in loca N. T. diff. P. 1. p. 408. ſqq. & cel. Theologus Francof. P. E. Jablonsky in diſſ. nuperâ, cui titulus: Remphah Ægyptiorum Deus ab Iſraëlitis in deſerto cultus, nunc ex linguâ & antiquitate Ægyptiacâ erutus & illuſtratus. Jam & de ipſius tabernaculi origine conferri poſſunt Witſius in Miſcell. ſacr. T. 1. L. II. diſſ. 1. §. 13. 63. ſqq. Nat. Alexander in hiſt. eccl. V. T. T. 1. diſſ. 3. art. 3. Jac. Saurinus in diſcours ſur le V. T. T. 2. diſſ. 54. qu. 11. p. 304. ſqq. Buddeus in hiſt. eccl. V. T. T. 1. p. 687. ſqq. Wichmanshauſen in diſſertationibus de velis tabernaculi atque templi, & de operculo arcæ fœderis propitiatorio, maximè vero Jo. d' Outrein in libello Belgico Amſtelodami A. 1715. edito, cui titulus: De Tabernakel van Mozes in zynen Oorſprong &c.

Ad f. 676. ſqq. ubi cornua altaris itidem à gentilibus derivat Vir doctus, evolvi poſſunt cl. Zornii Biblioth. antiqu. exeg. T. 1. p. 109. ſqq. Cramerus in exerc. Philol. de arâ exteriore templi ſecundi C. 5. Rev. Quandtius in exercitatione Rabbinico-Talmudicâ de cornibus altaris exterioris Regiomonti A. 1714. editâ, & Rev. Marpergerus de agno ad aræ cornua ligando ad Pſ. CXVIII. 27. quem locum & illuſtravit cl. Lakemacherus in obſerv. philol. P. 3. obſ. 1. Quæ de veſte Sacerdotum lineâ ab Ægyptiis maximè derivatâ f. 682. ſqq. dicuntur, illuſtrari poſſunt ex Braunio de veſtitu Sacerd. Hebr. L. 1. C. 6. 7. van der Waeyen in variis ſacris p. 505. Nat. Alex. in hiſt. eccl. V. T. T. 1. diſſ. 3. art. 3. §. 4. n. 2. Rev. Deylingio in obſ. ſacr. P. 2. obſ. 13. §. 10. ſqq. Cremero in comm. de die expiat. in tetrade exercit. prophet. typ. p. 99. 142. & Herminckhuyſen de lege umbrarum p. 277. Quæ f. 694. ſqq. de tonſurâ Naziræorum ex uſu gentium petenda diſſeruntur, lucem capere poſſunt ex Clerico ad Num. VI. 2. Meinhardo in diſſ. tribus de Naſiræis, & Cremeri Naziræo. Amſt. 1727. 4. Ad f. 703. ſqq. de epulo ſacrificiali à gentilibus itidem repetendo miror SPENCERO non fuiſſe

laudatum Rad. Cudworthum, cujus exſtat elegantiſſimus libellus ſub titulo: a diſcourſe concerning the true notion of the Lord's ſupper London 1670. 8. ubi Ch. 1. p. 4 ſqq. oſtendit, that it was a cuſtom among the Jews and Heathens, to feaſt upon things ſacrified, and that the cuſtom of the Chriſtians in partaking of the Body and Blood of Chriſt once ſacrified upon the Croſs in the Lord's ſupper is analogical thereunto, ut Stuckii antiqu. conviv. taceamus.

Sententiam noſtri ſ. 706. de feſtorum origine adoptavit Jo. Sam. Stryckius in diſſ. de incommodis feſtorum Halæ A. 1702. edita, refutârunt Nat. Alex. in hiſt. eccl. V. T. T. 1. ſ. 454. ſqq. Meyerus in diatriba de origine & cauſis feſtorum paſſim ejusque edit. Amſtelod. 1724. 4. & Buddeus in hiſt. eccl. V. T. T. I. p. 714. ſqq. Ad ſ. 713. ſqq. de oblatione primitiarum vide Clericum ad Lev. XXIII. 10. & autores à cel. Fabricio in Bibliogr. antiqu. C. 16. ſ. 2. citatos, qui & ibidem autores de decimis refert ſupra jam tactos. Vide ſ. 720. ſqq.

Sacrificia originis eſſe profanæ, à gentilibus excogitata primum, & ſic ad Hebræos tranſiiſſe, Deo per συγκατάβασιν illa tolerante & lege ſuâ deinceps approbante perperam ſtatuit ſ. 741. ſqq. SPENCERUS. Conſtat, quid ſtatuant heic Pontificii, quid Sociniani & Remonſtrantes, quænam & ſit ſententia media eaque orthodoxa. Romanenſes ſacrificia ferè ad jus naturæ referunt neceſſariumque Dei adſcrunt cultum, qui & in Paradiſo viguerit jam & in N. T. per ſacrificium Miſſaticum ſit continuandus. Vide & Seldenum de J. N. & G. ſecundum diſc. Ebr. L. III. C. 2. & 8. Remonſtrantes inventionis humanæ eſſe ſacrificia ajunt, rationalis tamen illius. Ita & Patres apud Outramum de ſacrificiis L. 1. C. 1. ſ. 6. Ita ex Judæis Maimonides & Abarbenel, ita Hobbeſius de Cive C. 15. ita Grotius ad Gen. IV. 3. & de ver. rel. Chriſt. L. 5. ſ. 8. Ita ſanè & Epiſcopius, Chauvinus, alii, hic quidem de religione naturali P. 2. C. 4. p. 253. ſqq. ille in Inſtit. Theol. L. 1. C. 8. ſ. 18. b. etſi ibidem L. III. C. 3. ſ. 71. b. meliùs ſentiat. Confer hic Friſchmuthum in diſſ. ad Pſ. XL. 7. ſqq. C. 2. ſ. 26. ſqq. Franzium in ſcholâ ſacrific. diſp. 1. ſ. 42. ſqq. Calovium in Sociniſmo profligato p. 701. & in Conſid. Armin. p. 181. ſqq. Buddeum de pietate philoſophica §. 39. 40. Cloppenburg. in ſchola ſacrificiorum C. 2. ſ. 1. ſqq. C. 3. Jægerum in jure Dei fœderali p. 230. ſqq. alios, qui divini ejusque poſitivi inſtituti ajunt ſacrificia eſſe.

Contra SPENCERUM, qui è gentium ruditate, non ſanè tàm ex rationis inſtinctu vel lumine, ex quo haud liquet, quî ſanguis & immolatio pecudum Deum placare poſſit, vel ipſi grata eſſe, ait dimanâſſe ſacrificia, vide Witſium in miſcell. ſacr. T. 1. L. 2. diſſ. 2. ſ. 1. ſqq. Nat. Alex. in hiſt. eccl. V. T. T. 1. diſſ. 3. art. 2. ſ. 416. ſqq. Heideggerum in Corp. Theol. T. 1. L. 12. ſ. 76. ſqq. Leydekkerum de rep. Ebr. L. XI. C. 2. ſ. 613. Vitringam obſ. ſact. L. IV. C. XI. ſ. 31. p. 1006. Meyerum in diatr. de feſtis C. 1. ſ. 13. ſqq. & in diſſ. de proph. viſ. Ezech. p. 106. Buddeum in hiſt. eccl. V. T. T. 1. p. 143. ſqq. Rev. Deylingium obſ. ſact. P. 2. obſ. 4. & 11. ſ. 8. P. 3. obſ. 41. §. 7. Hochſtetterum in diſſ. de feſto expiat. & hirco Azazel itemque in Colleg. Puſend. p. 205. 206. & Zornium opuſc. ſacr. T. 1. p. 411. Jam verò ipſe SPENCERUS ſ. 754. fatetur, ſacrificia primùm ſub Patriarchis uſum & originem, ſub Moſe verò ſanctionem & impoſitionem primam inveniſſe. Idem ſ. 753. tantiſper admittit in ſacrificiis *aliquid arcani Meſſiam ſpectantis*, & nihilominùs ibidem ſtatuit, Deum *per ironiam fortè* ſacrificia præcepiſſe. Jam &, quæ ad Jeſ. LXV. 11. de Gad & Meni ſ. 759. 760. diſſeruntur, lucem capere poſſunt ex aliis Virorum doctorum lucubrationibus. Ita conferri hic poſſunt Vitringa ad h. l. Huetius in commentatiuncula pecul. ad h. l. quæ exſtat in Huetianis n. 120. p. 336. ſqq. quam & inſeruit cl. Zornius Biblioth. antiqu. exeg. cum notis T. 1. p. 794. ſqq. idem Zornius in diſſ. ſing. de novi anni auſpiciis, quæ in honorem Gad & Meni h. e. Solis & lunæ Judæi gentium ritu celebrârunt, ad h. l. Hamb. 1722. 8. illatâ deinceps auctiore opuſc. ſacr. T. 2. p. 609. ſqq. Amelius ad loca diffic. V. T. T. 1. p. 282. ſqq. Doughtæus in anal. ſacris p. 263. ſqq. cl. Majus F. obſerv. ſacr. P. 3. p. 134. ſqq. Roſſteuſcherus in diſſ. de Meni Witt. 1700. Rev. Zeltnerus in diſſ. ex. de Gad & Meni, Judæorum hodiernorum Diis ad h. l. Altorfii A. 1715. datâ, Dav. Millius in diſſ. ſel. 4. de Gad & Meni ad h. l. p. 81. ſqq. & cl. Lakemacherus obſerv. philol. P. 4. obſ. 2. p. 18. ſqq. Ad ſ. 760. 761. de ſale in ſacrificiis etiam à gentilibus adhibito, per κοινωνίαν ἁλῶν, uti rectè Spanhemius, evolvendus eſt cl. Zornius, qui Spanhemium contra Spencerum defendit, & autores quosvis hùc pertinentes laudat, in Biblioth. antiqu. exeg. T. 1. p. 482. 483. SPENCERUM preces ſacrificiis ex præcepto non additas fuiſſe, ſ. 764. aſſerentem refutat Buddeus in hiſt. eccl. V. T. T. 1. p. 728. ſqq. Addi meretur Franzius l. c. diſp. 3. Denique de ἐμπυρισμῷ ſive inflammatione ſacrificiorum igne cœli-

tùs

tùs miſſo factâ f. 770. 771. conſuli poteſt cl. Deylingius obſ. ſacr. P. 2. obſ. 4. ſ. 22. obſ. 12. ſ. 1. ſqq. Adjici poſſunt idem Franzius l. c. diſp. 5. Mich. Waltherus in orat. de igne ſacro, quæ exſtat in quadragenâ miſcellaneorum Theologicorum p. 718 ſqq. Dilherrus ſeu potius Fabricius io diſput. acad. tomo novo p. 265. ſqq. Buxtorfius in exercit. ad hiſtoriam ignis ſacri & cœleſtis, quæ ſecunda ln exercitationibus eſt, p. 228. ſqq. Raithius in diſſ. de igne ſacrificiali cœleſti V. T. & Bohnius in diſſ. de igne gentilium ſacro io Iſraëlitarom ſacra injurio Witteb. 1758. ut taceam Aotores à cel. Fabricio in Bibliogr. antiqu. C. XI. §. 7. p. 353. citatos, queis addi & poteſt Marekius in ſyllog. diſſ. in V. T. ex. 6. p. 132. ſqq. itemque Zornius opoſc. ſacr. T. 1. p. 410. ſqq.

Ad f. 773. ſqq. ubi luſtrationes Judaicas ex impuris Ethniciſmi fontibus iridem derivat noſter, conferendus erit Lomejerus in Epimeoide ſive ſyntagmate de vererum Gentilium luſtrationibus, qui C. 2. p. 12. has potius ad κακοζηλίαν diaboli refert, Majus in diſs. philol. de luſtrationibus & purificationibus Hebræorum SPENCERO oppoſitâ exercit. Philol. & exeg. ſel. T. 1. p. 479. ſqq. & Buddeus in biſt. eccl. V. T. T. 1. p. 736. ſqq. Addendus Wichmanshauſen in diſſ. de lotione manuum Witteb. 1716. §. 8. ſqq. p. 12. ſqq. De neomeniatum feſtis à gentilibus oriundis ad f. 804. ſqq. conferendus eſt Nat. Alex. io hiſt. eccl. V. T. T. 1. f. 456. 457. Meyerus in diatr. de origine & eauſis feſtorum C. 6. d' Outrein de clangore Evangelii diſs. 12. quæ agit de clangore noviluoii p. 288. ſqq. & cl. Zoroius in Biblioth. antiqu. exeg. T. 1. p. 797. ſqq. 1059. ſqq.

Arcam cum Cherubinis ubi f. 829. ſqq. ex Ægyptiorum diſciplinâ derivat SPENCERUS, quem Clericus ad Ex. XXV. 10. 18. ſequitur, & heic vapulat. Vide Witſium in Miſcell Sacr. T. 1. L. 2. diſs. 1. §. 63. ſqq. & in Ægyptiacis L. 2. C. 13. Nat. Alexander in hiſt. eccl. V. T. T. 1. diſs. 3. arr. 3. §. 3. f. 437. ſqq. Buddeus in hiſt. eccl. V. T. T. 1. p. 690. ſqq. cel. Deylingios obſ. ſacr. P. 1. obſ. 12. P. 2. obſ. 41. 47. Wichmanshauſen in diſs. de velis tabernaculi atque templi p 34. 35. & de operculo arcæ fœderis propitiatorio p. 12. Jac. Saurinus diſc. 54. ſur le V. T. T. 2. p. 254. ſqq. Zornius in Biblioth. antiqu. exeg. T. 1. p. 14. 15. 148. 657. 773. & Amelius in V. T. T. 1. p. 740. Addenda eſt Buxtorffii exercir. ad hiſtoriam arcæ fœderis, quæ exercitationom prima eſt, Carpzovii diſſ. de arcâ fœderis ſub præſidio Friſchmuthi defenſa diſput. Acad. n. 1. A. W. Melchioris diſſ. de Cherubinis gloriæ, Hickii exercit. philol. de Cherubim Paradiſi, van Til de tabernaculo Moſis p. 14. ſqq. & Vitringa obſ. ſacr. L. 1. C. 1. ut taceam interpretes ad Ezechielem & Apocalypſin, qui de figurâ Cherubinorum agont, noſtraſque gloſſas Germanicas ad loea Biblica de Cherubinis, quibus contendimus, non fuiſſe illos figuræ tàm monſtroſæ & tàm πολυμόρφοι, ut finguotur vulgò. De Diis Cabiris vide cl. Zornium Opuſc. Saer. T. 1. p. 243. & in Biblioth. antiqu. exeg. T. 1. p. 64. autoreſque à cel. Fabrieio in Bibliogr. antiqu. C. 8. ſ. 7. ſub finem p. 240. citatos.

SPENCERI cogitata de ratione & origine templi f. 890. ſqq. perſtrinxit Brauoius in ſel. ſacr. L. IV. ſ. 154. p. 507. Nat. Alex. in biſt. Eccl. V. T. T. 2. diſs. 1. f. 149. ſqq. & Buddeus in biſt. Eccl. V. T. T. 1. p. 388. 389. itemque Clericus ad Ex. XXVI. 33. maximè verò Witſius Ægyptiacorum L. 3. C. 10. p. 243. ſqq. & Bernardus Lamy de tabernaculo & templo ejus L. 3. Addi poteſt Dickinſonus in Phyſicâ veteri & novâ C. 19. n. 44. & Jurieu dans l'hiſtoire eritique des dogmes & des cultes des Juifs P. 2. C. 17. p. 120. ſqq. & P. 2. Ch. 1. p. 201. ſqq. Cùm SPENCERI opinionem de templorum origine ethnicâ ſuam quoque feciſſet Stryckius de jure Sabbati C. 4. ſ. 63. ſqq. qui & originem templorum Chriſtianorum ibidem à gentilibus deducit, refutavit eandem in præfatione Germanicâ ad Medum de templis in vernaculam fuſum H. L. Benthemius. Jam & ex Anglis templorum ethnicorom origines ab Hebræis derivâſſe Dickinſonum, Stillingfleetum, Galeum notat contra Spencerum, obſervaote Benthemio, Leydekkerus. De oraculo templi ab oraculis gentilium oriundo f. 910. ſqq. ubi agit SPENCERUS, conſulendi ſunt de oraculis Aotores, quos enumeravit cel. Fabricius io Biblioth. Græcâ L. 1. C. 17. §. 4. p. 108. ſqq.

Diſſertatiooem de Urim & Thummim itemque de Teraphim f. 920. ſqq. refutavit datâ operâ Carpzovius ad Schickhardi jus regium p. 17. ſqq. 30. ſqq. Ribouldaldus in libro de Urim & Tommim Genevæ 1685. 12. edito & Witſius in Ægyptiacis L. 1. C. 8. L. 2. C. 10. ſqq. L. 3. C. 11. iremque Nat. Alexander in hiſt. eccl. V. T. T. 1. diſs. 3. art. 5. §. 4. n. 17. ſqq. Braunius de veſtitu Sae. Hebr. L. 2. C. 20. §. 639. 647. van Dale de divinationibus idololatricis p. 670. ſqq. Jurieu dans l'hiſtorie

 cri-

critique des dogmes & des cultes des Juifs P. 2. ch. 5. p. 275. ſqq. P. 3. ch. 2. p. 454. ſqq. Majus in diſſ. de imagine veritatis fatidicâ & juridicâ, quæ exſtat T. 1. exerc. ſel. p. 435. ſqq. Marckius exerc. exeg. 22. p. 325. ſqq. Wedelius in exerc. medico-philol. Cent. 2. Dec. 3. exerc. 7. p. 65. ſqq. Buddeus in hiſt. eccl. V. T. T. 1. p. 701. ſqq. cel. Deylingius obſ. ſacr. P. 2. obſ. 32. §. 7. cl. Zornius in Biblioth. antiqu. exeg. T. 1. p. 140. 712. ſqq. & Nicolai de Synedr. Ægypt. p. 27. ſqq. Maximè verò hîc conferendus eſt G. G. Dietericus in commentatione de אורים & תמים Francof. & Lipſiæ A. 1728. 4. cum præfatione J. G. Pertſchii editâ, ubi cumulati recenſentur autores hûc ſpectantes, eorumque conjecturæ, quas nuper auxit Vir doctus, Joh. Bened. Carpzovius in Chriſtianâ de אורים ותמים conjecturâ Lipſiæ hoc ipſo anno editâ. Adde & cel. Fabricii Bibliogr. antiq. C. 11. §. 11. p. 357. Ex antiquioribus conſulendus maxime in diſs. de Urim & Tummim, quæ tertia eſt in exercitationibus, Buxtorffius, & de Teraphim Seldenus de Diis Syris Synt. 1. p. 95. ſqq. cui & adiici poteſt Pfeifferi exercitatio quarta de Teraphim. Taceo diſſ. de Urim & Tummim datas à S. Schmidio, Calovio, Polemanno, Viccio, Wichmanſhauſen, aliis. Noſtram de Urim & Tummim ſententiam paucis explicavimus in Bibliis gloſſatis Germanicis ad Ex. XXVI. 30.

Denique & ſententiam SPENCERI de hirco emiſſario f. 1039. ſqq. plurimi examinârunt. Eminent hîc Witſius in Ægyptiacis L. 1. C. 7. §. 13. ſqq. L. 2. C. 9. & in œcon. fœd. Dei. L. 4. C. 6. §. 48. ſqq. van der Waeyen in variis ſacris p. 263. ſqq. ubi habetur Jo. Spenceri diſſertatio de hirco Azazel excuſſa, Nat. Alex. in hiſt. eccl. V. T. T. 1. diſs. 3. art. 4. §. 6. Clericus ad Lev. XVI. 8. & Hochſtetterus in diſs. de hirco Azazel heic loci A. 1707. datâ, Schrœderi item diſſ. de Azaz. hirco, cum quibus conferri velim Friſchmuthi binas diſſertationes de hirco emiſſario Jenæ A. 1664. & 1668. cuſas, Seb. Schmidii diſſ. de hirco ἀποπομπαίῳ, Bernh. von Sanden diſs. de duobus hircis &c. van Dale de origine & progreſſu idololatriæ p. 117. ſqq. Buddeum in hiſt. eccl. V. T. T. 1. p. 716. ſqq. cel. Deylingium obſ. ſacr. P. 1. obſ. 13. Grapium in Chriſtologiâ recens controverſâ qu. 3. p. 44. ſqq. Cremerum in Comm. de die expiationis ex Lev. XVI. p. 121. 122. 143. ſqq. Marckium in Sylloge diſs. in V. T. exerc. 8. p. 172. ſqq. & Zornium in Biblioth. antiqu. exeg. T. 1. p. 809. 810. & ad Jeſ. LXV. 4. p. 514. 515.

In L. IV. ubi SPENCERUS de ritibus Dei nec juſſu nec permiſſu à Gentilibus in Judaiſmum aſſumtis diſſerit, f. 1090. ſqq. primum exemplum ex Ex. XXXVIII. 8. depromitur, ubi narrari creditur, labrum chalybeum tabernaculi fuiſſe factum ex ſpeculis mulierum turmatim convenientium ad ipſius oſtium. At, cùm nihil in textu de mulieribus dicatur, cùm & ad tabernaculum nondum erectum convenire illæ non potuerint, cùm nec exſtet ממראות *è ſpeculis* ſed במראות *ſpeculis*, cùm & Ex. XXXV. 20. ſqq. Moſes jam enarraverit oblationes ad fabricam tabernaculi ab Iſraëlitis factas, hoc verò capite ſaltem referat formam & ſtructuram vaſorum tabernaculi, cùm & nullum fuerit mulierum miniſterium apud oſtium tabernaculi, cùm porro vox מראות non indiget *ſpecula* ſed *ſpecies, imagines*, cùm denique צובאות benè verti poſſit per *ornantes*, verba utique commode ita reddi poſſunt: *& fecit labrum aneum & ejus operculum aneum cum figuris ornantibus, qua ornabant oſtium tentorii conventûs*, utpote expreſſæ ad figuras, queis ornatum erat aulæum, quod vicem januæ in tabernaculo præſtabat, Cherubinis quippe aliiſque figuris ſplendidum. Vide gloſſam noſtram Germanicam ad h. l. quem ita explicavere Hulſius in diſs. 16. ſubjuncta commentario de prærogativis Iſraëlis priſci p. 865. & Clemens in diſſ. de labro æneo à Moſe in tabernaculi atrio collocato, Trajecti ad Rhenum A. 1725. 8. editâ p. 40. Sic verò opinio SPENCERIANA ſuâ mole ruit, quæ & aliâs plurimùm claudicat. Vide & poſt ſcriptores de tabernaculo ſupra laudatos Franzium de interpretatione Script. S. p. 40. ubi ita vertit: *fecit concham & baſin ejus aneam, ut in eâ ſe contueri poſſent Levita*, Glaſſium in Philol. ſacrâ tr. 1. obſ. 5. p. 860. 861. Habichorſtium in diſſ. de mulieribus Zobeot, quæ exſtat in Theſ. Philol. Theol. P. 1. f. 318. ſqq. & Pfeifferum in dubiis vexatis ad h. l. Ita & nugas hîc agunt Pontificii, qui per Zobeot, *excubantes* moniales intelligunt, refutati à Caſaubono exerc. 1. adv. Baronium p. 105. ſqq. Aſt jam ante SPENCERUM idem conjecerat Clericus ad h. l. Malè! Quæcunque & hanc in rem adferuntur teſtimonia, nimis recentia ſunt, quam ut ad tempus ante Moſem quoque referri poſſint. Quod reſtat, vocem צבאות legerunt Græci צמאות τῶν νηστευσῶν. Hinc Capellus in Critica S. f. 246. putavit, textum Hebræum eſſe corruptum, refutatus eapropter à Buxtorfio in anti-Criticâ P. 2. C. 8. p. 637. Eadem veſtigia cùm calcaret Whiſtonus

Whiſtonus in an eſſay towards the reſtoring the true text of the old Teſtament, ludibrium ſanè Viris doctis debuit. Quæ C. II. ſ. 1098. ſqq. de aquæ libatione, in feſto tabernaculorum maximè uſitatâ, à gentilibus oriunda aſſert noſter, reſutatione vix egent. Fuiſſe & gentilibus uſitatum, libare aquam, mox meram, mox mixtam conſtat. Vide Stuckium antiqu. conviv. L. 2. C. 37. & in deſcript. ſacrorum & ſacrificiorum gentilium ſ. 76. 77. 117. 201. Urſinum Analect. Sacr. p. 103. 104. 367. 368. Pfeiffe-rum antiqu. Græc. Gentil. L. 1. C. 29. p. 54. alios, ex quibus & patet, falſum eſſe, quod ait SPENCERUS ſ. 1100. libationem aquæ apud Gentiles in mortuorum ſacris potiſſimùm obtinuiſſe. De origine libationis æquæ in feſto tabernaculorum conferendus eſt Cramerus & Dachſius ad cod. Sacca p. 368. ſqq. Sed mira eſt ratiocinii connexio. Libatio aquæ apud gentes quoque obtinuit, ergo Judæi illam à gentibus deſumſere, quemadmodum nec ſequitur, ergo gentes illam Judæis debent. Affinitas rituum nihil in utramque partem probat.

Idem judicium de C. III. ſ. 1101. ſqq. ubi uſus Muſicæ in ſacris celebrandis à gentilibus derivatur, tuleris. Conferri hîc poſſunt autores, qui hiſtoriam Muſicæ ſacræ & & profanæ tradidere, quos & laudavimus in diſſ. de rectâ Theologiæ hymnodicæ conformatione p. 9. Addi poteſt Bonneti hiſtoire de la Muſique depuis ſon origine juſqu' à preſent à Paris 1715. 12. itemque Dodwelli treatiſe concerning the lawſulneſs of inſtrumental Muſick in the holy offices, maximè verò S. van Til digt-ſang-en ſpeel-Konſt ſoo der ouden als byzonder der Hebreen, ſive de Muſicâ veteri, Hebræorum maximè, liber pereruditus.

Non aliâ confutatione eget C. IV. ſ. 1108. ſq. de ſaltandi ritu in ſolennitatibus quibusdam ſacris uſitato, quem itidem à gentilibus noſter repetit. Non negaverimus, & hunc ritum apud gentiles viguiſſe antiquiſſimis temporibus. Conferri poſſunt autores à cel. Fabricio citati in Bibliogr. antiqu. C. 22. ſ. 9. p. 644. queis adde Pfeifferum in antiqu. Gr. L. 2. C. 58. p. 381. ſqq. Danielem le Roy over de Danſſeryen der Joude als later Volkeren Rotterdam 1722. 8. aliosque, quos nominavimus in citatâ diſſertatione noſtrâ p. 10. Aſt & id conſtat, alium fuiſſe ſaltandi modum apud gentiles, alium apud Judæos. Vide ſaltem Witſiii Miſc. ſacra T. 2. p. 551. 552.

Ad C. V. de ramorum circumgeſtatione in tabernaculorum feſto ſ. 1111. ſqq. conferri velim cl. Lakemacherum in obſervat. philol. P. 1. obſ. 2. de ritibus quibusdam Bacchicis à Græcis ad Judæos recentiores derivatis & ab his tabernaculorum feſto uſurpatis, quo refert 1. nocturnam ſolennitatem in fœminarum atrio maximâ cum pompâ agitatam, 2. aquæ ex fonte Siloam amphorâ aureâ hauſtæ effuſionem ſolennem, 3. faſciculi ramorum, Lulaf dicti, geſtationem & concuſſionem, 4. tibiæ ad altare uſum, 5. immoderatæ hilaritatis ſigna, præſertim comeſſationes. Sed jungi meretur cl. Harenbergii diſquiſitio in originem ritus Judaici, quo לולב ramum frondentem in feſto tabernaculorum geſtare ſolent. Vide Biblioth. Lubecenſem Vol. 3. n. 6. p. 434. ſqq. Heic abitur in omnia contraria. Adde cl. Dachſium ad Succa ſ. 326. & vel maximè Jo. Nicolai tractatum de phyllobolià ſeu florum & ramorum ſparſione in ſacris & civilibus C. 14. p. 100. ſqq. ubi ait, ritum hunc Gentiles à Judæis accepiſſe.

Num lucernarum accenſio in encæniis & aliis Judæorum ſolennitatibus C. VI. ſ. 1120. ſqq. itidem Ethnicis debeatur, nova quæſtio eſt. Vide hîc Licetum & Ferrarium de lucernis antiquorum itemque Caſalium de profanis Ægyptiorum ritibus C. 25. Sed vide & Seldenum de ſynedriis vet. Ebr. L. III. C. 13. §. 9. & Witſium in Ægyptiacis L. II. C. 16. §. 16. 17.

Quod ſ. 1125. C. VII. de liberatione vincti in feſto Paſchatos à Græcis oriundâ dicitur, merâ itidem conjecturâ nititur, à ſolâ ritus affinitate ductâ. Conferri hîc poſſunt autores, qui de hoc ritu egere, citati à Fabricio in Bibliogr. antiqu. C. 10. ſ. 6. p. 313. 314. & in Cod. apocr. N.T. T. 1. p. 255. & Rev. Wolffio in curis ad Matth. XXVII. 15. p. 396. 397. Adde tamen Jo. Conr. Hottingeri diſſ. de ritu dimittendi reum in feſto Paſchatis Tiguri A. 1718. 8. datam.

De circuitu inter ſacra peragenda à Judæis uſitato C. VIII. ſ. 1128. ſqq. non habeo, quod addam novæ reſponſionis genus. Itane & fieri non potuit, ut ejusmodi circuitus & Judæis & gentilibus placeret, itane opus eſt ergò, ſtatuere, illos ab his ritum hunc mutuatos eſſe? Conferri hîc velim Cramerum & Dachſium ad Succa p. 328. ſqq. Heic & myſterium hujus circuitûs traditur.

Num uſus tibicinum in exequiis à gentibus manaverit, quod putat noſter C. IX. f. 1135. ſqq. itidem diſputatur. Sunt plurimi, qui ante ipſum hoc conjecere, ſed ſunt &, queis hæc ſententia diſplicet. Autores cumulatos allegavit Rev. Wolfius in curis ad Matth IX. 23. p. 170 171. Addi tamen debet Kirchmannus de funeribus Romanorum L. 2. C. 5. 6. & Nicolai de luctu Græcorum C. 9. p. 98. ſqq. maximè & cl. Zornius in Biblioth. antiqu. exeg. T. 1. p. 581. ſqq.

Ad f. 1139. ſqq. de defuncti lotione, compoſitinne, epulo funebri, luctûs funebris cærimoniis, circuitu ſepulchri & pyramidum erectione, conferendi ſunt autores, qui de funeribus & ſepulturâ veterum certatim egere. Videas recenſitos illos in Fabricii Bibliogr. antiqu. C. 23. & Zornii Biblioth. antiqu. exeg. T. 1. p. 15. ſqq. 501. ſqq. 577. ſqq.

Ad f. 1161. 1162. de coronatione victimæ vide autores laudatos à Ven Wolfio in curis ad Act. XIV. 13. p. 1209. Ad f. 1162. de deauratione cornuum bovis immolandi vide cl. Lakemacheri obſerv. de ritu Judaico, cornua victimæ inaurandi eandemque coronandi, in obſ. Philol. T. 1. obſ. 3. p. 79. ſqq. ubi eandem cum noſtro ſententiam tenet. Ad f. 1163. confer cel. Zornii Biblioth. antiqu. exeg T. 2. p. 583.

Ad f. 1166. ſqq. de nudipedalibus Ebræorum & gentilium vide autores ab eodem cel. Fabricio l. c. C. 18. §. 10. laudatos. Ritus adfines ſunt, ſed origo incerta.

Ad f. 1174. ſqq. de lotionibus, manuum maximè, vide eundem doctiſſi. Fabricium l. c. C. 11. §. 25. p. 386. C. 22. §. 14. p. 649. 650. & maximè Ven. Wolfium in curis ad Marc. VII. 3. p. 471. 472. ubi autores citantur cumulatè.

Aſt ad f. 1180. ſqq. de baptiſmo initiatorio larga ſe offerret dicendi occaſio, ſi inſtituti noſtri id ferret ratio. Vide, quæ hanc in rem diximus de originibus juris eccleſiaſtici p. 85. ſqq. & introd. in hiſt. Theol. lit. P. 2. p. 360. ſq. Sanè negant Viri doctiſſimi, baptiſmum Proſelytorum obtinuiſſe ante Chriſtum natum, Owenus in Theologumenis L. V. C. 15. §. 19. ſqq. p. 425. ſqq. Knatchbullus in 1. Pet. III. 20. 21. Wernsdorfius in recentioribus de baptiſmo controverſiis & de origine baptiſmi Chriſtianorum mere divinâ, Deylingius Obſ. ſacr. P. 3. obſ. 26. §. 3. Zeltnerus de initiis baptiſmi initiationis Judæorum, Sehyn in hiſtoriâ Mennonitarum p. 14. ſqq. & quàm maximè Jo. Joſephus Lauguetus, Epiſcopus Sueſſionenſis Gallus du veritable Eſprit de l' Egliſe dans l' uſage de ſes cérémonies §. 19. p. 151. ſqq. Adde Grapium in Theol. recens controversâ P. 3. p. 77. ſqq. & Aménités de la Critique P. 2. diſſ. pec. Aſt ſunt alii, qui baptiſmum proſelytorum Judaicum Chriſtiano putant anteriorem, poſt Baronium ex Romanenſibus Lamy dans l' introduction à l' Ecriture ſainte L. 1. C. 1. p. 12. & de Vert dans l' explication ſimple, literale & hiſtorique des cérémonies de l' Egliſe T. 2. p. 376. ſqq. Ex Anglis hùc ſpectant Seldenus, Lightfootus, Hammondus, Ainſworthus, Hooperus, Cave, Goodwinus. Ex Reformatis Buxtorfius, Altingius, Hottingerus, van Leuwen, Gauſſenius, Burmannus, Witſius, Braunius, Leusdenius, Holzfuſius, Rhenferdius. Ex Remonſtrantibus maximè Grotius. Ex Socinianus Wolzogenius. Ex Mennnnitis van Dale. Ex noſtris Pfeifferus, Carpzovius, Spenerus, Danzius, Buddeus, Volckmeyerus, Edzardi. Vide libros in Theologiæ literariâ l. c. citatos.

De Ethnicornm lotionibus baptiſmisque, à quibus noſtrum baptiſmum perperam repetit Chauvinus, videri poſſunt Pfannerus, Lomejerus, Sperlingius, Hottingerus apud Fabricium l. c. C. XI. §. 25. p. 387. Adde de Perſarum & Ægyptiorum baptiſmis Witſii Ægyptiaca L. II. C. 16. §. 7. ſqq. p. 185. ſqq. & cl. Moshemii Comment. de felicitate eorum, qui purâ mente ſunt p. 6. ſqq. Iidem verò & hi autores de baptiſmo expiatorio & ſanctificatorio, uti & purgatorio conferantur, quemadmodum & Buddeus in diſſ. de καθάρσει Pythagoræo-Platonicâ in Analectis hiſt. philoſoph. p. 363. ſqq. autnresque à Wolfio in curis ad Matth. XXVII. 24. p. 398. 399. citati, illique, qui de aquâ luſtrali Pontificiorum ex lacunis gentilium derivandâ egere, uti Hunnius in apoſtaſiâ Eccleſiæ Romanæ p. 85. 289. 290. 291. Bajerus in diſſ. de aquâ luſtrali Pontificiorum & Veyrelius apud Zornium in Biblioth. antiqu. exeg. T. 1. p. 529. ſqq.

Encænia à gentibus ad Judæos tranſiiſſe C. 14. f. 1193. ſqq. refert Spencerus. Autores heic conſulendos dedit idem Fabricius l. c. C. 9. §. 25. p. 305. & C. 10. §. 7. p. 316. At verò non opus erat, ritum hunc, quem ipſa rei natura docet, à gentibus mutuari.

Idem ad C. 15. de more orandi verſus templum f. 1197. ſqq. dixerim. Cùm

DEus

DEus peculiari ratione præſens fuiſſet in templo, quid mirum, Judæos verſus templum oráſſe. Conſerri poteſt Joh. Ehrenfriedi Pfeifferi diſſ. de dignitate occidentalis plagæ in re ſacrâ Hebræorum Wittebergæ A. 1697. data. Adde & Witſium exerc. 4. in orationem Dominicam §. 17. 18. p. 58. 59. & Vitringam in Archiſynagogo C. 9. p. 165. & de ſynagogâ vetere L. 1. P. 3. C. 3. p. 456. ſqq. itemque L. 3. P. 2. C. 19. p. 1109. qui docent, Judæos pro ſitu regionis, in quâ degunt, orientem quoque verſus orare. Cur non potiùs dixit Spencerus, Judæos verſus templum adeóque occidentem orantes ſic diſtinxiſſe ſe à gentilibus, verſus orientem orantibus, maximè Zabiis, de quibus hoc refert Maimonides in Moreh Neſuchim P. 3. C. 45.

Sequitur poſtremo loco f. 1201. ſqq. diſſ. de natura & origine phylacteriorum Judaicorum, quæ ab amuletis Gentilium f. 1217. ſqq. deducuntur. Erudita prorſus hæc diſſertatio eſt, & digna SPENCERO, qui verò rurſus meris conjecturis rem agit. Affinitas illa inter phylacteria Judæorum & amuleta gentium rem non conficit. Cæterùm autores de phylacteriis Judæorum recentiores itidem laudavit cel. Fabricius l. c. C. XI. §. 11. p. 364. & Wolfius in curis ad Matth. XXIII. 5. p. 322. 323. Addi poteſt Martini Adelti diſſ. de phylacteriis Chriſti in Miſcell. Lipſ. T. 8. obſ. 164. p. 22. ſqq. maximè verò cl. Zornius in Biblioth. antiqu. exeg. T. 1. p. 716. ſqq. ubi Kircherum, Scaligerum, Petitum cum Spencero heic refutat. Sic & Witſius in Ægyptiacis L. 1. C. 19. §. 2. ſqq. p. 46. ſqq. & L. II. C. 9. §. 7. ſqq. p. 122. ſqq.

Neſcio, cur plures ritus, quos cum gentilibus communes habuere Judæi, haud adjecerit SPENCERUS, latiſſimum ſimiles conjecturas promendi campum præbituros. Sed nec omnes quoque leges rituales iſtè explicavit, ubi in ejusmodi conjecturas facile erat exſpatiari, ritus gentilium cum ritibus Judæorum ex autoribus antiquariis vel ipſis fontibus conferendo. Induſtriæ ſaltem & conjecturæ hæc res eſt, haud tanti ingenii.

De iis, qui eandem cum SPENCERO ſententiam tenuere, non attinet multa dicere. Ipſe Judæos, Patres, Scriptores modernos, quos ſecutus eſt, allegavit paſſim. Nolumus actum agere. Inter recentiores Viri cogitata mox adoptavit, mox reſpuit Clericus. Præivit verò viam ex Anglis Jo. MARSHAMUS, Eques Auratus, cujus exſtat Canon Chronicus Ægyptiacus, Ebraicus, Græcus. Prodiit is primùm Londini A. 1672. fol. recuſusque fuit Lipſiæ A. 1676. 4. cum præfatione Ottonis Menckenii, ut & Franequeræ A. 1696. 4. & Amſtelodami A. 1698. 4. Opus ſanè multo eruditionis ex auctoribus antiquis hauſtæ apparatu ſuperbiens, ſed eâdem opinionem profanitate paſſim refertum. Conſtat, doctiſſimum Witſium illi primùm oppoſuiſſe Ægyptiaca Amſtelodami A. 1683. 4. deinde & SPENCERO ibid. A. 1696. Eosdem ferè MARSHAMUS adverſarios expertus eſt, quos & SPENCERUS, refutatus & ab aliis in aliis argumentis à SPENCERI libro diverſis, ſic enim e. g. MARSHAMI de LXX hebdomadibus Danielis ſententiam confixere Wagenſeilius, Vitringa, alii. Aſt MARSHAMI adverſarios ut recenſeamus, inſtituti noſtri non eſt.

De præſenti editione libri SPENCERIANI, quam damus, pauca monenda reſtant. Conſtat, Virum eruditum primùm diſſertationem de Urim & Thummim edidiſſe Cantabrigiæ A. 1668. 8. mox refutatam à Carpzovio aliisque, quos ſupra jam nominavimus. Inſecuti ſunt libri tres de legibus Hebræorum ritualibus Londini A. 1685. fol. queis diſſertationem illam de Urim & Thummim totam inſeruit, ſub finem pollicitus librum quartum, qui in editione hâc novâ adparet. Recuſum fuit opus Hagæ Comitis A. 1686. 4. & Lipſiæ A. 1705. 4. Poſtquam SPENCERUS plurimùm auxiſſet atque etiam revidiſſet immutâſſetque idem novoque ſuppleviſſet libro, antea promiſſo, ex ſchedis Autoris manu ſcriptis novam editionem dedit LEONHARDUS CHAPPELOW Cantabrigiæ A. 1727. fol. additis notis, ſed brevibus illis, in queis citationum ab Autore factarum præcipuam geſſit curam. Cùm verò editio hæc Cantabrigienſis & rara apud nos conſpiceretur & inſignis eſſet pretii, viſum fuit, illam prælo reddere, ita quidem, ut exactè referret quoad ſingulas quoque paginas illarumque numerum noſtra hæc Anglicanam.

Forſan gratum fuerit lectori, ea, quæ in novâ editione Cantabrigienſi & noſtrâ mutata & ſuppleta ab auctore leguntur, heic enarrare, & ſupplere etiam, quæ SPENCERUS ex veteri editione poſterioribus curis expunxit. Fol. 19. poſt vocem *inſervirent* ex veteri editione quædam ſuſtuliſſe Autorem ſupra jam diximus. Illorum verborum loco poſita illa ſunt in præſenti editione, quæ inde à voce *inſervirent* uſque ad vocem *majores* currunt. Fol. 23. l. 3. poſt vocem *exiſtimetur* expuncta fuere verba ſequentia, quæ in veteri editione exſtant: *Non ſine ratione præcipuum, (non unicum)*

dixiſſe videar. Quamvis enim Iſraëlitæ ab idololatriæ lue ſe puros & intactos in Ægypto conſervâſſent, conſultò tamen creditur, Deum leges eas in idololatriæ remedium iis impoſuiſſe. Erant enim προφυλακαὶ *contra peſtem illam ubique graſſantem & obſtacula, quò minùs inſtituti vel opinionis alicujus idololatricæ contagium ad Iſraëlitas perveniret. Sed eò jam redeo, quò vocat inſtitutum primum.* Horum verborum expunctorum loco ea poſita videas, quæ in novâ editione hâc l. c. inde à voce *exiſtimetur* leguntur uſque finem ſectionis & vocem *pateretur* f. 24. Portò f. 28. ſqq. in novâ editione additur totum caput II. de decalogo & lege morali idololatriæ oppoſitâ uſque ad f. 40. ubi poſt verba *diſcrepare videantur*, expuncta videas ex veteri editione ſequentia, quæ heic ex eâdem ſupplemus.

„Nam ptimò ſentiunt aliqui, Legem ad hunc uſum aptam & accommodatam fuiſſe, quatenus jugum ſeverum eſſet, quod populi præferocis animum ſubigeret, & ex rudi feroque mitem & diſciplinæ patientem paulatim redderet. At vereor, ne huic opinioni ratio non multum faveat. Quamvis enim non diffitendum ſit, legem illam ſeverum triſtemque Pædagogum fuiſſe, & jugum, cui ferendo (*a*) viri pii ſe impares fatebantur, longè tamen ab hoc ingenuo rerum ſenſu aberat Hebræorum vulgus. Eorum enim plerique Legem non *jugum* exiſtimabant, ſed ornamentum, & inter duas illas ceremoniarum & traditionum ſarcinas, nullo gemitu emiſſo decumbebant, imò verò, (*b*) animos ab ipſo ſuo jugo ſumere, & ſervitutem non pati tantùm ſolebant, ſed & in illâ (*c*) gloriari. Non eſt itaque vel ſimile vero, Deum Legem illam tanquam humilitatis & manſuetudinis Magiſtram Judæis impoſuiſſe, unde magis elati & à vera pietate alieni tandem evaſerunt. Peſſima profectò medicina eſt, quæ tam facilè in morbum tranſit. Eſt itaque rationi conjunctius, Deum Legem illam ritualem magis ad demulcendos quàm frangendos Hebræorum animos tradidiſſe, præſertim ſi quid è vero trahat opinio *Grotii* l. 5. de Verit. Relig. Chriſtianæ, ubi ait: *Certè apparet, Hebræos multorum rituum fuiſſe appetentes, ita ut ſatis cauſæ fuerit, cur Deus plurimos injungeret, vel ob hoc, ne ad falſorum Deorum cultum, memoriâ incolatus Ægyptiaci, redirent.*

Secundò: Nonnulli Legem ceremoniarum idololattiæ obſtaculum fuiſſe ſentiunt, quatenus earum multitudo ſic occupatos tenuit Hebræorum animos, quòd Ethnicorum ritibus obſervandis haud vacarent. Sic *S. Chryſoſtomus* opinatus eſt, qui præcepta ritualia Judæis, in Gentium ceremonias ruituris, fræni vice fuiſſe dicit, quatenus ἀφορμὴν τῆς ἀσχολίας παρέχοντα, perpetuam *occupationis honeſtæ occaſionem præberent.* At verò, cùm ſacrificia, & præcipuæ cultûs Judaici ſolennitates, Hieroſolymis tantùm peragendæ eſſent, ritus præcipui non multum negotii faceſſere potuerunt Judæis ruri agentibus, aut eos ita diſtrictos tenere, ut ab omni rituum Ethnicorum curâ ſtudioque mentes eorum avocarent.

Tertiò: Alii Legem Moſaicam ad avertendum ab idololatriâ populum egregiè accommodatam arbitrantur, eò quòd de rebus adeò minutis curaret, ut quocunque ſeſe in omni vitâ verterent Iſraëlitæ, ſemper levior aliqua obedientiæ Deo vero præſtandæ occaſio ſe ingereret, & Legislatoris ſui (ſi fortè animis excideret) memoriam continuò renovaret. Huic opinioni cumprimis favet *Juſtinus Martyr*, ſic Judæos in perſonâ *Tryphonis* (*d*) alloquens, σαββατίζειν ὑμῖν προστέταχεν, ἵνα μνήμην λαμβάνητε τοῦ Θεοῦ, *Sabbata celebrare vos juſſit, ut Dei memoriam colatis:* Καὶ γὰρ βρωμάτων τινῶν ἀπέχεσθαι προστέταχεν ὑμῖν, ἵνα καὶ ἐν τῷ ἐσθίειν καὶ πίνειν πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχητε τὸν Θεόν, &c. *Quin & à cibis quibusdam ut abſtineretis, mandavit vobis, ut inter edendum & bibendum vobis ob oculos verſaretur Deus, promptis admodum & proclivibus ad deficiendum ab ejus notione.* Et poſt paginas aliquot (*e*) Διὰ τὸ σκληροκάρδιον, inquit, τοῦ λαοῦ ὑμῶν πάντα τὰ τοιαῦτα ἐντάλματα ὥσπερ τὸν Θεὸν διὰ Μωσέως ἐντειλάμενον ὑμῖν, ἵνα διὰ πολλῶν τούτων ἐν πάσῃ πράξει πρὸ ὀφθαλμῶν ἀεὶ ἔχητε τὸν Θεόν, &c. *Propter duritiem cordis populi veſtri cunctas hujuſmodi ſanctiones Deum per Moſen vobis tuliſſe intelligatis: ut per complura illa inſtituta, in omni actione vobis ante oculos eſſet Deus, ac neque injuſtè facere, neque impiè occiperetis.* Cum hiſce *Juſtini* paria pene faciunt (*f*) *Cedreni* verba: Διὰ τὴν σκληροκαρδίαν Ἰουδαίων ἐπέδησεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς, ὅπως διὰ τοῦ θύειν, καὶ ἀργεῖν, καὶ ἁγνίζεσθαι, καὶ τὰ τοιαῦτα παρατηρεῖσθαι, εἰς ἔννοιαν ἔχωσι τοῦ Θεοῦ, τὰ ταῦτα διατάξαντος αὐτοῖς καὶ νομοθετήσαντος· i. e. *Sic Deus ob cordis duritiem devinxit Judæos, ut ſacrificiis, feriis, purificationibus, aliiſque id genus ceremoniis obſervandis, Dei memoriam retinerent, qui omnia iſta præcepiſſet & legibus deſcripſiſſet.* Neque hæc

(*a*) Act. 15, 10 Gal. 5, 1. (*b*) Act. 21, 20. 21. (*c*) Rom. 2, 23. (*d*) in Dialog. cum Tryphon. p. m. 237. (*e*) P. m. 265. (*f*) In Compend. Hiſt. p. 239.

ſen-

ſententia minùs ratione quàm veterum authoritate firmari videtur. Quid enim Lex *Moſis* victum, veſtitum, agri colendi ſemina, capitis tonſuram, ſacrificiorum circumſtantias aliaſque minutias innumeras tam curioſè definiret, niſi ut Hebræorum populus ætatem ſub divinâ quadam diſciplinâ degeret, & Lex illa (ab aris uſque ad focos diffuſa) tanquam κόκκινον βάμμα καὶ φυλακτήριον, uti loquitur Juſtinus Martyr, *coccineus panniculus & phylacterium*, ad populum monendum inſerviret, unde nulla Dei oblivio animis, vel maximè ſtupidis & ſomnolentis, obrepere poſſet?

Huic equidem Legis Moſaicæ rationi plus ſalis ineſt (modò ipſe ſano utor palato) quàm pleriſque aliis aſſignari ſolitis. Nec ab eâ forſan veteres Judæi prorſus abhorruerunt. Nam *Philo* legem memorans, quæ præcipit, ut, quotieſcunque panis fermentatur & ſubigitur, toties primitiæ ſeparentur in uſum ſacerdotum: *Hoc pacto*, (*g*) ait ille, *offerentium pietati proſpicitur*: Ἐθιζόμενοι γὰρ ἀεὶ καὶ τῆς ἀναγκαίας τροφῆς ἀπάρχεσθαι, τὴν Θεῦ μνήμην ἄληκτον ἕξουσιν, ἧς μεῖζον ἀγαθὸν ἐν ἔτιν εὑρεῖν. *Dum enim aſſueſcunt ſemper alimenti partem, tanquam primitias, Deo ſeparare, nunquam in ejus oblivionem veniunt, qua re nihil in vitâ poteſt contingere felicius homini.* Sed (ſi verum fatear) hanc etiam rationem, ſpecioſam licet in ſuperficie, ſoliditate omni deſtitutam cenſeo. Nullam enim cauſam aſſignat, cur Deus hos ritus præ aliis ad memoriam ſui renovandam inſtituerit. Deinde, ſi populus Iſraëliticus Dei ſui, tot miraculis clari, tam facilè potuit obliviſci, multo magis legis è tam variis conflatæ partibus. Satis etiam è ſequentibus innoteſcat, leges & ritus à *Juſtino Martyre* & *Cedreno* memoratos è rationibus multn ſolidioribus effluxiſſe. Neque *Philonem* genuinam legis ab ipſo citatæ cauſam attigiſſe cenſeo. Nam ævi priſci conſuetudine receptum videtur, ut panis ſubacti partes aliquot, primitiarum quarundam nomine, Diis offerrent aut eorum ſacrificulis: nec à vero abhorret, Deum partes aliquas maſſæ farinaceæ ſacerdotibus ſuis dari voluiſſe, ut ſuperſtitionem in religionem converteret, & hunc inter alios idololatriæ veteris ritus aboleret.„ Loco expunctorum horum verborum ponuntur in noſtrâ editione pauciſſimæ lineæ inde à voce *Sententiis* uſque ad vocem *violentur* currentes. Ita & f. 40. 41. videas in veteri editione fines iſtos aliter & ſic quidem poſitos:

1. Mercedem & pœnam tantùm temporalem, utpote populi ruditati maximè accommodatam, proponendo.
2. Signa quædam, populi Deo peculiariter addicti, & cultûs in illius honorem præſtiti, ſtatuendo.
3. Animalium & ciborum diſcrimen inſtituendo.
4. Sacra plurima certis quibuſdam locis, perſonis & temporibus, adſtringendo.
5. Modis omnibus cavendo, ut ſuus Deo & ſacris Ejus honos conſtaret & reverentia.
6. Varias immunditiæ munditiæque ſpecies inducendo.
7. Zabiorum ritus, utpote idololatriæ ſigna vel cauſas, omnino prohibendo.
8. Ritus quoſdam antiquitus uſitatos reformando, eoſque ad cultum divinum transferendo.

E quibus intelligere licet, leges ceremoniales unum quidem finem generalem & remotum (idololatriæ ſcilicet abolitionem) habuiſſe, varios autem fines ſpeciales & proximos, quatenus leges illæ diverſimodè ad finem illum generalem promovendum conſpirarent.„

Fol. 90. ſub finem ſupplentur in novâ hâc editione verba: *Cum re præſenti* uſque ad *29. 30.* Fol. 91. in medio poſt vocem *tribuatur* in vereri editione hæc ſequuntur, quæ in novâ deſiderantur: Huoc autem tertii mandati ſenſum probare videntur LXX. ſic verba transferentes: ὁ λήψῃ τὸ ὄνομα Κυρίε τῦ Θεῦ σε ἐπὶ ματαίῳ, nam μάταια nomine nonnunquam Idolum à (*h*) Græcis interpretibus ſignanter appellatur. Utut ſit, Chriſtianos antiquos ſenſum tam latum huic mandato tribuiſſe, è Tertulliani verbis haud obſcurè colligendum. Poſtqnam enim eos, qui Idolum Dei nomine cohoneſtant, idololatriæ crimine teneri dixiſſet, hæc (*i*) addit: *Cùm ait* Scriptura, *Nomen aliorum Deorum ne commemoretis, neque audiatur ex ore tuo, hoc præcepit, ne DEOS vocemus eos: nam & in prima legis parte*, non ſumes, *inquit*, nomen Domini Dei tui in vano, *id eſt, in idolo. Cecidit igitur in idololatriam, qui idolum Dei nomine ſeriò honoraverit.* Gentiles itaque contra mandatum illud commiſerunt, qui nomina *Elohim*, *Baal*,

(*g*) Lib. de præmiis Sacerd. p. 830.
(*h*) Vid. LXX. in Eſa. 2. 20. Levit. 17, 7. & 2 Paral. 11, 15.
(*i*) Lib. de Idololatr. ſub fin.

 Molech,

Molech & hojusmodi, ſummam potentiam & dominiom indicantia, *Vanitatibus* ſuis impoſuerunt. Ejusdem criminis poſtulandi ſunt, qui per (*k*) *Malcham*, aut *peccatum* (i. e. Vitulum) *Samariæ jurabant olim:* nam tali juramento numinibus ſuis ſcientiam & potentiam illam divinam tacitè tribuebant, ſine quibos juramenti religio violata vindicari nequit. 2. *Ne juramentum, idoli alicujus, ſed ſolius Jehovæ, nomine concipiatur.* Hoc tertio præcepto vetitum, mihi ſacilè perſuadeo, quòd Moſes ſic tertium mandatum, inter alia pleraque, repetitum dederit (*l*) *: Non jurabis mendaciter in nomine meo, & nomen Domini Dei tui non profanabis.* Quin & Onkelos, Uzielides, Syrus, Arabs Erpenianus, alii, hoc mandatum *de non jurando fruſtra* vel *mendaciter* interpretantur. His interim innuitur, mandatum tertium Iſraëlitas ad juramenta ſua omnia, Jehovæ tantùm nomine interpoſito, concipienda & confirmanda devinxiſſe. *Tertullianus* itaque eos mandati hujus violati reos (*m*) agit, qui *conſuetudinis vitio, mehercule, medius fidius, dicere ſolent, ignorantes jusjurandum eſſe per Herculem.* Adeò ut eò præcipuè ſpectet mandatum tertium, ut morem jurandi per idola, & jurandi mendaeiter aut fruſtra, (*n*) Gentium aliarum uſu tritiſſimum, inhiberet„ Fol. 97. ſqq. ſuppletum videas C. VI. & f. 157. ſqq. C. IX. quæ in priore editione deſiderantur. Ita & ſ. 196. ſqq. inſertum eſt C. XIV. & f. 255. ſqq. nova conſpicitur de uſuris diſſertatio. F. 321. ſqq. novum inſertum heic caput legitur VII. & ſ. 342. ſqq. C. X. ſ. 349. ſqq. C. XII. f. 371. ſqq. C. XIV. f. 385. ſqq. oecurrunt capita XVI. & XVII. queis latiùs diducuntur illa, quæ capitis XI. ſectione tertiâ ſeripta ſuerant in editiooe vetere. Non itaque exiſtimaverimus, opus eſſe, ut demus heic ſectionem iſtam tertiam. Fol. 457. ſqq. ſupplentur in novâ hâc editione capita XXI. XXII. XXIII. XXIV. & XXV. uſque ad f. 482. Fol. 514. exhibetur novum caput XXVIII. & f. 551. ſqq. novum caput XXXIV. ítemque ſ. 627. ſqq. nova diſſertatio de Anehialo Martialis. In libro tertio nîl expunctum, nîl ſuppletum conſpicitur. Sed ſ. 1087. ſqq. adjectus in hâc editione conſpicitur totus liber quartus. Videt verò jam lector, quot & quantis acceſſionibus ſuperbiat nova hæc editio, quam damus.

Reſtat, ut paucis, ad finem enim properat diſſertatio, vitæ SPENCERI demus præcipua. Lueem adſpexit is A. MDCXXX. Eruditioni operam dedit Cantabrigiæ in Collegio Corporis Chriſti, eo cum ſuceeſſu, ut non ſaltem Baccalaureus, poſtea & Doctor Theologiæ, ſed etiam A. MDCLXVII. Magiſter ſive Præfectus Collegii crearetur, cujus antea Socius ſuerat (*o*). A. MDCLXXII Canonicus, A. MDCLXXVII. Decanus Elienſis ſuit conſtitutus (*p*). Primus, quem ſcripſit, liber ſuit *de prodigiis & præſagiis* (*q*). Succeſſit diſſertatio de Urim & Thummim, uti jam diximus, & denique ipſum hoc opus, quod damus. Vitâ functus eſt Vir doctus A. MDCXCIII. die XXVII. Maji. Velim, ab aliis SPENCERIS ut probè diſtingnatur, ab EDMUNDO SPENCERO, vetere Poëtâ Anglo, à GUIL. SPENCERO, qui Origenem adverſus Celſum illiusque Philocaliam dedit, à JO. SPENCERO, qui Londini A. MDCCXV. hiſtoriam Poetarum Anglorum publici juris ſecit. De vitâ SPENCERI plura nobis dare potuiſſet, ſi voluiſſet, LEONH. CHAPPELOW. Peccavit vir doctus, quòd hoc officio ſuo non defunctus eſt, uti par erat, editionis novæ poſt mortem Autoris Curator. Nobis, quòd exilia iſta damos, dicam non ſcribet æquus lector, quem è veſtibulo ut in rem præſentem veniat, ſic dimittimus.

(*k*) Zeph. 1, 5. Amos 8, 14. (*l*) Levit. 19, 12. (*m*) ubi ſupr. (*n*) V. ſapienr. cap. 14, 25. 28. 29. 30. 1 Maccab. 6, 62. & 2 Maccab. 15, 10. Rom. 1, 31.

(*o*) Vide Jo. le Neve in faſtis Eccleſiæ Anglicanæ f. 426.

(*p*) Videatur idem f. 72.

(*q*) Titulus ita habet: *a diſcourſe concerning prodigies, wherein the vanity of preſages by them is reprehended and their true and proper ends aſſerted and vindicated. The ſecond edition, corrected and inlarged. To which is added a ſhort treatiſe concerning vulgar Prophecies.* By JOHN SPENCER, B. D. Fellow of Corpus Chriſti Colledge in Cambridge. London. 1665. 8. Vide Armandi Capellæ Bibl. Angl. T. 8. P. 1. art. 1. p. 1. ſqq. T. 9. P. 2. art. 2. p. 288. ſqq.

LIBRORUM

LIBRORUM, CAPITUM, & SECTIONUM
ARGUMENTA.

PROLEGOMENA.

CAP. 1 *Oſtenditur leges & ritus Judaicos non ſine ratione a Deo inſtitutos.* 1
CAP. 2. *Licitum eſſe rationem illam, quatenus rei ferr obſcuritas, indagare.* 4
CAP 3. *Multis docetur, legum Judaicarum rationes, dignas eſſe, quæ ſedulo exquirantur.* 6
Sect. 1. *Dulcedinis nomine,* 7
Sect. 2. *Et multiplicis utilitatis.* Ibid.
Sect. 3. *Honeſtatis etiam nomine.* 11
Sect. 4. *Et novitatis aut raritatis.* 12
CAP. 4. *Occurritur nonnullorum prajudiciis.* 13

LIBER PRIMUS.

In quo fuſe agitur de rationibus legum & rituum Judaicorum GENERALIBUS.

CAP. 1. *Primariam legis Moſaicæ rationem fuiſſe idololatriæ Iſraeliticæ abolitionem.* 19
Sect. 1. *Iſraelitas in Ægypto, & recens egreſſos ex Ægypto, gentem fuiſſe idololatriæ deditam.* 20
Sect. 2. *Legem ceremonialem in idololatriæ remedium cumprimis Ægyptiacæ traditam.* 24
* CAP. 2. *Decalogum aut legem moralem idololatriæ præcavendæ & eradicandæ ſerviiſſe.* 28
Sect. 1. *Tabulæ primæ abolitionem pro ſcopo habuiſſe.* 29
Sect. 2. *De mandatis Tabulæ ſecundæ contentis, & eorum ſcopo vel intentione principali.* 34
Sect. 3. *Capitis hujuſce concluſio.* 39
CAP. 3. *Quibus rationibus aut mediis lex ceremonialis ad idololatriam abolendam inſerviebat.* 40
CAP. 4. *Legem ad idololatriam abolendam plurimum valuiſſe, primo, mercedem & pœnam tantum temporalem diſerte & explicate proponendo.* 41
CAP. 5. *Secundo: ſigna quædam, populi Deo peculiariter addicti, cultus in illius honorem præſtiti, ſtatuendo.* 45
Sect. 1. *De ſignis hiſce,* generatim, *eorum nempe rationibus & differentiis, agitur.* Ibid.
Sect. 2. *De ſignis illis* ſpeciatim *ſit ſermo, & primo, de Circumciſione, ejuſque ratione principali.* 48
Sect. 3. *De ſede vel ſubjecto Circumciſionis.* 53
Sect. 4. *De Circumciſionis origine & antiquitate.* 54
Sect. 5. *De Circumſtantiis quibuſdam in Circumciſione celebranda obſervari ſolitis.* 61
Sect. 6. *Circumciſionem adverſus idololatriam plurimum valuiſſe.* 64
Sect. 7. *Sabbatum ſignum fuiſſe, reſpectu Dei, ſabbati ipſius, & populi.* 65
Sect. 8. *Sabbatum ſigni loco datum fuiſſe, teſtimoniis divinis & humanis comprobatur.* 67
Sect. 9. *Hoc aliis, inſuper argumentis confirmatur.* 70
Sect. 10. *Reſpondetur adverſæ partis argumentis.* 76
Sect. 11. *Cur Deus ſabbatum pro ſigno dederit.* 88
Sect. 12. *Sabbatum, ad idololatriam eradicandam inſtitutum fuiſſe, & huic uſui variis rationibus inſerviiſſe.* 90
Sect. 13. *Clauſulæ loco, duo ſubjunguntur corollaria.* 94
* CAP 6. *Legem idololatriæ obſtitiſſe, Gentes & Iſraelitas ab invicem ſeparando.* 97
Sect. 1. *De ſeparatione Judæorum a Gentibus, tum politica tum naturali.* Ibid.
Sect. 2. *Separationem Judæorum a gentibus multum momenti ad idololatriam præcavendam & profligandam habuiſſe.* 101
Sect. 3. *De ſeparatione Gentilium a Judæis, &, ob argumenti vicinitatem lex illa perobſcura, de Mamzere lata, fuſe explicatur.* 105
Sect. 4. *Legem Gentiles a Judæorum cœtu ſeparaſſe præcipue ne gentiliſmi & idololatriæ malum Judæis affricarent.* 112
CAP. 7. *Legem Moſaicam idololatriæ obſtitiſſe, ciborum & animalium diſcrimen inſtituendo.* 115
Sect. 1. *Rationes pro diſcrimine ciborum aſſignari ſolitæ ad examen vocantur, & vanitatis arguuntur.* 116
Sect. 2. *Veræ rationes cur Deus ciborum & animalium diſcrimen inſtituerit.* 121
Sect. 3. *De norma ſpeciali Judæis tradita qua animalia munda ab immundis diſcernerentur.* 126
Sect. 4. *Cur porcus, præ cæteris animantibus, immundum & abominandum haberetur.* 131
Sect. 5. *Animalium & ciborum diſcrimen, idololatriæ remedium fuiſſe, & quomodo.* 138
CAP. 8. *Legem idololatriæ obſtaculo fuiſſe, ſacra pleraque, certis locis, perſonis, & temporibus aſtringendo.* 141
Sect. 1. *De ſtatis ſacrorum locis, & eorum ratione.* 142
Sect. 2. *De perſonis quibus, idololatriæ præcavendæ cauſa, ſacrorum miniſterium aſtringebatur.* 147
Sect. 3. *De temporibus quibus adſtricta ſunt Hebræorum ſacra.* 155
* CAP. 9. *Legem idolis obſtaculo fuiſſe, feſtivitates generis varii (ſeptidumas, menſtruas, annuas) indicendo.* 157
Sect. 1. *Multis oſtenditur, paſcha feſtum fuiſſe ad idololatriam abolendam inſtitutum.* 158
Sect. 2. *Feſtum etiam Pentecoſtes ad idololatriam eliminandam virtutis non parum contuliſſe.* 160
Sect. 3. *Feſtum Tabernaculorum uſum eundem præbuiſſe.* 162
Sect. 4. *De Primitiarum oblatione quæ feſto cuique ſubjungebatur.* 165
CAP. 10. *Legem idololatriæ obſtaculum fuiſſe, Dei & ſacrorum ſuorum omnium honori proſpiciendo.* Ibid.
Sect. 1. *Oſtenditur Legem curaſſe, ut honos & reverentia ſingularis Deo deferretur.* 166
Sect. 2. *Legem rebus ſacris honorem eximium aſſeruiſſe.* 169
Sect. 3. *Legem perſonarum ſacrarum honori proſpexiſſe.* 173
Sect. 4. *Et locorum ſacrorum.* 175

Sect. 5. *Legem rituum ſacrorum honori proſpexiſſe.* 177
Sect. 6. *Legem Moſaicam idololatriæ obicem poſuiſſe, Dei & ſacrorum omnium honori proſpiciendo.* 179
Cap. 11. *Legem idololatriæ obſtitiſſe, varias immunditiæ munditiæque ſpecies inducendo.* 181
Sect. 1. *De Perſonarum immunditiis, earumque variis ſpeciebus.* Ibid.
Sect. 2. *De cauſis immunditierum perſonalium maxime probabilibus.* 182
Sect. 3. *De pollutionum Legalium origine & antiquitate.* 185
Sect. 4. *De rebus mundis & immundis.* 193
Cap. 12. *Legem idololatriæ progreſſum inhibuiſſe, Zabiorum ritus & inſtituta prohibendo.* 195
Cap. 13. *Ritus aliquos longo uſu receptos reformando, eoſque ad Dei ipſius cultum transferendo.* 196
* Cap. 14. *Legem ceremonialem idolis obſtitiſſe, ritus moleſtos & oneroſos admodum inſtituendo.* Ibid.
Sect. 1. *Multis argumentis evictum eſt, legem ritualem Judæis oneroſam extitiſſe.* Ibid.
Sect. 2. *Oſtenditur quo reſpectu leges illæ rituales tam moleſtæ fuerunt & oneroſæ.* 201
Sect. 3. *Legem, quatenus oneroſam, idololatriæ multum obſtitiſſe, & ad eam profligandam non parum valuiſſe.* 203
Sect. 4. *Duabus occurritur objectionibus, quibus Corollarium adjunctum eſt.* 206
Cap. 15. *De legum rituumque Moſaicorum fine ſecundario.* 208
Sect. 1. *Ritus & inſtituta* quædam *legalia myſteriis adumbrandis inſerviiſſe.* Ibid.
Sect. 2. *Deum leges & ritus* quoſdam, *non omnes ad res cæleſtes adumbrandas inſtituiſſe.* 213
Sect. 3. *Quænam myſteria ſub cortice legis occultantur.* 215
Sect. 4. *Rerum cæleſtium adumbrationem, rituum quorundam finem fuiſſe ſecundarium.* 218
Sect. 5. *Capitis concluſio, ubi agitur de nimio & ſobrio allegoriarum uſu ſtudioque.* 220
Cap. 16. *Appendix, in qua ſtrictim agitur de mediis extraordinariis ad idololatriam abolendam uſurpatis.* 223

Diſſertatio de Theocratia Judaica.

Præfatio. 226
Cap. 1. *Probatur Hebræorum regimen primitus* theocratiam *fuiſſe, & Deum, cum Regis nomine & poteſtate, populo illi præfuiſſe.* 227
Sect. 1. *Deum poteſtatem vere Regalem inter Hebræos habuiſſe, probatur teſtimoniis & aliis argumentis.* Ibid.
Sect. 2. *Qualis rex Deus erat Iſraelitis.* 230
Sect. 3. *Quæ præcipue ratione, cum Deus in cælis ageret, principatum ſuum adminiſtravit.* 232
Cap. 2 *De regiminis hujus conſtituendi forma & modo.* 233
Cap. 3. *Regiminis hujuſce divini variæ rationes aſſignantur.* 235
Cap. 4. *De regiminis hujus origine, duratione, & abrogatione.* 238
Sect. 1. *De origine Theocratiæ.* 239
Sect. 2. *De illius duratione.* Ibid.
Sect. 3. *De regiminis hujus abrogatione.* 241
Cap. 5. *De inſtitutis illis Moſaicis, quibus Theocratia occaſionem adminiſtravit.* 245
Sect. 1. *De inſtitutis Moſaicis Deum ut Regem mere politicum ſpectantibus.* Ibid.
Sect. 2. *De legis inſtitutis, Deum ut regem cæleſtem ſpectantibus.* 249
Sect. 3. *De Legis inſtitutis, Deum ut Dominum Exercituum, aut regem militantem, ſpectantibus.* 250
Cap. 6. *Hæc ad Objectionem antea dictam ſolvendam accommodantur.* 253

* Diſſertatio de ratione Legis Usuram prohibentis.

Præfatio. 255
Cap. 1. *Legis verba ſingulatim explicantur, & illius intentio genuina ratione confirmatur.* Ibid.
Cap. 2. *Rationes aſſignantur, cur lege cautum eſt ne quis Iſraelita fratres aut concives ejus uſuris oneraret.* 258
Sect. 1. *Rationes Legis uſurariæ a parte Dei.* 259
Sect. 2. *Rationes legis a parte gentis Iſraeliticæ.* 260
Sect. 3. *Rationes a parte regiminis & politiæ Hebræorum.* 262
Sect. 4. *Rationes legis hujus a parte terræ quam incolebant Iſraelitæ.* 263
Sect. 5. *Rationes legis uſurariæ a parte religionis quam Iſraelitæ profitebantur.* 265
Sect. 6. *Rationes a parte legum aliarum ad Hebræorum politiam pertinentium.* 266
Cap. 3. *Rationes aſſignantur, cur lege permiſſum erat, alienigenas, eoſque ſolos, uſuris onerare* 268
Cap. 4. *Dubiis aliquot de re uſuraria ſatisfactum eſt.* 270

Liber Secundus,

In quo de legibus Hebræorum ritualibus quæ Zabiorum aut idololatrarum Orientalium moribus opponebantur fuſe diſſeritur,

Præfatio qua generalia quædam de Zabiis, & Libri ſecundi methodo, præmittuntur. 275
Cap. 1. *Quo* [illegible] *quædam de Zabiis continentur.* 277
Sect. 1. *De eorum nomine.* Ibid.
Sect. 2. *De Zabiorum origine & antiquitate* 279
Sect. 3. *De Zabiorum libris.* 281
Sect. 4. *De Zabiorum ritibus & ceremoniis.* 283
Cap. 2. *Deum leges haud paucas Zabiorum moribus & dogmatis oppoſitas inſtituiſſe.* 284
Sect. 1. *Probatur teſtimoniis & aliis argumentis.* Ib.
Sect. 2. *Reſpondetur adverſæ partis argumentis.* 287
Cap. 3. *Cur Deus tot leges & ritus eorum moribus oppoſitas inſtituerit.* 288
Sect. 1. *Reſpondetur primo Negative.* Ibid.
Sect. 2. *Reſpondetur Poſitive.* 290

Cap.

CAP. 4. *De legibus quæ Zabiorum moribus opponuntur, ſigillatim agitur, & primo de lege Paſchatis, ejuſque circumſtantiis.* 293
Sect. 1. Harum *prima erat, quod agno maſculo ſolenniter mactato celebrari deberet.* 294
Sect. 2. Circumſtantia ſecunda, *ne quid ex agno paſchali crudum ederetur.* 300
Sect. 3. Circumſtantia tertia, *ut agnus paſchalis, non coctus aqua, ſed aſſus igne, comederetur.* 305
Sect. 4. Circumſtantia quarta, *ut Iſraelitæ agni capite, cum pedibus ejus & inteſtinis, veſcerentur.* 309
Sect. 5. *Jam dictis generalia quædam ſubnectuntur.* 311
CAP. 5. *Lex de Altari terreo extruendo.* Ibid.
CAP. 6. *Præceptum de altari è lapidibus aſperis extruendo.* 315
Sect. 1. *Legis rationes vulgo datæ rejiciuntur.* 316
Sect. 2. *Præcepti cauſa genuina proponitur.* 318
* CAP. 7. *Lex affinitate proxima, de juvencula in valle aſpera decervicanda, obiter explicatur.* 321
CAP. 8. *Præceptum, quo cautum eſt, ne ad altare gradibus aſcenderetur.* 324
Sect. 1. *Genuinus præcepti ſenſus enarratur.* Ibid.
Sect. 2. *De ratione legis hujus, expreſſa ſimul & implicita.* 330
CAP. 9. *Lex hædi coctionem in lacte matris prohibens.* 333
Sect. 1. *Rationes hujus præcepti ſæpe redditæ rejiciuntur.* Ibid.
Sect. 2. *Genuina legis ratio traditur.* 335
Sect. 3. *Objecta removentur.* 341
* CAP. 10. *De Gentium altaribus, ſtatuis, & lucis, amovendis.* 342
CAP. 11. *Lex mellis oblationem prohibens.* 345
Sect. 1. *Aliorum rationes ad ſtateram vocantur.* Ibid.
Sect. 2. *Vera legis cauſa producuntur.* 346
* CAP. 12. *De lege quâ cultus τῶν Seirim interdictus eſt.* 349
Sect. 1. *De legis materia principali.* 350
Sect. 2. *De legis forma paucis agitur.* 353
Sect. 3. *Ratio legis inveſtigatur.* 354
Sect. 4. *Argumenta modo dictis oppoſita diluuntur.* 358
CAP. 13. *Lex tranſitum per ignem in honorem Molechi prohibens.* 360
Sect. 1. *Quid hic nomine Molechi cenſendum ſit.* Ibid.
Sect. 2. *Quid ſit* tranſire per ignem Molecho. 363
Sect. 3. *Legis occaſio vel cauſa remotior explicatur.* 364
Sect. 4. *Cauſa legis proxima quænam.* 366
* CAP 14. *De lege quâ vetitum eſt annorum primorum fructus edere.* 371
Sect. 1. *De legis hujuſce cauſa vel occaſione.* Ibid.
Sect. 2. *Auctoris opinio de legis hujus occaſione variis aſtruitur argumentis.* 372
Sect. 3. *Caput clauditur tribus annexis corollariis.* 375
CAP. 15. *Lex de non comedendo ſuper ſanguinem.* 376
Sect. 1. *Multis evincitur, veteres idololatras ad vel* ſupra *ſanguinem ritu ſolenni comediſſe.* 377
Sect. 2. *Deum legem illam de non comedendo ad ſanguinem Zabiorum ſuperſtitionibus oppoſuiſſe, probatur teſtimoniis & aliis argumentis.* 381
* CAP. 16. *Lex quâ variæ divinandi ſpecies inhibentur.* 385
* CAP. 17. *De lege quâ temporum obſervatio vetita eſt.* 387
CAP. 18. *Lex quâ tonſio capitis in rotundum interdicta eſt.* 390
Sect. 1. *Variæ ſententiæ de ratione legis ad examen vocantur, & erroris arguuntur.* Ibid.
Sect. 2. *Vera legis hujus intentio & occaſio traditur.* 394
Sect. 3. *Et fuſè confirmatur.* 396
Sect. 4. *Objectiones enervantur.* 400
CAP. 19. *Lex contra carnis inciſuram lata.* 403
Sect. 1. *Senſus legis illuſtratur.* Ibid.
Sect. 2. *Ratio legis aſſignatur.* 406
CAP. 20. *Lex ſtigmata prohibens hominum corporibus inuri ſolita.* 408
Sect. 1. *De variis ſtigmatum ſpeciebus olim uſitatis & in Scriptura plurimum memoratis.* Ibid.
Sect. 2. *De ſtigmatis hac in lege vetitis.* 410
Sect. 3. *De ſtigmatum eorum forma, generali & ſpeciali.* 412
Sect. 4. *De ſtigmatum eorum ſede, ſeu parte corporis cui plurimum inurebantur.* 414
Sect. 5. *De ſtigmata illa prohibendi ratione.* 415
* CAP. 21. *De lege cavente ne ad* Obhoth *reſpicerent.* 417
Sect. 1. *Significatio & origo vocis* Obhoth *in lucem proferuntur.* Ibid.
Sect. 2. *Vocum earum,* אובות & חפנו *ſignificatus, hac in lege explicantur.* 426
Sect. 3. *De ritu conſulendi* OBH, *ejuſque reſpondendi modo.* 428
Sect. 4. *Cur Deus hanc legem Iſraelitis impoſuerit.* 431
* CAP. 22. *De lege quâ lapis* Maſchith *inhibetur.* 433
Sect. 1. *Sententia de lapide* Maſchith *vulgo recepta in examen vocantur, & erroris arguuntur.* 434
Sect. 2. *De ſignificatione vocabuli* Maſchith, & Maſchijoth *principalibus, & minus principalibus, nonnulla præmittuntur.* 437
Sect. 3. *Probatur hanc legem de* Maſchijoth, *præcipue principalibus, intelligendam.* 438
Sect. 4. *Oſtenditur* Maſchijoth *etiam minus principales hac in lege comprehenſas & interdictas.* 442
Sect. 5. *Rationes legis lapidem* Maſchith *ſpecialiter inhibentis aſſignantur.* 445
Sect. 6. *Rationes nominum Hebræorum & Græcorum inſtrumentis illis impoſitorum explicantur.* 447
* CAP. 23. *De Excelſis non ſemel in Lege vetitis.* 449
Sect. 1. *Vocum earum πολυσήμων,* במה & במות *ſenſus genuinus inveſtigatur.* 450
Sect. 2. *De variis Excelſis, eorumque rationibus, inter Gentes obtinentibus.* 453
Sect. 3. *Cur Excelſa frequenter interdicta ſint, cum Deus ea quandoque toleraverit.* 455

Sect. 4. *Cauſa cur Iſraëlitæ Excelſa diu retinuerunt.* 459
Sect. 5. *Corollaria quædam, e jam dictis oriunda ſubnectuntur.* 460
* Cap. 24. *Exercitatio de* Gammadim, *in* Ezechielis *prophetia memoratis, quæ materiæ cognatæ gratia* Diſſertationi *ſuperiore jungitur.* 461
Sect. 1. *De ſenſu Grammaticali vocabuli* Gammadim *nonnulla prælibantur.* 462
Sect. 2. *Sententiæ maxime celebres, de perſonis per* Gammadim *intelligendis, examini ſubjiciuntur.* Ibid.
Sect. 3. *Sententia veritati maxime vicina proponitur, & ratione confirmatur.* 464
Sect. 4. *Objectiones nonnullæ refelluntur.* 467
* Cap. 25. *Lex de* חמנים Hhammanim *abolendis explicatur.* 469
Sect. 1. *De ſignificatione & origine vocis* חמנים 470
Sect. 2. *Sententia recepta de natura & forma τῶν* Chammanim *examini ſubjiciuntur.* 471
Sect. 3. *τῶν* Chammanim *natura & forma genuina probabiliter explicantur.* 473
Sect. 4. *Uſus & intentio τῶν* Chammanim *indicantur.* 476
Sect. 5. *Leges de* Chammanim *abolendis, & earum rationes, explicatæ traduntur.* 477
Sect. 6. *Objectionibus aliquot ſatisfactum eſt.* 479
Cap. 26. *Præceptum de Juvenca rufa Deo immolanda.* 482
Sect. 1. *Præcipua legis verba paululum explicantur.* 483
Sect. 2. *Cauſa proxima legis e vetuſtatis tenebris eruitur.* 485
Sect. 3. *De circumſtantiis & ceremoniis plane ſingularibus in ipſa vitulæ rufæ immolatione ſolenniter obſervandis.* 494
Sect. 4. *De ligno cedrino, hyſſopo, & cocco bis tincto, una cum vitula rufa comburendis.* 498
Sect. 5. *De aqua purificationis, e commiſtis Vitulæ combuſtæ conficienda.* 501
Sect. 6. *Solvuntur adverſæ partis argumenta.* 504
Cap. 27. *Præceptum lucos in altaris vicinia plantari prohibens.* 506
Sect. 1. *Verba legis explicantur.* Ibid.
Sect. 2. *Occaſio legis enarratur.* 508
Sect. 3. *Ratio legis magis illuſtratur.* 511
* Cap. 28. *De lege qua columna quævis ab altari removetur.* 514
Sect. 1. *Quid hic voce* מצבה *cenſeri debet.* Ibid.
Sect. 2. *Qualis* Maſſebah, *vel columna hæc in lege vetita eſt.* 516
Sect. 3. *Qualis erat legis hujus inſtituendæ occaſio.* 518
Sect. 4. *Qualis erant vera legem illam ſanciendi cauſa.* 519
Sect. 5. *Cur Deus columnam in altaris confinio conſtitutam odio habere dicitur.* 520
Sect. 6. *Auctarii vice, nonnulla ſubjunguntur Corollaria.* 522
Cap. 29. *Lex utriuſque ſexus apparatum confundi & promiſcue uſurpari prohibens.* 523
Sect. 1. *De legis intentione & ſcopo.* Ibid.
Sect. 2. *Ratio legis inveſtigatur.* 526
Cap. 30. *Lex qua ſemen mixtum in vinea prohibetur.* 528
Sect. 1 *Verborum ſenſus inveſtigatur.* Ibid.
Sect. 2. *Ratio legis hujus trutina rationis expenditur.* 529
Sect. 3. *Ad objecta reſpondetur.* 532
Cap. 31. *De lege qua vetitum eſt, arare bove & aſino ſimul.* 534
Cap. 32. *Lex animalia generis diverſi commiſcere prohibens.* 539
Cap. 33. *Lex qua veſtis e lana & lino mixta prohibetur.* 544
Sect. 1. *Verborum ſenſus inveſtigatur.* Ibid.
Sect. 2. *Aliorum rationes examinantur.* 545
Sect. 3. *Vera legis ratio quæ fuerit.* 546
* Cap. 34. *De lege qua Eunuchi arcentur ab Eccleſia Dei.* 551
Sect. 1. *Legis prædictæ ſenſus explicatur.* Ibid.
Sect. 2. *Legis jam explicatæ rationes inveſtigantur.* 554
Sect. 3. *Variis occurritur opponentium argumentis.* 558
Cap. 35. *Lex ſcorta maſcula & fœminea tolerari vetans.* 561
Cap. 36. *Lex ſtupri & canis pretium ſacris inferre prohibens.* 564
Sect. 1. *De primo legis membro, quo Deus proſtibuli pretium in domum ejus inferri vetuit.* Ibid.
Sect. 2. *De membro legis altero, quo pretium canis Tabernaculo dicare vetitum eſt.* 569
Sect. 3. *Cur mercedem proſtibuli & pretium canis offerre, ſimul prohibetur.* 572
Cap. 37. *Lex de profeſſione triplici, poſt oblatas decimas & primitias facienda.* 574
Sect. 1. *De* profeſſione prima, *non comedi ex eo, in luctu meo.* Ibid.
Sect. 2. *De* profeſſione ſecunda, *non abſtuli ex iis in qualibet immunditia.* 577
Sect. 3. *De* profeſſione tertia, *non dedi ex iis mortuo.* 579
Cap. 38. *Lex qua cautum eſt, ne ſacerdotes radantur, ſed tondeantur.* 581
Sect. 1. *Hujus præcepti fons & origo detegitur.* 582
Sect. 2. *Ratio legis exquiritur.* 583
Sect. 3. *Rationes vulgo datæ ad examen vocantur.* 585
Sect. 4. *Capitis & inſtituti præſentis concluſio.* 586
Diſſertatio in Decretum illud Apoſtolicum *Act. 15. 20.* Quæ propter ARGUMENTI vicinitatem & ſimilitudinem LIBRO præcedenti ſubnectitur. 588

PRÆFATIO.

Cap. 1. *Genuinus loci ſenſus explicatur.* Ibid.
Sect. 1. *Quid per* ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων *hic intelligendum.* 589
Sect. 2. *Quid etiam per* ἀπὸ τῆς πορνείας. 591
Sect. 3. *Quid ſibi volunt illæ voces* καὶ ἀπὸ πνικτοῦ. 592
Sect. 4. *Et voces illæ* καὶ ἀπὸ τοῦ αἵματος. 594
Cap. 2. *Decreti hujus Apoſtolici rationes, aſſignari ſolitæ, in examen vocantur, & erroris arguuntur.* Ibid.
Cap. 3. *Ratio vera, cur hæc quatuor, eaque ſola, & ſimul, Gentibus nuper converſis interdicta ſunt, aſſignatur, & juſte confirmatur.* 600

Sect. 1.

Sect. 1. *Ratio vera, cur hæc omnia Gentibus converſis prohibentur.* Ibid.
Sect. 2. *Ratio ea firmatur teſtimoniis.* 605
Sect. 3. *Et aliis argumentis.* 607
Sect. 4. *Cur hæc ſola, & ſimul, Gentilibus interdicta ſunt.* 610
CAP. 4. *Adverſa diluuntur argumenta.* 618
CAP. 5. *Error eorum coargitur, qui, hoc Decreto nixi ſanguinis eſum Chriſtianis illicitum arbitrantur.* 622

* Diſſertatio in Diſtichon illud vexatiſſimum
— *Ecce negas* &c.

Qua ob ARGUMENTI ſimilitudinem, fuſe agitur de juramentis apud *Martialem* memoratis. 627

PRÆFATIO.

Sect. 1. *Doctorum ſententiæ de Juramento per* Templa Tonantis, *erroris arguuntur.* 628
Sect. 2. *Juramenti per* Templa Tonantis *ſenſus illuſtratur, & ratio redditur cur* Martialis *illud nullius æſtimavit.* 630
Sect. 3. *Celebriores doctorum ſententiæ de* Anchialo *recenſentur, & rejiciuntur.* 631
Sect. 4. *Auctoris opinio de* Anchialo *proponitur, & fuſe confirmatur.* 632

LIBER TERTIUS

Octo Diſſertationibus abſolutus.

DISSERTATIO PRIMA,

Qua generalius agitur de Ritibus e Gentium moribus in Legem translatis.

PRÆFATIO, *Qua nonnulla, de Ritibus ante Legem datam obtinentibus, & operis inſtituti methodo, prælibantur.* 639
CAP. 1. *Deum ritus aliquos inter Gentes olim uſitatos in Legem cultumquè ſuum admiſiſſe probatur teſtimoniis.* 641
Sect. 1. *Divinis & e Scripturæ depromptis.* Ibid.
Sect. 2. *Humanis etiam, cum Veterum tum Recentiorum, teſtimoniis.* 643
CAP. 2. *Probatur argumentis artificialibus.* 646
Sect. 1. *Horum primum ſumitur e primariis rituum Moſaicorum circumſtantiis.* Ibid.
Sect. 2. *Argumentum ſecundum petitur ab affinitate proxima quæ inter Hebræorum & Ægyptiorum præcipue ritus interceſſit.* 649
Sect. 3. *Argumentum tertium, a privilegiis ductum, ob ſeculi morem & cordis duritiem, Judæorum genti conceſſis.* 651
Sect. 4. *Argumentum quartum, a morum quorundam antiquorum toleratione, in quavis Eccleſiæ reformatione, petitur.* 658
Sect. 5. *Ad ſententiam noſtram firmandam, alia nonnulla notæ minoris, argumenta producuntur.* 660
CAP. 3. *Firmatur hypotheſis exemplis octo: quorum primum eſt: cultus Deo præſtitus mediante Tabernaculo.* 663
Sect. 1. *Obſcurus ille, ſi quis alius,* Amoſi *locus in anteceſſum explicatur.* 664
Sect. 2. *Argumenta, ex* Amoſi *verbis præcipue deprompta ad ſententiam prædictam firmandam aſferuntur.* 673
CAP. 4. *Exemplum ſecundum, Altaris cornua.* 676
Sect. 1. *De figura cornuum Altaris, nonnulla præmittuntur.* Ib.
Sect. 2. *Rationes falſæ & vera, cur Deus altare ſuum cornibus ornari voluit.* Ibid.
Sect. 3. *Rationes veræ jam adductæ confirmantur.* 678
CAP. 5. *Exemplum tertium, Sacerdotum veſtis linea.* 682
Sect. 1. *Gentium antiquarum, Ægypti præcipue ſacerdotes, linteatos ſacra celebraſſe.* Ibid.
Sect. 2. *Morem Gentium, Ægypti præcipue, veſti ſacerdotum lineæ principium dediſſe, probatur teſtimoniis & aliis argumentis.* 683
Sect. 3. *De objectionibus quæ ſententiæ Auctoris obſtare videntur.* 691
CAP. 6 *Exemplum quartum, Conſecratio capillorum,* Numer. 6. *inſtituta.* 693
Sect. 1. *Tonſuram Naziræorum e conſimili Gentium uſu fluxiſſe.* 694
Sect. 2. *Amoventur objecta.* 700
Sect. 3. *Caput clauditur, annexis teſtimoniis.* 702
CAP. 7. *Exemplum quintum, Epulum ſacrificiale.* 703
CAP. 8. *Exemplum ſextum, Feſtorum quorundam ſolennium celebratio.* 706
Sect. 1. *Gentium ferias agentium mores, Hebræorum feſtis originem dediſſe.* 707
Sect. 2. *Objectiones infirmantur.* 712
CAP. 9. *Exemplum ſeptimum, præſtatio primitiarum.* 713
CAP. 10. *Exemplum octavum, præſtatio decimarum.* 720
Sect. 1. *Gentes antiquas, decimas præſtitiſſe, & quare.* Ibid.
Sect. 2. *Morem Gentium, occaſionem dediſſe legibus de ſolutione decimarum.* 724
CAP. 11. *Rationes variæ, cur aliqui Gentium ritus in Legem translati ſunt.* 730
CAP. 12. *Argumenta pro parte negante expenduntur.* 734
Sect. 1. *Primo, quatuor artificialia.* Ibid
Sect. 2. *Totidem etiam inartificialia.* 738

DISSERTATIO SECUNDA
De ratione & origine ſacrificiorum.

PRÆFATIO 741
CAP. 1. *Sacrificia formaliter ſpectata, e Gentium ruditate dimanaſſe.* 742
Sect. 1. *Probatur e variis Scripturæ locis.* Ibid.
Sect. 2. *Secundo: Patrum, Rabbinorum, & Modernorum, teſtimoniis.* 746
Sect. 3. *Firmatur hypotheſis argumentis artificalibus.* 749
Sect. 4. *Occurritur argumentis quibus pars adverſa ſe tueri ſolet.* 752
CAP. 2. *Sacrificia materialiter ſpectata, eidem origini tribuenda.* 755
Sect. 1. *De Sacrificiorum materia animata, bove, ove, & capra.* Ibid.
Sect. 2. *De materia ſacrificiorum inanimata, Pane, Vino, & Sale.* 757

CAP. 3. *Sacrificia finaliter ſpectata, ſeculi moribus inſtitutionem ſuam debuiſſe.* 762
Sect. 1. *Probatur argumentis generalibus.* Ibid.
Sect. 2. *Et inductione ſpeciali.* 763
CAP. 4. *De ratione & origine Sacrificiorum Patriarchalium.* 766
Sect. 1. *Patres Moſe antiquiores ſponte ſacrificaſſe.* 767
Sect. 2. *Franguntur diſſentientium argumenta.* 768

DISSERTATIO TERTIA

De luſtrationibus & purificationibus Hebræorum.

PRÆFATIO, *Qua nonnulla de ſenſu vocis* Καθαρμὸς, *& ordine in ſequentibus obſervando, præmittuntur.* 773
CAP. 1. *Probatur, Hebræorum* καθαρμοὺς *ordinarios,* materialiter *ſpectatos e Gentium more rituque traductos fuiſſe.* 774
CAP. 2. Καθαρμοὺς formaliter *ſpectatos, eidem origini aſcribendos.* 778
Sect. 1. *Argumenta quædam ad ſententiam firmandam afferuntur.* 779
Sect. 2. *Elevantur Objecta.* 782
CAP. 3. *Hebræorum* καθαρμοὺς finaliter *ſpectatos e Gentium moribus initia petiiſſe.* 784
Sect. 1. *De purificatione ad munditiem.* 785
Sect. 2. *De purificatione ad cultum.* 788
CAP. 4. *Hebræorum* καθαρμοὺς, modaliter *ſpectatos, ab antiquo Gentium uſu ſumptos.* 795
CAP. 5. *De purificationibus Extraordinariis.* 797
Sect. 1. *Privatis, huic aut illi perſonæ propriis.* Ib.
Sect 2. *De Catharmis publicis.* 802
CAP. 6. *De purificatione* Rerum *ſacrarum ſimul & civilium.* Ibid.

DISSERTATIO QUARTA

De Neomeniarum Feſtis.

PRÆFATIO, *Qua, de ſenſu vocis & natura rei, generalius agitur.* 804
CAP. 1. *Neomeniarum vulgarium ferias a Gentibus acceptas fuiſſe, probatur.* Ibid.
Sect. 1. *Primo: Argumento ducto a ſumma Neomeniarum antiquitate.* 805
Sect. 2. *Secundo: Argumento petito a Novilunii celebrati tempore,* viz. *Lunæ phaſi.* 806
Sect. 3. *Tertio: A defectu legis alicujus Neomeniarum obſervationem diſerte præcipientis.* 809
Sect. 4. *Ratione ab ipſo Gentiliſmi ingenio & uſu ſumpta.* 811
Sect. 5. *Probatur hypotheſis noſtra ex uſu quem præbet in explicandis Neomeniarum circumſtantiis.* 813
Sect. 6. *A rituum ſimilitudine quos Judæi ſimul & Gentes in Noviluniis obſervabant.* 818
Sect. 7. *Firmatur aſſertio Judæorum & Chriſtianorum teſtimoniis.* 819
CAP. 2. *De Neomeniis annuis agitur, & oſtenditur, eaſdem a Gentibus originem habuiſſe.* 820
CAP 3. *Refelluntur adverſæ partis advocati.* 823

DISSERTATIO QUINTA

De origine Arcæ & Cherubinorum.

PRÆFATIO. 829
CAP. 1. *Arcam formaliter ſpectatam, a Gentium ciſtis ſacris derivatam fuiſſe.* 830
Sect. 1. *Probatur primo, a ciſtarum uſu perantiquo in Gentium ceremoniis.* 830
Sect. 2. *Secundo, ab ipſa idololatriæ veteris natura & conſuetudine.* 832
Sect. 3. *Probatur argumento petito ab Arcæ Nomine & Charactere.* 834
Sect. 4. *Firmatur ſententia argumento ducto ab Arcæ pulchritudine.* 835
Sect. 5. *Argumento, ducto a diſcrepantibus Arcæ & Ciſtarum Ethnicarum circumſtantiis.* 836
Sect. 6. *Probatur e ceremoniis, ex Ethniciſmo petitis, in Arcæ honorem uſitatis.* 837
Sect. 7. *Probatur ſententia argumento ab Arcæ corona ducto.* 839
Sect. 8. *Argumenta pro adverſa parte adducta refelluntur.* 840
CAP. 2. *Arcam finaliter ſpectatam a ciſtis Ethnicis originem petiiſſe.* 842
CAP. 3. *De Cherubinis nominaliter ſumptis agitur.* 843
Sect. 1. *De Cherubinorum nomine & ſignificatu.* 844
Sect. 2. *De nominis rationibus, iis præcipue quæ petuntur ab Ægypti ſeculique more.* 847
CAP. 4. *Multis docetur Cherubinos formaliter ſumptos ab Ægypti derivatos.* 850
Sect. 1. *Sententia vulgo recepta, ad examen vocata, vanitatis arguuntur.* Ibid.
Sect. 2. *Vera Cherubinorum forma e Scripturis oſtenditur.* 852
Sect. 3. *Rationes contrariæ expenduntur.* 855
Sect. 4. *Cherubinorum formas a ſymbolis & ſimulacris Ægyptiis originem accepiſſe.* 857
CAP. 5. *Cherubinos, ſymbolice & myſtice ſpectatos eidem origini tribuendos.* 862
CAP. 6. *Cherubinos localiter ſpectatos ad originem Ægyptiam referendos eſſe.* 866
CAP. 7. *Idem de Cherubinis finaliter ſpectatis ſentiendum.* 868
Sect. 1. *Ut id conſtet, agitur primo de finibus Cherubinorum principalibus.* 869
Sect. 2. *Cherubinorum fines minus principales paucis explicantur.* 874
CAP. 8. *De conjunctione Arcæ & Cherubinorum, ejuſque ratione.* 876
Sect. 1. *Duæ conjunctionis illius cauſæ hic aſſignantur.* 877
Sect. 2. *Tertia, & maxime probabilis, ratio aſſignatur.* 879
Sect. 3. *Objectiones variæ diluuntur.* 882
CAP. 9. *De uſu Arcæ & Cherubinorum conjunctim ſpectatorum.* 885
CAP. 10. *De honoribus Arcæ & Cherubinis conjunctim tributis, a Gentium more propagatis.* 887

DISSERTATIO SEXTA.

De Ratione & Origine Templi.

PRÆFATIO *Qua nonnulla de vera Templi notione prælibantur.* 890

CAP.

CAP. 1. *Templum, eſſentialiter ſpectatum, a ruditate Gentium originem traxiſſe.* 892
Sect. 1. *Probatur primo, ratione petita a ſumma Templorum antiquitate.* Ibid.
Sect. 2. *Secundo, ratione ab eſſentiali Templi conceptu ducta.* 894
Sect. 3. *Tertio, e verbis Scripturæ de Templo loquentis.* 895
Sect. 4. *Quarto, ratione petita a Templi utriusque erectione ſponte præſtita.* 896
Sect. 5. *Ratione a religionis ethnicæ moribus & principiis hauſta.* 898
Sect. 6. *E templi, tam portatilis quam fixi, novitate.* 900
Sect. 7. *Ratione petita a ruditatis Ethnicæ ſignis in templo conſpicuis.* 901
Sect. 8. *Firmatur teſtimonio triplici.* 903
CAP. 2. *Templi accidentalia a ſeculi moribus deſumpta fuiſſe.* Ibid.
Sect. 1. *Templi Magnificentiam.* Ibid.
Sect. 2. *Templi locus, Generalis & Specialis.* 907
Sect. 3. *Templi Oraculum.* 910
Sect. 4. *Templi ſitus reſpectu plagæ cælorum.* 912

DISSERTATIO SEPTIMA

De Urim & Thummim.

PRÆFATIO. 920
CAP. 1. *De Uſu Urim. & Thummim.* 922
Sect. 1. *De Uſu generali.* Ibid.
Sect. 2. *De eorum Uſu ſpeciali.* 924
CAP. 2. *De loco in Pectorali quem Urim & Thummim occuparunt.* 928
CAP. 3. *De Natura & Origine Urim & Thummim* 929
Sect. 1. *Generalia quædam de illorum natura præmittuntur.* Ibid.
Sect. 2. *Oſtenditur,* Urim *ejuſdem naturæ genericæ cum* Theraphim *fuiſſe, & in locum eorum ſucceſſiſſe.* 932
Sect. 3. *Dicta natura & origo τῦ Urim* Hoſeæ *teſtimonio confirmatur.* 933
Sect. 4. *Alius Scripturæ locus,* Judic. 17. 4. *ad ſententiam meam firmandam affertur, & explicatur.* 939
Sect. 5. *Firmatur ſententia argumento e Gideonis hiſtoria ducto.* Judic. 8. 945
Sect. 6. *Sententia de natura τῦ Urim tradita, quadruplici teſtimonio humano confirmatur.* 947
Sect. 7. *Ad hypotheſin ſtatuminandam, oſtenditur* Urim *&* Theraphim *voces eſſe cognatas, aut ejuſdem ſignificationis.* 952
Sect. 8. *Ad fidem certiorem hypotheſi conciliandam, oſtenditur Deum quandoque per* Theraphim *Oracula tradidiſſe.* 960
Sect. 9. *Oſtenditur,* Urim *&* Theraphim *res etiam cognatas fuiſſe, & natura ſimilitudine conjunctiſſimas.* 963
Sect. 10. *Sententia noſtra veritas, e communi inſtitutorum Moſaicorum origine confirmatur.* 965
Sect. 11. *Probatur hypotheſis noſtra omnes alias redarguendo.* 967
Sect. 12. *Probatio abſolvitur, addita rationum decade.* 972
Sect. 13. *Adverſariorum exceptiones explorantur.* 975
CAP. 4. *Origo, Natura, & Uſus τῦ Thummim explicantur.* 981
Sect. 1. *Opinionibus vulgaribus de natura τῦ Thummim repudiatis, aſſeritur illud ab Ægypti moribus deſumptum fuiſſe.* Ibid.
Sect. 2. *Aſſertio illa multis argumentis confirmatur.* 984
Sect. 3. *Rationes cum ſententia mea de natura τῦ Thummim pugnantes enervantur.* 990
Sect. 4. *Uſus τῦ Thummim quis eſſet, breviter indicatur.* 993
CAP. 5. *De ratione nominum, Urim & Thummim.* 994
Sect. 1. *Nominum eorum notio grammaticalis explicatur.* Ibid.
Sect. 2. *Quorundam ſententia de nominum ratione ad examen vocantur.* 995
Sect. 3. *Rationes nominis* URIM *primariæ proponuntur.* 998
Sect. 4. *Objecta contra rationes primarias nominis* URIM *diluuntur.* 1005
Sect. 5. *Ratio primaria nominis alterius,* THUMMIM, *redditur & vindicatur.* 1008
Sect. 6. *Redduntur utriuſque nominis rationes ſecundariæ.* 1009
CAP 6. *De Perſona cujus erat Urim & Thummim circumferre.* 1013
Sect. 1. *Cur Ordinarie, Sacerdotum principi ſolummodo fas erat Urim geſtare & conſulere?* Ibid.
Sect. 2. *An Regi, vel Sacerdoti plebeio, quandoque licitum eſſet Urim geſtare & conſulere?* 1018
Sect. 3. *Cur ſoli Pontifici* THUMMIM *gerere concedebatur.* 1023
CAP. 7. *De Oraculi hujus duratione & defectu* 1026
CAP. 8. *Diſſertatio concluditur, addita textus illius affinis explicatione,* Thummim tua & Urim tua Viro ſancto tuo. *Deut.* 33. 8.
Sect. 1. *De ſenſu textus hujuſce literali.* 1030
Sect. 2. *De ſenſu textus myſtico.* 1035

DISSERTATIO OCTAVA

De Hirco Emiſſario, & præcipuis Expiationis *Judaicæ* Ceremoniis.

PRÆFATIO. 1039
CAP. 1. *De ſignificatione & origine vocis* Azazel, 1040
Sect. 1. *Opiniones vulgo receptæ redarguuntur.* Ib.
Sect. 2. *Vera vocis* Azazel *intentio & origo fuſe declaratur.* 1041
Sect. 3. *Nonnullæ difficultates adimuntur.* 1044
CAP. 2. *Cur ex hircis piacularibus alter ad* Azazel *ablegatus eſt?* 1046
CAP. 3. *Cur hircus* Azazeli *deſtinatus, in Deſertum &* Terram abſciſſam *emittebatur.* 1048
CAP. 4. *Cur hircus ad ſolitudinem ablegatus, vivus ibi relinquebatur.* 1051
CAP 5. *De ceremoniis in hirci piacularis emiſſione ſolenniter obſervatis.* 1054
CAP 6. *De Expiationis illius Origine cui hircus inſerviit Emiſſarius.* 1058
CAP. 7 *Expiatio Judaica cur* HIRCIS *præcipue præſtita?* 1059
CAP. 8. *Cur Expiatio Moſaica hircis præcipue* duobus *peragebatur?* 1063

CAP. 9. *Cur Expiatio hirco uno mactato, altero in Deſertum emiſſo, peragebatur.* 1067
CAP. 10. *De hirci utrinſque Oblatione ſimultanea, & ritus illius circumſtantiis.* 1069
Sect. 1. *De hirci utriuſque oblatione ſimultanea, & illius inſtituti cauſa.* 1070
Sect. 2. *De oblationis illius ſimultanea circumſtantiis, & earum cauſis.* 1076
CAP. 11. *Objectiones quadam generales enervantur.* 1080

* LIBER QUARTUS.

Quo fuſe diſſeritur de ritibus & inſtitutis Hebræorum a Gentium uſu deſumptis, nullibi vero (quod ſcimus) a Deo præceptis aut ordinatis. 1087

PRÆFATIO. 1089
CAP. 1. *Congregatio fœminarum ad oſtium Tabernaculi*, Exod. 38. *memorata.* 1090
Sect. 1. *Mores quoſdam Ægyptios conventibus illis occaſionem præbuiſſe.* Ibid.
Sect. 2. *Argumenta quadam in ſententia noſtra præſidium producuntur.* 1092
Sect. 3. *Objecta diluuntur.* 1096
CAP. 2. *Aqua libatio.* 1098
CAP. 3. *Uſus Muſica in Sacris celebrandis.* 1101
CAP. 4. *Saltandi ritus in ſolennitatibus quibuſdam ſacris uſitati.* 1108
CAP. 5. *Ramorum circumgeſtatio in Tabernaculorum Feſto.* 1111
CAP. 6. *Lucernarum accenſio in Encaniis, & aliis Judaorum ſolennitatibus.* 1120
CAP. 7. *Liberatio Vincti in Feſto Paſchatis.* 1125
CAP. 8. *Circuitus inter Sacra peragenda uſitati.* 1128
CAP. 9. *Ritus funebres & ſepulchrales.* 1135
Sect. 1. *Tibicinum uſus in Exequiis.* Ibid.
Sect. 2. *Defuncti lotio.* 1139
Sect. 3. *Compoſitio mortui.* 1142
Sect. 4. *Epulum Funebre.* 1146
Sect. 5. *Luctus funebris ceremonia.* 1152
Sect. 6. *Sepulchrum circumeundi ceremonia.* 1155
Sect. 7. *Pyramidum erectio.* 1158
CAP. 10. *Ritus in deferendis primitiis ad Hieroſolymam obſervati.* 1161
CAP. 11. *Judaorum Nudipedalia.* 1166
Sect. 1. *Ubi agitur primo de Sacerdotum Nudipedalibus.* 1169
CAP. 12. *Lotiones Hebraorum quotidiana.* 1174
Sect. 1. *De Lotionibus eorum totalibus.* Ibid.
Sect. 2. *De Lotionibus eorum partialibus, ante prandium uſitatis.* 1175
CAP 13. *De Purificationibus.* 1180
Sect. 1. *De Purificationibus vel Baptiſmo ad initiationem.* Ibid.
Sect. 2. *De purificatione ad expiationem.* 1187
Sect. 3. *De Purificationibus ad ſanctitatem vel regenerationem.* 1189
Sect. 4. *De Lotionibus ad purgationem.* 1191
CAP. 14. *Annua Encaniorum celebratio.* 1193
CAP. 15. *Mos orandi verſus Templum.* 1197

DISSERTATIO de Natura & Origine Phylacteriorum Judaicorum.

PRÆFATIO. 1201
CAP. 1. *De Fabrica Phylacteriorum, ubi de eorum materia & forma agitur.* 1202
CAP. 2. *De nominibus eorum Hebraicis,* טטפות *&* תפלים Ibid.
Sect. 2. *De nominibus eorum Gracis,* φυλακτήρια *ſcilicet &* Ἀμύλητα. 1207
CAP. 3. *De Auctore & Origine Phylacteriorum.* 1210
CAP. 4. *De Cauſis aut Occaſionibus inſtituendi Phylacteria.* 1214
Sect. 1. *De Cauſa Phylacteriorum prima, Scriptura nempe perperam intellecta.* Ibid.
Sect. 2. *De Cauſa Phylacteriorum altera, Nonnullis nempe Gentium moribus in Eccleſia Judaica propagatis.* 1217
Sect. 3. *Occurritur argumentis contra jam dicta militantibus.* 1222
CAP. 5. *De Uſu & Intentione Phylacteriorum.* 1225
CAP 6. *De Phylacteriorum Origine & Antiquitate.* 1227
CAP. 7. *Diſſertatio concluditur, uno ſubjuncto corollario.* 1231

Capita, Diſſertationes, & Liber Quartus, quibus *Aſteriſci* ſunt præfixi, antehac non Edita fuerunt: Eodemque ordine ponuntur, quo Auctor ipſe poni voluit.

PROLE-

PROLEGOMENA.

CAP. I.

Oſtenditur leges & ritus Judaicos non ſine ratione a Deo inſtitutos.

DUM leges Evangelicæ ἐκ τῶν ἔργων, *demonſtrationem* veluti *connatam* ferunt, earumque rationes, ad inſtar mulieris apocalypticæ, ipſo quaſi ſole veſtiuntur; legum Moſaicarum cauſæ nobis adeo obſcuræ ſunt & vetuſtatis tenebris involutæ, quod multorum oculos penitus effugiant. Obſcuritas illa duplici opinioni cauſam præbuit: nam,

PRIMO: nonnulli leges eas omnes ſine cauſa datas, & earum rationem nullam, extra ſummi legiſlatoris voluntatem, quærendam opinantur. *Sunt*, inquit [a] *Maimonides, qui nullam* præceptorum *cauſam quærunt, ſed dicunt omnia ſolam Dei voluntatem ſequi.* Opinionis hujuſce patroni fatentur quidem, leges, in genere ſpectatas, rationi conſonas, & optimo conſilio ſanctionem ſuam debuiſſe. Cum enim Deo jam res eſſet, cum præfracto, rudi, & ſemipagano populo; par erat, ut legibus hiſce ritualibus, ſolum τὸν ἔξω ἄνθρωπον exercentibus, gentem tam rudem ad obſequium erudiret, & jugum imponeret ad indomitæ illius juvencæ ferociam frangendam aptum & accommodatum: at, inquiunt, modo leges eas ſigillatim contemplemur, nullæ ſunt quas ratio commendat, aut in quibus ullos niſi arbitrii ſupra omnem rationem poſiti characteres præſentiſcit.

Deum leges rituales ſine ratione tuliſſe quidam.

HUIC opinioni nullo non ævo quamplurimi è Judæis impenſe ſtuduerunt, ne doctrina de legis perennitate, quam fidei ſuæ fundamentis annumerant, in dubium vocaretur. Nam auctor lib. *ikkarim* vel de fundamentis Legis, Dei legem in tres partes dividens, *prima pars*, [b] inquit מצות [1] *continet* aut *præcepta ad Dei ſcientiam* vel *intellectum* originem ſuam referentia, *&c.* *Secunda pars ea* eſt, *quæ continet* הדברים הנרצים *præcepta quæ* Deus *ex beneplacito ſuo inſtituit; eaque proveniunt ex Dei abſoluta voluntate,* atque *indicant Deum eſſe eum qui vult. Vocatur autem hæc,* חקים *ſtatuta, atque continet omnia præcepta quorum ratio ignota eſt;* ex gr. *prohibitionem eſus carnis ſuillæ, amictum heterogeneum*, præceptum *de non ſerendo diverſa ſemina, de immolanda vacca rufa, & ſimilia: quæ omnia* ſunt ex *decreto* & arbitrio *regis* Dei, *& ſunt mandata ex ipſius beneplacito, &c.* Atque hæc opinio, *Maimonidis* ævo, tot Judæorum animos occupavit, quod illius refellendæ gratia, librum illum aureum, cui titulum fecit *More Nebhochim*, in lucem dederit. Hoc ex interprete ſuo [c] *Buxtorfio* diſcimus, libri illius ſcopum & ſcribendi cauſam in hunc modum referente; *quia a multis tam temporis aſſerebatur, præcepta Moſaica nullo deliberato conſilio, nullas certas ob cauſas, a Deo data eſſe, ſed ſolum ex mero ipſius beneplacito & voluntate propoſita; ideo contra hos diſputat* Maimonides, *tam in genere, tum in ſpecie, &c.*

a Judæis.

Eandem ſententiam Chriſtianorum etiam nonnullorum ſuffragiis ornatam reperiamus. Inter eos notæ primariæ *Bochartus*, auctor de re literaria præclare meritus: poſtquam enim quæſiiſſet, quorſum Deus lanæ cum lino mixtionem vetuit, cum res

& Chriſtianis nonnullis.

a *Maim. Mor. Neb. p. 3. c. 26.* b *Diſcurſ. 3. c. 24.* c Præfat. ad lectot.

1 Apud ikkarim legitur דברים

 per

per ſe ſit prorſus ἀδιάφορον; *pauca* [a] inquit, *habebo quæ reſpondeam: hujuſmodi rituum ratio* non *eſt exigenda, cum plerique ex mero pendeant legiſlatoris arbitrio.* Hiſce paria faciunt nuperi auctoris illa, *inſtitutionum Judaicarum plurima fuerunt arbitraria, e ſola legiſlatoris beneplacito promanantes, atque* αὐτοκρατορίας *jure lata.*

Oſtenditur opinionis illius cauſa,

Hæc autem ſententia inter tot eruditos auctores fidem tam facilem inveniſſe videtur, quod minime aſſequantur quorſum Deus tot leges de rebus per ſe nec bonis nec malis eoderet, & earum violationem pœnis tam gravibus coerceret: ideoque aſſerere malint, Deum ſine ratione leges illas ſtatuiſſe, quam earum rationem captum eorum ſuperare. Vel forſan ideo opinantur Deum leges illas pro arbitrio ſtatuiſſe, ut dominium abſolutum in ſervilem Hebræorum gentem exerceret; eo quod proclive ſit hominum vulgo Deum in ſimilitudinem tyranni alicujus, inani potentiæ opinione intumeſcentis, transformare, eique decreta nulla juſtitia vel bonitate temperata tribuere; nempe quod ſibimetipſis forſan, voluntate quadam omnipotente & potentia nullo conſilio aut lege reſtricta nihil auguſtius aut divinius eſſe videatur.

& falſitas,

At longe abſit, ut eum, cui ὁ Λόγος nomen, ullas eccleſiæ ſuæ leges ſine ratione dediſſe credamus, & ſapientiam ipſam, per quam [b] *principes jus decernunt*, jura aliqua mente & conſilin vacua ſcribere voluiſſe. Perluſtremus corporis partes, & nihil inconſultum, nihil otioſum, aut quod *Momi* cenſuram patitur, inveniemus. Oculos etiam in hanc magnam mundi machinam intendamus, & neceſſe erit ut mentem aliquam ſubtili ratione & artificio cuncta temperantem fateamur. Nam (quod [c] *Celſus* olim) Θεός ἐστιν ὁ πάντων τῶν ὄντων λόγος, οὐδὲν ἂν οὗτος παράλογον, οὐδὲ παρ' ἑαυτὸν, ἐργάσαιτο· *Deus eſt omnium, quæ in rerum natura ſunt, ratio: & proinde tam nihil poteſt ſine ratione, quam ſine ſeipſo facere.* Cum itaque Deus [d] *opera ſua omnia in ſapientia fecerit*, nullus e ſapientiæ filiis opinari poteſt, eum leges plurimas temere, aut pro mero arbitrio, ſancire voluiſſe; cum præſertim eas hominibus daturus eſſet, quos a prima pueritia, rerum omnium, legum præcipue, rationes anxie & ſollicite perquirere, aptos & promtos fecerat.

Neque Dei opera ſolummodo, ſed & attributa, (*bonitas, ſapientia, majeſtas,*) ſententiæ huic aperte refragantur. Summa Dei *bonitas* oon patitur, ut leges αὐτοκρατορίας jure latas, & e mera voluntate manantes, ei tribuamus. Nam leges ſine ratione ſunt populo laquei, magis quam regulæ: malorum irritamenta, magis quam remedia: nec tam principe juſto, quam tyranno moroſo dignæ, qui res fiſci magis curat quam populi, & ipſam legum ſuarum violationem in lucro ponit. Ut paucis dicam, leges ſine ratione, ſubditos pariunt ſine honore, obſequium ſine corde, & culpam ſine pudore. Neque *ſapientia* divinæ ſenſus, animæ naturaliter inſitus, opinari patitur, eum leges ullas rationis expertes ferre voluiſſe. Nam legis ratio, eſt ipſa legis anima, maxime fidelis legis interpres, obedieotiæ menſura & conciliatrix: illius autem defectus, legem in odium ducit primo, tandem in contemtum etiam & deſuetudinem. Argumento etiam a Dei *majeſtate* ducto perſuaſus ſum, eum leges mere arbitrarias imponere minime voluiſſe: nam ſumma Dei majeſtas & imperium, tam clarum eſt & in media luce poſitum, ut nemini in dubium venire poſſit, niſi cui fides de ipſa Dei exiſtentia vacillaverit: ideoque nil opus eſt ut Deus leges ullas arbitrarias ad majeſtatem aut imperium ſuum ſupremum oſtendendum (aut potius oſtentandum) traderet.

Tres objectiones notantur,

Sat novi ſententiæ contrariæ patronos telis præcipue tribus, (quorum acies jam retundenda) contra ea quæ jam dixi omnia pugnaturns. Dicent enim, (1°.) Decus illud uni Chriſtianorum religioni ſervatum, ut illius doctrina [f] λογικὸν γάλα, & illius cultus λογικὴ λατρεία, diceretur: quibus ſcriptura ſ. per ἀντίθεσιν quandam innuere videtur, Judæorum legem & cultum ἄλογον fuiſſe, nec quicquam extra ſolam Dei voluntatem habuiſſe, quo ſe tueri, & Judæorum obſequium ſtudiumque demereri poſſet. (2°.) Leges & ritus, qui Judæis obſervandi incubuerunt, ab Apoſtolo δικαιώματα vocantur: cur autem, niſi quod illa omnia ἐδικαίωσεν ὁ Θεὸς, auctoritate ſua ſuprema rata fecerit, & juſta pronunciaverit? (3°.) Judæi plurima in præceptis & vetitis habuere, quorum nulla hacteous ratio a viris ſagaciſſimis aſſignari potuit, eum nullam omnino vel boni vel mali alicujus ſpeciem ferant. Hinc occaſio data verbis [g] anonymi illius, a Judaiſmo ad fidem Chriſtianam converſi, *Deus, ut filios Iſrael humiliaret coram ſe, dedit eis multa præcepta* שאין בהם טעם, *quibus nulla ratio ineſt, nec ratio ipſa ferre po-*

a De *animal. ſac.* p. 1. l. 2. col. 491. b *Prov.* 8. 15. c *Ap. Origen.* cont *Celſ.* l. 5. p. 240. d *Pſal.* 103. 24.
e *Exod.* 12. 20. f 1 *Petr.* 2. 2. *Rom.* 12. 1. g *Anti. ſeph.* אמון c. 1. ſ. 9. & c. 5. ſ. 59.

teſt

teſt ea. Quid enim vel accidit vel decedit Deo, ſi filii Iſrael veſcantur carne ſuilla, vel ſecus, &c. Quid itaque conſultius aſſerendum, quam quod Deus leges illas jure dominii dederit, ut imperium abſolutum in gentem Iſraeliticam, e domo ſervitutis a ſemetipſo redemtam, exerceret?

Sed hæc omnia, ſpecioſa licet, excuſſa ſtatim evaneſcunt: nam id unum confirmant, legem nempe ritualem nil ſua natura λογικὰ præcepiſſe, & illius inſtitura omnia, præciſe ſpectata, nil boni vel mali continuiſſe; quod facile concedendum. Præcepta quidem legis Chriſtianæ bonitate nativa gaudent, & non tantum a voluntate divina, ſed ipſa eorum natura ſanctionem accipiunt: legis autem Moſaicæ juſſa a fine ſolummodo, (idololatriæ ſcilicet abolitione) cui inſerviebant, bonitatem & rationem ſuam mutuata ſunt. Priora ipſi hominum naturæ; poſteriora, ſoli Judæorum ingenio & temporum conditioni, conſona fuerunt & attemperata: illa, ob rationem perpetuam, & humano generi communem; hæc autem, ob rationem temporariam & Hebræorum genti propriam, legum ſanctionem & locum obtinuerunt. Hiſce fidem aſtruit Deus, cum, legum ſuarum mentionem faciens, eas *ſtatuta* vocat, quæ populo ſuo [a] *in bonum præcepiſſet*; & David, cum Dei præcepta teſtimonio illo honorifico cohoneſtat, *ſtatuta* tua *omnia* כל ישרתי [b] *penitus recta cenſui*; i. e. juſtitiæ & ſapientiæ regulis omnino conſentanea. Unde & *Aquila*, Dei præcepta ἀκριβάσματα, quaſi *rationes exquiſitas*, vocat, obſervante *Nobilio* in Deuter. 6. Neque his omnibus obſtare debet, quod legum non paucarum rationes in obſcuro ſitæ ſint, & vim eludant humani ingenii: rudis enim hominis indicium eſt, aſſerere vel leges humanas, multo magis divinas, arbitrarias & mente omni deſtitutas, tantum quod earum rationes ille non aſſequatur. *& ſolvuntur.*

Cum itaque tot opinioni huic reclament argumenta, ſentiunt alii, leges quidem præcipuas ſummi conſilii ſoboles, earum autem partes & circumſtantias mere arbitrarias eſſe, & pro ſumma legiſlatoris auctoritate conſtitutas. Hanc viam, utpote mediam, multo tutiorem & veritati propiorem arbitratur *Maimonides*, cujus verba, quamvis plura ſint, non faſtidiet conſultus lector: [c] *oblatio hoſtiæ habet magnam utilitatem; ſed quod hoſtia una debeat eſſe agnus, alia aries, & quod numerus ipſarum ſit certus* & definitus, *ejus ratio nulla dari poteſt; & qui laborat alicujus ſimilis circumſtantiæ rationem reddere, is meo judicio eſt amentiſſimus, neque abſurditates a ſe removet, ſed* potius ſibi *auget. Is enim æque longe abeſt a veritate, qui credit iſtiuſmodi particularia habere rationes, atque is qui credit totum præceptum nullam habere utilitatem. At ſcito, quod ſapientia requirat, vel, ſi mavis, quod neceſſitas poſtulet, ut talia in præceptis exiſtant quæ nullam rationem habent; & quod res quaſi impoſſibilis ſit in lege, ut hujus claſſis res aliqua in illa non exiſtat. Modi hujus impoſſibilitatis* ſunt iſti, *ſi dicas, quare* illa oblatio debet eſſe *agnus, & non aries? eadem quæſtio manſiſſet, ſi loco agni poſitus fuiſſet aries; nam neceſſario ſpecies aliqua* eſſe debuit. *Ita ſi* quis dicat, *quare debent eſſe ſeptem agni, & non octo? idem quæri poſſet, ſi fuiſſent octo, vel decem, vel viginti------ Tu itaque hoc retine, quod, cum ſapientes noſtri paſſim dicunt, omnia præcepta ſuas habere cauſas*, intelligendum id ſit de *uſu* ſive fine *præceptorum generaliter, non vero de ſingulis illorum partibus* & circumſtantiis. In eandem ſententiam totus ivit [d] *Aquinas*, ſi verba ejus dextre capio: *ſicut* leges humanæ *in univerſali rationem habent, non autem quantum ad particulares conditiones*, quæ *ſunt ex arbitrio inſtituentium; ita etiam* præcepta *veteris legis, in communi* quidem *cauſam habent literalem, multa* autem *particulares determinationes in ceremoniis* ejus *non habent*; veluti *de numero animalium offerendorum, & aliis hujuſmodi particularibus circumſtantiis.* *Opinio altera*

Hæc magnus Maimonides, & (apud ſuos) non minor Aquinas, aſſerunt: ſed ſalva tantorum nominum reverentia, mihi conſultius videtur exiſtimare, legis ritus & circumſtantias omnes ſumma cum ratione conſtitutas, quanquam rationem illam e ſinu vetuſtatis eruere, res ſit non raro facultate noſtra major. Conſtat enim ritus & ſacrorum circumſtantias quas intelligimus, auctore ſuo dignas fuiſſe & rationi conſonas: ideoque non abſurde creditur, eas etiam quarum cauſas minus intelligimus, cauſam aliquam rationi conſonam habuiſſe. Deinde, procul abeſt a veriſimili, Deum Iſraelitas ad leges ſuas obſervandas arcte adeo devincere voluiſſe, ut iis nil [e] addere liceret vel adimere, ſi quicquam ἄλογον aut pro arbitrio ſolo ſtatuiſſet. Præterea, cum Deus ſapientiæ fons ſit & rationis auctor, ipſa Dei natura docet, opus nullum, multo minus legem aut ritum, a ratione alienum, ei tribuendum. Sed ne hac chorda diu- *rejicitur.*

a *Deut.* 10. 13. b *Pſal.* 119. 128. c *Mor. Neb. P.* 3. *p.* 41 *b.* d 1ª *ſecundæ, quæſt.* 102. *art.* 2. e *Deut.* 4. 2.

tius oberrem: e rituum ethnicorum memoriis apertum eſt, ceremonias arbitrarias & mente vacuas ad principem tenebrarum ablegandas, qui cultus ſui ſolennia, ſemper obſcura & abſurda, ſæpe & *lymphatico furore odioſa*, eſſe voluit; ut humani generis ſtultitia & ſervitute projectiſſima frueretur, & quo magis obſcura & a ratione aliena eſſent omnia, eo magis auguſta & myſterio plena facili popello viderentur. Non immerito itaque *Arnobius* aliique, ritus ethnicos ad rationis trutinam explorantes, hujuſmodi verbis eorum animos quandoque pungunt, & ſtultitiam reprehendunt; [a] *ſi quæcunque ab hominibus fiunt, maximeque in re ſacra, debent habere ſuas cauſas, nec ſine ratione eſt quidquam in negotiis omnibus & in omni adminiſtratione faciendum; ediſſerate nobis & dicite, quæ ſit cauſa, quæ ratio, ut* ritibus hiſce Deos propitietis? Et poſt pauca interjecta, [b] *niſi ratio*, inquit, *cur* quid *fiat in ſacris* oſtendatur, & *expoſitam ſui cauſam* habeat; *non jam* illud *errori objiciendum eſt ludicro, ſed, ut dicatur expreſſius, inſaniæ, dementiæ, cæcitati.* Deum ſapientiæ non colere credebantur ſed contemnere, qui ei *ſacrificia ſtultorum* obtulerunt, eumque ritibus ratione deſtitutis propitiare ſtuduerunt.

CAP. II.

Licitum eſſe rationem illam, quatenus rei fert obſcuritas, indagere.

Illicitum eſſe legis rationem quærere, ſentiunt.

IN operis noſtri veſtibulo paulo diutius inſiſtendum eſt, ut aliam opinionem operi præſenti non minus inimicam refellamus. Nempe nonnulli Deum leges Moſaicas non ſine ratione dediſſe ſentiunt, eum autem legum earum rationem adeo in abdito & inter pectoris ſui arcana poſuiſſe, quod longe conſultius ſit, rationem illam humili admiratione ſuſpicere, quam in ea perquirenda operæ ſimul & modeſtiæ jacturam facere.

Chriſtiani nonnulli,

Huic opinioni nonnulli e Chriſtianis aſſenſum præbuere: nam *Simeon de Muis*, legem [c] illam memorans de aſini primogenito, *non quæro*, [d] inquit, *quæ iſtius legis ſit ratio, nec fortaſſe opus eſt quærere: multa extant* hujuſmodi *leges, quarum rationes penes Deum ſunt qui illas tulit, & ab hominibus prorſus ignorantur.* Cum etiam [e] alibi juvencæ decollandæ mentio incideret, citat illa *Ab Ezra* verba, *porro* מחשבות השם עמקו לאין קץ אצלנו, *Dei cogitationes profundæ atque excelſæ ſunt ultra modum omnem, ut ad illas neutiquam poſſimus attingere*: deinde ſubjungit, *quibus verbis videtur profecto ſignificare, cætera ejus ritus capita, muta potius ac tacitæ admirationi, quam ſedulæ nimis diſquiſitioni relicta eſſe; multa quippe in legibus divinis eſſe, quorum cauſa apud ipſum legum conditorem Deum poſita reconditaque ſunt.* Quæ ſane huc redeunt omnia: "legum Moſaicarum pene omnium rationes in Dei conſiliis abditas, & humanæ anguſtiæ vel modeſtiæ non eſſe, cœleſtia invadere conſilia.

& Judæi plurimi,

Eidem ſententiæ Judæi plerique, ut legis ſuæ reverentiæ & perennitati conſulant, manibus pedibuſque patrocinantur. Imprimis enim ſententiæ huic impenſe favet auctor libri antiqui cui [f] *Coſri* titulus, niſi *Buxtorfius* a verborum ejus, obſcuritate aliqua laborantium, ſenſu nonnihil aberraverit. Sic enim auctorem ſuum interpretatur: *quomodo hoc fiat, vel cur Deus hac ratione* [ritibus nempe Moſaicis] *voluerit coli & cum populo ſuo conjungi, ejus rei rationem non eſſe curioſius inveſtigandam; quod nos mortales conſiliorum divinorum rationes inquirere nec debeamus nec poſſimus, ac proinde in ejus voluntate & præceptis acquieſcere debemus.* Ejuſdem ſententiæ veſtigia longe vetuſtiora in *Sirachidis* verbis deprehendit [g] *Grotius in ſupervacuis rebus noli ſcrutari multipliciter*, καὶ ἐν τοῖς περισσοῖς τῶν ἔργων σου μὴ περιεργάζου· Πλείονα γὰρ συνέσεως ἀνθρώπων ὑπεδείχθη σοι. Sic autem auctor ille horum verborum ſenſum reddendum cenſuit: *noli curioſus eſſe ultra opera tua*, i. e. "ultra quæ tibi facienda ſunt: quibus monet, ne de cauſis legum, quæ in legibus ipſis expreſſæ non ſunt, curioſe diſputetur: *multa enim in Lege de ſua voluntate tibi Deus revelavit, quæ humano* captu majora ſunt.

Huic autem ſententiæ quatuor imprimis cauſam & occaſionem dediſſe videntur.

Opinionis illius rationes quatuor aſſignantur.

Primo ſtylus ille imperatorius quo leges Moſaicæ tradebantur. Earum enim pleræque omnes ſunt abſolutæ prohibitiones aut injunctiones, nec quicquam rationis in earum forma magis quam materia percipiendum eſt. Hinc plurimi leges illas vel nulla de cauſa vel nulli proxima [h. e. arcana, Deique conſiliis obſignata] ſancitas ar-

a *Adverſ. gent.* l. v. p. 250. b Ib. p. 234. c Exod. 13. 13. & 34. 20. d *Comment.* in *Pſal.* 145. 18. e *Var. ſacr.* Col. 2732. f *Part.* 2. *paragr.* 26. g In *Eccl.* 3. 24, 25.

bitrantur.

bitrantur. Doctores in [a] Gemara, [1] præcepta de non comedendo porco, de non induendo veſtem ex lana & lino, de diſcalceatione leviri, de purificatione leproſi, hirco emiſſario, & ſimilia memorantes, *ne dicas*, inquiunt, *ea eſſe futilia*, vel ratione deſtituta: *nam propterea dicit*, ego Deus ſtatui illa, *& non erit tibi facultas inquirendi in ea*: quaſi ſtylus ille peremtorius, omnem contra leges eas altercandi, aut earum rationes curioſius inquirendi, licentiam tolleret, & Judæos ad cæcam quandam obedientiam devinciret.

Secundo, præceptum divinum; quod Judæis omnem in legum ſuarum cauſas inquirendi facultatem præripere, & iis unam obſequii gloriam relinquere, credebatur. Occurrit autem Numer. 15. 39. ולא תתורו *& non inquiretis poſt cor veſtrum, & poſt oculos veſtros, quos ſequentes fornicaremini*: in quem locum hæc habet *Grotius*, inquirere *hic eſt* διακρίνειν, *curioſe & audacter diſputare de ratione Legis, neque niſi ea intellecta velle obedire*. Atque hic ſenſus teſtimonio Chaldæi Paraphraſtis, vocem הרהור hoc in loco adhibentis, firmari videtur: nam, obſervante [b] Fagio, vox illa *non ſimpliciter cogitationem ſignificat, ſed eam fere quæ ex impia curioſitate quadam proficiſcitur: ubi non ſimpliciter Dei verbo credimus & adhæremus, ſed multa curioſius inquirimus & diſputamus; id quod eſt contra naturam veræ fidei*. Quaſi Deus id vitii hoc in loco prohiberet, quod [c] Tacitus in militibus culpat, *qui juſſa ducum interpretari mallent quam exequi*.

Tertio, longi temporis experientia, quæ abunde docuit curioſas & ſollicitas illas inquiſitiones eventus plurimum triſtes habuiſſe. Compertum enim habebant Judæi, præceptum, cum primum illius ratio & ſcopus innotuiſſet, in contemtum abiiſſe, & homines legis ſenſum in propriam perniciem non raro reſtrinxiſſe. Huc ſpectare videntur [d] *Sirachidis* jam laudati verba: poſtquam enim monuiſſet ne de Legis rationibus curioſius diſputetur, addit, *multos enim ſupplantavit* ἡ ὑπόληψις αὐτῶν ἡ ματαία, *i. e. vana de ſemetipſis præſumptio*; "ut Solomonem (quod addit [e] *Grotius*) qui dum cau-" ſas legum ſcrutatur, & ex illis legum ſenſum pro ſuo lubitu reſtringit, in maximas " culpas incidit.

Quarto, ipſe leges Moſaicas tradendi modus. Si enim totum pentateuchum diligenter evolvamus, obſervare pronum eſt, Deum, leges illas inſtituentem, earum rationes ſilentio plurimum præteriiſſe, & quaſi de induſtria curioſorum animis ſubduxiſſe. Quis autem Dei arcana, criminis immunis, indagare poteſt, & ſine temeritatis nota ultra id quærere, quod Spiritus S. in expedito poſuit?

Atque hæc ſunt opinionis hujusce præſidia; quæ tamen, ſi, quod ſentiam eloquar, ſolidæ rationis ſpeciem magis quam virtutem habent. Nam, Quæ tamen rejiciuntur, & argumentis adductis reſpondetur.

Primo, ratio a legum Moſaicarum forma & ſtylo imperatorio petita, male firma eſt, & ad opinionis hujuſce fidem aſtruendam nequaquam valet. Nam Deo viſum eſt, ut leges ſuæ, non ſuadentis, ſed imperantis voce gentem Judaicam alloquerentur, ut legum ſuarum honori conſuleret; & Judæos, citius legis auctoritate quam ratione movendos, eo facilius ad obſequium flecteret. Nobis equidem, in hac rerum luce degentibus, apertum eſt Deum legem Moſaicam tanquam ſepem poſuiſſe, ad cohibendum populum Judaicum, in idololatriam alias bruto & præcipiti impetu ruiturum. Nec minus in aperto eſt, pleraque legis illius inſtituta (quamvis non uno eodemque modo) ad hunc uſum & finem egregie fuiſſe accommodata. Si tamen Deus hunc legis ſuæ ſcopum mentemque fuiſſe verbis diſertis affirmaſſet, & quam apte præceptum quodlibet huic uſui inſerviret, ratione aliqua ſemper adjuncta docuiſſet; veriſimile eſt quemlibet e media plebe Judæum legem negligere voluiſſe, ſpe vana fretum, virtutis ſuæ phylacterium ſolummodo, ſat virium ad idololatriæ peſtem propulſandam habiturum. Senſum meum ſic paulo explicatius exprimit [f] *R. Schem. Tobh*: כשטעם מצוה ידועה לארם קלה בעיניו ויאמר נעשה המצוה הואת אלא ונו Hoc eſt, *ſi ratio præcepti nota* eſſet *homini*, præceptum *vile* eſſet *in oculis ejus, & diceret, hoc præceptum* propter hanc cauſam ſolummodo *obſervatur; ego quidem cavebo ab ea, & tum nil opus eſt ut præceptum obſervem: uti dicunt plebeji, Deus interdixit nobis potum vini libaminis, ne cum gentibus affinitatem contraheremus; ego vero bibam, & non contraham* cum iis *matrimonium*. Huic etiam rationi Doctores in Gemara fiduciæ & auctoritatis non parum adferunt: iis enim obſervatum eſt, duas leges Regi datas fuiſſe, quarum ratio in Lege redditur: Salomonem autem ſapientiæ & virtutis propriæ opinioni nimis indulgentem, in utras-

a *Tract. Iom.* fol. 67. col. 2. b *Annot. ad Num.* 15. 39. c *Hiſt. l.* 2. *p.* 41. d Cap. 3. v. 26.
e *Comment. in loc.* f Ad *Mor. Neb.* P. 3. c. 26.

1 Vid. Talmud. Babylon. vol. 2.

que magno ſoo malo commiſiſſe. Nam, [a]inquiunt, כתיב לא ירבה לו נשים אמר שלמה אני ארבה ולא אסור וכתיב ויהי לעת זקנת וגו. [b] *Dicitur*, [1] non multiplicabit uxores, ne avertatur cor ſuum, &c. *Dixit autem Salomon*, *ego* quidem *multiplicabo*, *nec tamen avertar: at* poſtea *ſcribitur*, *& factum eſt in tempore ſenectutis ſua*, *quod uxores ejus averterent cor ſuum. Dicitur etiam*, ne multos alat equos, ne populum ſaciat in Ægyptum reverti. *Dixit etiam Salomon*, *ego plures alam*, *nec tamen revertar* in Ægyptum: *verum tandem ſcribitur*, [c] aſcendere ſecit equos ex Ægypto, & quod in Ægyptum [more ſaltem & affectu] reverſus fuerit. Quamvis itaque raro admodum præcepti alicujus ratio in Lege tradatur, & lex pene integra imperii tantum abſoluti formam & ſpecimen ſerat; inde tamen parum conſiderate concluditur, eam e mera Dei voluntate & beneplacito prodiiſſe.

Secundo, non minus vacillat ratio proxima, quæ textus jam laudati verbis nititur: nam verba illa non eo ſenſu capienda, quaſi Deus omnem in legis ſuæ rationes inquirendi licentiam (ſobriam licet & modeſtam) inhiberet; ſed ut fallacem illam cultus ſui regulam (humanam ſcilicet imaginationem) tolleret. Nempe metus cauſa ſuberat, ne rudis illa gentiumque moribus aſſueta judæorum natio, cultus ſui menſuras e phantaſiæ vitiatæ potius quam Legis dictatis peteret, & ea omnia Deo grata crederet, quæ ſibimetipſis inter theatricas gentium ceremonias innutritis pulchra videbantur. Monet itaque Deus, ne ſenſibus aut ingeniis propriis in religionis negotio nimis indulgerent, ſed ut ſibi de ſeipſo cultuque ſuo loquenti attenderent, & fidem adhiberent.

Tertio, neque id ſcrupulum injicere cuiquam debet, quod experimentis non pauеis compertum eſſet, inquiſitiones omnes in legum Moſaicarum cauſas male ceſſiſſe, & errori aut Legis contemtui occaſionem frequentem præbuiſſe. Concedimus enim (ne difficiles videamur) inquiſitiones illas eventum tam triſtem, durante Judaiſmo, nonnunquam habuiſſe: at nobis Chriſtianis, lege Moſaica ſolutis, nihil majorem erga legem reverentiam incutere, aut legiſlatoris bonitatem & ſapientiam magis commendare poteſt; quam ut legis illius inſtituta e conſilio potius quam imperio divino, & e populi Judaici rudirate magis quam Dei propenſione, fluxiſſe cenſeantur.

Quarto, nihilo magis ad ſententiam noſtram labefactandam valet argumentum ultimum. Nam Deus legum multarum rationes aperte quidem non tradit, forte ne earum rationibus in lucem prolatis, leges ipſæ apud populum (obſcura tantum revereri ſolitum) minoris haberentur. Si tamen leges eas attentius introſpiciamus, facile percipiamus, Deum eas ita tradidiſſe, ut, ad inſtar columnæ in Deſerto, lucidæ ſimul & nebuloſæ fuiſſe, & partem ſuam lucidam ſapientibus, nebuloſam idiotis, obvertiſſe videantur. Ut abſolvam paucis: rationes legum earum in obſcuro quidem ſitæ ſunt, nobis autem aliquatenus ſuſpicari, & eas ſubolfacere licet; modo conjecturis vagis & nulla ratione ſubnixis non indulgeamus, nec ſacra tractantes, verecundiæ leges egrediamur.

CAP. III.

Multis docetur, Legum Judaicarum rationes, dignas eſſe, quæ ſedulo exquirantur.

ERUNT fortaſſe, qui judicium meum hic requirent; quod iis laborem inanem ſimul & importunum ſubiiſſe, & bonas horas in argumento, nil commodi rei literariæ vel eccleſiæ allaturo, conſumpſiſſe videar. Quid enim inquient, nobis Chriſtianis cum Judæorum ceremoniis? quid, in media evangelii luce, nos umbris & typis detines? quid viros ad puerilia mundi rudimenta revocas? quid in agro illo deſudas, ubi fructus quidem vix ullus, operarii autem quamplurimi, e gente Judaica ſimul & Chriſtiana, reperiantur? quid tantam curam confers, in rem omni cum delectatione tum utilitate vacuam? De horum autem hominum judiciis haud valde nos decet laborare, qui ſtudia tantum, quibus ipſi hoſpites ſunt, contemtu ſtrenue ulciſcuntur. Sed & hujuſmodi ratiocinia, apud viros cordatos, haud multum momenti habitura mihi facile perſuadeo; cum inquiſitio in genuinas legum Moſaicarum cauſas, *dulcedinis*, *utilitatis*, *honeſtatis*, & *novitatis* nomine, jure meritoque commendetur.

a *Tract. de Synedr.* fol. 21. col. 2. b *Deut.* 17. 17. c 1 *Reg.* 10. 28.

1 Vid. *Talmud.* vol. 7. & *Miſch.* P. 4. p. 118.

SECT. I.

SECT. I.

Dulcedinis nomine.

PRIMO: inquiſitio, in legum Moſaicarum rationes, *dulcedinis* nomine, ſe merito commendet. Si enim leges Atticæ, Romanæ, aliæque, vetuſtatis & ſapientiæ nomine venerabiles, penitius introſpectæ, tantam *ſapientiæ filiis* dulcedinem afferant; neceſſe eſt, ut ridicule ſtolidi ſimul & prnfani ſimus, ſi leges haſce divinas, nulla voluptate tacti, perlegere valeamus. Si fugientes veterum ſtatuarum characteres tam avidis oculis perſequamur, ſi monumenti vel urbis antiquæ reliquias religione quadam tacti contemplemur, ſi ærea numiſmata *Cæſaris* aut *Alexandri* vultum referentia tanto pretio redimamus, ſi gentium aut vocum antiquarum nrigines e vetuſtatis tenebris erutas tanta jucunditate perfuſi intelligamus; adeo excordes erimus, ut antiquiſſimas Hebræorum leges oſcitanter prætereamus, easque ſtudia noſtra nulla voluptate compenſaturas exiſtimemus? Tantam e legum morumque Romanorum ſcientia voluptatem hauſit *Scaliger*, ut dicere non veritus ſit, [a] *ſi antiquitatis* Romanæ *cognitio* nil proſit, *non video quid nobis literæ proſunt*. At multo propius a vero abfuiſſet, ſi literas nil prodeſſe dixiſſet, niſi proſit antiquitatis Judaicæ cognitio, Romanam vetuſtate æque ac dignitate longe ſuperantis. Nec legum Moſaicarum antiquitas tantum, ſed & ſapientia recondita, ſtudioſum magnopere delectabit. Nam ſi leges & ritus illos oculis intentis & purgatis intueamur, facile percipiamus, dogmata quædam naturalia, moralia, & evangelica, ſub exteriori rerum Moſaicarum corrice ſæpe latitare. Si itaque ad Chaldæorum, Ægyptiorum, & aliarum gentium antiquiorum, myſteria rimanda, ſiti pene inexplebili efferamur; ſi Ægyptiorum obeliſcos, & magicas quas geſtant animalium formas, variis & ſollicitis torqueamus conjecturis, ut ſacra quæ premunt myſteria nobis fateri velint; neceſſe eſt, ut ipſa Dei inſtituta, myſteriis nnn raro gravida, longe magis ſapiamus, niſi palatum vitiatum habeamus; aut ſapientiæ gemmam citius in dogmatum & inſtitutorum ethnicorum ſterquilinio, quam legis divinæ theſauro, reperiri poſſe ſentiamus. Si quis ad legis hujuſce ſtudium bene animatus acceſſerit, juvabit proculdubio fidei noſtræ myſteria per medias rituum Judaicorum umbras alicubi tranſparentia, & in iis Meſſiam olim venturum, rudioribus quibusdam lineis expreſſum contemplari. Juvabit etiam eccleſiam in primis quaſi cunabulis vagientem intueri, & rationes aut gradus, quibus evangelii lux a primo rituum Moſaicorum crepuſculo ad plenum hunc meridiem proceſſit, intelligere.

SECT. II.

Et multiplicis utilitatis.

QUAMVIS autem intimior legum & rituum Judaicorum cognitio, non minorem animis ingenuis, quam lumen oculis ſanis, voluptatem ferat; non ea ſola ratione operis hujuſce tædium devoravi, ut curioſos oblectarem, & ſciendi pruritum ſcalperem. Imo vero onus tam moleſtum nunquam ſubiiſſem, niſi opere hoc me eccleſiæ commodo Inſervire, & utile dulci miſcere, poſſe credidiſſem. Ne lectorem multis detineam, me perſuaſum habui, legum Moſaicarum cauſas & origines probe cognitas utilitatem multiplicem hominibus allaturas. Cognitio rationis legum Moſaicarum utilis.

NAM primo: hujuſmodi cognitio utilis erit, ad leges & ritus Moſaicos a ſciolorum contemtu vindicandos. Multi enim olim, hodieque ſunt, qui, legis Moſaicæ rationes profundiſſime ignorantes, ritus ejus, tanquam aſinorum onera & labores otioſos, contemtui habuerunt; & *Leviticum*, primarium legis codicem, cum faſtidio, ne dicam blaſphemia, rejecerunt. Hujus rei fidem nimis apertam faciunt [b] *Procopii* verba: *quidam* hunc *præſentem librum*, *cujus enarrationem* jam *ſuſcepimus*, *contempſere*; *propterea quod nimium videatur occupatus relatione ſacrificiorum*, *nihilque dignum Univerſi opifice contineat*. Neque hic reticenda, eodem ſpectantia, nobilis auctoris illa; [c] ſuperſtitio *adeo communis fuit olim*, *ut non Gentilibus ſolum ſed etiam Judæis*, *ex quorundam ſententia*, *competeret*; *quum plurima in eorum legibus ceremonialibus*, *ſive juſſa ſive prohi-* 1° Ad Legis honorem vindicandum.

a *Not. ad Feſt.* in *præfat.* b *Comment.* in *Levit. c. 1.* c *D. Herbert. de relig. Gentil. c. 16. p. 308.*

bita eſſent, quorum nulla ratio pro captu humano ſatis idonea reddi poſſet. Ideo non ſolum Quintilianus *de ſuperſtitione Judaica mentionem facit, ſed & alii auctores veteres in Judæorum religionem animadvertunt.* Neque ethnici ſolum & Chriſtiani aliquot illiterati, ſed & patres nonnulli (quod fateri piget) legibus illis contumelias ingerunt, a quibus eas, cum ſe dabit occaſio, vindicabimus. Ut ſummatim loquar: eo jam deventum eſt, quod nonnulli, legis Moſaicæ rationem neſcientes, ad illius præſcriptum vitam & cultum primum dirigendum ſentiant; ex adverſo, nonnulli legem eam, tanquam res nihili præcipientem, aſpernantur & conviciis impetunt.

Quis autem, ſi quid zeli vel ſalis habeat, ferre poteſt, ut lex a Deo lata modis tam indignis habeatur, & codex ille Moſaicus, apud ethnicos olim ſapientiæ nomine celebratus, apud Chriſtianos, tanquam ſale ſenſuque deſtitutus, contemtui traderetur? Quid enim indignius & cum legis honore minus conjunctum dici vel fingi poteſt, quam quod *ſuperſtitionem inferat*, & *rituum* in ea præſcriptorum *nulla ratio ſatis idonea reddi poſſit?* Nam hoc modo Judæorum religio, Deo auctore ſancita, in eundem locum deprimitur cum Gentilium ſuperſtitione, quam centies exagitatam & ſapientum contumeliis vexatam legimus, quod tot abſurda, nec rationis alicujus ſpeciem ferentia, poſtularet.

Hujus incommodi ſenſu tacti, Judæi & Chriſtiani plurimi evigilarunt; &, ut legem cælitus datam, a ſciolorum ſannis & cavillis vindicarent, illius ceremonias, in frontiſpicio forſan ridiculas, in penetrali venerandas & auguſtas, eamque ad myſteria quædam adumbranda datam, eſſe docuerunt. Hinc ingens allegorizantium turba, ex Eccleſia Judaica & Chriſtiana, nullo non ævo prodiit, qui legem Dei, tanquam perpetuum hieroglyphicum, tractarunt, & arcanis ſenſibus per totam legem comminiſcendis, ingenii ſui vires exercuerunt. Prout ethnici, [1] *Tertulliano* obſervante, *cum fabularum puderet*, quas de Diis commenti eſſent, *ad interpretationem* rerum *naturalium confugerunt, & dedecus ſuum ingenio obumbrarunt;* ita & allegorizantes illi, cum legis in puſillis occupatæ puderet, illius verba ad ſenſa myſtica traxerunt, & inſtituta ejus omnia de rebus naturalibus aut evangelicis interpretati ſunt. Cum autem ingenioſi illi homines, non raro in ipſis tabernaculi vaſis, arcæ pellibus, & omnibus pene legis apiculis, philoſophandi materiam quærerent; cum etiam, ſuo ex ingenio, ritus cujusque myſterium, & ſenſum ſacratiorem, plurimum aſſignarent; tantum aberat, ut, myſteriis ſuis fictitiis, legi ritibusque Moſaicis honorem conciliarent, ut acutioris naſi atheis, juſtam nimis ridendi cauſam darent.

Legem itaque, nulla ratione felicius ab atheorum contemtu muniamus, quam ſi luculenter oſtendamus, inſtituta ejus omnia, e ratione cogente, quamvis temporaria, prodiiſſe; & illius ritibus, exiguis licet, gratiam & *pulchritudinem* ſuam, utpote [a] *tempore ſuo conſtitutis*, non defuiſſe. Quod enim athei, aliique, de legibus ab ipſo Deo ſtatutis tam contumelioſe locuti fuerint, eorum inſcitiæ, vel ſeculi præſentis conſuetudini a legibus illis alienæ, tribuendum eſt. Quæ, apud Judæos, ipſa Dei ſcita ſunt, & ad populi morem & modulum accommodate conſtituta, illi, aliter nati doctique, & eorum rationes minime capientes, leges tyrannicas, & mente omni vacuas, arbitrantur. Ea nempe ridicula vanitate ſunt homines aliqui, ut citius in Legislatorem, quam mentis ſuæ anguſtias, culpam transferant, ſi quid in Lege, minus ſolide & ex ratione conſtitutum videtur; & citius ſolem ipſum caliginis, quam ſemetipſos cæcitatis, incuſabunt.

2°. Ad illuſtrandam Scripturam. Secundo: legum Moſaicarum origines, e vetuſtatis tenebris erutæ, obſcurioribus quibusdam Scripturæ locis plurimum lucis accommodabunt. Verbis meis, hac de re, teſtimonium præbent plurima illa Scripturæ loca, hoc in opere citata, quibus præcognitæ legum earum cauſæ lucis haud parum attulerunt. Teſtantur etiam plurima illa Pentateuchi loca, pro variis interpretum ingeniis in ſenſum nunc hunc nunc illum torta, tantum quod rituum in iis præceptorum rationes eorum captum fugiant. Non opus habuiſſent interpretes, ingenii ſui vires inanibus allegoriis commiſcendis conterere, & non raro magno cum labore nugas agere, modo legum & rituum Moſaicorum rationes perſpectas habuiſſent. Sed quid de Pentateucho loquor? auſim dicere, non minimam veteris Teſtamenti partem, clauſam & ſignatam in ſecula manſuram, niſi rituum eorum, quorum ibi tam frequens mentio, rationes curatius inveſtigentur. Ut abſolvam paucis: multa veteris Teſtamenti loca, jam ſpiſſa caligine obducuntur, quod interpretes plerique ſat habuerint, legum Moſaicarum ſenſum explicare,

a *Eccleſ.* 3. 11.
1 Adverſ. Marcion. l. 1. p. 371.

atque

atque animos ad Dei conſilium, in legibus illis inſtituendis, inveſtigandum haud appulerint.

Tertio: cognitio rationis harum legum plurimum proderit, ad libertatem Chriſtianam aſſerendam, & ſuperſtitionem, olim hodieque nimis invaleſcentem e rebus humanis eliminandam. Nam, (ut rem altiuſcule repetam) quovis eccleſiæ Chriſtianæ ſeculo plurimi fuerunt, qui Chriſti legem fidemque ſimulantes, Moſaica vixerunt, & rituum Legalium religionem Chriſtianis imponentes, eos libertate per Chriſtum parta miſere defraudarunt. Hujusmodi doctorum cœco zelo factum eſt, quod Chriſtiani veteres (ii præcipue qui cum eccleſia Romana communionem coluere) ſub gravi Judæorum religione tot ſeculis oppreſſi vixerint. Nam, Judæorum ritu, fœminam a partu nuper levatam immundam habebant, ut minime ante [a] quadrageſimum a partu diem, aditus ad eccleſiam, aut ſacra participandi licentia ei concederetur. Eousque etiam opinio illa de puerperarum immunditie, Chriſtianorum quorundam animos olim occæcavit, ut puerperam, nondum in Chriſti fidem baptiſmo receptam, de vita licet periclitantem, baptizare recuſarent. Mulieres, conſuetudinem menſtruam patientes, immundas pronunciarunt, easque fidelium cœtu, decreto (crudeli dicam, an ridiculo?) penitus excluſerunt. Nonnullis etiam e Chriſtianis antiquis in more erat, ut [b] ſive ab uxoris lecto geniali, ſive ab impura & ſceleſta Venere prodirent, templa non prius adirent, aut menſæ ſacræ aſſiderent, quam Judæorum ritu corpora ſolenniter abluiſſent. *Hac de re diverſæ nationes diverſa ſentiunt*, inquit [c] Gregorius magnus; -- *Romanorum tamen ſemper ab antiquioribus uſus fuit, poſt admixtionem propriæ conjugis, & lavacri purificationem quærere, & ab ingreſſu eccleſiæ paululum reverenter abſtinere.* Mores illi paſſim recepti anſam dederont [d] Auguſtino, veterum Anglorum Apoſtolo, hæc dubia Gregorio pontifici ſolvenda proponendi; *poſt quantum tempus, poſtquam* peperit mulier, *poſſit eccleſiam intrare? Poſt quot dies* (a puerperio) *liceat* ei *ſacri baptiſmatis ſacramenta percipere? Si menſtrua conſuetudine tenetur, an eccleſiam intrare ei liceat, aut ſacræ communionis ſacramenta percipere?* An *vir ſuæ conjugi permixtus, priusquam lavetur aqua, poſſit eccleſiam intrare, vel etiam ad myſterium communionis ſacræ accedere?* Neque hoc fermentum Judaicum Romanorum tantum, ſed & Græcorum fidem cultumque vitiavit: nam falſam illam & perverſam opinionem de puerperarum immunditie, Græcorum etiam animis inhæſiſſe, ex eorum [e] rituali colligamus. Ibi enim, ſacerdoti puerperam viſitanti, hanc orandi formulam præſcriptam legimus: *huic ancillæ tuæ*, καὶ τοῖς ἁψαμένοις αὐτῆς, *& cunctis eam attrectantibus, aliisque hic adſtantibus, hominum amator Deus, remiſſionem largire.* Quibus apparet eccleſiam Græcam puerperam ipſam, & mulieres ei miniſtrantes, pro immundis habere, ideoque ſolicitudine quadam religioſa providere, ut ab immunditie contracta ſacerdotis precibus expientur. Neque hic ſe ſiſtit Græcorum ſuperſtitio: ſi enim animal aliquod, juxta legem Judaicam immundum, in templo mortuum vel enixum fuerit, templum illud impurum & nova (uti loquuntur) reconciliatione indigere ſentiunt. Refert etiam [f] *Jacobus Goar*, corporis munditiem Lege præſcriptam tanti apud Græcos habitam, ut mulieribus a partu nondum purgatis ingreſſu templorum interdicant; & fœminæ Græcæ menſtruis defluentibus inquinatæ, ſola conſcientia urgente, ſeipſas eccleſiis eliminent, panem pro oblatione pinſere detrectent, ſacra quævis tangere reliquiasque deoſculari vereantur; & quod [g] omnes, licet in ſomniis tantum, ſeminis profluvium paſſi, a ſacris attingendis apud eos arceantur. Nec deſunt e noſtris, qui gravi Judæorum jugo vitam credulorum opprimunt; qui ſcilicet a ſanguinis eſu conſcientiæ cauſa temperandum docent, & religionem pene omnem e rebus periiſſe ſentiunt, niſi ſabbatum viginti quatuor horarum otio celebretur, & homines illud a diei præcedentis veſpera, more Judæorum ordiantur. Nonnulli etiam ex oriente Chriſtiani, (ſi famæ credimus) religionis ſinceritatem ceremoniis Judaicis inquinarunt; circumciſionem obſervantes, & ab animalibus, quæ Moſes immunda decrevit, abſtinentes. Hæc & hujusmodi religionum ludibria (ſic enim haberi debent) miſeræ legum Judaicarum & conſilii divini in iis ferendis ignorantiæ principia ſua debuere. Nam impoſſibile eſſet, ut homines tam anxia religione circa Judaica illa verſarentur, ſi leges Moſaicas, quibus nituntur omnia, non tantum genti peculiari, ſed etiam ex cauſa peculiari & temporaria, datas intelligerent.

3°. Ad vindicandam Chriſtianorum libertatem.

a *V. Montacut. orig. eccleſ.* Par. 1. p. 159. b *V. not. Caſaub. in Ælium Lamp.* p. 92. n. 30. c *Ap. Bed. hiſto. eccleſ.* l. 1. c. 27. p. 67. d *Ib.* p. 65. e Pag. 317. *edit. Jac. Goar.* f *Comment. in* Εὐχολογ. *Græc.* p. 318. 319. g *Ib.* pag. 664. *V. etiam Caſſian. collat.* 22. c. 4, 5.

4°. Ad redarguendos adverſarios nonnullos,

QUARTO: cognitio illa, cujus gratia vigilias haſce vigilavimus, haud parum conferet ad adverſarios aliquos, (Judæos, Pontificios, errantes etiam quosdam Proteſtantes) refellendos: eorum enim dogmata & abſurdi mores, e craſſa plurimum legum earum rationis ignorantia pullularunt.

nempe Judæos:

(1°.) COGNITIO illa non parum conferat ad Judæos erroris craſſiſſimi convincendos, eosque ad Chriſti gregem alliciendos. Ideo enim tam immenſo legum ſoarum zelu flagrare, & earum perpetuitatem inter fidei ſuæ articulos numerare ſolent, quod earum cauſas neſciant, easque e Dei potius voluntate quam ſeculi Moſaici conditione fluxiſſe ſentiant. In legum ſuarum ſenſu literali vel myſtico rimando verſantur toti, de earum ratione parum ſoliciti: hinc legis ſuæ vim perpetuam & æternam contendunt, & (more Majorum) eos omoes qui [a] Moſis legis & ritus ceſſaturos aſſerunt, zelo acerbiſſimo proſequunrur. Si quis vincnla Legis unquam ſolvenda doceat, pertinacia ſna ſe involvit, vix ullis argumentis ipſam ſolis evidentiam ſuperanribus expugnanda. Ut itaque hunc errorem Judæorum, præcipuum converſionis ſuæ obſtaculum, removeamus, opus eſt ut legum ſuarum rationes detegamus, & eorum animos a rituum ſuorum ſplendore ad eorum originem contemplandam avocemus. Eo itaque jam tendunt conarus noſtri, ut probemus inſtituta Judaica ſeculi moribus originem ſuam debuiſſe: adeo ut leges evangelicæ quidem ἔκγονοι τῆς διανοίας *mentis* tantum *divinæ ſoboles* eſſent, leges autem Moſaicæ ἔκγονοι τοῦ χρόνου *temporis partus*, & ad ſeculi tunc præſentis ingenium & morem aceommodatæ. Nam, ſi Judæorum animi in veritatis hujusce fidem adduci poſſent, vix poſſibile eſſet, ut legibus ritibusque ſuis tam pertinaciter adhærerent, & legis antiquatæ ſtudio ducti, tot annos a Chriſti fide abhorrerent. Ipſa nempe ratio doceret, leges ad temporum viciſſitudines & genris antiquæ mores aceommodatas, earum cauſis & occaſionibus jam ceſſantibus, vim & auctoritatem earum primævam amiſiſſe. Nam occaſione ceſſante, ceſſar hujusmodi legum bonitas, & e legum, in onerum & laqueorum cenſum tranſeunt. Cum itaque (ni fallor) probatum dederim, leges eas quarum tanto ſtudio feruntur Judæi, ad incertos temporum antiquiorum mores attemperatas fuiſſe; ſi Judæi ad legum earum origines attenderent, neceſſe eſt ut eas aliquando ceſſaturas credant, nec e zelo Moſis majorum ſuorum inſaniam, nullis cedentem remediis, inſanire pergant. Quis enim, cui mens non læva, ſibi perſuadere poteſt, leges e moribus mutationi obnoxiis ortas, in perpetuum duraturas; aut leges eas adhuc Judæos obligare, cum neceſſitas illa jam nulla ſit, quæ leges eas antiquitus impoſuerit?

Pontificios,

(2°.) LEGUM Moſaicarum rationes & origines penitius intellectæ, pontificiorum ἄνοιαν manifeſtam facient, eosque Judaismi nimis affectati reos peragent. Si enim Lector eorum ſcriptores conſulat, qui de chriſmate, aqua benedicta, altárinm conſecratione, religioſorum tonſura, incenſi oblatione, ſacerdotum ornamentis, luminarium in ſacris uſu, aliisqne religionis ſuæ ſolennibus, ſuſe diſſerunt; comperiat eos palam & aperta fronte profitentes, eccleſiam Romanam hæc a Judaiſmo derivaſſe. Eo etiam ſtuporis aut aſtutiæ deventnm eſt, quod horum omnium uſum legibns e pentateucho citatis propugnare ſoleant. Nam frequenter probant, aut (quod prope abeſt) vehementer commendant, [b] thymiamatis in ſaeris uſum e lege Moſis, *Exod.* 30. 1. *Facies quoque altare* ad *adolendum thymiama*, de *lignis* ſethin. Aquam benedictam, ad ſordium leviorum expiationem comparatam aſtruere [c] ſatagunt e Numer. 19. 9. ubi Deus aquam purificationis fieri præcipit. Fateri non pudet, chriſmatis uſum primo deſumptum e Dei ad Moſem [d] præcepto, *Exod.* 30. 30. *Aaronem & filios ejus unges, & ſanctificabis eos, ut ſacerdotio fungantur mihi.* Conſecrationem [e] altarium, ut fucum vulgo rudioti faciant, exemplo Moſis, Salomonis, & Maccabæorum aſtruunt. Uſum luminarium in officiis divinis ſe probare ſentiunt, e [f] 25. *Exod.* 31, & 37. *Facies candelabrum ductile* ex *auro mundiſſimo*, .. *& facies lucernas ſeptem.* Nazaræorum ordinem, magnum ſibi præbere argumentum, ad fundandam Monachorum gentem & eorum tonſuram, arbitrantur. Anni ſui quinquageſimi eelebritatem deſendit [g] Bellarminns, argumento ducto a Jubilæo per Moſen inſtituto. Ut Pontifici ſuo ſummam in epiſcopos & ſacerdotes omnes poteſtatem vindicent Romanenſes, exemplum iogerunt pontificis Hebræi, quem inter ſacerdotes & Levitas pro monarcha quodam eccleſiaſtico ſe geſſiſſe dicunt. Hæc, & alia farinæ conſimilis, in religionem Chriſtianam invexerunt pontificii; quæ ſi quis περιεργίας aut vanitatis arguat, Moſem ſtatim ſpon-

a *Act.* 6. 14. b V. *Caſal. de ritib. ſacr. relig. Chriſt.* c. 41. c 36. d c. 37. e c. 33. f c. 42. g *De indulg.* T. 7. l. 1. c. 1.

ſorem

ſorem inferunt, & argumentis a lege, cultu, tabernaculo, vel pontifice Moſaico petiris, ſe tueri ſatagunt. Hoc nemini occultum eſſe poteſt in Romaoenſium ſcriptis vel leviter exercitato.

Si hæc omnia *joco* tantum & ad populum ludendum dicaot aut faciant pontificii, religioſæ hujus impoſturæ tandem aliquando pudeat pœniteatque: ſi *ſerio*, & revera perſuaſi cultum illum theatricum Deo jam gratum, & Chriſtianos rituum eorum onere nondum liberaros; pudeat viros doctos, in media hac literarum luce, miſere adeo cæcutire. Multis enim ſcripturæ & antiquiratis reſtimoniis manifeſtum feciſſe videar, tantum abfuiſſe, ur Deus cultum ritibus hiſce præſtitum vel Judæis præciperet, quod eum ſolummodo [a] roleraret, donec gens illa in ætatem religionis virilis capacem adoleſceret. Quid itaque Romanenſes elemenris hiſce Judaicis plebeiorum animos a ſolida pietate curanda jam avocant? cur *a* [b] *ſimplicitate illa quæ eſt in Chriſto corrumpunt eorum mentes?* Quid turbis & rixis complent omnia, quod oneribus hiſce Judaicis humeros noſtros ſubtrahamus? Quid plenis buccis in hæreticos, ſchiſmaticos, & novatores vociferantur, niſi religionem e numeroſa riruum Judaicorum & ethnicorum farragine cooſarcinatam hodie profiteamur? Cultus enim pontificius, quarenus a reformaro diſcrepar, vix quicquam præter inutilem Judaiſmi & ethniciſmi paulo purioris mixturam conriner.

Hic forſan regerent ponrificii, Romanam eccleſiam ritus illos e Judaiſmo (prout & mulros alios e paganiſmo) in Chriſtianiſmi naſcentis exordio, ad lucrifaciendos infirmos, in cultum ſuum recepiſſe. Arque hac io re morem & συγκατάβασιν Apoſtolorum imitata videatur. Obj.

At vero, quid eſt quod, eorum uſu jam ceſſanre, ritus eos omnes non abrogarint? quid eſt quod religionem Chriſtianam ſimplicitati ſuæ nativæ nondum reſtituerint? cur ad lucrifaciendos Judæos, ipſius pene religionis Chriſtianæ jacturam faciunr? Apoſtoli quidem nonnulla Moſis inſtituta obſervari [c] voluerunt, quamdiu Judæos in riribus Moſaicis educatos ad Chriſtum alliciendi ſpes ulla ſupereſſet; poſtquam autem de illorum converſione deſperari jam cæptum, Apoſtoli Moſis leges abrogatas & Chriſtianos in libertatem ſuam aſſerendos eſſe docuerunt. Sol.

(3°.) Legum Moſaicarum rariones in apricum prolatæ multum proderunr ad errantium quorundam Proteſtanrium dogmata moreſque redarguendos. Ex iis enim nonnulli, Judæorum ſabbariſmos docent & [illegible] alii, abſtinenriam a ſanguine & ſuffocaro; ſunr & alii, qui Dei (quos ipſi vocanr) adverſarios, veluti jure zelorarum, perdendi licentiam inferunt, & alia dogmara e mediis Judæorum lacunis hauſta. Iis aurem dogmatis, aoimos ſuos nunquam addixiſſent, nec eorum gratia non raro turbaſſenr omnia, ſi conſtitutionum Moſaicarum rationes perſpectas habuiſſent. Nec deſunt alii, qui rirus alicujus minutuli cauſa, ob cultus publici decorum inſtituti, regnum in partes rrahunr, & vulgi animis religionis e rebus perituræ metum ingeruot: quaſi religio eſſet ſicut numerus, ob levem quamvis additionem, in ſpeciem planc aliam tranſitura. In hujus autem zeli male ſani patrocinium, ad Moſis legem & exemplum provocanr: ille, inquiunr, minima quæque ad cultum publicum ſpectantia, curate determinavit; & aſſumentis omnibus humanis, veluri religionis divinitus inſtitutæ dehoneſtamentis inrerdixit. Sed rarionis hujus inertia ſtatim ſe proder, ſi leges & rirus Moſaicos ad ipſas eorum origines revocemus, & manifeſtum faciamus, populi Iſraelitici, Ægypto nuper egreſſi, ſtatum & ingenium poſtulaſſe, ut Moſes ſummam συγκατάβασιν, in ſacris omnibus præſcribendis adhiberet. Hanc tamen Moſis συγκατάβασιν nunquam in argumentum ducebant Judæi, ne ceremoniarum ſuarum magiſtri ritus quaodoque novos in cultum religioſum inferrent: nam libro quarro multis exemplis docui, Judæos, rirus quidem plurimos [illegible], multos etiam [illegible] originem ducentes, in ſacris ſuis obſervaſſe. & errantes quoſdam Proteſtantes.

SECT. III.

Honeſtatis etiam nomine.

TERTIO: Inquiſitio, in legum toties dictarum cauſas, honeſta, & viro [etiam Chriſtiano] digna, non immeriro cenſearur. Huic aſſerrioni ſua conſtabir veritas, ſi leges ipſas ſpectemus, aut earum cauſas: nam, Inquiſitio præſens honeſta.

a *V. Lib. 3. Diſſert.* 1. b 2 *Cor.* 11. 3. c *Act.* 15 20. 1 *Cor.* 10. 25.

1°. ſi leges ipſas ſpectemus,

(1°.) *Leges illæ Deum auctorem habent, & Chriſtum ſcopum & complementum: * tenues umbellæ ſunt, quibus ea nonnunquam myſteria delineantur, quæ nobis palam & aperte intueri datum eſt: certiſſima, temporum antiquorum, & morum tunc obtinentium, monumenta: ruditatis eccleſiæ Judaicæ naſcentis documenta & perpetua nobis ad gratitudinem argumenta, quibus majorem ſcientiæ copiam indulſit Deus, cultum etiam magis ingenuum & liberalem: * eccleſiam, ſi forte miſere collapſam, in ſtatum priſtinum reſtituendi rationes & exemplaria conſultiſſima: * ſunt etiam legum omnium ſcriptarum antiquiſſimæ, cum gentes nmoes, aut moribus ἀγράφοις, aut arbitrariis regum imperiis, antea regerentur. * Quin & e legibus illis, utpote tam vetuſtis, penitius intellectis, multum lucis idololatriæ veteris origini & naturæ, multis etiam in hiſtoria, philologia, & chronologia ſecretis & obſcuris affulgeret.

& earum cauſas.

(2°.) Hinc etiam inquiſitioni præſenti ſua laus & honeſtas conſtet, quod harum legum rationes, non e trivio petitæ eſſent, ſed conſultæ admodum; h. e. oeconumiæ veteris ingenio, gentis Iſraeliticæ ruditati, & ſeculi Moſaici conſuetudini conſentaneæ.

Cum itaque leges illæ Deo principium debeant, cum etiam ſummo cum conſilio traderentur; vix a ſatyris tempero, cum in memoriam revoco ſcriptores illos quamplurimos, qui eas tam ſupine tractarint, aut vix primam earum cutem ſtringentes prætererint. Nam certe, ſacro-ſancta Dei inſtituta eo apud nos loco eſſe debent, ut ea ſtudio ſaltem & indagine noſtra digna judicemus. Nec minus hic nota cenſoria dignos arbitror, qui præceptorum eorum [illegible] cauſas nugaces & eorum majeſtate prorſus indignas excogitarunt. Si quando legibus illis explicandis impendunt operam, ſtatim vapulat eorum cerebrum, ut allegorias quaſdam puſillas, *myſteriorum* nomine decoratas, cudant; quaſi legem Moſaicam pro cote tantum ingenii datam exiſtimarent. Et profecto, ſæpius in ſinu miratus ſum, tot auctores, cætera doctos & acutos, tot allegorias, nulla certa ratione vel ſolido ſcripturæ fundo nixas, lectoribus ſuis, tanquam legum earum ſcopum & mentem, obtrudere potuiſſe: quaſi ſummus legislator Moſem in monte per dies quadraginta detinuiſſet, eique ſpiritum dictatorem conceſſiſſet, ut leges daret ob rationes leves, incertas, & in lectoris ingenio ſitas.

Sed ne longius aberret ſermo: ex hac ſcriptorum incuria factum eſt, quod Chriſtiani longe plurimi in legum earum ſuperficie tantum hæreant, inſtituta Moſaica tanquam tricas ſolummodo ſanctiores negligant, & non minus *Moſis* obſcuritate, quam Iſraelitæ veteres illius ſplendore, offendantur. Moſes quidem in eccleſiis noſtris quotidie legitur: ſed de legibus ejus id unum plerique intelligunt, eas nempe myſteria & ſenſa quædam ſacratiora, conjecturæ ſagacis clave referanda continere. Atque inde venit, quod multi legem Moſaicam, pluſquam ſcripturam reliquam, ad abſurda quævis dogmata patrocinanda torqueant; & ſuo ex ſenſu Dei verbum, prout ethnici Dei formam fingant formentque. Malis hiſce nulla ratione felicius occurramus, quam ſi genuinas legis Moſaicæ cauſas & radices aperire ſtudeamus. Huic autem ſtudio, eo libentius animos adjungamus, quod eo vix ullum honeſtius, aut homine Chriſtiano & literato dignius inveniri poſſit.

SECT. IV.

Et novitatis aut raritatis.

Argumentum præſens, novum, ut pote

Cum inquiſitio in legum rituumque Moſaicorum rationes tot nominibus haud immerito commendetur, quod *Scaliger* de *emendatione temporum* dixit, de opere præſenti uſurpare licet; [a] *eſt equidem argumenti nobilis atque ardui, quod antiquitus tractari* debuit, *non in hoc ſeculum differri.* Nam ratio legum Moſaicarum res eſt, cum per ſe ad cognoſcendum præclara, tum ad ſacros libros intelligendos opportuna: eſt tamen argumentum, quod pro dignitate & momento ſuo, a nemine hactenus tractatum reperi. Religionis Chriſtianæ ratio, argumentum tritiſſimum eſt, quod multorum calamos occupatos tenuit: at religionis Judaicæ ratio, meſſis pene integra eſt, & vix ullius [Judæi vel Chriſtiani] falce tacta.

nondum a Judæis pro merito tractatum,

Judæi quidem, in Legis verbis explicandis, ſenſibus arcanis indagandis, & ritibus ibi præſcriptis obſervandis, ſatis curioſos, religioſos, ne dicam ſuperſtitioſos, ſe præbuerunt. At legis Moſaicæ ratio, ager ille eſt, in quo ſolus (quod ſciam) *Maimonides* e ſynagogæ doctoribus, ita laboravit, ut *operarii* titulum mereatur; qui tamen ſic

a *In Epiſt. dedic.*

in

in eo operatus eſt, ut ſucceſſuris, meſſem potius quam ſpicilegium, reliquiſſe videatur. Magiſtri Judaici, qui *Maimonidem* præceſſerunt, ad legum Moſaicarum rationes non attendiſſe, vel rationes quasdam morales, & cum earum natura minime cohærentes, aſſignaſſe putentur. Hoc a me non temere dictum percipiat, quisquis ad legum earum rationes, apud *Joſephum*, *Philonem*, *Jonathanem*, Talmudiſtas, alios, paſſim, obvias, advertit animum. Fieri autem non potuit, quin Judæi veteres a genuina legis ſuæ ratione turpiter aberrarent; cum eam perpetuo duraturam crederent, & ipſi literaturæ humanioris plurimum rudes eſſent & profani.

Judæis deficientibus, jure mirari quis poſſit, e Chriſtianis neminem in hoc genere lucubrationis hactenus elaboraſſe; cum conſtet, ex iis plurimos magno atque excellenti ingenio fuiſſe, literatura omnigena donatns, & ſummo ſcripturæ illuſtrandæ ſtudio inflammatos; cum etiam appareat, plurimum lucis, e cauſis legun. earum probe cognitis, obſcurioribus ſcripturæ locis emerſurum. Quantum autem conjectura percipio, provinciæ hujuſce magnitudo, haud paucos viros doctos ab ea ſuſcipienda tetardavit hactenus. Conjecturæ meæ fiduciam addunt inclyti [a] *Cunæi* verba: *propoſitum nobis fuerat, legum Moſaicarum vim, ſententiamque, atque etiam cauſas ex abdito eruere, atque omnia ea, quæ hujus generis eſſent, cum inſtitutis & ſanctionibus aliarum nationum conferre: ſed conantes nos talia atque meditantes, magnitudo operis tardavit, ut id — perducere ad exitum ondum potuerimus.* Refert etiam [b] *Joſephus*, ſe περὶ θεοῦ καὶ αἰτιῶν [illegible] συντάξασθαι, *de* Judæorum *moribus &* ſacrorum *cauſis commentarium perſcribere* ſtatuiſſe. Sed veriſimile eſt, *operis magnitudinem* eum etiam a propoſito dimoviſſe; niſi forte monumentum illud, ſummis votis expetendum, injuria temporis interierit. Aliorum animos, a legis Judaicæ cauſis inveſtigandis religio quædam avocavit: verentur enim, ne, ſi Legis cauſas quærant, Dei conſilia & arcana curioſe rimari, veterum conatus in allegoriis inde eliciendis in contemtum trahere, & opinioni illi (cui tot ſeculorum fide quaſi præſcriptum eſt) de myſteriis in quovis pene Legis apice contentis, fidem ahrogare, videantur.

aut Chriſtianis.

Sed ad præſens negotium non multum attinet, curioſe quærere, caſu an conſilio factum ſit, quod Judæi ſimul & Chriſtiani a legum earum cauſis indagandis hactenus abſtinuerint. Abunde conſtat, neminem adhuc provinciam hanc deſtinato conſilio ſuſcepiſſe. Nonnulli quidem, in *Ovidii* faſtis illuſtrandis, alii in gentilium ritibus e caligine vetuſtatis eruendis, & originibus ethnicis inveſtigandis, deſudarunt: hoc autem argumentum tam levi manu tractarunt, quaſi ritus & nrigines omnes, niſi ſacras, indagine ſua dignas exiſtimarent. Mihi itaque materiam hanc, meis licet viribus majorem, tractandam ſumere religioſius exiſtimavi, quam ritus & leges tam ſacras & antiquas altis tenebris immerſas relinquere, ſciolorum contumeliis vel audacibus allegoriis in æternum violandas. Quis ferat, tot ſcriptorum laborem & induſtriam pene omnem, in Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum, ritibus & legibus in lucem proferendis deſudaſſe; religioſos interim Hebræorum ritus inerti oblivione ſepeliri, & ipſas Dei leges, voluptatis inexhauſtæ fontes, vix ſummis doctorum labiis delibari?

CAP. IV.

Occurritur nonnullorum præjudiciis.

QUAMVIS e jam dictis quivis intelligat, legis Moſaicæ ratinnes dignas eſſe, in quibus inveſtigandis omnes ingenii & induſtriæ nervos intendamus; facile prævideo, nonnullos operam & ſudorem huic argumento impenſum nihili habituros, niſi præjudiciis eorum maturius occurratur.

Nam primn, nonnullos, hoc præjudicio ductos, chartas haſce (vix limis oculis inſpectas) rejecturos auguror, quod non ſit virium mearum, tanti ponderis argumentum ſuſtinere. Dicent forte, ſpem nullam aut perquam exiguam eſſe, ut ipſe ritus longa vetuſtate pene oppreſſos atque obrutos, in lucem revocarem; aut legum earum fontes detegerem, qui Judæorum & Chriſtianorum, prope omnium, viſum & diligentiam hactenus effugerunt. Unde enim mihi, tantum opus molienti, lucis aliquid affulgeret? Certe *non a Judæis*: nam illi ſacri codicis apices quidem & literas in numerato habent, at legum ſuarum rationes genuinas non norunt, non curant; ſed nec poſſibile eſt ut unquam intelligant, qui, in legum earum explicatione verſati, omnem a ſcri-

Præjudicium primum.

a *Prolegom. in l. 3. de rep. Hebr.*

b *Antiq. Judaic. l. 4. c. 8. p. 161.*

ptoribus

toribus exoticis opem negligunt. *Non a legibus ipſis:* illæ enim, ſi formam earum ſpectemus, imperia plurimum abſoluta ſunt, & nulla ratione ſubjuncta Judæis imponuntur; ſi materiam, res ſunt indifferentes, nec dictamine naturæ vel rationis inſtitutæ. *Non e veterum ſcriptis:* nam e rebus periere, Sanchoniathonis Phœnicia, Beroſi Chaldaica, Manethonis Ægyptiaea, Cteſiæ Perſica & Medica, Abydeoi Aſſyriaca, & Diodori Siculi libri non pauci, qui vetuſtatis memoriam pene omnem complectebantur. Quæ ſane veterum monumenta magnam proculdubio legum Moſaicarum originibus facem allucerent, gentium antiquiorum mores & ſacra referendo, quæ legibus illis inſtituendis occaſionem præbuerunt. Horum autem auctorum vix quicquam, præter nomen & deſiderium, nobis ſupereſſe voluit invidia temporis: adeo ut, ad leges illas illuſtrandas, nihil nobis opis aut lucis præſtare poſſint. Nec hiſtorici, qui jam ſuperſunt, quicquam ſubſidii nobis hærentibus afferre poſſunt; cum Moſis ætate longe inferiores ſint, & gentium antiquiorum ritus, non tantum imperfecte, ſed & incerte referant. Cum itaque nihil e Judæorum ſcriptis, legibus ipſis, aut veterum hiſtoriis, effulgeat lucis; omnia hic meris tenebris involuta, & harum legum rationes nullis vigiliis indagandæ, videantur.

tollitur. VERISIMILE eſt, aliquos hæc in animum inducturos: nec ſane diffitendum eſt, nobis legum Moſaicarum rationes inveſtigantibus, tenebras tam craſſas occurrere, ut pede timido, forſan & errante, nonnunquam incedamus. Sed nullæ tenebræ tantæ ſunt, in quibus non tenuis aliquis effulgeat lucis radius: neque nobis in hoc argumento verſatis, tam denſa caligo circumfunditur, ut omnia viſum noſtrum fugiant, & ſemper in meris tenebris palpitemus. Judæi nonnulli, [*Maimonides*, *Abarbanel*, alii] nobis etſi rarius facem præferunt, & ad legum quarundam fontes recta ducunt: nonnunquam, e veterum hiſtoricorum fragmentis, ſcintilla veritatis emicat: ſi legum nonnullarum circumſtantias attente contemplemur, veritatem, quaſi per rimulas quaſdam, illucentem percipiamus: hiſtorici etiam, qui etiamnum ſuperſunt, auctores jam deperditos legerunt, triverunt, & ex iis proculdubio plurima fideliter nobis tranſmiſerunt: quin & e ſacris moribus, in Ægypto, Græcia, vel Syria recentius uſitatis, de temporum antiquiorum ritibus conjecturam haud adeo lubricam faciamus: nam lingua & religio res ſunt diuturnæ plurimum, & abolitu difficillimæ. Si hæc, & alia, perpendat lector, nihil erit, cur legum Moſaicarum rationes in perditis & plane deſperatis habeantur.

Secundo occurritur. SECUNDO: nonnulli forſan has chartas animis averſis intuebuntur, quod plurima nova & a theologorum ſenſu aliena in medium proferam. Nempe, ea eſt ingeniorum moroſa varietas, quod lectores aliquos nunquam tibi devincies, ſi res vulgares & centies repetitas ingeras; alios autem, ſi quid novum & a vulgi tramite deflectens, in religione præſertim, excogitaſſe videaris. Auctorem ſcientiæ lacunas explere ſtudentem, contemnunt, expuunt; quaſi novandi pruritu ageretur, & ſingularis acuminis laudem e paradoxis fingendis affectaret. Eo ingenio fuiſſe videtur *Sophocles*, cum dixit Μισῶ μὲν ὅστις τυφλὰ περισκοπεῖ, *odi illum qui occulta rimatur.*

AT nihil eſt, cur quiſpiam huic præjudicio vel tantillum indulgeret: nam apud antiquos multo glorioſius habitum eſt, campos a vulgo derelictos colere, (modo ſpes ulla ſegetis appareret) quam agellum in ſuburbano, cujuſvis e vulgo coloni pede & aratro tritum. Scientiæ patribus humile videbatur, aliorum tantum veſtigiis inſiſtere, & chorda ſemper eadem oberrare; ſed acervo *Mercurii* vel lapillum adjicere, ſcientiæ quid [a] novum addere, fati vel ingenii felicioris argumentum habebatur. Et proculdubio, ſapientiæ filiis multo gratior eſt opera rebus adhuc obſcuris impenſa, & acceptius rei literariæ cenſus ampliandi ſtudium, quam improbus ille res tritas novis tantum phraſibus exornandi labor; unde liber editus, veluti ficus maledicta, ſpem ludit, folia magis quam fructus gerens. Si quis itaque mihi crimini vertat, quod res novas & doctorum calculo nondum decoratas, in vulgus proferam; hujuſmodi profecto crimen eſt, quod ipſe faterl malim quam non admittere. Quid enim in ſcenam, veterem tantum fabulam acturus, prodiret quiſpiam? Sed ut rem ipſam eloquar; cuivis chartas haſce non oſcitanter perlegenti pateat, me non tam dogmata nova proferre, quam vetera & Patrum ſuffragiis plurimum firmata revocare. Auſim enim dicere, modernos interpretes nunquam longius a Patrum ſenſu recedere, quam cum in Moſis legibus explicandis occupantur. Neque vero, quid cauſæ eſt, cur quis nova aliqua (ſi forte protulerim) tam moleſte ferat: nam rituum Judaicorum rationes, non ea

a Πολλαὶ γὰρ αἱ μεγάλαι φύσεις καινοτομοῦσι τῶν εἰς ἐπιστήμην. *Phil. de vit. Moſ. l. 1. p. 605.*

ſunt

ſunt, in quibus cardo religionis aut ſalutis vertitur. Res ſunt a fidei ſundamentis tam longæ diſſitæ, quod ſæpe nihil officiet pietatis rationibus, ſi in hanc aut illam ſententiam inclinet lector. Deinde, cum *lingua doctorum* jam utar, a mobili vulgo ſejungi videar, & doctos tantum alloqui, qui *omnia probare* norunt, *& quod bonum eſt retinere.*

Tertio: facile præſentit animus, nonnullos hinc etiam cavillandi anſam arrepturos, quod legum rituumque non paucorum rationes intactas prætercam, unde præſens opus nec tituli ſui promiſſis, nec lectoris forte deſideriis, reſpondere poſſit. Nam *quidam* (*S.*[a] *Hieronymo* dudum obſervante) *in eo ſe diſertos arbitrantur & doctos, ſi alieno operi detrahant, & non quid ipſi poſſint, ſed quid alii* non *poſſint, dijudicent.* & tertio.

Ingenue fateor, me rituum nonnullorum origines doctiorum indagationi reliquiſſe, nec id mihi negotii dediſſe, ut legum Moſaicarum omnium cauſas proximas inveſtigarem. Res hæc operoſa eſt admodum, & (fateri non pudet) vim noſtram ſuperat. Nil mirum, ſi Dei conſilia, in legibus aliquibus inſtituendis, nobis plane ἀνεξιχνίαστα videantur, cum in hac vetuſtatis caligine conſtituti ſimus. Tempus nobis tam iniquum fuit, ut non tantum præcipua gentium antiquiorum monumenta, ſed & auctores pleroſque omnes, qui olim circa materiam noſtræ cognatam laborarunt, illius injuria deſideremus. Jamdudum enim periit liber *Socratis*, περὶ ὁσίων ſcriptus, a [b] *Plutarcho* memoratus: eodem infelici fato uſus eſt liber ille *Joſephi*, quem ſe περὶ ἐθῶν καὶ αἰτιῶν de Judæorum *moribus & ſacrorum cauſis*, [1] exaraſſe [c] dicit: intercidit etiam *Manethonis* volumen, [d] *de ritibus Ægypti* [2] ſcriptum: ante multa ſecula literatis deſuerunt, *Trebatius de religionibus*, & *Atteius Capito de jure ſacrificiorum*, quorum [3] *Macrobius* meminit: temporis injuriæ ceſſit, aut cum blatta & pulvere alicubi contendit, *Michaelis Pſelli* liber, Περὶ Θυτικῆς ἐπιστήμης, *de ſcientia ſacrificiali* [e] Leoni Allatio memoratus: deſideratur *Nymphodorus Amphipolites*, quem [f] Clemens, [περὶ] νομίμων [τῆς] Ἀσίας, de ritibus & *inſtitutis Aſiæ*, ſcripſiſſe refert: periit etiam opus illud [g] *Hecatæi*, quod Ægypti theologiam, æque ac juriſprudentiam, complectebatur: cogimur etiam [h] *Diodori*, epiſcopi Tarſenſis, librum, περὶ ζώων καὶ θυσιῶν, a *Suida* memoratum, inter deſiderata numerare: jam irritis votis perſequimur [i] *Ammonium* περὶ βωμῶν καὶ Θυσιῶν: [k] *Philochorum* περὶ ἱερῶν: *ſacros Ægyptiorum commentarios* a [4] *D. Siculo* ſæpe laudatos? & *Senecæ* librum de [l] *ſacris Ægyptiorum*: neque hic ſilentio premendus *Callimachus*, cujus [m] *Cælius Rhodiginus* his verbis meminit: *magnam fecit jacturam Græcia, magnam & nos poſt illam, interceptis, aut vetuſtate aut temporum incuria, Callimachi* Ætiis; *quo opere, is, multorum, quæ ad ſacra pertinerent, cauſas, principia, & origines,* (*hæc enim omnia* αἴτιον *Græcis indicat*) *ingenioſe rimabatur.* Si modo hi, & alii veteres auctores, qui in ſacris gentium ritibus & inſtitutis memoriæ tradendis laborarunt, hodie ſupereſſent; multum inde lucis, ad Hebræorum leges & earum origines illuſtrandas, eliceretur. Nunc autem difficile eſt, legum nonnullarum cauſas, niſi conjecturis incertis, inveſtigare; quod horum auctorum lampada deſideremus: nam inde factum eſt, quod tenebris tam craſſis involvantur temporum antiquiorum ritus & inſtituta, quæ nonnullas Hebræorum leges inſtituendi cauſas adminiſtrarunt.

Cum itaque in tam lubrico & obſcuro jam verſer argumento, ſatis habeo, legum earum *omnium* cauſas generales, & *præcipuarum* ſolummodo cauſas ſpeciales, in apricum proferre. De legibus autem quæ diligentiam aut captum meum effugerent, dicere liceat, quod [5] *Cajetanus* de apocalypſi, *exponat cui Deus conceſſerit.* Potui quidem inſcitiam meam ſpecioſis conjecturis aut fictis allegoriis quandoque diſſimulare: at longe præſtat ingenue fateri, nonnulla in Dei lege captum meum excedere, quam legis tam ſanctæ majeſtatem conjecturis audacibus violare, aut vulgares *Moſis* interpretes imitari, qui, circa legis alicujus cauſam hærentes, allegoriarum fumum lectoribus offundere ſolent, ut quovis pacto ſe expediant.

Quarto: nonnulli forſan chartas haſce minoris æſtimabunt, quod argumentum multorum manibus tritum in medium ferre, & cramben (non bis, ſed) ſæpe reco- Præjudicio quarto ſatisfactum eſt.

a *Proœm. comment. in l. 2. Hoſ.* T. 3. col. 1268. b *In lib. de Iſid.* T. 2. p. 364. c *Antiq. l. 4. p. 161.* d *Euſeb. Præp. l. 4. p. 155.* e *Diatrib. de Pſellis & eorum ſcrip. p. 28.* f *Strom. l. 1. p. 383.* g *Laert. in proœm. p. 3.* h *In voc.* Διόδωρ. μόναχ. i V. *Harpocrat.* in voc. Ἀμαζόνιον. k ibid. in voc. χύτροι. l V. *Servium* in Æn. 6. 154. p. 406. m *Lect. Antiq.* l. 12. c. 1.

1 Non conſtat *Joſephum* librum illum ſcripſiſſe: in loco quidem laudato, ejuſmodi opus pollicetur; quod prius erat pollicitus, ſub finem *Præfat.* ad Antiquitatum libros. vid. Spencer. p. 13.

2 Apud *Euſeb.* titulus eſt, περὶ ἀρχαϊσμοῦ καὶ εὐσεβείας.

3 V. *Saturnal.* l. 3. cap. 3. 11.

4 *D. Siculus* loquitur de ταῖς ἱεραῖς ἀναγραφαῖς. *Bibl. Hiſt.* l. 1. p. 56. & τοῖς ἐν τῆς ἱεραῖς βίβλοις νόμοις, p. 74.

5 V. ultima Tom. 5.

ctam ingerere, videantur. Nam multa Judæorum ſcripta, pene tota, verſantur in legum Moſaicarum rationibus aſſignandis: e Chriſtianis etiam nonnulli, in hoc argumento, non vulgari cum laude laborarunt: adeo ut, in hoc uberi dicendi campo, meſſis potius operario, quam operarius meſſi, deſuiſſe cenſeatur.

At & hoc præjudicium *non habet pedes*, quod a Judæis de mendacio dici ſolet: nam *Judæos* quod attinet, in legis intellectu, veteri ſacrorum uſu, & ſenſu cabbaliſtico, perveſtigando, multo cum acumine verſantur quidem: at ſi demas *Maimonidem*, ejusque ſectatores, vix ulli legum aut rituum Moſaicorum rationem ſolidam & ex antiquitate depromptam reddiderunt. Fruſtra erit, qui gemmam illam in ſcriptorum Rabbinicorum ſterquilinio ſtudet invenire. Quid enim expectandum a gente, tot infortuniis vexata, tot auctorum ſuorum jacturam paſſa, artium & hiſtoricorum ethnicorum adminiculis plerumque deſtituta, opinionis de legis Moſaicæ perpetuitate tam fervide ſtudioſa, & rituum legalium cauſas tacere, vel ſola ingenii ſagacitate venari, ſolita? Neque hoc argumentum felicioribus auſpiciis a *Chriſtianis* tractatum inveniemus: nam eorum nonnulli, legis aut ritus alicujus rationem redditurі, ſtatim Rabbinos conſulunt, & eorum ſententia prolata, ita ſe parant, quaſi nullam ipſi rationem de cætero quærendam exiſtimarent. Alii, Judæorum leges datas aſſerunt, ad res ethicas, phyſicas, aut evangelicas tantum adumbrandas: unde venit, quod Moſes in tot rerum ſpecies transformetur, & Legis vis & intellectus in quemlibet ſenſum & opinionem non raro transferatur. Ne nimius ſim: interpretes plerique, legum Moſaicarum cauſas tam frivolas, arbitrarias, & a legum earum majeſtate alienas, afferunt, ut eas exponant quidem, ſed atheorum ſannis & cavillis. Romanos antiquos ea religio tenuit, ut leves & nugaces rituum ſacrorum cauſas in vulgus edi minime paterentur; ne conſultiſſima numinis inſtituta ridicula viderentur. Nam libros memorat [a] *Aurelius Victor* a Terentio quodam exaratos; *qui libri*, inquit, *quia leveis quaſdam ſacrorum cauſas continebant, ex auctoritate patrum cremati ſunt.* Et ſane, legis & religionis honori maxime conſultum eſſet, ſi libri, rituum ſacrorum cauſas leves & nulla ratione ſuffultas continentes, in ignem potius quam lucem mitterentur. Sed nolo diutius ungues meos in hoc ulcere detinere.

Hæc ea ſunt, quæ in univerſum præmittenda cenſui, ut lector ad ſequentia pede minus offenſo progrediatur.

a *L. de vir. illuſtrib. p. 31.*

LIBER

LIBER PRIMUS,

In quo fuſe agitur

DE

RATIONIBUS LEGUM JUDAICARUM GENERALIBUS,

Cui etiam ad calcem adduntur

DISSERTATIONES DUÆ,

DE

THEOCRATIA JUDAICA

UNA,

DE

LEGE USURAM PROHIBENTE

ALTERA.

ὥσπερ τῆς μὲν σελήνης καλῆς οὔσης, τοῦ δὲ ἡλίου κρείττονος, εἷς ἐστιν ὁ δημιουργός· οὕτω καὶ παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης εἷς νομοθέτης, ὁ σοφῶς, — καὶ καταλλήλως τοῖς καιροῖς νομοθετήσας.

ID EST

Quemadmodum & pulchræ lunæ, & pulchrioris ſolis, unus idemque *effector eſt; eodem modo & veteris & novi Teſtamenti unus* atque idem eſt *legiſlator, qui ſapienter, & ad tempora accommodate, leges tulit.*

Iſidor. Peluſiot. lib. 2. epiſt. 133.

LIBER PRIMUS.

IN quo fuſe agitur

DE GENERALIBUS

Legum & rituum Judaicorum cauſis.

CAP. I.

PRIMARIAM *legis ritualis rationem aut ſcopum fuiſſe idololatriæ Iſraeliticæ abolitionem.*

IN prolegomenis id operam dedi, ut leges Moſaicas non ſine ratione, quanquam mutabili & temporaria, datas evincerem; & rationem illam multis nominibus dignam eſſe, ut in ea perveſtiganda lector ſedulam operam ſtudiumque collocaret.

Ut autem ſententia hæc eo firmiore ſtet pede, & lectorem argumenti tam obſcuri ſtudioſum auxilio aliquali proſequar; mihi probandum jam ſumo, Deum leges & ritus Moſaicos, ob rationem duplicem, *primariam* & *ſecundariam*, inſtituiſſe. Ratio legis *primaria* erat, ut lex ea medium eſſet ordinarium, quo Deus ad idololatriam abolendam, & Iſraelitas in ipſius fide cultuque retinendos, uteretur. *Secundaria* erat, ut legis iſtius ritus & inſtituta rerum altiorum σκιαγραφίαν quandam exhiberent, & rebus quibuſdam evangelicis & officiis moralibus, tanquam in typo vel imagine repræſentandis, inſervirent.

Deum eo quo dixi conſilio legem ritualem tradidiſſe, duplici teſtimonio ratum firmumque faciam. Nam primo, cauſam utramque verbis hiſce complexus eſt [a] *Steuchus Eugubinus: intelligimus omnia fere, quæ in Levitico ad cultum divinum exhibendum præcepta fuiſſent, majorum rerum quaſi typum eſſe, & non eſſe ſimpliciter & ſecundum corticem intelligenda:* hanc cauſam Legis *ſecundariam* nuncupavi. Hiſce continuo ſubjungit; *pleraque etiam inſtituit Deus, ut ritus antiquorum transferrentur in cultum divinum, aut etiam penitus extinguerentur.* Hoc eſt, ut hoc vel illo modo, idololatria radicitus evelleretur; quibus cauſam quam dixi *primariam* aſtruit. Teſtis mei ſecundi vice fungatur *Grotius*, hoc teſtimonio ſententiam noſtram cohoneſtans. [b] *Ritus Judaici ſuam quidem habuerunt utilitatem ad avertendum populum ab extraneo cultu, ſimulque ad præparandos animos ad majora.* Et [c] alibi *legem illam ritualem,* inquit ille, *nihil in ſe habentem aut boni aut mali, ſed in hoc repertam, primum ut iſtis ritibus onerata plebs rituum amans, eo minus cauſa haberet ſequendi ritus idololatricos; deinde ut ſub illis figuris res intelligerent majores.*

Ad id quod prius dicere cœperam, jam revertendum eſt. Quo legis iſtius rationi quam *primariam* dixi, ſua conſtet veritas, hæc duo mihi incumbunt probanda:

Primo: Iſraelitas, in Ægypto, & Ægypto recens egreſſos, gentem fuiſſe idolis & moribus Ægyptiis addictiſſimam.

Secundo: legem ritualem ad idololatriam, Ægyptiam inprimis, inhibendam & abolendam, primario fuiſſe promulgatam.

a Comment. in *Num. 6.* b Annot. ad *S. Joan. 4. 23.* c Annot. in *Ep. ad Epheſ. 5. 10.*

SECT. I.

Iſraelitas in Ægypto, & recens egreſſos ex Ægypto, gentem fuiſſe idololatriæ deditam.

Iſraelitas idolis impenſe deditos in Ægypto,

ISRAELITAS, ſub prima incolatus Ægyptiaci tempora, ſcientiæ divinæ lampada a patribus acceptam habuiſſe, & religionem avitam integram & illibatam diu tenuiſſe, nobis facile perſuadeamus. At lumen illud ſeculis labentibus obſcuratum fuiſſe, pleroſque omnes a patrum ſuorum fide tandem deſciviſſe, & ſuperſtitionis Ægyptiæ fæces imbibiſſe, nihil dubitationis apud conſultos habere poteſt.

probatur ratione,

NAM Iſraelitæ non tantum Ægyptiis uſu longo jungebantur, ſed duram & diuturnam in Ægypto ſerviebant ſervitutem. Alii lateres coquere, quidam ſtipulas undique corraſas convectare, pars lutum aſportare, poſtremo omnes ſervilibus officiis intenti vitam agere. Nec quies ulla tam miſeræ ſervituti data eſt: ſemper enim inſtabant operum exactores, in ceſſantium terga pugnis fuſtibusque ſævientes. Tam ſervilis autem & infelix vivendi conditio, hominum animos anguſtos reddere ſolet, rerum cæleſtium cura vacuos, & in dominorom ſuorum mores & ingenia pronos. Sed ſi conditionibus æquioribus in Ægypto vivere licuiſſet Iſraelitis, fieri tamen vix potuit, quin, barbaris Ægyptiorum moribus aſſueti, mores & ipſi barbaros haurirent, & ab Ægyptiis tandem nomine ſolo diſcreparent. Deinde: ſub ea tempora nox cæca & horribilis terrarum orbi incubuit, & idololatria (tanquam *peſtis in tenebris ambulans*) mortalium pene nmnium animos pervaſit; nec facile credi poteſt, Hebræorum imbecillitatem peſti illi tam late graſſanti reſiſtere potuiſſe.

Scripturæ teſtimoniis,

SED quid opus eſt argumentis, cum dubitationem omnem præſcindant tot Scripturæ teſtimonia, quibus liquido conſtat Hebræos in Ægypto commorantes, non minus Ægypti numinibus quam mandatis ſe morigeros præbuiſſe. Horum primum occurrit, *Joſ.* 24. 14. *Auferte Deos, quibus ſervierunt partes veſtri* in Meſopotamia *& in Ægypto.* Idem Dei ipſius teſtimonio firmatum reperiamus, *Ezec.* 23. ubi fictis nominibus Judam & Iſraelem deſignat, iiſque probro vertit quod in Ægypto idola & Deos ſtercoreos honorarent: *fili hominis,* [a] inquit, *duæ mulieres, unius matris filiæ, fuerunt* quæ *fornicatæ ſunt in Ægypto, in adoleſcentia ſua ſcortatæ ſunt: ibi preſſa ſunt ubera earum. Major* Ahola dicta eſt, *& ſoror ejus* Aholiba. *2 Reg.* 21. 15. Et verſ. 8. *Scortationes ſuas ab Ægypto allatas non dereliquit:* verſ. 19. *Multiplicat ſcortationes ſuas, recordando dies pueritiæ ſuæ, quibus ſcortata fuit in terra Ægyptiorum.* Et verſ. 21. *In memoriam revocas ſcelus pueritiæ tuæ, cum mammæ tuæ ab Ægyptiis ſubigerentur.* In eandem ſententiam, ni fallor, loquitur Deus apud Hoſeam, *Cap.* 11, 1. 2. *Quum puer* eſſet *Iſrael, dilexi eum, & ex Ægypto vocavi filium meum: ſicut vocaverunt eos* [Ægyptii] [b] *ſic abierunt a facie mea: ſacrificaverunt Baalim, & ſculptilibus ſuffitum obtulerunt.* Veriſimile eſt autem Iſraelitas, animos in Ægypti ritus & idola tam propenſos habuiſſe; quod Ægyptii rerum omnium affluentia & ſapientiæ maxime fama diu floruiſſent: adeo at eorum proſpera fortuna ſimul & præclara ſapientia religionem præcipue Ægyptiaeam commendare viderentur.

veterum ſuffragiis,

QUANQUAM tam diſerta ſcripturæ teſtimonia nullum relinquant dubitationi locum, non tamen otioſum plane fuerit, ex antiquis nonnullos ejuſdem veritatis teſtes appellare. Inter eos *Euſebium* inprimis huic veritati ſic ſuffragantem accipiamus: [c] *cum longa per Hebræos poſterorum ſeries eſſet in Ægypto propagata, & ex iis conflata Judæorum natio multa indies ſobole gliſceret;* ſactum eſt neſcio quo pacto, ut *cum prima illa quam a Deo chariſſimis majoribus acceperant, pietatis ac religionis inſtitutio, debilitata paulatim obtuſaque hebeſceret,* τὰ δὲ τῆς πρὸς Αἰγυπτίους διατριβῆς τούτου τῆς τῶν ἀνθρώπων κατείχεν ἀληθοῦς, ὡς τῆς μὲν πατρίου ἀρετῆς εἰς λήθην ἐλθεῖν, &c. *Et Ægyptiorum ſocietas & communio, rerum antea revelatarum multitudini prævaleret; ut virtute patria oblivioni tradita, ſic Ægyptiorum mores ac ritus induerent, ut nihil inter utriusque populi vitæ genus diſcriminis eſſe videretur.* Ejuſdem veritatis teſtem ſe præbuit [d] *Theodoritus, Maimonides* etiam de idololat. cap. 1. §. 10. Ubi de Jacobi filiis in Ægypto habitantibus verba faciens, *illic,* inquit, *redierunt* ור מעשיהם ולעבור ע ז *ad diſcenda illorum* (Ægyptiorum) *opera & idola* exemplo eorum *colenda.*

a Verſ. 2, & 3. b Ἀπώχοντο ἐκ προσώπου μου. LXX. c *Lib. 7. de Præp. Evang. c. 8.* d *In Cantic. T. 1.* p. 989. Et ſerm. 2. περὶ ἀρχῆς. T. 4. p. 496.

SED

SECT. I.

populi moribus,

Sed profectò ſi ſiluiſſet ſcriptura, *Euſebius*, *Theodoritus*, *Maimonides*, alii; ipſi mores populi, Ægypto nuper egreſſi, exclamarent, eoſque peſſimis Ægypti religionibus addictos aperte teſtarentur. Nam, obſervante R.[a] Juda, *ubicunque conſederunt Iſraelitæ in deſerto, ibi confecerunt ſibi idola.* [b] Stercoreos gentium pene omnium, Ægypti præcipue, deos in eorum ſinum recipere, & ſanctiſſimas Dei ceremonias cum ſpurcis ethnicorum ritibus commutare, nulli dubitarunt; quanquam experientia triſti frequenter edocti, ſe vanitatem illam pn is graviſſimis luituros. Quid autem Iſraelitæ, gens a Deo culta, fructus adeo infelices ederent, niſi quod magna tenacitate ſuperſtitionis Ægyptiæ reliquiæ radicibus altiſſimis in eorum animis defixæ remanerent? Deinde: ſi populi mores in hiſtoria ſacra memoriæ proditos obſervemus, eos hodie ſe Deo voventes inveniamus, cras idolis; nec citius Deum ſuperſtitionis Ægyptiacæ hydram decollaſſe, quam monſtroſa ejus capita denuo repullularent: hinc autem Iſraelitas idolis, & moribus Ægyptiis aſſuetos fuiſſe, ſecure colligamus; nam faces quæ citiſſime flammam concipiunt, paulo ante accenſas fuiſſe, nnn facile dubitandum eſt. Præterea, plerique ex iis quos Deus ex Ægypto duxit, in deſerto ceciderunt, quod ferrea contumacia obſtipi, ad Dei legem ſervandam nulla machina flecti potuiſſent. Atque hinc etiam indicium haud obſcurum moris idololatrici in Ægypto hauſti ſuppeditatur: quid enim tanta cum pertinacia colorem alium bibere recuſarent Iſraelitæ, niſi quod nigro ſuperſtitionis Ægyptiacæ colore prius inficerentur?

& exemplis ſpecialibus,

Nec moribus tantum generalibus, ſed ſpecialibus exemplis evinci poteſt, Iſraelitas moribus & idolis Ægyptiorum ſe ſervos præbuiſſe, cum in Ægypto verſarentur.

quorum 1m cultus vituli aurei,

Nam primo: vitulum aureum in deſetto coluere, numinis & cultus illius formam & exemplar ab Ægypto mutuati. Vitulus ille aureus partes in varias diviſit eruditos: multis perſuaſum eſt, juvencum illum ad imitationem *Apidis*, aut animalis in Ægypto ſacratiſſimi, fabrefactum fuiſſe. Hanc ſententiam aſtruit [c] Philo, [d] Targum Hieroſolymitanum, [1] [e] *Lactantius*, [f] *S. Hieronymus*, [g] *Kireherus*, [h] *Bochartus* & auctores ab eo citati; qoibus & accedit *Grotius*, in *Mat.* 5. 45. ubi inquit, *Ægyptios conſtat ante Hebræorum exitum bovis ſimulacrum coluiſſe: nam inde fœdæ ſuperſtitionis exemplum ad Hebræos manavit.* Hoc [2] *Epiſcopius*, & alii non obſcuri nominis auctores, auribus parum æquis audiunt, & multis rationibus contendunr, vitulum illum, non idolo alicui Ægyptio [*Apidi* puta vel *Oſiridi*] ſed Jehovæ ſacrum fuiſſe; & Iſraelitas vitulum illum effinxiſſe, ut Deo vero, quanquam ritibus & ſymbolis ad uſum Ægypti conformatis, honorem exhiberent. Incredibile eſt, inquiunt, Iſraelitas a mente & ratione omni, tam cæco impetu ferri potuiſſe, ut vitulum Deum illum ſerio crederent qui eos ex Ægypto liberaſſet. Nnnnullis autem non minus abſurdum & fidei diſſonum videtur, craſſum illum & idololatriæ Ægyptiacæ ad inſaniam pene addictum populum, Deum, quanquam ſub uſitato *Apidis* aut *Oſiridis* ſymbolo, colere voluiſſe; vel tam caute & quaſi critice peccare, ut ſummam tantum idololatriæ cutem & ſuperficiem ſtringerent, ritus & ſymbola quidem Ægypti (ſed mente ſimplici & Deo devota) retinentes. Aliorum mentibus fixum & immotum ſedet, ipſum *Aaronem* vitulum illum, non ad *Apidis* (abſit, inquiunt, ut quiſpiam Dei pnntifici tam inſulſe conviciaretur) ſed *Cherubi* exemplar efformaſſe, cui Deum inſidentem viderat *Aaron*, cum ſibi ipſi [i] in monte apparuit & ſenioribus. Non eſt inſtituti mei ſententias illas, aut rationes in earum patrocinium adductas, in examen vocare; cum hoc a pleriſque in confeſſn ponatur, Iſraelitas vitulum fabricantes Ægyptizaſſe, & honorem, ſpeciem ſaltem cultus Ægyptiaci præferentem, Deo præſtitiſſe. Rei hujus indicium ſatis apertum eſt ipſe vituli cultus, *Apidis* ceremoniis affinitate & ſimilitudine conjunctiſſimus. Hoc ſuſe probavit *Kircherus*, ad quem lectorem ceremonias illas cognoſcendi ſtudio ductum remitto; ſuprema tantum auctoris verba, de hoc argumento differentis, appoſuiſſe contentus: [k] *ex his omnibus rite inter ſe collatis, tandem concludimus, omnem illum* μοσχολατρείας *Hebræis uſitatæ proceſſum, ab Ægyptiis ad Hebræos immediate profluxiſſe: probatione id non indiget, cum & ritus in conflando vitulo adhibiti, tripudia, convivia, chori, inſana vociferatio, decircinationes figurarum in vitulo ab Aarone factæ* (addo ego, [l] fornicatio & populi nuditas, dum ritibus illis vacarent) in Apidis cultu frequentes, id *ſatis ſuperque demonſtrent.* Unde factum eſt autem, ut Iſraelitæ vitulum, eumque ritibus iiſdem quibus Ægyptus *Apin*, colerent; niſi quod hujuſmodi præ-

a *In Pirk. Eliez. c.* 47. b *Deut.* 13. 6. 7. *Judic.* 10. 6. c L. 3. *de vit. Moſ. p.* 677. & *l.* 2. *de monarch* 823.
d In *Exod.* 32. 6. e De *ver. ſap. p.* 187. f *Comment. in Hoſ.* 4. *T.* 3. *col.* 1263. g *Oedip. Ægypt. T.* 1. *p.* 296.
h De *animal. ſacr. P.* 1. *l.* 2. *col.* 346. i *Exod.* 24. 10. k *Oedip. Ægypt. T.* 1. *p.* 300. l *V. Hammond. not. in* 1. ad *Cor.* 10. 7.

1 Vid. *Polyglot. Walton.* Tom. 4 de cultu imagin. cap. 2. 3. | 2 Vid. Epiſt. ad *Petr. Wading.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

SECT. I. cipue ceremoniis aſſueti eſſent in Ægypto, & in deſerto *veterem* (quod [1]Perſius habet) *pelliculam* retinerent? [a] *Monceius* equidem Aaronem imaginem illam forma vitulina finxiſſe dicit, ut eo propius accederet ad figuram cherubi quo Deus vectus erat, cum Aaroni & ſenioribus ſe videndum præbuit. Hoc autem inter *Monceii* ſomnia ex porta eburnea numerare non dubitemus: nam cherubi (quod [2]alibi docemus) figuræ mixtæ fuere, & a forma mere vitulina longiſſime receſſere. Deinde, [a] *Moſem*, *Aaronem*, *Nadab* & *Abihu*, Deum Iſraelis vidiſſe, & Deum *ſub pedibus tanquam opus lapidis Sapphirini, aut tanquam cælum cum ſerenum eſt*, habuiſſe legitur. Imo Deus diſerte [b]negat ullam animalis ſpeciem Iſraelitis tunc temporis apparuiſſe. Hoc itaque argumentum in cl. [c]*Seldeni* verba deſinat, *Ægyptia ſuperſtitione inquinatos Iſraelitas vitulum aureum coluiſſe, certum eſt.*

2m. cultus τοῦ Chijun, numinis Ægyptii, in deſerto. QUANQUAM vituli jam dicti cultus, ſuperſtitionis in Ægypto hauſtæ exemplum (ſiquid ipſe video) manifeſtum præbeat; quoniam tamen nonnulli e doctis alia omnia ſentiunt, aliud exemplum in medium jam proferam, vix ullum dubitationi locum relicturum. Occurrit autem *Amos 5.* ubi propheta, de populi moribus in deſerto loquens, [d] inquit, καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ, καὶ τὸ ἄστρον τοῦ Θεοῦ ὑμῶν Ῥαιφὰν, καὶ τύπους οὓς ἐποιήσατε ἑαυτοῖς. Sic textum reddit exemplar [e] Alexandrinum, [4]quod ſequi viſum eſt, quod exemplar illud ſenſum maxime cohærentem, & gentium antiquiorum mori conſentaneum, hic fundere videatur. Nam gentes antiquæ tribus rationibus cultum prophanum exercebant, quæ verbis hiſce clare continentur: vel enim deorum ſuorum [f]σκηνώματα fabricabant, eoſque ἐν σκηναῖς aut lecticis ovantes circumferebant; vel ſydera colebant, eorum ſplendore perculſæ, deoſque ſuos in ſydera translatos exiſtimantes; vel denique deorum ſuorum typos, ſymbola, & imagines effinxerunt, quibus etiam cultum religioſum tribuerunt. Ex hoc autem *Amoſi* loco ſic breviter explicato, duplex argumentum ad probandum Iſraelitas idololatriæ reos in Ægypto, deducamus: nam (1°.) hoc in loco *Remphan* coluiſſe dicuntur, qui deus Ægyptius erat, nomen accipiens ab Ægypti rege [g]*Remphis* [5] dicto, cui Ægyptii divinos honores decreverunt. Eo vero vocabulo LXX vocem prophetæ [*Chijun*] reddidere, ob rationes quas, occaſionem magis commodam & idoneam nactus, allaturus ſum. (2°.) Hic etiam facinus illud in ipſo deſerto, ſtatim ab exitu ex Ægypto, patraſſe dicuntur. Nam ad hunc modum ſe habet locus integer: *numquid hoſtias obtuliſtis mihi quadraginta annis in deſerto o domus Iſrael? Et portaſtis tabernaculum Moloch & Chijun*, &c. Cum itaque Iſraelitæ cultum nemini Ægyptio in ipſo deſerto dederint, opinari par eſt, eos antiquum obtinuiſſe, & ſuperſtitionem tantum in Ægypto hauſtam exercuiſſe.

Obj. HIC forſan objiciet non-nemo, quod *Molochi* & *Chijuni* apud Amoſum quidem occurrat mentio, quaſi Iſraelitæ deos illos in deſerto coluiſſent; cum Moſes aureum vitulum a populo cultum referat, de *Chijun* autem & *Remphan* ne verbum habeat. Cum itaque Moſes, hebræorum mores in deſerto referens, nullam numinis hujuſce mentionem faciat; haud facile eſt credere, populum illum hunc etiam cultum idololatricum ad peccatorum ſuorum cumulum adjeciſſe.

Sol. RESPONDEO: ſatis ad fidem eſſe, quod ſcriptura, quamvis non in hiſtoria Moſis, in hac Amoſi prophetia, *Remphan* & illius cultum memoriæ conſignaverit. Neque eſt quod cenſeat quiſpiam, me jam evadere potius quam reſpondere: cum [h]*S. Hieronymus* ſimili nodo ſimilem cuneum adaptaverit: nam lucem allaturus verbis illis prophetæ, *levavi manum meam in eos in ſolitudine, ut diſpergerem eos in nationes, & ventilarem in terras*; "ubi, (inquit) in veteri teſtamento, contra filios eorum qui in "ſolitudine corruerunt, Dominus levaverit manum ſuam volens eos diſpergere in na"tiones, ſcriptura non dicit: ſed ex eo quod hic refert, factum eſſe credendum eſt. Hic ingenue fateor, me rationem ex hoc textu petitam rimis aliquot fatiſcentem jam relicturum: hanc autem culpam libro tertio redimam, ubi de his *Amoſi* verbis ex profeſſo dicturus ſum.

a *Exod.* 24. b *Deut.* 4. 15. c De *Diis Syr. ſynt.* 1. c. 4. d Ver. 26. e Idem exemplar ſequitur Origenes, his ipſis verbis locum illum reddens, & citans. L. 5. *cont. Celſ. p.* 236. f V. LXX. *in* 2 *Sam.* 7. 23. g *Lud. Cappel. in Act.* 7. 43. h *Comment. in Ezec.* 20. 23. T. 3. col. 836.

1 *Sat.* 5. 116.
2 *De vitulo aureo l.* 1. *c.* 3.
3 *Diſſert.* 1. *l.* 3.
4 Apud *Origen.* legitur Ῥεμφὰν ſive Ῥομφᾶ.

5 *D. Siculus* refert, *Remphin* per totam vitam vectigalibus opibuſque accumulandis occupatum: hinc *Lud. Cappel.* conjecturam facit *Remphin* eundem eſſe cum *Pharaone* qui *Joſephum* Ægypto præfecit. v. D. *Sic. bibl. hiſt.* l. 1. p. 56.

DE

De hoc argumento (populi Iſraelitici in Ægypto degentis idololatria) eo fuſius & curatius egi, ne res hæc in dubium vocetur; adeoque præcipuum diſſertationis hujuſce fundamentum male firmum exiſtimetur: Atque hac ratione perſuaſus, tria alia, eodem facientia & e Scripturis depromta, ſubjungam argumenta. SECT. I.

Horum primum ſit hoc: raro admodum occurrit mentio cultus idololatrici, priuſquam Iſraelitæ in Ægyptum deſcenderant; frequenter autem, poſtquam Deus populum ex Ægypto liberaverat. Idololatria in cenſu peccatorum eorum graviorum minime numeratur, quæ *gehennam de cælo* in Sodomam & Gomorrham pertraxerunt: & ſi criminis tam tetri reatum contraxiſſent, minime credibile eſt hiſtoricum ſacrum iſtiusmodi crimen ſilentio præterire voluiſſe. Ut rem preſſius tangam: mentionem primam cultus profani in Palæſtina obtinentis, nobis offert hiſtoria *Jacobi*, poſtquam cum *Sichemitis* conſuetudinem habuiſſet. Ab iis autem diſceſſum faciens, altare Deo ſtruxit in *Bethel*, & familiæ ſuæ mandatum dedit ut [a] *deos* eorum *alienos* abdicarent. Ab eo vero tempore, de idololatria ne verbum quidem factum legimus, donec Iſraelitæ Pharaonis jugum exuiſſent, Ægypto egreſſi, ſervitutem longam & vix verbis aſſequendam toleraſſent. Sub ea nempe tempora, cultus deorum exterorum ubique vapulat; mandatis idololatriam prohibentibus nihil ſe frequentius ingerit, & tota hiſtoria nil præter cultum Ægypti ſpirat & ſervitutem. Et eo ipſo in capite ubi Deus quatuor præcepta contra ſeculi peſtem, idololatriam dico, tradidiſſet; aliud mandatum inſerit ex improviſo, [b] ne *deos aureos & argenteos*, ad morem ſcilicet Ægypti, *facerent*.

Ratio vero ſtyli ſcripturæ tam inſigniter mutati nulla probabilior aſſignari poteſt quam verbis [c] *Theodoriti; in Ægypto diutiſſime verſati fuiſſent Iſraelitæ*, & ibi multorum Deorum cultum ritu Ægyptiaco didiciſſent; deos & ritus Ægyptios intimis eorum cordibus infixos geſſerunt, iiſque ex incolatus Ægyptiaci memoria penitus adhæſerunt; juxta Dei per prophetam verba, [d] *dixi ad eos, unusquisque abominationes oculorum ſuorum projicite, & in idolis Ægypti ne polluatis vos, --- At noluerunt parere mihi* &c. Hinc itaque ratio petenda, cur tantum diſcriminis inter ſcripturam ante exitum Hebræorum ex Ægypto, & ſeipſam poſt exitum eorum loquentem intercedat. Iſraelitæ Ægypto nuper egreſſi, multum fermenti Ægyptiaci monitis & mandatis frequentibus expurgandi contraxerunt; & inter deos & lateres Ægypti diutius verſati fidem [illegible] pene totam oblivioni tradiderunt. Scriptura itaque ſe ad morem & modulum populi accommodavit, qui in mores Ægypti tranſierat, & (ſemipaganus jam factus) novas leges, & methodum medendi plane novam poſtulavit.

Secundo: cum id ageret Deus, ut populum ab Ægypti ſervitute liberaret; ita parata ſunt omnia, ut *Deus Iſraelis* Ægypti deos ludibrio exponeret, eosque, una cum cultu eorum, vanitatis poſt natos homines maxime redargueret. * Sub ea nempe tempora, Deus nomine *Jehovæ*, ceu proprio & peculiari, notari voluit; ut ſe Deum æternum, ſuaque natura exiſtentem, denotaret; & Ægypti Deos plane novos & heſternos innueret; eoque nomine tacite ſugillaret. * Feſtum paſchatis, quod ab Iſraelitis Ægypto egreſſuris agebatur, ritu illo celebrari debuit, qui cum Ægypti dogmatis & idolis [illegible] erat, & eorum religionem (quod [1] alibi doceo) contumelia apertiſſima afficiebat. * Miracula inter Ægyptios edita, circa cælum, terram, aerem, fluvium, animalia, fructus arborum, aliasque mundi partes, verſabantur, quibus hic vel ille dæmon Ægyptius præeſſe & præſidere cenſebatur; adeo ut in propria quaſi provincia ſuperari videretur. * Quum Ægyptus idololatriæ dux & caput eſſet, eamque dæmones procul dubio pro virili parte ſuſtentarent, Deus copias & vires Ægypti ſic ad internecionem delevit in mari rubro, ut *Jethro* re bene penſitata, dicere non dubitaret: [e] *nunc cognovi quod magnus Jehovah præ omnibus diis, quia in re illa qua ſuperbierunt illi, ſuperiorem* ſe commonſtravit. * Cum denique populus e domo ſervitutis educeretur, *judicium* non tantum in Ægyptum, ſed Ægypti deos, exercebatur; eorum enim templa & idola funditus everſa ſunt, & devaſtata, ſervi eorum antiqui in libertatem vindicati, & leges latæ ſunt inſtitutis Ægypti plane repugnantes. His argumentis evictum eſt, Iſraelitis Ægyptum jam relicturis, rem ſic a Deo procuratam fuiſſe, ut Ægypti numina, dogmata, templa, & ſacra pleraque, in contemtum atque odium apud plebem traherentur: & populus intelligeret, Deum jam expectare, ut non cælum tantum ſed

a *Geneſ.* 35. 2, 4. b *Exod.* 20. 23. c Serm. 7. *de ſacrif.* T. 4. p. 584. d *Ezech.* 20. 7, 8. e *Exod.* 18. 11.

1 Vid. lib. 2. de lege paſchatis.

SECT. II.

& animum mutarent, & non minus Ægypti religionem quam ſervitutem abdicarent.

Tertio: e ſcriptura pateat, Iſraelitas, cum in Ægypto verſarentur, mores ſuperſtitioſos in Ægypto natos imbibiſſe. Ex iis duos tantum, brevitati ſtudens, in medium proferam. (1°.) Mos ille fœminarum, ſpeculis inſtructarum, ad fores tabernaculi catervatim convenientium, originem Ægyptiam ſapere videatur. Huic mori fidem aſtruunt ea Moſis verba, *Exod. 38, 8. Et fecit labrum chalybeum e ſpeculis mulierum turmatim convenientium, quæ ad oſtium tabernaculi conventus turmatim conveniebant. Huic loco obſcuriori* lucis non parum impertiunt [a] *Procopii* illa: *quid ſibi volunt illa ſpecula? Iſraelitæ cum verſarentur in Ægypto, coluerunt idola: ibi autem mulieres conſecratæ & dicatæ idolorum cultui ingrediuntur in templum amictæ lineis veſtibus: dextra ſiſtro, ſiniſtra ornabatur ſpeculo, pro more illorum ſuperſtitionis. Mulieres Iſraeliticæ tenebant adhuc reliquias ejus vanitatis, quas obtulerunt in ædificium tabernaculi.* [1] Loco magis opportuno fuſe docebitur, idololatricos Ægypti mores conventibus hiſce muliebribus occaſionem tribuiſſe. (2°.) Ille ritus Hebræorum, veſtes omnes deponendi, cum vituli cultui vacarent, ab Ægyptiacæ ſuperſtitionis æmulatione principia derivaſſe cenſeatur. Nam Iſraelitas, cultui vitulino vacantes, veſtes exuiſſe, & omni modeſtiæ renunciaſſe, e verbis hiſtoriæ ſacræ non difficulter intelligendum eſt: [b] *& vidit Moſes populum quod nudatus eſſet; nam Aaron diſcooperuerat eos ad infamiam inter hoſtes eorum.* Hic autem denudandi ritus originem Ægyptiam olet: Ægyptii ſcilicet, aliique e gentilium grege eo fœditatis prolapſi ſunt, ut non raro veſtes exuerent, cultus ſui ceremoniis occupati. Hoc multis veterum teſtimoniis evinci poſſet, ſi præſentis argumenti conditio pateretur.

SECT. II.

Legem ceremonialem traditam fuiſſe in remedium idololatriæ, eumprimis Ægyptiacæ.

Iſraelitas in Ægypto deditos idololatriæ.

SATIS e jam dictis intellectum eſt, Iſraelitas in Ægypto viventes lethalem ſuperſtitionis Ægyptiacæ ſuccum imbibiſſe, eoſque (ut fit) dominorum ſuorum mandatis & moribus ſe pariter attemperaſſe. Nec minus e ſcriptura liquet, eos, cum in deſertis oberrarent, multum e moribus Ægypti retinuiſſe; quamvis Deus in eorum redemptione ex Ægypto tam illuſtria bonitatis & potentiæ ſuæ ſpecimina edidiſſet.

In illius remedium legem datam fuiſſe,

Cum itaque Iſraelitæ idololatriæ morbo miſere adeo laborarent, Deo viſum eſt (ut iis medelam faceret) [c] multa media experiri, nulli ævo cognita, & quæ fide majora viderentur, niſi quod benigniſſimo numini mos ſit, ſua *omnia, pro varia* [d] *temporum conditione, ad* humani generis commodum adminiſtrare. Inter alia vero media ad peſtem illam ab Ægyptiis hauſtam (idololatriam intelligo) depellendam, nullum efficacius adhiberi potuit lege ceremoniali; quam Deus eo fine tradidit ut perpetuum extaret διατειχίσματος inſtrumentum, & populum illum, effræni impetu *in gentium ſtatuta* ruiturum, intra aliquos pietatis & obſequii limites contineret.

probatur teſtimoniis, Ezechielis,

Legem illam eo præcipue conſilio datam fuiſſe, pronum eſt cuivis e variis ſcripturæ locis intelligere. Præ aliis autem huic veritati multum præſidii præbet vigeſimum caput *Ezechielis.* Ibi nempe Deus populo in memoriam revocat idololatriam illam, qua dum in Ægypto viverent, ſeipſos inquinarunt verſ. 10, 11, 12. Poſtea gentis iſtius ingenium moremque diſtincte refert, quod ſcilicet illius ſtatuta ſpernerent, minas & promiſſa nullius æſtimarent, & Ægypti deos & ritus arctis amplexibus retinerent. Hiſce fuſe memoratis, ſubjungit com. 25. *quare & ego dedi illis ſtatuta non bona, & jura per quæ non viverent.* Adeo ut textus iſte, niſi quid me fallat, in hunc ſenſum interpretandus ſit: "Iſraelitis, nuper ab Ægypti ſervitute liberatis, leges "dedi non ſervis ſed ingenuis dignas, utpote nativa ſua bonitate commendatas, & "vitam ſincere obtemperantibus allaturas. Cum autem leges eas, utpote novas & "moribus eorum repugnantes, inſuper haberent, & in cultum idolorum perpetuo "ruerent; tandem leges alias poſui, ſua quidem natura *non bonas*, ſed quæ populum "rituum amantem occupatum detinerent, & omnem ad Ægypti mores redeundi liber-"tatem tollerent.

a *Comment. in Exod.* 38. 8. b *Exod.* 32. 25. c V. Lib. hujus cap. 16. d Κατὰ καιρὸν πρὸς τὸ συμφέρον, ἕκαστα οἰκονομεῖ [ὁ Θεὸς] τὰ τῶν ἀνθρώπων ἑκάστης γενεᾶς διορθούμενος. *Chryſoſt. in Pſal.* 109. T. 3. p. 322.

1 Vid. cap. 1. lib. 4.

Atque

Atque hæc textus hujus interpretatio quæ cæteris arridet maxime, non tantum quod molliter fluat & ſine ſalebris; ſed quod ſenſum reddat rationi coofonum, & *cum tota contextus ſerie*, *cum textus ipſius verbis*, *veterum* etiam *ſententia* cohærentem. Hoc paucis oſtenſurus ſum. In aperto eſt interpretationem noſtram cum *tota contextus ſerie* maxime convenire: nam Deus in eo capite diſcrimeo ſtatuit inter leges quas Judæis dederat, aſſerens, alias eſſe, quas ſi præſtiterit homo *vivet in eis*, com. 11. alias autem in quibus homo, etiamſi præſtiterit, *non vivet* com. 25. Cum itaque leges vitam afferentes, ſtatuta moralia fuerint, res vere bonas præcipientia; ſuadet omnis ratio, ut per leges *in quibus homo non vivet*, præcepta ritualia, [a] πρὸς ὀλίγον ὠφέλιμα, intelligamus. Sed & Apoſtolus diſcrimen ponit inter [b] νόμον δυνάμενον ζωοποιῆσαι, *legem quæ vitam dare potis eſt*, *cujus* ἐντολὴν [c] dicit ἀγαθήν; & τὸν νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς, *legem præcepti carnalis*, cujus mandato [d] τὸ ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελὲς *infirmitatem* tribuit & *inutilitatem:* Apoſtolum autem iis in locis legem moralem & ritualem intellexiſſe, cordatis omnibus extra dubium ponitur. Nec minus in propatulo eſt, interpretarionem illam *textus ipſius verbis* apprime convenire: nam phraſis illa [*ſtatuta non bona*] legibus ritualibus, iiſque ſolis, ad amuſſim quadrat: nempe *ratione materiæ*, utpote nihil per ſe eligibile & humanæ naturæ perfectivum præcipientibus, & *ratione effectus*, nam mortem quidem violantibus, quamvis non vitam obtemperantibus,attulerunt; & *ratione originis*, quia ſtatuta illa ſeculi moribus originem debuerunt, utpote ſancita ut bruto populo, in curvas gentium ſemitas alias abituro, freoum injiceretur, nec minus *ratione formæ*, titulus ille ceremoniarum legibus apprime convenit, nam, obſervante [e] *Theodoreto*, οὐκ εἶπε δέδωκεν αὐτοῖς προστάγματα κακὰ ἀλλ' οὐ καλά. *Non dixit* Deus *ſe dediſſe illis præcepta mala*, *ſed non bona; neque enim vitium edocebant*, *neque virtutis ipſa per ſe erant efficientia.* Huic interpretationi calculum adjecerunt e veterum ordine non pauci, *Juſtinus Martyr*, *Origines*, S. *Hieronymus*, S. *Auguſtinus*, aliique, quorum teſtimonia explicate tradita apud [f] *Hier. Pradum* in Ezek. & [g] *Raimundum Martinum* reperiant curioſi. In eadem ſententia erat *Cedrenus:* poſtquam enim hoc prophetæ teſtimonium contra Judæos protuliſſet, ſic tandem concludit, [h] ὥστε ἂν κατὰ τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν, καὶ οὐ κατὰ τὴν ἀγαθότητα, δέδωκεν ὑμῖν ἐκεῖνα τὰ προστάγματα πάντως· i. e. *omnino itaque leges iſtas* de ceremooiis, *non ut bonas* per ſe ſed *propter cordis veſtri duritiem*, *vobis dedit* Deus. Hiſce cognata veniunt apud [i] *Cyrillum Alexandrinum* cum *Juliano* diſputantem. Non me latet, interpretationem longe aliam viris nonnullis eruditione præſtantibus arriſiſſe: qoorum alii de mandatis a gentium regibus pro arbitrio impoſitis, alii de geotium ritibus ln pœnam permiſſis, de tributis alii, interpretanda cenſuerunt. Nil opus eſt autem ut ſententiis hiſce refellendis immoremur: cum clarum ſit *Ezechielem* hic ordine & diſtincte loqui, nempe de iis primo quæ in Ægypto, deinde in deſerto, poſtea in terra, agebantur; quin & ea ſit interpretationis veræ natura, ut per ſeipſam ſatisfaciat, & aliam quamvis alienam eſſe ſua luce demonſtret. Sect. 2.

Deum itaque legem ceremonialem ad arcendam idololatriam inſtituiſſe, e jam dictis prophetæ verbis eluceſcat: idem etiam intelligere eſt, ex aliis non minus diſertis ſcripturæ locis. Aſſerit eoim Apoſtolus, ad *Galat.* 3. 19. *legem appoſitam fuiſſe* τῶν παραβάσεων χάριν, h. e. eo quod mores idololatrici, ſummæ in legem tranſgreſſiones, plurimum invaluiſſent, adeoque lege peculiari (ut fere novis morbis nova quæruntur remedia) coerceri debuiſſet. Et com. 23. ὑπὸ νόμον, inquit, ἐφρουρούμεθα συγκεκλεισμένοι, h. e. pœnarum formidine & præceptorum anguſtia, tanquam muro quodam, concluſi tenebamur, ne ad prophanos gentium ritus prolaberemur. Optime itaque Apoſtoli ſimul & legis intentiooem aſſecutus eſt jam laudatus [k] *Cedrenus*, cum dixit, *injunxit* Deus quaſdam *ſeparationes*, *purgationes*, *ablutiones*, *decimationes*, *caſtimonias*, *feriaſque varias*, *pœnis* etiam *ſancita* omnia, ἵνα πιεζόμενοι, καὶ ὑπὸ τοῦ πλοίου ἀγχόμενοι, τῆς πολυθεΐας πλάνης ἐκτρέπωνται, *ut* his *preſſi*, *&* veluti *compedibus adſtricti* Iſraelitæ, *errorem de diis multis evitarent.* & S. Pauli.

Nil opus eſt ut plura ſcripturæ loca in medium proferam, præſertim cum ſola ratio tot argumenta ſuggerat, quæ fidem haud incertam aſſertioni noſtræ faciunt, legem nempe ceremonialem huic quam dixi cauſæ & origini tribuendam eſſe: Accedit quinque rationum evidentia.

Nam (1°.) clarum certumque eſt, viros pietate celebres, cum nulla ſubeſſet ido- Prima.

a 1 *Tim.* 4. 8. b *Gal.* 3. 21. c *Rom.* 7. 12. d *Hebr.* 7. 16, 18. e Interp. in *Ezec.* c. 20. T. 2. p. 400. f *Hier. Pradum in Ezec.* T. 1. p. 249, 250. g *Pug. fid.* P. 3. p. 808. h *Compend. hiſt.* T. 1. p. 223. i L. 9. p. 323. k T. 1. p. 239.

Sect. 2. lolatriæ ſpecies & ſuſpicio, legem illam violari non dubitaſſe. Hoc *Theodoritus* olim obſervavit: *eum*, [a] inquit, *ſciret Deus populi propenſionem ad impietatem, cultum divinum uno in loco circumſcripſit;* τοῦ [δὲ] ἐνεδείξατο, καὶ τὸν τοῦ νόμου σκοπὸν ἐπισταμένοις, ἅπας εἰς τὴν τοῦ Θεοῦ λατρείαν καθίδρυτο τόπος. *Piis* autem *& ſcopum legis intelligentibus, quilibet locus erat conſecratus ad Dei cultum.* Nam Elias, cum lex omnes ad templum vocaret, in *Carmelo* ſacrificium obtulit: Samuelem etiam in *Miſpat* rem ſacram feciſſe legimus: Samſon nullam reprehenſionem ſubiiſſe legitur, quod favum e leonis cadavere ſumptum comediſſet: David *panem propoſitionis*, quem lex divina ſacerdotibus ſolummodo ſacrum fecerat, cum fames urgeret, in cibum ſumpſit: ſacerdotes in [b] templo, variis laboribus occupati, ſabbati otium impune violarunt; cum ipſa loci & laboris ſui ſanctitas omnem idololatriæ aot legis contemtus ſuſpicionem amoveret: multis Dei veri cultoribus, paſcha celebrandi licentiam conceſſit [c] Hezekiah, licet ad legis præſcriptum nequaquam ſanctificatis. Hujuſmodi exempla tam frequentia [d] *Procopii* verbis cauſam præbuere, ἐπισημαντέον δὲ ὡς οἱ ἐπιστήμονες τοῦ προτέρου λαοῦ ἧττον ἐφρόντιζον τῶν σωματικῶν τοῦ νόμου παραγγελμάτων· i. e. *notandum eſt peritos e veteri populo minus curaviſſe corporalia legis mandata*, nempe ut ea κατὰ τὸ ῥητὸν ſemper obſervarent. Satis quæ jam dixi indicant, legis conſultos olim crediſſe, legem non tam viris datam quam νηπίοις *pueris*, & illius bonitatem non a præceptorum natura ſed fine derivatam: nam ideo legis intentionem complere, cum ab ejus litera recederent, ſatis ad juſtitiam coram Deo exiſtimarunt.

Secunda. (2°.) Nulla ratio occurrit, cur Deus tot legibus & ritibus inutilibus populum Judaicum onerare, & *cultum rationalem* pene obruere voluerit; niſi ut gravi illo jugo populum impediret, ne officii ſui cancellos tranſiliret, & ad ritus gentilium rueret. Id enim confeſſum & apertum eſt, hujuſmodi ritus nullum cum Dei natura conſenſum habuiſſe; nec tanto ceremoniarum apparatu opus fuiſſe ad pietatem colendam, qua talis eſt, quanto Judaiſmum laboraſſe conſtat. Dicendum itaque cum S. [e] *Chryſoſtomo*, Οὐ πρὸς ἀρετὴν τινα συντελεῖ νόμιμα ταῦτα, ἀλλ' ἀντὶ χαλινοῦ τινος ἦν αὐτοῖς διδόμενα, ἀφορμὴν ἀσχολίας παρέχοντα. *non ad virtutem conferunt ejuſmodi leges, ſed eis*, Judæis, *data erant pro fræno quodam*, negotii & *occupationis occaſionem præbentes.*

Tertia. (3°.) Lex ea ſolis Iſraelitis ſervanda tradebatur. Antiquis mundi patribus ignotus erat penitus oneroſus ille rituum apparatus qui poſterorum ſuorum curam & pietatem exercebat. [f] *Hebræi qui longo ante Moſem tempore claruerunt, ferendæ per eum Legis ignari*, ἐλεύθερον καὶ ἄνετον εὐσεβείας κατώρθουν τρόπον, *expeditam* quandam *ac liberam pietatis viam tenuerunt*, *moribus ad natura ductum* inſtitutis *ornati*. Nec tantum patres antiqui, ſed & Judæorum proſelyti, i. e. gentiles ab ethniciſmo converſi, vitam legum Moſaicarum vinculis ſolutam egere. Non enim opus erat, ut illi difficili legis pædagogo erudiendi traderentur, qui Dei veri fidem cultumque natura magiſtra didiciſſe videbantur. Hinc autem non obſcure colligatur, malos aliquos mores in Ægypto hauſtos novis hiſce legibus imponendis occaſionem præbuiſſe: quidni enim Iſraelitæ eadem, qua & patres ſui, libertate fruerentur, niſi quod a patrum ſuorum moribus & ingeniis in Ægypto deſciviſſent; & in gentium ſemitas certo proruiſſent, niſi Deus legum earum compedes iis injeciſſet?

Quarta. (4°.) Leges illæ tum primum Iſraelitis datæ ſunt, cum ingenii moribus Ægyptiis addictiſſimi documentum edidiſſent. Conſtat enim Deum, primo decem tantum mandata tradidiſſe, nec ullam mentionem feciſſe cultus tot operoſis ceremoniis præſtandi, cum primum Pharaonis jugum exuiſſent; ſed tum demum ingens illud legum & rituum onus iis impoſuiſſe, cum fœdus de Deo vero colendo violaſſent, & (cultu vitulino) animi moribus Ægyptiacis pertinaciter adhærentis luculentum nimis argumentum præbuiſſent. Hoc Apoſtolo obſervatum, ad *Hebr.* 8. 9. Neque hoc S. *Hieronymi* viſum fugit; nam, inquit, [g] *ante offenſam*, per vitulum, *decalogum tantum acceperunt* Iſraelitæ: *poſt idololatriam vero & blaſphemiam, multiplices legis ceremonias.* Hinc forſan Apoſtolus de lege rituali loquitur, tanquam mantiſſa quadam & re præter expectationem promiſſis & antiquis Dei inſtitutis addita; cum ait, ὁ νόμος τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη. Quem locum ſic illuſtrat [h] *Theophylactus*, καλῶς δὲ τό, προσετέθη ἵνα δείξῃ τὸν νόμον μὴ προηγουμένως δεδόσθαι, &c. *ſcite autem illud*, appoſita eſt, dixit, *ut indicet legem non eſſe præcipue ac primo conſilio datam, quemadmodum promiſſiones; ſed ve-*

a In 1 *Reg. Quæſt.* 12. T. 1. p. 239. b *Mat.* 12. 5. c 2 *Paral.* 30. 18, 19. d in 1 *Reg* 21.
e In 1 ad *Cor.* c 2. *Homil.* 7. T. 5. p. 69. f *Euſeb. præp. Evang.* l. 7. c. 6. & *Demonſt. Ev.* l. 1. c. 6.
g *Comment.* in *Exec.* 20, T. 3. col. 836. h In *Gal.* 3. 19.

luti

luti obiter additam, ob multas tranſgreſſiones, ut aliquot ſaltem cohiberet. Cum itaque cultus vitulinus legis ſanctioni cauſam dederit, inde conjecturæ locus eſt, eam ideo traditam fuiſſe, ut gentem illam ab idololatria ad patrum fidem & cultum revocaret, a quibus, ex longo cum Ægyptiis uſu & ſocietate, plurimum receſſiſſent. Sect. 2.

(5°.) Proclive eſt obſervare, Deum cuilibet legi rituali, [a] *manu elata*, h. e. proterve & ex præmeditato violatæ, ſupplicium extremum ſtatuiſſe; quum tamen peccatis ſua natura gravioribus [fornicationi, furto, proximi mutilationi, & ejuſmodi] pœnas longe mitiores irrogarit. [b] *Maimonidem* rei hujuſce rationem ſic optime reddentem audiamus: *nemo ita* [h. e. manu elata] peccat, *niſi cujus animo inſidet opinio* vel dogma aliquod *legis intentioni repugnans. Hinc communis & recepta* legis hujus *expoſitio eſt, quod* in ea *loquatur ſcriptura de idololatria eo quod ea primariis & principalibus legis fundamentis adverſetur.* Huic rationi confirmandæ argumentum præbent ipſa legis [c] illius verba, *iſte Dominum probris afficit:* h. e. Dominum ejuſque legem in cordis ſecreto pro fabula habet & inani terriculamento, ſeque ad deos & ritus gentilium denuo recipere meditatur. Cum itaque (ut inſtitutum proſequar) filii *Gad* & *Reuben* legis τὸ ῥητὸν, privatum ſibi altare ſtruendo, violaſſent; Iſraelitæ, factum illud in partem ſequiorem interpretati, armis infeſtis contra fratres prodeunt, ut eos, tanquam [d] idololatras & apertos legis contemptores, interimerent. Quo itaque filii *Reuben* omnem tanti facinoris ſuſpicionem a ſeipſis amoverent: reſpondent ſe nihil *per rebellionem aut prævaricationem*, h. e. manu elata & contra legis διάνοιαν, perpetraſſe. Quinta.

Ad rem præſentem nonnihil conferat, rationibus hiſce pauca ſubjungere veterum teſtimonia. Adduntur teſtimonia

Inter eos ſic [e] *Tertullianus* [1] inprimis nobiſcum ſuffragatur: *lex ad hoc filiis Iſrael data* eſt *ut per illam proficerent, & redirent ad bonos mores, quos cum a patribus accepiſſent in Ægypto, propter conſuetudinem barbaræ gentis corruperant.* His affinitate proxima junguntur [f] *Euſebii* verba: Ἡ μὲν [παλαιὰ διαθήκη] τοῖς ἀποπεσοῦσι τῆς τῶν προγόνων εὐσεβείας Ἰουδαίοις, τὸν Αἰγυπτιακὸν δὲ βίον καὶ τρόπον ζηλώσασι, &c. vetus Teſtamentum, *lapſis a majorum pietate Judæis, vitamque Ægyptiacam ac mores æmulantibus, & ad errorem colendi multos Deos ſuperſtitionemque gentium, quæ ſimulacra venerabantur, declinantibus, legis loco impoſitum eſt; ut & eos qui eeciderant excitaret, & præcipites ruentes in rectum duceret.* His proxime accedunt ejuſdem auctoris verba: [g] ὁ Μωσέως παρεισελθὼν νόμος, διά τις νηπίων καὶ ἀτελῶν ψυχῶν ἐπίτροπος καὶ οἰκονόμος, &c. *Moſis lex ingreſſa eſt, quaſi puerilium imperfectarumque animarum curatrix quædam & gubernatrix; aut etiam, inſtar medici cujuſdam, univerſæ Judæorum nationi, gravi Ægyptiacoque morbo laboranti, —— tradita eſt. Nam quia, cum Ægyptiis verſantes, poſt ſanctorum patrum mortem, ad morum Ægyptiacorum ſimilitudinem allecti erant, & ad multorum deorum ſuperſtitionem deciderant; adeo quidem ut Ægyptiis per omnia ſimiles, tum in errore ſimulachrorum, tum in aliis quoque facinoribus evaſiſſe viderentur; merito, quaſi ex profundo malorum ipſos hauriens Moſes, ab impia deorum multitudine amovit, & ad opificem Univerſi Deum reduxit: primum illum gradum pietatis*, in præceptis legalibus, *tanquam tot veſtibulis & introductionibus, ad perfectiora præſtruens.* Hiſce S. *Chryſoſtomi* teſtimonium, licet paulo prolixius, non gravabor adſcribere, utpote ad rem meam maxime accommodatum; [h] τῶν ἐπιταγμάτων, τὰ μὲν δι' ἑαυτὰ, τὰ δὲ δι' ἕτερα, γίνεσθαι ἐκελεύετο, &c. *e mandatis, hæc quidem propter ſe fiebant, illa vero alias ob cauſas jubebantur, ut fierent; ſicuti ſunt hæc, Deum noſſe, ne homicidium committerent, ne adulterarentur: & quæcunque talia, lege ſancita ſunt propter utilitatem ex eorum obſervatione prodeuntem.* Τὸ μὲν γε θύειν καὶ θυμίαμα προσενεγκεῖν, καὶ τηρῆσαι σάββατον, καὶ ὅσα τοιαῦτα πάλιν, οὐχ ἵνα τὰ αὐτὰ ταῦτα γίνηται ἁπλῶς, ἀλλ' ἵνα ἐν τῇ τούτων μελέτῃ, τῆς τῶν δαιμόνων ἀπάγωνται θρησκείας *atqui immolare, incenſum offerre, ſabbatum obſervare, & quæcunque talia* præcepit Deus; *non ſimpliciter ut hæc fierent, quin potius ut per aſſiduam horum curam & obſervationem a cultu dæmonum* & idolorum *abducerentur.* Addam inſuper S. *Cyrilli* verba, ne lector me injuriæ poſtularet, ſi illum teſtimonio tam diſerto defraudarem: [i] ὁ τῶν ὅλων Θεὸς ἐπ' ἀνατροπῇ τῆς πολυθέου πλάνης, καὶ ἐπὶ φωτισμῷ τῶν ἐν σκότῳ, κατακεχρηματικὼς τὸν νόμον τοῖς πάλαι διὰ

Chriſtianorum.

a In *Gal.* 3. 19. b *Mor. Neb.* P. 3. cap. 41. c *Num.* 15. 30. d *Deut.* 13. 12, 13, 14, 15.
e Lib. de cib. *Judæc.* c. 2. f *Demonſt. Evang.* l. 1. c. 4. g *Ib.* lib. 1. c. 6. h *Comment.* in *Eſai.* c. 1. T. 3. p. 652. i *Epiſt.* ad *Acac.* T. 5. P. 2. p. 124.

1 Librum illum, (potius Epiſtolam) de *cibis judaicis*, non eſſe *Tertulliani*, tum ex ſtylo & ſcripturis aliter tranſlatis ſatis conſtare, ſentit *Pamelius*; tum etiam quod ſucceſſus ſui perſecutionis tempore meminerit, qualem *Tertullianus* ubique impugnat: quare Novatiano adſcribere mavult. vid. p. 731.

SECT. 2. *Muvius*, &c. *Univerſi Deus, cum, ad everſionem erroris polytheiſmi* [vel idololatriæ] *& illuminationem eorum* qui *in tenebris* erant, *legem dediſſet miniſterio Moſis*, &c.

& Judæorum. PATRUM ſententiam probat *Maimonides*, quo nihil ſanius doctiusve novit Hebræorum ſchola: nam de legis ceremonialis ratione ſic animi ſui ſenſum explicat: [a] *noſti ex pluribus ſcripturæ locis, quod prima legis noſtræ intentio ſit idololatriam tollere, memoriam illius, & omnium eorum quæ illi adhærent, aut hominibus ad illam vel minimam occaſionem præbent, delere.* Et poſt pauca, *manifeſtam*, inquit, *habent utilitatem omnia* legis *præcepta & interdicta; idololatriam & quicquid illi adhæret, ad eam permovet aut pertinet, prohibentia.* Eodem redit, quod [b] alibi aſſerit, מצות ע ז כנגד המצות נולן, *Præceptum de cultu extraneo*, ſeu idololatria, *eſt inſtar præceptorum cunctorum*, & היא עיקר כל המצות כולן *fundamentum eſt quo cætera innituntur præcepta univerſa.* In hunc ſcopum, idololatriæ ſcilicet abolitionem, totam legem præcipue collimaſſe, docuerunt etiam antiqui Judæorum magiſtri, in quorum ſcite dictis numeratur, [c] *quicunque* [1] *confitetur idololatriam, habetur pro eo ac ſi totam legem abnegaſſet; & quicunque abnegat idololatriam, pro eo ac ſi totam legem confeſſus eſſet.*

CAP. II.

Obiter oſtenditur, decalogum aut legem moralem idololatriæ præcavendæ & eradicandæ ſerviiſſe.

Cui uſui decalogus inſerviebat. NON ſemel a me dictum eſt, Iſraelitas, Ægyptum incolentes idololatriæ Ægyptiacæ peſte peſſime laboraſſe; & Deum legem ceremonialem eo præcipue conſilio ſtatuiſſe, ut ei morbo remedium adhiberet, & populum ſanctum ad mores & ingenia ſaniora revocaret. Ut autem aſſertionis hujuſce veritas eo magis extra dubium ſtatuatur, erit e re præſenti, de ratione decalogi nonnulla prælibare, & obiter oſtendere Deum legem etiam moralem tradidiſſe, ut idololatriam peſſundaret; & Ægypti mores cum ea conjunctiſſimos animis & regionibus Hebræorum exterminaret. Ut res hæc eo ſolidius aſtruatur, mecum ſtatui, de Tabulæ & ſecundæ mandatis, eorum etiam ſcopo & affinitate, diſquiſitionem breviuſculam inſtituere.

HANC provinciam eo libentius meam facio, quod auctores plerique, licet ex inſtituto de decalogo diſſerentes, eam intactam prætermittant. Theologi nempe plerique omnes ea opinione fuiſſe videntur, Deum decalogum tradidiſſe, ut eſſet vitæ morumque norma generalis, & ſummula quædam ad quam præcepta quævis alia, lege vel evangelio comprehenſa, revocari poſſent. Hinc laborat eorum *pia mater*, ut mandatis illis omnibus ſenſus tam ample lateque diffuſus affigatur, ut officia omnia Deum aut proximum ſpectantia in iis contineri cenſeantur. Nemini vero rem ex ratione æſtimanti veriſimile videri poteſt, decalogum ideo ſolummodo ſancitum fuiſſe, ut in ſe uno, tanquam compendio quodam, alias omnes pentateuchi leges complecteretur; cum inſignia illa legis mandata, *Dominum Deum tuum diliges ex toto corde, & proximum tuum amabis ſicut teipſum*, in decalogo reperiri nequeant, niſi mandata quædam ad ſenſum ab ipſis eorum verbis alienum obtorto quaſi collo trahantur, & interpretationi arbitrariæ ſubjiciantur.

NE multis immorer: quantum mihi percipere datum eſt, ſcopus decalogi præcipuus erat, ut idololatriam ejuſque fructus effectus conjunctiores, extirparet, & ut aliis legibus cognatis in pentateucho contentis virtutem & auctoritatem conciliaret. Quis enim ſibi perſuadere potis eſt, Deum illa decem mandata, vix ulla cognatione conjuncta, in unum quaſi faſcem decalogi compingere voluiſſe; niſi quod omnia in eo fine & ſcopo convenirent, ut ſcilicet idololatriam ejuſque primarios effectus e rebus ejiceret & prorſus aboleret. Aſſertionis hujuſce veritas paulo clarior evadet, ſi Tabulæ utriuſque præceptis ſigillatim exponendis & examinandis nonnihil immoremur.

a *Mor. Neb.* P. 3. c. 29. b *Halac. Abod. Zar.* c. 2. §. 7. c *Seld.* de jur. nat. & gent. l. 2. c. 1. p. 136.

1 Ipſiſſima ſunt Maimonidis verba in ſectione illa laudata, quæ *Selden* in medium profert.

SECT. I.

SECT. I.

SECT. I.

Tabulæ primæ præcepta idololatriæ abolitionem pro ſcopo habuiſſe.

HIC par eſt ut ſermo meus a Tabulæ primæ præceptis exordium ſumat. Deum autem Tabulæ primæ mandara ad idololatriam abolendam, veluti ſcopum præcipuum, direxiſſe, facile percipiamus, ſi ad mandata illa quatuor in ea Tabula contenta, diligentius attendamus.

HORUM primum [a] LXX ſic interpretandum cenſuerunt: οὐκ ἔσονταί σοι θεοὶ ἕτεροι πλὴν ἐμοῦ i. e. *non habebis deos alienos præter* vel *coram me*. Senſus eſt, exponente [b] Grotio, *non pro vero Deo ſubſtituendos alios, ſed nec aſſumendos ad eum alios*, cultus divini ſocios, *quod faciebant* idololatræ. Illi nempe θεοὺς πολλοὺς & κυρίους πολλοὺς honore divino donare ſolebant, iiſque preces, incenſum, vota, ſacrificia, cum aliis honoribus divinitati propriis, exhibebant. Dies me deficeret, ſi numeroſa deorum ethnicorum, Ægyptiorum inprimis, agmina ad calculos revocare vellem. Ne itaque fides aut mores Hebræorum ea deorum farragine corrumperentur, hac lege proſpectum eſt, ne quis deus alienus, Jehova quaſi ſpectante, coleretur, vel in cultus ejuſdem ſocietatem cum Deo ſupremo reciperetur. Quo vero lex ea paratius obſequium obtineret, Deo viſum eſt nomen אל קנא [c] *Dei zelotis* aſſumere, qui nempe parem aut rivalem ferre neſcivit: cum præſertim eccleſiam Judaicam ſibi quaſi in ſponſam aſciviſſet, eamque conjugio fideli ſibi ſoli conjunxiſſet. Deus etiam ſe titulo יהוה אחד *Jehovæ unius* aut *unici* gaudere, palam & aperte declaravit; verſu ſcilicet illo probe cognito, [d] *audi Iſrael, Jehova Deus noſter* eſt Deus אחד *unus* aut *unicus*. Atque titulus ille, ſeculis anterioribus, ſic in vulgus innotuit, ut inter gentes vicinas, tanquam nomen Dei proprium, inclaruiſſe videatur. Nam [e] *Sanchoniathon* hiſtoricorum exoticorum antiquiſſimus, [1] *Adadum* quendam apud Philonem memorat: qui hiſtorici jam dicti verba ſic interpretatur, Ἀδώδος βασιλεὺς θεῶν *Adodus rex Deorum*. Hoc argumentum fuſius exequitur [f] *St. Le Moyne*, auctor in cujus morte præmatura damnum non leve fecerunt literæ. Sed ut eo jam redeat ſermo, unde paululum aberravit: e jam dictis obvium eſt intelligere, Deum mandatum primum edidiſſe, ad polytheiſmum (idololatriæ πρῶτον ψεῦδος) ex animis & moribus Hebræorum funditus evellendum: nec opus eſt, ut in re tam aperta, tam cognita, confirmanda, ſollicite laborarem.

Mandatum primum.

MANDATUM ſecundum affinitate propinqua primo jungebatur, & ad ſcopum eundem, idololatriæ ſcilicet abolitionem, aperte dirigebatur. Hoc intelligere eſt ex ipſius mandati verbis, [g] *non facies tibi ſculptile, nec ullam ſimilitudinem quæ* eſt *in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ* ſunt *in aquis ſub terra. Non adorabis ea*, &c. Deum autem hanc legem profanis, Arabum, Phœnicum, & Ægyptiorum, moribus adverſam ſtatuiſſe, dubitari nequit: præſertim ſi verba legis illius cum inſtitutis gentium, Ægypti præcipue, conferantur. Ægyptii ſcilicet omnigena ſimulacra [rerum cœleſtium, terreſtrium, aquatilium] formare, per ea deos abſentes repræſentare, & ſimulacris illis tanquam deorum ſymbolis & vicariis, cultum & honorem divinum tribuere, ſolebant. Cum re præſenti proxime conjunctum eſt [h] *Philonis* teſtimonium de Ægyptiis ita diſſerentis: οἳ κύνας, λύκους, καὶ λέοντας, καὶ κροκοδείλους, καὶ ἄλλα πλεῖστα θηρία, καὶ ἔνυδρα, καὶ χερσαῖα, καὶ πτηνά, θεοπλαστοῦντες *qui canes, lupos, leones, crocodilos, multaſque alias beſtias, & aquaticas, & terreſtres, & volucres, animantia deorum faciunt*. Exemplo ſint inter aquaticas, dagon, phagrus, mæotes, oxyrrhyncus; inter terreſtres, vitulus, ichneumon, hircus, ovis, canis; inter volucres, vultur, ibis, accipiter, aliæque. Præter formas haſce naturales, quas Ægyptii honore divino afficiebant, alias habebant artificiales, ad rerum cœleſtium imitationem factas, quas divinitatis cujuſdam participes, cultuque ſacro proſequendas, exiſtimabant. Ut res ad pauca redeat: cum *ſacra* illa (quæ diximus) *animalia*, eorum etiam ſimulacra, paſſim inter Ægyptios cultum invenirent, eorum etiam cultus more longo receptus eſſet, & inter Ægyptios in parte

Mandatum ſecundum

a In *Exod.* 20. 3. b Annot. ad *Exod.* 20. 3. c *Exod.* 20. 5. d *Deut.* 6. 4. e Apud *Euſeb. præp. Ev.* l. 1. c. 10. p. 38. f Not. in *Polycarp.* epiſt. T. 2. p. 106, 107. g *Exod.* 20. 4, 5. h De *Legat.* ad *Caium* p. 1012.

1 Apud *Macrobium* legere eſt, *Deo, quem ſummum maximumque venerantur Aſſyrii*, Adad *nomen dederunt: ejuſque nominis interpretatio ſignificat*, unus. *Saturnal.* l. 1. c. 23. *Adad* originem ſuam acceptam referre voci Heb. אחד *ahad* plures ſentiunt. v. *Joſ. Scaliger.* notas in fragmenta libro de *emend. tempor.* annexa: *Selden* de *D. Syr.* ſyntagm. 1. c. 6. & *L. Moyne*, in loco laudato.

Sect. I.

non minus ſapientiæ quam pietatis haberetur; ne moris & opinionis tam peſtiferæ contagium ad Iſraelitas (nuperos Ægypti ſervos & diſcipulos) emanaret, Deo viſum eſt mandatum ſecundum tradere, quod, tanquam alexipharmacum, ad peſtem illam Ægyptiacam propulſandam, inſerviret.

E jam dictis iraque patenter elucet, Deum duo prima mandata Iſraelitis impoſuiſſe, ut obſtaculo eſſent quo minus ad idololatriam ruerent, & opprobrium illud Ægypti, ζωολατρείᾳ moribus eorum ſemper adhæreret.

Mandatum tertium.

[a] Manoatum tertium proximo diſcutiendum eſt, ejuſque mens & ſenſus primo, deinde ſcopus aut intentio, qua licet inveſtiganda.

Ne a mente ſenſuque legis hujus aberremus, ad ipſa verba diligenter attendendum eſt, & quæſtionibus hiſce duabus caute reſpondendum: (1°.) quæ mens & ſenſus eſt illius locutionis, *non aſſumes uomeu domini Dei tui.* (2°.) Quid per phraſin illam intelligendum, *non aſſumes in vanum.*

Curanoum eſt primo, quæ mens & ſenſus eſt illius locutionis, *nou aſſumes nomen domini Dei tui.* In Hebræo eſt, לא תשא *non feres*, in ore nempe tuo, nomen tremendum Jehovæ Dei tui, cum jurejurando te obſtringis. Hæc interpretario firmitatem paulo majorem petat e Levit. 19. ubi præcipua decalogi præcepta repetita veniunt. [b] Ibi nempe lex ea mandati tertii vice fungitur; *& non jurabitis in nomine meo mendaciter* vel *in falſum.* Neque oovum eſt ur Scriprura phraſin hanc [*ſumere* vel *ferre nomen*] ad juramentum notandum uſurparet. [c] Illum enim Exodi locum, *in omnibus quæ dixi vobis cauti ſitis, & nomen deorum alienorum ne memoretis, nec audiatur ex ore tuo;* auctor Vulgaræ ſic interpretatur, *omnia, quæ dixi vobis, cuſtodite, & per nomen externorum deorum non jurabitis neque audietur ex ore veſtro.* Cum hac lege cognationem colere creduntur illa Pſalmiſtæ verba, [d] *non libabo libamina eorum de ſanguine, nec aſſumam nomina eorum* [idolorum] *ſuper labiis meis.* Hoc eſt, "nec ſanguine, vanitatibus hiſce libaro, cultum præſtabo; nec quicquam, per eorum "nomina jurarus, affirmabo. His affinia videorur illa Pſalmiſtæ verba, Pſal. 24. 4. ubi נשא נפשו *ſumſit* [vel *tulit*] *animam ejus* per *animam ſuam jurare denotat;* & Pſal. 50. 16. ubi voces eas *aſſumis fœdus meum in os tuum*, ſic illuſtrat Chaldæus, *per nomen meum juratus es & fœderis mei meminiſti.* Hunc ſenſum paulo firmiorem reddit *Philonis* teſtimonium: ille ſcilicet, in explicatione mandati tertii verſatus dixerat, Μὴ λαμβάνειν ὄνομα Θεοῦ ἐπὶ ματαίῳ, *non ſumendum nomen Dei in vanum:* & poſtea rem totam explicans inquit, [e] μάρτυρα δὲ καλεῖν ἐπὶ ψευδεῖ Θεὸν, ἀνοσιώτατον, *Deum autem teſtem advocare ad mendacium, res imprimis impia.*

Ut ſenſum legis hujuſce plenius aſſequamur, diſquirendum eſt proximo, quid ſit *Dei nomen* לשוא *in vanum ſumere.* Indaginis hujuſce ratio eſt, quod [f] LXX vocem שוא quandoque ἄδικος *mendax, falſus; ſæpius* μάταιος & ματαιότης, *vanus, fruſtra, ſine cauſa*, vertant. Deinde: LXX verba legis hujus ἐπὶ ματαίῳ, *Aquila* εἰς εἰκῆ, reddunt; cum tamen Moſes, parallelo illo [g] Levitici loco, vocem שוא per שקר *mendacium* interpretetur. Nam illius loci verba, Latine reddita, ſic ſonant; *non jurabitis in nomine meo* לשקר *in falſum*, vel *mendaciter.* [h] *Joſephus* huic interpretationi ſuffragari putetur, cum dicit mandatum tertium præcepiſſe, ἐπὶ μηδενὶ φαύλῳ τὸν Θεὸν ὀμνύναι *circa rem nullam, pravam* aut *fictam, Deum jurare*, vel nomen ejus tremendum interponere. Me quod attinet, ſenſum hunc & illum legis hujus intentioni conſentaneum, & utrumque ruto recipiendum, judico. Ita judico, non tantum quod rationes jam allaræ ſenſum utrumque fide dignum repræſentent; ſed quod [i] locus ille quem laudavi modo ſenſum utrumque bene firmum reddat Nam textus illius pars prima [*non jurabitis in nomine meo mendaciter*] ſenſum ſecundum vocabuli שוא firmum ratumque facit: & illius pars altera [*nec prophanabis nomen Dei tui*] ſenſum quem dixi primum extra dubium ſtatuit: requirit enim ut Dei nomen raro admodum; & cum ſolennitate quadam uſurpetur; nec temere, nec ſine gravi cauſa, ad rem ullam firmandam adhibeatur.

Cum jam mens & ſenſus mandati tertii paulo clarius innoteſcant, de illius ratione & ſcopo proximo diſſerendum eſt; ut ea in lucem prolata, liquidum ſit, Deum hoc etiam præceptum ad idololatriam & mores idololatricos eradicandos inſtituiſſe. Illius autem ſcopus & intentio quintuplex fuiſſe videatur.

Primo: juramenta omnia profana, vel numinis alicujus fictitii nomine concepta,

a *V. Sap. Salom.* c. 14. 21. *Cantacuzen.* hiſt. *Byz.* vol. 12. p. 1043. & vol. 6. p. 420. b verſ. 12. c 23. 13. d *Pſal.* 16. 4. e Lib. de *Decalog.* p. 756. f In *Exod.* 20. 7. g cap. 19. 12. h Antiq. l. 3. c. 5. p. 105. i *Levit.* 19. 12.

damnare

damnare & inhibere. Mandatum enim illud, de Dei ſolius nomine ſumendo loquens clare docet nefas eſſe numinis alicujus profani nomen in labia ſumere, vel hujuſmodi juramento noſmet obligare. Nam apud interpretes Decalogi, hæc regula fidem certam obtinet, "omne mandatum affirmativum & præceptivum ſupponit & includit "aliquid negativum & prohibitivum, adeoque per ejus contrarium explicari debet. Verſio itaque Vulgata [a] legem vice mandati tertii poſitam non male ſic interpretatur; *omnia quæ dixi vobis cuſtodite, & per nomen externorum Deorum non jurabitis, neque audietur ex ore veſtro.* Hic ſenſus mandati tertii tam promptus & obvius erat intellectui, ut Iſraelitis non raro criminis loco objiciatur, quod inter jurandum, idolorum nomine, tam frequenter uterentur. Dicuntur enim, ſæpe per [b] *Baalem*, quandoque per [c] *Malcham*, per [d] *peccatum* etiam, *i. e.* vitulum *Samariæ*, & (in genere) per Deos [e] alienos, juramenta concepiſſe. Ideo vero per Deos fictitios tam frequenter jurabant Iſraelitæ, a Dei lege cultuque deficientes; eo quod hac ratione deos illos honore cultuque divino donare cenſebantur, eoſque præſentes, potentes, omniſcios, juſtos & perjurii vindices, agnoſcere non temere credebantur. Hac de re conſulat lector, cui vacat, [f] Gerardum Voſſium, [g] Dionyſium Voſſium, [h] Seldenum etiam fuſe diſſerentes. Nec a vero forſan aberrabit, qui ſentiet Iſraelitas per hujuſmodi deos juramenta ſæpe præſtitiſſe, ut ad mores Ægypti, quos magni æſtimabant, ipſi componerentur. Nam referente [i] Plinio, *Allium, cepaſque inter Deos in jurejurando* habuerunt Ægyptii, eaque [k] divinis honoribus affecerunt.

Secundo: hujus etiam mandati conſilium erat, Iſraelitas inter jurandum ad nomen Jehovæ ſolius aſſumendum devincire. Cum enim lex ea temerarium divini nominis uſum jurantibus interdiceret, certum eſt eam tacite præcipere, ut omnes, inter jurandum, Dei (non alicujus idoli) nomen uſurparent. Et ſane par erat, ut Deus populum ſuum ad ritus hujus uſum lege devinciret; cum juramenta (ſeculis præſertim antiquioribus) cultus divini κριτήριον, & primarii religionis indices, haberentur. Qui nempe נשא שם *Dei nomen* in ore *ferebat*, verus Iſraelita, Jehovæ partibus addictus, audiebat; qui vero numinis fictitii nomine aſſumpto quicquam affirmabat, idola colere, & Jehovam cum lege ſua poſt terga rejicere, cenſebatur. Hoc e multis elucet Scripturæ locis: Deut. 6. 12, 13. *Cave diligenter ne obliviſcaris Jehovæ qui eduxit te de terra Ægypti: dominum Deum tuum timebis, illi ſoli ſervies, & per nomen illius jurabis.* Hiſce perſimilia ſunt, & pene gemina quæ nobis occurrunt Deut. 10. 20. *Dominum Deum tuum timebis, ei ſoli ſervies, & ipſi adhærebis, & in nomine illius jurabis.* Huc facit etiam locus ille Jeſaiae, cap. 65. 16. *Qui benedicit ſuper terram, benedicet in Deo veritatis, & qui jurat in terra, jurabit in Deo veritatis*; ut ſcilicet hoc ritu ſe Jehovam ſolummodo pro Deo habere, eumque unum colere, teſtaretur. A re præſenti non multum abſunt ea Scripturæ loca, quibus juramenta Dei nomine concepta, tanquam clara converſionis ad Deum teſtimonia memorantur; viz. Jeſ. 19. 18. *In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chenaan, & jurantes per Dominum exercituum.* Converſionem Iſraelis verbis affinibus prænunciat Jeremiah, cap. 4. 1, 2. *Si reverteris Iſrael, ait Dominus, ad me revertere: ſi abſtuleris abominationes tuas a facie mea, non moveberis: jurabis, vivit Dominus in veritate & in judicio.* Eodem pene modo gentium converſio a Deo prædicta eſt, Jeſ. 45. 23. *Mihi curvabitur omne genu,* & mihi *jurabit omnis lingua.* Ex adverſo: jurare per deos alienos, inter præcipua cultus prophani, & Dei veri renunciati, ſigna numeratur: Jerem. 5. 7. *Filii tui dereliquerunt me, & jurant in his qui non ſunt Dii.* Joſh. 23. 7. *Poſtquam intraveritis ad gentes quæ inter vos relicta ſunt, ne juretis in nomine deorum earum, & ſerviatis eis, & adoretis illas.* Ut rem paucis abſolvam: qui, per deos alienos juratus, quicquam affirmabat, eoſque teſtatus loquebatur; iis honores & attributa divina concedere, & ſummum Deum τὸν καρδιογνώστην abnegare, cenſebatur: ideoque conſentaneum erat, ut lex ea, de Jehovæ ſolius nomine a jurantibus accipiendo, inter Tabulæ primæ mandata locum inveniret.

Tertio: hujus etiam mandati finis erat, juramentis in colloquiis & commerciis ordinariis veniam indulgere; modo juramenta illa veritati conſona eſſent, & Dei veri nomine celebrata. Fatendum eſt quidem, mandatum tertium hujuſmodi juramenta nec diſerte probare, nec aperte prohibere; cum rem totam exprimat, ſenſus haud adeo certi verbis involutam. Satis autem *ex ipſa leſe Moſis, & Hebræorum veterum uſu*, conſtat, antiquiora ſecula ſenſu tam laxo mandatum tertium intellexiſſe.

a *Exod.* 23. 13. b *Jer.* 12. 16. c *Zeph.* 1. 5. d *Amos.* 8. 14. e *Joſh.* 23 7. f *De orig. idol.* l. 5. c. 46. g In *Maim. de idol.* c. 8. h *De jur. Gent.* l. 2. c. 7. i Lib. 19. c. 6. k *Juven. Sat.* 15. 9.

SECT. I

Ex *ipſa lege Moſis*: loco ſcilicet illo parallelo, [a] *non jurabitis in nomine meo mendaciter*, in congreſſu nimirum & ſermone familiari. Huic interpretationi ſua conſtet veritas, e verbis Domini noſtri, legem illam de juramentis in colloquio familiari frequentibus exponentis. Cum enim Judæi molliora quædam juramenta [per cœlum, per terram, per caput & altare] ſibi finxerant, partim ne [b] *ſanctum Dei nomen* uſu & ſermone quotidiano profanarent; partim etiam ut olim receptam jurandi libertatem, uſu vulgari tritam, ſibi integram conſervarent; Dominus noſter, ut illam jurandi licentiam ſermone vulgari frequentem inhiberet, [c] *ne juretis omnino* inquit, —— *ſit autem ſermo veſter, eſt, eſt, non, non: quod enim his abundantius* eſt, *a malo eſt.* Quaſi dixiſſet Dominus, "ſub ea tempora quibus lex Moſaica ferebatur, colloquio familiari "per Deos alienos jurare, non tantum apud ethnicos ſed & Iſraelitas erat uſu receptiſſimum. Deus itaque Judæis etiam indulſit veniam, inter alia lege permiſſa, nomen ejus aſſumendi in ſermone quotidiano, modo Deum non niſi veritatis teſtem "advocarent. Si enim Deus huic mori prorſus obſtitiſſet, & omnia juramenta ſermone familiari trita plane vetuiſſet; veriſimile eſt Iſraelitas, moris recepti tenaciſſimos, "in vetitum niti voluiſſe, vel, gentium ritu, juramenta merum ethniciſmum olentia "in mores inducere voluiſſe. At oeconomiæ Chriſtianæ ſublimitas & ſimplicitas majorem nominis divini reverentiam & in ſermone veſtro ſimplicitatem poſtulat: ſepoſitis itaque juramentis omnibus, infirmitatis Judaicæ monumentis, communicatio "veſtra ordinaria affirmatione vel negatione ſimplici expediatur. Quod his abundantius eſt, a malo eſt; a gentium ſcilicet æmulatione, vel motis Judaici ſtudio, cui "cordis durities initium dedit.

Hujus mandati finis quem dixi modo, novam *ab Hebræorum veterum uſu* firmitatem hauriat. Cuivis enim veteris Teſtamenti ſcripta perlegenti promptum eſt obſervare, Judæos antiquiores Dei nomen in colloquiis ordinariis interponere, & ipſorum verba juramento ſolenni firmare, ſolitos. In hujus rei fidem multa [d] Scripturæ teſtimonia, multa inſuper antiquorum ſuffragia, proferre poſſem, niſi quod alibi de hoc argumento fuſius & magis opportune dicturus ſim.

Quarto is etiam legis hujuſce finis erat, ut Iſraelitas, in juramentis omnibus Dei nomine firmatis, a mendacio vel perjurio coerceret. Hic enim duo præcipue per לשוא *in vanum* videntur intelligenda: (1°.) temere, leviter, ſubito, ſine cauſa gravi; adeo ut hujus præcepti violati crimen incurrat quiſpiam, ſacro-ſanctum Dei nomen in ore ferens inconſiderate & ſine cauſa neceſſaria. Nempe Dei nomen auguſtum, profanum & vile redditur, ſi in re levi & frivola teſtis & vindex advocetur, (2°.) vox ea *falſò*, *mendaciter*, præcipue denotat, adeo ut hac lege cautum ſit imprimis, ne nomen *Dei veritatis* in os animo fallaci ſumeretur. Et de veritate ſenſus hujus eo minus dubitandum cenſeo, quod Philo Judæus, Joſephus, Onkelos, Uzielides, Syrus, Arabs Erpenianus, alii, mandatum hoc de non jurando *fruſtra* vel *mendaciter* interpretentur. Si vero quod ſentiam eloquar, ſenſum utrumque recipiendum, quamvis poſtremum facile præferendum, exiſtimarem. Ea ſum ſententia *Moſis* ipſius inductus auctoritate. Nam Levit. 19. ubi mandata omnia repetita veniunt, hæc verba mandati tertii locum occupant, *& non jurabitis in nomine meo mendaciter*, *neque profanabis nomen Dei tui*, illud nempe ſine magna religione & neceſſitate nominando.

Cautela vero prima populo Iſraelitico eo magis apta fuit & opportuna, quod apud omnes e gentilium grege ſic uſu receptum eſſet, ut juramenta plerunque non tam ad finem firmandam quam fallendam uſurparent: & ethnicorum juramenta non minus vana & res nihili fuere, quam ipſa numina & idola, quorum nominibus inter jurandum utebantur. Mori huic ethnico teſtimonium præbere creduntur ea Pſalmiſtæ verba, [e] *erue me ex aquis multis, e manu* בני נכר *alienigenarum: quorum os locutum eſt mendacium, & dextra eorum dextra falſitatis:* i. e. "libera me Domine ab hominibus a "gente & lege tua alienis, qui mendacia comminiſci ſolent, eaque juramentis mendacibus confirmare. Sic locum expono, quod homines olim manus ſuas [f] extendere ſolerent aut elevare, cum quicquam jurantes affirmarent; & verba illa noviſſima [*dextra falſitatis*] hunc ritum reſpicere cenſeantur. Sed ad ſermonem inſtitutum redeo. Hanc perfidiam ethnicorum confirmant, ejuſque radicem detegunt ea verba [g] Sapientiæ, de idololatris dicta; *aut vaticinantur falſa, aut vivunt injuſte; aut pejerant*

a *Levit.* 19. 12. b *vid. LXX in Levit.* 19. 12. c *Mat.* 5. 37. d *Judic.* 8. 19. 1. *Reg.* 18. 10. 2 *Reg.* 2. 4. *&* 5. 16. e *Pſal.* 144. 7, 8. f *Geneſ.* 14. 22. *Deut.* 32, 40. *Ezech.* 20. 42. *Rev.* 10. 5, 6. g *cap.* 14. 28, 29.

cito: inanimatis enim idolis confidentes, male jurantes lædi non expectant. Ingenii hujuſce perfidi, [a] Antiochus junior cum priocipibus ; [b] Nicanor etiam & commilitones ſui [c], gentiles ab Apoſtolo memorati, aliique frequentes, exempla non obſcura præbuere. Probant inſuper teſtimonia in ſcriptis ethnicis paſſim obvia, gentes perjuria (ſi cum commodo ſuo conjuncta) pro nihilo habuiſſe. Brevitati ſtudens unum [d] Ovidium teſtem advoco, qui ſie mercatorem inducit vota Mercurio facientem, ut ei, magno ſuo emolumento, pejerare liceat : SECT. II

Ablue præteriti perjuria temporis, iuquit :
Ablue præterita perfida verba fide.
Sive ego te feci teſtem, falſove citavi
Non audituri numina vana Jovis.
Sive Deum prudeus alium Divamve fefelli :
Abſtulerint celeres improba dicta Noti.
Et pateaut veuiente die perjuria nobis ;
Nec eurent ſuperi, ſiqua locutus ero.
Da modo lucra mihi, da facto gaudia lucro,
Et face ut emptori verba dediſſe juvet.

QUINTO : nonnulli ex antiquis arbitrati ſunt, Deum eo fine mandatum tertium tradidiſſe, ne nomen ejus [i. e. titulus, opera, vel attributa] numioi alicui fictitio tribueretur. Mandato illi finem hunc aſtruere videntur LXX, ſic verba mandati transferentes, οὐ λήψῃ τὸ ὄνομα κυρίου τοῦ Θεοῦ σου ἐπὶ ματαίῳ· nam ματαία nómine nonnunquam idolum, a [e] Græcis interpretibus, ſignanter appellatur. Ut ut ſit, chriſtianos antiquos ſenſum tam latum huic legi conceſſiſſe, e [f] *Tertulliani* verbis aſſequi licet. Poſtquam enim eos, qui Idolum Dei nomine cohoneſtant, idololatriæ crimine teneri dixiſſet, hæc addit, inſtituto præſenti conſentanea : cum *ait* Scriptura, *nomen aliorum deorum* ne commemoretis, *ueque* audiatur ex *ore tuo ; hoc præcepit, ne deos voecmus eos. Nam & in prima legis parte*, non ſumes, *inquit*, nomen Domini Dei tui in vano, *id eſt*, in *idolo. Cecidit igitur in idololatriam, qui idolum uomine Dei houoraverit.* Si quid hæc veri habeant, gentiles olim Dei nomen polluerunt, & mandatum tertium violarunt, qui nomina, *Elohim*, *Baal*, [g] *Molech*, & hujuſmodi, (ſummam potentiam & dominium notantia) *vanitatibus* ſuis impoſuerunt : criminis ejuſdem poſtulandi veniunt, qui per [h] *Malebam* aut [i] *peccatum* [i. e. vitulum] Samatiæ jurabant olim : nam tali juramento, numinibus ſuis ſcientiam & potentiam illam divinam tacite tribuerunt, ſine quibus juramenti violati religio vindicari nequit. Ejuſdem ſceleris arguendi ſunt Iſraelitæ, qui operis illius egregii, liberationis ex Ægypto, gloriam, [k] vitulo ſuo factilege tribuerunt.

Ex iis omnibus quæ in medium jam protuli, luculentet evictum eſt, Deum mandatum tertium, prnut etiam primum & ſecundum, ad idololattiam præcavendam & exterminandam tradidiſſe.

DEVENTUM eſt jam ad mandatum quartum tabula ptima contentum, quo nempe ſabbati ſive diei ſeptimi cultus inſtituitur. Opera vero facili probare poſſem, hoc etiam, non minus quam ſocias leges in ea tabula contentas, ea de cauſa datum fuiſſe, ut idololatriæ peſtem, tunc late graſſantem, ex animis & regionibus Hebræorum profligaret. Nempe res eſt ſua pene luce clara ; ſabbati religionem plurimum profuiſſe ad idololatriam ex Hebræorum moribus exterminandam. Cum enim ſabbatum ſeptiduanum creationis imaginem quàndam eorum animis exhiberet, & *Oſiriu* & *Iſin* [i. e. cœlum & terram, vel ſolem & lunam] & alia quævis Ægypti numina, non ita pridem e ſummi numinis manu formatrice ptodiiſſe, frequenter ediceret & clare promulgaret ; fieri vix potuit ut homines eo dementiæ procederent, ut creaturas illas pro Diis æternis haberent, aut eas honore ipſi creatori debito proſequerentur. Nam, obſervante [l] *Philoue*, γενητὸς οὐδεὶς ἀληθείᾳ Θεός, ἀλλὰ δόξῃ μόνον, τὸ ἀναγκαιότατον ἀφῃρημένος ἀϊδιότητα· *Nullus creatus vere Deus* eſt, *quamvis habeatur* pro Deo ; *cum careat æternitate, ſine qua nou eſt numen.* Proclive eſt itaque obſervatu, ſabbatum & idololatriam, prout Arcam & Dagonem, ἀσύστατα fuiſſe ; & ſabbatum idololatriam ; vel idololatriam Mandatum quartum.

a 1 *Mac.* 6. 62. b 2 *Mac.* 15. 10. c *Rom.* 1. 31. d In *Faſt.* l. 5. verſ. 681, &c. e Vid. LXX. in *Jeſ.* 2. 20. *Lev* 17. 7. & 2. *Par.* 11. 15. f Lib. de idololat. p. 98. g *Levit.* 18. 21. h *Zeph.* 1. 5. i *Amos* 8. 14. k *Exod.* 32. 4. l Lib. de *Charit.* p. 699. apud LXX Θεὸς αἰώνιος appellatur. *Gen.* 21. 33.

I ſabbati,

SECT. II. ſabbati fidem cultumque ſemper profligaſſe. Pauca hæc, tanquam primitias quaſdam hujus argumenti, lectori tradimus in præſenti; ei meſſem integram poſt paginas aliquot exhibituri.

SECT. II.

De mandatis Tabula ſecunda contentis, & eorum ſcopo vel intentione principali.

UT huic parti Decalogi lucem eo pleniorem afferam, opus eſt ut quæſtionibus hiſce tribus ſatisfaciam.

PRIMO: cur Deus in tabula ſecunda ſex præcepta, non plura, contineri voluit.

SECUNDO: cur curatum eſt, ut tabula ſecunda ſex ea præcepta, & non alia, complecteretur.

TERTIO: cur tabulæ primæ & ſecundæ mandata tam arcte jungebantur, cum nullam inter ſe συγγένειαν agnoſcant, nec ulla inter ea materiæ vel naturæ ſimilitudo intercedat.

Quare Deus in Tabula ſecunda ſex præcepta, non plura inſtituit.

PRIMO: ſermo meus a quæſtione prima inchoandus eſt, *cur* nempe *Deus in tabula ſecunda ſex præcepta, non plura, contineri voluit?* Nil cauſæ eſt cur caput lectoris multum vapulet, ut hujus inſtituti rationem aſſequatur; ſex enim tabulæ ſecundæ, una cum præceptis tabulæ primæ propriis, numerum denarium complent: Deus autem non ex defectu materiæ, ſed certo conſilio, leges in monte *Sinai* promulgandas intra numeri illius limites coercere voluit. Hoc a *Moſe* licet intelligere: cum enim decem mandata recitaverat, *hæc* [a] inquit, *verba locutus eſt Dominus ad omnem multitudinem veſtram in monte -- & nihil amplius addidit.* Hæc autem verba ſatis clare denotant, Deum, cum decem mandata traderet, a legibus aliis condendis conſulto temperaſſe; & ne numerum denarium excederet, *nihil amplius addidiſſe.* Rei hujuſce conſideratio admirationem haud exiguam *Philoni* concitavit: nam de mandatis agens, in quibus, [b] inquit, *illud mirandum occurrit* ante omnia, *quod abſolvantur numero denario.* Lectori paulo candidiori non videbor cum ſacris ludere, ſi dixero Deum ob rationes ſequentes mandata *numero denario abſolviſſe.*

(1°.) ILLE numerus alios omnes perfectione & capacitate longe ſuperavit. In eo ſcilicet omnes numerorum diverſitates, omnes ἀναλογίαι continentur, omnes etiam figuræ Geometricæ quæ ad numeros referuntur. Hoc [c] *Philo Judæus,* [d] *Petrus Bungus,* alii, fuſe & ex profeſſo docuerunt. Hiſce conſonum Martiani Capellæ teſtimonium: [e] *decas vero ultra omnes habenda, quæ omnes numeros diverſæ virtutis ac perfectionis intra ſe habet.* Inde [f] Philo ſuſpicatur, eos qui primi nomina impoſuere, δεκάδα quaſi δεχάδα nuncupaſſe, παρὰ τὸ δέχεσθαι καὶ συγκεχωρηκέναι τὰ γένη πάντα τῶν ἀριθμῶν καὶ λόγων τῶν κατ' ἀριθμὸν, καὶ ἀναλογιῶν &c: *quod omnia numerorum genera, & rationum arithmeticarum capiat & comprehendat.* Cum itaque numerus ille numeros alios perfectione & capacitate vinceret, conſentaneum erat ut Deus leges ejus ad numerum tam inſignem & capacem adaptaret; cum præſertim numerus ille ſymbolum eſſe poſſet perfectionis & capacitatis in Decalogo, qui multas alias leges in ſe uno comprehendit. Cum hiſce bene conveniunt Philonis illa; [g] χρὴ δὲ μὴ δ' ἐκεῖνο ἀγνοεῖν, ὅτι οἱ δέκα λόγοι, κεφάλαια νόμων εἰσὶ τῶν ἐν εἴδει παρ' ὅλην τὴν νομοθεσίαν ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις ἀναγραφέντων· *Illud quoque ſciendum, decem hæc præcepta ſummarium eſſe legum ſpeciatim proditarum in toto legiſlatoris ſacro volumine.* Hanc perfectionem & capacitatem Decalogi Pſalmiſta videtur ob oculos habuiſſe, cum dixit, [h] *perfectionis omnis vidi finem, ſed mandatum tuum latum valde.*

(2°.) DECAS, apud omnes fere gentes, numerus maxime celebris, & uſu receptus, ab antiquo fuiſſe cenſeatur. Hoc innuere videntur ea verba Prophetæ: [i] *in diebus illis apprehendent decem homines, ex omnibus linguis gentium, fimbriam viri Judæi, dicentes, ibimus vobiſcum* &c. Sed ſi Propheta tacuiſſet, hujus numeri celebritas e gentium moribus abunde ſatis innoteſceret. Numerus enim decimus gentibus ferme cunctis numerandi finis eſt; cum enim ad decem pervenerint progrediendi finem facere ſolent, & numeros deinceps tantum iterare vel componere: numeros nempe qui ſequuntur,

a *Deut.* 5. 22. b Lib de *Decalog.* p. 746. c Ubi ſupr. d De myſter. *Numer.* X. e *V. Grot.* ad *Exod.* 20. 2. f Ubi ſupr. p. 747. g Ubi ſupr. p. 765. h *Pſal.* 119. 96. i *Zach.* 8. 23.

vel

vel numerum denarium repetere, ut undecim, duodecim, tredecim; vel e denariis componi, ut centum, mille; ne pueros fugit. Ejus rei obſervatio cauſam dedit verbis [a] auctoris circa numeros curioſi: *hinc efficitur ut quiſque jure merito mirari poſſit hujus numeri naturam: cum omnes fere homines, tam barbari, quam Græci, ad decem uſque numerare conſueverint: quaſi decem digitis naturali lege creati homines, ſui numeri calculos adipiſcentes, hac eadem multitudine cætera quoque connumerent*. Hujus numeri claritas apud exteras gentes aliis exemplis evinci poſſet, ſi a propoſito liceret aberrare. Cum itaque numerus ille tam illuſtris eſſet, & tanto in honore apud gentes habitus; in legum ſacrarum honorem ceſſit ut per decadem traderentur. Inde Judæo ſimul & Gentili darum eſt intelligere; ſua intereſſe leges illas ſancte colere, quas Deus per numerum, ubique gentium tam ſacrum & illuſtrem exhibuerat.

SECT. II.

(3°. LEGES Tabulis duabus inſcriptæ, & in monte *Sinai* promulgatæ, legum omnium per Moſem traditarum locum tenere, eaſque repraeſentate, cenſebantur. Decalogus enim Dei [b] *fædus*, æque ac tota legum Moſaicarum compages, appellatur. Inde factum eſt, ut idem fulgor, tonitru, vox divina, montis tremor, aliæque circumſtantiæ terribiles, quæ originis divinæ fidem & majeſtatem Decalogo, fidem & reverentiam eandem toti legi conciliarent. Nempe, nil opus erat, ut leges omnes Moſis miniſterio datæ eadem terribili ſolennitate traderentur, ut eadem qua & ipſe Decalogus fide & honore dignæ crederentur; cum leges illæ omnes, in ea legum decade repræſentatæ, confirmarentur. Hujus autem repræſentationis fidem feciſſe videtur numerus ille denarius quo leges illæ conjungebantur. Prout enim numerus denarius omnes alios in ſe recipit & comprehendit; ſic & Decalogus leges alias omnes comprehendere, & earum vicem gerere, cenſeatur. Res longi temporis & operæ foret, leges Moſaicas ſigillatim in monte recitare, eaſque omnes eadem tremenda ſolennitate promulgare qua Decalogus ipſe tradebatur. Longe ſatius erat, & Legiſlatoris majeſtati magis conveniebat, ut decem mandata legum aliarum vicem occuparent, & in iis minoris notæ leges ſanciri crederentur; prout in Decimis Deo ſacratis, meſſis integra ſacrari cenſebatur.

(4°.) DENARIUS erat numerus ſacer, & rebus in Lege memoratis frequentius acommndatus. Hoc obſervatu promptum erit illi qui Moſis inſtituta oculo vigilanti perluſtravit. Ideoque cum legis uſu quam maxime conveniebat, ut Deus, legem tam inſignem laturus, numerum denarium (in ſacris ſuis uſu frequentem) cæteris anteponeret, & leges ſuas omnes ad decem redigeret; non (uti *Mohammed*) [1] qui leges ejus ad octo revocavit.

EXPEDIENDUM eſt proximo, cur Deus ſex illa præcepta, & nulla alia in Tabula ſecunda contineri voluit?

RESPONDEO: rei hujuſce, quantum conjectura licet aſſequi, rationes ſequentes aſſignari poſſunt.

(1°.) SEX illa præcepta *politica* fuerunt, adeoque perſonæ quam Deus eo tempore ſuſtinuit [regis nempe politici] maxime conſentanea. *Politica* dixi, nec immerito: eo quod Tabulæ ſecundæ leges actus publicos & externos bene moderentur, privatos autem & internos [animi morumque ſobrietatem, gratiarum actionem, pœnitentiam, dilectionem proximi, & hujuſmodi] ne reſpicere videantur. Deinde: clarum eſt leges in Tabula ſecunda ſcriptas, ad populi vulgus in officio continendum, ad pacem & ſalutem regni conſervandam, & bonum publicum provehendum, collimaſſe. Nihil enim ad regni commodum, pacem & honorem, magis confert, quam honorem parentibus exhibere; ſubditoſque etiam ab homicidio, furto, adulterio, falſo teſtimonio, & rei alienæ deſiderio, cohibere. Ex adverſo: ubi criminibus hiſce nigrioris notæ porta aperitur, omnia peſſum eunt, & regnum, non ex animalibus ad ſocietatem natis, ſed furiis quibuſdam aut beſtiis ex rapto viventibus, coaleſcit. Hoc multis oſtendi poſſet, niſi quod res ſit ipſa luce clarior; & [c] *Philo*, de mandatis agens, hanc provinciam prior occupaverit. Cum itaque Deus regnum plane novum jam moliretur, & ipſe regis politici partes ſumeret, & (regis politici ritu) in ipſo regiminis ſui limine leges præcipuas a ſubditis ejus obſervandas jam publicaret; æquum erat ut una Tabula

Præcepta Tabulæ ſecundæ erant politica.

a *Pet. Bung*. de myſter. numer. X. p. 357. b *Exod*. 34. 28. *Deut*. 4. 13. c Lib. de *Decalog*. & *ſpecialib*. *Legib*.

1. Mentio facta eſt de legibus Mohammedis octo, apud Phil. Lonicerum de rebus Turcicis, l. 2. c. 2. Compendium autem religionis Mohammedanæ, quod *H. Reland* ex Arabica Latine vertit, nos certos facit, Mohammedanam fidem & praxin ita ſe habere; illam conſiſtere, 1 in Deo, 2 in Angelis. 3. in libris divinis. 4 in Prophetis. 5 in diebus ultimis: hanc, 1 in purificatione, 2 in precibus, 3 in eleemoſynis. 4 in faſtis. 5 in peregrinatione Meccana. Qui plura vult de religione Mohammedanorum eorumque Sectis, *Lud. Marracci Prodrom*. Tomum conſulat priorem, Partem quartam.

SECT. II.

leges ſibi qua Deo, altera vero leges ſibi qua regi politico, convenientes exhiberet. Hinc forte cauſa petenda eſt, cur ſtatim a dato Decalogo leges politicæ frequentius occurrant, & per capita nonnulla utramque pene faciant Scripturæ paginam; quod nempe Deus ſe pro rege civili gereret, & officium ipſius regium leges ferendo jam exerceret.

(2°.) Seculis rudioribus, Hebræorum natio ad quodvis crimen Tabula ſecunda vetitum maxime proclivis, eoque non parum vitiata, fuiſſe videatur. In hanc ſententiam propendet animus, quod ætas Moſaica non minus opinionibus quam moribus eſſet corruptiſſima. Deinde clarum eſt, Moſem prima Decalogi præcepta criminibus iſtis oppoſuiſſe, quæ mores Hebræorum eo ſeculo maxime polluerunt; polytheiſmo ſcilicet, idolorum cultui, juramento per gentium Deos, & ſabbati violationi: atque hinc anſa datur opinandi, ſex ultima præcepta criminibus illis inprimis adverſari, quæ gentis Iſraeliticæ mores maxime corruperant, vel ad quæ populus iſte, naturæ quaſi pondere, præcipue ferebatur. Præterea ſententiam hanc eo minus a vero alienam judico, quod ei Scriptura non parum faveat.

Mandatum quintum. Nam primo: quam propenſi fuerunt Hebræi veteres ad mandatum de parentibus honorandis infringendum, inde licet intelligere; quod [a] Lege proviſum ſit, ut quicunque patri vel matri plagam infligeret, aut illis mali aliquid exoptaret, morte plecteretur. Huc faciunt etiam verba Prophetæ, Hieroſolymæ crimina memorantis, [b] *in te patrem & matrem contumeliis affecerunt.* Leges etiam Leviticæ, patris aut matris nuditatem revelare, vel eorum propinquos maxime inceſto concubitu dehoneſtare prohibentes.

ſextum. Quam frequenter ſextum mandatum violarunt Iſraelitæ, manus ſuas vicini ſanguine polluendo, pateat e textus ſacri locis paſſim obviis, quibus Scriptura gentem illam criminis tam inhumani ream peragit. Jeſ. 1. 15. & 59. 3. Jer. 2. 44. Ezech. 9. 9. & 23. 37, 45. Mich. 7. 2. & alibi paſſim.

ſeptimum. Israelitæ inſuper ad mandatum ſeptimum violandum bruto quodam fervore ferebantur. Huic aſſertioni fidem ſatis amplam conciliat locus ille Jeremiæ, cap. 5. 7, 8. *Saturavi eos, & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur: equi ſaginati & emiſſarii facti ſunt: unusquisque ad uxorem proximi ſui hinniebat.* Et cap. 13. 26, 27. [c] *Ego nudavi fimbrias tuas contra faciem tuam, & apparuit ignominia tua: adulteria tua & hinnitus tuos, ſcelus fornicationis tuæ, vidi.* Ut itaque ingenio tam bruto frænum injiceretur, pœna capitalis in adulteros omnes [d] Lege decernebatur.

octavum. Porro Scriptura gentem Hebræorum furti frequenter arguit, adeoque mandati octavi inſigniter violati etiam facit. Accuſationis hujuſce fidem firmat, eorum oppreſſionem, injuſtitiam, injurias viduis & pupillis oblatas, & bona malis artibus acquiſita, memorans: Jeſ. 5. 7, 8. cap. 30. 12. Jer. 6. 6, 7. Ezech. 22. 6. Mal. 3. 5. Jeſ. 10. 2. Pſal. 94. 6. Et aliis in locis, non facile numerandis.

nonum. Neque gens illa majore ſenſu & ſtudio mandatum nonum obſervarunt, licet ad veritatem ſolummodo proferendam ſacramenti religione obſtringerentur, eum de re vel perſona aliqua teſtarentur. Hoc vel inde licet intelligere, quod [e] *Lex* ipſa *patricidis & matricidis, homicidis, fornicariis, mendacibus, & perjuris* coercendis *poneretur.*

decimum. Mandatum decimum quod attinet, illud Hebræi tam frequenter & aperta fronte violarunt, ut [f] cupiditas aut avaritia, vitium genti Judaicæ pene proprium & peculiare fuiſſe videatur. Apoſtolus itaque, ſcribens ad Hebræos, hortatur, ut eorum *converſatio* ſit *absque cupiditate* vel *avaritia.* [g] Ribera moniti illius hanc rationem aſſignavit: *Judæi cupidi ſemper fuerunt & proni ad avaritiam: quare hos admonet ne gentis ſuæ vitio laborent.*

Cum itaque jam dictorum luce pateat, ea præcipue vitia quæ Tabula ſecunda prohibentur, Hebræorum veterum mores infeciſſe; non ſine conſilio factum eſt, ut in Decalogo horum ſolummodo mentio diſerta fieret, & hæc ſex præcepta aliorum vice ponerentur.

(3°.) In principio Θεοκρατίας, cum Deus Iſraelitas in regimen & tutelam ſuam accipere dignatus eſt, ſancte promiſit, ſe populum illum [h] *gentem ſanctam & regnum ſacerdotum*, redditurum. Ut itaque fidem datam liberaret, iis leges eas (Tabula prima & ſecunda contentas) impoſuit, e quarum obſervatione, Judæi *gens ſancta* & *regnum* quaſi *ſacerdotum*, non civium vulgarium, repente prodirent, & a gentium fæce divi-

a *Exod.* 21. 15, & 17. *Levit.* 20. 9. b *Ezech.* 22. 7. c *Jer.* 29. 23. d *Levit.* 20. 10. *Deut.* 22. 22. e 1 *Tim.* 1. 10. f *Jeſ.* 5. 8. *Mic.* 2. 2. *Amos.* 8. 4. *Hebr.* 13. 5. g In *Ep.* ad *Hebr.* p. 662. h *Exod.* 19. 6.

derentur.

derentur. Antiquitus enim gentium duces reſpublicas nullis certis legibus temperatas erigebant: apud eos cuivis pene ſceleri jus datum erat, & non tantum idololatriæ, ſed furto, perjurio, homicidio, miſturis inceſtuoſis, aliiſque criminum prodigiis, habenæ laxabantur. Rem hanc indubitatam reddunt, [a] Moſes, [b] auctor Sapientiæ, & Apoſtoli ad [c] Romanos, [d] Corinthios, & [e] Titum, verba: illi nempe gentilibus antiquis crimina notæ nigrioris impingunt, & mores eorum propudioſos ita nobis deſcriptos exhibent, ut pateat iis nihil ad ſummam impietatem defuiſſe. Statuta itaque politica, tabula ſecunda recitata, Iſraelitis obſervanda tradebantur, ut inde *regnum ſanctum* & Deo Rege dignum evaderent; & ut gens ea ab alia quavis rep. nullis aut non adeo [f] ſanctis inſtructa legibus longe diſcreparet. SECT. II

JAM ſupereſt ut quæſtioni tertiæ reſponſum reddam, cur nempe mandata tabulæ primæ & ſecundæ tam arcto nexu conjungantur, cum nihil inter ſe cognationis habere, nec ulla inter ea materiæ vel naturæ ſimilitudo intercedere videatur. Ut quod res eſt paulo clatius eloquar: rem ſerio penſitantibus mirum forte videatur, quod mandata de furto, homicidio, adulterio, mandatis de Dei unitate credenda, idolorum cultu fugiendo, & ſabbato colendo, arcte adeo conſocientur; cum liquidum ſit, ea toto cœlo diſtare, nec ulla materiæ affinitate vel conjunctione copulari. Mandata tabulæ primæ & ſecundæ quare conjuncta.

AT res hæc longe aliter ſe habet atque illi ſentiunt: e variis enim unionis tam propinquæ rationibus jam aſſignandis, apparet, utriusque tabulæ mandata cognatione quadam ſe mutuo attingere, & eodem in fine, idololatriæ ſcilicet abolitione, convenire.

NAM primo: ſi ſcripturas attentius intueamur, facile percipiamus, ſcelera omnia tabulæ ſecundæ præceptis interdicta, inter idololatras olim uſu frequentia fuiſſe, & cum idololatria connexionem proximam habuiſſe. Huic rei fidem ſatis amplam pariunt hæc ſcripturæ loca quæ lectori conſulenda propono, ſi per otium liceat: Jerem. 7. 9. Ezech. 18. 10, 11, 12. & cap. 22. 4, 6, 7, 8, 9, 10, 12, 29. Et cap. 36. 17, 18. Hoſ. 4. 2, 9. Sap. 12. 5, 6. & 14. 23, 24, 25, 26. 1 Cor. 6. 9, 10. Apoc. 9. 20, 21. Deut. 29. 17. Cum idololatræ Diabolo cultum exhiberent, & non minus a Dei natura & lege, quam ipſius cultu & ſacris aberrarent; facile creditur, eos ſe ad numinis ſui morem & ingenium compoſuiſſe, & criminibus non minus tabula ſecunda quam prima vetitis ſeipſos contaminaſſe. Cum itaque Deus in tabula prima, cultum idolorum, & omnia cum eo conjuncta, vetuiſſet; conſentaneum erat & inſtituto ſuo conveniens, ut in tabula ſecunda ſcelera ea ſpeciatim prohiberet, quæ fructus idololatriæ ſunt, & a cultu profano, tanquam radice præcipua, pullulare ſolent.

SECUNOO: Deus tabulam primam & ſecundam, licet res disjunctas admodum & diſcrepantes, conjungi voluit, eo quod duplici perſonæ quam ſuſtinuit, cum decalogum dedit, tam beoe convenirent. Deus enim, decalogum ſanciens, non tantum *Jehovah*, ſed & [g] *Elohim* erat; id eſt, non Deus ſolummodo, ſed *Rex* & *Dominus* Iſraelis. Deus enim decalogum promulgaturus, hæc populo in memoriam revocat, dicens, אנייהוה אלהים *ego Jehovah* vel *Deus*, *Dominus* aut *Rex*, etiam tuus; qui poteſtatis utriusque (divinæ & regiæ) ſpecimen edidi, cum te ex Ægypto liberavi. Atque inde factum eſt forſan, ut tituli illi duo (*Deus* & *Rex*) tam frequenter in Scriptura, [h] Pſalmis imprimis, Jehovæ conjunctim tribuantur. Cum itaque duplex illa perſona (*Dei* ſimul & *Domini* vel *Regis*) in legiſlatore ſummo convenirent; pat etat, ut leges quasdam perſonam utramque reſpicientes promulgaret, & ut illæ in Decalogo convenirent; cum præſertim Decalogus fœdus illud cum Iſraelitis initum contineret, quo Jehovam ut Deum & Regem eorum ſupremum agnoſcere & colere teoebantur. Hæc omnia non ſine ratione dixiſſe videar, cum aperte conſtet leges in Decalogo contentas utramque perſonam reſpexiſſe. Nam tabula prima præcepta continet, ad mores & ritus eos eradicandos apta, qui Jehovæ qua *Deo ſupremo* adverſabantur: & tabula ſecunda mandata continet moribus illis adverſa, qui Deo qua *Regi* cumprimis opponebantur. Nam ſi morum ibi vetitorum naturam & ſcopum intueamur, hujusmodi fuere qui ſanctam illam politiam funditus everrebant, quam Deus erigere decreverat; & *regnum* illud *ſacerdotale* in magnum quoddam latrocinium convertebant.

TERTIO: legis totius intentio & ſcopus erat, Iſraelitas non minus a pravis gentium moribus, quam ritibus profanis, cohibere. Hoc facile colligitur e verbis *Ezechielis*. cap. 11. 12. & e Levit. 20. 22, 23. Exod. 23. 24. & aliis Pentateuchi locis,

a *Deut.* 19. 17. b Cap. 14. a verſ. 23. ad 27. c Cap. 1. a comm. 23. ad 31. d 1 *Cor.* 6. 9, 10, 11. e *Tit.* 1. 16. f *Nehem.* 9. 13. *Deut.* 4. 8. g *Ubicunque eſt* אלהים *in Hebræo, ſignificatur imperium* Grot. ad *Exod.* 20. 2. h *Pſal.* 5, 2. & 68. 24. & 84. 3. & 145. 1. & 44. 5.

K quibus

SECT. II.

quibus peſſimos ethnicorum mores interdictos inveniamus. Hæc veritati aden conſona ſunt, ut lex ipſa ritualis (ſi [a] Grotio credimus) non minus ad mores impios, quam ritus idololatricos, inhibendos inſerviret. Cum itaque Decalogus legum omnium compendium quoddam exhiberet, & in eo tanquam ſummario, legis moralis, judicialis & ritualis mandata repræſentarentur; par erat, ut tabula ſecunda præcipua gentium peccata & ſcelera, prout tabula prima præcipuos eorum ritus & dogmata profana, prohiberet.

Quarto: cum lex Moſaica primo ferebatur, ita ſeculi more factum erat, ut inter crimina tabulis hiſce vetita conjunctio & neceſſitudo quædam intercederet. Moſis enim ætate, nullus idolis addictior inveniri potuit, qui non eſſet [b] adulterii, perjurii, latrocinii, vel ſceleris alicujus cognati, particeps: nec quiſquam gravioris alicujus peccati reus, qui non idolis etiam animum adjeciſſet. Ut rem preſſius tangam: ſi quis propius attendat ad tabulam ſecundam & ſcripturam ſacram, facile percipiat, ætatis Moſaicæ idololatras criminibus illis imprimis, quæ tabula illa prohibentur, ſe fœdiſſime polluiſſe. Nam

(1°.) Pateat eos reverentiam omnem iis jure debitam qui patrum & matrum nomine cenſentur, exuiſſe, quod in thoros eorum ruere, & conjugia natura reclamante contrahere, non dubitarent. Poſtquam enim Deus iſtiuſmodi miſturas inceſtuoſas gentibus antiquis objeciſſet, additur; [c] *omnia execrabilia iſta fecerunt accolæ terræ qui* fuerunt *ante vos, & polluta erat terra: ne evomat terra vos poſtquam pollueritis eam, ſicut evomuit gentem quæ* fuit *ante vos.* Mandatum quintum cum reſpectu ad mores hoſce brutos ethnicorum, & comminationes jam recenſitas, intelligendum arbitror; adeo ut mandatum illud hunc ſenſum repræſentet: “eam reverentiam patribus & ma-“tribus veſtris, & cuivis eorum vicem & nomen gerenti, deferatis, ut eorum nu-“ditatem (gentium ritu) minime detegatis; ne terram ſanctam polluatis, eaque, tantæ “pollutionis impatiens, vos evomat, & inde cito pereatis; uti nuperi illius incolæ, “qui patrum thalamos inceſtarunt, & ſacratiſſima naturæ temerare non dubitarunt.

(2°.) Erat etiam homicidium (mandato ſexto vetitum) in moribus gentium civilibus & ſacris uſu frequentiſſimum.

In *moribus* eorum *civilibus*: hoc e verbis Jeremiæ facile colligendum: [d] *ſi feceritis judicium inter virum & proximum ejus: —— nec ſanguinem innocentem* (more ſcilicet idololatrarum) *effuderitis in loco hoc, & poſt Deos alienos non ambulaveritis,* &c. Ezech. 22. 2, 3, 4, 6. *Fili hominis, nonne judicas civitatem ſanguinum? Imo oſtendes ei omnes abominationes ſuas. —— Hæc dicit Dominus Deus: civitas effudit ſanguinem in medio ſui, ut veniat tempus ejus, & fecit idola contra ſemetipſam, ut pollueretur. In ſanguine tuo qui a te effuſus eſt, deliquiſti:* & in idolis tuis quæ feciſti, polluta es. Ecce principes Iſrael *ſinguli pro potentia ſua fuerunt in te, ad effundendum ſanguinem.* Huc faciunt etiam ejusdem Prophetæ verba, nobis obvia Cap. 18. 10, 11, 12.

Nec homicidia in moribus eorum *civilibus* tantum, ſed etiam *ſacris*, locum inveniſſe probant hæc ſcripturæ loca, Pſal. 106. 38. Ezech. 16. 36. & 23. 37. Sap. 12. 5. 6. quæ (brevitati ſtudens) lectori, ab aliis negotiis immuni, conſulenda trado. E moribus iſtis inhumanis inter ethnicos uſu receptis veniſſe videtur, quod *homicidæ* & *idololatræ*, tanquam comites individui, in [e] Apocalypſi memorentur.

(3°.) Gentes inſuper mandati ſeptimi ſanctitatem ſæpiſſime violarunt, vitam agentes adulteriis & omni laſciviæ genere contaminatam. Huic mori teſtimonium ſatis amplum præbet Apoſtolus, ſic [f] Epheſios alloquens; *hæc igitur dico & teſtificor in Domino, ut non ambuletis amplius, ſicut & reliquæ gentes ambulant, in vanitate mentis ſuæ* &c. *Qui dedolentes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in exceſſu.* Hinc anſa data verbis ejusdem apoſtoli ad [g] Theſſalonicenſes qui gentiliſmum nuper abdicaverant: *hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: ut abſtineatis vos a fornicatione. Ut ſciat unuſquisque veſtrum ſuum ipſius vas poſſidere in ſanctificatione & honore.* Μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας, *ſicut & gentes quæ ignorant Deum.* Huic rei S. Petrus etiam teſtimonium perhibet, 1 Epiſt. 4. 3. *Sufficiat vobis præteritum vitæ tempus voluntatem gentium adoperari: cum ambularetis in luxuriis, libidinibus, vinolentiis, comeſſationibus & abominandis* idololatriis. Ethnici ſpiritum immundum numinis vice coluere: nil mirum itaque ſi libidines immundiſſimæ non mores tantum eorum, ſed ipſa ſacra, templa, altaria, omnia, commacularent. De hoc autem [h] argumento tam fuſe dictum eſt alibi, ut non magis neceſſe quam volupe ſit hanc camarinam iterum commovere.

a *Annot.* in *Hebr.* 9. 10. b 1 *Cor.* 6. 9, 10. c *Levit.* 18. 27, 28. d 7. 5, 6. e 21. 8. & 22. 15. f 4. 17, 18, 19. g 1 *Theſſal.* 4. 3, 4, 5. h *V. Differt.* in *Act.* 15. 20. lib. 2.

(4°.) Ve-

(4°.) Veteres idololatræ mandatum octavum nihilo magis obſervarunt, latrocinia cujuſque generis, *ſacrilegium*, *rapinam*, *furtum*, *fraudem*, frequenter exercentes. *Sacrilegium* iis non injuria tribuo, quod e ſcriptura conſtet, ethnicos bona Dei propria manu furtiva capere ſolitos, & idolo dedicare. Hoc enim iis in morem abiiſſe probat Ezechielis teſtimonium, cap. 16. 17, 18, 19, 20, 21. & cap. 23. 41. Huic mori fidem etiam afferunt [a] Joelis & [b] Hoſeæ verba. Idololatras etiam *rapinam* feciſſe, & (prædonum ritu) latrocinio & homicidio manus non raro polluiſſe, non difficulter intelligitur e [c] Nahumi & [d] Ezechielis teſtimonio. Eos etiam *furti* reatum ſæpe contraxiſſe, dubitare non ſinit Apoſtolus, qui fornicatores, idololatras & fures, arcte conſociavit, 1 Cor. 6. 9. Gentiliſmi nocte latebant fures; & apud ethnicos manus furtivas aliorum bonis injicere, crimen haud adeo grande vel infame videbatur; cum gentibus nec regula certa, nec ratio clara, ſuppeteret, qua *meum* & *tuum* ab invicem diſcerni poſſent. Ethnicos etiam *fraudem* in commerciis exercere ſolitos, intelligere licet ex Apoſtoli verbis ad [e] Epheſios, *nemo vos ſeducat inanibus verbis*, quæ ſic illuſtrat Grotius; *notat philoſophos qui docebant nihil mali eſſe in inceſtibus & ἀῤῥενομιξίᾳ, & qui laudabant κοινογαμίας, & qui putabant vendentibus & ementibus licitum eſſe circumvenire ſe invicem.* Sect. III.

Deventum eſt jam ad præcepta illa noviſſima; de mendacio nempe vel perjurio, & rei alienæ deſiderio fugiendis: nil opus autem ut multum laboris impendam ad probandum idololatras olim utrumque præceptum fœdiſſime violaſſe: cum enim Diabolus, cui cultum tribuebant, mendax eſſet & mendaciorum pater; cum inſuper *hujus mundi Deus* eſſet, & bona mundana ſuis frequenter elargiretur; dubitari nequit, idololatras ſe ad numinis ſui naturam & ingenium compoſuiſſe, & ſe non raro mendaces, perjuros, & impotenter avaros, oſtendiſſe. Deinde: mendaces & idololatræ, tanquam patris ejuſdem filii gemelli, in [f] ſcriptura non raro conjuncti veniunt. Idololatram etiam in ſcriptura nonnunquam ut πλεονέκτην, & πλεονέκτῃ ut idololatram, deſcriptum inveniamus. Pateat hoc e locis hiſce facile conſulendis, Ezec. 22. 4, 12, 13, 25, 27. 1 Cor. 5. 10, 11. Coloſ. 3. 5. Epheſ. 5. 5. Conſtat etiam e Jerem. 6. 13. avaritiam, fraudem & mendacium, totam gentem Judæorum infeciſſe, cum primum animos idolis addixiſſent.

E ſuperius allatis hæc duo facile colligantur: (1°.) Veteres idololatras, Iſraelitas & ethnicos, peccatis tabula prima & ſecunda vetitis ſe pariter inquinaſſe. Erat itaque rationi & temporum antiquiorum genio conſentaneum, ut ſummus legiſlator cenſus utriuſque peccata conjunctim interdiceret, & ut tabulæ duæ, peccata illa prohibentes, proxime jungerentur. (2°.) Hoc etiam e modo dictis inferre licet, rationi conſonum eſſe, ut præcepta nonnulla, nihil cognationis habentia, non minus in pentateucho quam in decalogo conjungerentur. Exemplo ſit locus ille [g] Levitici, quo præcepta de colendo ſabbato, de parentibus honorandis, & idolis fugiendis, conſociata reperiamus. Quamvis enim hujuſmodi præcepta nulla naturæ ſimilitudine vel affinitate materiæ ſibi mutuo devincta fuerint; optima tamen ex cauſa conjuncta veniunt, quod nempe peccata in iis interdicta cultum idolorum promoverent, & cum eo proxime jungerentur.

SECT. III.

Capitis hujuſce concluſio.

IN ſuperioribus abunde demonſtratum eſt, Deum legem etiam moralem eo præcipue conſilio Judæis impoſuiſſe, ut eos ab idololatria, & moribus impuris cum ea conjunctiſſimis, elongaret.

Tres autem rationes in promptu habeo, cur huic argumento, licet a re præſenti nonnihil alieno, tam diu immoratus ſum.

(1°.) Ut eo credibilius habeatur, Iſraelitas, ætate Moſis, idololatras fuiſſe, vel ad idololatriam propenſiſſimos. Quid enim Deus ipſam legem moralem ad idololatriam propulſandam traderet, niſi quod peſtis illa tam longe lateque graſſaretur, & Hebræorum natio non minus Ægypti moribus, quam ritibus & inſtitutis, inficeretur?

a 3. 5. b 2. 8, 9. c 3. 1. d 18. 10, 12, 13. & Cap. 22. 29. e 5. 6. f *Jeſ.* 30. 9. *Apoc.* 21. 8. & 22. 15. *Sap.* 14. 25. g 19. 3, 4.

CAP. III. (2°) UT eo credibilius haberetur, Deum legem ceremonialem ad idololatriam eradicandam inſtituiſſe; cum conſtaret eum legem etiam moralem eo fine dediſſe, ut Iſraelitæ idololatriam, ejuſque ſructus omnes, averſari diſcerent. Atque hic opportunum erit obſervare, quod in Pentateucho primam Decalogi tabulam, omiſſa quandoque ſecunda, repetitam & inculcatam inveniamus; quod nempe ſub [a] Lege maximum ab idololatria ipſa periculum Iſraelitis immineret: ſub [b] Evangelio vero promprum eſt obſervare, tabulam ſecundam, prima prorſus omiſſa, repeti & in memoriam revocari, quod eo ſeculo majus a ſuperſtitione quam idoloiatria periculum inſtaret Hebræorum populo.

(3°.) HOC in loco, de mandatis & eorum rationibus eo ſuſius & libentius egi, quod eorum interpretes primos & proprios eorum fines & ſenſus ne quidem attigiſſe videantur. De Decalogo nempe, non ut remedio idnlolatriæ, ſed tantum ut regula vitæ licet imperfecta, loqui ſolent. De peccatis etiam tabula ſecunda vetitis ne verbum faciunt, quatenus idololatriæ fructibus & actibus quibus Dæmoni cultum & obſequium præſtabant, & in illius naturam tranſibant ethnici; quibus etiam Deo qua Regi politico renunciabant Iſraelitæ, a Dei ad *Molechi* partes tranſituri. Hoſce fines & intentiones mandatorum interpretes vulgares ne per ſomnium vidiſſe ſentio, quod eos ſilentio plerunque prætermittant.

CAP. III.

Quibus rationibus aut mediis lex ceremonialis ad idololatriam abolendam inſerviebat.

ISRAELITAS a patrum ſuorum fide & virtute ad idololatriam in Ægypto, ſcelerum omnium ſentina, lapſos ſuiſſe, ſatis extra dubium ſtatuiſſe videar. Nec opus eſſe cenſeo, ut plurimis evincam argumentis Deum legem ceremonialem dediſſe, ut idololatriæ ſe paſſim diffundenti repagulum objiceret, & *Abrahami* ſaltem ſemen a peregrinis ad patrios mores, & ab idolis ad Dei veri ſenſum cultumque revocaret. Nam hac de re non multum inter doctos diſceptatum eſt: quanquam circa rationem & modum quo leges tam diverſæ ad unum illum finem & effectum promovendum conſpirarunt, nonnihil ab invicem diſcrepare videantur. Sentcotiis hiſce diſcrepantibus ipſa legum ritualium natura cauſam non levem præbuit: nam e legibus illis nonnullæ tam longe diſtabant ab idololatria, ut inter eas, nulla conjunctio, vel diſcordia, nec pax nec pugna, intercedere videatur: aliæ vero leges ejuſdem familiæ, modis tam variis & diverſis ad idololatriam amovendam inſerviebant; ut vix poſſibile ſit, eas intra claſſes aut capita diſtincta digerere, vel de iis ita diſſerere ut methodi leges nullibi violentur.

Lex undecim mediis ad idololatriam tollendam valuit.

NE lectorem, ſiticuloſum forſan, a legis Moſaicæ fontibus diutius teneam, & ut immenſum illum (quo jam verſor) ſcribendi campum certis methodi cancellis circumſcribam; mooendum eſt, legem ritualem hiſce præcipue rationibus aut mediis ad idololatriam amovendam valuiſſe.

(1°.) MERCEDEM & pœnam tantum temporalem, *diſerte* & *explicate* proponendo.

(2°.) SIGNA quædam, populi Deo peculiaritet addicti, & cultus in Dei ſolius honorem præſtiti, ſtatuendo.

(3°.) MULTIS docetur, legem illam idololatriæ obſtitiſſe, gentes & Iſraelitas ab invicem ſeparando.

(4°.) LEGEM idolis obicem poſuiſſe, ciborum & animalium diſcrimen inſtituendo.

(5°.) SACRA pleraque certis quibuſdam locis, perſonis, & temporibus aſtringendo.

(6°.) FESTIVITATES varias, ſeptiduanas, menſtruas, annuas, indicendo.

(7°.) LEGEM idololatriæ curſum retardaſſe, Dei & ſacrorum omnium honori proſpiciendo.

(8°.) LEGEM idololatriæ frœnum injeciſſe, varia munditiæ & immunditiæ genera ſtatuendo.

(9°.) LEGEM idololatriæ curſum inhibuiſſe, *Zabiorum* qui dicuntur, inſtituta rituſque prohibendo.

(10°.) RITUS aliquos uſu loogo receptos reformando, eoſque ad Dei ipſius cultum transferendo.

a vid. *Levit.* 19. 3, 4, 12. b *Mat.* 19. 18, 19.

(11°.)

(11°.) Legem ceremonialem idololatriæ obſtaculo fuiſſe, tot ritus moleſtos admodum & oneroſos inſtituendo.

Ex his intelligere licet, leges ceremoniales unum quidem finem generalem & remotum [idololatriæ ſcilicet abolitionem] habuiſſe; varios autem fines ſpeciales & proximos, quatenus leges illæ diverſimode ad finem generalem promovendum conſpirarunt.

C A P. VI.

Legem ad idololatriam abolendam plurimum valuiſſe, primo, mercedem & pœnam tantum temporalem diſerte & *explicate proponendo.* Ratio 1a.

INTER varia illa media quibus Deus ad Hebræorum gentem a gentilium ritibus & idolis ad legem cultumque ſuum perducendam utebatur, haud infimæ notæ ſunt bona & mala temporalia in lege propoſita; quibus rudis ille populus, ſi ſpe vel metu movendus, ad legem ejus obſervandam duceretur. In ea nempe ſæpe ſancteque pollicetur Deus, ſe terram lacte & melle fluentem, ſobolem numeroſam, vitam longam & tranquillam, victricia ſigna, nomen in honore poſitum, omnia denique ad votum proſpera, iis conceſſurum; modo legi ſuæ obedientiam præſtarent, eique fideliter adhærerent. Ex adverſo vero, mala omnia, peſtem, famem, inopiam, morbos, cladem, cœlum ferreum & terram alienam interminatur, ſi ad ingenium ethnicum redirent, & legem ſuam proterve violarent. Deum hanc rationem iniiſſe, ut populum illum ab idolis & inſtitutis gentium avocaret, cuivis apparebit legem totam, locos inprimis hic a me citatos, attente perlegenti: *Exod.* 23. 25, 26, 27. *Levit.* 26. 3, 4, 5, 6, 7, 8. *Deut.* 5. 33. Cap. 6. 3, 14, 15. & Cap. 7. 12, 13, 14, 15. & Cap. 8. 19, 20. Cap. 11. 8, 9, 13, 14, 15, 16, 17. & Cap. 28. per tot. & 29, 9. & 30. 8, 9, 17, 18. vide etiam *Jeſ.* 48. 18, 19. Bona & mala tantum temporalia in Lege proponuntur,

Si quid autem probabili conjecturæ hac in cauſa tribuendum ſit, rationes quatuor aſſignari poſſunt, cur Deus promiſſiones & comminationes vitam ſolummodo præſentem ſpectantes tam frequenter propoſuerit, ut idololatriam aboleret, & populum Iſraeliticum ſibi & legibus ſuis devinciret. ob 4 rationes principales.

Primo: promiſſa ſolummodo terreſtria ad populi illius rudis & cœleſtium inanis ingenium guſtumque fuerunt accommodata. Populum illum e longa cum Ægyptiis conſuetudine, in ventrem ſolummodo pronum & abjectum fuiſſe, nec quicquam ſupra cæpe & allium Ægypti vere ſapuiſſe, res per ſe credibilis eſt, & multis ingenii illius Ægyptiaci documentis aperte confirmata. Deus itaque carnalem populum promiſſorum carnalium illectamentis ſibi & legibus ſuis conciliare ſtuduit: pueros illos ſpe pavit mundi felicis, & [a] ἐπεισαγωγὴν κρείττονος ἐλπίδος ad magis virilem evangelii ſtatum reſervavit. Cum enim populus Iſraelis ad altioris vitæ ſenſum prorſus obſurduiſſet, ſi Deus gloriam & vitam æternam præmii loco propoſuiſſet, margaritam illam pedibus proculdubio, porcorum ritu, conculcaſſent. Huic rationi pondus addunt [b] *Theodoriti* verba, Ἰουδαῖοι δὲ χαμαιπετῆ ἔχοντες καὶ χαμαίζηλον φρόνημα, &c. *Judæis humi repente præditis animo & terrena ſapiente, terrenas maledictiones & benedictiones tribuit* Deus: *qui enim ne conſpicuis quidem miraculis credebant, quomodo ſuſcepiſſent quæ ſpectant ad vitam* æternam? In eandem ſententiam loquitur [c] Gregor. Abulpharai, cujus verba, ex Arabico in Latinum traducta, ſic ſonant: *Deus altiſſimus promiſſa & minas ſuas ad filios Iſraelis contraxit ſolum ad ea quæ in hoc mundo viderent, ita ut non mentionem illis* apertam *fecerit rei alicujus quæ ad mundum futurum, aut eorum quæ ad reſurrectionem ſpectant; quod natura hebetes, mundi ſpiritualis contemplationi impares eſſent.* Cum itaque populus ille ad vota viliora proclivis eſſet, & vix ullum rerum cœleſtium guſtum retineret; conſentaneum erat, ut Deus promiſſis carnalibus & ad populi modulum attemperatis eos ad obſequium alliceret: niſi enim arte illa leges ſuas adverſis Iſraelitarum palatis conciliaſſet, ii proculdubio, qui delicias Ægypti ſpirabant unice, a novis ejus inſtitutis penitus abhorruiſſent. Senſum meum hac in re *Grotius* ita plenius & elegantius exprimit: [d] *non mirandum, ſi populo craſſo, &, quod ex omni hiſtoria apparet, valde* σαρκικῷ, *Deus non aperte propoſuit ea quæ captum illorum excederent; ſed ipſorum ingenio ſe accommodans, rerum adſpectabilium commodis atque incommodis imminuere voluit adultam peccandi conſuetudinem. Sicut nimirum parentes primæ ætatis liberos non alliciunt ſpe hære-* Nempe 1°. ob ruditatem populi.

[a] *Hebr.* 7. 19 [b] Quæſt. 34. in *Deuter.* p. 182. [c] *Hiſtor. Dynaſt.* p. 21. [d] *Annot. ad Mat.* 5. 20.

L *ditatis,*

ditatis, quam non intelligunt, ſed partim verberum metu a delinquendo abſterrent, partim, ut ait ille,

——[1] *Pueris dant cruſtula blandi*
Doctores, elementa velint ut diſcere prima.

2°. Ob radicem idololatriæ.

SECUNDO: Deus promiſſis & minis temporalibus Legem ſanciens, primam idololatriæ radicem & fomitem ſublatum ivit. Nam ſeculis antiquioribus nulla res æque credulum vulgus in peſſima quæque abripuit, quam execrabilis opinio late propagata, quod rebus ad invidiam felicibus uſuri eſſent, modo Dæmones, aſtra, & idola colerent; at quod morbis & infortuniis omnigenis mulctarentur, ſi Deos illos abdicarent, & eorum inſtituta violarent. Atque hæc opinio en altius in mollioris vulgi animos deſcendebat, quod, referente [a] *Maimonide, idolorum propheta, e veteri Zabiorum grege, concionabantur in congregationibus & cœtibus publicis, & hominum animis imprimebant, propter hujuſmodi cultus pluviam de cœlo deſcendere, arbores agri fructus ferre, terram fœcundam reddi, & quod homines vitam longævam ſint habituri, quod morbi ab illis auferendi, quod a viris magnis ſint conſervandi.* Hanc autem ſententiam plurimum invaluiſſe, & idololatriæ magnum incrementum & auctoritatem tribuiſſe, eo credibilius exiſtimetur, quod [b] Apoſtolus, cum Græcos idololatriæ deditos ad ſaniora conſilia retrahere ſtuderet, *pluviam, tempora frugifera*, aliaque vitæ commoda, eos Dei, non Idoli alicujus, benignitati debere doceat. Quibus haud obſcure monet, ethnicos bona ſua omnia idolis ſuis accepta retuliſſe, eoſque ſpe vana fortunæ lætioris allectos *vanitates* illas tam prono cultu & obſequio proſecutos. Spem & fidem eandem Iſraelitas etiam idolorum cultui devinctos tenuiſſe, ſatis e Dei populique verbis apud [c] Prophetam memoratis innoteſcat: *dixit, vadam poſt amatores meos, qui dant panem meum, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum & potum meum. Et neſcivit quod ego dedi frumentum ei. Idcirco revertar, & ſumam frumentum meum in tempore ſuo, & auferam lanam meam,* &c. *Et corrumpam vineam ejus & ficum ejus, de quibus dixit, mercedes hæ meæ ſunt, quas dederunt mihi amatores mei.* Senſus conſimilis verba occurrunt apud prophetam eundem, Cap. 9. 1. quæ Chaldæus paraphraſtes in hunc modum illuſtravit: "ne lætemini viri domus Iſrael, nam aberraſtis a cultu Dei veſtri: dilexiſtis ſervire idolis pro areis frumenti.

CUM itaque idololatria ab hac radice pullularet, Deus, ut eam funditus evelleret, Iſraelitis agros & vineas ſteriles, adverſam valetudinem, liberos fato præmaturo cadentes, vitam denique nullo non vexatam infortunio, denunciavit, modo moribus & idolis Ægypti ſe contaminarent: at ſancte pollicitus eſt, eos uberem glebam, dies multos, lætas ſegetes, res ex animi ſententia fluentes, habituros (contra quam idolorum prophetæ concionati ſunt) ſi Diis ſuis antiquis abdicatis, ſibi uni ut Domino Regique ſuo ſacramentum dicerent. Exempli cauſa: cum ſacerdotes Ægyptii *Iſidis* terrore complerent infirmiores animos, quaſi tetris illis ulceribus quæ [d] *Ægyptiaca* & *Syriaca* vocantur, cultus ſui contemptum vindicaret; Deus ſpeciatim promiſit, ſe populum illum ab [e] *omni ægritudine Ægypti mala* immunem præſtiturum, ſi mores & Deos Ægypti rejicerent, nec fidem Deo oppignoratam idololatria violarent. Cum etiam veteres idololatræ vitam proſperam & omnia felici ſydere procuranda ſponderent ſibi, ſi forte *matrem cum pullis* una reperire & accipere poſſent; Deus e contra vitam proſperam & longævam, matrem evolare permittenti [g] pollicetur. Ethnici ſe proſpere ſementem facturos ſibi certo [h] perſuaſerunt, ſi varii generis ſemina ſulcis una mandarentur: at Deus morem illum prohibet, *ne forte*, inquit, *agri tui ſemen polluatur:* i. e. ne corrumpatur, & ager aut vinea laborem tuum & fiduciam ludat. Cum denique idololatris in more eſſet, ut ſi quid ſiniſtri in bello vel vita communi eveniſſet, id Diis ſuis non rite propitiatis imputarent; & ritum quemlibet a Diabolo inſtitutum, ad fælicitatem ſuam momentum haud exiguum habiturum crederent; Deus ex adverſo peſſima quæque in lege minatus eſt, ſi Dei alicujus peregrini ritus agerent aut opem implorarent: at ſancte promiſit, eorum res omnes eventus proſperos habituras, ſi rejectis Gentium ceremoniis, Dei ſolius legem & ritus obſervarent. Nec Dei promiſſis aut minis fides defuit: id enim negotii datum videtur hiſtorico ſacro qui res Joſhuæ, Ju-

a *Mor. Neb.* p. 3. c. 30. & l. de idololatr. c. 1. §. 3. b *Act.* 14. 17. c *Hoſ.* 2. 5, 8, 9, 12. d *Caſaub.* in *Perſ. ſat.* 5. p. 470. e *Deut.* 7. 15. & 28. 27, 60. f *Thom. Aquin.* 1ª. 2æ. *Qu.* 102. *Art.* 6. *ſub fin.* g *Deut.* 22. 6, 7. h *V. Lib.* 2. cap. de leg. *Levit.* 19. 19.

1 Horat. ſerm. l. 1. v. 25.

dicum

dicum & Regum memoriæ conſignavit, nempe ut Iſraelitarum & Regum ſuorum res proſpere vel infeliciter ceſſiſſe probaret, prout legibus Moſaicis adhæſerunt, aut ab iis aberrarunt.

Tertio: religio ubique olim recepta, & cui populus Hebræus in Ægypto aſſueverat, bona tantum temporalia ſpectabat, nec ultra vitam animalem ſpem & curam extendebat. Veritatis hujuſce fidem e gentilium *numinibus*, *ſacrificiis*, *feſtis*, & *dictis*, aſſeramus. Si eorum NUMINA ſpectemus, perſpicuum eſt eos ſolos Deorum nomen & cultum apud ethnicos inveniſſe, qui beneficiis aliquibus temporalibus eos demeruiſſe credebantur. Nam inde venit, quod ſolem, lunam, ſtellas, artium aut legum inventores alioſque de genere humano præclare meritos, in Deos referrent, quod ſcilicet vita naturalis eorum benignitati multa beneficia debere videretur. Hoc [a] *Prodico Chio* ſuboluit, cum affirmaret, homines ſolem, lunam, aliaque ὠφελοῦντα τὸν βίον, *in Deorum cenſu poſuiſſe*, διὰ τὴν ἀπ' αὐτῶν ὠφέλειαν, *ob eorum utilitatem & adjumenta*: quibus ſubdit, καθάπερ οἱ Αἰγύπτιοι τὸν Νεῖλον, *quemadmodum Ægyptii Nilum colunt*, ob beneficia nimirum quæ ex annua illius inundatione reportarunt. Manifeſtum eſt etiam gentilium SACRIFICIA ad hujus vitæ commodum, tanquam ſcopum unicum, collimaſſe. Si quis enim Gentilium monumenta conſulat, *facile deprehendat eos initiaſſe ritus omnium religionum, vel ut remuneraretur divina indulgentia, vel ut averteretur imminens ira, vel ut jam tumens & ſæviens placaretur*; uti [b] *Cæcilius*, ethniciſmi conſultus, aperto capite profitetur. Nec minus apertum eſt, omnia gentilium FESTA, ſub ſpecie quadam religioſa, ad vitæ præſentis voluptatem & commodum unice collineaſſe. Ideo enim in uſum venere, vel ut ſpiritus animales ludis & ſpectaculis recrearent; vel ut Deos, religioſa ſolemnitate in eorum honorem inſtituta, vineis & agris ſuis propitios redderent; vel ut eorum benignitatem ob uberem proventum, aut alia aliqua beneficia vitam præſentem ſpectantia celebrarent. Gentilium etiam DICTA paſſim obvia, eorum preces, & rituli quibus Deos ſuos ornarunt, palam faciunt ſacra eorum omnia ad bonum aut malum vitæ hujus caducæ reſpectum geſſiſſe, eoſque *ventrem ſuum* pro Deo habuiſſe. Hiſce morem & ingenium omnino conſentaneum exprimunt Indi occidentales, apud quos etiamnum viget ethniciſmus: nam [c] *nihil fere a ſuis numinibus petunt hæ gentes præter largam ciborum & potus copiam, bonam valetudinem & de hoſtibus victoriam.* 3°. Ob religionis ubique receptæ genium.

Cum itaque religio, ritus tantum carnales pro materia, & bona ſolummodo carnalia pro ſcopo habens, ubique gentium obtineret; & proculdubio, e magno uſu qui Iſraelitis cum Ægyptis interceſſit, intimis eorum animis infigeretur; conſentaneum erat, ut Deus legem ritus tantum carnales continentem & bona ſolummodo carnalia pollicentem traderet, ut inſtituta ſua ad ſeculi genium populique modulum & uſum accommodaret. Credo equidem vitam cœleſtem Moſi innotuiſſe, eumque nonnulla ſtatum futurum ſpectantia verbis myſticis & typorum nebulis involuta tradidiſſe, viros etiam propheticos ſeculis ſequentibus vitam & immortalitatem e nubibus Moſaicis in lucem paulo clariorem indies protuliſſe. At certum eſt, legem Moſaicam nil [d] *apertè* & in ſummo verborum cortice, præter vitæ quam in carne degimus emolumentum, exhibuiſſe, & Hebræorum plebem, ſpe tantum aut ſenſu boni terreſtris animatam, legi obedientiam præſtitiſſe. Deum enim ſub titulo & conceptu [e] redemptoris terreni & regis quaſi politici coluere: ſacrificia pleraque omnia ad beneficium aliquod ſeculare conſequendum aut agnoſcendum obtulere: feſta ſua inſtituta ſunt, ut beneficium aliquod olim receptum memori mente retinerent, vel ut ſpiritus animales vitæ curis gravatos otio honeſto & jucundo reficerent, vel denique ut terræ fructus, Deo [non ſoli, lunæ, vel dæmoni alicui] ſe debere, grati lætique profiterentur. Ideo autem, ſi conjecturæ locus, voluit Deus, ut hac in re gentium & Judæorum religio ad amuſſim convenirent, quod gentium ſacra (quibus populus Hebraicus innutritus eſt) carnem tantum & terram ſpirabant, & pene omnem vitæ bonive altioris ſenſum & fidem Iſraelitis excuſſerant. Si itaque Deus mercedem cœleſtem populo ante oculos poſuiſſet, diſceſſum ſuum ab Ægypti ſacris animo moleſtiore tuliſſent, & ea forſan ſuſpicio iis incidiſſet, ſe vitæ hujus commodis (quæ in votis & deliciis ferebant unice) penitus emungendos. Deus itaque, ut populum illum ſolo ſenſu ductum ſibi devin-

a *Ap. Sext. Empir.* L. 9. *adv. Phyſic.* p. 552. b *Ap. Minut. Felic.* p. 55. c *Hieron. Benzo. hiſt. novi Orbis* l. 1. c. 26. d *Præmia legis Moſis aperte propoſita, ad hanc vitam mortalem ſpectant omnia.* Grot. de V. R. C. l. 5. ſ. 6. e *Exod.* 20. 2.

ciret, id ante alia curavit, ut cujus inſtituta, multo magis quam dæmonum ſacra, cum eorum commodo temporali conjuncta crederentur.

4. Vulgi opinionem. QUARTO: ea olim opinio Gentium & Hebræorum animis alte inſederat, quod omnia vitæ commoda è cultu dæmonum & idolorum unice provenirent, nec agricultura vel ullum inceptum proſpere ceſſurum eſſet, niſi quis Deos illos propitiaret, & eorum ceremonias obſervaret. Hanc opinionem Judæorum animos infeciſſe, ſatis teſtantur eorum verba apud [a] Prophetam memorata: *faciemus quicquid egreſſum eſt ex ore noſtro, ſuffiendo Reginæ cælorum, & libando ei libamina* —— *Tunc enim ſaturati fuimus pane, proſpere egimus, & malum non vidimus. Ex quo vero ceſſavimus ſuffire Reginæ cælorum, & libare ei libamina, caruimus omnibus, & gladio & fame conſumpti ſumus.* Eodem argumento fretus, *cultus* (uti vocat) *veteris* cauſam agit *Julianus*, ſic Alexandrinos alloquens qui Chriſtianis eorumque doctrinis novis ſtudere credebantur: [b] *vos Alexandrini, patriorum dogmatum contemptoribus ſervire, ſponte, contra jura antiqua, ſuſtinetis;* καὶ ἐν ἀτέχνῳ μνήμῃ τῆς παλαιᾶς ὑμῶν ἐκείνης εὐδαιμονίας, ἡνίκα ἦν κοινωνία μὲν πρὸς θεοὺς Αἰγύπτῳ τῇ πάσῃ, πολλῶν δὲ ἀπελαύομεν ἀγαθῶν· *Neque priſcæ illius felicitatis recordamini, quæ tum ſuppetebat, cum & communionem cum Diis Ægyptus haberet omnis, & in multa bonorum abundantia viveremus.* Eandem opinionem una cum gentiliſmo imbiberat *Celſus*: nam de arborum fructu, vino, frumento, aqua & aëre locutus, inquit, [c] οὐκ ἄρα παρά τινων δαιμόνων ἕκαστα τούτων λαμβάνουσιν, οἷς κατὰ μέρη τὸ ἐπιμελὲς ἑκάστῳ προστέτακται; *Annon hæc ſingula ab aliquo dæmonum accipiunt* homines, *quibus harum rerum cura diſtributa eſt?* Hinc factum ut Jupiter Ζεὺς ἐπικάρπιος, & *Cabiri* Orpheo ἀγροτρόφοι & φερεκάρποι dicerentur. Neque hæc opinio ſub ſeneſcentis tantum ethniciſmi tempora vulgi mentes occupavit: nam, obſervante [1] *Maimonide*, pleríque Zabiorum ritus in lege vetiti agriculturam ſpectant, & eo conſilio ab idololatris illis antiquis uſurpati ſunt, ut dæmones, γεωργοὺς illos ἀοράτους, (uti loquitur [2] Origenes) ſibi & operibus ſuis propitios haberent, & proinde meſſem lætiorem obtinerent. Hæc autem opinio, de ubere meſſe & fortuna proſpera dæmonum cultu & ceremoniis conſequenda, eo altius in Hebræorum & Gentilium animos deſcendiſſe putetur, quod Ægytii, cæteris gentibus δεισιδαιμονέστεροι, vitam ſuam tranquillam & ſummam illam, qua per longam annorum ſeriem gaudebant, rerum bonarum affluentiam, indefeſſo ſuo Deorum cultui, ſacrificiis, aliiſque ritibus & artibus nefariis, acceptam ferrent. Hanc autem Ægypti felicitatem, ad opinionem quam dixi firmandam lateque propagandam, vim magnam habuiſſe, ex hoc unico manifeſtum eſſe poteſt, quod hac [d] Ægyptiorum felicitate & fama rerum ſuarum ad invidiam lætarom exciti, non Hebræi tantum, ſed & Perſæ, Arabes, Phœnices, Syri, Babylonii, Græci, eo animo ſe in Ægyptum contulerint; ut ipſi mirifica diſciplinarum ſacerdotalium cognitione imbuti, earumque ope arcanorum Iſiacorum facti participes, eam quoque quam Ægyptii felicitatem conſequerentur.

Cum itaque hæc opinio vulgi animos uſque adeo valide pervaderet, ut Diabolus ea, veluti philtro & faſcino quodam, ad hominum affectus ſibi ritibuſque ſuis conciliandos, uteretur; rerum ſtatus & conditio poſtulavit, ut Deus corporis & fortunæ bona omnia Iſraelitis leges ſuas colentibus promitteret, adverſa vero omnia gentium leges & ritus obſervantibus minaretur: ne opinio illa peſtiſera quid veri habere, aut populus a dæmonis ad Dei cultum converſus aurea (quod aiunt) cum æneis permutaſſe, crederetur.

Quatuor rationes minus principales adjiciuntur. QUÆ jam dixi luculenter oſtendunt, Deum bona tantum temporalia in lege ſua *clare* promiſiſſe, præcipue quidem ut ea ratione populus ille, ſenſuum voluptatibus immerſus, a dæmonis ad Dei cultum alliceretur. Non deerant tamen hujuſmodi promiſſionum rationes aliæ, minus forſan principales; & a ſcopo non prorſus alienum fuerit eas levi ſaltem digito tetigiſſe. Nam,

Primo. PRIMO: promiſſa illa, carnem tantum ſpectantia, legum Moſaicarum naturæ quam maxime conveniebant. Cum enim Deus ἅγιον κοσμικὸν inſtituiſſet, cum etiam νόμον σαρκικῆς ἐντολῆς populo tradidiſſet, congruum erat ut iis qui [e] δικαιώματα σαρκὸς amplexi erant, bonum ſolummodo mundanum & carnale præmii loco proponeretur. Non adeo conſentaneum erat, ut homines ad leges æternæ juſtitiæ præmio tantum temporali, vel ad leges rituales & temporarias obſervandas præmio cœleſti, ducerentur.

a *Jerem.* c. 44. 17. 18. v. lib. 1. *Mac.* cap. 1. 12. b *Epiſt.* 51. p. 433. c *Ap. Origin. contr. Celſ.* l. 8. p. 396. d *V. Kircher. Oedip. Ægypt.* T. 1. p. 246. e *Hebr.* 9. 10.

1 Vid. *Mor. Neb.* P. 3. c. 30.
2. *Contr. Celſum* p. 398.

Huic

Huic rationi ſoliditatis aliquid addunt *Iſaiæ* verba, cap. 58. 8. Ibi enim, poſtquam populi hypocriſio & ſucatam pietatem perſtrinxiſſet, & juſtitiam in omnes cum eharitate in egenos commendaſſet; hiſce mercedis loco promittit, *erumpet ſicut aurora lux tua, & ſanitas tua protinus efflorefcet, & ibit ante te juſtitia tua,* & כבוד *gloria Jehovæ aggregabit te:* deinde vero pnpulum ad ſabbatum, &, ſub illius nomine, totam legem ceremonialem, ſancte obſervandum, hac facta promiſſione adhortatur, ἔσῃ πεποιθὼς ἐπὶ Κύριον, καὶ ἀναβιβάσει σε ἐπὶ τὰ ἀγαθὰ τῆς γῆς, καὶ ψωμιεῖ σε τὴν κληρονομίαν Ἰακώβ. *Et erit confidens*, vel delectaberis, *ſuper Dominum: & elevabit te ſuper bona terræ, & cibabit te hæreditate Jacobi* patris tui. Ubi promptum eſt obſervare, Deum latum diſcrimen inter juſtitiæ moralis & ceremonialis præmia ſtatuiſſe: nam eharitati & ſinceritati vitam felicem ſimul & [a] cæleſtem gloriam (quamvis paulo obſcurius) pollieetur; ſabbato vero & ceremoniis, regni tantum ſecuritatem, rerum affluentiam, corpusque bene curatum & ſaginatum.

SECUNDO: oeconomiæ illius humilioris ratio poſtulavit, ut immortalitatis & gloriæ cæleſtis myſterium, paulo obſcurius & ſub terreſtrium velamine propnneretur. *Moſis* erat rerum cœleſtium umbras tantum & lineas quasdam obſcuriores deſcribere: vitam & immortalitatem in clatam lucem proferre, opus erat ſoli *Meſſiæ* reſervatum. Summo & conſultiſſimo rerum arbitro viſum eſt, ad Evangelii revelationem gradatim procedere; & inter Eeclesiæ ſuæ pueritiam & ætatem adultam diſcrimen ponere, plura Iſraelitis quam Patriarehis, majora vero diſcipulis ſuis quam Iſraelitarum vulgo, patefaciens: & fortaſſe longe majora quæ oos latent hodie, ſub noviſſima mundi ſecula revelabit: ſolent enim magna Dei opera, non niſi eum molimine aliquo, per gradus & periodos quasdam grandiores, ad complementa ſua pervenire. Secunda.

TERTIO: legis ceremonialis inſtituta τὰ πρόσκαιρα erant, utpote nec a primaria Dei intentione profluentia, nec hominis oaturæ & rationi congrua. Temporis erant & neceſſitatis, potius quam judicii & rationis, partus. Cum itaque Deus onus plaoe ſingulare, & nullam cum hominis natura cognationem habens, Iſraelitis impoſuiſſet; æquum erat ut mercede peculiari & nullum cum germana hominis natura conſenſum habente, Judæorum obedientiam remuneraret. Leges rituales, tanquam appendices & auctaria quædam, ptimævis hominum officiis acceſſerunt: crat autem æquo & juſto conſooum, ut onus & merces paria inerementa ſortirentur. Tertia.

QUARTO: Deo viſum eſt, inter Iſraelitas regis politici nomen & perſonam ſumere, & omnia ad morem principis ſecularis in regoo illo adminiſtrare. Nam ſanctuarii ſiclus, a ſubditis & ſetvis ſuis omnibus, annui tributi nomine, Deo pendebatur: Judices, veluti proreges ſuos, pro arbitrio ſuo deſignabat: nihil in bello vel pace geſtum, quod alicujus momenti erat, priusquam Dei conſilium expectaverant: &, ne ultra ſim, cum leges ſuas dedit, ſubditos ejus (principum ſecularium ritu) præmiis & pænis vitam hanc caducam ſolummodo afficientibus, ad earum obedieotiam ſolicitavit: nam præmium cæleſte proponere, perſonæ regis civilis quam Deus acceperat, parum convenire videbatur. Quarta.

CAP. V.

Secundo: ſigna quædam, populi Deo peculiariter addicti, cultus in illius honorem præſtiti, ſtatuendo.

LEX ea, de qua locuti ſumus hactenus, vim magnam haboit ad idololatriam extirpandam, quatenus ritus quosdam, veluti ſigna & notas, inſtituit, qoorum uſu Judæi ſe populum Deo vero ſeparatum eſſe, & ſacra ſua omnia in illius honotem perfioere, ſignificarent. Quo vero pleniorem huic veritati fidem & lucem feram, de ſignis hiſce, GENERATIM primo, deinde & SPECIATIM, ſermooem habiturus ſum.

SECT. I.

De ſignis hiſce, GENERATIM, *eorum nempe rationibus & differentiis, agitur.*

DE ſignis hiſce GENERATIM dictutus, duabus quæſtionibus, pro facultate & modulo meo, reſpondebo; 1°. Cur Deus ſigna quædam in uſum jam dictum inſtituerit? 2°. Quænam illa ſigna fuerint?

[a] *Mam Chald. Par. ſic locum exponit*, in gloriam a facie Domini colligeris.

SECT. I. PRIMO: cur Deus ſigna quædam in finem ſupra dictum inſtituerit? Quantum autem rem tam obſcuram conjecturis aſſequor, tribus de cauſis notas & ſigna quædam inſtituit Deus quibus ipſe a gentium numinibus, cultus ſibi præſtitus a ſacris ethnicis, & Iſraelitæ ab idololatris, clare diſtinguerentur.

HARUM prima petenda eſt a ſeculi Moſaici ſtatu & conditione, quæ hujuſmodi ſigna διαγνώστικα poſtulaſſe videatur. Per ea nempe tempora quibus lex Moſaica condebatur, Deorum plena erant omnia, & Diabolus non minore ſolertia & ingenio ad Dei unitatem, quam nunc dierum ad illius exiſtentiam, ex hominum animis & ſententiis delendam, utebatur. Inde factum eſt, quod quamvis Deus aliquis rebus præeſſe crederetur, in tanta tamen Deorum multitudine, homines Deum verum a falſo diſcernere minime potuerint. Cum enim Moſes, Jehovæ nomine, apud Pharaonem de Iſraelitis ex Ægypto dimittendis ageret; [a] *quis eſt Jehova*, ait ille, *ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſraelem? neſcio Jehovam, & Iſraelem non dimittam*: quaſi dixiſſet, "multos ego Deos, non minus mihi quam Iſraeli propitios novi: quis autem ſit Deus "ille ſingularis, mihi uni adverſus, cujus vos mandata geritis, me latere fateor: nec "Θεοῦ illius ἀγνώστου & incerti mandata peragam. Conſimilis ignorantiæ caligo Athenienſium animis incubuit, cum ad avertendam peſtem, ſacra fecerunt [1] τῷ προσήκοντι Θεῷ i. e. ei Deo ad quem res ea pertineret; qua religione, ſe nominis & naturæ divinæ notitiam confuſam tantum & incertam habere ſignificarunt. Eandem inſcitiam prodebant Romani, cum ſæpe perplexa illa verborum formula, [b] *ſi Deus, ſi Dea es*, in ſuis ad numen precibus uterentur. *Ovidius* etiam ſe Dei incerti ſacris addictum probat, cum ita canit,

> [c] *Sic ubi diſpoſitam, quiſquis fuit ille Deorum,*
> *Congeriem ſecuit*, —— -

Sed quid Pharaonem, Athenienſes, Romanos, Ovidium, loquor; ipſi Iſraelitæ in Ægypto, Deorum πολυωνυμίᾳ deluſi, non adeo clare & diſtincte Deum verum cognoviſſe videantur: cum enim Moſes, ad eos, Dei nomine mittendus eſſet; [d] peculiare aliquod Dei nomen & characterem ſibi revelandum petiit, quod populo nominis divini neſcio referret, & quo Deum Iſraelis, cujus juſſu veniret, a numinibus Ægypti diſcriminaret. Interea temporis dæmones hac hominum inſcitia plane fruebantur, ubique Dei nomen uſurpantes, locis omnibus ſacris ſe ingerentes, & cultum Deo ſupremo præſtitum intercipientes. Adeo ut eo tandem deventum eſſet, ut Deum verum a falſo, vel cultum divinum ab idololatrico dignoſcere, res eſſet haud mediocris artis & ingenii. Cum itaque tam craſſa caligo mentes humanas involveret, & fraude diaboli ſacra & prophana omnia miſcerentur; ritibus & ceremoniis quibuſdam peculiaribus opus erat, quibus, tanquam ſignis & indicibus, cultus Deo exhibitus a cultu profano, & populus Deo devotus ab idolorum mancipiis, aperte diſtinguerentur. Hoc rationi conſonum eſt adeo, quod *Naaman* Syrus, inter medios gentium Deos & idololatras habitans, altare e terra tantum ſancta [e] ſibi fieri voluerit; ut ſigno illo peculiari teſtatum faceret, ſe Deo tantum Iſraelis hoſtias offerre & cultum exhibere ſtatuiſſe. Cum his concordant [f] Grotii illa: *quod terram ſecum deferebat* Naaman, *non erat ſuperſtitioſum; ſed eo ſigno teſtatum volebat, illum ipſum a ſe Deum coli, qui in terra Iſraelitica coleretur.* Deus etiam ſigna quædam inſtituit, quibus cultus & cultores ei grati, a ritu vel perſona quavis religionis larvam ſolummodo ferente, diſcerneretur; ut hac ratione temporum antiquiorum ruditati conſuleret, & omnem dæmonis impoſturis aditum intercluderet.

RATIO ſecunda, ab Ægyptiorum aut aliorum ethnicorum more probabiliter arceſſenda eſt. Ea enim apud ethnicos ab antiquo viguit conſuetudo, ut pro varia Deorum ſuorum natura & ingenio ſacra varia peragerent, & cultum Deo cuique, ceremoniis ei uni propriis exhiberent: adeo ut myſteria ſua pleraque ἴδιον aliquid haberent, & e peculiari rituum peractorum forma, quis ille Deus eſſet cui ſacrum fieret, omnibus haud plane ἀμυήτοις innoteſceret. Ceremoniæ quibus in Deorum cæleſtium (uti audiebant) cultu utebantur, tam diverſæ abierunt a ritibus quibus Δαίμονας ſuos, aut mortuos divinitate donatos, coluerunt, ut facile ab invicem diſtingui poſſent. Heroas, i. e. defunctos in Deorum cenſum relatos, ritibus funebribus & cum ſtatu mortuorum

a *Exod.* 5. 2. b *Macrob. Sat.* l. 3. c. 9. c *Metam.* l. 1. v. 32. d *Exod.* 3. 13, 14. e 2 *Reg.* 5. 17.
f *Annot. ad Luc.* 4. v. 27.

1 Vid. *Diog. Laert.* in vit. *Epimen.* p. 29.

conſen-

Sect. I.

conſentientibus honorarunt; & cultus in eorum honorem præſtitus ſemper ferebat monumentum & Imaginem caſus aut rei geſtæ, in eorum vita & hiſtoria fabuloſa memoratæ. Moris hujuſce veritatem aſtruunt ceremoniæ, in *Oſiridis*, *Iſidis*, *Bacchi*, & aliorum vita functorum, cultu uſitatæ. Cum itaque vetere gentium uſu receptum eſſet, ut Deos ſuos ritu peculiari colerent, & ceremonias ſacras non tantum ad numen colendum, ſed & indicandum, uſurparent; æquum erat, ut Deus etiam ſacra nonnulla ſibi ipſi propria ſanciret, quorum uſus cultum ſibi tributum indicaret, & Dei veri cultorem a quovis idololatra ſepararet.

Tertio: ratio ipſa decorum & conſentaneum eſſe docet, ut ſervi omnes, Dei vel hominis ſervitio dediti, nota, ſymbolo, vel inſigni aliquo, dominum & magiſtrum ſuum indicarent. Sub veteri lege, cultores idolorum, ſignis aliquibus, [notis corporibus inuſtis, orbiculari tonſura, cincinnis ultra modum promiſſis, veſte peculiari, & hujusmodi aliis] internoſci voluere. In Apocalypſi cultores *beſtiæ* illius ſtigma manibus impreſſum habent, & qui nomina dediſſent *agno*, illius & patris ſui nomen frontibus inuſtum præferunt. Hinc olim crucis uſus, in baptiſmo, precibus, benedictionibus, & gratiarum actionibus, fluxiſſe videtur; quod nempe Chriſtiani veteres rationi & conſuetudini conſentaneum exiſtimarint, ut ſe Chriſti famulos ſigno vel ſymbolo aliquo viſibili ſignificarent. Cum itaque generis humani rationi & conſuetudini conveniret, ut Dei vel hominis alicujus famuli ſigno vel charactere aliquo peculiari diſcernerentur; haud abſurdum eſt opinari, ſummum cœli dominum, ſabbatum, circumciſionem, ſolenniratem paſchalem, & ſacra peculiari ritu peragenda, inſtituiſſe; ut Iſraelitæ, horum obſervatione, ſe famulos eſſe Jehovæ, & rejectis gentium idolis, unum cœli dominum, horum omnium inſtitutorem, venerari teſtarentur.

Signa illa generalia fuerunt,

Dicendum reſtat, quænam illa ſigna fuerint, quæ Deus in finem jam dictum inſtituerit. Ut autem quæſtioni huic reſponſo luculento ſatisfiat, neceſſe eſt ut ſigna illa in Generalia & Specialia dividamus.

Signa Generalia, ritus erant & ſacra illa pleraque quæ in lege Moſaica continentur. Nam ingens ille rituum Moſaicorum apparatus, & peculiares illæ, temporum, locorum, perſonarum, & actionum ſacrarum, circumſtantiæ, quibus Hebræorum ſacra peragi debuerunt; ea de cauſa præcepta videntur, ut ſigna quædam & characteres eſſent, quibus Dei, a diaboli ſacris internoſci poſſent; & omnes cultum ſuum e legis præſcripto peragentes, pro Dei veri cultoribus, omnes autem a legis norma recedentes, pro numiois alicujus fictitii ſervis baberentur.

Hæc ſententia credibilior exiſtimetur, quod a Prnpheta prædictum ſit, hujusmodi cultum lege præſcriptum, ſub prima ruentis polytheiſmi tempora, ubique ceſſaturum: *Zeph.* 2. 11. *Macie conficiet omnes Deos terræ, & incurvabunt ſe illi, unusquisque de loco ſuo, omnes incolæ gentium.* Hoc eſt "Dii gentium, qui jam * *comedunt adipem ſa-" crificiorum, & bibunt vinum libaminum*, in contemptum abituri ſunt, & (altaribus di-" rutis) quaſi *macie* perituri. Tunc autem non Judæi ſolummodo, ſed & omnes terræ " incolæ, idque [non in Templo, ſed] ſuo quisque in loco, cultum Deo ſunt exhibi-" turi. Cum enim e mundo perierint idola, mentitam Dei ſpeciem titulumque præfe-" rentia; nil opus erit religione temporibus aut locis lege præſcriptis aſtricta, ut cultus " divinus ab idololatrico dignoſcatur. Huic etiam rituum Moſaicorum rationi aſtipulari videntur Dei verba, *Jerem.* 31. 31, 32. Ubi dicit, ſe pactum novum cum Iſraelitis initurum, non juxta fœdus illud, [e variis nempe ritibus conſtans] quod cum patribus eorum Ægypto nuper egreſſis percuſſit; ſed *hoc*, inquit, *fœdus eſt quod feriam cum domo Iſrael, dabo legem meam in medium eorum*, &c. *Et non docebunt ultra unusquisque ſocium & fratrem ſuum, dicendo, cognoſcite Dominum, nam omnes cognoſcent me*, &c. Quaſi dixiſſet, "ætas illa prope adeſt, qua [a] Dii illi qui cœlum & terram " non fecerunt, e medio perituri ſunt; adeo ut me unum cœli Dominum eſſe, non " prophetis tantum & ſacerdotibus, ſed & e media plebe cuivis apertum erit & ex-" ploratum: nec opus erit lege vel fœdere aliquo rituali, quo, tanquam pædagogo, " homines ad veri Dei notitiam & cultum perducantur. Hoc fœdus patrum veſtro-" rum ruditati & pueritiæ datum eſt, qui, e domo ſervitutis & ſuperſtitionis modo li-" berati, præ Deorum multitudine Deum verum neſciebant, & absque legis Moſaicæ " pædagogia, ab illius cognitione cultuque ſemper aberraſſent.

Nec ſcriptura tantum, ſed & ratio, huic rituum Moſaicorum cauſæ teſtimonium perhibet. Quid enim Deus tot ceremonias tam curioſa ſollicitudine peragendas inſti-

* *Deut.* 32. 38. [a] *Jerem.* 10. 11.

Sect. II. tuerit? Quid leges innumeras de minimis curantes dederit? Quid modum, tempus, locum, formam & figuram, ſacrorum plurimorum, tam critice determinarit? Num ut cultus tam elegans, & ad voluntatem ejus arbitrariam compoſitus, ſemetipſum oblectaret? Abſit, ut vel per ſomnia quis rem tam ridiculam cogitaret. Quid itaque, niſi ut peculiaris illa cultus Judaici forma, & ritus non ad ſeculi morem ſed Dei præſcriptum præſtiti, ſignorum vicem præſtarent, & populum illum Dei alicujus eximii ſacris addictum indicarent? Hæc omnia lucem ferant illius obſcuri præcepti rationem indagantibus, [a] *non addetis ad verbum quod ego vobis præcipio, nec auferetis ex eo:* cum enim lex Moſis ideo traderetur, ut religionis κριτήριον eſſet, & cultus ex illius præſcripto peractus hominem Dei cultui devotum indicaret; æquum erat & rationi conſonum, ut Iſraelitæ ſacra ſua omnia ad Legis amuſſim conformarent, nec Legi vel addendi vel adimendi licentiam ſumerent. Nam ſi populo illi (ſuo pro arbitrio) ritus aliquos interdictos addere, vel aliquos Lege præceptos omittere, licuiſſet; impoſſibile fuiſſet, ut Lex ea ſigni vicem præſtaret, & illius obſervatio, populum Deo ſacrum ab idololatris, aut cultum divinum a profano, diſcriminaret.

Aut ſpecialia. Sed præter hæc ſigna, quæ Generalium nomine diſtinguenda cenſui, alia fuerunt quibus ſignorum Specialium nomen tribuo; quod id nominis in ſcriptura ſortiantur, & eo præcipue conſilio inſtituta fuerint, ut ſignorum vice fungerentur. Hæc autem duo præcipue fuerunt, Circumcisio & Sabbatum, de quibus ſigillatim jam diſſerendum eſt.

SECT. II.

De ſignis illis Speciatim *ſit ſermo, & primo, de Circumciſione, ejusque ratione principali.*

Circumcisio ritus erat antiquiſſimus, & quaſi legis ceremonialis prodromus: erat enim Abrahami ipſius exemplo cohoneſtata, adeoque quadringentis annis ritus alios Judaicos anteibat. Sed & ritus erat quem Judæorum natio non minore honore quam Gentiles contemptu proſequebantur: nam Judæi eodem cum contemptu & ſplene Gentiles, *incircumciſos*, quo illi Judæos, *apellas & verpos* appellabant.

De ritu tam antiquo & ſacro quo apertius diſſeramus, ſermonem noſtrum quatuor in partes diſtribuemus: de ritus illius ratione vel uſu, ſede vel ſubjecto, prima origine, & præcipuis circumſtantiis, verba (ſeorſim) habituri.

Circumciſionis finis. Ut circumciſionis finem aut rationem felicius expediamus, neceſſe eſt ut de circumciſione duplici, *patriarchali* nempe & *Moſaica*, pauca præmittantur. *Patriarchalis* ea erat, quæ patribus ante Legem datam in uſu fuit, & pactum inter Deum & Abrahamum poſteroſque ſuos obſignavit: *Moſaica*, quæ novam quandam a lege Moſaica ſanctionem accepit, & primarium religionis Judaicæ ſacramentum habita eſt. Circumciſiones illæ duæ, inſtitutionis ſuæ tempore & ratione nonnihil differunt: quoniam tamen natura & uſu generali conſentiunt, de iis conjunctim loquar, ne in immenſum excreſcat ſermo.

Duplex: Ut ad rem præſentem paulo propius accedam: duplex erat circumciſionis inſtituendæ ratio, nempe, ut Signi, & ut Sigilli, vicem præſtaret.

Primo; ut ſignum eſſet, Primo: ut Signi vice fungeretur. Hoc Juſtini Martyris teſtimonio confirmatur: nam [b] ille de *Abrahamo* diſſerens, τὴν δὲ περιτομὴν, inquit, εἰς σημεῖον ἀλλ' οὐκ εἰς δικαιοσύνην, ἔλαβεν. De eodem fidelium patre pene eadem aſſerit [c] Tertullianus, dicens, *ante Deo placuit, quam circumcideretur:* --- accepit autem *circumciſionem*, *ſed quæ eſſet in ſignum temporis illius, non in ſalutis prærogativam.* Et S. Apoſtolus Abrahamum τὸ σημεῖον τῆς περιτομῆς accepiſſe dicit, ad *Rom.* 4. Erat autem circumciſio, quod eruditis obſervatum, non ſimplex ſed multiforme ſignum; cum nec rem unam, nec uno eodemque modo, ſignificaret: nam,

1°. Diſtinctivum. Primo: ſignum erat diſtinctivum, & in eum finem ordinata, ut ſanctus populus a reliquis mundi gentibus diſcerneretur. Per multas annorum centurias, ſanctum ſemen, nullo ſigno notabile, gentibus immixtum vixit. Primus Abrahamus juſſus eſt ſuorum præputia circumcidere, & rei exemplum ad poſteros transmittere, ut inſigni vel nota illa viſibili diſtinguerentur. Hanc cauſam ſic exprimit [d] Irenæus: *circumciſio-*

a *Deut.* 4. 2. b *In Dialog. cum Tryphon.* p. 124. c *Adv. Judæos.* p. 185. d L. 4. c. 30.

nem,

Digitized by Google

nem, non quaſi conſummatricem juſtitiæ, ſed in ſigno dedit Deus, ut cognoſcibile perſeveret genus Abrahæ. Eandem rationem, de Judæis mentionem faciens, aſſignat [a] *Tacitus*, his verbis, *circumcidere genitalia inſtituere, ut diverſitate noſcantur.* Huic aſſertioni congruum eſt, quod hic ritus, Iſraelitis in deſerto commorantibus, intermitteretur: quid enim, niſi quod in deſerto παντὸς ἀλλογενοῦς κεχωρισμένοι (uti loquitur [1] *Cedrenus*) *ab alienigenis omnibus*, ipſa loci ſolitudine, ſatis diſtincti eſſent & *ſeparati?* Erat autem reſpectu *Dei* ſimul & *populi*, hæc nota diſtinctionis apprime neceſſaria: *reſpectu Dei*, qui ſemen Abrahami, ſe ranquam cœli ſtellas multiplicare, & in eo gentibus omnibus benedicere velle, ſancte & prolixe [b] promiſiſſer; ideoque neceſſe erat ut poſteri ejus ἄμικτοι permanerenr, & a cæteris Adami filiis nota quadam diſcreti, ut liquido conſtaret poſteris, Deum promiſſionis ſuæ fidem impleviſſe. Circumciſionis notam hunc finem & ſcopum habuiſſe, norat [c] S. Hieronymus: *quia* inquir, *ex ſemine* Abrahæ *erat Chriſtus oriundus, -- & ab Abraham uſque ad Chriſtum multa erant ſecula tranſitura; providens Deus, ne ſoboles dilecti* Abrahami *cæteris nationibus miſcerentur, & paulatim familia ejus fieret incerta, gregem Iſraeliticum quodam circumciſionis cauterio* annotavit. Nec *Dei* tantum, ſed & *populi* reſpectu, neceſte fuit, ut Iſraelitæ hoc ſignum διαγνωστικὸν corporibus impreſſum gererenr; nempe ut certius conſtarer, eos ab Abrahamo genus ducere & ſemine ſancto nriundos. Nam ipſa generis ſui digniras, & natalium ſanctiras, virtutis igniculos in animis generoſis accendere poſſet, iiſque pudorem incutere, ſi forſan a parris ſui fide & pietate degenerarent. Deinde, a patre fidelium originem trahere, honori non vulgari habitum eſt: hinc enim circumciſionem (originis tam claræ documentum) gloriæ ducebant Iſraelitæ, & *incircumciſi* nomine ad probrum & convicium utebantur. Hoc autem honore tandem caruiſſent Iſraelitæ, ſi patres eorum nulla nota gentili terræ populo diſtinguerenrur. [d] Æthiopes itaque ſibi notam circumciſionis etiamnum imprimunt, *ut ipſi a cæteris nationibus*, tanquam *filii* Abrahami, dignoſcantur, in cujus conſanguinitate glorianrur.

Secundo: circumciſio ſignum erat memorativum, quo fœdus cum Abrahamo inirum, & parris illius fides & pietas in frequentem memoriam revocari poſſet. Deus enim pactum cum patre fidelium iniit, quo ſancte promiſir ſe Abrahamum [e] *patrem multarum gentium ponere*, & in ſemine ſuo omnibus terræ gentibus benedicere voluiſſe. Quo itaque fœderis illius memoria plane recens extaret, illius μνημόσυνον inſtituie, ipſis generationis partibus imprimendum, quod Abrahami filiis ſemper ob oculos verſaretur. Nec ideo tantum inſtituta eſt circumciſio, ur ſœderis illius materiam, ſed ut Abrahami fidem & juſtiriam [præcipuam ſœderis cauſam] in animos Iſraelitarum revocarer. Nam fœdus illud cum Abrahamo nondum circumciſo percuſſir Deus, in reſtimonium ſavoris quo fidem & juſtitiam ejus amplectebatur, & circumciſio in fœderis ſimul & ſavoris illius teſtimonium inſtituta eſt. Hinc recte colligit [f] *Iſidorus Peluſiota*, quod circumciſio non eſſet ἐνδειξαμένου ὑπόθεσις, ἀλλ' — ἐνδειξαμένου σφραγίς, non Dei placandi cauſa, ſed jam placati ſignum & argumentum. Atque hæc verbis Apoſtoli conſenranea ſunt, qui circumciſionem vocar, non ſignaculum fidei Abrahami, ſed [g] *ſignaculum juſtitiæ fidei* quam *in præputio* habuit. Cum itaque circumciſio juſtitiæ fidei ſignaculum eſſer, & Abrahami pietatem potius quam perſonam cohoneſtarer; Deus pieratis illius ὑπόμνημα in ipſa filiorum ſuorum carne collocari juſſit, ut eam recenri memoria retinerent, nec unquam deflecterent a paternæ pietatis exemplari. Judæi quidem circumciſionem in gloriæ ſolius argumentum rrahebant, eaque tanrum ue ſanguinis a patribus illuſtribus derivati reſtimonio utebantur: at mores animoſque longe alios induiſſent, ſi advertiſſent, Abrahamum, in *juſtitia fidei* primo, deinde ſavoris divini ſignum, circumciſionem accepiſſe: runc enim characterem illum, pietatis avitæ monumentum, non glnriolæ ſolius materiam, habuiſſenr. Hiſce, clauſulæ loco, conſona ſubjungam [h] S. Ambroſii verba: [2] *circumciſio non habet aliquid dignitatis, ſed ſignum eſt tantum: quod ſignum ideo accipiebant* Abrahami *filii, ut ſcirentur ejus filii eſſe qui credens Deo hoc ſignum acceperat; ut æmuli eſſent paternæ fidei, & crederent in Jeſum qui promiſſus eſt* Abrahamo.

Tertio: circumciſio ſignum erat figurativum, utpote quæ rei ſpiritualis figuram Figurativum.

a L. 5. Hiſt. p. 116. b *Geneſ.* 22. 17, 18. c *In Epiſt. ad Galat.* c. 3. T. 4. p. 252. d *V. Damian. a Goes de Æthiop. morib.* p. 222. e *Gen.* 17. 5. f L. 2. Epiſt. 115. g *Rom.* 4. 11. h *In* Cap. 4. Ep. *ad Rom.*

1 V. Hiſt. compend. p. 80.
2 Commentarium illum non eſſe Ambroſii, tum ex ſtylo, tum doctrina, conſtat. vid. append. ad opera *S. Ambroſ.* col. 21.

& imma-

SECT. II. & imaginem præferebat. Prout enim baptiſmus (cujus pars exterior eſt [a] ἀπόθεσις ῥύπου σαρκὸς) impuritatem omnem carnalem, gentium præcipue ritibus exerceri ſolitam, rejiciendam indicavir; ita & circumciſio [b] περισσείαν κακίας, in idolorum præſertim myſteriis obtinentem, abnegandam ſignificavit. Allegoriis quidem & myſticis rituum Moſaicorum rationibus fidem atque aurem haud adeo facilem adhibere ſoleo: hic autem non ſolum ſigni & rei ſignatæ ſumma ſimilitudo, ſed frequens uſus Scripturæ, me perſuaſum facit, Deum, cum reſpectu ad doctrinam aliquam moralem, pelliculæ obſcœnæ abſciſſionem præcepiſſe. Nam morum veterum abnegatio & novæ vitæ ſtudium, metaphoris a circumciſionis ritu deſumptis, non raro in ſcripturis inculcantur. Phraſes enim illæ, [c] *cordis præputium circumcidere*, [d] *circumciſio cordis*, [e] *ſeipſum Deo circumcidere, &* [f] *circumciſio* ἀχειροποίητος, viram in melius mutaram denotant. Ex adverſo, nequam & nullius frugis *homines*, *incircumciſi corde* frequenter audiunt: *Levit.* 26. 41. *Jerem.* 9. 26. *Ezech.* 44. 7. *Act.* 7. 51. Hinc factum forſan, quod *S. Jacobus* ad vitam ethnicam & impuram abnegandam hortetur, [g] verbis quibus alluſum videtur ad pelliculæ illius ſuperfluæ rejectionem circumciſione factam. Atque hac de re multi e Chriſtianis & Judæis antiquioribus ſenſum eundem habuere. E Chriſtianis [h] *Athanaſius* exciſionem præputii nihil aliud notaſſe dicit, ἢ τὴν τῆς γενέσεως ἀπέκδυσιν· Et poſtea, *circumciſio*, inquit, *figura & typus erat* τῆς διὰ τοῦ βαπτίσματος ἀπεκδύσεως· E Judæis ſic [i] *Philo* ritus hujuſce finem & ſcopum exprimit: *ejus membri circumciſio*, σύμβολον ἡδονῶν ἐκτομῆς, αἳ καταγοητεύουσι διάνοιαν, &c. *Symbolum* erar *exciſionis voluptatum quæ mentem faſcinant: & quia inter voluptatum illecebras principatum tenent* quæ partem illam titillant & afficiunt, *idcirco legiſlatores partem eam mutilari juſſerunt, ut ſignificarent voluptates ſuperfluas reſecandas eſſe.* Et [k] alibi, τὸ περιτέμνεσθαι, inquit, ἡδονῶν καὶ παθῶν πάντων ἐκτομήν, καὶ δόξης ἀναίρεσιν ἀσεβοῦς ἐμφαίνει· *Circumciſio notat voluptatum affectuumque omnium exciſionem, & opinionum inſuper impiarum.* Sed quid *Philonem*, in evangelii crepuſculo viventem, loquor? nam circumciſionem hanc ſignificationem habuiſſe, ne veteres Iſraelitas latere potuit, cum a [l] Moſe admonerentur, *circumcidere Jehovæ Deo cor ſuum, & cor ſeminis ſui, ad diligendum dominum Deum ſuum ex toto corde*, &c.

Initiativum. QUARTO: circumciſio ſignum erat initiativum, quo homines religionis Judaicæ ſacris initiabantur, & ſe Jehovæ ſolius cultui devotos aperte profitebantur. Haud inepte [m] S. Auguſtino obſervatum eſt, *in nullum nomen religionis, ſeu verum ſeu falſum, coagulari* poſſe *homines*, *niſi aliquo ſignaculorum* ſeu *ſacramentorum* viſibili *conſortio* colligantur. Deus itaque circumciſionis ritum inſtituit, ut totius legis & religionis Judaicæ ſignaculum extaret: adeo ur homines ritu illo, veluti pignore quodam, ſe Legi obſtringerent, ſe fidei ejuſdem cum Judæis conſortes indicarent, & a religionis alrerius cultoribus, tanquam norabili indice, dividerentur. Hinc cauſa data verbis [n] Apoſtoli ad Galatas, *teſtificor omni homini qui circumciditur, quod debitor eſt ad faciendam totam Legem.* h. e. qui ritum illum volens & prudens ſuſcipit, vi facti illius ad Moſis legem ſervandam tenetur, & religionem in ea præſcriptam ſe amplecti profiretur. Judæos etiam antiquiores circumciſionem ritum initialem exiſtimaſſe, quo proſelyti in eorum fœdus adoptati erant, & eorum quaſi familiæ accenſebantur, colligere licet ex *Eſther.* 8. 17. *Et multi ex populis* terræ מתיהדים [o] *judaizabant*: ibi enim LXX, ſenſum non verba curantes, ſic locum transferunt, καὶ πολλοὶ τῶν ἐθνῶν περιετέμνοντο, καὶ ἰουδάϊζον i. e. Circumcidebantur, &, (ritu illo obſtricti) ad inſtitura moreſque Judaicos ſe conformabant. Cum iraque Judæi quidam zelotæ circumciſionem ſolam urgerent tanquam neceſſarium ſaluris conſequendæ medium, dicentes, [p] *niſi circumcidamini ſecundum morem Moſis, non poteſtis ſalvari*, ſic Phariſæi quidam verborum ſuorum ſenſum explicant, [q] *oportet circumcidere eos, & præcipere ut obſervent legem Moſis:* nempe quod circumciſio Moſis character eſſet, & omnes eo charactere ſignatos ad omnia Moſis inſtituta ſervanda ligare crederetur. Sed hac de re alibi paulo opportunius dicturus ſum.

προφυλακτικόν. QUINTO: non remere conjicitur, circumciſionem ſignum προφυλακτικὸν fuiſſe, & ad cacodæmonis injurias a perſonis omnibus illo charactere ſignatis propulſandas, ex Dei gratia, valuiſſe. Ea opinione [r] *Originem* non leviter tinctum, probanr quæ contra Celſum atrulit, τάχα διά τινα πολέμιον τῷ Ἰουδαίων ἔθνει ἄγγελον, περιτομὴ ἐτελεῖτο, &c. *Circumciſio cito celebrata eſt, propter aliquem infeſtum Judæorum genti Angelum, qui poſſet non circumciſos lædere, circumciſos non item: quod colligi poteſt ex libris Exodi, ubi Ange-*

a 1 *Pet.* 3. 21. b *Jac.* 1. 21. c *Deuter.* 10. 16. & 30. 6. d *Rom* 2. 29. e *Jer.* 4. 4. f *Coloſ.* 2. 11. g C. 1. 21. h *Orat. de Sab. & circumcis.* T. 2. p. 58. i Lib. de *Circumciſion.* p. 811. k Lib. de migrat. *Abrah.* p. 402. l *Deut.* 30. 6. m *Adv. Fauſt.* Tom. 8. col. 319. n Cap. 5. 3. o v. *Judith.* 14. 10. p *Act.* 15. 1. q V. 5. r L. 5. p. 263.

lus

lus ante circumciſionem Eleazari contra Moſem valuit, quo circumciſo irrita facta eſt SECT. II.
illius potentia. Judæos etiam antiquiores eandem virtutem circumciſioni tribuiſſe, conjieiendi anſam præbet Chaldæus Paraph. in locum [a] illum Canticorum, *lectum Salomonis ambiunt ſexaginta fortes, —— uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos;* quem ſic illuſtrandum cenſuit; *ſacerdotes & Levitæ & omnes tribus Iſrael apprehendunt verba legis quæ comparantur gladio, —— & ſuper unoquoque eorum ſignata eſt circumciſio in carne ipſorum, ſicut ſignata fuit in carne Abrahæ: & prævalent & confortantur in ea, ſicut fortis qui accinctus eſt gladio ſuper femur ſuum: & ideo non timent a ſpiritibus nocivis & dæmonibus qui ambulant in nocte.* Hæc ille: nec mihi vitio verti debet, ſi cum Judæo quandoque ſentiam; cum præſertim patres antiqui baptiſmum (qui circumciſionis locum occupat) *Dei ſignaculum*, eoque, baptizatos in Dei clientelam receptos, & contra Dæmonis inſultus munitos, exiſtimariot. Nam [b] *Clemens Alexandrinus* Baptiſma τέλειον [φυλακτήριον,] *perfectam* cuſtodiam, nuncupat. [c] Nazianzenus Baptiſma *ſigillum* dici aſſerit, ὡς συντήρησιν, *quia conſervatio eſt.* Eidem ſententiæ ſavet [d] Baſilii dictum, *niſi ſignatus ſit ſuper te vultus Domini, niſi characterem iu te agnoſcat angelus, quomodo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit?* Nec minus ſententiam jam dictam firmat ratio, quam patrum quos dixi teſtimonia: cum enim viri pii circumciſione vel baptiſmo liberorum ſuorum ſpes ſurgentes numini conſecraſſent, cum etiam ritibus illis Dæmonis cultum & ceremonias [e] ejuraſſent, & ſemetipſos ſoli Jehovæ ſolenniter devoviſſent; ſuadet ratio, ut exiſtimemus Deum eos una cum liberis ſuis in patrocinium ejus recipere, & ab externis ſaltem Dæmonis injuriis (olim frequentibus) tanquam peculium ſuum, integros & immunes conſervare, voluiſſe.

SEXTO: circumciſio, Moſaica ſaltem, ſignum politicum erat, quo omnes externi ſanguinis homines, in rempublicam Iſraelis admiſſi ſunt, & ſic in gentis Judaicæ cenſum tranſierunt, ut pari jure eſſent cum Judæis natis, honores, jura, connubia, & privilegia gentis omnia, ex æquo participantes. Erat nempe reſp. illa legibus peculiaribus adminiſtrata, peculiari regiminis formæ ſubdita, e civibus originis & ingenii peculiaris conflata, in peculiarem Dei clientelam recepta, quin & ſacris taotum Dei veri dedita. Circumciſio itaque ſignum illud peculiare ſuit, quo peregrini omnes in album civium reip. hujus adſcribebantur. Hoe eo minus hæſitanter affirmo, (1°.) Quod circumciſione quivis advena, paſcha, gentilitium illud Iſraelitarum feſtum, participandi jus & licentiam obtinuerit. Hæc aſſertio Dei verbis nititur, *Exod.* 12. 43. *Hæc* eſt *religio Paſchalis, omnis aliènigena non comedat ex eo: omnis autem ſervus emptitius circumcidetur, & ſic comedat; advena & ſervus* emptus argento *non comedant ex eo.* Et paulo infra, ſi quis *peregrinorum* in veſtram voluerit tranſire coloniam, *& celebrare paſcha Domini, circumcidetur prius omne maſculinum ejus, & tunc* rite *celebrabit, eritque ſicut tudigena terræ.* E quibus ſacile perſpicitur, advenas circumciſione, ſibi peculiare illud paſcha celebrandi privilegium acquiſiviſſe, adeoque ritu illo in Judæorum ſamiliam tranſiiſſe. (2°.) Quod hiſtorici ſacri verba [[f] *Et multi e gentibus terræ facti ſunt Judæi*] ſic reddunt Septuaginta, Καὶ πολλοὶ τῶν ἐθνῶν περιετέμνοντο, καὶ ἰουδάϊζον. Quibus innuunt, homines, natalibus ethnicos, circumciſione Judæos factos ſuiſſe, ritu illo nomina & jura gentis illius obtinentes. (3°.) Populus Iſraeliticus per annos quadraginta manſit incircumciſus in deſerto, & tum demum, procurante [g] *Joſhua*, præputii jacturam paſſus eſt, eum in procinctu jam ſtaret, ut in terram promiſſam introduceretur. Quid autem in eo rerum ſuarum articulo circumciderentur Iſraelitæ, niſi quod in gentem ſanctam, legibus homine ingenuo dignis adminiſtrandam, jam nunc formandi eſſent, & terram illam jure quaſi hæreditario poſſeſſuri; ideoque par eſſet, ut, peculiari circumciſionis ſigno ſuſcepto, ſe novæ hujus politiæ cives & membra profiterentur. Huc ſacit, quod Deus populum, recentem a circumciſionis vulnere, ſic allocutus ſit, [h] *hodie abſtuli opprobrium Ægypti a vobis:* hoc eſt, "ritu illo vos in civium meorum numerum adoptavi, inge-"nuos & terræ ſelicis hæredes declaravi, & omoia ſervitutis Ægyptiacæ [dedecoris & "opprobrii veſtri] ſigna delevi & monumenta. (4°.) Hunc circumciſionis uſum ratum facere videotur Apoſtoli verba ad Epheſios, [i] *memores eſtote quod vos Gentiles eratis, dicti præputium,* &c. *Et quod eſſetis, eo tempore, ſine Chriſto,* ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραήλ, *longe alienati a republica Iſraelis,* &c. Ibi enim gentium doctor Epheſiorum ſtatum ethnicum deſcribit, verbis ad politiæ Judaicæ legem & morem alludentibus.

a Cap. 3. 7, 8. b *Pædag.* l. 1. c. 6. c *Orat. in Sanc. baptiſm.* p. 639. d *Exhort. ad Baptiſm.* p. 413.
e *Nec quidquam prius imbuuntur quam contemnere Deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres vilia habere.* Tacit. hiſtor. l. 5. 116. f *Eſther.* 8. 17. g *Joſh.* 5. 4, 5, 6. h Ib. v. 9. i *Epheſ.* 2. 11, 12.

Sect. II. tibus. Sic enim Apoſtoli ſenſum explicandum cenſeo: “in rep. Judaica, durante “præputio, vobis nec honores capere, nec civium jure gaudere, licuit: aliam autem “remp. inſtituit Deus, eccleſiam ſcilicet, in qua circumciſio veſtra ἀχειροποίητος adi-“tum ad omnes honores & civium privilegia vobis pateſaciet. (5°.) Circumciſio ſignum erat ad uſum quem dixi maxime aptum & accommodatum. Nam hujusmodi ſignum erat, quod nemo carni ejus imprimi facile paſſurus eſſet; cum a circumciſione ſubeunda, dolor, pudor, apud exteros opprobrium, mortis etiam periculum, deterrerent: quin & ſignum erat, quo character arte vix ulla delendus imprimebatur. Adeo ut ſignum ipſum vetaret, ne quis ingenii timidi, temerarii, levis aut inconſtantis, advena, nomen ſuum in civium Judaicorum album referri peteret; quin & aperte doceret, quemvis Judæi nomine dignum, & civitatis ſanctæ jura poſtulantem, pii propoſiti tenacem & animi conſtantis virum eſſe debuiſſe. Ad hæc: ſignum hoc, quo cutis illa fœda & ſuperflua detrahebatur, puritatis indicium erat, & cum gentis Iſraeliticæ ſanctitate maxime conveniebat. Cum hæc recolo, nihil apud me dubitationis habet, circumciſionem ſignum politicum fuiſſe, & ea de cauſa (inter alias) inſtitutam ut ritus eſſet quo *a politia Iſraelis alieni*, natalium ethnicorum opprobrium amovere, pro Judæis haberi, civitatis etiam ſanctæ jura & honores adipiſci poſſent.

Secundo, ut SIGILLUM eſſet, Secundo: ideo inſtituta eſt circumciſio, ut Sigilli & ſacramenti, æque ac ſigni, locum obtineret; i. e. non tantum ut res ſacras indicaret, ſed ut ratas firmaſque faceret. Ideoque Apoſtolus circumciſionem σημεῖον ſimul & σφραγῖδα, *ſignum* & *ſigillum* [a] appellavit. Ut rei hujuſce veritas paulo clarius eluceſcat, ſciendum eſt, circumciſionem, ex parte Dei ſimul & hominum, ſigilli vicem & officium præſtitiſſe.

Ex parte Dei, (1°.) Ex parte Dei promittentis: cum enim Deus fœdus cum Abrahamo, de illius nempe ſemine multiplicando, & in eo gentibus univerſis benedicendo, iniiſſet; ad firmandam promiſſi fidem, Abrahami poſteros, circumciſione, tanquam nota peculiari, diſtingui & ſeparari voluit, ut omnibus conſtaret, ſe fidem Abrahamo datam, integram & inviolatam ſervare ſtatuiſſe. Cum enim *Abrahami* poſteri, circumciſionis nota corporibus ſuis impreſſa, a cæteris mundi gentibus diſcernerentur; obſervatu facile erat, an populus ille beneficia ulla ſingularia a Deo acciperet, & promiſſiones ejus eventum optatum aliquando ſortirentur. Adeo ut ſignum illud Abrahami poſteris impreſſum eſſet quaſi pignus & ſigillum Dei, quo ad promiſſa ſua præſtanda tenebatur, niſi fidei palam violatæ (adſit verbo reverentia) notam ſubire voluiſſet. Deus itaque, de circumciſione loquens, [b] *hoc*, inquit, *eſt pactum inter me & vos*, &c.

& hominum. Nec circumciſio ex parte Dei ſolummodo, ſed & hominum, ſigilli munere fungebatur. Omnes enim circumciſioni ſponte ſubjecti ad legem obſervandam ſe obſtrinxerunt, & renunciatis idolis, Dei ſolius cultui ſe ſolide manciparunt. Nam circumciſio *patriarchalis* ſignum & teſſera fuit religionis naturæ lege præſcriptæ, *Moſaica* vero religionis quæ in legis pandectis continetur. Abrahamus itaque & poſteri ſui, circumciſioni huic aut illi ſubjecti, eo ipſo religionis, ſibi præſcriptæ & cognitæ, ſe debitores conſtituebant, & ad eam colendam ſe devinctos confitebantur. Hoc [c] S. Petri verba docere videntur: *quid jugum imponitis ſuper cervicem diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri, ferre potuimus?* Ibi enim *jugi* nomine non ſola circumciſio, (infantibus haud adeo oneroſa) intelligenda videtur, ſed lex integra per Moſen tradita, ad quam tolerandam circumciſionis ritu ſuſcepto, ſinguli tenebantur. Idem paulo clarius affirmat S. *Paulus*, quem antea veritatis hujuſce teſtem advocavi: * *teſtificor*, ait ille, *omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſa legi ſervanda:* hoc eſt: qui circumciſione, tanquam ritu ſacro jam utitur, ſe ad legem integram ſervandam, tanquam ſyngrapha ſigillo ſuo communita, devinctum profitetur. Nam [d] ἡ περιτομὴ θυσίαν ἔχει συνεζευγμένην, καὶ ἡμερῶν παρατήρησιν, — καὶ τόπου φυλακήν, — (καὶ) μυρίων καθαρμῶν τρόπους, (καὶ) οἱ καθαρμοὶ δεσμόν τινα παρατηρήσεων ἀνάγουσι ποικίλων· *Circumciſio* immolationem pecudum *annexam habet, & dierum locique obſervationem, & innumerabiles purgationum ritus: purgationes* autem *examen quoddam obſervationum variarum* ſecum *adferunt.* Adeo ut in circumciſione Judaiſmus vivere, movere, atque eſſe videretur.

a *Rom.* 4. 11. b *Genes.* 17. 10. c *Act.* 15. 10 * *Gal.* 5. 3. d *S. Chryſoſt. comment. in loc.* T. 5. p. 843.

SECT. III.

S E C T. III.

Sect. III.

De ſede vel ſubjecto circumciſionis.

UT argumentum noſtrum eo quo inſtituimus ordine perſequamur, nonnulla de Circumciſionis [a] loco vel ſede proximo dicturi ſumus.

Pudenda circumciſa;

STIGMATA illa quibus ethnici olim ſe dæmoni alicui conſecratos teſtabantur, in qualibet corporis parte, ὡς ἔτυχε, imprimebantur: nota vero vel character, qui gentem Deo peculiarem indicavit, non quamvis corporis partem, ſed *carnem præputii*, ſedem aut ſubjectum habuit. Hoc e diſertis Scripturæ verbis manifeſtum, *Geneſ.* 17. 11. *Circumcidite carnem præputii veſtri.* Hinc fit ut ritus ille, Græcis περιτομὴ, Latinis *circumciſio*, dicatur; utraque voce amputationem pellis, membri virilis glandem circumtegentis, apte ſatis denotante. E contra, ſtatus incircumciſus [b] ἀκροβυστία in ſacra pagina vocatur, extremitatem notans tectam, præputio ſcilicet, quod infantibus ferro acuto abſciſſum detrahebatur.

Ob triplicem cauſam,

AUCTORES autem tres cauſas imprimis aſſignare ſolent, cur Deus partem obſcœnam characteris hujuſce ſacri ſedem fecerit:

1°. Naturalem.

HARUM prima, cauſa naturalis eſt: nempe ut ritu illo, morbo occurreret, cui partes illæ naturales [incircumciſæ] in Oriente præſertim, obnoxiæ credebantur; & ut abſciſſo præputio, Judæorum natio magis habilis & idonea ad ſobolem procreandem redderetur. Atque hæc duplex ratio pondus (& forſan originem) ſuum *Philoni* debet. Poſtquam enim obſervaſſet, ritum illum apud alias etiam gentes antiquitus uſitatum, [c] *permultæ*, inquit, *ſunt cauſæ quæ ſuadeant, ab hoc priſcorum inſtituto non diſcedere:* harum una eſt, χαλεπῆς νόσου καὶ δυσιάτου πάθους ἀπαλλαγὴ, ἣν ἄνθρακα καλοῦσιν. *Ut caveatur morbus curatu difficilis, quem carbunculum vocant, ----- qui præputiatis facilius innaſcitur.* Aliam deinde (quam *ſumme neceſſariam* vocat) *ſubjungit cauſam*, τὴν πρὸς πολυγονίαν κατασκευὴν, *curam fœcunditatis & numeroſæ ſobolis.* Nam obſervatum dicit, τὰ περιτεμνόμενα τῶν ἐθνῶν πολυγονώτατα καὶ πολυανθρωπότατα εἶναι *circumciſas gentes fœcunditate pollere, eſſeque populoſiſſimas.* Quid ſani aut ſolidi contineat hæc vel illa *Philonis* ratio, aliorum judicium eſto.

2°. Moralem.

SECUNDO: ratio alia, cui auctores haud obſcuri favent, moralis eſt: dicunt enim, gentes antiquiores in omne genus luxuriæ & libidinis effuſas fuiſſe, & libidinem ſuam ſpecie quadam religionis obumbraſſe; ideoque Deum partes libidini miniſtrantes circumcidi præcepiſſe, ut populum ſuum a propudioſis gentium moribus avocaret.

HAC de cauſa, circumciſionem quam dixi *Patriarchalem* inſtitutam affirmat *Photius*, Epiſt. 205. ubi hæc occurrunt: *e gente Chaldæa oriebatur Abraham, ubi matribus, filiabus, & ſororibus, de conſuetudine impia, commiſcebantur:* ἵνα ἂν μὴ τοῖς πατρῴοις ἤθεσι, μήτε αὐτὸς, μήτε τὸ ἐξ αὐτοῦ γένος, καταμιαίνοιτο τέμνεται — τὴν ἀκροβυστίαν, ὡς αἰδῆ τινα τῆς τοιαύτης ἀρρητοποιΐας, &c. *Quocirca, ne per patrios mores vel ipſe pollueretur, vel ab illo deſcendentes, circumcidebatur ei præputium, quo hujuſmodi nefanda turpitudo aboleretur: atque inde facta eſt ei carnis ſuæ circumciſio, diviſio quædam ab affinibus ſuis, & conſanguineis, &, quantum ad maritalem copulam ſpectat, averſio. Nam poſt circumciſionem, quiſpiam e ſanguine Abrahami ab hujuſmodi nefandis, vel furtim perpetrandis, impediebatur.* In quæ Photii verba doctiſſimus Montacutius hæc annotavit: *Magis & Chaldæis hoc* παρανόμημα [cum matribus ſcil. & ſororibus concubitum] *aſcribunt multi: -- ſed non poteſt probari, nec veriſimile eſt, fuiſſe illud Abrahamo* σύγχρονον, *vel antiquius, (ut vetur* Photius) *ſed* μακροῖς μετὰ ταῦτα χρόνοις *ſubintroductum.* In his autem nihil eſt, cur a Photii ſententia diſcedamus: cum enim [d] Scriptura ſacra Canaanitas, alioſque e vicinia populos, Moſis ævo talium facinorum reos peragat; non abludit a vero, eos Abrahami ſeculo criminum eorum haud prorſus immunes perſtitiſſe: cum præſertim eos, idololatras & majorum gentium peccatores, Abrahami ſeculo fuiſſe, ſatis e [e] ſcriptura compertum ſit.

NONNULLI huic rationi circumciſionem *Moſaicam* tribuendam ſentiunt. Nam [f] *D. Thomas*, poſtquam duas rationes aſſignaſſet, cur Deus circumciſionis ſignum in carne præputii inſculptum voluit, *tertia*, inquit *ratio eſt in ſugillationem ſacrorum Veneris & Priapi, in quibus illa pars corporis honorabatur.* Quibus verbis (ni falſo nitar

a V. *Maim. mor. Neb.* P. 3. c. 49. b Παρὰ τὸ βύειν τὸ ἄκρον. c *Lib. de circumciſ.* p. 810. d *Levit.* 18. 9, 10, 11, 12. 24. & 20. 17, 23. e *Geneſ.* 15. 16. f. 1ª, 2. *Quæſt.* 102. *Art.* 5.

[a] interprete) *intelligit D. Thomas, phallos & phallagogia quæ vocabant.* Erat autem φάλλος, αἰδοῖον ἀνδρεῖον ξύλινον, uti docet Heſychius; phallagogia vero, explicante [b] Theodorito, ἡ τοῦ Φάλλου ἑορτή, (ἐν ᾗ) προσκυνοῦν μὲν τοῦτον, καὶ (προσεφίλουν) οἱ ὀργιάζοντες ἅπαντες. *Phalli feſtum* erat inquo Phallum *veneratione & oſculis accipiebant, qui feſtum celebrabant.* Ritus tam impuri originem ad Ægyptios referunt Diodorus Siculus, & alii, qui mores *Ægypti* religioſos memoriæ tradiderunt. Aſſerit autem [c] *Diodorus*, Iſin Oſiridis occiſi diſſecta membra ſtudio quo potuit maximo recollegiſſe; veretri vero (quod nullo modo reperire potuit) imaginem fabricaſſe, & in ſacris ſolennioribus adorandam propoſuiſſe. Et eo tandem pravis deventum eſt moribus ut, eodem [d] *Diodoro* teſte, *pudenda non apud Ægyptios tantum, ſed alios quoque non paucos, in myſteriorum ritibus religioſe haberentur.* Cum itaque membrum virile ſacrorum Ægyptiacorum pars magna fuerit, promptum eſt opinari, Deum membri illius mutilationem, in cultus Ægyptiaci contemptum & opprobrium, inſtituiſſe.

Hæc equidem circumciſionis Moſaicæ cauſa, ſpecioſa videatur: non diſſimulandum eſt tamen R. Montacutium ei rationes minime contemnendas [e] oppoſuiſſe. Nam (1°.) "Nequaquam, inquit, vel apud Judæos, vel alios, qui circumcidebantur, pudori habebatur aut dedecori, ſed honori potius & dignitati: parum itaque probabile eſt Deum "in cultus Iſiaci odium & contemptum, membrum virile ſanxiſſe mutilandum. (2°.) Si "Circumciſio in deteſtationem Phallagogiorum apud Ægyptios inſtituta fuiſſet, Ægyptii ipſi tanto honore Circumciſionem non fuiſſent proſequuti, ut neminem admitterent ad myſteria niſi circumciſum. (3°.) Inſtitutio illa Ægyptiaca, in honorem Oſiridis ab Iſide inducta, poſterior Moſe erat, nedum Abrahamo: ut nullo modo verum "eſſe queat, introductam ob deteſtationem impiæ illius impuritatis Ægyptiorum. Hæc "ille: non eſt autem noſtrarum partium, illius argumenta ad ſtateram revocare, qui id ſolum ex profeſſo jam agimus, ut auctorem ſententias lectori judicandas offeramus.

Et ceremonialem.

Tertio: ratio ultima characteris hujus partibus naturalibus impreſſi, mere ceremonialis eſt: nempe ut eo aptior eſſet & accommodatior ad fœdus divinum ſignificandum & obſignandum. Nam Deus, fœdus cum Abrahamo faciens, fidem ſuam de illius ſemine multiplicando & terræ gentibus in eo benedicendis, oppignoravit. Conſentaneum itaque fuit, ut fœderis illius ſignum ipſis generationis inſtrumentis imprimeretur, ut cum ipſa pacti natura & ſcopo conſenſum coleret, & eo facilius illius memoriam renovaret. Et eo probabilius eſt Deum, in fœderis illius ſignum & memoriam partem obſcœnam circumcidi voluiſſe; cum alias quilibet character, in quavis alia corporis parte, ad Abrahami ſemen a gentibus aliis diſcriminandum, ſufficere potuiſſet. Sed & ideo forſan Deus fœderis ſui ſignum in præputio poſuit, ut eo facilius ſigilli & ſacramenti divini fidem obtineret: cum enim partibus illis, a quibus aut ſecandis aut retegendis hominum pudor & natura refugit, imprimeretur; fieri non potuit, ut ſignum illud, a natura inditum, vel hominum conſilio conſtitutum, aut ab ullo alio principio, niſi Deo fœderis auctore, profectum, crederetur. Hujuſmodi inſtitutum, naturæ & modeſtiæ dictatis adverſum adeo, ipſa ſua inſolentia Deum auctorem probat, & circumciſionem ideo præceptam fuiſſe, ut fœderis, cujus ſignum erat, fidem ratam & firmam faceret.

S E C T. IV.

De Circumciſionis origine & antiquitate.

QUI veterum monumenta primis, quod aiunt, labiis delibarunt, apprime norunt, non tantum Judæos, ſed & Ægyptios, Colchos, Phœnicas, Syros, Arabes, Æthiopes, Troglogytas, alios, circumciſionem in uſu habuiſſe. Magna autem ſecuritate creditum eſt, Abrahamum ritus hujuſce caput & fontem fuiſſe, illumque ab eo præcipue per *Iſmaelis* & *Keturæ* filios, ad gentes quas dixi profanas propagatum. Nonnulli tamen ſe perſuaſos habent, Ægyptios ritum illum a Joſepho, vel ab Iſraelitis in Ægypto commorantibus, accepiſſe, Colchos & Æthiopes eorum exempla ſecutos hunc ritum uſurpaſſe, Phœnices autem & Arabes eum a Judæis deſumpſiſſe quibus vicinitate jungebantur. At ſententia plane contraria veterum quorundam fidem tenuit,

a *R. Montacut. Orig. Eccleſ.* P. 1. §. 60. b. *In Therapeutic. ſerm.* 1. p. 482. c. L. 1. *Bibl. Hiſt.* p. 19.
d *Ib.* p. 78. d *Lib. ſup. laud* §. 61. p. 66.

Ægyptios

gyptios ſcil. & Æthiopes, omnium primos, præputia poſuiſſe; adeoque circumciſionem Judaicam proxime quidem a Moſe & patriarchis, remote vero ab Ægyptiis aut gentibus paulo antiquioribus, [juſſu tamen divino] profluxiſſe. In hanc ſententiam propendet [1] auctor nuperus, non minus literis quam imaginibus gentilitiis ornatiſſimus. Me quod attinet, nolo judicis partes in re tam ſacra & perplexa ſumere: ſed argumenta omnia [quantum legendo vel meditando aſſequi datum] pro utravis parte militantia, una cum ſolutionibus eorum ex adverſo poſitis, in medium proferam; & lectori integrum ſie omnia probare, & quod rationi maxime conſonum videtur, retinere. SECT. IV.

EXORDIUM autem ſumam, uti par eſt, a veterum nonnullorum ſententia, qui circumciſionem Ægyptiis aut Æthiopibus, tanquam primis auctoribus, tribuendam arbitrantur. Hæc autem ſententia teſtimoniis & argumeotis ſequentibus firmari videtur.

Teſtimonia, & argumenta (artificialia) circumciſionis initium Ægypto vindicantia.

1. MIHI, a teſtibus incipienti, primo occurrit *Herodotus*, qui, ex ipſius & Judæorum tunc viventium ſententia, Ægyptios aut Æthiopes cæteris gentibus ad circumciſionem duces ſuiſſe dicit. Nam, Colchos ab Ægyptiis ortus eſſe probaturus, hæc [a] habet: μοῦνοι πάντων ἀνθρώπων Κόλχοι, καὶ Αἰγύπτιοι, καὶ Αἰθίοπες περιτάμνονται ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φοίνικες δὲ, καὶ Σύροι οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ, καὶ αὐτοὶ ὁμολογέουσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι, &c. *Soli omnium Colchi, Ægyptii, & Æthiopes, a principio pudenda circumcidebant: Phænices autem & Syri qui Palaſtinam incolunt*, [i. e. Judæi] *ipſi ſe conſuetudinem illam ab Ægyptiis accepiſſe confitentur.* Cur autem Herodotum hac in re, qua ſibi nec ſerebatur nec metebatur, mentiri voluiſſe crederemus?

(2°.) NON tantum Herodotus, ſed plerique alii e Genrilium grege, philoſophi & hiſtorici, dicunt circumciſionem originem ſuam Ægypto debuiſſe. Nam [c] *Diodorus Siculus* poſtquam Judæos & Colchos ab Ægypto prnpagaros aſſeruiſſet, continuo addit, διὸ καὶ παρὰ τοῖς γένεσι τούτοις ἐκ παλαιοῦ παραδέδοσθαι τὸ περιτέμνειν τοὺς γεννωμένους παῖδας, ἐξ Αἰγύπτου μετενηνεγμένου τοῦ νομίμου· i. e. *Ideoque gentibus illis, ex antiqua traditione in uſu eſt, ut circumcidant ſtatim a partu, pueros, ritu ab Ægyptiis derivato.* Idem audacter & fronte retecta pronunciavit *Celſus*, [f] dicens, εἰ μὲν ἁγιώτεροι τῶν ἄλλων ἂν εἶεν (οἱ Ἰουδαῖοι,) ὅτι περιτέμνονται· τοῦτο γὰρ Αἰγύπτιοι, καὶ Κόλχοι, πρότεροι. *Nec ideo ſanctiores ſunt cæteris* Judæi, *quia circumciduntur: hoc enim priores* ſecerunt *Colchi & Ægyptii.*

Reſponſa quæ iis opponuntur.

1. HUNC nodum *Montacutii* noſtri verbis ſolvere vel ſaltem ſecare valeamus: *falſum eſt multipliciter quod* Herodotus *affirmat. Non enim illi* Soli circumciſi ab initio. *Quin ab initio omnino nec circumciſi. Falſum, hunc morem circumcidendi ab illis manaſſe ad Judæos. Multo magis illud falſum quod adjungit, ipſos Judæos hoc ponere in confeſſo. Non confitentur; nec unquam confeſſi ſunt, quod ille fabulatur: quin vehementer contendent & veriſſime, apud ipſos olim, ipſos* [b] *primum, ipſos ſolos, in uſu fuiſſe* περιτέμνεσθαι. *Atque ideo diſtinctionis gratia, Gentes olim dictas fuiſſe* incircumciſas. Hæc [c] ille: quibus addi poteſt, quod [d] *Philo Byblius*, rerum Phæniciarum multo peritior, aſſerat Phænices Circumciſionis inſtitutum ad Saturnum, non ad Ægyptins, referre ſolitos. Teſtimonia.

(2°.) NON eſt quod multum moremur quid in hac cauſa dixerint ſcriptores ethnici, qui origines rerum tempora Trojana præcedentium vix obſcure cognitas habuerunt. Deinde, cum conſtet, Ægyptios antiquitatis, religionis, & ſcientiæ laude, præ aliis gentibus floruiſſe; & Græcos aliosque myſteria ſua, ſacra ſimul & philoſophica, ab Ægypto petiiſſe; ethnici facile credere poſſent, Ægyptios circumciſioni principia tribuiſſe; & Colchos, Judæos, alios, eam ab Ægyptiis, celeberrimis ævi priſci magiſtris, didiciſſe. Sed & ethnici forſan eo libentius in hanc ſententiam conceſſerunt, quod Judæos odio & contemptui haberent, iiſque ritum aut myſterium vel minimum inveniendi gloriam inviderent.

[g] Julianus etiam Abrahamum, Iſaacum, & Jacobum huocpræputii ſecandi morem e plurimo cum Ægyptiis commercio didiciſſe refert.

a L. 2. ſ. 104. p. 125. b *V. Scriptor. Lexic. Arne. ap. Druſ.* l. 6. *Præterit.* p. 223. c *Apparat.* 5. p. 177. d *V. infr.* e L. 1. p. 24. f *Ap. Orig.* p. 259. g *Ap. S. Cyril. cont. Julian.* p. 354.

1 Vid. *Marsham. chron. canon.* p. 72, 207.

SECT. IV.

(3°.) Non tantum Herodotus, Celſus, & Julianus, circumciſionis initium ab Ægyptiis arceſſunt, ſed & Joſephus, Origenes, & Cyrillus; qui citatis eorum verbis nihil oppoount, adeoque ſilentio ſuo ea pro veris agnoſcere videantur. Nam [a] Joſephus, jam ciratum Herodoti teſtimonium memorans, banc ei laciniam aſſuit, in hodiernis Herodoti exemplaribus deſideratam τῶν δὲ τὴν Παλαιστίνην κατοικέντων μόνοι τῦτο ποιῦσιν Ἰυδαῖοι. *Ex iis qui Palæſtinam habitant, ſoli hoc faciunt Judæi;* nullo de circumciſionis origine verbo addito: *quaſi tacite innuens*, inquit [b] Laur. Ramirez, *ſe in Herodoti ſententiam manibus pedibuſque ire.* Origenes eriam & Cyrillus Celſi & Juliani verbis jam dictis minime contradicunt, quod feciſſent proculdubio, ſi fide & veritate integra circumciſionis originem ad Abrahamum referte potuiſſent; cum præſertim alia Celſi & Juliani omnia, quantum per veritatem licuit, ex profeſſo refutarenr.

(3°.) Josephus, eo in loco, Herodoti verba noluit ad examen ſeverum revocare, forſan ne a ſcopo & inſtiruto præſenti nimis aberraret. Nam alibi enixe facit omnia, ut Gentium ritus omnes, ullam cum Judaicis affinitarem habentes, a ſacris patriæ ſuæ moribus effluxiſſe cenſeantur. Ab Origenis ſilentio, eo in loco, male colligitur, eum cenſuiſſe Ægyptios omnium primos hunc ritum celebraſſe: cum enim [1] alibi Celſus τὸ περιτέμνεσθαι τὰ αἰδοῖα ἀπὸ Αἰγυπτίων ἐληλυθέναι, *circumciſionis ritum ab Ægyptiis profectum* aſſeruiſſet, Celſi temeritatem reprehendit Origenes, quod Αἰγυπτίοις μᾶλλον ἢ Μωσῇ, *Ægyptiis citius quam Moſi, Abrahamum primo circumciſum referenti*, fidem adhiberet. Et forſan S. Cyrillus Juliani verba, mendacii tam facile arguenda, vix digna duxerit quæ refutatione aliqua cohoneſtaret.

(4°.) Sanchuniatho, vetuſtiſſimus rerum Phœniciatum ſcriptor, ritus hujus originem a Saturno petit: ὁ Ἶλος, [c] ait ille, τῦτ' ἔςιν ὁ Κρόνος, τὰ αἰδοῖα περιτέμνεται, καὶ τὰς ἅμ' αὐτῷ συμμάχυς καταναγκάσας. *Ilus, qui Saturnus eſt, pudenda circumciſus eſt, & commilitones ſuos ad idem faciendum adegit.* Quiſnam ille Saturnus fuerit, haud adeo inter doctos convenit: apud omnes autem in confeſſum venit, eum Abrahami tempora ſuperare.

(4°.) Huic uni Sanchuniathonis teſtimonio, in argumento tam remotæ antiquitatis, haud multum fidei tribuendum eſt: cum præſertim auctores plerique circumciſionis originem non a Saturno ſed Abrahamo deducendam ſentiant. Deiode, aut ego fallor, aut Sanchuniathonis verba cœleſtem circumciſionis originem, ſed (gentium more) fabulis quibuſdam obſcuratam, referunt. Nam Ἶλος proculdubio a Syrorum איל, Deum ſignificante, derivatur: cum autem genres, lapſu tempnris, quis Ἶλος ille eſſet, qui familiæ ſuæ præputii ſecandi neceſſitatem impoſuit, ptorſus ignorarent, Saturno [a [d] Syris & Phœnicibus Ἤλ & Βῆλ dicto] ritus originem tribuebant.

(5°.) Affirmat [e] Philo, circumciſionem non apud Hebræos tantum, ſed & exteras genres, Ægyptios inprimis, in honore non medicori habitam. Cum autem varias rationes ritus tam gravis apud Ægyptios & alias gentes obtinentis enumeraret, alto ſilentio Hebræorum exemplum præterit: ſin autem Hebræorum exemplum quicquam apud Ægyptios alioſve ad circumcidendi religionem ſuſcipiendam valuiſſet, proculdubio *Philo* cauſam illam minime tacuiſſet; cum præſertim cauſas omnes cur gentes exreræ circumciſionem admitterent, de induſtria recenſeret. Huic argumento inde momenta quædam accedant, quod [f] *Philo* circumciſionem, apud

(5°.) E Philonis ſilentio hac in re non niſi elumbe argumentum ducitur, ad probandum Ægyptios circumciſionem a Judæis non accepiſſe. Nam ex immani odio quo Judæi & gentiles ſe mutuo proſequebantur, factum eſt, ut Judæi non minus gentilium ritus & eorum origines, quam gentiles Judæorum, ignorarent. Deinde, cum Ægyptii pro indubitato tenerent, religioſam circumciſionis obſervationem ſe primos inſtituiſſe; ſi Philo circumciſionis uſum a Judæis ad Ægyptios fluxiſſe palam aſſeruiſſet, Ægyptios proculdubio & Græcos (quibus ipſe magno uſu conjungebatur) ſibi male conciliatos habuiſſet.

ethnicos irriſui habitam, Ægypriorum exemplo a contemptu vindicet, dicens, γελᾶται ἡ τῶν γεννητικῶν περιτομὴ, &c. *Ridiculo eſt majorum noſtrorum circumciſio, quamvis in haud mediocri honore habita, etiam apud alias gentes, præſertim Ægyptiam, hominum tam fre-*

a *Cont. Apion.* p. 1346. b *Pentecontarch.* c. 4. p. 58. c. *Ap. Euſeb. Pr. Ev.* l. 1. p. 38. d *V. Damaſc. apud Phot. auctor.* col. 1049. e *L. de circumciſ.* p. 810. f *Ub. ſupr.*

1 Vid. *Origen.* p. 17.

quentia

quentia quam ſapientia præcellentem. Non eſt autem veriſimile *Philonem* circumciſionem, Ægyptiorum exemplo tueri voluiſſe, modo Ægyptios hac in re Judæorum ſimios exiſtimaſſet; cum præſertim, ex Ægyptiis haud adeo multi circumciſi fuerint. SECT. IV.

(6°.) TESTIMONIUM ſextum nobis præbent Dei per [a] Prophetam verba: *ecce dies veniunt, dicit Dominus, & viſitabo ſuper omnes circumciſos cum incircumciſis: ſuper Ægyptum, ſuper Judam, ſuper Edom, ſuper filios Ammon,* &c. Quid enim Dominus primum locum inter gentes circumciſas Ægypto tribuit, niſi quod virilia circumcidendi conſuetudo antiquior *Ægypto* quam *Juda* fuerit, & ad alias gentes ab Ægypto venerit?

(6°.) SI res tam obſcura conjecturam pati poſſet, dicerem, Deum hos inprimis *viſitare* ſtatuiſſe, quibus in uſu erat circumciſio, quod in iis Judæi ſpem ſuam præcipue collocarent. Inter eos autem primas Ægypto tribuit, quod viribus & opibus præcelleret, adeoque Judæi forſan illius auxilio præcipue niterentur.

TESTIMONIA circumciſionis originem Ægypto vindicantia jam trutinavimus: proximo ad examen vocanda ſunt argumenta illa [artificialia] quæ circumciſionem originis Ægyptiacæ ritum probare videntur.

HORUM (1m.) hujusmodi eſt: ex ipſa ſcriptura manifeſtum eſt, Ægyptios diu ante Joſuæ tempora ἀκροβυστίαν pro opprobrio & infamia habuiſſe. Poſtquam enim Deus Iſraelitas in deſerto natos circumcidi præcepiſſet, dixiſſe fertur, *hodie abſtuli a vobis opprobrium Ægypti,* Joſ. 5. 9. Conſtat itaque circumciſionem, diu ante legem datam, Ægyptiis in uſu fuiſſe, eoſque ritum illum, non Hebræorum exemplo, ſed ritus ipſius ſtudio ductos, in honore habuiſſe.

(2°.) VERISIMILE eſt Ægyptios, ἀπ' ἀρχῆς, ab ipſo rerum ſuarum exordio, circumciſionem in moribus habuiſſe. Hoc enim dicit Herodotus, & confirmat ratio: nemo enim vel probabili conjectura aſſequi poteſt, quo primum tempore circumciſionem a Judæis mutuati ſunt. Nonnulli quidem ſentiunt, Ægyptios, *Joſephi* exemplo vel præcepto motos, corpora ſua circumciſioni ſubjeciſſe: alii circumciſionis uſum ab Hebræis ad Ægyptios fluxiſſe dicunt, cum per multos annos in Ægypto una verſarentur: alii dicunt alia, ſed dicunt tantum, nullis aut argumentis aut teſtibus inſtructi, qui fidem dictis aſtruant. Conſultius itaque videtur, dicere Ægyptios, conſuetudine pene ſuperſtitioni ſuæ coæva, virilia circumcidiſſe; cum præſertim Herodotus, ævo vel ſuo gentem Ægyptiam *more veteri* recutitam referat.

(3°.) E jam citatis Herodoti verbis hoc ſaltem cuto colligatur, Colchos, Æthio-

(1°.) OPPROBRIUM *Ægypti,* ſervitus erat, & ſtemmatis ab Abrahamo deducti conditione ſervili obſcuratio: circumciſione nimirum effecit Deus, ne ulterius veluti mancipia & in domo ſervitutis nati, ſed ut Abrahami filii, & terræ promiſſionis hæredes, haberentur. Circumciſio priſtinam ſanguinis claritatem Iſraelitis aſſeruit, & omnem ſervitutis Ægyptiacæ maculam & opprobrium obliteravit. Multi ſunt qui ſic locum intelligendum ſentiunt, nempe, non de præputio, ſed de ſervitute, quæ eo uſque exprobrata fuit vel Iſraelitis exprobrari potuit, ab Ægyptiis.

(2°.) RESPONDET *Bonfrerius,* in Joſ. 5. 9. Veriſimile *eſſe* Ægyptios circumciſionem admiſiſſe, *cum Salomon Pharaonis Regis filiam uxorem* duxit, *cœpitque inter Iſraelitas & Ægyptios, equorum Salomoni coemendorum cauſa, frequens eſſe commercium, uti* 1. Reg. cap. 10. *indicatur.* Sed, ut verum fatear, neutiquam probabile videtur, Ægyptios omnes, unius fœminæ vel multorum equorum cauſa, circumciſionem in mores accipere voluiſſe; cum ritus ſit tam gravis & moleſtus, nec a viris ætatis paulo provectioris ſine capitis periculo ſubeundus. Quin &, ſi *commercium* illud a *Bonfrerio* memoratum quicquam apud Ægyptios valuiſſet, eos proculdubio non ad circumciſionem (a qua natura refugit) ſed ritus ſuaviores a Judæis accipiendos induxiſſet. Longe præſtat, ingenue fateri, tempus incertum eſſe quo primum hoc moris in Ægypto cœperit, quam hujusmodi conjecturis lectorem ludere.

(3°.) SUADET ratio ut fidem, hac in re, non niſi timidam & vacillantem He-

[a] *Jerem.* 9. 25. 26.

SECT. IV.

pes, & Ægyptios, ptimos e Gentibus fuiſſe, qui Circumciſionis nota ſignabantur. Unde factum autem ut Colchi, & Æthiopes primi ante alios hunc ritum uſurparent, niſi quod origine Ægyptiacus eſſet, adeoque ad Æthiopes vicinos & Colchos (olim [a] indigenas Ægypti) citius quam gentes remotiotes tranſite potuerit? Sin autem ab Abrahamo & poſteris ejus primo manarit citcumciſio, nulla ratio reddi poteſt, cur Ægyptii [Judæorum genti ſempet inſenſi] cotum exempla tam ſtudioſe ſequerentur; aut cur Æthiopes & Colchi, tanto terrarum intervallo a Judæis ſeparati, tam cito moribus Judaicis inficerentur.

rodoto tribuamus. Cum enim Deus mandatum de Abrahamo & poſteris ejus circumciſionis charactere notandis tradidiſſet, proculdubio gentes illæ, Ammonitæ, Moabitæ, Iſmaelitæ, Midianitæ, [ab Abrahamo & Loto propagati] patrum exempla ſecuti, citcumciſionis ritum obſervarunt: *illi itaque nuſquam quod meminerim* (inquit [1] Montacutius) *appellantur in ſcripturis* incircumciſi: *ſed titulus ille apud Philiſthæos reſedit, e Chamo per Miſraim oriundos, nec ad Abrahami familiam aut pactum Domini pertinentes.* Vetiſimile eſt itaque ritum illum ah Abrahamo ad Arabes ei ſanguine conjunctos, & ab Arabibus ad Ægyptios, & ab iis ad alias e vicinia gentes, emanaſſe.

(4°.) ÆGYPTII, Æthiopes, aliique ex Oriente populi, rationes regioni vel religioni ſuæ proprias habuerunt, quibus, diu ante tempora Abrahami, ad virilium pelliculas præcidendas inducti cenſeantut. Nam *Philo* & alii circumciſionem, inter gentes aliquas, conſilio civili primum introductam putant, ad præcavendam ſcilicet lepram aut carbunculum, e ſordibus ſub præputio latentibus otiti ſolitum. Herodotus aliam rationem, ab ipſo religionis Ægyptiacæ ingenio petitam, aſſignavit: [b] ait enim Sacerdotes Ægyptios καθαρειότητος εἵνεκεν *puritatis cauſa*, quam ſummo ſtudio curabant, pelliculam illam, utpote ſordium receptaculum, amputaſſe. Veteres idololatræ τὸν κοινὸν τοῦτον καὶ κατηγελασμένον λόγον, *vulgarem hanc & ridiculam* circumciſionis *cauſam*, uti vocat S. [c] Cyrillus, frequenter in ore habuerunt.

(4°.) HISCE omnibus, aliquali vetiratis ſpecie decotatis, ratio & experientia clare reſragantur. Non eſt enim rationi congruum, naturam præputium, modo individuo tam noxium aut ſpeciei damnoſum, concedere voluiſſe. Sed & longa dies docuit, lepram, carbunculum, & luem veneream, non magis gentes præputiaras quam circumciſas infeſtare: & certum eſt Judæos in vagas libidines effuſos, non minus lue venerea, quam gentiles ejuſdem criminis reos, laborare. Non eſt igitur probabile, Ægyptios & alios e gentilium grege virilia circumcidiſſe, ne aliter lepra vel lue aliqua corriperentur. Nec vetiſimile eſt Ægyptios, pudore & dolore reclamante adeo, ſolius *puritatis cauſa* circumciſionem ſubire voluiſſe. Rationi magis convenit, ut credamus eos, traditione a ſeculis antiquis propagata, didiciſſe, circumciſionem Deum auctnrem habuiſſe: cum autem temporis vetuſtas ritus illius inſtituti cauſam ex hominum memoria deleviſſet, ſacerdotes forſan Ægyptii citcumciſionis initium puritatis ſtudio tribuendum cenſuerunt, ne ſine rationis alicujus ſpecie delirarent.

(5°.) SATIS e [d] ſcriptura conſtet, Abrahamum, licet nonagenatio major eſſet, de circumcidendo ſeipſu & familia ſua nihil a Deo in mandatis accepiſſe, niſi poſtquam in Ægypto temporis aliquid exegiſſet. Quid autem, niſi quod Abrahamus, Ægyptiorum familiaritate jam uſus, circumcidendi modum & ritum aliquatenus iotelligeret, nec ab inſtituto illo, tanquam novo & incognito, reſilite vellet?

(5°.) HUJUS argumenti levitas inde ſatis intelligitur, quod Abrahamus [e] ſame tantum coactus in Ægyptum iverit; & Deus, non ſtatim ab exitu ſuo ex Ægypto, ſed poſt annos aliquot, ci circumciſionis præceptum dederit.

(6°.) JUDÆI & Ægyptii eum inter ſe conſenſum, quoad præcipuas circumciſionis ſuæ citcumſtantias, habuetunt, quod nemo conſultus ſibi perſuadere poſſit, Ægyptios ab Hebræis (populo ſibi ſemel ſubdito, ſemper autem exoſo) circumciſionem accepiſſe. Nam 1° Judæi honorifice

(6°) CONSTAT etiam e vetetum ſctiptis Hebræorum circumciſionem in circumſtantiis non minus inſignibus ab Ægyptiaca receſſiſſe. Nam 1°. Ægyptiis in more fuiſſe, καὶ τὰ θήλεα ἐκτέμνειν, *fæminas circumcidere*, docet [2] Strabo. l. 17. quamvis ritus illius peragendi modum taceat:

a *Bochart. Geogr. ſacr.* l. 4. c. 31. b L. 2. §. 37. c L. 10. *cont. Julian.* p. 352. d *Gen.* 13. 1. & 17. 10. e *Gen.* 12. 10.

1 Vid. *Orig. Eccleſ.* P. 1, §. 50. 2 V. p. 1180.

admo-

admodum de circumciſione ſentire ſolebant, eique plurimum tribuebant: idem & Ægyptios feciſſe, colligere eſt e verbis *Hori Apollinis* de [1] Cynocephalo, γεννᾶται δὲ περιτετμημένος, ἣν καὶ οἱ ἱερεῖς ἐπιτηδεύουσι περιτομήν· *Naſcitur autem circumciſus, quam circumciſionem ſtudioſè obſervant ſacerdotes.* 2°. Judæi nullum ad Paſchatis ſolennitatem, & Ægyptii nullum ad myſteria ſua ſolenniora, niſi circumciſum, admiſerunt. [a] Pythagoras itaque, ut ad myſticam eorum philoſophiam aditum haberet, circumciſionem ſubiiſſe dicitur. 3° Judæi circumciſione, tanquam initiationis & conſecrationis ceremonia, utebantur. Ægyptios etiam eodem conſilio circumciſionem uſurpaſſe, intelligere licet e verbis *Origenis*, Homil. 5. in Jeremiam, [2] τῶν Αἰγυπτίων εἰδώλων οἱ ἱερεῖς περιτέτμηνται· Hebræi vero lege & more ad maſculos tantum circumcidendos tenebantur. 2°. Judæi die octavo, Ægyptii anno decimo quarto, circumcidebantur. Hujus rei teſtem advoco S. *Ambroſium* l. 2. de Abraham. c. 11. 3°. Aſſerere videtur *Epiphanius*, Hæreſ. 30. Circumciſionem ſolis Ægyptiorum hierophantis & ſacrorum miniſtris peculiarem: apud Judæos character ille ſacer & laicis imprimebatur. Hæc omnia ſuſpicandi cauſam præbent, Ægyptios ritum illum a Judæis mutuatos fuiſſe, & eum ſuperſtitione ſua tandem infeciſſe; vel quod temporis lapſu illius rationem & originem ignorarent, aut quod circumciſio, in novam quaſi formam in Ægypto mutata, facilius originis Ægyptiacæ ceremonia crederetur. SECT. IV.

Ægyptios in his omnibus Hebræos imitari *potuiſſe*, non dubitandum eſt; eos autem *voluiſſe*, credere non patitur odium illud acerrimum quo nomen cultumque Judaicum ſemper averſabantur. Alia argumenta ad hanc ſententiam aſtruendam addi poſſent, quæ tamen, ne lectorem obtundam, prætermitto. Cum autem ea argumenta ad examen vocaverim, quæ probare videntur circumciſionem Ægypti moribus originem debuiſſe; eorum etiam argumenta cum annexis ſolutionibus in medium adducenda ſunt, qui, ſoli Dei inſtitutioni vel Abrahami exemplo, ritus hujus originem aſcribendam ſentiunt. Eſt equidem ex æquo & juſto ut utriuſque partis argumenta patienter audiantur; & nolim ut quis me animo partibus obnoxio hanc provinciam, argumenta librandi, ſuſcepiſſe cenſeat.

Eorum argumenta qui Abrahamum primo circumciſum ſentiunt.

(1°.) SCRIPTURÆ fidem apertam faciunt, circumciſionem, non ἐθελοθρησκείαν aut inſtitutionem humanam, ſed divinam fuiſſe, utpote fœderis divini ſignum: unde factum eſt quod illius obſervatio poſteris Abrahami ſub pœna exciſionis incubuerit: *Geneſ.* 17. 14.

(2°.) APERTE ſatis ex hiſtoriæ ſacræ verbis intelligitur, circumcidendi morem una cum fœdere quod Deus cum Abrahamo [c] percuſſit, incepiſſe. Cum itaque Celſus, hunc ritum memorans probri loco objiceret, πρὸς τοὺς Ἰουδαίους ἀπὸ Αἰγυπτίων αὐτὸ ἐληλυθέναι, *cum ab Ægyptiis ad Judæos profectum:* reſpondet [d] Origenes, *Moſem dixiſſe, primum mortalium circumciſum Abrahamum.* Et in hanc ſententiam crebrioribus itum eſt eruditorum ſuffragiis.

Eorum ſolutiones,

(1°.) NEMO prudens unquam dubitavit, quin circumciſio, quatenus fœderis divini ſignum, a Deo principium & ſanctionem habuerit: quatenus autem ſtigma corporeum, puritatis ſpecies, fœcunditatis medium, aut morbi antidotum eſſet, nil vetat quo minus eam ab [b] Ægyptiis aut Æthiopibus excogitatam aſſeramus. Minime dubitandum eſt, Moſem præcepta quædam, de cibis præſertim data, ſanitatis præſcriptis antea receptis accommodaſſe.

(2°.) NIHIL dubii habet, circumciſionem, quatenus pacti divini ſignum, in Abrahamo primum incepiſſe: nullibi autem affirmat aut negat Scriptura ſacra, gentes ante ſeculum Abrahami circumciſionem ad alios fines accommodaſſe. Nec forſan contrarium dixiſſet Origenes, ſi ad modo citata veterum teſtimonia penſiculatius advertiſſet. Neque ſententia contraria doctorum omnium puncta tulit: nam, *id certum eſt*, inquit [e] auctor fama clariore dignus, *potuiſſe Ægyptios, etiam ante circumciſionis inſtitutionem quam in lib. Geneſis legimus tempore Abrahami factam, eam in uſu habere, vel munditiæ gratia, pluris facientes ſe mundos eſſe quam decoros, ut ait Herodotus;*

a *Clem. Alex.* Strom. l. 1. p. 354. b Vid. *Theodoret.* T. 4. p. 467. c *Gen.* 17. 10. d L. 1. p. 17. e *Glasler. Comment. in Jer.* 9. 26. T. 1. p. 833.

1 vid. p. 25. 2 Vol. 1. p. 85.

SECT. IV.

vel ob phyſicam aliquam rationem, cujuſmodi eſt illa quam *a majoribus ſuis traditam affert Philo; vel ob aliquam tropicam & arcanam rationem* (eos enim *multa hieroglyphicis deſignare ſolitos exploratum eſt) vel ob quid ſuperſtitionis, cum conſtans ſit omnium ſententia eos gentibus univerſis ſuperſtitioſiores extitiſſe.* Quibus verbis inde color aliquis accedat, quod Americani (qui de Abrahamo ne fama quidem acceperant) ob has aut alias cauſas, hunc ritum exercuerint; modo ea quæ de circumciſione in variis Orbis novi locis reperta narrantur, pro veris habeantur.

(3°.) VETERUM & recentiorum aſſenſu communi confirmatur, Deum circumciſionem inſtituiſſe, ut eſſet veluti teſſera vel nota, quæ populum ſanctum a cæteris gentibus diſcriminaret. Sin autem apud Ægyptios tunc circumcidendi mos extitiſſet, impoſſibile erat ut Iſraelitæ ab aliis nationibus circumciſione ſecernerentur. Rationis hujuſce claritatem percipiant lippientes.

(3°.) AT & hoc argumentum fundamento male firmo nititur: quamvis enim circumciſio ſigni diſtinctivi locum occuparet, non eo præcipue conſilio a Deo inſtituta eſt, ut inde Iſraelitæ a gentibus diſtinguerentur; tunc enim par eſſet ut Iſraelitæ diſtinctionis notam, in fronte, vultu, pectore, brachiis, aut veſtibus, geſtarent; non in ea parte quam inſitus a natura pudor velare jubet. Unius veri Dei cultus, ritu ſpeciali præſtitus, nota illa præcipua fuit, qua Judæi a gentibus internoſci debuerunt. Neque hoc argumentum nobis obſtaret, ſi circumciſionem ſigni tantum diſtinctivi locum & uſum habuiſſe concederemus. Nam finis, modus, tempus, alia, fecerunt, ut latum diſcrimen inter circumciſionem Judaicam & Ægyptiam intercederet. [a] *Origenes* de circumciſione Judæis cum Ægyptiis communi loquens ἡ πρόθεσις, inqnit, καὶ ὁ νόμος καὶ τὸ βέλημα τῦ περιτέμνοντος, ἀλλοῖον ποιεῖ τὸ πρᾶγμα· *Propoſitum, & lex, & voluntas circumciſi facit, ut alia res ſit Ægyptii, alia Judæi, circumciſio.*

(4°.) VIX credibile eſt Ægyptios aliaſque gentes Circumciſionem, non niſi [b] μετὰ χαλεπῶν ἀλγηδόνων *cum doloribus graviſſimis* ſubeundam, levi aliqua de cauſa admittere voluiſſe. A ritu proculdubio tam fœdo & aſpero prorſus abhorruiſſent, niſi gravi aliqua ratione ſe ad illius uſum aſtrictos exiſtimaſſent. Quænam autem ratio moris humanæ naturæ tam adverſi reddi poteſt, quam quod gentes olim circumciſionem divinitus inſtitutam fuiſſe, ab Iſraelitis aut eorum majoribus accepiſſent?

(4°.) NON eſt quod miremur gentilium myſtas περιτομὴν tam libenter ſubiiſſe, cum & ἐκτομὴν, virilium *exciſionem* (ut Deorum gratiam inirent) tam facile paterentur. Notum omnibus gentiles liberos igni tradere, vulnera ſibi infligere, ſtigmata corporibus ſuis inurere, & laboris cujuſvis tædium in Deoum cultu devorare, ſolitos;

Tantum cæca fides potuit ſuadere dolorum. Sed & *Philo*, libro ſæpe laudato, varias rationes aſſignavit, cur veriſimile ſit gentes præputia ſua ſecare voluiſſe, quamvis ad ritus tam moleſti uſum nullis legibus aſtringerentur.

(5°.) IN hujus ſententiæ patrocinium addi poteſt, quod minime videatur tantæ rei congruum, ut Deus, cum Abrahamo ſolenne pactum initurus, eam ceremoniam pacti ſignum inſtituerit, quæ jam apud Ægyptios idololatras in uſu eſſet; cum præſertim hoc probe ſciret Abrahamus, quem in Ægyptum iviſſe, & ibi commoratum fuiſſe, legimus, *Geneſ.* 12. 10.

(5°.) SED & huic objectioni facile ſatisfiat, cum Dei mos ſit, ut, cum hominibus agens, hiſce plurimum ritibus exhibeat ſigna, pacta ineat, inſtituat ſacramenta, quos perſpectos novit & uſu frequenti tritos. Nam *Noæ* tempore, fœderis cum humano genere initi ſignum, arcum cœleſtem poſuit Deus, quem tamen & ante diluvium (juxta naturæ leges) apparuiſſe, non facile dubitandum eſt. Chriſtus comeſtionem & ablutionem, quibus nihil magis in uſu verſatur, legis novæ ſigna & ſacramenta conſtituit. Et alibi fuſe probamus, Deum temporum antiquiorum inſtituta reformaſſe, & ad uſum ſacratiorem tranſtuliſſe.

(6°.) NISI circumciſionis origo ad præceptum Abrahamo datum, & ejus exemplum, referatur; haud facile rationem aſſe-

(6°.) SED & hoc argumentum rimas haud paucas agit: cum enim, ait Grotius, *Colchos ex decem tribubus eſſe*, & ea de cau-

a L. 5. *cont. Celſ.* p. 263.

b *Phil. ub. ſub.* pag. 810.

quemur,

SECT. V.

quemur, cur e gentibus exteris ſoli Phœnices, Ægyptii, Colchi, Æthiopes, Idumæi, Troglodytæ, Homeritæ, Saraceni, Turcæ, circumciderentur. Hos enim omnes & ſolos e gentium profanarum grege præputia ſecuiſſe, veterum teſtimoniis a [a] *Grotio* prolatis abunde confirmatum eſt. Si n autem pro conceſſo ſumatur, Abrahamum primum ante alios circumciſum fuiſſe, hunc nodum facili negotio expediamus. Nam *Grotius* teſtibus fide non indignis probatum dedit, gentes eas omnes [Ægyptiis & Phœnicibus exceptis] ab Abrahamo [per Iſmaelem, Keturæ filios, Eſavum, aut decem tribus] oriundas. Ideoque credere par eſt, eos omnes circumcidi ſolitos, ritu inde uſque ab Abrahamo (patre gentibus hiſce communi) perpetua traditione propagato.

ſa inter Abrahami ptogeniem numerandos; a veri vicinia multum aberravit, ſi *Dionyſio* de ſitu orbis & *Euſtathio* fideodum ſit, *Colchos* genere & origine *Ægyptios* aſſerentibus. Ipſa eorum verba citat [b] *Sheringhamus* noſter, quem Lector conſulat. Vereor etiam ne quid humanum paſſus ſit vir cl. cum ait, *Phœnicas* [circumciſos] *Herodotus haud dubie pro Idumæis dixit*, ab Abrahamo per Eſavum ptopagatis. Sed ut ut hæc ſe res habeat, apertum eſt Ægyptios præputia ſecuiſſe, nec tamen originem ab Abrahamo derivaſſe. His addo, quod ſi Ægyptii a Joſepho vel Iſraelitis circumcidi didiciſſent, proculdubio commune fuiſſet Ægyptiis omnibus circumcidi, ut Iſraelitis: ex iis autem [1] paucos tantum circumciſionem expertos fuiſſe, vel *Apionis*, hominis Ægyptii, exemplo apud Joſephum diſcimus.

Utriusque partis argumentis & reſponſis ἐν παραλλήλῳ poſitis, Lectori jam promptum fuerit opinionis hujus & illius momenta omnia perpendere, & quænam ſimilior ſit vero judicare. Lectorem autem paulo humaniorem mihi veniam conceſſurum ſperavi, ſi in hoc argumento paulo prolixior fuerim, quod illud ab auctore uno & altero tactum quidem, a nemine pertractatum, reperiam.

SECT. V.

De circumſtantiis quibuſdam in circumciſione celebranda obſervari ſolitis.

Ne pars aliqua præſentis argumenti minus a nobis curata videatur, neceſſe eſt ut de præcipuis ritus hujus adminiſtrandi circumſtantiis, ſaltem ſuccincte diſſeramus. Hic autem tres inprimis circumſtantiæ notandæ veniunt, Persona, Tempus, & Nominis impoſitio, in circumciſione celebranda curari ſolitæ.

1. Perſona, infans maſculus,

Primo, Persona: eam autem vel ſcioli norunt quemvis fuiſſe, ex Abrahami ſemine, non adulta, ſed tenera ætate maſculum. Ita Deus inſtituit, *Geneſ.* 17. Cujus inſtituti cauſam quo certius aſſequamur, conveniens eſt ut circumciſioois ipſius finis & ſcopus (quatenus res præſens poſtulat) paulo ſuſius explicentur. Monendum eſt itaque circumciſionem finem aut uſum triplicem habuiſſe: nam,

Ob tres rationes.

(1°.) Circumcisi omnes, ritu illo, tanquam annulo, vel ſigno viſibili, Deo deſponſari, in filiorum ejus ordinem aſciri, & familiæ ſuæ conjungi, cenſebantur. Hoc e Joſuæ c. 5. 9. non obſcure colligendum: *& dixit Dominus ad Joſhuam, hodie abſtuli a vobis opprobrium Ægypti:* q. d. "Diu in Ægypto vixiſtis, ubi mancipia & "animalia ad onera & ſervitutem nata videbamini: & præputia hactenus, quaſi ſer"vitutis illius probroſæ monumenta, circumgeſſiſtis. Jam vero, circumciſionis ritu, "vos in filiorum meorum numerum cooptavi, & ſervitutis veſtræ priſtinæ, non mo"leſtiam tantum, ſed & opprobrium & memoriam, pene omnem abolevi. Hiſce congruum eſt nomen illud חתן *ſponſus*, quo puer, ipſo Circumciſionis die, apud Hebræos dicebatur: nempe, inquit [c] Schindlerus, *quia tum primum populo Dei conjungitur, & Deo quaſi deſponſatur.* Et ut hæc confirmet, citat Zipporæ verba, non ad Moſen (uti vulgus errat) ſed filiolum dicta, חתן דמים [d] *ſponſus ſanguinum tu* es *mihi.* Quæ verba Targum hoc modo feliciter explicat, *per ſanguinem circumciſionis iſtum, datus eſt ſponſus nobis*; i.e. Ritu illo Deo & eccleſiæ noſtræ, quaſi conjugii fœdere, copulatus es. Eos itaque fugit veritas qui ſentiunt Zipporam, e fervore quodam muliebri, & ut bilem ſuam in maritum evomeret, ea verba protuliſſe; quaſi Moſes in cauſa fuiſſet, quod ritu tam ſanguineo tenerum filioli ſui corpus mutilare cogeretur.

a *Annot. ad* l. 1. *de V. R. C.* §. 16. b *Lib. de Angl. Orig.* p. 74. c *Lexic. Pentag. voc.* חתן. d *Exod.* 4. 25.

1 Vid. *Joſeph.* contr. *Apion.* l. 2. p. 1374. ibi autem Joſephus mendacii accuſat Apionem, qui bene noverat circumciſionem apud Ægyptios omnes in uſu eſſe.

SECT. V.

(2°.) Circumcisio ſignum erat perſonæ Deo ſeparatæ, & ſacris ejus ſolenniter initiatæ. Hunc uſum præbebat, *ex parte Dei*, qui circumciſionem ſignum eſſe voluit fœderis ſui cum Abrahamo facti, quo poſteros ſuos, veluti theſaurum & peculium, ex hominum communitate, ſibiipſi ſepoſuit & ſegregavit. *Ex parte perſonæ* ſignum etiam erat, quo circumciſus Gentium numina & ſacra repudiabat, & ſe Dei ſolius ſervum, [illius inſigni & quaſi ſtigmate ſuſcepto] profitebatur.

(3°.) Circumcisio ſolenne quoddam ſacrum erat, quo Judæi liberos ſuos in ipſo vitæ limine numini conſecrabant, eoſque, utpote jam Dei nota & charactere ſignatos, clientelæ divinæ commendabant. Id propius eſt fidem, quod apud antiquas gentes [Syros, Græcos, Romanos, alios] in religionis parte habitum eſſet, infantes ſuos (quinto, ſeptimo, octavo, vel nono poſt partum die) luſtrare, & Deorum tutelæ ritu aliquo ſolenni conſecrare: nam gentes vix quicquam votis calidioribus exoptarunt, quam ut prole ſua diu ſuperſtite fruerentur.

Cum itaque circumciſio finibus quos diximus inſerviret, conſectaneum erat ut omnes e ſancta gente prognati maturius hac nota ſignarentur.

Tempus, cujus ratio aſſeritur.

Secunda ritus hujuſce circumſtantia, quam tacitus prætcrire nequeo, Tempus eſt, ei ex Lege præſtitutum. Deus autem infantum carnes, cum lucem octavam vidiſſent, reſecari [a] juſſit. Mihi probabile ſit Deum ita præcepiſſe, ut infantes, in ejus quaſi familia natos, quam primum per eorum infirmitatem licuit, præoccuparet; & caveret ne ceremonia aliqua ſuperſtitioſa tunc temporis uſitata, Deo alicui falſo in clientelam traderentur. Hæc conjectura firmamenti nonnihil a rationibus hiſce [conjunctis] mutuari poteſt.

Tribus argumentis.

(1°.) Ab antiquitate remotiſſima ſic ferebant ethnicorum mores, ut infantulos ſuos ceremonia aliqua ſuperſtitioſa dæmoniis & idolis dedicarent. Chaldæis & Ægyptiis antiquis in more fuit, liberos ab utero recentes inuſto ſtigmate vel [b] traductione per flammam *Molocho* vel genio alicui tutelari devovere. Antiqui illi idololatræ moris illius exemplum Græcis præbuiſſe videntur: iis enim ſolennia quædam erant, Ἀμφιδρόμια dicta, quinto poſt partum die celebrata, quo nomen imponere, infantem certis ceremoniis expiare, & Diis ſacrum vovere, in more habitum eſt. Hunc diem γενέθλια, *natalem*, appellarunt, & illius lætitiam miſſis muneribus celebrarunt. Morem affinem apud Romanos *Terentius* memorat, his verbis in [1] *Phormione*,

—— Porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit:
Porro alio autem ubi erit puero natalis dies,
Ubi initiabunt. ——

Ad quem locum hæc *Servius* annotavit: *ſolebant antiqui diem octavum pueri natalem conſtituere, & eo die ſingulis annis lætum convivium parare, ſicut Judæi in die octava circumcidunt.* Hinc anſa data [c] auctoris moderni verbis: hac *in re mira ſimilitudo cum Hebræis & Gentilibus elucet, quorum illi octavo ab ortu die inſitum naturæ crimen expiabant: hi ſeptimo, octavo, nono aut decimo, certis piaculis luſtrabantur.* Cum itaque mos ille apud idololatras antiquos invaluerit, haud abſonum eſt rationi, Deum, ut anſam omnem ſuperſtitioni præriperet, infantem die octavo circumcidi & ſibi dicari, voluiſſe.

(2°.) Certum eſt antiquos Hebræos præciſam illam temporis circumſtantiam plurimi feciſſe, & rigide exegiſſe. Hoc e verbis [d] *Origenis* eliciamus: λέγουσι Ἰουδαῖοι τὴν μὲν ὀκταήμερον περιτομὴν εἶναι τὴν προηγουμένην, τὴν δὲ μὴ τοιαύτην ἐκ περιστάσεως· *Aiunt Judæi octavæ diei circumciſionem eſſe præcipuam, cæteras ſupervacaneas.* [e] Septuaginta, eadem forſan opinione ducti, mandato illi divino [*maſculus cujus præputii caro non fuerit circumciſa, delebitur*] hæc verba ſuo ex ingenio addiderunt, τῇ ἡμέρᾳ [2] τῇ διατεταγμένῃ, *ipſo illo die quo ego præcepi:* nihil enim hodie in Hebræo reperire datur, quod verſioni huic materiam præbere potuiſſet. Ex eadem opinione profectum videtur, quod Apoſtolus, inter alia gloriæ argumenta, [f] ſe *die octavo circumciſum* memoret; quod ſcilicet ipſe dies honorem & virtutem non levem Circumciſioni ſuæ conciliare crederetur. Quid autem Judæi in circumciſione præſtanda diem a nato infante octavum tam ſolenniter obſervarent, & circumciſionem die quovis alio peractam, virtute caſſam & pro

a *Luc.* 2. 21. *Lev.* 12. 3. b *Maimon. Mor. Neb.* P. 3. c. 37. c *Joſeph. Vice com. de antiq. baptiſ. rit.* v. 1. l. 2. c. 1. p. 103. d *Cont. Celſ.* l. 5. p. 263. e *In Geneſ.* 17. 14. & 23. f *Philip.* 3. 5.

1 Act. 1. Scen. 1. v. 12.

2 τῇ διατεταγμένῃ neque apud codicem Vatican. neque Alexandrin. extant: apud Grotium quidem ad *Geneſ.* 17. 14. legere eſt; *male hic neſcio a quo additum in Græco* τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδόῃ *quomodo ſæpe citat Auguſtinus.*

nihilo

nihilo habendam dicerent; niſi quod dies ille aliquid myſterii contineret, &, non minus quam ipſa circumciſio, infantem Deo [non Dæmoni alicui] conſecratum indicaret? Hoc autem circumciſionem adminiſtrandi tempus haud obſcure ſignificavit: cum enim infans die tantum octavo circumcideretur, neceſſe erat, ut ſeptem dies integros natus eſſet circumciſionem ſubiturus, & ut ſabbatum unum inter nativitatem & circumciſionem intercideret. Cum autem ſeptenarius, numerus eſſet (uti ſtatim oſtendo) Deo ſupremo ſacratus, & ſabbatum dies Deo creatori dedicatus; ritus ille, die tantum octavo peractus, cum Dei veri nomine præſtitum, & infantem Deo ſupremo circumciſione ſacratum, ſymbolice denotavit. *Sect. V.*

(3°.) Eo probabilius eſt, Deum infantes die octavo circumcidi voluiſſe, ut ſuperſtitioni alicui ſtatim poſt partum uſitatæ maturius occurreret; quod aliter nulla ratio ſatis ſolida reddi poſſit, cur Judæi ad circumciſionem, magis quam Chriſtiani ad Baptiſmum, die octavo celebrandam, lege ſpeciali aſtringerentur. Non ſum neſcius, viros doctos nunc ad naturales, nunc ad myſticas rationes confugere, ut temporis hujus tam præciſe definiti cauſam reddant. Animalia, inquiunt, omnia recens nata, quia incertum eſt adhuc an vita illis vitalis ſit, ante diem octavum vix in cenſu animantium æſtimantur: deinde, non diffluxit ſpurcities, quæ ex utero & partu credita eſt illis adhæreſcere: lege vero non ſemel cautum eſt, ne Judæi animalia nec perfectorum nec purorum numero collocanda Deo conſecrarent. Sed rationes illæ nimis exiles & longe arceſſitæ videntur: nec veriſimile eſt Deum (niſi gravior aliqua cauſa ſubeſſet) Judæos, ſub graviſſima [a] ἐξολοθρεύσεως pœna, ad maſculos ſuos die octavo circumcidendos obligare voluiſſe: cum præſertim infantum nonnullorum ſaluti magis conſultum fuiſſet, ſi vulneris illius acerbitatem die a partu triceſimo (cum viribus eſſent magis firmatis) ſubire licuiſſet.

Tertia circumſtantia, nempe Nominis impoſitio, ſilentio minime prætereunda eſt. *Nominis impoſitio, die octavo uſitata.* Hanc ὀνοματοθεσίαν indiviſum circumciſionis comitem fuiſſe, diſcere eſt ex hiſtoria *Johannis Baptiſtæ*, cui, peracto circumciſionis opere, nomen indebatur; *Luc.* 1. 59. *Et factum eſt ut die octavo venirent ad circumcidendum puerulum, & vocarunt eum ex nomine patris ſui.* Et Domino noſtro nomen [b] *Jeſus* (ad morem gentis proculdubio) ipſo circumciſionis die imponebatur. Eſt autem trita & vulgaris opinio, hunc nomina imponendi morem ab Abrahami uſque temporibus ad Judæos citeriores perpetua traditione propagatum fuiſſe. Ita venerabilis *Beda* cogitavit, dicens, *ab Abrahamo exortum eſt, ut die Circumciſionis nomen parvulis aptaretur: quia & ipſe, cum teſtamentum*, id eſt fœdus *circumciſionis*, *a Deo acciperet*, *eadem prorſus die cum ſua conjuge*, *nominis augmentum promeruit.* [1] Bedæ hac in re conſentit *Grotius*, eo quod Abrahamus ipſe filio ſuo [c] ſub circumciſionis ſuæ tempus nomen dederit.

Ego, ſi magnis nominibus auderem repugnare, dicerem potius hunc nomina ſub ipſum circumciſionis tempus imponendi morem, a veteri gentium uſu originem traxiſſe; & inter Judæos, ſub Maccabæorum forſan tempora, primum inoleviſſe. *Et quare.* Cum enim infantum luſtratio apud ethnicos (circumciſioni apud Judæos analoga) perficeretur, ſolenne erat infantes nomine aliquo inſignire. Inde profectum eſt, ut apud Romanos idem dies [d] *luſtricus* diceretur & nominalis. Apud Athenienſes etiam, decimo poſt partum die, peracta ſolenni luſtratione, nomen, ex more, infanti concedebatur. Nil opus eſt, ut rem cuivis e ſchola tyroni notam multis teſtimoniis confirmarem. Eſt autem facile creditu, Græcos & Romanos morem illum a gentibus antiquioribus accepiſſe, quibus ſacra alia non pauca debuere. Judæos etiam hac in re [per ſe licita ſatis & honeſta] ad affines gentium mores ſe conformaſſe, non ſine ratione me perſuaſum habeo. Non conſtat enim e lege aliqua Abrahamo vel Moſi data, Deum diem octavum nominis impoſitioni aſſignaſſe. Ad hoc: plurimi ex Abrahami poſteris, non die octavo, ſed ſtatim a partu nomen accepiſſe videntur: ex gr. [e] Jacob & Eſau, [f] Benjamin, Iſaac etiam, aliique, quibus caſus & affectus ſubitaneus, potius quam deliberatum octo dierum conſilium, nomina dediſſe credantur. Præterea: non eſt rationi conſentaneum, ethnicos hac in re Judæorum exempla ſibi ante oculos poſuiſſe, qui mores eorum alios in liberis ſuis initiandis uſitatos negligere ſolebant & aſpernari. Argumenta quod attinet quæ Beda & Grotius ad ſententiam cuntrariam firmandam

a *V. LXX. in Geneſ.* 17. 14. b *Luc.* 2. 21. c *Geneſ.* 21. 3. 4. d *V. Jo. Dought. Analect. ſacr.* P. 2. *Excurſ.* 28. p. 79. e *Geneſ.* 25. 25. f *Geneſ.* 35. 18.

1. vid. Tom. 5. col, 238.

 afferunt,

SECT. VI. afferunt, ea nervis deſtituta cenſeo: conſtat enim Deum eodem tempore *Saram* incircumciſam, & *Abrahamum* cui detractum præputium, nomine novo cohoneſtaſſe: nec e textu illo [a] Geneſis oſtendi poteſt, an ſtatim a partu, an jam peracta circumciſione, Iſaaco nomen imponeretur. Huic itaque ſententiæ non obſunt exempla quæ Beda & Grotius afferunt. Sed hæc omnia pro conjecturis tantum habenda ſunt, quibus nec lectoris judicio, nec veritati, præſcriptum velim.

SECT. VI.

Circumciſionem adverſus idololatriam plurimum valuiſſe.

EO me jam ducit ordinis & argumenti ratio, ut oſtendam circumciſionem ad idololatriam coercendam plurimum virtutis habuiſſe. Hoc autem facili opera convinci poteſt: nam,

(1°.) CIRCUMCISIO ſignum erat uti dictum eſt ideo a Deo inſtitutum ut hominem Deo fœdere conjunctum & eccleſiæ ſuæ deſponſatum indicaret. Hunc eſſe ritus illius finem proprium & cum primis deſignatum, Deus his verbis Abrahamo ſignificavit: [b] *ſtatuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno; ut ſim Deus tuus, & ſemini tuo poſt te.* Et paulo poſt: [c] *hoc eſt pactum meum*, &c. *Circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos.* i. e. ut hæc nota carnibus veſtris impreſſa, ſit obedientiæ veſtræ ſymbolum, & clare doceat vos fœdus mecum iniiſſe, & fidem mihi datam ſanctam & inviolatam ſervare ſtatuiſſe. Nec e ſcripturæ tantum verbis, ſed ethnicorum, Judæorum, & Chriſtianorum veterum moribus, hunc eſſe ritus hujuſce finem & ſcopum intelligatur: ethnici [d] *fœminas quæ circumcidebant filios ſuos trucidabant, & ſuſpendebant pueros n cervicibus earum* per univerſas *domos*. Quid autem in eas imprimis fœminas & earum pueros ſævitum eſt adeo, niſi quod ſcirent circumciſionem cultus divini teſſeram eſſe, & ejurationem practicam ethniciſmi? Judæi etiam antiqui, cum ad gentilium partes tranſirent, ſummis conatibus contenderunt, ut præputia reducerent, & omnia circumciſionis veſtigia e corporibus abolerent. Nam hiſtoricus [e] apocryphus quoſdam Judæos memorat, a Dei caſtris tranſfugas, qui (arte forſan medica) ἐποίησαν ἑαυτοῖς ἀκροβυστίας. Aliorum etiam meminit [f] *Joſephus*, qui τὴν τῶν αἰδοίων περιτομὴν ἐπικαλύπτειν cunabantur. Huic autem operi tam ſedulo incubuere, quod circumciſio pacti divini & religionis Judaicæ profeſſio practica crederetur. Chriſtianos etiam antiquos a Judaiſmo nuper converſos idem exiſtimaſſe pateat, quod artificio aliqun ad præputium reducendum uterentur. Hoc diſcere licet e monito illo Apoſtolico, [g] *circumciſus aliquis vocatus eſt*, μὴ ἐπισπάσθω, *ne protrahatur*, vel *præputietur*: cur autem, niſi quod circumciſio cultus & fidei Judaicæ teſſera, hic autem ἀποστασίας abdicationis indicium, haberetur? Cum itaque circumciſio fœderis tam ſancti μνημόσυνον eſſet, & hominis in Dei verba jurati documentum, fieri vix potuit, ut Iſraelita quiſpiam illo charactere notatus a Dei ſacris ad dæmonis ritus defectionem faceret. Nam character ille, fœderis initi religionem, matura parentum vota, ſtemmatis ſui dignitatem, & pœnas perjurio debitas, ad animum ſuum ſæpe revocaret; cumque tacitis opprobriis non raro vexaret, ſi turpiter ad Gentilium caſtra prolaberetur.

(2°.) RITUS ille cum gentium antiquarum cultu, quaſi ex adverſo, pugnaſſe videatur. Nam cultus ethnicus ceremoniis plurimum obſcœnis & impuris peragebatur, & in iis virilis circumgeſtatin primum dignitatis locum obtinebat. Hoc patres antiquos, tanquam pudendum & abominandum, gentibus objicientes ſæpius inveniamus. Gentes autem, vel *Moſis* ævo, ritibus illis impuris Dæmonica peregiſſe, res per ſe credibilis eſt, & fœda *Peorem* colendi ratione, a Moſe memorata, nimis confirmatur. Cum itaque Iſraelitæ partis obſcœnæ mutilatione Dei legibus & ſacris initiati eſſent, hoc ritu ſe impuros ethnicorum cultus deteſtari, & Deo illi qui caſte pureque colitur ſe conſecrare, tacite profitebantur.

(3°.) CIRCUMCISIO erat quaſi murale ſepimentum quod Judæos & gentiles ab invicem ſeparavit. Noluerunt enim gentiles matrimonia cum Judæis contrahere, vel in unam gentem coaleſcere, eo quod acerrimum circumciſionis dolorem [communionis conditionem] ſubire perhorreſcerent. Judæi etiam, hoc peculiari ſignati charactere,

a C. 21. 3. 4 b *Gen.* 17. 7. c v. 10. 11. d 1 *Mac.* 1. 63. 64. e 1 *Mac.* 1. 15 f *Antiq.* lib. 12. c. 5. p. 532. g 1 *Cor.* 7. 18.

facile

Digitized by Google

facile intellexerunt ſe, cum aliis gentibus haud temere commiſceri, ſed eorum affinitatem & coofortium (qua licuit) averſari, debuiſſe. Patear enim e ſcriptis ſacris & Rabbinicis, eos, uxorem alienigenam ducere, fœdus cum peregrinis inire, vel cooſuetudinem aut familiarirarem cum iis colere, pro illiciro habuiſſe. Cum itaque Judæi ab alienigenæ cujuſvis affinitare ſimul & commercio ſcjuncti viverent, nihil periculi erat ne malis motibus corrupti a Lege & virtute deſciſcerent, aut ad cultum ethnicum declinarent. Sect. VII.

(2°.) Circumcisio character erat haud facile delendus, & ipſis oculis uſurpandus, adeo ot furtivos omnes in gentilium caſtra receſſus inhiberet. Prout enim pecora, inſigni aliquo norata, dominum produnt ad quem jure pertinent; ira & Judæi, pacti divini ſignum præferentes, verum ipſorum dominum cuivis iodicarent, ſi forte a grege ſuo deflecterent aut aberrarent. Et fieri vix potuir, quin inter ethnicos tanquam exploratores, aur inter Judæos tanquam apoſtatæ, miſere perirent, & pœnas perſolverent levirati ſuæ debitas. Ut hoc argumentum bene deſioar, [a] S. *Chryſoſtomi* ſubjungam verba, qui de circumciſione loquens hæc haber: ὅρα σοφίαν δεσπότου, πῶς εἰδὼς τῶν μελλόντων ἔσεσθαι τὸ ἀτελὲς τῆς γνώμης, καθάπερ χαλινόν τινα ἐπιτίθησι, &c. *Vide ſapientiam Domini, quomodo cum ſciret imperfectas & pravas eorum* [Judæorum] *mentes futuras, ſignum circumciſionis quaſi frænum quoddam impoſuit ad indomitos eorum impetus cohibendos, ut ne gentibus commiſcerentur.* Καὶ καθάπερ τις ἀνὴρ σώφρων καὶ ἐπιεικὴς παιδίσκην ἔχων ἀκόλαστον, &c. *Et quemadmodum vir aliquis conſultus & lenis, ancillam habens petulantem, terminos & regulas illi dat, ne unquam extra veſtibula prodeat, neque cum prætereuntibus conveniat,* & *nonnunquam pedibus compedes addit; ita & benignus Dominus dedit eis leges & regulas, ultra quas iis tranſire non liceret, & circumciſionis ſignum carni eorum indidit,* καθάπερ δεσμὰ ποιῶν, *quaſi pedibus vinculum, ut in nullo cum gentibus ſe commiſcerent.*

Cum eribrum noſtrum, ex hoc argumento, plus farinæ non poſſit elicere, par eſt ut in ſabbarum ſtudia noſtra convertamus; quod alrerum ſit egregium cultus Judaici ſignum, & in Patrum ſcriptis circumciſioni non raro conjunctum repetiatur.

SECT. VII.

Sabbatum ſignum fuiſſe, reſpectu Dei, ſabbati ipſius, & populi.

Ad argumentum me jam ducit inſtituti ratio, quo vix ullum magis opportunum, aur cum ſeculi præſentis utilirare conjunctum, aſſignari poteſt. Multi nempe nunc dierum ſub nomine Chriſtiano Judæos agunt, & religionem multis ſcrupulis infirmorum animos vexantem inducunt; nos, ad diem unum e ſeptem, otio, meditationi, precibus, aliiſque pietatis officiis, integre conſecrandum, virture præcipue mandati quarti devinctos aſſerentes. Quin & a nonnullis eo vecordiæ proceſſum eſt, ut religionis ſummam in ſabbati culru verti ſentiant, nullum circa hanc materiam examini locum relinquant, & omnes pro Atheis & fulmine aliquo propediem feriendis habeant, qui *ſabbati* (quod vocant) otium & religionem negotio aliquo ſeculari violare præſumunt. Ideoque famæ forſan & paci meæ magis conſuluiſſem, ſi hoc argumentum calamo ſicco præteriiſſem. Cum aurem ipſa decoti ratio poſtulet, ut induſtria mea in præcipua muneris ſuſcepti parte minime deſideretur, in rem præſentem veniam, præfervida ſabbatariorum judicia nil penſi habens. Hic autem evincere conabor, Deum, Signi tantum loco, ſabbarum, idque ſolis Iſraelitis, Inſtituiſſe, cum [b] *populi* illius *craſſitiem, carnis amorem, ad materiam proclivitatem, ſimulque judicii defectum, ſciret;* ut verbis utar a Johanne Damaſceno mutuatis. Sabbatum ſignum fuiſſe.

His verbis ne quid ambigui hæreat, aſſero primo, ſabbatum, ex parte Dei inſtituentis, uſum ſigni præbuiſſe, & propenſam Dei voluntarem in Iſraelitas, præ cæteris mundi gentibus, indicaſſe. Nam lumine ſabbati, ſolis [c] Iſraelitis revelati, cuivis perſpectum eſſe potuit, totam rerum compagem originem ſuam ſummo Creatori debuiſſe, & Deum ſolos Iſraeliras ſibi & cultui ſuo ſeparaſſe, quibus hoc notum feciſſet, cum cæteræ gentes in tenebris ambulare, & ſolem, cœlum, & ſydera, tanquam Deos æternos, colere, permitterentur. Deum ſabbatum inſtituiſſe, ur ſingularis hujuſce gratiæ documentum eſſet, ſatis e Dei per [d] Prophetam verbis intelligitur; *atqui etiam ſabbata mea dedi ipſis, ut eſſent ſigna inter me & ipſos,* לדעת *ut cognoſcerent me Jehovam ſanctifi-* Ex parte Dei inſtituentis.

[a] *Homil.* 39. in Cap. 17. *Geneſ.* T. 4. p. 400. [b] *Orthodox. fid.* l. 4. c. 23. T. 1. p. 293. [c] *Nehem.* 9. 14. [d] *Exod.* 20. 12.

SECT. VII.

care ipſos: h. e. " Ut ſabbata, ſolis Iſraelitis data, favoris eximii teſſeræ eſſent, & " indicia, me, Deum æternum ipſos, in gentem ſanctam & peculiarem, mihi ſeparaſſe. Hanc paraphraſin Dei menti conſonam probat verſus vigeſimus ejuſdem capitis, ubi hæc verba [paulo tamen explicatius] ingerit, dicens, *ſabbata mea ſanctificate*, ut ſint *ſigna inter me & vos*, unde *ſciatur me Jehovam* eſſe *Deum veſtrum*: e quibus verbis cum textu prædicto collatis intelligitur, ſabbatum, ex parte Dei inſtituentis ſimul & populi obſervantis, ſigni vice functum fuiſſe; & indicaſſe Deum Judæos præ aliis mundi gentibus, Judæos etiam Jehovam præ aliis Gentium numinibus, elegiſſe. Atque hinc factum eſt, ut ſabbatum quandoque inter præcipua Dei [a] dona & Iſraeliticæ gentis honeſtamenta, quandoque vero inter [b] inſtituta Dei præcipua, numeretur. Sed res hæc paulo clarior evadet, ex iis quæ ſtatim dicturi ſumus.

Sabbati ſpſius.

SECUNDO: ſabbatum, ex parte ſuiipſius, haud abſurde ſignum dicitur, cum ad creationem notandam pene naturaliter aptum eſſet & accommodatum. Signa Deo auctore conſtituta, tam loquacia plerumque fuerunt & luculenta, ut cuivis obvium eſſet, eorum ſignificatum & intentionem intelligere. Inter ſigna vero ſcripturis memorata, nullum ſabbato luculentius, aut quod rem ſignificatam magis aperte repræſentat, inveniri poteſt. Cum enim ſummus Deus ſex dies creationis operibus impendiſſet, &, abſoluta rerum compage, ſeptimo, a labore feriatus eſſet; ſabbatum [utpote dies otii, poſt ſex dies labori datos] expreſſam creationis imaginem geſſit, eamque menti non plane tardæ atque hebeti, pene nullo inſtituente, ſignificavit. [c] *Philo* itaque, non minus vere quam eleganter, ſabbatum, τῆς πρώτης ἀρχῆς ἐκμαγεῖον, ὡς' ἐπὶ ὥσπερ ἀρχετύπου σφραγῖδος [τυπωθὲν] *primi rerum initii exemplar, ab eo veluti a ſigillo archetypo expreſſum*, dixit. Et ſane ſeculo illo rudiore, neceſſe erat, ut Deus ſigno manifeſto, & quavis recurrente ſeptimana repetito, creationem indicaret: tunc enim gentes [d] omnes, cultui profano deditæ, mundum ſibi æternum fingebant; & earum religio, cœli & ſyderum æternitati, tanquam præcipuo fundamento, nitebatur; ideoque pro mundi æternitate, tanquam articulo ſtantis aut cadentis ethniciſmi, toto niſu contendebant. Hanc opinionem, ſeculo illo literarum luce deſtituto, terrarum orbem oppleviſſe, facilius eſt creditu, quod *Plinius* ipſe, vir ingenio & eruditione ſingulari præditus, mundum *æternum* eumque *numen æternum*, aſſerere non dubitaverit. In majorem rei fidem, ipſum auctorem loquentem audiamus: [e] *mundum, & hoc quod nomine alio* Cœlum *appellare libuit, cujus circumflexu teguntur* omnia, *numen eſſe credi par eſt*, [f] ÆTERNUM, [i] *immenſum, neque genitum neque interiturum unquam. Hujus extera indagare, nec intereſt hominum, nec capit humana conjectura mentis. Sacer eſt*, ÆTERNUS, *immenſus*, &c. Hic æternitatem mundo generatim tribuit, alibi ſigillatim, nunc cœleſtibus, nunc terreſtribus, mundi partibus. Nam lib. 2. c. 8. non dubitanter affirmat, ÆTERNAM *eſſe cæleſtibus naturam, intexentibus mundum, intextuque concretis*. Eodem in [g] libro pro certo tradit, quod *mare ſit* ÆTERNUS *terræ ſudor*. Plinium hæc locutum fuiſſe, juxta theologiam inter ethnicos ab antiquo receptam, probabilius exiſtimetur, quod Moſes, in hiſtoria creationis, non tantum generatim cœlum & terram creata dicat, ſed originem lucis, tenebrarum, ſolis, lunæ, ſyderum, maris, & terræ, ſpeciatim referat, aliorum etiam omnium quibus rudis & credula vetuſtas æternitatem aut divinitatem tribuebat. Angelorum creationem ſilentio prætereit, quod priſci temporis idololatria circa res ſenſibiles (corpora præcipue [h] cœleſtia) verſaretur, nec adhuc tam acute delirare norat, ut ἀγγέλους μετίτας fingeret & adoraret. Sed ſi Moſes, Plinius, Maimonides, aliique tacuiſſent, credibile fieret, opinionem illam de rerum æternitate, Moſis ævo, per hominum pene omnium animos pervaſiſſe: nam homini, Dei & ſcripturæ cognitione deſtituto, temporis initium & rerum e nihilo productio [i] rationi diſſona videntur; nec in animum inducere poteſt ut credat, ipſos Deos ejus [cœlum, ſolem, & lunam] originem ſuam Deo ſuperiori debuiſſe. Cum itaque Moſis ætate, pars hominum longe maxima mundum æternum crederet, opus erat ſabbato, creationis imaginem quandam exprimente; quod creationis notitiam, familiarem, & ejus fidem firmam redderet.

a *Exod.* 16. 29. *Nehem.* 9. 14. *Ezec.* 20. 12. b *Levit.* 19. 3. 30. c Lib. περὶ τῆς ἑβδόμης. p. 1191. d *Zabaiſtæ omnes crediderunt æternitatem mundi, quia Cæli juxta eos ſunt* DEUS Maim. Mor. Neb. P. 3. c. 29. e *Hiſt. Nat.* l. 2. c. 1. f *Vid. Gruter. inſcript.* T. 1. p. 33. & *Voſſium de idololatr.* l. 2. p. 213. g Cap. 100. h *Job.* 31. 26. 27. 28. *Deut.* 4. 19. & 17. 3. i *Hæc eſt ſententia Ariſtotelis, qui ſenſit non poſſe cogitari temporis principium.* Maim. Mor. Neb. P. 2. c. 30.

1 Gruterus inſcriptionis antiquæ meminit his verbis ſi-cta, SOLI. INVICTO. ET. LUNAE. AETERNAE. Ro-ma *juxta ſepulcrum Cæciliæ* [illegible] *Tib. in non grandi-*

TERTIO:

Tertio: Sabbatum ſignum erat [indicativum ſcilicet & memorativum] ex parte hominis diem illum ſolenniter obſervantis. Sect. VIII

(1°.) Signum *indicativum:* nam ſabbati, juxta modum lege præſcriptum, obſervatio, hominem creationis fide penitus imbutum indicavit, eumque, cœli terræque creatorem, dominum ſuum ſupremum agnoſcere, eumque ſolum venerari, ſignificavit. Sabbati cultus erat inſigne quoddam & γνώρισμα, viri Deos & ritus alienos repudiantis, & unius Dei veri ſacris firmiter adhærentis. Erat enim ſabbatum, Creationis effigies quædam & hiſtoriola; & illius obſervatio, ſummi creatoris imitatio, qui ſex dies creationis operi, ſeptimum quieti conſecravit: nemo veru ſanus & conſultus, creationis imaginem quandam vita & moribus tam frequenter exprimere, Deos alibi cultos aſpernari, vel creatorem tanto cum diſpendio temporis imitari, voluit; niſi creationis hiſtoriæ fidem firmiſſimam adhiberet, gentium numina [ſolem, lunam, ſydera] ſummi tantum creatoris opificia crederet, & unum Jehovam, cœli creatorem, omni cultu & obſequio dignum exiſtimaret. Et populi.

(2°.) Sabbatum ſignum erat *memorativum*, ea nempe de cauſa tam ſolenniter obſervandum, ut creationis memoria firmius & efficacius Hebræorum animis inhæreret. Hoc ſatis elucet e mandati quarti verbis, *memento diem ſabbati, ut ſanctifices eum, —— ſex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & requievit die ſeptimo*, &c. q. d. "Hoc ante alia mandatum, de ſabbato colendo, memori mente teneas: eſt enim dies ille creationis memoriæ ſacratus, & ideo quavis ſeptimana celebrandus, ut creationis imaginem quandam tibi repræſentet, nec unquam opus illud egregium oblivioni tradas. In hac argumenti mei parte, me non multos, ſenſus integrioris homines, adverſarios habiturum auguror: ideoque nil opus eſſe cenſeo, ut hic mihi ad ſubſidium vocem antiquorum turmam. In re tam clara, ſufficiat in præſenti, *Maimonidis* & *Procopii* teſtimonium addere. Horum ille, de legum cauſis agens, [a] *cauſa*, [1] inquit, *& ratio ſabbati ſatis nota eſt*, nempe, *ut perpetuo conſervet & confirmet præſtantiſſimam illam de mundi creatione hiſtoriam & doctrinam.* Procopius etiam a nobis hic facit cum ait, [b] diem ſeptimum *haud aſpernatus eſt* Deus *benedictione condecorare*, nam *reliquos honoravit operibus quæ in iis evenerunt: verum, ſeptimum voluit eſſe documentum, univerſi naturam in eo eſſe conſummatam. Et eum ſanctificavit, id eſt, ſeparavit eum a reliquis, ut rei illius eſſet ſignum & memoraculum. Quemadmodum feſtos dies appellamus ſanctos, quod contineant memoriam beneficii alicujus ſingularis nobis dati*, &c.

SECT. VIII.

Sabbatum ſigni loco datum fuiſſe, teſtimoniis divinis & humanis comprobatur.

Summa jam dictorum huc redit, quod ſabbatum datum fuit Iſraelitis, ut creationis memoriam ſæpe renovaret; & illius obſervatio, creationis publica & realis profeſſio eſſet, ſignum inſuper aut nota qua ſummi creatoris famuli a paganis & idololatris aperte diſtinguerentur. Ne vero hæc omnia fragili tantum conjecturæ tibicine niti videantur, ſabbatum ſigni loco datum fuiſſe, jam probare conabor hujuſmodi teſtimoniis, quæ omnem præſcindant anſam dubitandi. Sabbatum datum in ſignum probatur teſtimoniis.

Inter ea, ſedes primas occupare debent, quæ e ſcriptura petuntur teſtimonia. Divinis, In ea vero, locus maxime clarus ubi ſabbati inſtitutio ad cauſam jam dictam refertur, occurrit Ezec. 20. 20. *Et ſabbata mea ſanctificate, & erunt in ſignum inter me & inter vos,* לדעת [c] *ut cognoſcatur, quod ego Dominus Deus veſter.* Quaſi dixiſſet Deus, "cum ipſe mundum crearem, ſex dies operi dedi, ſeptimo ab omni opere requievi: vos etiam ſex dies labori, ſeptimum otio ſolenni, dedicare juſſi; ut me mundi opificem imitari videamini, & vita veſtra, ad creationis quaſi modulum & imaginem compoſita, ſignum ſit unde ſciant omnes, vos firmam creationis fidem memoriamque retinere, & Deum illum qui cœlum & terram condidit, unice venerari. Atque hunc textus illius ſenſum pro genuino habent, [d] Iarchius, [e] Ribera, [f] Medus noſter, aliique.

Præter jam dictum ſcripturæ locum, alius eſt, qui ſabbatum ſigni vice datum

a *Mor. Neb.* P. 3. c. 43. b *Comment.* in *Geneſ.* 2. p. 46. c LXX. τῦ γινώσκειν. d In *gloſ.* ad *Exod.* 31. e De *Templo* l. 5. cap. 1. f L. 1. *Diſcurſ.* 15.

1 Maimonides in illo loco exhibet *quædam ſabbati*, *primam* cauſam, additque, *hui conſtituendum eſt & hoc quod perpetuo conſervet &c.*

SECT. VIII.

asserit, quanquam prima fronte nobis plurimum adversari videatur. Occurrit autem *Deuteron.* 5. ubi Moses decalogum repetens, omiſſa ſabbati ratione a mundi creatione arceſſita, plane aliam, redemptionem ſcilicet ex Ægypto, ingerit, dicens comm. 15: *Memento, quod & ipſe ſervieris in Ægypto, & eduxit te inde Dominus Deus tuus, in manu forti & in brachio extento: idcirco præcepit tibi ut ſervares diem ſabbati.* Ad hanc itaque difficultatem expediendam, duo in ſabbato [temporis nempe *quantitas* & *qualitas*] curate diſtinguenda ſunt. *Quantitas* in eo ſita erat, quod unum diem e ſeptem, ſeu ſeptimum quemque poſt ſex dies labori datos, ſanctificandum denotaret: *qualitas* erat, quod hunc ipſum, & non alium ſeptimum, numerandi principio ab inchoata mundi creatione, redemptione ex Ægypto, vel aliunde, ducto, ſignificaret. Utroque reſpectu ſabbati cultus indicium erat, Iſraelitas Jehovam, [ſub generali creatoris, aut ſpeciali redemptoris, conceptu] venerari. Nam quatenus die ſeptimo vacabant, poſt ſex dies laboribus impenſos; ſe famulos & cultores agnoſcebant illius Dei, qui poſt ſex dies in creationis opere conſumptos, ſeptimo feriatus eſt; Ideoque præcepit ut Iſraelitæ ſex dies labori, ſeptimum quieti darent; ut congrua illa temporis ſui diſtributione, tanquam ſigno & charactere luculento, ſe Deum creatorem, eumque unum, colere profiterentur. Quatenus autem hos ipſos ſex dies, labori, hunc etiam ſeptimum [non alium] quieti, deſtinabant; ſe ſervos & cultores Dei, quatenus redemptoris ſui ex Ægypto, clare loquebantur. Nam Deus [ni fallat [a] *Medi* noſtri calculus] ipſo diei illius diluculo, quem Iſraelitæ pro ſabbato coluerunt, Pharaonem & exercitum ejus internecioni dedit, & [b] Iſraelem e manibus Ægyptiorum liberavit: quamvis non ſine ratione credatur, Iſraelitas illum redemptionis ſuæ diem non niſi poſt *Manna* miſſionem pro ſabbato coluiſſe. In [c] Exodo itaque creationis exemplum allegatur, cur dies quiſque ſeptimus; in Deuteronomio vero, liberatio ex Ægypto, cur hic ipſe dies ſeptimus [a redemptione ſcilicet ex Ægypto putatus] ſacer haberetur. An autem dies ille quem Iſraelis filii ſabbati nomine celebrarunt, dies eſſet ordine ſeptimus a creatione ſimul & redemptione ex Ægypto, non facile determinandum eſt. Ea de re in ſacra pagina ſiletur, eam itaque in medio relinquere, conſultum & pium exiſtimamus.

Duobus hiſce teſtimoniis divinis, mandati quarti ſubjungam verba: [d] *recordare diei ſabbati ut ſanctifices eum: ſex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die ſabbatum Domini Dei tui: non facies omne opus in eo*, &c. *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram*, &c. *Et requievit in die ſeptimo, idcirco benedixit Dominus diei ſabbati, & ſanctificavit eum.* Hæc autem verba, ni fallor, hunc "ſenſum ferunt: creatio cœli & terræ, ſex diebus abſoluta, opus illud egregium eſt mihi "ſoli tribuendum, & quo [e] præcipue a gentium *vanitatibus* ſum diſcernendus. Vos ita"que ſex diebus operari, ſeptimo autem a laboribus abſtinere, volo; ut moribus veſtris, "creationis pene formam & modulum exprimentibus, vos creationem credere cœli ter"ræque creatorem venerari profiteamini. Sat novi longe plurimos opinari, Deum exemplum ſuum tanquam rationem ultimam quietis ſacræ die ſeptimo celebrandæ in præcepto quarto propoſuiſſe; & Judæos ideo ſolummodo ad ferias die ſeptimo agendas obſtrinxiſſe, ut mores ſuos ad Dei ceſſantis exemplar conformarent. Atque inde colligunt ſabbatum (utpote, inquiunt, ratione morali nixum & immutabili) juris immutabilis eſſe, & præceptum quartum Judæos & Chriſtianos pariter obligare. Inter alios [f] *Curcellæus* hac ſola de cauſa, ſic ſibi animum induxit credere: nam, inquit, *morale eſſe mandatum ſabbati*, [1] *ratio illi addita ſuadet, nempe quod Deus, creato ſex diebus cœlo, terra & mari, requieverit die ſeptimo, & nos ad exemplum ſuum velit unum diem e ſeptem ab hujus vitæ laboribus feriari. Nam ea univerſalis eſt, & ad omnes mundi incolas, qui Dei ſunt opus, pertinet.* Quaſi ratio quarto præcepto reddita hoc ſenſu capienda eſſet, " ego Dominus veſter ſex dies operi, ſeptimum quieti, deſtinavi; æ"quum eſt autem ut vos mihi, boni omnis auctori & exemplari, per omnia conformes "exhibeatis. Hanc autem interpretationem a legiſlatoris mente deviam eſſe, mihi facile perſuadeo: quid enim opus eſt ut Deum in circumſtantia tam levi nobis in exemplum proponamus? & quid boni e diei præſertim ſeptimæ ceſſatione cuiquam redit, ut ne-

a L. 1. *Diſcurſ.* 15. b *Exod.* 14. 30. c *Cap.* 20. 11. d *Exod.* 20. 8. 9. 10.
e *Jerem.* 10. 11. 12. *Jon.* 1. 9. f *Diatrib. de Eſu ſanguin.* c. 6.

1 *Curcellæus* in loco laudato tribus utitur argumentis. Primum eſt, *quod in Decalogo contineatur.* Secundum, *ratio, illi addita* &c. Tertium, *ſabbatum præceptum fuit Iſraelitis, ut ſervi eorum & ancillæ, ſicut ipſi, a laboribus ſuis quieſcerent.* Vid. pag. 956.

ceſſe

ceſſe ſit Deum magis ea in re quam plurimis aliis imitari? Cum ratione itaque maxime conſentit, ut præceptum quartum, quaſi verbis hiſce conceptum, capiamus: „ego ſo- „lem, lunam, ſtellas, & quicquid numinis titulum cultumque inter gentes obtinet, „creavi ſolus; die ſeptimo ceſſans, poſtquam ſex dies operi creationis impendiſſem. „Vos itaque ſex dies labori, ſeptimum otio dedicetis; ut mores veſtri conformes in- „dicent, vos creationis fidem alte retinere, & me unum creationis auctorem agnoſ- „cere, cultuque dignum judicare. SECT. VIII.

Eo me jam ducit methodi filum, ut teſtimonia aliquot humana in ſententiæ meæ ſubſidium advocem. Tria itaque, [Chriſtiani, Judæi, atque ethnici] mecum facientia ſubjungam teſtimonia. Et humanis:

INTER Chriſtianos, ſ. [a] *Cyrillus Alexandrinus* hoc teſtimonio paulo prolixiori ſententiam meam cohoneſtavit: *poſtquam Iſraelitæ, egreſſi e tellure patria, in Ægypto conſtiterunt; decurſu temporis, ex Hebraorum genere & ex Abrahami ſtirpe ſeſe prognatos eſſe, ne memoria quidem, ut fieri ſolet, amplius retinebant. Hinc moribus patriis oblivioni traditis, ac pietate quam a majoribus acceperant abdicata, ad* idololatriam *incolarum* contagione, *convertebantur.* ----- *Solem* itaque *pro Deo colendum eſſe cenſebant*: tum *cælo, telluri, luna, ſideribus;* atque omnibus demum elementis, *venerationem Deo debitam tribui oportere arbitrabantur.* ----- *Cum vero legislator ipſos ab Ægyptiorum crudelitate, duraque illa ſervitute vindicare, eoſque in terram promiſſionis vocare* ſtatuiſſet; *ſuſceptos in Ægypto errores deponere, omni lenocinio verborum amoto juſſit.* Ἐπειδὴ δέ σφας ἐχρῆν καὶ διὰ πράγματος ἐναργοῦς ἐπαναγκάζειν ὥσπερ καὶ ἐκ ἑκόντας ὁμολογεῖν, &c. *Sed cum præterea claro aliquo & reali indicio opus eſſet, quo fateri quodammodo vel inviti cogerentur cælum* a ſuo conditore *factum*; & ejuſdem *opera ſolem, lunam, aſtra aliaſque res omnes, ut eſſent, accepiſſe;* συσχηματίζεσθαι κελεύει τῷ δημιουργῷ, eos *opifici* eorum *conformari jubet, vultque per ſabbatum quieſcentes feſtivitatis cauſam cognoſcere.* ----- Οἱ δὲ καταλύοντι τῷ δημιουργῷ συγκαταλύειν σπουδάζοντες, πῶς ἂν οὐχ ὁμολογήσαιεν, καὶ μάλα σαφῶς, ὡς πεποίηται μὲν τὰ σύμπαντα. *Qui vero ſtudent ut rerum opifice quieſcente conquieſcant & ipſi, annon illi res omnes* ab alio *conditas* atque effectas *fuiſſe, & quidem apertiſſime, confitentur?* --- Συμβέβηκε τοίνυν, διὰ τῆς κατὰ τὸ σάββατον ἀργίας, καὶ τὸν περὶ τῆς Θεότητος εἰσφέρεσθαι λόγον τοῖς ἐξ Ἰσραὴλ, καὶ τὴν ἁπάντων τεχνίτην καὶ δημιουργὸν ἐπιγινώσκεσθαι φύσιν· *Factum eſt igitur, dum ſabbato ceſſant, ut divinitatis ſenſus Iſraelitis incuteretur, & naturam omnium opificem & effectricem intelligerent.* Et ſtatim in hæc verba deſinit: Εἷς μὲν δὴ λόγος οὗτος τῆς κατὰ τὸ σάββατον ἀργίας. & *una quidem hac ratio eſt ſabbato indicta requietis.* Præter hanc autem rationem, nullam aliam agnoſcit, niſi ut vita a laboribus immunis per ſabbatum agi ſolita, ſabbatiſmum in Hieroſolyma cœleſti olim tranſigendum, quaſi per typum & imaginem indicaret. nempe S. Cyrilli Alex.

S. *Cyrillo* conſonat auctor libri *Coſri*. Judæus antiquus, in hunc modum ſententiæ noſtræ teſtimonium perhibens, [b] והיתה שמירת השבת היא בעצמה ההוראה באלהות אבל באלו היא הוראה מעשית וגו i. e. *Obſervatio ſabbati ipſa eſt confeſſio Deitatis, ſed confeſſio quaſi practica* & realis. *Qui enim recipit præceptum ſabbati, ideo quia in eo conſummatum eſt opus creationis, is utique confitetur novitatem* mundi; *qui vero fatetur mundi* novitatem, *fateri* quoque neceſſe habet *innovatorem* & *creatorem, Deum benedictum: qui vero non recipit illud, incidit in dubitationem de æternitate* mundi, *neque pura* & clara *eſt fides ejus in creatorem mundi. Ex quibus*, inquit, *conſequitur, obſervationem ſabbati magis nos Deo propinquos reddere, quam Phariſaiſmum & Naſireatum.* Auct. l. Coſri;

VERAIS meis fidem etiam petam ex ethnici poetæ carminibus, quamvis Judæorum ſabbatum, pro more gentium, in ludum & opprobrium vertentibus: & Rutilii.

[c] *Septima quaque dies turpi damnata veterno*
Tanquam laſſati mollis imago Dei.

Credi vero par eſt, veritatem aliquam in gentilium vulgus ſparſam, ut fere fit, his verbis jocoſis occaſionem præbuiſſe: nempe gentes, a Judæis forte referentibus, accepiſſe, diem ſabbati imaginem quandam Dei, a labore ceſſantis & quaſi requiem captantis, gerere; eoſque in numinis illius honorem, & operis eo die peracti memoriam, ſabbatum otio integrum conſecrare. Atque inde *Rutilius*, ad morem poetarum, veritatem depravandi & in jocum vertendi anſam arripuiſſe videatur: quaſi dies ſeptimus *Dei* revera *laſſati* imaginem ferret, & Judæi diem illum *turpi veterno damnarent*, ut vitam eorum ad numinis ſui deſidioſi exemplum inſtituerent.

a *Homil.* 6. *de Feſt. Paſchal.* T. 5. p. 76. b P. 2. p. 117. c *Rut. Claud. Itiner.* l. 1. v. 391.

Sect. IX.

SECT. IX.

Hoc aliis inſuper argumentis confirmatur.

Ad ſententiam firmandam, primo.

EX iis quæ ſupra præmiſimus eluceſcit, Deum eo præcipue conſilio ſabbatum inſtituiſſe, ut illius obſervatio ſigno eſſet, creationem fidem firmam apud Judæos obtinere, eoſque creationis auctorem unice venerari. Multorum autem oculi præjudiciis adeo ſuffuſi ſunt & vitiati, ut facile præſentiat animus, eos ſententiæ noſtræ veritatem nondum percepturos. His itaque teſtimoniis, alia ſubnectere viſum eſt argumenta, quæ lectori proculdubio ſatisfacient, ſi rem non ex præjudicio ſed ratione velit æſtimare.

Sabbatum ſolis Iſraelitis datum,

Horum primum ſic ſe habet: argumentis haud inertibus evinci poteſt, Deum ſabbatum, non humano generi, ſed ſolis Iſraelitis, obſervandum tradidiſſe.

probatur, ſcriptura,

Rem ita eſſe, ſatis extra dubium ponunt illa ſcripturæ loca, quibus modus ſabbati inſtituendi declaratur. Inter ea cæteris prælucet *Exod.* 16. 29. Ubi inquit Moſes, *videte quod Jehova dedit* Vobis *illud ſabbatum: idcirco dat* Vobis *die ſexto cibum bidui:* & cap. 31. 13. dicit Deus, *ſabbata mea obſervabitis, nam ſignum eſt inter* Me *&* Vos, *per generationes veſtras:* & v. 14. *Sabbatum cuſtodietis, eſt enim* ſanctum Vobis: & com. 16, 17. *Et cuſtodient filii Iſrael ſabbatum, ad obſervandum ſabbatum per generationes ſuas: ſignum eſt inter* Me *&* Filios Israel *in perpetuum:* ubi voces illæ, *per generationes ſuas*, notant obſervationem ſabbati, durante tantum politia ſua, Judæis incubuiſſe. [a] Nehemiah, ſingularia Dei beneficia in Hebræorum gentem collata recolens, inter alia, *ſabbatum*, inquit, *ſanctum notum feciſti* Eis, *& precepta, ſtatuta, & legem præcepiſti* Eis, *per manum Moſis.* Apud [b] Ezechielem denique, primum pene locum occupat ſabbatum, in beneficiorum cenſu quibus Deus populum illum, Ægypto nuper egreſſum, ſibi devinxiſſe dicitur.

Veterum teſtimonio.

Scripturis hac in re veterum ſententias apprime conſentaneas inveniamus: nam [c] Joſephus loco non uno ſabbatum τὸν πάτριον νόμον, *morem patrium* & Judæorum genti peculiarem, appellavit. [1] Juſtinus Martyr ſabbatum Judæis datum aſſerit, διὰ τὴν ἀνομίαν αὐτῶν καὶ τὴν σκληροκαρδίαν, in dialogo cum Tryphone: & [2] Theodoritus locum illum Prophetæ [ſabbata mea dedi eis, ut ſint ſignum, &c.] his verbis παραφράζει, *ſabbatorum ceſſationem ipſis lege præſcripſi, non quod vitam ipſis dare ſufficeret*, ἀλλ' ἵνα τὸ ἰδιάζον τῆς πολιτείας χαρίζῃ μὲν αὐτοῖς τῶν ἐθνικῶν ἐπιτηδευμάτων· *Sed ut hac vita inſtituendæ ratio* Peculiaris, *eos a gentium inſtitutis ſepararet.* In eandem ſententiam multa alia apud Patres, Græcos imprimis, extant teſtimonia, quæ brevitati ſtudens prætermitto. Veteres Hebræorum magiſtros eidem opinioni ſtuduiſſe, clare liquet e variis eorum ſuffragiis a cl. [d] Seldeno collectis, quæ nobis compilare religio eſt. Iis adjungam tantum Petri Galatini illa: [3] *ſic legitur apud eos in gloſſa* ad *Exodi* verba, *ecce* Deus dedit ſabbarum vobis; *quid* ſibi volunt verba illa, dedit vobis? *Quia vobis Judæis dedit, & non gentibus ſeculi.*

& ratione.

Sed ſi ſcriptura, Patres, Hebræorum etiam magiſtri, tacuiſſent, ipſa ratio ſolos Judæos ad ſabbati religionem aſtrictos abunde teſtaretur. Notum enim eſt, [e] regiones *extremis cœli partibus ſubjectas*, per menſes aliquot Solis præſentia deſtitutas, & cum *perpetua caligine* luctari; adeoque non poſſe tempora ſua, per dies & noctes, menſes aut ſabbata, e ſolis ortu & occaſu pendentia, diſtribuere vel numerare. Nec hominibus ſub diverſo meridiano poſitis, uno eodemque momento diei ſeptimæ lucem videre contingit; ſed eo tardius aut citius, quo propius ad Orientem aut ab eo remotius collocantur. Neceſſe eſt itaque, ut ipſe dies, aut pars ejus haud exigua, quem Deus Iſraelitis obſervandum dedit, a gentibus aliis obſervari non poſſit; & tempus in Palæſtina ſacrum, ſub alio cœlo in profanum tranſeat, diebus ἐργασίμοις accenſendum. Suader itaque ratio, ut credamus ſabbatum, non niſi uni populo, ſub uno pene meridiano, in Palæſtina degenti, datum; adeoque mandatum quartum inter מצות תלויות לארץ *Statuta terra iſti appendentia* (uti loquuntur Judæi) merito numerandum. Hiſce concinunt verba Poetæ, *ſeptima* (i. e. ſabbatorum) *ſacra*, Palæſtinæ incolis, ceu propria & peculiaria, vindicantis;

a Cap. 9. 14. b Cap. 20. 11. 12. c *Antiq. Judaic.* l. 14. c. 18. & de *Bel. Jud.* l. 2. c. 16. de *jur. nat. & gent.* l. 3. c. 5. & 10. e *Gelu premitur, quicquid eſt ſubjectum extremis* cœli partibus. *Perpetua caligo utrobique, & alieno molliorum ſiderum aſpectu*, &c. Plin. nat. hiſt. l. 2. c. 68.

1 Pag. 173. 2 Tom. 2. p. 397. 3 Lib. 11. col. 585.

[a] *Quaque*

Sect. IX.

[a] *Quaque die redeunt, rebus minus apta gerendis,*
Culta Palæſtino ſeptima feſta Syro.

E jam dictis patere cenſeo, ſabbatum ſigni remporarii loco Iſraelitis inſtitutum fuiſſe: quid enim ſabbatum ſolis Iſraelitis obſervandum traderetur, niſi ut hoc illuſtre creationis mooimentum ſignum eſſet *ex parte Dei*, quod nempe gentem Iſraeliticam (cæteris in ethniciſmi caligine relictis) ſibi *in peculium* elegiſſet; & illius obſervatio ſignum eſſet *ex parte populi*, quo ſe rerum principium credere, & unum Jehovam (rerum omnium Conditorem) pro Deo habere, teſtarentur?

Arg. 2m.

Secuno o: ad hanc ſententiam firmandam non parum confert, quod Deus præceptum de ſabbato colendo, reliquis præponere, & ejus violationem multo gravius quam cæterorum omnium ferre, videatur. Nam * legem de ſabbato datam cæteris multn frequentius ingerit, nonnunquam [b] quater aut quinquies intra verſuum paucorum ſpacium: * pravos Iſraelitarum mores in deſerto, recolens, eis probro vertit, quod *ſtatuta & judicia ſua ſpreverint*, ſpeciatim vero quod [c] ejus ſabbata violarinr: * Judæis pie vitam inſtituentibus, ſabbata præſertim reverenter habentibus, mercedem ingentem [d] pollicetur: * ſi quis in multas alias leges commiſiſſet, pœna levis erat aut arbitraria ſubeunda: at ſi quis ſabbati ſanctitatem violaret, lege ſtatutum erat ut capite plecteretur: * otium ſabbaticum [e] adveoas & proſelytos tenuit, quanquam legibus aliis pleriſque ſoluti fuerint: * cum rerum ſacrarum contemptus mentio incidit, ſabbata, quaſi ſanctitate peculiari donara, [f] nominatim exprimuntur: * ſpeciale μνημόσυνον in mandati ſolius quarti limine collocatur, quaſi religionis vita in præcepti illius obſervatione *ligaretur:* * palam eſt Deum, ſabbatum affini circumciſionis ſigno plurimum prætuliſſe; nam circumciſio in deſerto prætermiſſa eſt, ſabbatum ſolenniter obſervatum; lex de ſabbato proſelytos tenuit, circumciſio ritus erat in eorum arbitrio ſitus; ſoli homioes ad circumciſionem, bruta etiam ad otium ſabbaticum, aſtringebantur; circumciſio, nullo, ſabbatum rribus illuſtribus miraculis (ſtatim recenſendis) confirmabatur; nullas promiſſiones circumciſioni, egregias autem [g] ſabbato, ſactas legimus. * Deus malis innumeris exercuit Hebræorum gentem, ut de iis ob ſpretam [h] ſabbati religionem vindictam ſumeret: * Deus eadem pœna ſabbati violationem, qua adulterium & idololatriam, coerceri voluit; nam in eum qui quicquam operis in ſabbato ſaceret, [i] mortis ſententiam tulit. Sed hæc omnia levia cenſeantur, præ exemplo illo in miſellum illum edito, cui Deus, ob ligna paucula [k] ſabbato collecta pœnam capitalem irrogavit. Quid autem Deus affectum ejus erga vacationem ſabbaticam propenſiſſimum tot inſignibus indiciis comprobavit? quid diem ſeptimum præter cæteros, eumque ritu tam ſingulari, coli voluit? Nulla mihi ratio occurrit, majorem veritatis ſpeciem præferens, quam qund ſabbati obſervatio magno creationis operi teſtimonium perhiberet, & præcipuum [l] legis Moſaicæ fundamentum [mundi novitatem] ſtabiliret; e diverſo vero ſabbati violatio creationis abnegationem contineret, & ethnicorum fidem de numinum fuorum æternitate conceptam aſſereret & confirmaret. Nam fidei modulum excedit, Deum pœnam capitalem in hominem ligna paucula ſabbato colligentem ſtatuere voluiſſe; niſi quod ille, ſabbati contemptu, creationem abnegare, adeoque legem a fundamento ſubruere velle, videbatur. Ratio non fefellit Calvinum, cum dixit, [m] *niſi eximium aliquid & ſingulare fuiſſet in ſabbato, videri poſſit aquo atrocius, jubere hominem interfici, tantum quoniam ligna* collegiſſet. Quidnam autem hoc *eximium & ſingulare in ſabbato*, eſſe potuit, quam creationis & exiſtentiæ Dei (ſummi creatoris) indicatio, quorum utrumque, lignorum in ſabbato collectione, denegare cenſebatur? Hiſce concordia ſunr [n] Aben-Ezræ verba, כל עושה מלאכה בשבת המכחש במעשה בראשית רק איננו מכחש השם הנכבר. i.e. *Quiſquis opus fecerit in ſabbato, abnegat ille opus creationis, quantumvis non* diſerte *abneget ipſum Deum O. M.* Ut rem rotam ad pauca redigam: ſeculo Moſis, articulus ille præcipue, de creatione mundi, in controverſia verſabatur, piis omnibus partem affirmativam, & idololatris negativam, vehementer aſſerentibus; eo quod mundi æternitas ipſa gentiliſmi radix eſſet, & mundi novitas ipſum religionis Moſaicæ ſundameotum. Iſraelitis itaque ſabbatum inſtirutum eſt, ut perpetuum extaret creationis memoriale, & illius obſervatio quaſi lapis Lydius eſſet, hominis fide creationis imbuti & Dei ſacris dediti. Hinc in vet. Teſtamento, ſabbati religio ſæpe &

a *Ovid. Art. Am.* l. 1. v. 417. b Ex. 16. 23, 25, 26, 27, 29. & 31. 13, 14, 15, 16, 17. *Jer.* 17. 21, 22, 24, 27. c *Ezec.* 20. 24. d *Iſa.* 58. 14. e *Iſa.* 56. 4, 6. f *Ezec* 22. 8 g *Iſa.* 56. 2. & 5. *Jer.* 17. 24, 25. h *Nehem.* 13. 17, 18. i *Exod.* 31. 15. k *Num.* 15. 32, 35. l *Sententiam de antiquitate mundi, omnes legem noſtram amplectentes refugiunt; fundamentum enim legis noſtra eſt, quod Deus hunc mundum crearit ex nihilo.* Maim. Mor. N. P. 2. c. 30. m *Comment.* in *Exod.* c. 20. 8. p. 302. n In *Exod.* c. 20.

 centies

Sect. IX. centies inculcata eſt, & modis omnibus curatum, nt homines ad ſabbatum ſancte & reverenter habendum inducerentur; nempe ut hac ratione, erearinnis opus eorum animis altius infigeretur, ſuperſtitio radicitus evelleretur, & omnis veri Dei cultor & ἀληθῶς Ἰσραηλίτης ab idololatra vel hypocrira dignoſceretur.

Arg. 3m. Tertio: ipſa ſabbati Judaici eſſentialia (ſi artente perpendamus) hujuſmodi erant, ut Deum ſigni vel documenti loco ſabbatum inſtituiſſe, vel inde ſatis innoteſcat. Nam hæc quinque (ni fallor) ad ſabbatum conſtituendum, in quarto mandato requiruntur:

(1°.) Ut ſit unus dies e ſeptem. Non præcipit Deus, ut Iſraelitæ novilunia, plenilunia, vel ſeptimum menſis cujuſque diem, ſed diem unum e qualibet ſeptimana, ſibi & ſacræ quieti dedicarent. Nec opus eſt, in veritaris hujuſce probatione moleſtius immorari, cum vel pueris notum ſit, legem ſeptimas dierum, æque ac decimas bonorum, poſtulaſſe.

(2°.) Ut unus ille dies, non primus eſſet, aut quintus, ſed ſeptimus, a creatione ſcilicet, mannæ deſcenſu, vel redemptione ex Ægypto, nrdine numeratus. Nam lege curatum eſt, non ſolum ut ſabbatum, ſed [a] השבת, *hoc ipſum ſabbatum* [diem nempe jam a Saturno denominatum] ritu ſolenni celebrarent. LXX interpretes, את יום השבת, [b] τὴν ἡμέραν τὴν ἑβδόμην, [1] *ſeptimum illum diem*, paraphraſi quadam, interpretantur. Eodem pertinet illa apud *Suidam* expoſitio, Σάββατον ἑβδόμη ἡμέρα ἐτύγχανε τοῦ κυκλικοῦ διαστήματος, *ſabbatum erat ſeptimus dies, circularis illius intervalli*, Non licuit Eccleſiæ Judaicæ tantum dominii in ſabbatum exercere, ut illud in diem quemvis alium transferrent, & primum Inco ſeptimi celebrarent. Nempe, diei ſeptimo diſertis legis verbis aſtringebantur: *recordare diei ſabbati, ſex diebus operaberis*, &c. *Septimus autem eſt ſabbatum domini Dei tui*, Et ſtatim additur: *Requievit in die ſeptimo, idcirco benedixit Dominus diei ſabbati, & ſanctificavit eum.* E quibus apparet. Deum diem ſeptimum & diem ſabbati tanquam verba ſynnnyma uſurpare. Et exigua illa (ſic enim videtur) temporis ſabbatici circumſtantia ſæpius in lege punctim exigebatur.

(3°.) Ut dies eſſet ob omni opere ſervili immunis, & otio ſacro per horas viginti quatuor ſolide conſecratus. Hinc dies ille nomen שבת apud Hebræos invenit, quod a [c] Græcis interpretibus ἀνάπαυσις *requies* redditur; unde & auctor apocryphus, diem ſabbati [d] τὴν τῆς [a] ἀναπαύσεως ἡμέραν *illum quietis diem* nuncupavit. Hoc aurem otiandi præceptum tam arcte ligavit Hebræorum gentem, ut in ſabbato neſas eſſet egredi, *ad colligendum manna*, Exod. 16, 22. item ad colligendum *ligna*, Num. 15. 32. *Ignem accendere in habitaculis*, Exod. 35. 3. *Coquere aut lixare*, Exod. 16. 23, *Res venales inferre*. Nehem. 13, 20. vel *efferre oaera*, Jerem. 17. 21. verbo, quicquam negotii περὶ τὰ βιωτικὰ pertinentis expedire.

(4°.) Ut dies otii eſſet, poſt ſex dies labori datos. Hoc in quarti mandati verbis haud obſcure continetur: *ſex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: ſeptimo autem die ſabbatum domini Dei tui eſt.* Quibus verbis, uti communis fert opinio, non præceptum ſed permiſſin, non neceſſitas *operandi*, ſed libertas indicatur. Cum autem voces, in textu [e] Hebræo ſimul & [f] Græco, non permiſſionem ſonent ſed præceptum; cum etiam in præcepto quarto, noo minus Dei ſex diebus operantis, quam ſeptimo quieſcenris, ratio habeatur; rationi maxime conveniens eſt, ut iis in verbis, operandi non libertas tantum, ſed neceſſitas, indicari cenſeatur. Adeo ut, nec eccleſiæ Judaicæ liceret aliud ſabbatum, quavis ſeptimana ſolenniter obſervandum, inſtiruere; nec privato alicui Judæo, perpetuo otio indulgere, vel dies negotio alicui civili deſtinatos, in ferias nrdinarie commutare.

(5°.) Id etiam inter ſabbati Judaici eſſentialia ponendum atbirror, quod a veſpera ad veſperam [non a diluculo ad veſperam] celebrari debuerit. Hoc equidem [g] explicite in Levirico præceptum legimus, implicite io mandato quarro, diem ſeptimum pro ſabbato colendum poſtulante. Nam proculdubio, ſex dies ἐργάσιμοι, quorum lex illa meminit, de diebus [h] a veſpera ad veſperam continuatis intelligendi ſunt; ideoque par eſt, ut ſabbatum etiam, de die modo conſimili putata, more Judæorum, interpretemur.

Quid autem circumſtantias haſce minutulas tam ſerio curaret ſummus legiſlator,

a *Exod.* 20. 8. b V. 11. & *Exod.* 31. 15. c *Exod.* 16. 23. d *Maccab.* c. 15 1. e תעבוד *operaberis.* f ἓξ ἡμέρας ἐργᾷ, καὶ ποιήσεις πάντα τὰ ἔργα σου g Cap. 23. 32. h *Geneſ.* 1. 31.

1 Ita ſe habet codex Vaticanus; Alexandrinus autem, ἡμέρα τῶν σαββάτων.

a Καταπαύσεως, tum apud codicem Vatican. tum Alexandr.

niſi

niſi ut dies tot circumſtantiis plane ſingularibus notabilis, [illegible] loco eſſet, & rem magni momenti luculentius indicaret? Quid enim ad pietatem refert, ut ſeptimus dies potius quam primus ab uſu communi ſeparetur? & quid boni e ceſſatione ab omni opere ſervili per horas viginti quatuor cuiquam rediturum eſt? Quid sd religionem & virtutem momenti habet, ut quis ſabbatum a veſpera ad veſperam celebraret? Et quid ad pietatem intererat, ut quis ab omni opere [vel ignis accenſione] in ſabbatis abſtineret? Expediam paucis: ratio humana in puſillis hiſce ſabbati Judaici circumſtantiis, abſolute & per ſe ſpectatis, nil commodi vel conſilii percipere poteſt. Ethnici itaque, ſola ratione judicantes, ſabbata, præter cætera Legis inſtituta, ridicula habuere; & Judæorum ſeptimæ feriæ non minus uberem jocandi ſegetem, quam circumciſio ipſa, [a] Gentilibus attulere. Facile præſentio, nonoullos hic reſponſuros, Deum, diem ſeptimum celebrare, & eo die ferias agere præcepiſſe, [b] non quod illas diei circumſtantias, abſolute ſpectatas, alicujus æſtimaret; ſed quod dies ille, ſervilium miniſteriorum onere liberatus, aptior eſſet officiis ſacris tunc temporis peragendis, & Judæi, die ſaltem ſabbati, Domino [illegible]: adhærerent. Sed hæc reſponſio rem propius putanti minime ſatisfaciet: manifeſtum eſt enim, Deum in ipſis quarti mandati verbis, non religionis exercitium, ſed otium ſolummodo corporale, in ſabbato præcepiſſe. Et ſi Deus, religionis exercendæ gratia, otium ſabbaticum inſtituiſſet, non neceſſe erat, ut diem ſeptimum, eumque integrum, exigeret, aut Iſraelitæ tam ſcrupuloſe, a labore vel minimo, in ſabbatis abſtinerenr. Ideoque rationi multo convenientius eſt, dicere, Deum ſabbatum circumſtantiis illis inſigne celebrari voluiſſe, ut imaginem eo magis expreſſam gereret diei illius ſeptimi quo Deus a creationis opere requievit; adeoque ſabbatum creationis opus tardis Iſraelitarum animis ingereret & inculcaret, & illius obſervatio, creationis fidem & creatoris cultum apud Iſraelitas obtinentem luculenter indicaret.

QUARTO: ſabbstum Judaicum eo primum ſeculo præceptum eſt, quo Deus rudem Hebræorum populum ex Ægypto liberavit, eoſque revocare ſtuduit ab inſtitutis Ægyptiis, ad pios majorum mores, a quibus miſere deſciverant.

HUIC aſſertioni ſcriptura teſtimonium haud obſcurum perhibet: nam Nehemiah, Dei beneficia in Iſraelitas Ægypto nuper egreſſos collata memorans, [c] *& ſuper montem Sinai*, inquit, *deſcendiſti*, &c. *Et ſabbatum ſanctum tuum notum feciſti eis in manu Moſis ſervi tui.* Novi quidem oonnullos, ad hujus loci lucem meridianam obnubilandam, reſpondere ſolitos, ſcripturam ſic locutam fuiſſe, eo quod Deus legem de ſabbato colendo tunc renovarit, & illius notitiam, temporis lapſu deperditam, Moſis miniſterio reſtituerit. At hæc reſponſio male coovenit cum verbis textus, ſabbatum *notum factum per Moſem* & in ſolitudine *datum*, diſerte aſſerentis: leges enim, non cum renovantur, ſed cum primo promulgantur, *notas* & *datas* dicimus. Rem haoc paulo magis illuſtrant & confirmant Dei per Prophetam verba, [d] *eduxi eos a terra Ægypti, & adduxi in deſertum, & dedi eis ſtatuta mea*, &c. *Et inſuper ſabbata mea dedi illis.* Quæ verba clare docent, ſtatuta ritualia & ſabbata ſimul data, & utraque primam in deſerto ſanctionem & originem accepiſſe. Hiſce cooſooum eſt, quod Iſraelitæ primum ſabbatum (cujus in ſcripturis occurrit mentio) in deſerto, die menſis ſecundi viceſimo ſecundo, celebrarent; cum tamen apertum ſit, eos diem [e] decimum quintum menſis ejuſdem murmurando & itinerando conſumpſiſſe. Unde facile colligitur, eos tunc temporis, vel non omnino, vel noo eodem die quo poſtea, ſabbatum obſervaſſe. Neque ſcriptura, per ea tantum quæ dicit, ſed & ea quæ oon dicit, opinioni noſtræ teſtimonium præbet; nempe quod ſabbati ante Moſis ætatem obſervati nullam omnioo mentionem faciat. Hiſtoria ſacra, ſacerdotes, oblationes, altaria, ſacrificia, lucos, preces, gratiarum actiones, vota nuncupata, atque hiſce cognata, in Patriarcharum rebus deſcribendis, non raro memorat: at legem ſabbati datam vel obſervatam fuiſſe ante Moſis tempora, ne unico ſcripturæ verbo vel exemplo probari poteſt. Mirum autem non immerito videatur, legem tam ſactam & ſolennem humano generi, ſub ipſa rerum primordia, datam fuiſſe, nec minimum in ſcriptura legis illius obſervatæ veſtigium aut umbellam, per annos bis mille, reperiri poſſe. Hiſtoricus ſacer frequentes Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, peregrinationes æternæ memoriæ conſecravit; at nullum uſpiam indicium eſt itineris ob ſabbstum intermiſſi, quod poſt exitum Iſraelitarum ex Ægypto

SECT. IX.

Arg. 4m. ab origine ſabbati ductum. Hanc a Moſis tempore arceſſendam, probatur, ſcriptura.

[a] Lament. 1. 7. 1 Mac. 1. 39. [b] *Certe otio & deſidia non oblectatur Deus — Diem ſeptimum ſibi ſumpſit — ut in conſiderando operum ſuorum pulchritudine cultores ſuos aliis omnibus curis ſolutos prorſus retineret.* Calvin. Comment. in Exod. 20. 8. p. 302. [c] Cap. 9. 13, 14. [d] Ezek. 20. 10, 11, 12. [e] Exod. 16. 1, 22. *collat.*

Sect. IX. ſæpe reperiamus. Hoc ipſe [a] *Curcellæus*, nobis licet adverſus, fateri cogitur; dicens, *nulla iſtius rei* [ſabbati celebrati] *veſtigia apud Moſem ſuperſunt, in toto libro Geneſeos, nec in* 15. cap. Exodi; *quamvis multa ibi occurrerent occaſiones commoda, ejus mentionem in deſcribendis Patriarcharum geſtis faciendi, ſi forte illud obſervaſſent.*

Et teſtimonia. Si a ſcriptura ad Patres antiquos deſcendat ſermo, eos hic ὁμοθυμαδὸν inveniam, ſabbatum Patriarchis ignotum, & per Moſem primo patefactum junctis ſuffragiis aſſerentes. Inter eos claſſem ducat *Juſtinus Martyr:* poſtquam enim Noachi, Melchiſedechi, Abrahami, & aliorum, meminiſſet, [b] addit, μὴ σαββατίσαντες οἱ προωνομασμένοι πάντες δίκαιοι, τῷ Θεῷ εὐηρέστησαν, καὶ μετ' αὐτὸν Ἀβραὰμ, καὶ οἱ τούτου υἱοὶ ἅπαντες μέχρι Μωϋσέως. *Omnes modo nominati juſti, ſine obſervatione ſabbati Deo placuerunt: & poſt illos Abraham, atque ejus liberi cuncti, ad Moſen uſque.* Et poſtquam ſolam Judæorum duritiem & pervicaciam inſtitutis Moſaicis occaſionem dediſſe dixerat, [c] *ſi*, inquit, *iſta ad hunc modum non fuerimus profeſſi, eveniet nobis ut in abſurdas incidamus cogitationes, quod non idem Deus temporibus Enochi & aliorum omnium fuerit;* οἳ μήτε περιτομὴν τὴν κατὰ σάρκα ἔχοντες, μήτε σάββατα ἐφύλαξαν, μήτε τὰ ἄλλα, &c. *Qui neque circumciſionem in carne habentes, neque ſabbatum ſervaverunt, neque alia inſuper quæ Moſes fieri mandavit.* Speciatim, de Melchiſedecho differens, Ἀπερίτμητος, inquit, ἦν ὁ ἱερεὺς τοῦ ὑψίστου Μελχισεδὲκ, καὶ γὰρ μὴ σαββατίζων τῷ Θεῷ εὐηρέστησε. Juſtino conſonus eſt Tertullianus, [d] *Melchiſedechum incircumciſum & non ſabbatizantem ad ſacerdotium Dei allectum* aſſerens. Et poſtea, de Patriarchis loquens, hæc habet: *doceant, Adam ſabbatizaſſe; aut Abel hoſtiam Deo ſanctam offerentem, ſabbati religione placuiſſe: aut Enoch translatum, ſabbati cultorem fuiſſe: ſed dicturi ſunt Judæi, ex quo hoc præceptum datum eſt per Moſen, exinde obſervandum fuiſſe:* &c. Eandem ſententiam ambabus manibus tuetur Euſebius, Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 4. & lib. 7. Præp. Evang. c. 6. & lib. 1. Demonſt. Ev. c. 6. Nolo ipſa auctoris verba huc transferre, utpote prolixiora, & dulcius ex ipſo fonte haurienda. Huc faciunt etiam S. [e] Bernardi illa, *literalis obſervatio ſabbati, indictus ſacrificiorum ritus, – interdictus carnis porcinæ eſus: pluvia eſt, – e nube* Moſi *deſcendens: ſed non in hortum meum deſcendat.* Qui plura teſtimonia deſiderat, *Gomarum* videre poterit, qui ſententiam noſtram, de primæva ſabbati origine, teſtium, antiquiorum, & recentiorem nube [f] protegit.

Cum itaque clarum ſit, originem ſabbati, non a mundi primordio, ſed Moſis ætate, petendam eſſe; in prono eſt colligere, ſabbatum ad peculiarem Hebræorum ſtatum & ingenium accommodatum fuiſſe, Deumque ſabbatum, tantum ut ſigni & monumenti loco inſerviret, populo illi moribus & dogmatis Ægyptiacis innutrito, obſervandum tradidiſſe. Huic argumento firmitatis aliquid addunt [g] *Irenæi* verba: *quia non per hæc* [circumciſionem & ſabbatum] *juſtificabatur homo, ſed* In Signo *data ſunt* Judæorum *populo; oſtendit* Scriptura, *quod ipſe Abrahamum, ſine circumciſione & ſine obſervatione ſabbatorum, Deo credidit. & amicus Dei vocatus eſt.*

Quinto: veritatis aſſertionis noſtræ non obſcurum eſt argumentum, quod ſic Dei providentia proſpectum ſit, ut ſabbatum, tanquam gentile quiddam, Hebræorum populo relictum eſſet, & e gentium moribus ſummo ſemper cum contemptu rejectum; dum interim ritus alios quam plurimos Judaicis affines retinuerint, & alia pleraque Decalogi mandata cuſtodierint. Hoc ſcite obſervavit [h] *Theodoritus*, de Judæis in hunc modum differens; Κατὰ τὰ ἄλλα τοίνυν τοῖς ἄλλοις κοινωνοῦντες, κατὰ τὴν τοῦ Σαββάτου φυλακὴν, ἰδίαν τινὰ πολιτείαν ἔχειν ἐδόκουν, &c. *In aliis igitur cum aliis communione juncti, quantum ad ſabbati obſervationem, quandam vitæ rationem ſibi propriam retinere videbantur; nulla enim alia gens hoc otium obſervabat:* οὐδὲ ἡ περιτομὴ οὕτως αὐτοὺς τῶν ἄλλων ἐχώριζεν, ὡς τὸ σάββατον, &c. *Neque circumciſio ita ipſos ab aliis diſtinguebat ut ſabbatum: quippe circumciſionem Idumæi quoque habebant, qui ab Eſau genus ducebant; Iſmaelitæ ſimiliter, Ægyptii etiam a Judæis hanc edocti obſervare ſtudebant:* τὴν δὲ τοῦ σαββάτου φυλακὴν μόνον τὸ Ἰουδαίων ἐφύλαττεν ἔθνος, *ſabbati vero cuſtodiendi morem ſola Judæorum natio obſervabat.* Atque inde ſic prudens concludit, Διὰ τοῦτο ὁ Θεὸς, ὅτι τὰ σάββατά μου ἔδωκα αὐτοῖς, &c. *Idcirco vere dixit Deus, ſabbata mea dedi iis, ut ſint in ſignum inter me & inter ipſos.* Probe novi, Joſephum & alios aſſerere Gentiles Hebræorum ſabbata æmulatos fuiſſe, & ad eorum exemplum die ſeptimo feriatos. Hoc autem a nonnullis tantum, ſub inclinantis rei Judaicæ tempora, factum eſt; cum Judæorum religio, una cum ipſa gente, diffuſa eſſet, & [i] victores in gentis devictæ mores non raro tranſirent. At apud ethni-

[a] *Diatrib. de eſu ſang.* c. 6. p. 955. [b] *Dialog. cum Tryph.* p. 174. [c] *Pag.* 182. [d] *Adv. Judæos* p. 185. [e] *Serm.* 58. in *Cantic.* col. 740. [f] *Lib. de Orig. Sab.* c. 4. §. 63. 64. 65. & ſeq. [g] *Adv. Hæreſ.* l. 4. c. 30. p. 319. [h] *Comment. in Ezec.* c. 20. T. 2. p. 598. [i] *V. Heidan. Hiſt. Sab. Par.* 1. c. 8. §. 4, 5, 6.

eorum

corum partem longe potiorem diei ſeptimæ ceſſationem deridiculo fuiſſe, & (ſi paucos excipias) Judæos ſolos lucem ſeptimam quiete tranſegiſſe, ſat conſtat e multis illis antiquorum teſtimoniis a [a] *Seldeno* congeſtis, cujus ego ſcrinia lectori intacta tradam. Res autem hæc eo mirabilior exiſtimetur, quod ethnici rituum aliorum Judaicorum imagines quaſdam in ſacris eorum retinuerint (eorum plurimis ipſum circumciſionis ritum minime refugientibus) & legis Judaicæ mandata pleraque alia diligenter obſervarint. In hujus rei fidem memorabile ſubjiciam [b] *Juliani* dictum: Ποῖον ἔθνος ἐστὶ πρὸς τῶν θεῶν, ἔξω τοῦ, οὐ προσκυνήσεις θεοῖς ἑτέροις, καὶ τοῦ μνήσθητι τῶν σαββάτων, ὃ μὴ τὰς ἄλλας οἴεται χρῆναι φυλάττειν ἐντολάς; *quænam gens eſt, per Deos, extra hæc duo*, non adorabis Deos alios, *& memento ſabbatorum, quæ cætera* [Decalogi] *præcepta obſervanda non putet?* Cum itaque gentes exteræ pleraſque alias Hebræorum leges & ſacrorum ritus obſervarint, non ſine numine factum videtur, quod a ſabbati religione ſemper abhorruerint. Nempe, Dei providentia, res ita comparatæ videntur, ut ſabbatum, (Judæorum genti proprium & peculiare) documento eſſet, Deum Judæos ſibi in gentem ſanctam & peculiarem; & Judæos invicem ſummum rerum conditorem, ſibi in Deum, elegiſſe; adeoque clare conſtaret, Deum *ſabbata dediſſe Judæis, ut eſſent ſigna inter ſe & ipſos.*

SEXTO hinc etiam firmior evadat opinio noſtra, quod in mandato quarto, & aliis Pentateuchi locis ubi de ſabbato fit mentio, hoc tantum FREQUENTER & APERTE præceptum ſit, nempe ut illud integra quiete & ſeptimo die celebretur.

1°. LOCIS illis id, antea alia, præceptum legitur, ut ſabbatum quiete integra & labore ne minimo interrupta celebretur. Summus legiſlator, quartum mandatum tradens, in eo pene totus verſatur, ut otium ſabbato requiſitum fuſe deſcribat, & firmiter injungat Iſraelitis. Nec abſurde creditur, mandatum illud ſenſu tam lato capiendum eſſe, ut non tantum hominibus & beſtiis, ſed arboribus, plantis & terræ frugibus, otium & quietem ferat. Nonnullos olim e Judæis ita cenſuiſſe, liquido diſcitur e [c] *Philone*; nam ille, de ſabbato loquens, *laboris*, inquit, *inducias affert omnibus manſuetis animantibus creatis in hominum miniſterium*, —— Φθάνει δὲ πρὸς δένδρων καὶ φυτῶν ἅπαντα εἴδη· οὐ γὰρ ἔρνος, οὐ κλάδον, ἀλλ' οὐδὲ πέταλον ἐφεῖται τεμεῖν, ἢ καρπὸν, &c. *Affert etiam omnibus arborum & ſtirpium ſpeciebus. Nec ramum enim, nec frondem, nec folium, demere fas eſt, ne fructum quidem ullum decerpere; immunitate in unum diem conceſſa his omnibus, velut publico præconio interdictum eſſet hæc attingere.* Philonis ſenſus eo veritati propinquior exiſtimetur, quod certum ſit annum ſabbaticum (ad ſabbati hebdomadici exemplar inſtitutum) non homini ſolummodo, ſed & toti [d] terræ, laboris intermiſſionem attuliſſe, nec ulli fructum [e] eo anno ſponte naſcentem decerpere licuiſſe. Cum etiam Phariſæi diſcipulos ſabbati violati reos agerent, tantum quod ſpicas vellerent; Dominus noſter, prolixa ſua pro diſcipulis [f] apologia, tantum non fatetur, eos ſabbati violati poſtulari potuiſſe, niſi quod ſpicæ illæ ad famem tantum pellendam vellerentur. Hæc conjectura firmitatis aliquid accipiat ex antiquorum etiam Judæorum moribus: de iis enim loquens S. Auguſtinus, [g] *Judæi*, inquit, *ſabbato ſuo, quod adhuc carnaliter ſapiunt, non ſolum in agro fructum nullum decerpunt, ſed nec in domo concidunt aut coquunt.* Probe novi nonnullos exiſtimare, ideo Phariſæos ſpicarum evulſionem criminis loco diſcipulis objeciſſe, quod ſabbati religionem labore vel minimo lædi crederent. At aliam opinionem Judæorum antiquiorum animis inſediſſe, ſatis e Græcorum verſione diſcitur: ſic enim locum illum, *Exod.* 12. 16. ubi de ſabbato fit mentio, transferendum (vel potius explicandum) cenſuerunt; πᾶν ἔργον λατρευτὸν οὐ ποιήσετε ἐν [αὐταῖς,] πλὴν ὅσα ποιηθήσεται πάσῃ ψυχῇ, τοῦτο μόνον ποιηθήσεται ὑμῖν. E quibus apertum eſt, Judæos olim, quibus ſane aliquid etiam opera ſervilia, *anima* [i. e. vitæ] cauſa die ſabbati peracta, in licitis habuiſſe. Nonnulla alia ad conjecturam meam firmandam adduci poſſent, niſi quod hæc a propoſito nonnihil aliena videantur.

2°. DISERTE præceptum eſt, non tantum ut ſabbatum ab omni labore liberum agerent, ſed ut illud die ſeptimo [a creatione ſcilicet, aut redemptione ex Ægypto, ordine, numerato] celebrarent. Hoc in mandati quarti principio ſimul & fine monitum eſt. Hanc autem [temporis] circumſtantiam ad ipſam ſabbati eſſentiam ſpectaſſe, pateat, quod numerus ſeptenarius non in ſabbati tantum hebdomadici, ſed & aliorum ſabbatorum, temporibus aſſignandis obſervetur. Nam feſtum Pentecoſtes poſt ſeptem

SECT. IX.

[a] *De Jur. Nat. & Gent.* l. 3. c. 19. [b] *Ap. S. Cyrill. contr. Julian.* l. 5. p. 152. [c] *De Vit. Moſ.* l. 2. p. 657. [d] Hinc *Sabbatum terræ* dicitur, *Levit.* 25. 2. [e] verſ. 5. [f] *Mat.* 12. 1, 2, 3. [g] *Contr. Fauſt. Manich.* l. 6. c. 4. T. 8. col. 204.

Sect. X. hebdomadas, & Expiationis feſtum menſe ſeptimo, agebatur. Annus quiſque ſeptimus feſta quadam celebritate coli, & cum ſepties ſeptimus annorum numerus impletus eſſet, annus Jubilæus magna religione celebrari debuit. Nec tantum Lege curatum eſt, ut dies & annus, ſed & menſis quiſque, ſeptimus (ut licuit) ſabbatica ſolennitate coleretur. Nam, obſervante D. Thoma, [a] *tria feſta celebrabantur in menſe ſeptimo, qui quaſi totus apud* Iſraelitas *erat ſolennis, ſicut & ſeptimus dies.* Adeo ut vere dixerit [b] Cenſorinus, de Judæis, eos *in dierum omnium numeris ſequi ſeptenarium:* nec minus ex vero, de Moſe [c] Philo, quod numerum ſeptenarium, non tantum ἐν ταῖς ἱερωτάταις τῦ νόμου στήλαις, *in ſacratiſſimis Legis tabulis, ſed* ταῖς διανοίαις τῶν ἐφ' αὑτὸν ἁπάντων ἐχάραξε, *animis poſterorum cunctorum ſculpſerit.* Horum omnium luce vel lippiens percipiat, ad eſſentiam ſabbati mandato quarto præcepti pertinuiſſe, ut die ſeptima [a tali nempe principio numerata] coleretur; & Deum id imprimis curaſſe, ut illa ſabbati circumſtantia Judæorum animis & moribus altius infigeretur.

Cum itaque lex Moſaica, de ſabbati quiete, eoque die tantum ſeptima celebrando, tam ſollicite curet; hinc aperte colligitur, ſabbatum Iſraelitis inſtitutum fuiſſe, non tam religionis exercendæ gratia, quam ut ſigni externi loco eſſet, quo creationis veritas omnibus innoteſceret, & veri Dei cultor a profano & idololatra dignoſceretur. Cum enim ſabbati quies omnimoda, eaque non hominibus tantum, ſed beſtiis, & ipſis terræ frugibus data, & quies illa die tantum ſeptimo culta, nil ad veram pietatem momenti habeant; neceſſe eſt, ut præcipuas illas ſabbati circumſtantias, ob nullam (quod abſit) vel ob eam quam dixi cauſam, inſtitutas exiſtimemus. Coronidis loco, ſubnectere viſum eſt opportuna *Philonis* verba, quem brevitatis cauſa, per interpretem ſolummodo loquentem audiemus: [d] *his & aliis pluribus de cauſis honoratur numerus ſeptenarius, ſed ob nullam magis, quam quod per hunc numerum manifeſtatus eſt pater Univerſitatis & conditor; in eo enim ceu ſpeculo mens conſiderat Deum fabricantem mundum, & quicquid in eo continetur.*

Id proximo incumbit, ut adverſariorum noſtrorum impetum excipiamus.

SECT. X.

Reſpondetur adverſæ partis argumentis.

FACILE prævideo, nonnullos argumentorum acie contra ea quæ dixi pleraque pugnaturos. Ne tamen nimius in re tam aperta videar, certum eſt mihi cum eorum tantum præcipuis, & quaſi ducibus, manum conſerere: iis enim debellatis, argumenta minoris notæ (prout Philiſtæi, proſtrato duce ſuo,) ſtatim avolabunt.

Arg. 1m. Horum autem primum, & primarium, petitur ex ipſis quarti mandati verbis, ſabbatum a Deo *benedictum, ſanctificatum*, & a nobis *ſancte habendum*, luculenter aſſerentibus. E quibus luce clarius eſt, Deum diei ſeptimæ quietem inſtituiſſe, non ſigni loco, ſed cultus & ſanctitatis cauſa; nempe ne ſeculi negotia Judæorum animos a lege audienda, creationis operibus contemplandis, ſacris peculiaribus in ſabbato celebrandis, aliiſque pietatis officiis ad ſabbatum ſanctificandum neceſſariis, importunius avocarent. Ideoque ſcriptores longe plurimi pro certo hactenus habuere, ſabbatum a Judæorum gente, *ſanctificari*, id eſt, non ignobili otio & inertiæ, ſed Deo & ſacris, integre dedicari, debuiſſe. Cæterorum loco, ſic *Epiſcopium* loquentem audiamus: [e] *certum mihi eſt, per* ſanctificationem *illam quam Deus* in præcepto quarto *præſcribit, non aliam ſeparationem intelligi, quam qua reipſa fit per ceſſationem ab operibus omnibus ſervilibus, & conſumptionem diei totius in ſacris Deoque dignis meditationibus, & operibus, tum ceremonialibus diei iſti dicatis propriiſque, tum moralibus cum laude & gratiarum actione animiq; hilaritate conjunctis; prout per vocem* ſanctificationis, *quando aliis rebus tribuitur, ubiq; intelligitur ſeparatio rei cujusq; ad uſus ſacros,* & *imprimis a profano & communi uſu.* Epiſcopio conſentit [f] Curcellæus: *facile colligitur,* ait ille, *ex verbis* benedicendi *&* ſanctificandi, *Deum diem* ſeptimum *a reliquis ſegregaſſe, & cultui ſuo peculiariter conſecraſſe; cui non potuiſſent toti vacare, niſi interea ab hujus vitæ animalis occupationibus temperarent.* Huic opinioni tenacius adhærent aliqui, Prophetæ verbis animati, quibus Judæos ad ſabbatum ſumma cum religione celebrandum, promiſſis ingentibus adhortatur: [g] *ſi*

a *Tho. Aquin.* 1ª. 2. Qu. 102. Art. 4. *ſub. ſin.* b *De die Natal.* cap. 11. c Lib. *de Mundi opific.* p. 29.
d Lib. *de Decalog.* p. 759. e *Inſtit. Theolog.* l. 3. c. 7. ſ. 4. f *Diatrib. de uſu ſang.* cap. 6. p. 955.
g *Eſa.* 58. 13.

aver-

averteris a ſabbato pedem tuum, ut non facias voluntatem tuam in die ſancto meo, & vocaveris ſabbatum delicatum, *ad ſanctificandum Jehovam glorioſum, & glorificaveris eum*, &c. Quibus verbis ſic Moſen exponere videtur Eſaias, quaſi mandatum quartum Iſraelitas ad ſeveram & ſolicitam religionem in ſabbatis exercendam devinxiſſet, & non tantum opus aliquod ad uſum vitæ ſpectans, ſed cogitationem quamvis a cœlo & religione deflectentem, tanquam a ſabbati ſanctitate alienam, mandato illo ſtricte prohibuiſſet. Sect. X.

Cum hoc argumentum cauſæ jugulum petere videatur, & a multis firmiſſimum exiſtimetur, par eſt ut in eo ſolvendo paulo diutius immoremur. Huic autem argumento triplici reſponſo ſatisfiat: Solvitur.

(1°.) Neutiquam probabile eſt, Deum ſtatuiſſe, ut Iſraelitæ, ab incolatu Ægyptiaco recentes, ſabbatum tam accurata & ſevera pietate celebrarent. Nullam apud me fidem invenire poteſt, Deum expectaſſe, ut Iſraelitæ, per tot annos a Dei cognitione extorres & alieni, cepe & allium Ægypti ſpirantes adhuc, ſabbatum integrum, contemplationi, precibus, aliiſque pietatis operibus, derepente conſecrarent. Cum enim Deus legem ejus ad populi rudis & veræ pietatis ſenſu vacui modulum, aliis in rebus accommodaſſet, quis animum inducere poteſt ut credat, eum Iſraelitas ad ſeveriora pietatis exercitia ſtatim vocare, vel carnales eorum animos ea ferre voluiſſe? Magnum profecto ad pietatem progreſſum feciſſent Iſraelitæ, nuper ab Ægypti latebris & idolis liberati, ſi ad ferias haſce Deo ſacras frequenter agendas dulci otio allici, & otio illo ad Deum verum agnoſcendum, eique obedientiam aliqualem præſtandam, leniter adduci potuiſſent. Deinde, modo Deus id voluit, ut Iſraelitæ otium ſabbaticum ei ſoli conſecrarent, & diem ſeptimum, tantum ut ſabbati cœleſtis imaginem & quaſi præludium, agerent; docet ratio, Deum ſenſum ſuum paulo apertius exprimere voluiſſe, ea præſertim in lege quam eo conſilio tulit, ut populum illum ad ſabbatum obſervandum devinciret. Cum autem ſabbati ſanctificatio duobus hiſce membris, quietis obſervatione, & quietis illius ad pietatis exercitia conſecratione, contineri cenſeatur; membrum equidem prius clarius & uberius, poſterius autem ſtrictim & ſenſus ambigui vocabulo, præcepto quarto declaratur. Hanc itaque quietem ab Iſraelitis illis ſabbata colentibus, præcipue, (ne dicam unice) requiſitam fuiſſe, dubitare nequeo; cum præſertim ſcriptura diem ſabbati labore quovis violatam, & ſola ceſſatione ſanctificatam, non ſemel aſſeruerit. Sufficiat in præſens locum unum & alterum leviter attigiſſe: horum primus occurrit, *Jer.* 17. 22. Ubi Deus ſic populum alloquitur, *ne efferatis onus de domibus veſtris in die ſabbati, nec opus ullum faciatis; ſed ſanctificabitis diem ſabbati, quemadmodum præcepi patribus veſtris.* Ubi, *nullum opus facere in ſabbato*, & *ſanctificare diem ſabbati*, tanquam phraſes ejuſdem valoris & ſe mutuo explicantes conjunguntur. Ejuſdem momenti verba nobis occurrunt, Comm. 27. *Et ſi non obedieritis mihi, ut ſanctificetis diem ſabbati, nullum opus portando in die illo, ſuccendere faciam ignem*, &c. E quibus non obſcure colligo, quod Iſraelitæ, quieſcendo præcipue, ſabbato defungi crederentur. Ad hanc etiam veritatem aſſerendam, liceat argumentum ex ipſo mandato trahere: poſtquam enim ſabbati ſanctificationem præcepiſſet, explicationis cauſa continuo additur, *ſex diebus operaberis, & omne opus tuum facies: at ſeptimus dies, ſabbatum eſt Domino Deo ſuo: in eo nullum opus facies*, &c. Quaſi dixiſſet ſummus legiſlator, "dies alios communes eſſe jubeo, quibus ordinaria vitæ negotia tranſigatis: dies autem ſeptimus mihi uni proprius eſt, & otio integro, tanquam charactere peculiari, a reliquo dierum grege ſeparatus. Eo die nefas ſit aliquid rei ſecularis agere." Quamvis itaque mandatum quartum, in ſumma quaſi cute ſpectatum, diei ſeptimi ad uſus tantum ſanctos & religioni cognatos ſeparationem exigat; introſpectum tamen, nihil præter diem ſeptimum, cum reſpectu ad mandatum & exemplum divinum, quiete tranſigendum poſtulare videatur. Veritatis hujuſce teſtes dabo *Bonfrerium* & *Cajetanum* (auctores doctos, & hac in re, nullo calore præcipiti ductos) eoſque *Curcellæo* & *Epiſcopio*, ex adverſo ſtatuam. Horum ille in mandatum quartum hæc habet:[a] *notandum, aliter nobis, aliter* Iſraelitis *ſanctificationem Dominicæ vel ſabbati fuiſſe præceptam. Tota enim ſanctificatio diei ſabbati* Iſraelitis *præcepta, non aliud fuit quam ceſſatio ab operibus ſervilibus: quæ ceſſatio apud* eos *habebat rationem cultus divini; erat enim ſignum quoddam externum negativum, quod formaliter præcipiebatur, & aſſumebatur ut cultus divinus. Cæteræ actiones religionis poſitivæ, etſi a Deo tanquam finis illius ceſſationis intenderentur, non tamen erant illis formaliter præcepta. Nobis* autem *ceſſatio ab operibus ſervilibus non præcipitur formaliter, ſub ratione divini cultus, ſed tantum ut eſt re-*

[a] *Comment.* in *Exod.* 20. 8.

Sect. X. *motio impedimentorum divini cultus, & actionum religionis, quas expedite obire non poſſumus, niſi externis illis impedimentis remotis. Ex hac præcepti diverſitate fiebat, ut longe arctius Judæos ligaret præceptum de ceſſatione ab operibus die ſabbati, quam nos modo liget.* Quæ verba, cum grano ſalis accepta, non male ſapiant. Eundem pene ſenſum verbis paucioribus, & paulo ſanioribus, exprimit Cajetanus; cum dicit, colebatur Deus ſabbato, in ipſa exteriori quiete ab operibus ſervilibus, quia Judæi quieſcebant ad repræſentandam divinam quietem a creatione mundi.

(2°.) E præcepto quarto & *Ieſaia* verbis evinci non poteſt, Deum Iſraelitas, Ægypto nuper egreſſos, ad ſabbatum ſanctitatis exercitiis integre conſecrandum tenuiſſe. Non e præcepto quarto: quamvis enim vox latina *ſanctificare*, ſeparationem rei ad uſum aliquem ſacrum denotet, Hebræa tamen קדש ſenſu paulo latiori ſumitur, ut ſeparationem quamcunque notet, ab uſu communi ad finem peculiarem, ex Dei præſcripto factam. In hujus rei fidem, ſatis ſit exemplum unum & alterum in medium promere; viz. *Joſh.* 20. 7. ויקדשו *& ſanctificarunt*, i. e. ſepararunt, *Kedes in Galilæa*, in aſylum nempe. Simile nobis exemplum præbet *Joel* 2. 15. *Sanctificate jejunium*, i. e. explicante [a] Procopio, *ſeparate & ordinate jejunandi tempus.* Sic etiam antiqui Judæi verba mandati expoſuere: *memento diei ſabbati*, לקדשו ut *ſanctifices eum*, *hoc eſt*, inquiunt illi, ut *ſepares* vel diſtinguas *eum a reliquis diebus, cibo, potu, & veſtitu* peculiari. Hunc ſenſum quarto præcepto tribuit *R. Kimchi*, qui in verba illa Prophetæ [[b] *Beatus qui cuſtodit ſabbatum, ne polluat illud*] hæc habet, קדוש שבת להבדילו מִשאר הימים וגו *ſanctificare ſabbatum* eſt *ſeparare* vel diſtinguere illud *a reliquis diebus; quod voces ſanctitatem ſignificantes, denotent rem aliquam ſeparatam* vel diviſam *ab aliis rebus*, מאחר במעלה *per modum eminentiæ* vel *excellentiæ*. Noſtra itaque ſententia verbis mandati quarti non multum premitur. Nec vi majore nos urget inſignis ille Prophetæ locus, quamvis *Jeſaias* ibi ad ſabbati cultum [non ſola ceſſatione, ſed] pietate ſevera & plane ſingulari peragendum, hortari cenſeatur. Cum enim *Jeſaiæ* res eſſet, cum inertibus [c] hypocritis, & hominibus vix ullum ſanctitatis & juſtitiæ divinæ ſenſum aut fidem retinentibus; par erat ut eorum ſegnitiem pungeret, eosque ad eum ſabbati cultum excitaret qui veram pietatem saperet, & religionem teneris adhuc eccleſiæ Judaicæ naſcentis incunabulis exerceri ſolitam longe ſuperaret. Iis auctor erat, ut ſabbata non obſervarent ſolummodo, ſed *in deliciis haberent*, & a re quavis ſeculari non manus tantum ſed & mentes ipſas abſtinerent. *Moſes* autem ad Iſraelitas miſſus, populum adhuc ad idola pronum, & Ægypti vitiis & erroribus infectum, iis ſabbatum inſtituit otio & leviori tantum oblati ſacrificii religione colendum, utpote gentis ingenio & conditioni maxime accommodatum. Eandem rationem iniit *Jeremias*, ut populo creatoris ſenſum incuteret, eosque primis quibusdam religionis elementis imbueret, cum Deo tergum obvertiſſent, & ad mores ethnicorum iterum deſciviſſent. Eos nempe vocat ad [d] ſabbatum, ceſſatione a labore, [non religione aliqua ſeveriori] colendum, locis modo citatis, nec levi pede prætereundis.

(3°.) Si hoc in conceſſis ponerem, Iſraelitas nempe ſabbatum integrum pietatis operibus impendiſſe, ſententia mea non multum inde læderetur. Nemo enim aſſequi poteſt, cur Deus ſabbatum die tantum ſeptimo & quiete tam perfecta coli voluerit, niſi ut ſigno eſſet, quo creationis memoria renovari, & Iſraelitæ ab idololatris internoſci, poſſent. His omnibus, objectionis primæ nervos incidiſſe videar.

Arg. 2^m. Nonnulli forſan hic nobis opponent antiquorum Judæorum mores, qui ſabbatis ſynagogas adire, precibus vacare, prophetarum concionibus intereſſe, ſolebant; & feſtæ lucis otium, non ludis aut epulis, ſed pietatis exercitiis dedicare. Hoc intelligi datur e variis ſcripturæ locis, ad quos digitum tantum intendemus; viz. 2 *Reg.* 4. 23. *Act.* 13. 14. *Mar.* 1. 21. *Luc.* 4. 16. *Act.* 15. 21. & 16. 13. quibus addo 2 *Reg.* 16. 18. Ubi inter alia ad cultum Dei pertinentia quæ *Achaz* idololatra ſummoviſſe dicitur, ſpeciatim memoratur מוסך השבת *operimentum ſabbati*, *quod in eum finem*, inquit [e] L'Empereur, *confectum videtur, quo populus diebus ſabbaticis magna frequentia confluens, quem porticus quandoque capere non poterant, ſub illo tegmine ab injuria cæli tutus eſſet.* Atque hæc omnia fidem haud incertam faciunt, Judæos olim exiſtimaſſe, Deum die quovis ſeptimo illis otia feciſſe, tantum ut animos ad religionem curandam appellerent, nullis curis aut negotiis hanc vitam ſpectantibus implicatos.

a in *Genes.* 2. 2. b in *Jeſ.* 56. ver. 2. c V. Cap. 1. 15. & c. 58. 2, 3, 4, 13. d *Jerem.* 17. 2. & 21.
e In *Cod. Mid.* Cap. 2. §. 3. p. 51.

Ut

Ut ſpecioſæ huic objectioni colorem omnem adimamus, hæc tria, facili opera probanda, reſpondemus. Solvitur.

1°. Veteres Iſraelitæ tot pietatis officia, ſuis in ſabbatis, *non neceſſario* [ſi omnino] præſtitiſſe videantur. Nam ſcriptura de mandato aliquo quo ad officia illa ſabbato peragenda tenebantur, altum ſilet. Ut ab eorum operibus ad Dei quieſcentis exemplum in ſabbato quieſcerent, verbis diſertis præceptum extat: ut autem quietem illam devotionis aut contemplationis exercitiis conſecrarent, nullo claro præcepto (quod nobis ſcire licet) aſtringebantur. Res ea in hominum arbitrio pene tota relinquebatur, eccleſiæ Iſraeliticæ conſilio determinanda, prout ad pietatem promovendam expedire videretur. Non me fugit, [a] Joſephum affirmare legislatorem ſuum præcepiſſe, οὐκ ἅπαξ ἀκροασαμένους, οὐδὲ δὶς ἢ πολλάκις, ἀλλ' ἑκάστης ἑβδομάδος τῶν ἄλλων ἔργων ἀφεμένους, ἐπὶ τὴν ἀκρόασιν τοῦ νόμου ἐκέλευσε συλλέγεσθαι· *Non ſemel audire, nec ſecundo vel ſæpius: ſed in unaquaque ſeptimana, alia opera relinquentes, ad legis auditionem congregari præcepit; quod*, inquit, *omnes legislatores omiſiſſe videntur.* Sed, pace Joſephi, idem & omiſit Moſis, niſi nullum diſcrimen inter annum & diem ſtatuamus, & præceptum de lectione legis, anno ſabbatico [b] exeunte præſtanda, quaſi de quovis die ſabbatico traditum, intelligamus. Ut abſolvam paucis: ſi de veterum Hebræorum ferias illas ſeptiduanas agentium officio, non ex opinione ſed ſcriptura judicemus; nihil iis in ſabbato videtur incubuiſſe, niſi ut diem ſeptimum ab omni labore liberum agerent, & in eo, præter juge ſacrificium, [c] *duos agnos anniculos integros immolarent.* Cuivis oculos aperienti patet, mandatum quartum de ſabbati quiete curare, & obſervandi tempore, nihil autem in eo de quiete ſabbatica pietatis officiis conſecranda *diſerte* præcipi. Sect. X.

2°. Veriſimile eſt antiquiores Hebræos *non ſemper* otium ſabbaticum in lectione legis aut muniis hujuſmodi religioſis peragendis conſumpſiſſe. Nam doctorum pene omnium ſententia ratum facit, Hebræos non niſi poſt multos annos a Moſis obitu, ſynagogas in vicis habuiſſe, in quibus ad legem & ejus interpretes audiendos convenire poſſent. Nec ſine ratione creditur a nonnullis, ſolennem illum, legem in ſynagogis unoquoque ſabbato prælegendi morem, ſuam ſub Ezra vel Nehemia originem inveniſſe.

3°. Judæi veteres otium ſabbaticum *non ſolummodo* pietatis officiis impenderunt. Eos enim die ſabbati (ſaltem poſtquam ſynagogæ vel templi ſacris adfuiſſent) epulis, choreis, ludis, compotationibus, & exercitiis juvenilibus, ſeipſos oblectare ſolitos, multis veterum teſtimoniis, a [d] *Sherlogo* & [e] *Heylino* noſtro congeſtis, abunde confirmatum eſt. Fatetur ipſe [f] Philo, religionis licet ſabbaticæ præco, *Moſen æquum cenſuiſſe, ut* ſabbatum *celebrarent otio*: & ἐν ἱλαρίαις εὐθυμίαις *feſtis hilaritatibus.* Inde venit forſan, quo [1] Plutarchus Judæorum ſabbatum a Σαββάζειν, *hilaria agere, ebriari*, nomen habuiſſe crederet; quod ſcilicet obſervaſſet, Judæos in ſabbatis genialiter vivere, & poculis non raro ad ebrietatem indulgere. Hanc conjecturam firmat [g] S. *Auguſtinus*, aſſerens Judæos ſabbatum coluiſſe tantum *ad luxuriam & ebrietatem, eoſque quieviſſe ſolummodo ad nugas & luxurias ſuas; quod diem illum languido & luxurioſo otio conſumerent, eoque non ſolum deliciis Judaicis, ſed ad nequitiam abuterentur.* Neque Judæi recentiores, hac in re, multum a majorum ſuorum moribus aut ſententiis abierunt: [h] *cum* enim *in ſabbato ſuo a cæteris venditionibus & emptionibus ceſſent, ſolum vinum vendunt, credentes ſe non frangere ſabbatum*, ſed illius hilaritati ſolummodo miniſtrare. Teſtatur etiam [i] *Buxtorfius*, Judæos in ſabbatis, (religione aliqua leviore præmiſſa) ſe epulis conquiſitiſſimis ſaturare, cutem curare, molli otio & deſidiæ litare, juvenibus currendi, ſpatiandi, & ſaltandi, (modo in ſabbati honorem hæc fiant) licentiam dare. Nec forſan mores illi ſabbati ſanctitati repugnaſſent, ſi deliciis ſuis modum ſtatuiſſent, & intra limites temperantiæ ſeipſos continuiſſent. Nam Chriſtus die [k] ſabbati ad convivium vocatus (quod ſine ciborum apparatu & vini uſu liberiori fieri non ſolet) adeſſe non detrectavit; & Deus hunc etiam inter ſabbati fines [l] refert, *ut reſpiret filius ancillæ tuæ*, vel (uti Junius vertit) *ut recreetur.* Qui locus ipſum *Wa-*

a *Contr. Apion.* l. 2. §. 17. b *Deut.* 31. 10, 11. c *Num.* 28. 9, 10. d *Antiq. Hebr.* lib. 2. *Differt.* 1. pag. 275. e *Ub. ſupr.* P. 1. cap. 5. ſect. 10. f Lib. 3. *de Vit. Moſ.* p. 684. g *Tract.* 3. *in S. Johan.* T. 3. Par. 2. col. 311. *De* 10. *Chord.* T. 5. col. 50. & *In Pſal.* 32. T. 4. col. 191. h *V. Toſtat. Comment. in Exod.* 12. *Quæſt.* 36. i Lib. *de ſynag. Jud.* c. 15. k *Luc.* 14. 1, & 7. l *Exod.* 23. 12.

1 Vid. Sympoſiac. lib. 4. p. 671. ubi Plutarchus opinatur ſabbatorum ferias non plane a Baccho eſſe alienas, quoniam Sabbos multi Bacchos appellant, eamque edunt vocem cum orgia Bacchi celebrant: in cujus rei veritatem, ad Demoſthenem & Menandrum provocat.

Sect. X. *laum* ſic a rigore ſuo recedere coegit, ut aperte diceret, [a] oblectationis aut ***recreationis opera quadam die*** ſabbati ***licita eſſe, non auſimus negare.***

Argm. 3m. Tertio: objiciet forte non-nemo, quod ipſa ratio refugiat opinari, Deum ſabbatum otio tantum celebrare præcepiſſe, unde Iſraelitæ ſeptimam vitæ partem ***turpi veterno damnare***, & per horas viginti quatuor otio plane bruto torpeſcere, cogerentur. Quare rationi convenientius eſt, ut credamus, mandato quarto curatum eſſe, ut Deo tantum & ſacris in ſabbato vacarent, & eorum otium pietatis officiis exciperent; cum præſertim aperte dicat, Deum *diei ſeptimo benedixiſſe*, eumque *ſanctificaſſe*, vel ad uſum ſacrum ſeparaſſe?

Refutatur. Hæc etiam objectio triplici reſponſo diluatur: 1°. Id pro certo ſtatuendum, Hebræorum ſabbatum otio Præcipue ſanctificari & celebrari debuiſſe. Hoc a me jam antea ſatis evictum arbitror: ne tamen diligentia mea ulli penſi mei parti defuiſſe putetur, addo, quod mandatum quartum, otium illud tam plene deſcribat, adeo firmiter injungat, & officium quodvis aliud adeo tacite prætermittat, quod vel inde ſatis intelligitur, otium illud in ſabbati ſanctificatione partem præcipuam habuiſſe. Hoc vel ipſum ſabbati nomen extra controverſiam ponit: eo enim in loco ubi [b] prima ſabbati mentio reperitur, vocatur שבת שבתין· quas voces Targum [1] ניח שמיטתא *requies remiſſionis* reddit. Idem etiam evincit otii ſabbato præcepti rigor: nam vel *ignem accendere*, *manna colligere*, *cibum coquere*, & hujuſmodi leviora, ſabbati Judaici religio vetuit: quanam autem probabilitate dixerit quiſpiam, hæc ſabbato vetita, tantum ne curis a ſabbati ſanctitate alienis implerent Hebræorum animos? Hiſce conſentiunt, uſu longo probati, Judæorum mores: quamvis enim circa pietatis officia ſabbato præſtanda, inter ſe non parum diſſideant & diſcordent ſynagogæ domini; id tamen in omni memoria receptum eſt, ut otium accuratum, nullo labore vel ſermone vitæ commoda ſpectante violatum, ſabbatis obſervent.

2°. Quanquam ſacer ille dies otio præcipue celebrandus eſſet, non id tamen exegit Hebræorum religio, ut manibus compreſſis ſederent, ut vitam ſomno vinoque ſepultam, & homini (cui vis & vigor aliquis) omni labore graviorem, agerent. Argumento ſatis aperto ſunt Hebræorum quos dixi mores, ſe perſuaſos fuiſſe ſabbatum otio feſtivo & jucundo, non torpido & plane ſomnolento, celebrandum. Solebant enim in ſabbato convivari, ſpatiari, & aliis oblectationibus indulgere: nec ludos a religione ſabbatorum alienos exiſtimabant. Nempe id ſolum in lege clare & aperte præceptum legitur, ne [c] *opere ſervili*, vel unde quid lucri facerent, ſeipſos in ſabbatis exercerent. Quies equidem ab operibus aperte præcipitur, non autem quietis illius ad uſus tantum ſanctos applicatio.

3°. Veriſimile eſt Hebræos, qui prudentia & pietate præcellebant, non tantum otio feſto, ſed religionis exercitio, ſeptimæ lucis adventum excepiſſe. Nam [d] *Agatharchides*, Judæorum geſta referens, ἀργῶν, inquit, ἐθισμένοι δι' ἑβδόμων ἡμέρας, &c. ***Vacare conſueti*** ſunt ***ſeptima quaque die, & neque arma portare, neque alterius cujuſpiam curam habere patiuntur;*** ἀλλ' ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐκτετακότες τὰς χεῖρας μέχρι τῆς ἑσπέρας, ***ſed in templis extendentes manus***, adorare ***uſque ad veſperam*** ſoliti ſunt. Eandem ſabbati colendi rationem inter Judæos pietate præſtantes obtinuiſſe, nobis auctor eſt *Philo*, qui, inter alia horſum ſpectantia, hæc habet; ***conſuetudo a majoribus accepta hodieque durat, tempus illud*** [ſabbati nempe] τῇ ἐπιστήμῃ καὶ θεωρίᾳ τῶν περὶ φύσιν, ***ſcientia & contemplationi rerum naturalium dedicare.*** Ejuſdem momenti habet alia, lib. de Decalog. p. 758. & lib. deperdito cujus fragmenta quædam nobis tranſmiſit *Euſebius*, Præparat. Evang. l. 8. c. 7. quibus addat Lector, quæ apud Grotium habentur in S. Marci cap. 1. verſ. 21. Quantum autem conjecturis aſſequor, Judæi εὐλαβέστεροι his cauſis inducti ſabbati partem non minimam religione ſacram faciebant, nempe (1°) Judæorum natio, non tantum die ſeptimo feriari, ſed eum *ſanctificare* tenebatur: uſus autem ſcripturæ frequentior indicat, vocem illam de ſeparatione ab uſu communi ad ſacrum intelligendam eſſe, cum de rebus inanimatis ſanctificandis agitur. Vocem illam hoc ſenſu ſtrictiori capiendam cenſuit *Philo*: nam de præceptis loquens, [f] inquit, τέταρτον δὲ παράγγελμα τὸ περὶ τῆς ἱερᾶς ἑβδόμης ἵν' εὐαγῶς καὶ ὁσίως ἄγηται *Quartum præceptum eſt de ſacra die ſeptima, ut ſancte pieque tranſigatur.* Quamvis autem in ambiguo eſſet, an vox קדש hoc ſenſu ſu-

a *Diſſert. de Sab.* cap. 7. b *Exod.* 16. 23. & 31. 15. c Ἔργον λατρευτὸν οὐ ποιήσετε. *LXX. in Exod.* 12. 16; d *Ap. Joſeph. cont. Apion.* l. 1. p. 1350. e Lib. 3. *de Vit. Moſ.* p. 685. f Lib. *De Decalog.* p. 758.

1 Voces iſtæ ניח שמיטתא neque apud *Targum Onkelos*, neque *Jonathan*, neque *Hieroſol.* extant: leguntur enim tantum שבא שבתא: שבת שבתא: שבא שבת: vid. *Polyglot. Walton.* Tom. 1. & 4.

mi

Sect. X.

mi deberet, quivis tamen ardentior paulo Dei cultor diem ſeptimam *ſancte pieque tranſigere* voluit, ut ad legem ejus ſenſu latiſſimo ſumtam, vitam conformaret. (2°.) Creatoris exemplum, die ſeptimo quieſcentis & opera ſua contemplantis, Iſraelitis indicio fuiſſe videtur, eos etiam operibus naturæ contemplandis, ſabbato præcipue, vacare debuiſſe. Sic enim [a] *Philo* divinum exemplum explicat & interpretatur: *conſtat mundum intra ſex dies creatum: ſeptima Deum quieviſſe a ſuis operibus, & quæ bene condiderat contemplari cœpiſſe.* Ἐκέλευσεν ἂν καὶ τοὺς μέλλοντας ἐν ταύτῃ ζῆν τῇ πολιτείᾳ, καθάπερ ἐν τοῖς ἄλλοις, καὶ κατὰ τοῦθ᾽ ἕπεσθαι Θεῷ, &c. *Juſſit igitur ut quicunque hæc inſtituta recepiſſent, ſicut in cæteris, ita in hoc quoque Deum ſequerentur, operando per ſex dies, ſeptimo vero interquieſcendo vacandoque contemplationi rerum & ſtudio ſapientiæ, retractando etiam cogitatione acta præterita, & rationem eorum a ſe repoſcendo, ſicubi a legum præſcripto aberratum fuerat*, &c. (3°.) Otium ipſum die ſeptimo præceptum, homines ad pietatis exercitia tacite vocaſſe videatur, cum iniquum eſſet opinari, Deum otia illa feciſſe Judæis, tantum ut ſe molliter curarent, & ipſam inertiam in virtutis nomen adoptarent. (4°.) Sacrificia Sabbato propria & cujusque diei ſacrificio [b] jugi ſuperaddita, diem illum a quovis alio ſanctitate ſingulari diſtinctum indicarunt, eosque forſan pietatis eximiæ ſabbatique ſanctitati convenientis admonuerunt. (5°.) Cum ſabbatum dediſſet Deus, *ut ſignum eſſet inter* ſeipſum & Iſraelitas, *quo ſciretur ſe Jehovam ſanctificare ipſos*, id eſt, a Gentilibus ſimul & moribus eorum ſeparare; pleriſque forſan decorum videbatur, ut in ſabbato præcipue ſanctitatis paulo ſeverioris exemplum ederent, ut eorum mores eo magis cum ſabbati fine & auctore conſentirent. De his autem paulo latius & copioſius egiſſe videar, quam præſentis inſtituti ratio poſtulat: quamvis enim concedam Hebræos antiquiores ſabbatum *pie ſancteque* tranſegiſſe, & Deum *diſerte* & *aperte* præcepiſſe, ut ſabbatum non otio tantum & oblato ſacrificio, ſed omnigena pietate & virtute, celebrarent, cauſa mea non multum inde detrimenti caperet; cum & ipſa pietatis officia die ſeptimo peracta, ſigni vicem præſtarent, & indicio eſſent, ſe non tantum creatorem cœli & terræ, ſed *ſanctum Iſraelis*, [non numen aliquod impurum] venerari.

Argm. 4m.

Quarto: nihil probabilitatis habet (dicet forte non-nemo) Deum diei ſeptimæ quietem inſtituiſſe, tantum ut externi ſigni loco eſſet, quo Dei veri cultores ab idololatris internoſci poſſeot; cum Deus ſabbati legem tam frequenter ingerat, illius obſervationem adeo vehementer inculcet, illius violationem acriter adeo reprehendat, & pœnis tam gravibus coerceat; & (ut paucis abſolvam) ita ſabbati obſervationi immoretur, quaſi religionis prora & puppis fuiſſet, & pietas omnis cum ſabbato ſtare vel ruere voluiſſet. Ad veritatem itaque propius accedere videntur, qui ſabbaticum otium devotionis & contemplationis (otium & ſeceſſum quærentis) cauſa tam frequenter inculcatum arbitrantur.

Enervatur.

Respondeo (1°.) Nemini mirum videri poteſt, Deum tot funibus Iſraelitas ad ſabbatum colendum devinxiſſe, qui temporum antiquiorum ſtatum geniumque paulo diligentius penſitaverit. Tunc enim gentes fere omnes, ſolem & lunam, terram & ſydera pro numinibus æternis habuerunt; & id inprimis inter Gentes & Iſraelitas multo cum fervore diſceptatum eſt, an ſolus ille Dominus qui populum ex Ægypto liberavit, Deus verus eſſet, annon & gentium Baalim & numina χειροποίητα in divinitatis communionem admittendi eſſent, & cultu religioſo recipiendi? Tunc temporis etiam, ingens Deorum caterva, gentium fide & cultu cohoneſtata, adeo impleverant omnia, ut obtuſis hominum animis haud adeo clare conſtaret, quisnam ille Deus eſſet cui victimas offerre deberent & vota nuncupare. Quin & e filiis Iſraelis haud pauci, in duas ſententias cootrarias ancipiti vice ferebantur, nunc Jehovam, nunc Baalem, pro Deo venerantes. Cum itaque is eſſet rerum infelix locus, id imprimis egit Deus, ut creationis fides Hebræorum animis infigeretur, & ſe, rerum creatorem, ſolum verum Deum eſſe, fide firma retinerent. Hoc ut effectum daret, ſabbatum inſtituit, ut creationis memoriam in ſæcula conſecraret, & illius obſervatione, tanquam viſibili fidei ſuæ ſigno & interprete, maniſeſtum facerent Iſraelitæ, ſe creationem agnoſcere, rerum ſolummodo creatorem colere, & Deos gentium, [ſolem, lunam, ſtellas,] utpote creatos & heſternos, cultu prorſus indignos judicare. Cum itaque ſabbatum ob rationes cum ipſa religionis natura conjunctas inſtitutum fuerit, æquum & apprime conſentaneum erat, ut Deus ſabbati legem frequenter inculcaret, illius contemtum pœnis graviſſimis ulciſceretur, & omnes qui ſabbatum colebant, pro Dei ſervis & amicis; qui vero ſab-

a *Ub. ſupr.* b *Numer.* 28. 9, 10.

Sect. X. batum violabant, pro gentilibus aut apoſtatis haberentur. Hinc lux accedat [a] Prophetæ verbis: *ſic dicit Dominus, eunuchis qui ſervant ſabbata mea & eligunt ea quæ mihi placent, & apprehendunt fœdus meum*, &c. *Etiam filios alienigenæ, cuſtodientes ſabbatum* meum, *& apprehendentes fœdus meum, adducam eos ad montem ſanctitatis meæ*, &c. Ubi Deus ingentia bona prolixe pollicetur eunuchis & alienigenis, quod ſabbata ſua ſancte haberent, eosque (vix ullo alio pietatis ſuæ teſtimonio requiſito) inter pios & ſibi fœdere conjunctos numerat. Res clarior evadet, hoc exemplo nonnihil illuſtrata: ſub prima Chriſtianiſmi tempora, cum præcipua ſeculi controverſia eſſet, an Jeſus Nazarenus, Hieroſolymis crucifixus, pro Dei filio & vera Meſſia habendus eſſet; Chriſtiani, in fidei ſuæ orthodoxæ teſtimonium, ſe crucis figura ſignare ſolebant; S. Paulus Chriſtum, eumque crucifixum, præcipue prædicabat; & Apoſtoli [b] doctrinam illam, tanquam pietatis fideique κριτήριον, & ſtantis aut cadentis religionis articulum, habuiſſe videbantur; qui etiam fidem illam (licet ſcandalum Judæis & ſtultitiam Græcis) animo erecto & conſtanti profitebantur, omnes alias fidei Chriſtianæ partes integras & illæſas ſervare non immerito credebantur. Pari modo, ſub prima naſcentis Judaiſmi tempora, ea præcipue controverſia hominum ingenia exercuit, an mundus originem ſuam Jehovæ deberet, & ille ſolus qui populum Iſraeliticum ex Ægypto liberavit, Diis aliis excluſis, cultu ſacro proſequendus eſſet: cum autem fides illa legis & religionis omnis fundamentum eſſet, pro ridiculo tamen apud omnes pene gentes haberetur; Deus ſapiens hanc fidem, ubique gentium exploſam, firmare ſtuduit, & ſabbatum ad creationis memoriam refricandam, ejusque fidem teſtandam, obſervari juſſit, eosque ſolos qui ſabbatum coluere, favore ſuo & ſervorum ſuorum titulo dignos habuit. [1] *Rutilius* itaque diem ſeptimam otio dicatam, non *ſtultitiæ*, ſed *ſapientiæ radicem*, appellaſſet, modo ſabbati ſcopum & intentionem penitius intellexiſſet.

(2°.) Quantum per ſcripturas intelligi datur, Deus ſabbata annua, non minoris quam ſabbata ſeptiduana, habuiſſe videatur. *Sabbata* illa annua (ſic enim in ſcripturis & Patrum ſcriptis appellantur) feſta erant azymorum, pentecoſtes, tubarum, tabernaculorum, & expiationis. Illa vero eadem, (ne dicam, majore) cum ſolennitate & religione, quam ſabbata ordinaria celebrari debuere. Nam Judæi in feſtis illis ab omni [c] opere ſervili feriari tenebantur: in iis beneficia quædam in gentem collata religione ſolenni recolebant: mandatum quartum (uti creditur) ad ſabbata annua, æque ac hebdomadica, celebranda, Judæos obſtringebat: pœna non minus gravis in ſabbatorum annuorum quam ſeptiduanorum violatores infligebatur: imo longe gravior; nam Judæi, ob anni præcipue [d] ſabbatici contemptum, per ſepties ſeptem annorum ſpatium, terra patria carere cogebantur, ut in ipſa pœna ſua, (annorum ſeptuaginta captivitate) tanquam ſpeculo quodam, culpam ſuam, (grandis illius ſabbati, anno ſeptimo quovis obſervandi, contemptum) contemplari poſſent. Deinde, ſabbatis ordinariis, obſcurus vici tantum vel urbis alicujus conventus in ſynagogis habebatur; at ſabbato quovis annuo, celeberrimus omnium virorum conventus Hieroſolymis indicebatur. In ſabbato denique ſeptiduano [e] tantum binos agnos anniculos, & *binas ſimilæ decimas*, offerre tenebantur; ſed annuorum ſabbatorum ſolennia ſplendidiore ſacrificiorum numero peragebantur.

Argm. 5m. Quinto: nonnulli forſan me & hoc urgebunt argumento: ſi ſabbatum inſtitutum fuerit, ut apud Iſraelitas uſum ſigni præſtaret, quod nempe gentis infirmitas & ſeculi conditio ita poſtularent; neceſſe eſt, ut præceptum quartum, ceremoniale, temporaneum, & naturæ a reliquis primæ tabulæ præceptis diſcrepantis, fuiſſe fateamur. Cum autem cætera tabulæ primæ, imo totius decalogi, præcepta, moralia & juris æterni fuerint, inconcinnum plane foret, unum ceremoniale & reliquis affinitate nulla conjunctum admiſcere. Deum quaſi ἑτερόζυγα ζευγνύειν, fidem apud cordatum aliquem vix unquam habiturum eſt.

Refellitur. Sat ſcio, ſabbatarios hoc argumentum, prout Philiſthæi ducem ſuum, ſæpius in aciem ferre, & in eo, veluti cauſæ ſuæ ſpe prima, gloriari ſolitos. Ut itaque hanc palmariam objectionem diluamus, hæc tria dicenda nobis & probanda judicamus.

(1°.) Præceptum quartum κατὰ τὸ ῥητὸν ſpectatum, nihil morale [i. e. ſua natura juſtum aut bonum] continebat. Quid enim boni, quod diem quemque ſepti-

a *Jeſ.* 56. 4, 6. & 7. b *Rom.* 10. 9. 1 *Joh.* 4. 15. & 5. 1. *Act.* 8. 37. *Lev.* 23. 7, 8, 21, 25, 30, 35.
d *Levit.* 26. 33, 34, 35. & 43. e *Numer.* 28. 9, 10.

1 Itiner. l. 1. vid. pag. 69.

mum

mum, eumque ab epocha tali numeratum, a labore vel minimo vacantes, tranſigamus? Quomodo rationi convenir, ſeptimam temporis noſtri partem, a communibus vitæ curis & negotiis in tantum ſubtrahere, ut ne cibos parandi vel ignem accendendi licentiam nobis indulgeamus? Certe Gentiles, ratione ſola ducti, vix quicquam in Judæorum inſtitutis, magis quam ferias eorum ſeptiduanas, * riſum mereri judicarunt. [a] *Seneca* Judæis id imprimis probro vertit, quod *ſeptimam fere ætatis ſuæ partem perdant vacando.* Juvenalis etiam ſimile convitium Judæis ingerit, cum ait, SECT. X.

—— [b] *Septima quæque fuit lux*
Ignava, & partem vitæ non attigit ullam.

Et [1] Martialis, eodem ſplene *ſabbatarios*, quo alii *apellas*, Judæos appellavit. At Gentiles proculdubio tot probris & contumeliis Judæos, ſabbatorum ſuorum cauſa, nunquam affeciſſent, ſi boni vel juſti quicquam in ſeptimæ diei quiete percipere potuiſſent. Novi quidem, haud paucos mandatum quartum inter moralia collocare, quod certum aliquod tempus ad negotia religionis aſſignandum doceat. Hinc autem ratio illa vanitatis arguatur, quod nil opus eſſet ut Deus, cultum ſibi publice exhibendum præcipiens, ipſum cultus tempus aſſignaret. Nam cultus, æque ac cæteræ actiones humanæ, non magis ſine tempore, quam ſine loco, præſtari poteſt. Quid itaque Deus, non minus cultus publici tempus quam locum, eccleſiæ Judaicæ pietate & prudentia determinandum relinqueret?

(2°.) Præceptum quartum [qua præcipit, ut die quaque ſeptima, a tali exordio putata, feriemur] ceremoniale fuir & remporarium. Nil opus eſt ut huic veritati aſtruendæ multum ſudoris impendamus, cum Patrum pene omnium conſenſu ſatis aſtruatur. [c] *Juſtinus Martyr* ſabbatum inter Moſis inſtituta numerar, & Iſraelitis διὰ τὰς ἀνομίας καὶ τὴν σκληροκαρδίαν datum aſſerit. Affirmat etiam [2] *Tertullianus*, mandatum de ſabbato *non æternum, nec ſpirituale, ſed temporale fuiſſe, quod quandoque ceſſaret.* S. Chryſoſtomus hanc de ſabbato legem e numero τῶν ἐκ τῶ συνειδέναι ἡμῖν ἠκριβωμένων eximit, affirmans, quod ſit μερική τις καὶ πρόσκαιρος. Illi accedit [d] *Theodoritus:* de variis enim Dei præceptis mentionem faciens, τὸ μὲν ἐ μοιχεύσεις, &c. inquit, *non mæchaberis, non occides, non furaberis, & alia cum his conjuncta, alios quoque homines natura lex docuit:* τῆς δὲ τῦ σαββάτε φυλακῆς, ἐκ ἡ φύσις διδάσκαλος, ἀλλ' ἡ θέσις τῦ νόμε· *At ſabbati obſervandi, non natura magiſtra, ſed latio legis.* S. Auguſtinus, ſabbato nullam omnino in lege morali partem concedendam cenſet, in [3] Epiſt. ad *Galat.* cap. 3. Et [e] alibi, de decalogo loquens, hæc habet, [4] *in illis igitur decem præceptis, excepta ſabbati obſervatione, dicatur mihi quod non ſit obſervandum a Chriſtiano.* Er ſtatim poſtea, *an vero propter unum præceptum quod ibi de ſabbato eſt poſitum, dictus eſt decalogus litera occident, quoniam quisquis illum diem nunc uſque obſervat ſicut litera ſonat, carnaliter ſapit? ſapere autem ſecundum carnem mors eſt.* Profecto Patribus hiſce proſpectum eſt bene, quod in ſepulchris eorum quieti jaceant: ſi enim jam in vivis eſſent, ſeculi noſtri zelotæ convitiis & probris eorum canitiem conſpurcarenr, eosque e doctorum, epiſcoporum, ſanctorum, forſan & vivorum, albo delendos judicarent, quod ipſum decalogum decurtant, & ipſum ſabbatum, olim religionis præſidium & dulce decus habitum, de medio tollunt. Ut autem jam cœpta reſumamus: hæc Patrum ſententia, peculiari forma & ſtylo mandati quarti non parum confirmatur: cum enim cætera mandata brevitate quadam imperatoria tradantur, hoc in prima fronte Memento geſtat, & ut eo altius in Hebræorum animos deſcenderet, ſui rationem in medio continet. Atque inde S. Chryſoſtomus haud inepte colligit, præceptum quartum non eſſe legis naturæ partem aliquam, aut animis noſtris naturaliter innoteſcere. Nec e Patribus tantum, ſed & ſcripturis, rem ita eſſe facile colligendum eſt: nam *ſabbatum* [f] *pro homine* [i. e. hominis uſu & commodo] *non homo pro ſabbato*, factum dicitur; & ſabbatum ad [g] ſacrificiorum & hujusmodi ritualium inſtitutorum claſſem, a Domino noſtro revocarur. Scriptura de Legis inſtitutis & præceptis verba faciens, κεχωρισμένως ἐμνήσθη τῶν σαββάτων, ἐ συνάψας αὐτὰ τοῖς ἄλλοις δικαιώμασιν· *Sabbata ſeparatim memorat, neque ea cum aliis juſtificationibus conjungit*, quod obſervat [h] Theodoritus, ut ſabbatum ab inſtitutis

* V. 1. *Mac.* 1.41. a *Ap. S. Auguſt.* de civ. Dei. l. 6. c. 11. T. 7. col. 160. b *Satyr.* 14. 105.
c Pag. 173. d *Interpret.* in *Ezec.* 20. T. 2. p. 398. e Lib. ad *Marcellin. de ſpirit. & liter.* c. 14.
f *Marc.* 2. 27. g *Mat.* 12. 6, 7, 8. h In *Ezec.* 20. ub. ſupr.

1 Vid. lib. 4. Epigr. 4. Horat. ſerm. l. 1. v. 100. Juvenal. ſat. 14. v. 104. Perſ. ſat. 5. v. 184.
2 Vid. adverſ. Judæos, p. 187.
3 Vid. Tom. 3. P. 2. col. 953.
4 Tom. 10. col. 98, 99.

SECT. X. aliis longe disjunctum, nec eodem in cenſu ponendum, probet. S. Apoſtolus etiam, Judæorum Sabbata, eodem ordine cum neomeniis, legibus de cibo & potu, feſtis Judaicis, & hujusmodi legis inſtitutis, collocavit, & ea omnia [a] *bonorum futurorum umbras*, appellavit. Sed quid verba in re tam clara & teſtata perdimus?

(3°.) Non erat abſurdum aut inconcinnum, ut Deus ſabbato, licet inſtituto ceremoniali, locum inter tot leges morales aſſignaret. Nam decalogus, ſumma Legis totius, & fœderis cum populo initi, fuiſſe videtur: ideoque par erat ut præcepta moralia, judicialia, & ceremonialia, brevi quaſi tabella, ſimul exhiberet. Nec magis abſurdum aut rerum naturæ diſſonum videri debet, quod leges diſſimiles, in decalogo, quam quod in pentateucho, (nonnunquam intra pauca commata) commiſtas inveniamus. Sed ut rem acu tangam; præceptum quartum, cum cæteris primæ tabulæ præceptis, ratione finis, quamvis non ratione materiæ, maxime conveniebat. Nam omnia primæ tabulæ præcepta (quod antea oſtendimus) ad idololatriæ eradicationem, tanquam ſcopum primarium, dirigebantur. Is erat mandati primi, ſecundi, & tertii ſcopus & intentio, ut idololatria, ejusque ſpecies, media, objecta, & ſigna omnia, de medio tollerentur: ideoque mandatum quartum optime cum illis cohærebat, & in eorum ſocietatem concinne admodum aſcribebatur. Erat enim ſabbatum a Deo inſtitutum, ut illius obſervatio, creationis publica & realis profeſſio eſſet, adeoque opinionem illam de rerum æternitate radicitus excuteret, cui gentium idololatria præcipue nitebatur.

Argm. 6m. Sexto: hoc etiam in adverſum dici poteſt, quod in præcepto quarto, ſabbati inſtitutio rationi plane diverſæ, Dei nempe die ſeptima quieſcentis exemplo, clare tribuatur. Atque inde colligi ſolet, mandatum quartum, utpote ratione morali & perpetua fundatum, morale eſſe, nec *Jacobi* ſolummodo, ſed omnes *Adami* filios, in perpetuum obligare.

Respondeo: rationem proximam quidem & immediatam inſtituti ſabbati, fuiſſe Dei exemplum ab opere ſuo die ſeptima quieſcentis, ex ipſis mandati verbis manifeſtum fateor; at ratio ultima fuit, non ut Judæi, a labore die ſeptima feriantes, Dei exemplum ſequerentur, (quid enim Deum in re tam levi & prorſus adiaphora ſibi imitandum proponerent?) ſed ut eorum labor & quies ad Dei operantis & quieſcentis exemplum compoſita, ſignum luculentum extaret eos fidem creationis ſex diebus abſolutæ retinere, eosque ſolum creatorem, ſeptimo quieſcentem, venerari. Veritatis hujus ignorantia tot errores in ſabbati doctrina peperit: nam [ut alios mittam] e ſabbati ratione quarto mandato tradita, perperam intellecta, colligit [1] *Curcellæus* aliique, mandatum illud juris perpetui eſſe, & eadem religione qua & reliqua mandata, ab omnibus mundi incolis obſervandum. Et certe, ſi vim & momentum omne rationis quarto mandato redditæ, in mero Dei exemplo die ſeptima quieſcentis, ſitam eſſe ſentiamus, neceſſario dicendum cum *Curcellæo*, illius obſervationem omnibus terræ incolis pariter incumbere; & eccleſiam Chriſtianam auctoritatis ſibi concreditæ limites tranſilire, ſabbatum a die ſeptima ad primam, contra diſerta Legis verba, transferendo. Sed longe aliter ſe res habet, atque ille aliique ſentiunt: quamvis enim, ſi mandati quarti corticem & ſuperficiem tantum intueamur, Dei ſabbato quieſcentis exemplum, tanquam unica ſabbati ratio reddi videatur; ſi mentis aciem in interiorem mandati ſenſum & intentionem dirigamus, facile percipiamus longe aliud in eo contineri; nempe, ut Judæi, laborem & quietem ſuam ad Dei laborantis & quieſcentis exemplum conformantes, ſe Jehovam ſummum cœli terræque creatorem colere, tanquam ſigno & pignore dato, teſtarentur. Neque hoc e probabili tantum conjectura, ſed aperta ſcriptura, loquor, *Exod.* 31. 16, 17. *Et filii Iſrael cuſtodient ſabbatum in perpetuum,------ ſignum eſt inter me & filios Iſrael,------ quia ſex diebus fecit Dominus cælum & terram, & die ſeptimo ceſſavit*, &c. Hic locus haud obſcure docet, ideo ſabbatum obſervari debuiſſe, nempe quod ſignum eſſet inter Deum & Iſraelitas; ideo vero ſabbatum ſignum fuiſſe, quod Deus, in primo rerum exordio, ſex dies operi ſuo, ſeptimum quieti conſecravit. Hujus itaque textus luce pateat, ſabbati rationem, ab exemplo Dei ſeptimo die quieſcentis arceſſitam, non eſſe præcipuam, ſed rationem ulteriorem, eamque mere ceremonialem, in ſeipſa continere.

Argm. 7m. Septimo: id etiam (objiciat quispiam) opinioni noſtræ reluctari videtur, quod ſcriptura ſacra ſabbati obſervandi rationes, noſtræ diſſimiles, aſſignaverit: nempe (1°.)

a *Coloſſ.* 2. 16, 17.

1 Vid. Diatrib. de eſu ſanguin. cap. 6. p. 955.

ut

ut ille dies otii ſervos reficeret, ſub oneribus ante actæ ſeptimanæ pene fatiſcentes. Hac de cauſa ferias haſce ſeptiduanas inſtitutas, e Scriptura diſcitur, *Exod.* 23. 12. *Sex diebus facies opera tua, & in die ſeptimo ceſſabis, ut requieſcat bos tuus, & aſinus tuus, & reſpiret filius ancillæ tuæ, & peregrinus.* (2°.) Ut ſabbati quies, redemptionem ex Ægypto, ubi Iſraelitis nunquam quietis eſſe licuit, in memoriam ſæpe revocaret. Deum ideo Judæis hæc otia ſacra feciſſe, docet Moſes, *Deut.* 5. 15. *Memento quod & ipſe ſervieris in Ægypto & eduxit te inde Dominus Deus tuus.* &c. על כן ſeu διὰ τοῦτο (uti LXX) *idcirco præcepit tibi Dominus Deus* ut obſerves *diem ſabbati.* (3°) Ut tempus eſſet, a communibus vitæ curis & negotiis, Deo & religioni ſolenniter ſeparatum. Ratio hæc ex ipſo quarto mandato, diei ſeptimæ *ſanctificationem*, hoc eſt, ad uſus ſanctos applicationem, exigente, ſatis intelligitur. Nam *hæc eſt ſabbati ſanctificatio*, (quod e [a] Rabbinis nonnemo) *ut mens humana in eo non incumbat rei alicui profanæ, ſed tantummodo rebus ſanctis.* (4°.) Ut quovis ſabbato in memoriam ſervitutis Ægyptiacæ redeuntes, ipſi cogitarent quam dura ſervitus eſſet, & proinde ſervos & advenas humane tractare diſcerent. Nam Deus hone etiam, inter ſabbati fines, refert —— [b] *Ut ſervus tuus quieſcat & ancilla tua æque ac tu;* addens, *& memento quod tu ſervus fueris in Ægypto.*

Rejicitur.

Objecta hæc omnia facili negotio diluantur. Nam (1°.) Quanquam ſabbatum eo præcipue conſilio datum fuerit, ut illius obſervatio uſum ſigni præſtaret, creationis memoriam renovans, & creatoris ſollus cultores indicans; non tamen inficias iverim, quin ſervorum refrigerium, duram ſub dominis Judaicis ſervitutem ſæpe ſervientium, inter ſabbati fines *ſecundarios* habeatur. *Secundarios* haud imprudens dixi: ſi enim die primo ſolennitatem ſabbaticam obſervaſſent, eandem ſervis & ancillis quietem & refrigerium attuliſſet.

(2°.) Pari facilitate difficultatem proximam expediamus: nam ſabbatum, quatenus erat unus dies e ſeptem poſt ſex dies laboris otio conſecratus, creationis imaginem quandam geſſit, & illius obſervatio creationis fidem Judæorum animis altius inhærentem indicavit: ſed quatenus hic eſſet, & non alius, ſeptimus, redemptionis ex Ægypto monimentum extitit; & illius obſervatio, Judæos Deum ſub peculiari illo redemptoris titulo colere ſignificavit. Haud enim ſine cauſa creditur, Judæos diem ſeptimum, numeratione a liberatione ex Ægypto inchoata, pro ſabbato coluiſſe. Probe novi, Maimonidem & Hebræos alios Exodum & Deuteronomium alia ratione conciliare ſolitos: nempe diſtinguunt cauſam, cur quies, & cur hoc die, Judæis imperata ſit: cauſa prior (ſi fidendum ſit illis) in [c] Deuteronomio exprimitur, poſterior in præcepto quarto, quo ſignificatur, inquiunt, Deum hunc ſeptimum elegiſſe, quod eo die res mundi condere deſiiſſet. Rem totam lectori judicandam trado.

(3°.) Non multum nos urget ratio tertia: cuivis enim Hebraiſmo vel leviter tincto ſatis innoteſcit, omne ſeparatum מעסקי העולם *a quovis negotio ſeculari* & uſu vulgari, ſanctum dici. Hoc ſenſu ſabbatum *ſanctificari* dicitur, quod ſcilicet uſibus humanis eximendum eſſet, &, præter morem dierum vulgarium, totum quieti & hilaritati modeſtæ conſecrandum. Hic ſenſus vocis *Abarbaneli* placuit, ſic quartum præceptum explicanti: קדש והבדיל לכבוד ולתפארת את יום השביעי וגו [d] *Sanctificavit & ſeparavit in honorem & decorem, diem ſeptimam, quoniam in ejus adventu perfectum eſt & conſummatum opus cœli & terræ; quemadmodum etiam homo, ubi opus quid magnificum præſtiterit, convivium facit & diem feſtum.* Iſraelitas antiquiores hac præcipue ratione ſabbata ſanctificaſſe, me perſoaſum habeo, quod Lex eos ad otium ſabbatis obſervandum arctiſſime devinciat, & quodvis aliud officium pietatis in ſabbato præſtandum obſcurius & occultius exprimat. Sed hac in re nihil eſt quod multom laborarem, cum cauſa mea nihil detrimenti capiet, modo populum Iſraeliticum, non otio tantum, ſed & accurata pietate ſabbatum celebraſſe dixerim: quid enim diem præcipue ſeptimum tam ſancte pieque tranſigerent Iſraelitæ, niſi ut hac ratione ſignificarent ſe non tantum mundi conditorem, ſed & *Sanctum Iſraelis* colere, & eorum Deum a gentium numinibus, non minus puritate quam potentia diſcretum & ſeparatum.

(4°.) Ratio ultima cauſæ meæ obeſſe non poteſt, cum ipſa hac luce clarius ſit, Deum ideo præcipue legem de ſabbato tuliſſe, eamque ſæpius inculcaſſe, ut ejus obſervatione perpetua, notitia mundi a Deo conditi firmiter Hebræorum animis imprimeretur. Non renitor tamen quin ratio ſecundaria fuerit, ut otium ſabbaticum eos redemptionis a domo ſervitutis admoneret, & ad humanitatem informaret. Hoc argu-

a *Ap. Selden. de jur. Nat. & Gent.* l. 3. c. 13. b *Deut.* 5. 14, 15. c C. 5. 15. d *Comment. in Exod.* 20.

SECT. X. mentum itaque claudant [a] Græci Patris verba: Πολλὰ ὠφέλει τὸ σάββατον καὶ μεγάλα· ἡμέρους ἐποίει πρὸς τοὺς οἰκείους καὶ φιλανθρώπους· ἐδίδασκεν αὐτοὺς τοῦ Θεοῦ τὴν πρόνοιαν καὶ τὴν δημιουργίαν· ἐπαίδευεν αὐτοὺς κατὰ μικρὸν ἀπέχεσθαι πονηρίας, καὶ τοῖς πνευματικοῖς προσέχειν παρεσκεύαζεν. Obſervatio *ſabbati*, populo *multas & magnas utilitates attulit: mites enim & humanos, in domeſticos* eorum *reddidit: providentiam Dei & rerum creationem docuit: eos ad aliqualem ab idolis abſtinentiam erudiit, & ad res ſpirituales attendendas præparavit.*

Object. 8. OCTAVO: non pauci hunc etiam arietem ad ſententiam meam convellendam admovere ſolent: Deus, inquiunt, diem ſeptimum, ab ipſis rerum initiis, operum vacatione celebrari juſſit, ut homines, a vitæ curis & negotiis liberi, religionem ἀπερισπάστως exercerent. Nam inſulſum eſt opinari, nullum omnino tempus ad religionis munia publice obeunda, per annos bis mille præſtitutum fuiſſe. Deus itaque, non ſeculi Moſaici conditione, vel peculiari aliquo in Iſraelitas affectu, ſed rei neceſſitate motus, in ipſo mundi naſcentis exordio ſabbati cultum præſcripſiſſe videatur.

Diluitur. NON me latet, hoc argumentum a nonnullis maximi habitum, quaſi cultus omnis e rebus, ante Moſis tempora, periiſſet, niſi Deus diem aliquem certum fixumque ad ſacra publica curanda ſolenniter aſſignaſſet. At vero non magis neceſſe erat, cultus publici tempus quam locum præſcribere, cum utraque cultus tantum adjuncta ſint, non partes. Multa pietatis officia nobis Chriſtianis injunxit Deus, tempus tamen & præſtandi locum in noſtra poteſtate & arbitrio poſuit. Hæc enim, in ſe ſpectata, non ſunt de eſſentia religionis, & ab eccleſia, ordinis potius quam neceſſitatis intrinſecæ cauſa, determinantur. Cum etiam Deus, ſtatim a mundo condito, ſibi cultum publicum exhiberi præcepiſſet; nil opus erat ut tempus aut locum lege lata definiret: nam proculdubio Patriarchæ, (cum res ferret) utraque determinare vellent, ut eorum diſcipulis conſtaret, ubi & quando ad Deum publice colendum convenirent. Nec magis abſurdum eſt opinari, Deum cultus publici tempus, Patriarchis, quam ſabbati ſanctificandi modum, Iſraelitis, determinandum reliquiſſe. Sed hac de re, data occaſione magis commoda, paulo fuſius acturi ſumus.

Arg. 9m. NONO: dici poteſt, opinioni noſtræ refragari teſtimonia, apud Judæos & ethnicos paſſim obvia, e quibus apertum eſt, gentes exteras diem ſeptimam ſacram habuiſſe, & ſeptimanæ uſum, in temporibus diſtribuendis, ab ultima vetuſtate, inter eas obtinuiſſe. Hinc autem, non ſine ſumma veri ſpecie colligendum eſt, ſabbatum rerum initiis fuiſſe coævum, & illius notitiam rudiorem a communibus mundi parentibus ad eorum poſteros [a republica licet Iſraelis alienos] dimanaſſe. Ideoque ſabbatum primo per Moſen, idque ſolis Iſraelitis, loco ſigni, traditum, adverſante communi gentium uſu & hiſtoriæ fide, dixiſſe videamur.

Refutatur. HOC argumento nos urgent, [1] *Eatonus*, [2] *Walæus*, aliique doctrinæ ſabbatariæ propugnatores; quod iis vero quam ſimillimum videatur, hunc gentium morem a reliquiis quibuſdam fere obliteratæ inſtitutionis proveniſſe, quæ ab initio mundi omnibus communiter innotuerat. Ut autem huic objectioni plene ſatisfiat, nil opus eſt ut ipſe vel ad primum ruborem laborarem: nam [b] auctor ultra ſolitum doctus, illa Judæorum & ethnicorum, quibus hoc nititur argumentum teſtimonia congeſſit, eorum momenta ſigillatim & penſius examinavit, & abunde probavit, ethnicos de ſabbato ne per ſomnia cogitaſſe, licet aliquando ſeptimæ diei ſanctitatem aliquam tribuere videantur. [c] *Gomarus* etiam teſtimonia illa ſollicite penſitavit, qui lectori laboranti ſuppetias ferat, ſicubi *Seldeni* diligentia deficere cenſeatur. De his itaque, poſt *Gomarum* & *Seldenum*, plura dicere, hominis eſſet fruſtra diligentis: ſic enim hac provincia defuncti ſunt illi, quod hic omnibus otiandi libertatem dederint. Si quis autem hæreat adhuc, in memoriam revocet modo laudata [d] *Juliani* verba, quibus aperte dicit, non magis uſum ſabbati, quam unius Dei cultum, inter ethnicos obtinuiſſe.

Argm. 10m. DECIMO: argumentum ultimum quo ſententiæ noſtræ fidem labefactare conantur adverſarii, ab origine ſabbati peti ſolet. Sabbatum, inquiunt, in ſignum uni populo dari non potuit, quod aperte dicat Moſes, Deum tum primum diem ſeptimam in ſabbatum conſecraſſe, cum creationis operi manum ultimam impoſuiſſet, *Geneſ.* 2. 2, 3. *Quum autem, perfeciſſet Deus, die ſeptimo, opus ſuum, quod fecerat, quievit die ſeptimo, ab omni opere ſuo quod fecerat. Et benedixit Deus diei ſeptimo, & ſanctificavit ipſum.*

a *S. Chryſoſt.* in Cap. 12. *S. Mat. Hom.* 40. T. 1. p. 458. b *Selden. de jur. nat. & gent.* l. 3. capp. 13, 14, 15, 16, 17, 18. &c. c *De ſenr. & orig. Sab.* cap. 4. d Pag. 70.

1. Vid. inquiſ. de ſabbat. quæſt. 1. de inſtitutione.
2. De ſabbat. inſtitut. T. 1. cap. 2. p. 278.

Huic

Huic eo ſecurius innituntur teſtimonio, qood in *Exodi* 16. ſabbati, tanquam inſtituti inter Iſraelitas celebris & probe noti, fiat mentio; & ibi cautum ſit ne ſabbatum mannæ collectione violetur, quaſi jam olim, cum nempe rerum cœpit univerſitas, inſtiturum notumque fuerit: nam texrus verba ſic habenr, ver. 23. *Illud* eſt *quod dixit Jehovah, quies ſabbati ſancti, eſt Jehova cras; quod coċturi eſtis, coquite:* & ver. 25. *Dixitque Moſes, comedite illud hodie: nam ſabbatum hodie* eſt *Jehova.* Ut autem hoc argumentum paulo firmius evadat, illud ratione communire ſolent: nam [a] inquiunt, ſi a prima rerum origine ſabbatum non fuerit inſtitutum, & ultimus dies e ſeptem quieti conſecratus, quomodo creationis fides & creatoris memoria, patriarcharum tempore, retineri potuit; aut quomodo ſabbatum in ipſum quietis divinæ diem, Moſis rempore, potuit incidere, ſi ex continua ſabbatorum ſucceſſione, ad ea uſque tempora, id non animadverſum & notum fuerit? Sect. X.

Huic ſimplici, triplici, argumento, quam potero breviſſime reſpondebo: ex illo Geneſeos loco imbelle argumentum cuditur, ad eam ſabbati antiquitatem ſtatuendam quam fingunt adverſarii. Quamvis enim *benedictio* & *ſanctificatio* ſabbati, narrationi de abſoluta mundi creatione proxime ſubjiciatur, eam ramen tum temporis accidiſſe, nec aſſeritur, nec e loci circomſtantiis evinci poreſt. Deus enim, diu antequam Moſes hæc ſcriberet, nempe paulo poſtquam ex Ægypto populum eduxiſſet, in memoriam creationis, diei ſeptimo benedixerat & ſanctificarat. Moſi vero viſum eſt, hujus hiſtoriæ occaſio, actionem tam ſolennem reponere; partim ut indicaret, hanc abſolutæ creationis, & creatoris die ſeptimo ceſſantis hiſtoriam, perpetua populi memoria retinendam; partim, quod Moſes in Pentateucho [creationis hiſtoria præſertim] ea præcipue referre & inculcare ſtatuiſſet, quæ ad ſeculi ſui idololatriam a radicibus imis evellendam maxime valerent & ſpectarent. Ideo enim, cap. 1. *rerum principium* memorat, & Deum, cœlum, ſolem, lunam, & ſydera, creaſſe refert; & cap. 2. Iterum Deum, *cœlum, & terram, & omnem eorum exercitum perfeciſſe* dicit, diei etiam ſeptimo, quo a creationis opere ceſſavit, *benedixiſſe & ſanctificaſſe*; ut idololatriam tunc paſſim obtinentem aboleret, & [illius radicem] opinionem de rerum omnium æternitate, ex hominum animis extirparet, eoſque ad diem ſeptimum [creationis monimentum] ſancte & ſolenniter obſervandum excitaret. Elevatur.

Argumentum e verbis Exodi petitum (*ſabbatum ſanctum* eſt *Jehova cras*) haod multo negorio ſolvitur. Nam chaſma, in hebræo inter *Sanctum* & *Jehova* interpoſitum, non verbo Est (cui nititur objectum argumentum) ſed Erit, ſuppleri debet. Nempe textus de ſabbato cras futoro loquitur, cui vox *erit* apprime convenit. Nec magis nos urgent ſequentia Moſis verba, *ſabbatum hodie eſt Jehova*; nam ea de ſabbaro proferuntur, ut prædictione Moſis noto jam reddito; non ut ante Moſem celebri, cum nullum celebritatis illius indicium in hiſtoria præcedente reperiatur.

Neque ratio ſuperius adducta cauſam adverſam proregit, cum patriarchæ, ſabbati luce deſtituti, traditionis lampade (ne dicam naturæ cultioris lumine) creationem & rerum originem percipere poſſent. Hanc rem clariorem reddunt mutuata [b] *Gomari* verba: *quum Adamus, pridie diei ſeptimi a quietis divina, viribus & ratione valens, creatus fuerit: quomodo id ignorarit? Quumque diu cum Methuſalacho: & hic, cum Semo, Semus denique cum Abrahamo & Iſaaco, vixerit: quidni potuerunt dierum creationis, & ſeptimi quietis divina, meminiſſe; & idoneis temporibus Deum colere, & ad poſteros, illam temporum notitiam, Deique cultum propagare, etiamſi ſeptimi diei cultus abfuerit?* His addo, quod patriarchæ, ne memoria creationis intercideret, Deo *ſummi creatoris* titulum, ſermone vulgari, tribuiſſe videantur. Nam Melchiſedecus Abrahamo benedicens, dixiſſe fertur, [c] *benedictus ſit Abram Deo altiſſimo,* קנה *cœli & terra*: & Abram regem Sodom alloquens, *levavi*, [d] inquit, *manum meam ad* Dominum *Deum altiſſimum,* קנה *cœli & terra.* Locis hiſce duobus, interpretes Anglicani quidem, magna comitante doctorum caterva, vocem קנה *poſſeſſorem* transferunt: at ratione non ona motus, huic voci *creatoris* ſignificatum potius, utroque in textu, tribuendum exiſtimarem. Nam primo, LXX mecum hic faciunt, ſic locum transferentes: Εὐλογημένος Ἀβρὰμ τῷ Θεῷ τῷ ὑψίστῳ, ὃς ἔκτισε [qui condidit, creavit] τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. [e] Maimonides etiam hanc interpretationem ſuo dignatur patrocinio: nam ut probet Abrahamum doctrinam illam, de rerum principio & mundi novitate, propagaſſe; *hinc eſt*, inquit, [f] *quod invocavit nomen Domini Dei mundi*: *huc etiam reſpicit, dum ait*, [g] *creatorem cœli & terra.* Deinde, ſen-

a *V. Waleum de Sab.* cap. 2. p. 281. b *De ſab.* c. 4. ſ. 21. c *Gen.* 14. 19. d 22. e *Mor. Neb.* P. 2. c. 13. f *Gen.* 21. 33. g *Gen.* 14. 22.

SECT. XI.

ſus ille magis auguſtus eſt, & mori ſcripturæ conſentaneus; Deus enim in ſacra pagina, multo frequentius [a] cœli terræque ſactor aut *creator*, quam poſſeſſor appellatur. Neque hic ſilentio prætereundum, quod LXX כנני (vocem ejuſdem familiæ) *Prov*. 8.22. per ἔκτισέ με, [1] & Chaldæus per בראני *creavit*, interpretentur. Hujus itaque rationis vires fregiſſe videamur. Neque ſecundam multo firmiorem experiemur: quamvis enim ipſe dies abſolutæ creationis Iſraelitas in Ægypto latuiſſet, diem quietis divinæ celebrare poſſent, poſtquam Deus ipſum *ſabbatum* ejus, [b] *per manum Moſis*, iis indicaſſet, aut diem illum quem pro ipſo quietis ſuæ tempore ſolenniter obſervari voluit.

SECT. XI.

Cur Deus SABBATUM *pro ſigno dederit.*

Duæ rationes aſſignantur.

CUM Deus circumciſionem inſtituerit, ut ſignum eſſet, quo Iſraelitæ ſe Deo fœdere conjunctos indicarent, & a quavis gente ſtigmatis idololatricis inuſta diſcernerentur; cum etiam tot ceremonias ſanxerit, ut cultus, ritu præſcripto præſtitus, indicio eſſet, Iſraelitis Jehovam, non Dæmonem aliquem, venerari; nonnullorum forſan animos mirari ſubeat, cur Deus SABBATUM etiam ſigni loco dederit, & in illius violatores (quamvis alia legis præſcripta religioſe curarent) vindictam tam ſeveram ſemper exercuerit. Ut itaque huic argumento lucem paulo majorem afferam, rationes duas adjicere viſum eſt, cur Deus ſabbato etiam, inter ſigna & inſtituta ejus oſtenſiva, locum aſſignaverit.

Prima.

PRIMO: ut ipſius inſtituta ſeculi mori & ruditati (qua licuit) accommodaret. Quantum enim de remotiſſimæ vetuſtatis moribus conjicere vel judicare datum eſt, ſabbatum *quatenus dies Deo ſacer*, *quatenus dies otii*, & *quatenus cultus ſolennioris dies*, ſummum cum receptis gentium antiquiorum moribus conſenſum coluit.

(1°.) QUATENUS *dies Deo ſacer*. Nam ab omni ævo Gentibus in morem abiiſſe videtur, non minus certa tempora quam certa loca numinibus ſuis, honoris cauſa, conſecrare. Hunc morem ſpectat forſan inſignis ille locus, *Levit*. 19. 30. *Sabbata* MEA *colite*, *& ſanctuarium* MEUM *reveremini*: ibi enim textus emphaſin & quaſi aculeum in voce *mea* ſitam arbitror: quaſi dixiſſet Deus, "ſua habent Gentes ſabbata "& ſanctuaria [peculiaria quædam otii ſacri tempora & cultus loca] Diis ſuis ſolen-"niter dicata: vos autem tempora & loca ſacra a meipſo conſtituta ſancte habeatis, "nec curetis tempora vel loca Gentium numinibus conſecrata. Hujus etiam moris antiquitati teſtimonium præbet *Herodotus*, qui, priſcos Ægypti mores exequens, hæc habet, [c] Καὶ τάδε ἄλλα Αἰγυπτίοισί ἐστι ἐξευρημένα. μείς τε καὶ ἡμέρη ἑκάστη θεῶν ὅτευ ἐστί· καὶ τῇ ἑκάστος ἡμέρῃ γενόμενος, &c. *Alia etiam ſunt ab Ægyptiis excogitata: quis menſis dieſve cujus Deorum ſit, & quo quis die genitus*, &c. quibus verbis *Herodotus* reſpicere creditur ad Ægyptiorum morem qui ſeptem dies hebdomadis ſeptem planetis conſecrabant, & planetarum (id eſt, numinum ſuorum) nominibus ad dies denominandos & deſignandos utebantur. Nam apud doctos pro certo habetur (ſi quid in tanta vetuſtate certum) morem illum planetarum nomina ſeptimanæ diebus imponendi, natales ejus Ægypto debuiſſe, & e vetuſtis Ægypti moribus, ad Græcos, Romanos, tandem & alias Europæ gentes, dimanaſſe. Et ſane hac de re vix ullam dubitandi anſam relinquunt plurima illa quæ [d] *Seldenus*, [e] *Sherlogus*, aliique, ad fidem huic rei faciendam afferunt argumenta. Eandem dies menſeſque Deorum nominibus inſigniendi conſuetudinem, apud Germanos, Belgas, Danos, Anglo-Saxones, & alias ex Europa gentes, olim viguiſſe, multis [f] docet auctor jam laudatus, ad cujus fontes integros lectorem amandare liceat. Non eo hæc dico, quaſi me perſuaſum haberem, Ægyptios aut alios, ætate Moſis, dies hebdomadis planetis dicare vel eorum nominibus inſignire ſolitos: nam utut hæc ſe res habeat, e dictis intelligatur, Ægyptios & alios idololatras, dies aliquos Diis ſuis ſacros voviſſe, vel ſaltem religionem illam rationi conſonam exiſtimaſſe.

a *Pſ*. 121. 2. & 124. 8. & 134. 3. b *Nehem*. 9. 14. c. l. 2. §. 82. d *De jur. Nat. & Gent*. l. 3. c. 19, 20, 21, 22. e *Antiq. Heb*. l. 2. *Diſſer*. 1. §. 11. f *Ub. ſupr*. cap. 22.

1 Chaldæi interpretantur בברא de *generatione* Job. 3. הרה, Targ. אתברא *conceptus eſt*. Ob verſionem proinde LXX, Arrius Chriſtum vocabat κτίσμα ἐκ τῶν μὴ ὄντων. ſed legendum ἐκτήσατο *poſſedit* — ita Schindler in voc. קנה — apud Aquilæ verſionem legere eſt, ἐκτήσατό με. Et commentarium illum in loc. qui S. Hieronymi nomen falſo præ ſe fert. *poſſedit*. vid. Tom. 5. p. 539. Qui plura vult, conſulat Flam. Nobilium in LXX. & notas Lam. Bos in loc.

(2°.)

(2°.) Quatenus *dies otii.* Prout enim Judæis, ita & Gentilibus, ſui erant dies ἐργάσιμοι, ſeu rebus agendis idonei, quibus nempe opus aliquod facere, per mores & leges licuit; & dies ἑορτάσιμοι ſeu feſti, quibus mos erat [a] τὰς ἱεροποιΐας μετὰ ἀνέσεως ἑορταστικῆς ποιεῖσθαι, *ſacra peragere cum laborum intermiſſione feſtiva.* Nam hujusmodi feriæ (uti Romanorum vulgo creditum) multiplici operum genere polluebantur. *Quapropter*, inquit [b] Servius, *pontifices*, feriis *ſacrificaturi*, *præmittere* Calatores *ſuos ſolent, ut ſicubi viderint opifices adſidentes*, *opus* fieri *prohibeant; ne pro negotio ſuo, & ipſorum oculos & Deorum ceremonias attaminent. Feriæ enim, operæ Deorum creditæ ſunt.* Utcunque Gentilium diſciplinam, hac in re, Judaica multo mitiorem fuiſſe, e Virgilio diſcimus, quando [c] ait, SECT. XI.

Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus
Fas & jura ſinunt: rivos deducere nulla
Relligio vetuit: ſegeti prætendere ſepem,
Inſidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio merſare ſalubri.

Gentium autem religionem, in feriis opera quamplurima ad vitæ commodum ſpectantia vetuiſſe, nos docuit [d] *Columella*, qui & opera illa enumeravit. Dies itaque Gentium feriati, hac in re cum die ſabbatico non male conveniebant, quem [e] *Iſidorus Peluſiota* ἀνέσεως καὶ ἀφέσεως ἡμέραν, *recreationis & remiſſionis diem* merito appellavit. Gentes autem dies hoſce feriatos in honorem Deorum, priusquam Deus diem ſabbaticum inſtituiſſet, obſervaſſe cenſeantur. Rationes meas ſtatim in medium afferam, ne ſententiam illam temeritate credula, (forſan & profana) tueri videar.

(3°.) Sabbatum etiam, *quatenus cultus ſolennioris dies*, a Gentium more non multum receſſiſſe putetur. Nam ſacra quædam peculiaria fuerunt, ex præſcripto legis in ſabbato Judaico peragenda: nec apud ethnicos, dies numinibus ſacri religione ſua caruere. Hoc e [f] monito illo perantiquo cognoſcitur, quod in oratione Pythagoræ tributa reperimus; Ἀφροδίτῃ τὶ θυσιάζειν τῇ ἕκτῃ, *Veneri ſacrificandum ſexta*, die nempe ei ſacra, & illius nomine inſignita. Moris hujuſce teſtimonium multo vetuſtius præbet Apollinis oraculum, quod [g] Euſebius e Porphyrio hauſit.

Κλήιζειν Ἑρμῆν, ἠδ' Ἠέλιον κατὰ ταῦτα
Ἡμέρῃ Ἠελίου· Μήνην δ' ὅτε τῆσδε παρείη
Ἡμέρῃ, ἠδὲ Κρόνον, ἠδ' ἑξείης Ἀφροδίτην·

Invoca Mercurium, & pariter Solem die Solis. Lunam itidem, eum aderit ejusdem dies, & ſimili modo Saturnum & Venerem. [i] Nec abſimile eſt vero ſolennes Turcarum conventus die Veneris agi ſolitos, originem ſuam a [h] Saracenorum aut Arabum moribus accepiſſe, qui die illo conventus ſuos in honorem *Veneris* [numinis ſui præcipui] celebrabant.

E ſuperius adductis evincitur, illum dies aliquot numinibus conſecrandi morem, a vetuſtiſſima rerum ethnicarum memoria inter gentes obtinuiſſe, & Judæorum ſabbata gentiumque ferias affinitate non admodum remota ſe invicem attigiſſe. A ratione itaque minime diſſentit Deum etiam diem aliquem ſibi conſecrari voluiſſe, quod hæc inſtitutio moribus olim receptis conveniret, & nihil in ſe haberet, quod nimia ſua inſolentia rudem populum irritare poſſet. Quin & par erat, ut Deus ſeculi ſuperſtitionem in pietatem converteret, & hominum ſtultitia ad animarum ſuarum ſalutem uteretur.

Secundo: Deus ideo forſan ſabbatum Iſraelitis ſigni loco dedit, quod in ſabbato conditiones omnes in ſigno requiſitæ conſpirarent. Nam,

(1°.) Si ſabbatum ſpectemus, quatenus otii diem numini ſacrum, ſignum uſitatum & proinde populi ruditati cumprimis accommodatum fuiſſe videatur. Si enim omnis ævi faſtos percurramus, facile comperiamus, ethnicos ferias quasdam in Deorum ſuorum honorem indixiſſe, eosque temporis alicujus dedicationem inter ceremonias ſacratiores, quibus Deo alicui cultum deferrent, antiquitus habuiſſe. Ut alios jam taceam, Romanos Deorum ferias & ſemi-ferias habuiſſe (prout Deos ſuos majoris aut mino-

a *Strab. Geogr.* l. 10. p. 716. b Ad *Georg.* l. 1. c *Georg.* l. 1. v. 268. d *De re ruſt.* l. 2. c. 22. e Lib. 1. Ep. 71. f *Jamblic. de vit. Pythag.* c. 28. g *Præp. Ev.* l. 5. c. 14. h Vid. *Seld. de jur. nat. & Gent.* p. 448. & de Diis *Syr. Synt.* 2. c. 4.

i Selden diverſa eſſe ſententia videtur, his verbis, *certo perſuaſum habeo cum Scaligero, Hegira antiquius eſſe, etiam ſub nomine Giuma, feſtum illud. Sed an a Saracenico cultu Veneris derivandum (quod & olim exiſtimavi ipſe*, de Diis Syr. Syntagm. 2.) haud parum dubito. *Antiquius eſſe*, ex Alcoran. tit. 62. *videtur.*

ris æſtimarent) res adeo nota eſt, ut mentione leviuſcula vix digna cenſeatur. Cum itaque in more eſſet, ferias in numinis alicujus honorem inſtituere; credibile videatur, Deum etiam ſabbati otia præcepiſſe, ut inſtituta ſua ad vulgi ſenſum & morem attemperaret, & populum Iſraeliticum a temporum & dierum Diis ethnicis ſacrorum obſervatione avocaret. Hoc eo probabilius exiſtimemus, quod ſcriptura de ſabbato, cum peculiari aliqua diſtinctionis nota, mentionem faciat. In ipſo quarto mandato: *recordare* השבת *illius* inſignis *otii* vel *ceſſationis*, *nam ſeptimus dies* eſt *ſabbatum* Domini *Dei* TUI, non *Deorum aliorum*. Et *Exod.* 31. 13. *Cuſtodietis ſabbata* MEA (ſignanter) quæ in Jehovæ, non idoli alicujus, honorem ſanciuntur: & *Exod.* 16. 23. *craſtino die requies* eſt *ſabbati ſancti Jehovæ:* quaſi dixiſſet, "ſunt equidem Dii multi, & "feriæ multæ: vobis autem unus erit Deus, & ſabbata ei uni ſacra obſervabitis.

(2°.) Sabbatum, quatenus dies quiſque ſeptimus eſſet, vacatione ab operibus in creationis memoriam celebratus, uni Judæorum genti proprium erat & peculiare. Hoc vel inde pateat, quod Judæi ad creatoris agnitionem vocarentur, cum reliqui per orbem terrarum homines, obliterata creationis memoria, in miſerabili creatoris ignorantia verſarentur. [1] *Ovidius* itaque ſabbata, *ſeptima ſacra* & *feſta*, *viro* tantum *Judæo* & *Palæſtino culta*, non minus vere quam jocoſe vocat. Hinc & ſabbata, utpote moris paſſim recepti devia & Judæorum genti propria, toties a Poetis & aliis e Gentilium grege tam petulanter illuderentur.

(3°.) Sabbatum ſignum erat manifeſtum, rei quam indicavit imaginem expreſſam & pene loquacem ferens. Ideo enim Deus diem ſeptimum tam ſacrum & ſolennem eſſe voluit, ut creationis memoriam ſubinde renovaret, ut illius obſervatione Judæi ſe creationis fidem tenere, Deum rerum omnium creatorem colere, & nihil ei coævum agnoſcere, profiterentur. Quodnam autem religionis hujuſce ſignum luculentius eſſe potuit, quam ſabbati ſolennis obſervatio, quod [a] Philo τῆς πρώτης ἀρχῆς ἐκμαγεῖον, *primæ rerum originis exemplar*, τὴν τοῦ κόσμου γενέθλιον ἡμέραν, *diem mundi natalem*, & τὴν ἑορτὴν τοῦ κόσμου γενέσιον, *feſtum natalibus mundi ſacratum*, appellavit?

SECT. XII.

Sabbatum, ad idololatriam eradicandam inſtitutum fuiſſe, & huic uſui variis rationibus inſerviiſſe.

Sabbatum præcipue ad idololatriam coercendam inſtitutum fuiſſe.

SABBATUM Hebræorum genti datum fuiſſe, ut ſigni vice fungeretur, iis argumentis oſtendiſſe videar, quæ a quovis non plane pertinaci aſſenſum exprimant. Argumenti ſcopus & ordo jam poſtulat, ut evincam, Deum ad idololatriam eradicandam ſabbatum inſtituiſſe, & ſabbatum variis rationibus, præcipue vero quatenus ſignum, huic fini & uſui inſerviiſſe. Ut itaque methodice præſens negotium exequar,

Probatur 5. argumentis.

Probandum eſt primo, Deum ad idololatriam abolendam Moſis ætate late graſſantem ſabbatum inſtituiſſe. Hoc itaque quinque ſequentibus argumentis effectum dabo:

Horum 1^m^. eſt, quod præcepta de fugiendis idolis & ſabbatis obſervandis toties in Scriptura conjuncta reperiantur: viz. *Exod.* 23. 12, 13. *Sex diebus facies opera tua, & die ſeptimo ceſſabis*, &c. *Et in omnibus quæ dixi vobis cauti eritis, & nomen Deorum aliorum non memorabitis, nec audietur ex ore tuo.* Et Levit. 19. 3, 4. *Sabbata mea ſervabitis, ego Dominus Deus veſter: ne convertatis ad idola, & Deos fuſiles ne faciatis vobis.* Et Levit. 26. 1, 2. *Non facietis vobis ſculptile, & ſtatuam non erigetis vobis*, &c. *Sabbata mea cuſtodietis.* Locus hiſce cognatus occurrit, *Ezec.* 20. 18, 19, 20. *In ſtatutis patrum veſtrorum ne incedatis, idolis eorum ne polluatis vos*, &c. *Et ſanctificate ſabbata mea.* Unde factum eſt autem, quod hæc duo præcepta (prima fronte plane diſſimilia) toties conjunguntur, niſi quod affinitatem proximam inter ſe colant, & Deus, idololatriæ præcipue cavendæ & eliminandæ cauſa ſabbatum inſtituerit? Cum re præſenti conjunctum eſt obſervare, quod præcepta de moribus ethnicis averſandis, & feſtis ſolennioribus obſervandis; tanquam leges congeneres, unita reperiantur. *Exod.* 34. 17, 18, 21. *Lev.* 19. 29, 30.

(2°.) Cultus idolorum & ſabbati violatio non minus frequenter in Scriptura ſa-

a Lib. *de Mund. Opiſi.* & lib. Περὶ τῶν δέκα λογ. p. 1178. & 1191.

1 De art. amand. lib. 1. verſ. 76.

cra

era conſociantur. Exemplo ſint loca pauca e multis facile producendis: *Ezec.* 20. 16. *In ſtatutis meis non ambulaverunt, ſabbata mea polluerunt, quia poſt idola ſua cor eorum gradiebatur:* & ver. 24. *Abjecerunt ſtatuta mea, violaverunt ſabbata mea, & oculi eorum fuerunt poſt idola patrum ſuorum.* Ezec. 22. 4, 8, 9. *Idolis quæ feciſti polluta es*--- *Spreviſti ſancta mea & polluiſti ſabbata mea: viri fraudulenti ad effundendum ſanguinem fuerunt in te, & in te comederunt ſuper montes*, &c. Ezec. 23. 37, 38. *Cum idolis ſuis fornicati ſunt,*------*polluerunt ſanctuarium meum in die illa, & ſabbata mea profanarunt.* Cum [a] Ahaz ad Deos & ritus alienos animum adjeciſſet, ſabbatum inprimis odio & contemptui habuit; & in ſignum contemptus *operimentum ſabbati*, quod dicitur, de medio ſuſtulit. His adjungere liceat locum illum Apocryphum, 1 *Mac.* 1. 45, &c. *Et multi ex Iſrael conſenſerunt cultui* regis, *& ſacrificaverunt idolis & polluerunt ſabbatum.* Unde factum eſt autem ut obſervatio ſabbati & cultus Jehovæ una ſtarent aut ruerent, & eodem quaſi fato plurimum uterentur; niſi quod notum eſſet, ſabbatum ad creationis fidem firmandam & idololatriam evertendam a Deo inſtitutum fuiſſe? Qui ſabbatum ad præſcriptum Legis obſervabat, omnia a Deo creata fuiſſe, *practice* profitebatur: ridiculum autem eſſet, ſolem, cœlum, & ſydera colere, ſi quis, e ſummi creatoris manibus ea non ita pridem prodiiſſe fateretur. Cum itaque gentes exteræ (ſi [1] *Juliano* jam citato credimus) omnia Decalogi præcepta, præter primum & quartum, cuſtodirent, non ſine ratione aliqua deliraſſe videantur.

(3°.) Tria reliqua primæ tabulæ mandata, ad idololatriæ abolitionem, veluti ſcopum præcipuum, dirigebantur. Primi & ſecundi mandati verba adeo aperta ſunt, quod ea idololatriæ abolitionem pro ſcopo habuiſſe, res confeſſa ſit, nec in ullam unquam adducta controverſiam. Nonnulli forte circa mandati tertii ſcopum hærebunt dubii: at & illud idololatriæ inhibendæ cauſa datum fuiſſe, facile conſtabit, ſi probari poſſit, Deum hæc duo in mandato tertio præcepiſſe: 1°. *Ne nomen ejus*, id eſt, *titulus, opera, vel attributa, numini alicui fictitio, verbis aut factis tribuatur.* 2°. *Ne juramentum idoli alicujus, ſed ſolius Jehovæ, nomine concipiatur.* De his autem ſatis inter tabulæ primæ præcepta, *pag.* 29, &c. Si autem Deus hæc tria mandata ad idololatriam evertendam dederit, æquum eſt opinari, quartum primæ tabulæ mandatum cæteris affine fuiſſe, & Deum illud etiam in remedium idololatriæ tradidiſſe.

(4°.) Deus, ſub vet. Teſtamento, honori ſabbati, præter cætera Legis inſtituta, proſpexiſſe; & homines, ad illius cultum, arctius & frequentius devinxiſſe, videatur. Obſervatum eſt [b] ſupra, Deum varias rationes iniiſſe, ut ſabbatis ejus honorem plane ſingularem conciliaret. Jam dictis hæc duo ſubnectere viſum eſt: (1°.) Sabbatum non tantum præceptum fuit, ſed tribus illuſtribus miraculis, per annos quadraginta durantibus, confirmatum. Rem hanc [c] *Gomari* verbis exprimo, cui obſervationem ipſam debeo: "*primum* fuit, quod Deus, in quietis ſabbati gratiam, pridie illius, duplex man- "næ demenſum, colligendum ac parandum, depluit: *alterum* vero, quod partem illius "demenſi, in ſabbatum usque depoſitam, præter naturam illius a putredine immunem, "cum populi & ducum ſtupore conſervavit, *Exod.* 16. 24. *Tertium* in eo ſitum eſt, "quod Deus ipſemet, die ſeptimo, a demiſſione mannæ illius ceſſavit, eumque a ſex "prioribus, ea ratione, ſecrevit. Unde perquam apte [d] Theodoritus ait, *quum illis ſo-* "*lis lege præcepiſſet quieſcere die ſabbati, docuit illos ipſo facto ſervare præceptum.* (2°.) Cum Deus advenas & proſelytos, a pleriſque aliis Moſis inſtitutis immunes feciſſet; ii tamen [e] præceptis & promiſſis ad legem ſabbati ſervandam adſtringebantur. E multis equidem magiſtrorum Judaicorum dictis, a [f] *Seldeno* noſtro citatis, aperte conſtat, ævi citerioris Judæos proſelytos tantum quos vocant *Juſtitiæ* (baptiſmo ſcilicet & circumciſione in eccleſiam Judaicam rite cooptatos) ad ſabbatum obſervandum aſtrictos exiſtimaſſe. Proſelytos domicilii (in qualecunque vitæ commercium admiſſos, nondum autem Judaiſmo ritibus jam dictis initiatos) non modo ſabbati lege ſolutos habuere, ſed pœnis graviſſimis obnoxios, ſi ſabbatum obſervarent. At vero Judæos antiquiores præceptum quartum multo conſultius interpretatos fuiſſe, & per *peregrinos intra portas*, exteros omnes in eorum regionibus habitantes intellexiſſe, ſatis e Græcorum verſione pateat. Hac enim paraphraſi *peregrinum qui eſt intra portas tuas* illuſtrant illi, Καὶ ὁ προσήλυτος, ὁ παροικῶν ἐν σοί· *Et advena, qui tecum habitat.* Et ſane paraphraſin illum confirmat

a 2 *Reg.* 16. 3, 18. b V. Pag. 71. c *De Sab.* c. 2. §. 6, 7. d In *Exod.* 16. *Qu.* 32. e V. LXX, in *Exod.* 20. 10. & *Iſ.* 56. 4, 6, 7. f *De Jur. Nat. & Gent.* l. 3. capp. 5. & 12.

1 Vid. Cyrill. contr. Julian. l. 5. p. 152.

Sect. XII.

ipſa loquendi formula: quid enim advena lege ſabbati ligatus, *peregrinus intra portas* dicitur, niſi ut a vere peregrinis [gentibus exteris] diſtinguatur, quibus nullus uſus cum Judæis interceſſit; & quibus crimen proſanati ſabbati nusquam in ſacris literis imputatum legimus? Hæc omnia cauſam opinandi non levem præbent, Deum, in remedium idololatriæ, ſabbatum inſtituiſſe. Quid enim Deus ſabbatum tot miraculis inſigne fecit, & in id tanto cum molimine (ſit venia verbis) incubuit, ut honorem plane ſingularem ſabbato conciliaret, niſi quod in illius obſervatione plurimum ad Legem confirmandam & idololatriam extirpandam momenti poneretur? Quid etiam Deus advenam omnem, licet incircumciſum, ſabbati quietem ſervare juſſerit, cum plerisque aliis legibus per Moſen datis[a] minime teneatur; niſi quod ſabbatum creationis index eſſet, & illius obſervatio, realis idolorum abdicatio, & ſignum quo pius aliquis teſtatum faceret, ſe *Deum Iſraelis*, rerum omnium creatorem agnoſcere, eumque unum ſancte venerari? Conſentaneum enim erat, ut quivis terræ ſanctæ incola, ſigno illo divinitus inſtituto, ſe creationem agnoſcere & Deum verum colere, ſignificaret; ne Judæis offendiculo eſſet, eosque ad ſabbati violationem primo, tandem & idolorum cultum, exemplo ſuo provocaret.

(5°.) Judæi veteres, ſabbatum, præter cætera Moſis inſtituta, in honore habebant, & ad illius dignitatem aſſerendam zelo fervidiore ferebantur. Proclive eſt obſervare, Judæos tunc efferatos maxime & furore vehementius incitatos, cum Chriſtus quietem ſabbati minus religioſe ſervare videretur. Indignati ſunt quidem quando cum Publicanis comediſſet, cum autem *manum aridam* ſabbato reſtituiſſet, tanta tunc exarſerunt immanitate, ut, referente[b] *S. Matthæo*, de interimendo ipſo conſilia agitarent. Cum etiam infirmum, lecto affixum, ſanitati priſtinæ in ſabbato reſtituiſſet, eo furore correpti ſunt Phariſæi ut Dominum noſtrum[c] *perſequerentur, & eum quærerent interficere, quod hoc in ſabbato feciſſet.* Chriſti miracula[d] ideo nihil apud eos loci habuere, quod ipſe nulla ſabbati religione teneri videretur; & cum *a Deo non eſſe*, pro certo ſtatuerunt, quod *ſabbatum non cuſtodiret*. Et ſi evangeliſtarum ſcripta diligentius evolvamus, obſervemus nihil Judæos iniquius tuliſſe, nec quicquam in moribus Domini frequentius arguiſſe, quam quod ſabbatum non ea ſanctitate qua debuit, accipere videretur. Unde factum eſt autem quod Judæi ſabbati proſanati tam acres & vehementes ſe præſtarent vindices, niſi quod ipſi probe ſcirent, ſabbatum, idololatriæ flagellum, ſacram Legis anchoram, primam fidei ſuæ columnam, & ſignum illud egregium quo Dei veri cultor ab idololatra dignoſci poſſet? Nec ab eorum ſententia Talmudici receſſerunt, in quorum ſcite dictis eſt[e] illud, הכופר כשבת כאילו כופר בכל התורה כלה

Qui negaverit ſabbatum, ſimilis eſt ei qui negaverit totam Legem.

Nec multum hinc abit, quod vulgo dicunt[f] Cabbaliſtæ, *eum* nempe *qui ſabbatum non colit, neque de conditi orbis ratione, neque de vita futura, recte ſentire*: hoc eſt, ipſam naturam, vim, & providentiam divinam funditus tollere: adeo ut in talem Deus olim nec immerito,[g] capitis ſententiam tulerit.

Secundo: ſabbatum, contra idololatriam valuiſſe quatenus ſignum 1°. Memorativum,

Ostendendum eſt proximo, ſabbatum, ad idololatriam abolendam, præcipue quatenus ſigni loco datum, plurimum profuiſſe. Nil opus eſt, ut pluribus hoc argumentum perſequar, ſua pene luce clarum:

Nam (1°.) ſabbatum ſignum erat *memorativum*, & ideo (quod diximus) inſtitutum *ut* יסוד חדוש העולם[h] *hoc religionis fundamentum* mundi novitas, *conſervaretur & omnibus notum eſſet; cum homines omnes certo die quieſcant, & interrogati de cauſa, cur hoc fiat, reſpondere poſſint*, quia ſex diebus fecit Deus, &c. Ideoque Clemens, de ſabbato loquens, illud[i] δημιουργίας ὑπόμνημα, diem creationis memoriæ ſacratum vocat. Cum autem creatio tot inſignia potentiæ, bonitatis, & ſapientiæ divinæ præberet argumenta; vix poſſibile erat, ut homo, cui mentis aliquid, a Deo ad idola deficeret, modo creationis opus memoria teneret, & ſabbati partem aliquam illius contemplationi conſecraret.

2°. Indicativum,

(2°.) Sabbatum ſignum erat *indicativum*, quod omnes Gentium Deos [ſolem, lunam, cœlum, ſydera] mera idola eſſe docuit, quæ ſcilicet originem ſuam Deo Iſraelis, ſummo rerum omnium creatori, debuerunt. Hac autem ratione ſabbatum obſtabat idololatriæ: nemo enim, cui ſani cerebri vel mica ſupererat, Diis illis nomen

a V. *Grot.* in *Exod.* 20. 11. b c. 12. 13, 14. c *Joh.* 5. 18. d c. 9. 14, 16. e *Ap. Seld. de Jur. Nat.* &c. p. 329. f V. *Maſium in Joſh.* 6. 4. g *Exod.* 31. 14. h *Maim. Mor. Neb.* P. 2. c. 31. i *Conſtit.* lib. 7. cap. 23.

aut

aut cultum divinum tribuere voluit, modo creationis opus in illius mente penitus inhæreret, & ſolem, cœlum, omnia, Deo originem debere, quavis ſeptimana publice recoleret & profiteretur. Cum itaque Judæi a Dei veri lege cultuque deficerent, obſervare licet, eos cum idolorum cultu ſabbati contemptum conjunxiſſe. Nempe ſabbati celebratio, creationis profeſſio erat, & ſolis aut aliorum ſyderum (utpote Deorum creatorum) cultum, ſtultitiæ poſt natos homines maximæ palam arguebat. Vix quicquam itaque Judæos immerentes in odium & invidiam majorem apud ethnicos vocavit, quam obſervatio ſabbati; qua eandem ſoli & lunæ, quam & vermiculo (nempe nuperam & dependentem) exiſtentiam tribuere, Diis ſuis vel maximis probrum injicere, totam denique Gentilium fidem & theologiam turbare, videbantur. Ut abſolvam paucis: ſabbatum permoleſte ferebant ethnici, quod eadem eſſet ſabbati, quæ & [a] Pſalmiſtæ, vox; *omnes Dii Gentium idola, & Dominus fecit cælos.* SECT. XII.

(3°.) SABBATUM ſignum erat proprium & *diſtinctivum*, quo Judæi a reliquis gentibus, quæ ſolem & ſydera, tanquam æterna numina, colebant, aperte dividebantur. Septimæ lucis otium Judæorum genti proprium fuiſſe, eoſque ſolos ſabbati ſolennitatem obſervaſſe, multis veterum teſtimoniis docuit [b] Seldenus, qui ſcripta ſua conſulentibus operæ pretium ſolvet. Cum itaque diei ſeptimi cultus, Hebræorum ritus eſſet plane ſingularis, pene neceſſe erat, ut a cæteris gentibus, ſabbato, tanquam pariete interpoſito, dividerentur. Nam hominum animi primo, deinde & perſonæ, rituum diverſitate ab invicem ſeparari ſolent. Dum autem Judæi a Gentilium uſu familiari ſejuncti viverent, fieri vix potuit, ut ab eorum moribus & inſtitutis corruptelam haurirent, aut eorum exemplo ducti Deos alienos adorarent. Theodoritus itaque ſabbati finem & uſum non infeliciter exprimit, ſic verba Dei, per Prophetam, [c] explicans; *ſabbatorum ceſſationem ipſis Lege præſcripſi, non quod vitam dare ſufficeret*, ἀλλ' ἵνα τὸ ἰδιάζον τῆς πολιτείας χωρίζῃ μὲν αὐτοὺς τῶν ἐθνικῶν ἐπιτηδευμάτων *Sed ut hac vitæ inſtituendæ ratio peculiaris eos a Gentium inſtitutis ſepararet.* 3°. Diſtinctivum.

(4°.) SABBATUM ſignum erat *effectivum*, quod ſignificatum ejus Hebræorum animis ingeſſit & efficaciter inculcavit. Nam non ſolum rei, cujus ſignum erat, imaginem expreſſam geſſit, ſed eam hebdomade quavis ob oculos Judæorum poſuit: Deus etiam ad ſignum illud obſervandum, partim otii dulcedine, præcipue vero pœnæ formidine, Judæos devinctos tenuit: adeo ut in uſum tandem familiarem tranſiret, & frequentem creationis confeſſionem iis pene nolentibus extorqueret. Adeo ut cauſa non levis data ſit appoſitis hiſce [d] *Procopii* verbis: *Judæis imperavit ſupremum Numen, ut ſegregarent a cæteris diebus diem ſeptimum; ut ſi oblivio Dei forte obreperet, tamen invitis tandem, ex ipſo die quo quietem capiunt, in memoriam revocetur & redigatur is qui fecit omnia, & die ſeptimo requievit.* 4°. Effectivum.

(5°.) OBSERVATIO ſabbati ſignum erat διαγνωστικόν, quo Dei veri cultor a Dei cujuſvis fictitii ſervis internoſci poſſet. Ut lector aſſertionis hujuſce rationem penitius intelligat, moneri debet, Deum Iſraelis, ætate Moſis, tribus inprimis attributis [omnipotentia, æternitate, & ſanctitate] Judæis innotuiſſe, & iis inprimis a Deo & idolo quovis ethnico diſcerni voluiſſe. In Pentateucho nempe, tituli illi, אל שדי ,יהוה ,קדוש, & hujuſmodi, omnipotentiam, æternitatem, & ſanctitatem, indicantes, Deo ſæpe tribuuntur: e diverſo, nomina, אלילים ,חדשים ,שערים, imbecillitatem, novitatem, & impuritatem notantia, Diis & idolis ethnicorum frequenter affiguntur. Quisquis autem ſabbatum [creationis ὑπόμνημα] ſancte & ſolenniter obſervavit, eo ipſo ſe Deum, omnipotentem, æternum, & ſanctum, colere ſignificavit; animi a Diis illis infirmis, novis, & impuris, abhorrentis, indicium præbuit; & ſeipſum ab idololatris omnibus tanquam ſigno manifeſto. diſcrevit & ſeparavit. Quantum autem e [e] Scriptura colligo, ſabbatum ea *præcipue* de cauſa datum erat, ut illius obſervatione, Judæi ſe JEHOVAM, Deum æternum, colere, & אין דבר קדמון עם השם [f] *rem nullam Deo priorem* aut *coævam*, credere teſtarentur. 5°. Διαγνωστικόν.

SATIS luculenter oſtendiſſe videar, Deum, ad idololatriam præcavendam & expellendam, ſabbatum inſtituiſſe; & illud huic uſui, præcipue quatenus ſignum, plurimum inſerviiſſe. In animo habui, rationes etiam aut modos explicare, quibus ſabbatum, abſolute ſpectatum, idolis abolendis inſerviret: at, re mecum deliberata, conſultius viſum eſt, eas in locum magis opportunum rejicere; cum ſatis inſtituto præſenti feciſſe videar, & e jam dictis liquidum ſit, ad idololatriæ venenum vel præcavendum vel expellendum, ſabbato nec tutius nec efficacius alexipharmacum adhiberi potuiſſe.

a *Pſal.* 96. 5. b *De Jur. N. & G.* l. 3. c. 15. c *Comment.* in *Ezec.* 20. 12. d *Comment.* in *Gen.* 2. 2. e *Exod.* 31. 13. *Ezec.* 20. 12, 20. f *Maim. Mor. Neb.* P. 2. c. 13.

Sect. XIII.

SECT. XIII.

Clauſulæ loco duo ſubjunguntur corollaria.

NE hoc argumentum quaſi ex abrupto deſinat, duo e jam dictis oriunda ſubjungam corollaria.

Corol. 1m. PRIMUM hoc eſto: eccleſia Primitiva ſabbatum, quod dicitur, Chriſtianum a die ſeptimo ad primum prudens tranſtulit. Cum Judæi religionis cauſa die ſeptimo ferias & conventus agerent, cum etiam religionis Chriſtianæ ratio poſtularet, ut tempus aliquod ſolenne facerent, quo, miſſis mundi curis, Deo & ſacris vacare poſſent; Chriſtiani veteres, non levi ratione moti, diem unum e ſeptem otio & religioni dicaſſe videantur. At res eccleſiæ prudenter & oeconomiæ Chriſtianæ congruenter adminiſtrarunt, cum diem quidem unum e ſeptem, ſed primum [non ſeptimum] Deo & ſacris addixerunt. Nam in Chriſtianiſmi naſcentis exordio, duo erant maxime conſpicui Chriſtianæ religionis adverſarii, ethnici nimirum & Judæi; ethnici Diis falſis & ceremoniis impuris, Judæi Moſi ſoli & Legis inſtitutis, addictiſſimi. Quatenus itaque Chriſtiani diem unum e ſeptem otio ſacro dedicabant, teſtimonium adverſus ethnicos exhibebant, & ſe Deum illum colere, qui, mundo ſex diebus condito, ſeptimo ceſſavit, aperte profitebantur: quatenus autem diem primum e ſeptem, ſanctum & celebrem habuerunt, luculenter indicarunt, ſe Deum colere, [non ut redemptorem & Ægypto, ſed] ut patrem Domini JEſu Chriſti, qui primo die ſurrexit a mortuis, & eam a Dæmone & peccato redemptionem præſtitit, cujus illa ex Ægypto redemptio typum tantum & umbram geſſit. Ideoque *Curcellæus*, alias auctor doctiſſimus, temeritatis notam effugere non poteſt, quod ſabbati translationem, quaſi e Judæorum odio potius quam ſano conſilio factam, reprehendat. *Nulla apparet ſatis gravis ratio*,[a] inquit ille, *cur credendum ſit* Apoſtolos *unum diem in alium mutare intendiſſe. Nam quæ inde utilitas rediiſſet ad eccleſiam? quæ ſublevatio a moleſto Legis onere? Et cum Apoſtoli tam faciles eſſent in rituum externorum & indifferentium uſu, ut ſe*[b] *omnibus omnia facerent, omniaque in omnibus tolerarent; voluiſſentne animos credentium infirmos, unum diem feſtum in alterius uſitati locum introducendo, perturbare?* At, pace Curcellæi, *ſatis gravis cauſa* ſuberat, cur Apoſtoli, vel eorum ſucceſſores, diem primum in ſeptimi vicem ſubſtituerent; nempe, quod dies ſeptimus non creationis tantum, ſed & redemptionis ex Ægypto, monimentum eſſet, & qui diem ſeptimum ſabbati loco coleret, ſe Deum ſub auguſto redemptoris temporalis titulo venerari teſtaretur. At dies primus, quo Chriſtus mortis & Satanæ triumphator in vitam rediit, reſurrectionis monimentum eſt; & qui diem illam, *Dominicam* vocat, eamque ſanctam & feſtam æſtimat, eo ipſo Chriſti reſurrectionem agnoſcit; & Deum, non ſub Judaica, redemptoris temporalis, ſed generali patris & Domini notione, ſe colere profitetur. Adeo ut naſcentis eccleſiæ Patres, ea de cauſa diem cultus divini, qua nomen titulumque divinum, commutaſſe videantur. Sub Vet. Teſtamento, *Jehovah*, *dominus exercituum*, *creator cœli & terræ*, *Deus Iſraelis*, *Deus qui liberavit e domo ſervitutis*, nomina titulique divini fuerunt, uſu frequenti trita: Deus autem ſub novo, *pater miſericordiarum*, & *pater Domini noſtri JEſu Chriſti*, vix unquam Jehovah vel dominus exercituum, appellatur. Pari modo, & Chriſtiani veteres diem cultui divino antiquitus dicatum commutarunt, & in locum ſeptimi [in creationis, aut redemptionis ex Ægypto, memoriam celebrati] primum ſuppoſuerunt; quo nempe Chriſtus novæ creationis & redemptionis opus complevit, & non *Jacobi* tantum, ſed & omnes *Adami* filios, a ſervitute pluſquam Ægyptiaca liberavit.

Corol. 2. SECUNDO: præceptum quartum nullam infert neceſſitatem, ſabbati (quod dicitur) Chriſtiani in perpetua ſecula celebrandi. In fidem non paucorum abiit, unum e ſeptem hebdomadæ diebus otio & pietatis exercitiis impendendum, eoſque graviſſime peccare, qui ſermone vel cogitatione aliqua, a religione alieno, multo magis labore vel ſtudio ſeculari, ſabbati (quod vocant) otium & ſanctitatem violant. Ad hanc etiam opinionem firmandam præceptum quartum allegare ſolent, eamque hoc præſidio ſatis munitam & in tuto collocatam ſentiunt. Quod autem præceptum quartum nihil huic opinioni præſidii præbeat, aperte conſtet, ſi præcepti *materiam*, *finem*, *occaſionem*, & ſabbati præcepti *formam*, paulo diligentius expendamus.

a *Diatrib. Supr. laud.* c. 6. b 1 *Cor.* 9. 20.

NAM

Nam (1°.) *Materia* vel ſubjectum præcepti, non erat ſabbatum tantum hebdomadicum, ſed & feſta Judæorum ſolenniora, *ſabbatorum* nomine, non tantam apud [a] Hebræos, ſed & [b] ethnicos, inſignita. Hanc ſententiam eo promptius amplector, quod ei non parum auctoritatis præſtet *Philo:* nam ille, de mandatis decem agens, τὸ δὲ τέταρτον, [c] ait, τὸ περὶ τῆς ἑβδομάδος, οὐδὲν ἀλλ' ἢ κεφάλαιον νομιστέον ἑορτῶν, &c. *Quartum autem, quod de ſeptima die eſt, nihil aliud habendum eſt quam capitulum feſtorum, quo ſummatim præcipitur, de feſtis diebus, deque votis, ſacrificiis, & cætero cultu religioſo Numinis.* Conſentit [d] Zanchius, ſic quartum mandatum explicans; *ſabbati nomine Deus intellexit, non ſolum ſabbatum ſeptem dierum. ſed ſabbata etiam annorum, item omnia feſta*, &c. Huic opinioni & ratio ſubſcribit libens: cum enim omnia lege morali, ceremoniali, vel judiciali præcepta, in Decalogo, tanquam tabella vel compendio, contineantur; conſentaneum eſt opinari, præceptum quartum κεφάλαιον illud eſſe, quo ſingula cultum ritualem ſpectantia referri debent; cum præſertim ſabbatum, inter inſtituta Dei ritualia principatum teneat. Deinde, cætera Judæorum ſabbata cognatione proxima ſabbato ſeptiduano jungebantur: nam & ea ceſſationem a negotio quntidiano poſtularunt, & vel hebdomada ſeptima, vel menſe vel anno ſeptimo, vel ſepties ſeptimo, celebrari debuerunt. Cum itaque mandati quarti *materia*, vix ullam cum ſabbati (quod vocant) Chriſtiani natura cognationem habeat, nihil ex eo, magis quam aliis Pentateuchi locis ad ſabbatariorum partes adjuvandas, educi poteſt.

(2°.) Si ad quarti præcepti *finem* & ſcopum attendamus, facile percipiamus, illud huic opinioni colorem ne minimum præbere. Ideo enim (quod jam dixi ſæpius) inſtitutum eſt ſabbatum, ut Iſraelitæ, creatoris operantis & ceſſantis exemplum imitantes, ſe creationem agnoſcere, eum etiam qui rerum naturam condidit pro Deo habere, *realiter* indicarent, & animorum a Diis & idolis ethnicis abhorrentium ſignum luculentum ederent. Inde venit, quod in ipſo ſabbato Judæi laborem non detrectarent, cum ipſæ actionum ſuarum circumſtantiæ omnem idololatriæ ſpeciem aut ſuſpicionem amoverent. Nam Dominus noſter, ſacerdotes in templo, variis & operoſis officii ſui miniſteriis, *criminis immunes*, [e] *ſabbatum* plane *profanaſſe*, dicit, *Mat.* 12. 5. eo quod ipſa loci & officii ſui ſanctitas eos Dei veri cultores indicaret, & eos ab idololatriæ ſuſpicione liberaret. Circumciſionem, curas licet & moleſtias haud paucas afferret, Judæi in ipſo [f] ſabbato ſæpius adminiſtrarunt; quo ipſa ſanctitas actionni eos Deo vero devotos indicaret, eoſque in idololatriæ ſuſpicionem adduci minime pateretur. Cum itaque is eſſet mandati finis & intentio, non videntur ſatis attendere vel intelligere, qui non minus hodie Chriſtianos, quam olim Judæos, ad illud ſervandum teneri contendunt.

(3°.) Præcepti quarti tradendi tempus & *occaſio* huic opinioni non minus adverſatur. Cum enim lex illa ferebatur, timor tot Deos in orbe fecerat, & ſuperſtitio tot cultus ritus excogitarat, ut Hebræorum vulgus Deum cultumque verum cognoſcendo non eſſet, ſed notis aut ſignis indigeret, quibus Deus verus a Diis illis λεγομένοις, & cultus Deo vero præſtitus a profano & ſuperſtitioſo, diſcerni poſſet. Quin etiam temporis longinquitas & Ægypti ſervitus traditionis avitæ reliquias adeo omnes obliteraverant, ut creationem non ſolum prorſus ignorarent Iſraelitæ, ſed & eorum fides laboraſſe videatur, ut creationem & rerum originem vel fuiſſe crederent. Nam Deus creationis imaginem quandam feſtis ſuis omnibus affigi voluit, eaque ſeptimo qunvis die, vel ſeptima ſeptimana, vel menſe ſeptimo, vel anno ſeptimo, vel anno ſepties ſeptimo, una cum otio maximo, celebrari juſſit; ut varia illa ſigna & ὑπομνήματα creationis, eam tardis & incredulis Hebræorum animis ſæpe & centies inculcarent. Neque eſt, cur lector me mira jam vel fidei diſſona referre cenſeat: nam eo tarditatis & vecordiæ deventum erat, ut vix quicquam crederent aut animis bene conceptum haberent, niſi in oculos incurreret, aut ſigno aliquo ſenſibili rudibus eorum animis ingeſtum & impreſſum eſſet. Deum rebus ſuis adeſſe & præeſſe, credere minime potuerunt, niſi Deus arcam, præſentiæ ſuæ ſignum viſibile, ad fidem firmandam iis indulſiſſet: nec Dei præcepta, toties inculcata, mentibus infixa tenere potuerunt, niſi *fimbrias* & *fila hyacinthina*, [g] Lege præſcripta, ad eorum memoriam refricandam, circumgeſſiſſent. Ingens illud redemptionis ex Ægypto beneficium oblivioni tradidiſſent, niſi Deus, in perpetuam rei memoriam, ſolenoitatem Paſchalem, tanquuam [h] σημεῖον

a *Lev.* 23. 24. b *V. Seld. Ubi Supr.* pag. 362. 363. c *Lib. de Decalog.* p. 766. d *Comment.* in *mandat.* 4. T. 4. p. 596. e [Οὐκ] ἔλυε, λύει [τὸ σάββατον] ἀλλὰ τὸ φορτικώτερον, βεβηλοῖ· *S. Chryſoſt. Homil.* 40. in *S. Mat.* T. 1. p. 457. f *Jo.* 7. 22. g *Num.* 15. 38. 39. h LXX. in *Exod.* 13. 19.

SECT. XIII. καὶ μνημείων, inſtituiſſet. Se, *gentem ſanctam*, Deo & puritati conſecratam eſſe, ſatis firme concipere non poterant; ideoque rudi populo variis purificationibus opus erat, quibus, tanquam ſignis & figuris, ad puritatem illam penitius intelligendam adduci poſſent. Deus etiam animalium diſcrimen inſtitui voluit, ut cibo ſuo peculiari, tanquam ſigno & ſymbolo, diſcerent Iſraelitæ, ſe gentem eſſe peculiarem, ex aliis gentibus electam & Deo ſeparatam. Cum itaque lex de ſabbato obſervando ſancita ſuerit, ut Deus verus a Diis alienis paſſim obviis internoſci poſſet, & populi, ſignis tantum erudiendi, modulo & ruditati conſultum eſſet; ipſa legis illius occaſio & coodendi tempus argumento eſt, eam ad humiliorem tantum Legis oeconomiam pertinere, nec Chriſtianos maodato quarto, magis quam aliis per Moſem datis aſtringi legibus. Diis illis antiquis jam e rerum natura fugatis, nil opus eſt nota vel ſigno quo Deus verus innoteſcat; nec io media hac evangelii ſimul & literarum luce, ſigno aliquo quod creationis hiſtoriam confirmet aut memoriam renovet. Qui de ſignis hiſce retinendis loquitur, eccleſiam jam adulram ad primas cunas revocat.

(4°.) OPINIONI huic obſtar etiam ſabbati mandato quarto præcepti *forma*. In eo eoim diſerre præceptum eſt, ut ſabbatum ab omni labore liberum agerenr, præcipue vero ut illud die ſeptimo celebrarent. Hanc ipſam temporis circumſtantiam diſerte præceptam eſſe, & ad ſabbati Judæis inſtituti formam pertinere, euivis mandarum quartum paulo attentius intuenti pateat. Sentiunt equidem adverſarii Deum, unum tantum e ſeptimana diem Iſraelitis obſervandum, ea in lege directe propoſuiſſe. Hanc autem ſententiam ſalſitatis arguit ipſa legis ratio, a Dei die tantum ſeptimo quieſcentis, eique ſoli benedicentis, exemplo arceſſita. Ad hanc opinionem refellendam, & hæc verba momenti non parum habent, [a] *nam ſex diebus fecit Jehova cælum & terram*, &c. *quievit autem* ביום השביעי, τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ (uti vertunt Græci) *die illa ſeptima*: ubi non tantum Dei exemplum, ſed articulus δεικτικὸς obſervandus eſt, aperte probans, ſabbatum mandato quarto præceptum, *die illa ſeptima* (legis initio præſcripta) neceſſario celebrandum. Et apud me non raro mirari contigit, quod religionis ſabbaticæ ſtudioſi, *quietis & ſanctificationis* mentionem frequenter ingerant, ſed hanc præcipuam ſabbati & præcepti quatti circumſtantiam (diei nempe *ſeptimæ* celebrationem) tacite præterire ſoleant. *Præcipuam* dixi, nec inconſulto; cum non tantum in præcepto quarto, ſed aliis in locis ubi de ſabbato fit ſermo, frequentius inculcetur, & inſtituta legis, [b] aſperſiones, [c] oblationes, [d] feſtivitates, numero potiſſimum [e] ſeptenario peragerentur. Adeo ut numerus ille Deo ratione peculiari ſacer eſſet, & ritus omnes ad numerum illum accommodatos, ad illius honorem peractos indicaret, qui die ſeptimo a rebus condendis abſtinuit, & in rei tam inſignis memoriam numerum ſeptenarium ſibi quaſi conſecravit? Veritatis hujus argumenrum haud obſcurum eſt, quod Deus actiones ejus miraculoſas hoc numero paulo clariores non raro fecerit: nam Shunamitæ filius, vitæ miraculoſe reſtiturus, ſeptem vicibus [f] ſternutaſſe dicitur: Deus Naamani ſalutem reddidit, poſtquam [g] ſeptem lotiones in Jordane ſubiiſſet: cum etiam Jericho capienda eſſet, [h] ſeptem ſacerdotes, ſeptem buccinæ, ſeptem dies, in iis ſeptem circuitiones, & die ſeprimo ſeptem circuitiones, inſtitutæ ſunt. Neque ſub lege tantum, ſed & ante legem, numerus ille ſacer habitus eſt, & in ſacris ſolennioribus frequentius uſurpatus. Nam Abraham, ſacrum ſolenne facturus, [i] *ſeptem agnas* obtuliſſe dicitur: Jobus etiam [k] ſeptem arietes & ſeptem boves Deo ſacros ſecit: & Baalam patrum forſan antiquiorum exemplo ductus, ſeptem [l] altaria, ſeptem boves, ſeptem inſuper arietes, ſibi parari curat, ſacrum in Dei illius honorem meditans, qui in creationis opere numerum ſeptenarium tam celebrem & ſibi ſacrum fecerar.

Ex his omnibus apparet liquidiſſime, mandatum quartum oeconomiæ ſolius Moſaicæ rationibus accommodatum fuiſſe, & ſolos Judæos ſub Legis pædagogia poſitos aſtrinxiſſe, eoſque miſere (ne dicam, ridicule) hallucinari, qui nos ad ſabbatum (uti loquuntur) Chriſtianum otio & pietatis officiis integre dicandum, auctoritate mandati quarti, devioctos aſſerunt. In ſumma quidem laude ponendum eſt, die ſeptimanæ primo divinis tantum vacare, & ab omni terreſtrium ſtudio feriari. Cavendum autem, ne pietatis noſtræ menſuram, ab aliis, tanquam plane neceſſariam & præceptam, exigamus; ne Chriſtianos arcta illa in ſabbatis otiandi lege teneri doceamus, ne viros illos

a *Exod.* 20. 11. b *Levit.* 4. 6. c. 8. 11. & 14. 7. *Numb.* 19. 4. c 1 *Chron.* 15. 26. & 2. 29. 31. d *Lev.* 23. 15. & 25. 4, 8. e *De numero ſeptenario* vid. *Druſ. in difficilior. Pentat.* loc. p. 242. f 2 *Reg.* 4. 35. g 2 *Reg.* 5. 10. h *Joſh.* 6. 4. i *Geneſ.* 21. 28. k Cap. 42. 8. l *Num.* 23. 1, 14.

pios

pios & conſultos iniqua cenſura vexemus, qui [a] *diem omnem* pariter ſanctum *judicant*, Deo, [b] *ab interlunio ad interlunium, a ſabbato ad ſabbatum*, ſervientes; ne doctrinas ſabbatariorum fidem olentes in vulgus emittamus, qui omnia pietatis ſpecie deaurata, cruda vel cocta, deglutire ſolent. Hac ratione, litis & diſcordiæ ſemen in agro Dei ſeritur, oeconomiæ Chriſtianæ ſublimitas deprimitur & obſcuratur, & libertas a jugo illo Judaico, Chriſti non ſanguine tantum ſed & exemplo parta, vilipenditur. Nam, obſervante [c] S. Chryſoſtomo, Dominus noſter, dictis ſimul & factis, ad ſabbatum prorſus abrogandum viam tam apertam præſtruxit, ut lectorem ejus ita tandem objicientem introducat; [d] *cur tantam utilitatem, quantam ſabbato conſequebantur Judæi, abſtulit Chriſtus?* cui reſpondet Pater, *immo non abſtulit*, ἀλλὰ καὶ σφόδρα ἐπέτεινε, *ſed felicia illi addidit incrementa.* Καιρὸς γὰρ ἦν διὰ τῶν ὑψηλοτέρων αὐτοὺς πάντα παιδεύεσθαι, &c. *Tempus enim jam aderat quo per altiora eſſent erudiendi: nec oportebat manus illius hominis vinculo coerceri, qui pravitatem* ethnicam *ſponte odiſſet, & virtutis ardore ſublimius volaret:* Οὐδὲ ἐντεῦθεν μανθάνειν ὅτι [ὁ] Θεὸς ἅπαντα ἐποίησεν· *Nec dehinc diſcere* (primum illud pietatis elementum) *a Deo ſolo creata eſſe omnia. Nec decebat eos ſabbati monitu mites & humanos eſſe, qui ad clementia divinæ imitationem* [e] *vocantur:* μηδὲ μίαν ἡμέραν ἑορτάζειν τοὺς πάντα τὸν βίον ἑορτὴν ἄγειν κεκλημένους, [f] *nec unum diem ſolennem agere ipſos, quibus tota vita ſolennitas eſt: nec juxta Dei arcam aſſiſtere & altare aureum, eos qui creatorem omnium in ſeipſis habent habitantem, multiſque modis ipſos alloquentem.* Τί τοίνυν σαββάτων χρεία τῷ διὰ παντὸς ἑορτάζοντι, τῷ πολιτευομένῳ ἐν οὐρανῷ; *quid igitur ſabbato opus eſt illi, qui per totam vitam ſuam agit ſolennitatem, & cujus in cœlo converſatio eſt?* Optima hæc S. Patris verba huic capiti colophonem dabunt.

CAP. VI.

Legem idololatriæ obſtitiſſe, Gentes & Iſraelitas ab invicem ſeparando.

PROUT Chriſtus *lapis* ille *angularis* erat, in quo gentes & Iſraelitæ (tanquam parietes oppoſiti) unire & coaleſcere debuere; ſic & evangelium magnum unionis illius inſtrumentum erat, & ad eam provehendam modo non uno miniſtrabat. Ex adverſo: lex Moſaica ſeparationem induxit maximam, & Gentiles a Judæis ſic ab invicem diviſit ut plerumque ne leviſſimo commercio vel uſu conjungerentur. Prout autem unionis illius, cujus fundamenta jecit evangelium, ſpes & ſcopus erat, ut Gentes & Judæi junctis animis ad Chriſti fidem promovendam & idolorum cultum extirpandum laborarent: ſic & ſeparationis modo dictæ finis erat, ut idololatriæ paſſim graſſanti obſtaculum poneretur, & Judæi, a gentilium commercio & contubernio diſcreti, ab eorum moribus idololatricis integri & intacti conſervarentur.

CUM autem de hac ſeparatione ſermo ſit inſtituendus, curandum eſt primo, ne tam obſcurum argumentum methodi lumine deſtituatur. Hanc itaque methodum rei præſenti maxime aptam & accommodam judicavi: primo: de ſeparatione Judæorum a Gentilibus, tum politica tum naturali, ſermo faciendus eſt. Secundo: docendum eſt, ſeparationem Judæorum a Gentilibus multum momenti ad idololatriam præcavendam & profligandam habuiſſe. Tertio: de ſeparatione Gentilium a Judæis dicendum eſt proximo, & (ob argumenti propinquitatem) legi illi perobſcuræ, [g] *Mamzer non ingredietur in Eccleſiam* Domini, lucis aliquid afferendum. Quarto: docendum eſt etiam, ſeparationem Gentilium a Judæis non parum ad idololatriam inhibendam valuiſſe.

SECT. I.

De Separatione Judæorum a Gentibus, tum politica tum naturali.

CUM de ſeparatione Judæorum a Gentilibus proximo diſſerendum ſit, ut diſtincte procedat ſermo primo: ſeparationis hujuſce partes aut ſpecies; ſecundo: ſeparationis illius cauſæ; tertio: media ſeparationis hujus, ordine diſcutienda ſunt. Separatio Judæorum a Gentibus moralis erat.

ARGUMENTI, æque ac methodi ratio poſtulat, ut ſermo meus a ſeparationis hujuſce partibus aut ſpeciebus exordium ſumat. Obiter itaque monendum eſt, ſeparationem de qua ſermo præſens inſtituitur, in *moralem* & *naturalem*, ordinis cauſa, diſtri-

a *Rom* 14. 5. b *Jeſ.* 66. 23. c *Homil.* 40. in S. *Mat.* c. 12. d T. 1. p. 459. e *Luc.* 6. 36. f 1 *Cor.* 5. 8. g *Deut.* 23. 2.

SECT. I.

bui poſſe. Separatio *moralis* Hebræorum a gentibus, qualiſcunque diſcretio erat; & aperta diſtinctio magis quam disjunctio dici poterat, utpote conditionum potius quam perſonarum ſeparatione præſtita. *Naturalis* ea erat, qua Judæi ſic a gentibus diſcreti & diviſi fuerunt, ut nec patria, nec inſtitutis, nec mercimoniis, nec matrimoniis, cum Gentili communibus uterentur. A ſeparatione *morali* ordior, quæ rebus hiſce quinque complerionem habuit. (1°.) *Cultu & religione peculiari.* Gentiles, cultus veri norma deſtiruti, Dæmonum & [a] idolorum cultui ſeipſos addixerant, unde & apud [b] Prophetam *idolorum regna* nuncupantur. At Hebræorum natio Jehovæ ſolius culrum profitebatur, & hoc inſigni diſcrimine a mundi gentibus, a Dei cultu & lege alienis, dividebatur. Hunc cultum, Judæorum genti proprium, nonnulli *Bilami* [c] vaticinio anſam dediſſe ſentiunt, *populus ſolus habitavit, & inter gentes non reputabitur:* hoc eſt, "ſolus Hebræorum populus ſeipſum Dei legi & ſacris addicturus eſt, & a gentium "aliarum lege rituque ſejunctus vivet; ideoque longe dignior evadet, quam ut inter genres alias idolorum cultui devotas numeretur.

Cultus & religio peculiaris:

Fœdus:

(2°.) ISRAELITÆ fœdere inter Deum & ſeipſos tantum inito a Gentibus exteris dividebantur: fœderis hujuſce conditiones (in pauca redactæ) fuerunt, ut Jehovah [d] ſolus iis pro Deo eſſet; & Iſraelitæ pro populo ſancto & peculiari. At fœderis hujuſce condiriones, paulo latius & copioſius expreſſæ fuerunt *a parte Dei*, rerræ ſanctæ fruitio, protectio ab hoſtibus, bonorum temporalium uſus liberrimus, & conſimilis momenri alia: *a parte populi* [e] deorum aliorum abdicatio, Jehovæ tantum cultus, & legis ab ipſo daræ diligens obſervatio. Ex eo fœdere factum eſt, ut Jehovah nunc *Deus Iſraelis*, nunc *Deus Judæorum*, in ſcripturis audiat: & ut Judæi, nunc populus Domini, nunc populus ſanctus & ſeparatus appelleotur.

Feſta:

(3°.) FESTIS quibuſdam Hebræorum genti propriis & peculiaribus. Tale feſtum Paſcharis erat, redemptionis ab Ægypto μνημόσυνον, adeoque ab Iſraeliris, iiſque [f] ſolis, obſervandum. Feſtum etiam tabernaculorum, quo memoriam recolebant Iſraelitarum in tentorio degentium, dum per deſertum oberrarunt; adeoque a ſolis Iſraelitis & eorum poſteritate celebrandum. Feſtum inſuper Penrecoſtes legis populo Iſraelitico datæ memoriam refricabat, adeo ut aperte conſtet, alias gentes in eo feſto *nec ſortem nec partem* habere potuiſſe. Atque hac in re Judæorum & ethnicorum feſta non parum diverſa ab invicem abierunt: nam inter Ægypti, Græciæ, Aſiæ, & aliarum gentium feſta, ea conjunctio & cognatio interceſſit, ut idololatræ gentis hujus ſacris & feſtis alrerius libenter intereſſent: atque hac ratione, ſicut aſini aſinos, ſe mutuo ſcabere videbantur.

Privilegia:

(4°.) ISRAELITÆ privilegiis genti ſuæ peculiaribus a gentium vulgo diſcernebantur. Nam ſolus Hebræorum populus, Dei peculium, electa natio, & ab aliis omnibus Deo ſeparata habebatur: ideoque אנשי קודש *homines ſancti* [g] audiebant unice: iis ſolis terra Iſraelis, *terrarum omnium gloria*, gaudere datum eſt: iis ſolis Dei prupheras, oracula illa viva, audire concedebatur: [h] illi ſoli Deo præſenti & pene viſibili familiarirer utebantur: eorum tantum reſpublica legibus a Deo ipſo latis & ſcriptis adminiſtrata eſt: leges immunitatem ab uſurarum onere Judæis natis attulere, dum alienigenæ ad uſuras præſtandas adſtringerentur: filiis tantum Iſraelis id gratiæ datum eſt, ut *populus Deo propinquus* [i] appellarentur: quod caput eſt denique, Deus [k] *annunciavit verba ſua Jacobo, ſtatuta & Judicia ſua Iſraeli: non ſic fecit omni genti, & Judicia* quod attinet, *non cognoſcunt ea.*

Ritus & inſtituta.

(5°.) GENTES & Iſraelitæ ritibus & inſtirutis, nonnunquam adverſis, ſemper diverſis, ab invicem diſtinguebantur. Gentes & Iſraelitas ritus non raro contrarios & inter ſe pugnantes exercuiſſe, ſatis e Libro ſecundo dicendis eluceſcet: at diſtantia non exigua inter eorum ritus interceſſit, etiam ubi conſenſus & affinitatis aliquid habere videbantur: gentes enim templa multa, uti deos multos habuerunt: Iſraelitæ vero templum unum, uti Deum non niſi unum, agnoverunt. Gentes altaria multa, & altitudine conſpicua, in uſu frequentia habuerunt: Iſraelitæ unum tantum, & illud tres cubitos altum, ad officia ſacra ſepoſuerunt. Apud ethnicos cujuſcunque familiæ vel ſortis homines ad res ſacras adminiſtrandas admittebantur: at Iſraelitæ nullos muneris ſacerdotalis honore dignabantur, niſi genere ſacro prognatos, & riru ſolenni initiatos. In immenſum iret ſermo, ſi alias omnes diverſitatis ſpecies, inter Hebræorum & eth-

a *Pſal.* 96. 5. b *Joſ.* 10. 10. c *Num.* 23. 9. d *Deut.* 4. 13. & c. 26. 16, 17, 18, 19. & c. 29. 1, 9. 12. 13. e *Deut.* 29. 25, 26. f *Exod.* 12. 43. 44. 48. g *Exod.* 22. 31. h Exod. 33. 16. i *Pſal.* 148. 14. k *Pſal.* 147. 19. 20.

nicorum

nicorum ceremonias enumerare conarer. Jam dicta ſatis evincunt, Hebræos & ethnicos ſacra admodum diſcrepantia coluiſſe, & iſtam ſactorum diſcrepantiam latum inter utroſque diſcrimen induxiſſe. SECT. I.

Separatio phyſica erat, ſocietatis perſonalis prohibitio.

AD ſeparationem phyſicam aut realem jam tranſeat ſermo, qua nempe gentes & Hebræi ab omni ſocietate perſonali mutuo ſejungebantur. Judæos olim nihil omnino commercii cum alienigenis habuiſſe, nec ulla cum gentili neceſſitudine cohæſiſſe, e variis Scripturæ ſacræ & hiſtoriæ profanæ teſtimoniis clare ſatis intelligitur. Inter Scripturæ teſtimonia primas habeat *Actorum* locus, *Cap.* 10. 28. vos ſcitis quomodo abominatum ſit viro Judæo, κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἀλλοφύλῳ.

MOS itaque contrarius Sancto *Petro* crimini vertitur a viris aliquot [a] circumciſorum fidem profitentibus; quare inquiunt, *introiiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?* Idem crimen Domino noſtro impactum eſt a Phariſæis, *Mat.* 9. 11. ubi diſcipulos ejus ſic alloquuntur, *cur magiſter veſter una cum Publicanis comedit & peccatoribus?* h. e. e [b] gentilium grege, contra morem Judæorum ſcilicet & inſtituta ſeniorum. A ſcripturis hac in re non longe abſunt hiſtoricorum veterum teſtimonia, qui Judæis crimen ἀξενίας acriter objiciunt; aſſerentes, alias gentes, διὰ τὸ ἄμικτον, τὸ ἀνόμοφυλον, διαίτης ἀμιξίαν, καὶ τὸ ἀκοινώνητον, *inſociabilem vitæ rationem*, a Judæis abhorruiſſe. Multa in hanc rem extant apud [c] Grotium, Joſephi, Diodori Siculi, Apollonii Molonis, Tyanenſis, Taciti, teſtimonia, quæ Lectori minus occupato conſulenda trado.

HÆC ea ſunt, quæ de ſeparationis hujuſce partibus, morali & naturali, dicenda cenſui: nec in hoc argumento quid amplius occurrit obſervandum, niſi quod nonnulli partes utraſque in verbis *Moſis* invenire ſatagant; [d] *Iſrael in tuto habitabit ſolus:* alii nempe de ſeparatione *morali* locum explicant, quaſi dictum eſſet: "manebit ſeparatus "a gentibus, legibus, ſacris, & privilegiis: alii vero de ſeparatione *naturali* Moſen in"terpretantur, quaſi ſenſum ejus ita reddidiſſet, manebit remotus ab aliis, & ditione "& conſortio.

Separationis utriuſque cauſæ.

PROXIMO: methodi ratio jam poſtulat, ut ſeparationis utriuſque cauſæ breviter expediantur. Inter eas autem, quantum probabili conjectura colligo, hæ quinque pro præcipuis habeantur:

Dei in Hebræos favor:

(1°.) SINGULARIS ille favor & gratia, qua Deus Hebræorum patres (Abrahamum inprimis, Iſaacum, & Jacobum) amplectebatur. Scriptura ſcilicet Iſraelitas a gentium fæce ſeparatos, & in peculiarem Dei populum adſcitos, [e] aſſerit, ob gratiam illam ſingularem, qua majores ipſorum apud Deum floruere. Neque hoc mirum alicui vel novum videri debet, cum e ſcriptura pateat Deum plerumque viros eos, & eorum poſteros, ſingulari aliqua gratia & honore dignatum fuiſſe, qui olim pietatis egregiæ laude claruiſſent, vel zeli pro cultu Dei ſpecimen aliquod inſignius edidiſſent. Veritatis hujus exemplum præbent, non modo jam dicti Patriarchæ, ſed etiam Levitæ, Phinehas, Samuel, David, alii, qui zelo erga Deum ejuſque legem ſe claros effecerunt, quos etiam Deus egregio aliquo favoris ſui documento clariores reddidit.

Scriptura perperam intellecta:

(2°.) NONNULLA ſcripturæ loca, perperam intellecta, ſeparationi quam dixi *phyſicæ* cauſam non levem dediſſe videantur. Cum enim [f] Lege præceptum eſſet, ne quis, a gentili vocatus, ad epulum ſacrificale ſe conſerret, ut nempe ſacrificii reliquias in convivio participaret; hinc aliqui collegiſſe videntur, illicitum eſſe, ſocietatem ullam (civilem aut ſacram) cum gentili colere, vel cum eo commercium leviſſimum exercere. Nec minus Judæis interdictum eſt, [g] ſocietatem conjugalem inire cum alienis, aut ipſorum ſemen mixtura profana contaminare: atque hinc eidem menſæ cum gentilibus aſſidere, vel in eorum ſocietatem aut communionem venire, veritum exiſtimabant. Cum etiam [h] Lege curatum eſſet, ne Judæi ſeptem gentibus neci devotis fœdere aliquo jungerentur; illi, Legem ſequius interpretati, ſibi præceptum exiſtimabant, ut in gentium earum poſteros animum hoſtilem gererent.

Decreta ſeniorum:

(3°.) DECRETA ſeniorum huic ſeparationi ab omnigena cum gentibus conſuetudine principia (ſaltem incrementa) dediſſe cenſeantur. Cum enim [i] Judæi in manus gentium pene toti deveniſſent, & eorum poteſtas priſtina, gentiles in ipſorum religionem admittendos explorandi & initiandi, pene in nihilum abiiſſet; adeo ut certo ſciri non poſſet, quibuſcum gentilibus libere & abſque pollutionis metu verſari licuit; ſa-

a *Act.* 11. 3. b *Galat.* 2. 15. c *De jur. bel. & pac.* l. 2. c. 15. §. 9. d *Deut.* 33. 28. e *Deut.* 4. 37. & c. 7. 6. 8. f *Exod.* 34. 15. g v. 16. h *Deut.* 7. 3, 4. i *Seld. de jur. Nat. & Gent.* l. 2. c. 5. p. 179.

SECT. I.

pientum auctoritate lex introducta eſt, non tantum de gentilium coofuetudine & uſu familiari, ſed etiam commerciorum & contractuum generibus compluribus omnino fugiendis. Cum itaque extra caſus tantum neceſſarios Iſraelitæ per legem a commercio cum gentilibus arcerentur; ſapientum decretis multo ſtrictius aſtringebantur, & nullo caſu vel prætextu conceſſum eſt iis connubia, commercia, vel colloquia, miſcere cum alienigenis. Atque hæc novi fœderis hiſtoriæ conſenranea ſunt, qua legimus non ſolitos Judæos coovivere, συγχρῆσθαι, συνεῖναι, κολλᾶσθαι, προσέρχεσθαι, viris a fide & ſanguine Judaico alienis.

Mores Gentium:

(4°.) Non abſimile eſt vero, mores Æpyptiorum, Laconum, & aliarum gentium, huic ſeparationi non parum præſidii præbuiſſe. Nam [a] Ægyptii homioum exterorum amicitias & congreſſus ſtudioſe declinarunt, & apud eos panem cum homine gentis exteræ comedere ἀθέμιτον habebatur: *Geneſ.* 43. 32. *Lacones* etiam ſic ab exterorum conſuetudine ſejuncti vivebant, ut [b] Joſephus Judæorum averſioni a peregrinis, ab exemplo Laconicæ ξενηλασίας patrocinium petat. Notum eſt, [c] Eſſenos, in pleriſque Pythagoræ ſectatores, peregrinos in conſuetudinem familiarem nunquam recepiſſe, ſed eorum inſtituta ſacratiora ab oculis hominis ἀμύητα continuiſſe. Eam autem vitam ſegregem & hominis exteri fugam, in Laconibus, Eſſenis, & Ægyptiis inprimis, obſervandam, non ad ſaſtum & ſupercilium gentium earum referendam arbitror; ſed ad puritatis ſtudium, & zelum illum quo ad ſuperſtitionem eorum ab omni miſtura puram conſervandam ferebantur. Nihil autem credibilitatis habet, Hebræos pati voluiſſe, ut æmula Ægyptiorum natio magis caute & religioſe a pollutorum hominum convictu & communione caverent, quam ipſi, qui *ſanctus Dei populus* audiebant, & ſanctitatis ſuæ nomine ſeipſos immodice venditabant.

& immunditia.

(5°.) Separationis hujuſce cauſa non minima fuiſſe videtur immunditia illa qua gentiles laborare, quamque Judæis affricare cenſebantur. Patet enim e [d] S. Petri viſione eum alienigenam quemvis κοινὸν καὶ ἀκάθαρτον exiſtimaſſe, & animalia immunda gentilium immundorum ſymbola & figuras habuiſſe. Ab hac ſententia non longe aberant [e] Judæi illi, quibus religioni fuit prætoris aulam militibus Romanis refertam ingredi, ne forſan a gentilium eorum conſortio vel contactu pollutionem contraherent, unde ad Paſchatis ſacra participanda minus apti redderentur. Hæc autem opinio principium, aut incrementum, ſub Haſmonæorum tempora traxiſſe creditur: tunc enim *ſapientes decreverunt omnimodos Gentiles, tam maſculos quam fæminas, pro iis habendos qui perpetuo ſanguinis profluvio tenentur;* & eodem decreto quælibet fæmina gentiles velut ſemper נדה cenſetur, id eſt, *quæ menſtruis laborat*, & e cujus contactu quis immunditiam contrahit. De hoc argumento *Seldenus* noſter, Maimonidis veſtigiis inſiſtens, fuſe diſſerit, *lib. 2. de Jur. nat. & gen.* cap. 5. & alibi.

Ut lux eo clarior huic affulgeat argumento, opera mea tertiæ penſi mei parti (ſeparationis hujuſce mediis) jam impendenda eſt. Ex iis varia recenſeri poſſunt: nempe:

Separationis media ciborum diſcrimen.

(1°.) Ciborum diſcrimen lege conſtitutum. Molta nempe ciborum genera gentes oon taotum in uſu ſed etiam in deliciis haboere (carnem ſuillam, cygnum, leporem, alia) quæ tamen [f] lex illicita fecit & interdicta: adeo ut eadem olla non raro mortem Judæo, ſed vitam Gentili, offerre videretur. Ob hanc autem ciborum diſcrepantiam neceſſe fuit ut Hebræi & ethnici a mutuo congreſſu & convictu prorſus abſtinerent. Appoſite itaque [g] Grotius & ex vero: *fatendum eſt quidem, cum victus rationem peculiarem Deus Iſraelitis præſcripſit, hoc ipſo conſuetudinem admodum familiarem externarum gentium redditam eſſe difficilem: poſtea etiam arctiorem eam redditam e ſapientum præſcripto.*

Diſcordia morum.

(2°.) Morum rituumque diſcordia Judæis & ethnicis receſſum ab invicem faciebat. Judæi gentium εἰδωλολατρείαν, ritus obſcænos, templa varia, deos & idola multifaria, cibos etiam pollutos, deteſtati ſunt. Eorum etiam lectos & cathedras averſari ſoliti ſunt, ne quid forſan immundi continerent, & inde ſeipſos contaminarent. Hinc anſa dara verbis [h] *Taciti*, qui, de Judæis agens, *ſunt*, inquit, *ſeparati epulis, diſcreti cubilibus.* Ex adverſo: Gentiles Hebræorum circumciſiones, ſabbata, feſta, & inſtitura alia, ab ipſorum moribus aliena, fugerunt & convitiis acceperunt. Argumento ſint illa *Rutilii* verba.

a *Porphyr.* de *Abſtin.* l. 4. §. 6. & 8. b Lib. 2. cont. *Apion.* p. 1387. c *Porph.* de *abſt.* l. 4. §. 12. d *Act.* 10. 14. 28. e *Joan.* 18. 28. f *Lev.* 11. *Deut.* 14. g *Annot.* ad *Mat.* 5. 43. h *Hiſt.* lib. 5. *ſub. init.*

2 *Red-*

SECT. II.

[1] *Reddimus obſcœna convitia debita genti.*

Hac autem rituum morumque diſcrepantia, Judæi genteſque a conjunctione, convictu & ſocietate mutua cohibebantur: nam obſervante [a] Grotio, *peculiaris victus & morum ratio Judæis præſcripta familiarem cum cæteris* gentibus *conſuetudinem vix patiebatur.*

Linguæ:

(3°.) Lingua, Judæorum genti vernacula, populum illum a gente quavis alia, facile diſcrevit & ſeparavit. Lingua ſcilicet Hebræa, [b] *lingua Canaan* dicta, ad [c] captivitatem usque Babylonicam, in gente ſancta manſiſſe; eamque, non minus quam alia multa Judæorum genti propria, a populo quovis alio diſtinxiſſe, & ab illius conſortio ſeparaſſe creditur. Nec rationi diſſidet, Deum linguam illam, in ſola Judæorum gente, tam diu ſanctam & incorruptam remanere voluiſſe, ut obſtaret quo minus conſuetudo familiaris inter eos & profanas gentes intercederet. Et ſane conſentaneum erat, ut Deus ille linguæ unitate ad eccleſiam fundandam uteretur, qui linguarum confuſionem ad *Babelem* perdendum introduxerat.

Terræ nativæ genius & ſitus:

(4°.) Judæi a gentium exterarum notitia & ſocietate ipſo terræ ſuæ nativæ genio & ſitu longe dividebantur. Judæi ſcilicet in mundi parte tam obſcura ſedes habuerunt, ut humani generis obſervationem diu effugiſſe, & aliis gentibus vix de nomine noti fuiſſe, videantur. *Herodotus* enim, gentium licet e vicinia mores & ſedes curioſe deſcriptos dedit, Judæos ſilentio præteriit; quaſi populus tam obſcurus nullam illi ſcribendi materiam ſuppeditaret. Eidem cauſæ (gentis nimirum & regionis obſcuritati) tribuendum eſt, quod & alii gentium hiſtorici nil ſani de Judæorum gente referant; ſed omnia pene de Judæis memoriæ tradita, fabulis aut conviciis ſtudioſe fictis affinia videantur. Deinde: erat terra *Canaan* procul a mari diſſita, adeo ut incolas ejus ab exterorum ſocietate neceſſario removeret. Erat inſuper terra rei nullius indiga, & frequentia cum exteris, res ad vitam neceſſarias advehentibus, commercia minime poſtularet. Cum itaque Judæi terra tam fructuoſa, & a mari longe remota, fruerentur; illi nec voluere nec potuere frequentes eſſe cum peregrinis, vel cum iis commerciorum ſocietatem exercere.

Judæorum conſanguinitas.

(5°.) Inter ſeparationis hujuſce cauſas numerari poteſt arctum conſanguinitatis vinculum quo Judæi ſibi invicem connectebantur. Omnes enim ab uno patre [d] *Abrahamo* genus & ſanguinem hauſerunt, adeo ut magna potius familia quam natio parva cenſeri poſſent. Inde natum eſt etiam, ut in lege Iſraelitæ, *fratres*, ethnici omnes, *peregrini*, appellentur. Cum itaque tam propinqua ſanguinis conjunctio inter Judæos, eosque ſolos, intercederet; nil mirum ſi Judæos arcte inter ſe conjunxerit, ipſos autem ab aliis terræ familiis longe ſeparaverit.

SECT. II.

Separationem Judæorum a Gentibus multum momenti ad idololatriam præcavendam & profligandam habuiſſe.

PRÆSENTIS incœpti methodus exigit, ut oſtendam proximo, ſeparationem Judæorum a Gentibus magnum impedimentum idololatriæ propagandæ præſtitiſſe. Ut autem hoc negotium felicius exequar, ſermo meus inter limites hoſce coercendus eſt. (1°.) Separationis hujuſce fines a gentibus aut Judæis olim aſſignati, in examen adducendi ſunt, & erroris arguendi. (2°.) Oſtendendum eſt proxime, ſeparationem quam dixi *moralem* aut politicam, idololatriæ abolitionem pro fine præcipuo habuiſſe. (3°.) Separationem etiam *naturalem* ſcopum eundem ſibi præfixum habuiſſe. (4°.) Nonnulla ſubjungam corollaria quæ toti argumento lucem non exiguum fœnerentur.

Separationis fines, falſi:

Primo: ſeparationis hujuſce fines, olim aſſignati, falſitatis arguendi ſunt, ut aditus eo minus impeditus ad ſequentia præſtruatur.

Caſus vel inſtitutio fortuita:

(1°.) Itaque, ex ethnicis antiquioribus nonnulli ſeparationem iſtam Judaicam caſui vel inſtitutioni fortuitæ tribuendam exiſtimarunt. Rem totam verbis [e] *Juſtini* hiſtorici paulo clarius exprimo: *quoniam metu contagionis pulſos ſe ab Ægypto meminerant* Judæi, *ne eadem cauſa inviſi apud incolas forent, caverunt, ne cum peregrinis communicarent:*

a *De jur. bell. & pac.* lib. 2, c. 15. ſ. 9. b *Jeſ.* 19. 8. c V. *Buxtorf diſſert. de lingua Hebr. conſervat. & propagat.* Quæſt. 5. d *Jo.* 8. 37, 53. *Act.* 13. 26. e *Hiſt.* l. 36. p. 430.

1 Verſ. 387.

SECT. II.

quod, ex cauſa factum, paulatim, in diſciplinam religionemque convertit. Convitia tam frivola & nulla probabilitate nixa minime refutanda cenſeo, ne fabellas & nugas inſipidas loco aliquo habuiſſe videar.

Ingenium in extraneos hoſtile:

(2°.) NONNULLI crediderunt olim Judæos a conſuetudine gentilium abhorrere, quod ingenio hoſtili eſſent in extraneos, & natura Judæos tantum non μισανθρώπους, & humanitatis expertes, effinxiſſet. Ea opinione [a] *Tacitus* erat: nam de Judæorum gente loquens, *apud ipſos*, inquit *fides obſtinata, miſericordia in promptu, adverſus omnes alios hoſtile odium.* Huic geminum aulicorum *Antiochi* teſtimonium, qui Judæos [b] retulerunt, μόνους ἁπάντων ἐθνῶν ἀκοινωνήτους εἶναι τῆς πρὸς ἄλλο ἔθνος ἐπιμιξίας, καὶ πολεμίους ὑπολαμβάνειν πάντας, *ſolos ex omnibus populis inſociabiles eſſe extraneis, ita ut cæteros pro hoſtibus ducant.* Nec ab his multum abeſt quod ſequitur de iiſdem: μηδενὶ ἄλλῳ ἔθνει τραπέζης κοινωνεῖν τὸ παράπαν, μηδ᾽ εὐνοεῖν· *cum nullâ alia gente menſam habere communem, neque aliis bene velle.* Judæos longe plurimos ingenio tam inhumano triſtique fuiſſe, tantum non teſtatur [c] S. Paulus, qui Judæos πᾶσιν ἀνθρώποις ἐναντίους, *omnibus hominibus adverſos* aſſerit. Omnes autem uſque adeo humanitatem exuiſſe, opinari non patitur oratio quam [d] Joſephus *Salomoni*, templum dedicanti, tribuit; ἡμᾶς οὐκ ἀπανθρώπους τὴν φύσιν ἐσμέν. &c. *Nos non ſumus ingenio inhumano, neque male affecti erga extraneos.*

Gentilium immunditia:

(3°.) JUDÆI a gentilium uſu familiari curatius abſtinuerunt, eo quod illi nativa quadam immunditia laborare, eamque Judæis affricare, crederentur. Ex ea ſententia factum eſt, ut [e] Judæi, a foro frequenti reduces, ſeipſos lavare ſolerent; ut ſcilicet immunditiem, a gentilium forte contactu hauſtam, abluerent & expiarent. Hac de cauſa prætorium, in paſchate præcipue, adire metuebant; quod nempe militibus Romanis plenum eſſet, quos ipſi forſan inſcii tangerent, & inde ſeipſos contaminarent. Ideo vero (ſi rite judico) gentiles tam immundi & impuri a Judæis habiti ſunt, vel quod ipſi ſoli *gens ſancta & Deo ſeparata* in ſcripturis appellentur; vel quod gentiles cibis omnibus, nullo habito diſcrimine, veſci ſolerent; aut quod illi lectis, diſcis, crateribus, poculis, ſedibus, aqua licet minime purgatis, uterentur.

Pentateuchi ſenſus non ſane captus.

(4°.) JUDÆI a nonnullis Pentateuchi locis, ſenſu non ſano captis, ab omnimoda gentilium ſocietate ſeparandi anſam arripuiſſe videantur. [f] Cum enim de ſeptem gentibus quas Deus internecioni devoverat, interdictum eſſet, ne cum iis fœdus ullum inirent, matrimonia contraherent, eidem menſæ aſſiderent, vel commercii quicquam exercerent: Judæi locos eos non tantum de gentibus iis ſed & poſteris earum, intellexerunt; & gentes omnes ab eorum fide alienas pari loco habendas, & eodem odio capitali proſequendas eſſe, docuerunt. Cum etiam Deus animalia quædam munda & eſu licita, alia prorſus immunda nec menſæ Judæorum admovenda, declaraſſet; ut Judæi a prioribus abſtinentes, reliqua vero comedentes, [g] ſe populum ab aliis gentibus ſeparatum, Deo ratione peculiari conſecratum, & fœdere ſingulari junctum, intelligerent: Judæi vero textus omnes, de creaturis mundis & immundis mentionem facientes, non ſenſu literali ſed ſymbolico ſumendos eſſe docuerunt, priores de Judæis, pnſteriores de gentilibus, interpretantes. Hunc interpretandi modum inter Judæos olim obtinuiſſe non obſcure colligendum eſt e Domini noſtri verbis, [h] *Mat.* 15. 26. quibus fœminam Syro-Phœniſſam *Canem* nuncupat; e viſione etiam *S. Petri*, Act. 10, 14. 15. ubi licentiam gentiles adeundi ſibi datam colligit, quod Deus animalium diſcrimen jam ſuſtuliſſet, & nil κοινὸν καὶ ἀκάθαρτον reliquiſſet.

Separatio politica erat abolitio idololatriæ.

AD penſi mei partem ſecundam jam tranſeundum eſt, ut ſcilicet oſtendam ſeparationem illam quam dixi *politicam* aut *moralem*, abnlitionem idololatriæ pro fine præcipuo habuiſſe. Hoc autem his inprimis argumentis evinci poteſt.

(1°.) HUJUSMODI ſeparatio Judæorum moralis & honorifica multis in locis inducitur tanquam præcipui valoris argumentum ad mnres ethnicos & idololatricos evitandos & abolendos. *viz.* Deut. 7, 5. 6. *Altaria gentium earum deſtruetis, & ſtatuas earum confringetis, & lucos earum ſuccidetis, & ſculptilia earum comburetis in igne: quia populus ſanctus tu Domino Deo tuo: te elegit Dominus Deus tuus, ut ſis ei populus peculiaris præ omnibus populis qui ſunt ſuper faciem terræ.* Levit. 20, 23. 24. 25. 26. *Ne ambuletis in ſtatutis gentis quam ego emitto a facie veſtra: quia iſta omnia fecerunt, & ego deteſtatus ſum eas* ------ Ego ſum *Dominus Deus veſter qui ſeparavi vos a reliquis gentibus.* Locos alios his affines lector conſulat cui otium ſuppetit, nempe *Deut.* 26, 18. *Exod.*

a *Hiſt.* l. 5. *ub. ſupr.* b *Ap. Diodor. Sic.* l. 34. in *Excerp.* pag. 901. c 1 *Theſſal.* 2. 15.
d *Antiq.* l. 8. c. 4. ſ. 3. e *Marc.* 7. 4. f *Pſal.* 106. 34. *Exod.* 34. 15. *Deut.* 23. 6. *Deut.* 14. 21.
g *Deut.* 14. 21. h Vid. *Exod.* 22. 31. & *Deut.* 14. 21.

19.

19. 5, 6. *Deut.* 28. 9. Vile ſcilicet, & a gentis ſanctæ dignitate prorſus alienum, videbatur; ut populus electus, & peculiari fœdere Deo conjunctus, ſe gentium profanarum moribus immiſceret, & Dei inſignibus ornatus, idolis & Dæmonibus inſerviret. SECT. II.

(20) Hæc ſeparatio politica (qua nempe Deus honore & favore gentem Judaicam a quavis alia diſtinxit & diſcriminavit) non tantum ut argumentum contra idololatriam in genere, ſed quandoque contra hos & illos mores idololatricos, uſurpatur. Nempe *Deuter.* 14. 1, 2. *Non incidetis vos, neque ponetis calvitium inter oculos veſtros,* more nempe gentium exterarum: *quia populus ſanctus tu Domino Deo tuo, & elegit te Dominus ut ſis ei populus peculiaris præ aliis populis qui ſunt ſuper faciem terræ:* quibus verbis Deus in hunc ſenſum loqui videatur: "cum ego vos Iſraelitas in eum honoris & dignitatis gradum evexerim, ut vos ſolos *filiorum* meorum titulo cohoneſtarem, &, aliis "gentibus inſuper habitis, vos populum mihi peculiarem conſtituerem, vos etiam privilegiis donarem tantæ dignitati conſentaneis; æquum eſt, ut vos & bona veſtra cognoſcatis, ut animos ſumatis honoribus veſtris convenientes, & ut probe ſciatis excellentiam eam qua jam donati eſtis, alios mores & a gentium uſu longe diſcrepantes "poſtulare. Mores, gentium ingenia ſapientes, degeneres animos arguunt, & longe "infra faſtigium veſtrum ſubſidentes. Vos ideo a gentium fæce ſeparavi, & gentem "mihi ſanctam & peculiarem ſtatui; ut hæc ſeparatio honorifica vos ad mores pecu"liares, & loco veſtro congruos invitaret. Paraphraſin iſtam eo minus a textus jam dicti mente alienam judico, eo quod verſus 21. ſenſum non abſimilem admittat, & verbis affinibus exprimatur: *non comedetis ullum cadaver* quod fato ſuo periit; *peregrino qui eſt intra portas tuas dabis illud, & comedet illud, vel vende alienigenæ; quia populus ſanctus tu Domino Deo tuo.* Quaſi dictum eſſet, "cum vos populus Deo ſan"ctus & peculiari ratione ſeparatus audiatis, vos decenter & cum diſcrimine tractari "volo; vobis itaque caro lacera, ſanguine polluta, vel caſu mortua, prorſus interdi"cta eſt; cum longe magis conveniat, ut [a] canibus aut alienigenis, quam ſanctis Dei "filiis, in cibum apponatur.

(30.) Hinc etiam credibilius evadat, ſeparationem hanc ad idololatriam extirpandam profuiſſe, quod in lege Moſaica multum operæ impenſum ſit, ut ſeparationis hujuſce ſenſus Hebræorum animis frequenter incuteretur. Nam illius rei gratia tot leges de cibis, de perſonis, de rebus etiam, mundis & immundis, Judæis imponebantur, quibus nec patres antiqui, nec gentes exteræ, tenebantur; ut ſcilicet in omni vita ſemper aliquid ante oculos eorum verſaretur, quod eis [b] ſanctitatis ſuæ peculiaris memoriam ſæpius inſtauraret, eoſque ſolos Deo ſancto ſeparatos indicaret. Cum itaque tam clarum, & quotidiana legis voce firmatum eſſet, ſolos Judæos Deo ſancto fœdere conjunctos & ſeparatos; impoſſibile erat ut a Dei lege deficerent, & Dæmonis immundi cultui ſeipſos manciparent, niſi ruditatem, ſtuporem, ingratitudinem & pertinaciam, poſt natos homines maximam, proderent. Probandum eſt tertio, ſeparationem etiam realem & perſonalem a gentibus, ad idololatriam præcavendam & evertendam plurimum valuiſſe. Hac de re nemo facile dubitare poteſt, cum ſcriptura, ratione, & experientia multiplici, ſatis clare confirmetur. *Scriptura:* ubi ſocietas omnis (negotiatoria, familiaris, præcipue vero conjugalis) cum hominibus cultui prophano deditis Judæis interdicta eſt; ne hujuſmodi commercia cum idololatris mores externos traherent, & latam aperirent feneſtram idololatriæ. Deum ea de cauſa conſuetudinem omnem cum gentili vetuiſſe, cuivis appareat loca illa plurima conſulenti quibus gentilem in conſuetudinem familiarem adſciſcere Judæis interdictum eſt: *viz. Exod.* 23. 32, 33. *Deuter.* 7. 2, 3, 4. *Pſal.* 106. 35. *Exod.* 34. 15, 16. *Malac.* 2. 11. Idem etiam *ratione* ſatis aperte confirmatur: quid enim tam ſollicite curatum eſt, ne Judæi commercia, fœdera, vel connubia, cum gentilibus inirent; niſi quod verendum eſſet, ne e frequenti ſocietati profani mores in eorum animos, jam ſacris moribus imbutos, ſe inſinuarent? Nam veriſimile eſt, Hebræos a gentilium uſu familiari & alloquio frequenti ad amorem perſonarum, & ab amore perſonarum ad amorem cultus moriſque gentium facile tranſituros. Ex adverſo, ſi Judæi & gentes ab invicem ſejuncti viverent, & a ſocietate vel convictu omni mutuo abhorrerent; fieri vix potuit, quin ab invicem odio capitali diſſiderent, & proinde gentiles non minus Judæorum ritus & inſtituta, quam Judæi ceremonias & imagines gentilium, deteſtarentur. Neque ratione tantum, ſed & *experientia,* comprobatum eſt, ſeparationem a ſocietate gentilium ad ido-

Separationem realem & perſonalem ad idololatriam evertendam valere, patet ex Scriptura,

Ratione,

& experientia.

a *Exod.* 22. 31. b *Lev.* 15. 31.

SECT. II. lolatriam eliminandam multum profuiſſe. Cum enim Iſraelitæ fœminas ethnicas in thori ſocietatem ſumerent, ſemper obſervatum eſt eas lenociniis & blanditiis ſuis Iſraelitas in idololatriam ſeduxiſſe. Huic veritati hiſtoria ſacra loco non uno fidem aſtruit, viz. *Judic.* 3. 5, 6, 7. *Ezr.* 9. 2, 14. *Nehem.* 13. 23, 24, 25, 26. Cum etiam Judæi gentilibus commixti viverent, adeo ut in intimum familiaritatis locum non raro recepti eſſent; memoriæ proditum eſt, eos [a] *ipſorum opera didiciſſe*, & ad mores gentium ſe compoſuiſſe. Si vero Judæi longiore terrarum intervallo a gentilibus diviſi vixiſſent, mores ethnicos nec oculis uſurpare, nec animis æmulari, potuiſſent; adeo ut neceſſe eſſet, ut idololatriæ lucus omnis intercluderetur.

Corollarium primum. PROVINCIÆ meæ pars quarta jam ſupereſt expedienda, ut nempe nonnulla ſubjungam corollaria, e modo dictis oriunda. Horum primum hoc eſto: Gentiles non erant legaliter immundi, nec nuda ſua præſentia vel contactu pollutionem adſtantibus afferebant, uti Judæorum plerique ſe perſuaſos habuerunt. Lex enim de munditia vel immunditia non data erat ethnicis, nec illi hac in re Legis inſtitutis adſtringebantur. Tota Judæorum veterum religio qui gentilium ſocietatem fugere ſolebant, non in eorum immunditia (uti Judæorum recentiorum opinio ſe ferebat) ſed eorum idololatria, fundabatur. Ea erat opinione [b] *Maimonides*, cum forte zelus Judaicus eum minus agitaret: nam de interdictis ejusmodi cum gentili quivis conſortiis, pactis, & commerciis, agens, וכל הרחיקה הזאת מפני ע״ן וגו *Et omne* inquit, *id quod ſic dicitur de non admittendo* idololatrarum conſortio & commercio *idololatriæ cauſa* introductum eſt; *juxta id quod habetur in ſacra lege*, [c] *ne vocet* ſeu *invitet te*, *edaſque de ſacrificio ejus*, *& accipias de filiabus ejus filiis tuis*, *& fornicentur*, &c. Atque ea de cauſa Judæi locum illum non tantum de ſeptem gentium conſortio & commerciis evitandis intellexerunt, ſed & aliarum gentium, quarum non diſſimilis ratio; quæ ſcilicet idolis animos addixerant, & e quarum conſortio non minus contagii metuendum erat. Judæorum mores huic opinioni conſentanei, cauſa fuere cur nihil commercii haberent cum Samaritanis, quos pro idololatris [d] jure habuerunt. Hæc omnia ſibi fidem acquirant e verbis fœminæ Samaritanæ & Evangeliſtæ; [e] *quomodo tu*, *Judæus cum ſis*, *bibere a me poſcis*, *quæ ſum mulier Samaritana?* οὐ γὰρ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις, *non enim coutuntur Judæi Samaritanis*, ſeu מתחשחין *non habent commercium*, uti Syrus reddit.

Secundum. SECUNDO: lex Dei commercium & ſocietatem omnimodam cum alienigena minime vetuiſſe, ſed eam ſub certis conditionibus toleraſſe, videatur: ut ſcilicet alienigena ille non ſit e populis Dei ſententia funditus extirpandis: ut interea temporis a cibis illicitis & immunditiis omnibus lege definitis abſtineatur: & ut ſocietas illa temporaria & pene coacta ſit potius, quam frequens & affectata. Cum enim [f] Judæi id vitio verterent Salvatori noſtro, quod cum publicanis & peccatoribus comedere non recuſaret; id reſponſi datum eſt, *qui valent non opus habent medico*, *ſed male habentes: euntes autem diſcite quid illud eſt*, *miſericordiam volo & non ſacrificium:* quæ verba in hunc ſenſum interpretanda cenſeo: “non ſoleo gentilium eorum conventibus frequens intereſſe, ſed raro admodum: nec ut familiaris cum vicino, ſed ut medicus cum ægroto, cum iis quandoque verſor; ut nempe ſe male habentibus ſalutem afferam. Neque hac in re legem violo, quæ juſtitiam quidem ritualem poſtulat, ſed charitatis officio minime præferendam.

Tertium. TERTIO: ſub inclinantis imperii Judaici tempora, gentilem convenire, ejus conſuetudine familiarius uti, vel cum commercio leviſſimo dignari, infame prorſus & illicitum habebatur. Hæc autem ſeparatio ſcrupuloſa, non a legis præſcripto, ſed ſapientum decreto, & populi Judaici φιλαυτίᾳ nimia, principium duxit. [g] Fatendum eſt quidem, victus rationem peculiarem Iſraelitis præſcriptam, gentium externarum conſuetudinem familiarem, admodum difficilem & impeditam reddidiſſe. Poſtea vero multo arctior, e ſeniorum decreto, reddita eſt, cum nempe Judæi ſummum imperium amiſiſſent. Tunc enim, uti colligere eſt ex [h] evangeliis & actis Apoſtolorum, Judæi, συγχρῆσθαι, συνάδειν, κολλᾶσθαι, προσέρχεσθαι, alienigenis, illicitum habuerunt; & hoc ipſum [i] *Apollonius Molo* Judæis objecit invidioſe, ὅτι μὴ παρεδέχοντο τοὺς ἄλλοις προκατειλημμένους δόξαις περὶ Θεοῦ, μηδὲ κοινωνεῖν ἤθελον τοῖς καθ' ἑτέραν συνήθειαν βίου ζῆν προαιρουμένοις. *Quod non reciperent aliter de Deo ſentientes*, *neque commercium haberent cum hominibus qui aliam quam Judaicam vitæ rationem ſequebantur.* Erat autem interdictum,

a *Pſal.* 106. 35. b *Halac. avod Zar.* cap. 9. §. 12. c *Exod.* 34. 15, 16. d 2 *Reg.* 17. 34, 41. *Joh.* 4. 22. e v. 9. f *Mat.* 9 11, 12, 13. g *V. Grot.* in *S. Mat.* c. 5. 41. h *Luc.* 15. 2. *Act.* 11. 3. i *Ap. Joſeph. contra Apion.* l. 2 p. 1387. ſ.

cum

cum alienigena vinum bibere, vel aliud aliquod commercium habere; ne in tanto ſuperſtitionum impiarum regno, e conſuetudine nimium familiari contagium contraheretur. [a] Inıroductı eſt hæccautio, non legis præſcripto, ſed ſeniorum, ex quo Judæorum poteſtas imminuta fuit; & Judæi nec indigenas a lege deficientes punire, nec alienigenas in ſuo ſolo habitantes intra *præcepta Noachi* dicta continere potuerunt. Sed hæc forte cum argumento meo præcipuo non multum conjuncta videantur. SECT. III.

SECT. III.

De Separatione Gentilium a Judæis, &c, ob argumenti vicinitatem lex illa perobſcura, de Mamzere *lata, fuſe explicatur.*

LEX ea ad quam digitum intendo, his verbis expreſſa legitur, *Deut.* 23. 2. ממזר *Mamzer non ingredietur in eccleſiam Domini ad generationem decimam.* Ut autem tenebras diſcutiam quibus lex ea per multas ætates involuta jacuit, quæſtionibus hiſce quinque reſpondere debeo: (1°.) Quinam ſenſus vocabuli ממזר *mamzer* interpretum fidem & aſſenſum obtinuit hactenus. (2°.) Quinam ſenſus vocis hujuſce pro genuino habeatur. (3°.) Cur LXX vocem eam per ἐκ πόρνης reddidere, cum illam *Zach.* 9. 6. aliter, & magis ad amuſſim, interpretati ſint. (4°.) Quid per phraſin illam, *ingredi in eccleſiam Dei*, hac in lege denotatur? (5°.) Quinam *Mamzeres* quali ab ingreſſu in eccleſiam Dei repelluntur?

PRIMO: quinam ſenſus vocabuli *Mamzer* fidem & aſſenſum interpretum obtinuit hactenus. Senſus *Mamzer* apud interpretes, veritati non conſonus.

RESPONDEO: LXX, [1] Chaldæus, Arabs uterque, Sytus, Perſa, vulgatæ auctor, & (ut ſummatim loquar) Hebræi & Chriſtiani fere omnes vocem eam de ſpurio, vel homine quovis a thoro illicito genus ducente, ſolent interpretari. Huic interpretationi teſtimonium tulit auctor ſapientiæ, ſed obſcurius paulo, Cap. 3. 16. ubi ait, τέκνα δὲ μοιχῶν ἀτέλεστα ἔσται· *filii autem adulterorum non erunt initiati*, vel ad res ſacras participandas non admittentur in eccleſiam. A dictis interpretibus ſtant Anglicani nnſtri, qui ſic legem illam reddiderunt; *a baſtard ſhall not enter into the congregation of the Lord.* Atque huic interpretationi calculos ſuos appoſuere Canoniſtæ veteres, quorum inſtitutis nothi omnes a ſacris ordinibus amoventur; nempe ne mores ab hac lege diſſentientes ferre videantur. Sed variæ rationes notionis hujuſce vulgaris fidem labeſactant: nempe,

(1°.) PALAM eſt, nullum e Judæorum gente, ſpurium licet aut e ſcorto natum, ab ingreſſu in eccleſiam Judaicam arceri debuiſſe, modo a parente utroque ſanguinis Judaici propagatum. Nam *Phares*, a Juda per inceſtum natus, ejusque poſteritas integra, nnn tantum Iſraelitis accenſebatur, ſed apud eos in [b] honore ſingulari habebatur *Jephthah* etiam, [c] filius licet peregrinæ, id eſt, e cubili profano natus, non tantum ad eccleſiam Dei, ſed ipſum populi ſancti primatum, admittebatur. Neque Dei miſericordiæ conſonum eſt opinari, cum homines ullos, ad generationem usque decimam, ab eccleſia ſua repellere voluiſſe, tantum quod minus honeſte nati fuiſſent, & a patre parum caſto labeculam cnntraxiſſent. His accedat, quod nothi non pauci in hiſtoria memorentur, qui virtute ſingulari, artium peritia, & rerum geſtarum gloria, natalium ſuorum maculas obliterarunt: & fidem omnem excedit, Deum hominibus iſtis ſimul & poſteris eorum omnem in eccleſiam ejus ingrediendi libertatem adimere voluiſſe.

(2°.) VOCI ממזר *ſpurii* notatio tribui nequit, quod nulla radix occurrat in tota linguæ ſanctæ ſupellectile, unde vox illa (hoc ſenſu ſumpta) originem petiiſſe cenſeatur. Nonnulli quidem hic מזר, tanquam radicem ingerunt, eique, *illegitime natus eſt*, *ex adulterio natus eſt*, *e ſeminis alieni fluxu prognatus eſt*, ſignificatum tribuunt, atque hinc, inquiunt illi ממזר nomen heemanticum ortum derivare ſentiendum eſt. At vero, cum vox illa מזר plane fictitia ſit, nec unquam in vet. Teſtamento verbaliter uſurpata; cum etiam vox ipſa ממזר, unde formata videtur, incerti ſit ſenſus, eique non niſi ſemel *ſpurii* notatio a LXX tribuatur; temerarium eſt, ſignificatum tibicine tam debili ſuffultum aſſerere; cum præſertim ratio nihil ei præſidii vel patrocinii præbeat.

a *V. Grot.* in *S. Johan.* 4. 9. b *Ruth.* 4. 12. c *Judic.* 11. 2.

1 Apud Targum Onkelos tantum vox ממזיר *Mamzer* extat. In Targ. Jon. Ben. Uzziel. & Hieroſol. legimus דמתיליד מן זנו *qui natus eſt ex ſcortatione.*

SECT. III.

(3°.) Si vox ממזר *ſpurium* proprie denotaret, certum eſt legem hanc *quæſtiones* potius quam ædificationem piam Judæorum Eccleſiæ præſtare voluiſſe. Veritatis hujus argumentum ſatis amplum præbent Hebræorum magiſtri, qui vocem ממזר de *ſpuriis* interpretari ſolent. Illi ſcilicet in partes varias abeunt, quæſtiones etiam liteſque non paucas movent, circa *Mamzerim*; alios hic eccleſia interdictos, alios extra legis hujuſce limites conſtitutos, aſſerentes. Apud[a] *Maimonidem*[1] ſpurios in triplici diſcrimine conſtitutos legimus: erat enim ממזר ודאי *ſpurius certus*: ממזר ספק *ſpurius dubius*: & ממזר מדברי סופרים *ſpurius e ſententia ſcribarum*, qui fimbrias legis ſuæ ritualis ampliare ſolebant. Cum autem hæc doctrina multa laboraret incertitudine, & auctoritate tantum Rabbinica niteretur; fieri vix potuit, quin litibus anſam adminiſtraret, & quæſtiones aliæ ex aliis inde naſcerentur. Hæc omnia paulo clarius elucent ex iis, quæ[b] *Seldenus* noſter, [c] *Jacobus Capellus*, alii, de *Mamzerim*, e Miſna & Maimonide protulerunt. Interea; loci ratio non patitur opinari, legem hanc eo tantum ſenſu capiendam eſſe, qui litibus & quæſtionibus materiam adminiſtrare, ſed eccleſiæ Judaicæ commodum nullo modo promovere, potuit. Quid enim commodi ad eccleſiam Judaicam redire potuit, ſi quiſque ſpurius ad generationem decimam inde repelleretur?

(4°.) Si vox ea *Mamzer* nothum denotet, adeoque lex integra prolem ex amplexu vetito ſuſceptam ab eccleſia ſecludere cenſeatur; neceſſe eſt ut Deus ob patrum vitia filios punire credatur. Hæc autem doctrina Moſen cum[d] Ezechiele committeret, qui *filium patris iniquitatem minime laturum* non ſemel affirmavit. Si vero ſpurii (tantum quod minus honeſte geniti) una cum poſteris eorum, ad ſeros usque nepotes, ab eccleſia Dei rejicerentur; dicendum eſt, eos, ob culpam paternam, pœnas ſubiiſſe, easque ſeveriſſimas.

Proprietas vocabuli mamzer aperitur.

Studium meum quæſtioni ſecundæ jam impendendum eſt, quæ verbis his exprimebatur, *quinam ſenſus vocabuli Mamzer pro genuino habeatur?* Ut itaque rem paucis exprimam, aio vocem hanc, *alienigenam, gentilem, extraneum, a genere Iſraelitico alienum* vel *alienigenæ filium*, proprie denotare. Atque hanc eſſe maxime propriam vocis hujuſce notationem, argumentis non contemnendis evinci poteſt.

(1°.) Interpretes Hebræorum, antiquitate & eruditione maxime præcellentes, hunc ſignificatum auctoritate ſua confirmarunt. Nam locum illum[e] *Zachariæ*, ubi ממזר occurrit iterum, ſic LXX. reddidere; Καὶ κατοικήσουσιν ἀλλογενεῖς ἐν Ἀζώτῳ Et *habitabunt* (aut *ſedebunt*, in throno) *alienigenæ & ſuccidere faciam ſuperbiam Philiſtinorum.* Hic equidem noſtrates in diverſum abeunt, ſic locum interpretantes, *and a baſtard ſhall dvvell, or reign in Ashdod, and I vvill cut of the pride of the Philiſtines.* Huic autem verſioni Græcam facile præferendam judico, non tantum quod illius auctores in lingua Hebræa probe fuerint exercitati, ſed quod ſanæ rationi magis convenire videatur. Nullum enim ſervitutis argumentum luculentius, aut apertior ignominiæ nota, quam principe nativo privari, & alienigenæ jugum gerere. Nam[f] *Diodorus Siculus*, Ægyptiorum Arabumque antiquiorum mores & geſta referens, hoc, tanquam animi generoſi & honoris ſenſu tacti documentum, memoriæ conſignavit, quod [ἐγχωρίοις βασιλεῦσι] [2] *reges* tantum *indigenas haberent*, ----- quod καθόλου τοῦτο τὸ ἔθνος φιλελεύθερόν ἐστι, καὶ καθ᾽ οὐδένα τρόπον προσδεχόμενον ἔπηλυν ἡγεμόνα· *gens iſta libertatis amans perpetuo eſſet nec unquam principem extraneum admitteret.* Libertatis autem vel honoris ſui jacturam haud adeo gravem feciſſent Philiſtini, ſi Jephtha quiſpiam rebus eorum præfuiſſet; hoc eſt ſi nothus quidam, ſed bello fortis, rerum civilium peritus, & ab ipſorum ſanguine propagatus, thronum occupaſſet. A Græcis ad interpretem Chaldæum jam tranſeat ſermo, a quo *Mamzer dicitur filius alicujus converſi de Chananæis, vel aliis gentibus, & alicujus Hebrææ: vel filius Hebræi & mulieris converſæ de gentilitate.* Cum autem interpres ille Chaldæus præſto non ſit, hoc affirmare cogor fide[g] *Toſtati*[3] nixus

a In *Hilc. Iſſur. bia.* cap. 15. b *De Jur. Nat. & Gent.* l. 5. c. 16. c *Obſervat.* in *Deut.* 23. 2. p. 639. d *Ezec.* 18. 17, 18, 20. e Cap. 9. 6. f *Biblioth.* lib. 2. p. 63. 90. g *Comment.* in *Deut.* 23. qu. 1. p. 205.

1 Vid. Jad. chazach. T. 2.

2. Voces iſtæ ἐγχωρίοις βασιλεῦσι apud Diodor. non leguntur: ibi quidem loquitur de puteis Arabiæ occultis. μόνοις τοῖς ἐγχωρίοις γνωριζομένους, quos *ſoli indigenæ norunt*: eodem redeunt ea quæ habentur apud pag. 137.

3. Toſtatus in loc. interpretationi illi repugnat: & quidem Anonymus iſte Chaldæus agit contra decreta Maſchnæ, ubi quæritur, אי זהו ממזר *Quisnam eſt Mamzer?* Reſp. *omnis carni propinquus*, juxta R. Akibam, i. e. omnis qui genitus eſt ex conſanguineis, quorum vetitus coitus, *Levit.* 18. & 20. vid. Miſhn. tit. Jabimoth. cap. 4. §. 13. Proles igitur vel Gentilis converſi & Hebrææ, vel mulieris converſæ de Gentilitate, non *Mamzer*, nam ex Proſelyto (juſto præcipue) proles, ---- eodem modo eccleſiæ Hebraicæ pars habebatur quo proles ejus, qui ſanguine atque origine eſſet Iſraelita; vid. Seldeo. de *ſucceſſ.* cap. 3. & 26. Maim. Iſſur. Bia c. 15. & *Ainsvvorth.* in *Deut.* 23. 2.

Ah

Ab hac ſententia non multum deflectunt Talmudici, qui vocem hanc, velut a מום זר quod *maculam extraneam* ſonat, deduci volunt, & ממזיר *Mamzir* non raro ſcribunt. Hæc & alia jam dictis affinia, reperiet lector, qui [a] Seldeni noſtri paginas eruditas conſultum ibit. SECT. III.

(2°.) Si *alienigena* ut ſignificatus τῶ *Mamzer* accipiatur, ſtatim conſtabit ratio, cur legi de *Mamzere* regulæ & exceptiones quædam alienigenas alios ſpectantes continua ſubjungantur. Nam in contextu, lex de gentibus tantum generis alieni loquitur, Ammonitis nempe, Moabitis, Idumæis, & Ægyptiis; dein hanc regulam proponit, laxiore vel ſtrictiore ſenſu capiendam, prout genres de quibus fit ſermo, magis aut minus mereri viderentur. Nam ingreſſus in eccleſiam generatione decima *Mamzeri* cuivis ordinario concedebatur: Idumæis & Ægyptiis ad eccleſiam, generatione tertia dabatur aditus: Ammonitis autem & Moabitis eccleſiam intrandi copia, *poſt generationem decimam, in æternum* denegata eſt. E jam dictis non timide colligo, lege hac de *Mamzere* data cautum eſſe, ne quis alienigena, vel homo gentis aut originis exteræ, niſi circumciſus, ad jus civitatis, aut cœtum ſacra Judaica colentium, admitteretur. Et ratio (fateor enim) me laret plane, cur in contextu de extraneis tantum ageretur; & cur ſtatutum eſſet ut ex iis alii citius, alii ſerius, quam *Mamzeres* ordinarii, in eccleſiam reciperentur; niſi vox ea de peregrinis aut extraneis nondum rite initiatis intelligenda ſit.

(3°.) Dantur cognata quædam ſcripturæ loca, quæ legem hanc de gentilibus (זרים & [b] ἀλλότριοι dici ſolitis) interpretari docent. Ex iis tria præ cæteris digna judicavi, quibus obſervandis & explicandis diligentius inhærerem.

Inter ea locus ille [c] Threnorum primas occupet, *vidit gentes* alienas *ingreſſas in Sanctuarium ejus, de quibus præceptum eſt quod non intrabunt in eccleſiam tuam.* Hunc locum legi quam præ manibus habemus affinem eſſe, dubitare non ſinit verborum ſimul & materiæ ſimilitudo. Nec minus extra dubium eſt, גוים *gentes* hic locum τῶν *Mamzerim* occupare; cum Ammonitæ, Moabitæ, & Ægyptii (de quibus nonnulli locum *Threnorum* intelligunt) nomine ſuo propriu venire ſoleant, & communi illo *gentium* nomine raro cenſeantur.

Locus ſecundus, qui legi præſenti lucem afferat, occurrit *Ezec.* 44. 6, 7. *Sufficiat vobis, de omnibus abominationibus veſtris o domus Iſrael cum induxeritis* [d] *filios alienigenæ ut eſſent in ſanctuario meo*, &c. Hunc locum legi etiam præſenti parallelum & intime conjunctum probat, non tantum materiæ vicinitas, ſed etiam Græcorum verſio, qui phraſin illam, υἱοὺς ἀλλογενεῖς hic adhibent, quæ ſignificatum vocis *Mamzerim* ad amuſſim exprimit; quam & alibi LXX ad vocis illius notionem exprimendam uſurparunt.

Textus tertius, eundem ſpectans, his verbis ab [e] Ieſaia traditur; *& ne dicat* בן-הנכר *filius alienigenæ, ſeipſum, Domino adjungentis--Dominus ſeparavit me a populo ſuo.* Nam prophetam talia dicentem, legem hanc ob oculos habuiſſe, non pauca me perſuaſum faciunt: nam 1°. Phraſis illa, בן-הנכר *filius alienigenæ*, directe reſpondet voci, ממזר illius notationem paulo clarius indicans. 2°. LXX voces eas per ἀλλογενεῖς interpretantur, in Jeſ. 56. 3. qui & [f] alibi *Mamzer*, per vocem eandem reddidere. 3°. in loco illo prophetæ, prout [g] hac etiam in lege, *de alienigenis & eunuchis* ſimul agitur. 4°. Niſi *Mamzer* hac in lege (non ſpurium, ſed) alienigenam quemvis denotaret, nil eſſet cauſæ cur quivis extraneus ſe *a Dei populo ſeparatum eſſe* quereretur.

(4°.) Eo erat ingenio moreque veterum Hebræorum natio, ut lege ſenſu jam dicto intelligenda maxime caruiſſe videatur. Prout enim Deos alienos, veſtes alienas, mores alienos, & fœminas alienas, impenſe deſiderarunt; ſic & homines a genere cultuque Judæorum alienos; iiſque propenſis affectibus adhæſerunt. Huic rei fidem faciunt obvia prophetarum teſtimonia: *Jeſ.* 2. 6. [1] *Dimiſiſti populum tuum, domum Jacob, quia filiis alienigenarum abundant, iiſque oblectantur.* Hoſ. 5. 7. *Prævaricati ſunt in Dominum, quia filios alienos genuerunt:* i. e. Exponente Chaldæo paraphraſte, מבנת עממיא *e filiabus populorum* Ezec. 44. 7. *ſufficiat vobis de omnibus abominationibus veſtris, o domus Iſrael: cum induxeritis filios alienigenæ in ſanctuarium meum*, &c. Ier. 2. 25. *Tu dixiſti deſperatum eſt, nam amavi* זרים *peregrinos, & poſt eos ibo.* Ad [h] alia ſcripturæ teſtimonia digitum ſufficiat intendiſſe. Cum itaque is eſſet Hebræorum genius & inclinatio pro-

a *De ſucceſſ. a Leg. Hb.* Cap. 3. p. 9. b *Heb.* 11. 34. c Cap. 1. 10. d υἱοὺς ἀλλογενεῖς LXX. in loc. e Cap. 56. 3. f *Zach.* 9. 6. g *Deut.* 23. 1, 2. h *Jerem.* 3. 13. *Nehem.* 13. 30.

1 *Dimiſiſti* נטשתה potius vertendum eſt deſeruiſti --- *quia filiis* &c. Hebraica ita ſe habent, *quia repleti ſunt ab oriente --- & filiis alienigenarum applaudunt.*

SECT. III.

penſiſſima, lege opus erat, quæ tanquam *paries intergerinus*, Iſraelitas & extraneos ab invicem divideret, & utrunque populum a frequente congreſſu & conjunctiore convictu cohiberet. Ratio itaque ſentire ſuadet, Deum hanc legem ad extraneos omnes a cœtibus Judaicis arcendos inſtituiſſe; cum præſertim id jam ageret, ut Ammonitas, Moabitas, Idumæos, Ægyptios, alios, idololatriæ peſte correptos, ab eccleſia ſua longe removeret.

(5°.) MODO ſenſus jam dictus vocabuli *Mamzer*, genuinus exiſtimetur, lex tota clarius ibit, & illius æquitas ſtatim luculentinr apparebit. Ratio nempe cuivis obvia eſt, cur Deus alienigenam & filium alienigenæ (hominem a genere & religione Judæorum pariter alienum) ab eccleſia ſua longius amandaret, eique familiaritatem & affinitatem cum populo ſuo contrahendi libertatem denegaret. Erant enim alienigenæ nullo non vitiorum genere plurimum infames, & Iſraelitas proculdubio morum ſuorum lue corrupiſſent, ſi in eandem cum iis eccleſiam & ſocietatem coaleſcere licuiſſet. At vero ſi *Mamzer* ſpurium notet, neceſſe eſt ut lex tota *durus ſermo*, nec facile cum ratione concilianda, cenſeatur. Non liquet enim cur Deus ſpurium quemvis, eumque e ſemine plerunque Judaico propagatum, ab ingreſſu in eccleſiam ejus, ad generationem usque decimam, cohiberet.

(6°.) MORES Hebræorum veterum ſenſum quem dixi vocabuli *Mamzer* non parum aſtruere videntur. Illis nempe religio erat affinitatem contrahere, vel quotidiano congreſſu & alloquio ſibi familiarem reddere, virum aliquem qui a populo peregrino genus arceſſebat, vel cultum alienum exercebat. Hoc ſatis intellectum eſt e verbis [a] S. Petri, ſic advenas alloquentis; *Vos ſcitis nefas eſſe viro Judæo* κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἀλλοφύλῳ, *adhærere*, nempe [b] matrimonio, vel *accedere*, congreſſu ſcilicet vel commercio ordinario, *ad alienigenam:* nempe ne gentili cuivis, per ſermonis commercium aut congreſſus familiaris blandimentum, Judæum quemvis corrumpendi facultas naſceretur. Et (ut inſtitutum proſequar) Judæi tantum aberant a matrimonio cum exteræ gentis hominibus ineundo, ut fœminæ cujusvis alienæ lectum fugerent, gens licet eſſent in Venerem propenſiſſima. Hoc [c] *Taciti* teſtimonio fretus aſſero, qui *projectiſſimam ad libidinem* Judæorum *gentem, alienarum concubitu abſtinere* dicit. Aliis exemplis oſtendi pnſſet alienus Hebræorum in extraneos animus: ſed in argumento tam trito unum ſufficiat levi digito tetigiſſe, nempe *parietem* illum *intergerinum*, qui medius inter ſanctuarium & porticum templi ponebatur, ut extraneum quemvis a propiore ad templum ipſum acceſſu enhiberet. Nam, referente [d] Joſepho, paries ille columnis inſcriptum habuit, Μὴ δεῖν ἀλλόφυλον ἐντὸς τοῦ ἁγίου παριέναι· Sed hac de re ſermonem paulo liberinrem ſtatim habiturus ſum. Interea loci, nemo facile dixerit, quid Judæi a Gentilibus animos tam adverſos & alienos gererent; niſi lex hæc de *Mamzere* data quemvis extraneum denotaſſe, & huic ſeparationi anſam dediſſe, cenſeatur. Sed ut ut hæc ſe habeant, apertum eſt, Legem nullum omnino colorem aut prætextum parieti vel inſcriptioni jam dictis adminiſtrare, niſi *Mamzer*, hac in lege, ἀλλόφυλον ἀλλογενῆ, cum [e] LXX ſenibus, interpretari fas ſit.

(7°.) VOCEM *Mamzer*, ἀλλογενῆ vel υἱὸν τοῦ ἀλλογενοῦς, notare, fide dignius habeatur, quod ſignificatus ille cum ipſa radice vocis illius maxime cohærere videatur. Satis enim e ſuperius allatis eluceſcit, vocis illius originem, non a radice fictitia מזר arceſſendam eſſe; adeoque neceſſe eſſe, ut *Mamzer* a radice זור *peregrinari*, *alienum eſſe*, tanquam radice genuina, pullulare cenſeatur. Neque his obſtat, quod hæc vox duplex מ in principio ferat, cum ſit ex earum vocum (non infrequentium) claſſe in quibus מ Heemanticum duplicatur, ut fit in voce ממגורות [f] *Horrea*, aliisque. Conſentit [g] *Schindlerus*, myſtes in lingua ſancta verſatiſſimus: nam ממזר, ait ille, *idem quod* זר *extraneus*, *alienus*, *ut* מ *utrumque ſit Heemanthi*. Et ſi hæc originatio vocis hujuſce quid veri habeat, vocem ipſam ἀλλογενῆ, *extraneum*, *alieni generis advenam*, proprie ſignificare, nihil dubii apud lectorem cordatum habere poteſt.

CUM ab his omnibus aperte diſſentiat Græcorum verſio, quærendum eſt tertio, cur LXX vocem eam per ἐκ πόρνης, vel ὁ ἐκ πόρνης, *e meretrice natus*, interpretati ſunt. Si quid autem in re tam obſcura conjecturæ tribuendum ſit, variæ rationes verſionis illius aſſignari pnſſunt.

(1°.) HEBRÆI voces eas *(peregrinam & meretricem)* tanquam ſynonymas habuerunt, adeo ut apud eos peregrina *meretricem*, & meretrix *peregrinam*, denotaret.

a *Act.* 10. 28. b *Ita ſonat vox ea*, *Marc.* 10. 7. c *Hiſt. lib.* 5. *ſub init.* d *Bell. Jud.* l. 5. c. 5. p. 1226. 15. e In *Zach.* 9. 6. f *Joel.* 1. 17. g *Lexic. Pentagl.* col. 988.

Quan-

Quandoque *peregrina* meretricem ſignificavit : nempe *Prov.* 2. 16. *Ad liberandum* te מאשה זרה *a fœmina aliena* vel peregrina. Hunc ſenſum probat *Symmachus*, ſic locum vertens: ἀπὸ γυναικὸς ἀλλοτρίας, ἀπὸ ξένης ἧς οἱ λόγοι ὀλισθηροὶ *a fœmina aliena, a peregrina, cujus ſermones lubriei.* Huic affinis eſt locus ille *Proverb.* c. 22. 14. *fovea profunda* פי זרות *os alienarum*, i. e. meretricum. His etiam [a] loca illa [1] Proverbiorum, tanquam cognata, conjungantur, ubi זרה *aliena* LXX. πόρνης interpretantur. Quandoque vero *meretrix* vice verſa, ad *peregrinam* notandam adhibetur ; nempe *Judic.* 11. 1, 2. ubi Jephtah, *verſ. 1. filius meretricis*, at verſu ſequente [2] *filius peregrinæ* nuncupatur. Addo *Prov.* 23. 27. ubi זונה *meretrix* a LXX per ἀλλότριος redditur. Cum re præſente conjunctum eſt, quod vox נכר *alieni* ſimul & *nothi* ſignificatu gaudeat. Nemini itaque res mira videri poteſt, quod Helleniſtæ ממזר ἀλλογενὴς *extraneus*, *alienus*, per ὁ ἐκ πόρνης, hac in lege transferant. SECT. III.

2°.) VERISIMILE eſt, interpretes græcos ita verſionis ſuæ partes omnes adornare ſtuduiſſe, ut nihil offenſæ crearet hominibus a genere & religione Judæorum alienis. Si vox ממזר ἀλλογενὴς *extraneus*, *alienigena*, verteretur, adeoque gentiles omnes eccleſiam Judaicam ingrediendi jure privatos declaraſſent, proculdubio gentiles leges Judaicas, ὡς νόμιμα μισόξενα (uti vocat [b] Diodorus [3]) *inſtituta exterorum odio flagrantia*, & populum Judaicum, ut humani generis hoſtes juratos, odio hoſtili habuiſſent. LXX itaque ſe tam caute geſſerunt, ut phraſi illa (ὁ ἐκ πόρνης) intentionem quidem generalem vocis *Mamzer* exprimerent, ſed ſenſum grammaticalem (non niſi initiatis explicandum) ſilentio premerent. Norant enim ſenes illi locutionem illam (ὁ ἐκ πόρνης) in ſummo quidem ſignificatu *ſpurii*, in imo vero, *gentilis* aut *extranei* continere.

(3°.) Veri ſpecie non caret, errorem aliquem circa vocis hujus originationem verſioni huic occaſionem tribuiſſe. Nam ממזר quidem (ut ſæpe monui) *alienigenam* notat, ſed ממזרה [4] τὸν ἐκ πόρνης, *e ſcorto natum.* Illa vero litera ה vel adfuit aliquibus antiquiorum exemplaribus, vel eam LXX forte ſuppleri poſſe cenſuerunt : vel forte LXX vicinitatem vocabuli זרה colorem aliquem verſioni ſuæ præbere poſſe crediderunt. In re tam obſcura, conjecturis aliquid indulgeri poteſt.

(4°.) GENTILES olim Veneri tam vagæ & incertæ ſolebant indulgere, ut inter eos vix ullos niſi πόρνας & πόρνους liceret invenire. Hinc verbis [c] Apoſtoli ad Corinthins occaſio non levis data, *ſcripſi vobis ne commiſceamini fornicariis : & non omnino fornicariis hujus mundi, tunc enim debueratis ex mundo exire.* Leges de matrimonio ſancte habendo, gentilibus tam obſcuræ fuerunt & incertæ, ut nil mirum ſit eos frœnum omnifariæ libidini laxare ſolitos; cum præſertim magis illuminata Judæorum natio cenſuerint, peregrinis inter ſeipſos habitantibus quæſtum corpore facere licuiſſe. Cum itaque ſtupra & fornicantes ubique gentium olim obtinerent, & mundus ethnicus eo præcipue vitio paſſim invaleſcente a gente Judaica diſcerneretur, LXX *Mamzer* per ἐκ πόρνης, potius quam ἐκ ξένης, conſulto reddidere.

(5°.) SEPTUAGINTA ממזר per ἐκ πόρνης (vocem fœminei generis) interpretati ſunt, ut oſtenderent, omnem a matre, æque ac patre, extranea natum, pro *Mamzere* habendum, & inter alienos a republica Iſraelis numerandum. Interpretes illos hoc in animis habuiſſe, me perſuaſum facit regula illa ex Hebræorum jure civili, quam [d] *Seldenus* noſter obſervavit : *proles ex ancilla* ſive *pagana nata*, *ejuſdem eſt cum matre conditionis*, *nec patris ratio omnino* (in ea diſcernenda) *habetur.* Huic regulæ [e] *Maimonidis* illa lucis non parum afferunt: והבן [5] מן הגויה אינו בנו *ſed filius e gentili ſuſceptus* ab Iſraelita, *pro filio non eſt habendus.* Timendum erat ne hujuſmodi partus ventrem ſequeretur, & ethniciſmum cum primo lacte matris imbiberet; adeoque lata porta idolatriæ pateret, ſi ipſi in eccleſiam intrandi copia concederetur.

a Cap. 5. 3. & 6. 24. b Lib. 40. in *Excerp.* c 1 ad *Cor.* 5. 9, 10. d *De jur. Nat. & Gent.* l. 5. c. 12. e *Halac. Iſſur. Bia.* cap. 12.

1 Vox זרה non extat apud cap. 6. 24. Prov. ibi autem leguntur מאשת רע *a muliere mala*, quæ Theodotio vertit, πόρνης Aquil. ἀπὸ γυναικὸς, ἑταίρα σου Vatic. & Alexandr. ὑπάνδρου.

2 Hebr. בן אשא אחרת *filius mulieris alterius.* Mater quidem Jephtæ erat זונה *meretrix*: hinc autem non colligitur eam fuiſſe זרה *peregrinam.* Huic interp. conſentit Chald. Par. Alexandr. & Vulg. verſ. Apud Vatican. aliaque exemplaria legitur ἑταίρας filius meretricis ; hinc S. Auguſt. Quæſt. 42. *Jephtah erat filius meretricis.* Suſpicari tamen licet (inquit Flam. Nobil.) hoc loco idem valere, ac ſi diceretur, ἑτέρας, *alterius*, vid. quæ paulo poſt ſequuntur, de Mamzer. qui ab eccleſia repelluntur.

3 Apud Diodor. non legimus νόμιμα μισ. ſed μισόξενον βίον.

4 Hæret animus utrum tota lingua ſancta nobis ſuppeditabit ממזרה Si litera ה adeſſet, potius exhiberet *fœminam.* Cum autem Chaldæi depingunt *ſpurium*, dicunt ממזרת

5 מן הגויה *a Gentili.* Editio Veneta, 1574 &c. exhibet מן הכותית *a Cuthæa* ſive *Samaritana.* vid. ſect. 7. Iſſur. B. apud Jad Chaz. T. 2. fol. 135. Quanto odio Judæi proſequebantur Samaritanos, quos vocabant Cuthæos, neminem latet.

SECT. III.

(6°.) LXX *Mamzer* per ὁ ἐκ πόρνης transferunt, quod apud [a] Hebræos fœmina quævis ethnica pro meretrice habebatur, nec uxoris nomine digna cenſebatur, etiamſi ſacris nuptialibus præmiſſis, in thorum aſſumeretur. Nam lege cautum eſt, ne Iſraelita conjugium iniret cum gentili, vel homines ethnici & Judaici, mutuis inter ſe connubiis, aſſociarent. Qui vero, lege licet obſtante, matrimonium cum gentili contraxerant, vel uxores abdicare, (quod factum ætate [b] *Nehemiæ*) vel fornicationis perpetuæ reatum & infamiam ſubire tenebantur. Hæc omnia *Toſtati* [c] ſuffragium non parum illuſtrat & cohoneſtat: *quando aliquis de filiis Iſrael acciperet aliquam mulierem alterius gentis in uxorem, non erat matrimonium, ſed fornicatio illicita valde: quia tales perſonæ illegitimæ ſunt;-- maxime,-- quia talis mulier aſſumpta in matrimonium virum ſuum perverteret ad idolorum culturam: & filios inde genitos, qui apud matrem nutriuntur, mater erudiret ad cultum idolorum.-- Mulier autem tunc ſcortum dicitur, cum aliqua mulier de gente Hebræorum acciperet aliquem virum gentilem, manentem in gentilitate; quia illud non eſſet tanquam matrimonium, ſed tanquam fornicatio vel adulterium, aut aliqua alia ſpecies mali, ſicut ſi Chriſtiana mulier acciperet in virum aliquem ſaracenum.*

Ingredi in eccleſiam Domini, quid ſibi vult?

QUÆSTIO quarta ſuccedit expedienda, quid nempe per phraſin illam, *ingredi in eccleſiam Domini*, hac in lege denotatur? Ut autem huic dubio clare ſatisfiat, monendum eſt obiter, ingreſſum quintuplicem in eccleſiam Domini (*naturalem, civilem, politicum, religioſum & eccleſiaſticum,*) inter Hebræos olim invaluiſſe.

Introitus in eccleſiam naturalis:

(1°.) INTROITUS erat *naturalis*, qui nempe miſtione ſanguinis vel conjugio virginis Iſraeliticæ peragebetur. Hoc ritu nuptiali peregrini quandoque in cenſum gentis Judaicæ tranſibant, ſi præſertim circumciſioni ſeipſos ſubjeciſſent.

Civilis:

(2°.) INTROITUS *civilis* nomine nil aliud cenſeri volo, niſi conſortium, commercium & conſuetudinem frequentem cum gente Judæorum. Qui nempe frequens erat cum Judæis, iiſque familiariter utebatur, ingreſſum civilem in eorum cœtum habere non immerito dicebatur.

Politicus:

(3°.) INTROITUS *politicus* erat, cum quis in numerum civium reipublicæ & eccleſiæ Iſraeliticæ reciperetur, ita ut Hebræorum familiis accenſeretur, iiſdem juribus & privilegiis uteretur, iiſdem officiis (ſi ferret occaſio) fungeretur, politiæ Judaicæ membrum haberetur, & a Judæis originariis nomine ſolo diſcerneretur.

Religioſus:

(4°.) INTROITUS *religioſi* nomine intelligi volo, vel religionis naturalis profeſſionem, Dei veri coltu præſtitam, & eorum præceptorum obſervatione, quæ *Noachi* vulgo dicebantur; vel religionis Judaicæ ſuſceptionem, quæ circumciſione, tanquam ſigno ſolenni peragebatur.

Eccleſiaſticus.

(5°.) ERAT etiam introitus qui *eccleſiaſticus*, diſcriminis cauſa, vocari poteſt. Eo nomine intellectum velim, non tantum ingreſſum in Synagogam, qua conventus agebant ſeniores Judæorum; ſed etiam in templum, ubi Judæorum cœtus aut eccleſia ad orationes habendas, & alia ſacra obeunda, convenire ſoliti ſunt. At que hæc omnia ſolutionem quæſtionis propoſitæ magis obviam reddant & expeditam.

Quinam mamzeres ab eccleſia repelluntur?

UNUM jam ſupereſt, ut nempe reſponſum reddam quæſtioni quintæ, quinam *Mamzeres* ab ingreſſu in eccleſiam vi legis hujuſce repelluntur? Huic autem quæſtioni *theſibus* hiſce quinque plene ſatisfiat.

Ex iis hæc primas habeat: nulli e *Mamzerum*, aut *alienorum* ordine, ab introitu *religioſo* in eccleſiam Domini arcebantur. Nihil obſtabat, quo minus quiſque, ſi cordi eſſet, fide, lege, cultuque Judaico frueretur. Tunc temporis eccleſia Judaica porta ſalutis erat, & nemini intrare volenti claudebatur. Cuivis extraneo licebat, expediebat, oportebat, eccleſiam ingredi, & fidem cultumque Judaicum profiteri. Nam verbis hiſce ſacrorum omnium uſum peregrinis interdictum eſſe, alia [d] ſcripturæ loca non patiuntur opinari; ea nempe quibus advenæ eadem ſacrorum loca, jura, ritus, quos indigenæ colere jubentur & obſervare. Præceptum eſt etiam Judæis גרי שער [1]: *peregrinos portæ*, i. e. Proſelytos intra portas eorum habitantes, omnibus humanitatis officiis proſequi, iiſque nulla hoſpitii jura denegare; ne aliter ab eorum lege cultuque deterrerentur.

a V. *Ainſw.* in *Deut.* 23. 2. b Cap. 13. 23, 30. c In *Deut.* 23. Qu. 5. d *Exod.* 12. 48. *Levit.* 22. 18. *Num.* 9. 14. *Jeſ.* 56. 6, 7.

1 Jura & privilegia illorum, quibus nomen erat, *peregrini portæ* ſive גרי תושב *peregrini domicilii*. æque ac a גרי צדק *peregrinorum juſtitiæ* videre licet apud Selden. *de jur. nat. & gent.* l. 3. cap. 3. &c. & lib. *de ſucceſſ. in bon.* c. 26. De utriſque etiam Buxtorf. in voce גר

(2°.)

(2°.) Nulli *Mamzeri* vel alienigenæ, qui circumciſionem, adeoque Judaiſmum integre ſubiiſſet, ullus introitus in eccleſiam illicitus erat aut interdictus. Talis [a] alienigena pari loco erat cum indigena quovis, & ab aliis Iſraelitis nomine ſolo diſcernebatur. Ei nempe licebat virginem Iſraeliticam ſibi in uxorem adſciſcere, Judæorum convictu & ſocietate quotidiana gaudere, tam prope accedere ad ſanctuarium ac Judæus quivis originarius, & ita cum gente ſancta commiſceri, ut nihil diſcriminis intercedere videretur. Hæc trita ſunt & in vulgus nota. SECT. III.

(3°.) Nulli mere peregrino, vel homini in Judaiſmum nondum rite cooptato, ullus in eccleſiam Judaicam introitus concedebatur. Illi nempe non licuit fœminam Judaicam in [b] uxorem ſumere, in populo ſancto cenſeri vel civibus annumerari, Judæorum ſocietatem & uſum civilem ſibi conciliare, privilegiis uti quæ politia ferebat Hebræorum, nec iis aditus tam propinquus ad eccleſiam & ſanctuarium Judaicum, quam Judæis originariis, concedebatur. Ad hunc ſtatum gentilium, ante Chriſti ἐπιφάνειαν, alluſum videtur ab Apoſtolo, ad *Epheſ.* 2. 12. ubi conditionem ethnicam Epheſiorum ſic deſcriptam dedit; *tunc temporis eratis* ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραήλ. i. e. In vetere illa Judæorum politia, vobis gentilibus, nec honores capere, nec civium jure vel nomine donari conceſſum eſt. Καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας *i. e.* Vos olim, non tantum a Judæorum politia, ſed pacto & promiſſis, quibus illa politia nitebatur, alieni eratis, cum ſemen tantum Abrahami ſpectarent, & aliis [c] gentibus haud innoteſcerent. [d] Νυνὶ δὲ οἱ ποτὲ ὄντες μακρὰν, ἐγγὺς ἐγενήθητε ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Vos qui longe aberatis olim, non tantum a Dei ſede in templo, ſed etiam Dei populo (eorum nempe cœtu, ſocietate, privilegiis inſuper omnibus) tanquam *pariete intergerino* diviſi & ſeparati; jam propinqui facti eſtis in Chriſto, qui murum illum ſeparationis e medio ſuſtulit, & vos eodem loco, jure, & privilegio, quo & ipſi Judæi, frui juſſit. Ἄρα οὖν οὐκέτι [e] ξένοι καὶ πάροικοι. Idemque non eſtis amplius *Mamzerim*, plane peregrini, vel tanquam advenæ intra portas habitantes, a [e] civitatis jure prorſus excluſi, & nihil privilegii vobis cum Dei familia communis obtinentes. Ἀλλὰ συμπολῖται τῶν ἁγίων, καὶ οἰκεῖοι τοῦ Θεοῦ *ſed ſanctorum concives, & ad familiam Dei pertinentes;* h. e. Jam eodem loco habendi eſtis, & iiſdem (vel majoris pretii) honoribus donandi, quibus Judæorum concives, & omnes in domeſticorum ſuorum numerum adſciti fruebantur.

(4°.) Apud Hebræos antiquiores, nulli ſpurio, modo a patre ſimul & matre Hebræa propagato, introitus in eccleſiam interdictus eſt, nec proles ejuſmodi pro *Mamzere* habitus eſt, licet ortum a lecto polluto traheret. Apud interpretes aliquos (Arabem Erpenianum, Vulgatæ auctorem, alios) & Canoniſtas, *Mamzer* pro ſcorti qualicunque prole ſumitur, ideoque ſpurio cuique ſacros ordines accipiendi facultas denegata eſt. Ab ea ſententia recentioris ævi magiſtri non longe receſſerunt: nam *Mamzer*, inquit [f] Salomon Jarchius, [1] *is duntaxat eſt, qui ex coitu exciſione plectendo naſcitur: omnis qui genitus eſt ex conſanguineis quorum vetitus coitus, juxta ſententiam* [2] *Rabbi Aquibæ, Mamzer dicitur: Rabbi Joſhuah vero dixit, omnis qui naſcitur e coitu ex forenſi ſententia capitali ſupplicio plectendo.* Sed ſententia maxime recepta eſt, prolem a coitu tantum inceſtuoſo genitam pro *Mamzere* accipiendam. Sed multa mihi obſtant, quo minus & ipſe cum magiſtris Hebræorum ſentiam: nam primo, ſatis e ſuperius adductis innoteſcat, *Mamzer*, non ſpurium, aut prolem quamvis aliam inceſte genitam, ſed alienigenam aut alienigenæ filium ſignificare. Deinde, nulla conſtat ratio, cur Deus quemquam e ſemine ſacro prognatum (ſpurium licet) tam ſevere tractaret, ut eum ab ingreſſu in eccleſiam ejus ad generationem uſque decimam cohiberet. Patet etiam e ſcriptura ſacra, Deum nonnullos, e congreſſu licet illicito procreatos, in eccleſiam ejus admiſiſſe.

(5°.) Inter antiquiores ævi Judæos, quivis a patre vel matre gentili ortum trahens pro *Mamzere* habebatur, & ab ingreſſu in eccleſiam Domini repellebatur. Huic aſſertioni coloris haud parum præbet Græcorum verſio, qui vocem hanc per ἐκ πόρνης, (non per ὁ, vel ἡ, ἐκ πόρνης) vertunt; ut prolem quamvis, marem vel fœminam, e gentili ſuſceptam denotarent. Hanc etiam aſſertionem non parum firmare videtur hiſtoria [g] Jephtæ Gileadis, qui אשה זונה (i. e. fœminam extraneam vel γυναῖκα πόρνην, uti

a *Exod.* 12. 48. b V. *Seld. de jur. Nat. & G.* l. 5. c. 14. c *Pſal.* 147. 19, 20. d Verſ. 13. [e] Ver. 19.
e Πάροικοι, *qui domicilium in aliquo loco habent, ſine jure civitatis.* Grot. in loc. f *V. Seld. de ſucceſſionib.* c. 3.
g *Judic.* 11. 1.
1 Vid. commentar. ejus in *Deut.* 23. 2. *non ingrediatur Mamzer.* &c.
2 Vid. Miſchn. tit. Jebhammoth, *cap.* 4. §. 13.

SECT. IV.

Græci reddunt) in matrem habuiſſe dicitur, quem etiam fratres ejus ea de cauſa ab hæreditate jure excluſum judicarunt. Sic enim [a] *Joſephus* hiſtoriam illam de *Jephte* & fratribus ejus illuſtrandam cenſuit: Οὐ γὰρ ὄντα ὁμομήτριον αὐτοῖς, ἀλλὰ ξένον [1] περὶ τὴν μητέρα, ἐξέβαλον, [2] καταφρονήσαντες δὲ αὐτοῦ ἀσθενείας. *Cum non eſſet ex eadem matre natus, ſed genere materno peregrinus, ejecerunt*, eum *ob imbecillitates ejus contemptui habentes.* Apoſtolus hæc in animo revolvens, id ſibi gloriæ duxit, quod non eſſet בן גר *filius peregrini* vel *proſelyti*, ſed [b] *Hebræus ex Hebræis;* h. e. quod ortum duceret a majorum Hebræorum ſerie, quæ nulla macula ſervili vel gentili inſpergebatur; vel (ut rem clarſus eloquar) cui nullus unquam *Mamzer*, aut filius ex Hebræo & ethnica ſuſceptus, i. e. hybrida, naſcebatur. His omnibus haud parum obſtare videntur [c] *Toſtati illa: 3 qui patrem, vel matrem de Hebræis habent, nec quantum ad ſacrificia, nec etiam quantum ad dignitates, Mamzeres ſunt. Quia David fuit in tertia generatione Mamzer, ſcilicet filius Iſai, & nepos Obeth, qui fuit Mamzer illo modo, id eſt, natus ex Ruth Moabitide & Booz, ſed tamen David rex fuit, & uxorem habuit de eccleſia Dei.* Sed hoc obſtaculum levi negotio removeri poteſt: erat enim *Ruth* Moabitiſſa quidem, & a parentibus exteræ gentis orta: cum vero domum patriam, populum proprium, [d] Deos etiam patrios relinqueret, ſe pietate ſingulari fœminam, & (corpore quidem Moabitiſſam, ſed) animo Iſraelitidem, comprobavit. Cum itaque Ruth Moabitiſſa [e] gentiliſmo ſuo nuncium remiſiſſet, & animi Deo vero firmiter adhærentis teſtimonia luculenta præbuiſſet; haud æquum erat, ut eccleſia Judaica ei matrimonii jura denegaret, vel ut filii ejus pro *Mamzeribus* haberentur.

SECT. IV.

Legem Gentiles a Judæorum cœtu ſeparaſſe, præcipue ne gentiliſmi & idololatriæ malum Judæis affricarent.

Quare Deus Gentiles a Judæis ſeparavit.

RATIO non una reddi poteſt & ſolet, cur *Mamzer*, aut alienigena, ad generationem uſque decimam arcetur ab eccleſia Domini. Eas [f] *Bonfrerii* verbis accipiat lector: *hoc eo* referebatur, *tum ut Iſraelitæ magni id facerent, quod e Dei eſſent populo, tum ut ceteræ nationes Iſraelitas, eorumque rempubl. ritus ac ceremonias, majoris facerent, cum viderent non niſi magno ambitu a cæteris exterarum gentium hominibus impetrari, ut in Judæorum rempubl. & civium numerum cooptarentur.* Cum autem rationes illæ rem attente conſideranti minime ſatisfacient, alias in medium proferam, a ſcopo (ni fallor) minus alienas, a lectore curatius æſtimandas. Ex iis præcipua ſit hæc:

(1°.) DEUS alienigenas a Judæorum eccleſia lege lata ſeparavit, ne illi, frequens commercium cum Judæis exercentes, eos moribus ethnicis inficerent, & latam idololatriæ portam ſenſim aperirent. Nunquam enim Judæos & alienos familiari ſocietate vel convictu conjunctos legimus, quin apertum eſt eos in mores ethnicos præcipiti curſu poruiſſe. Hoc paucis ſcripturæ locis extra dubium ponam: *Deut.* 31. 16. *Surget populus iſte & fornicabitur poſt Deos alienorum terræ* ad *quam ingreditur*, ut ſit *in medio eorum.* Pſal. 106. 35. *Et miſcuerunt ſe cum gentibus & didicerunt opera eorum.* Cum hoc loco multum cognati habet *Hoſea* teſtimonium, *cap.* 7. 8. ubi ſic populi mores profanos exprimit: *Ephraim populis* terræ ſe commiſcuit. Huc etiam locus 4 ille [g] *Jeſaiæ* referendus: *quia dimiſiſti populum tuum, domum Jacob, quia* ſuperſtitione *repleti ſunt præ oriente, & augures ſunt ſicut Philiſtini & in filiis alienis oblectant ſe:* quæ verba noviſſima Chaldæus ita παραφράζει: *& ambulant in ſtatutis gentium.* Ab hoc textu prope abeſt *Hoſeæ* textus, *cap.* 5. *v.* 7. 5 *In pactum Domini prævaricati ſunt, quia filios alienos genuerunt:* Chaldæus paraphraſtes ſenſum non abſimilem huic loco tribuit, ſic verba reddens: *perfide egerunt in* 6 *Dominum quia ſuſcitarunt (aut genuerunt) ſibi ipſis liberos e filiabus gentilium.*

a *Antiq.* l. 5. c. 7. p. 209. 40. b *Philip.* 3. 5. c In *Deut.* 23. *Qu.* 1. p. 205. d *Ruth.* 1. 15. e v. 16. *Jeſ.* 56. 6. f *Comment.* in *Deut.* 23. 2. g *Jeſ.* 2. 6.

1 Κατὰ, apud Bigotii & Sambuci exemplaria.

2 Ita Sambuc. καταφρ. αὐτοῦ ἀσθ. Bigot. & Epiphan. interpr. καταφρ. τῆς δὲ αὐτοῦ ἀσθ. Lectiones Vatic. καταφρ. δὲ αὐτοῦ ἀσθ. Editiones *Baſil.* & *Genev.* vid. *Hudſon.* in loc.

3 Lector meminerit Toſtatum in medium proferre interpretem quendam Chaldæum (vid. p. 106.) cui repugnat his verbis: *iſti quos* Chaldæus *vocat Mamzeres de eccleſia Dei ſunt, quia vel patrem vel matrem, &c.* Ex proſelyta igitur nati, non ſunt *Mamzeres.*

4 Vid. pag. 107.

5 *In pactum Domini*: Hebraica ſonant: *in Jehovam.*

6 *In Dominum*: Chald. במימרא דיי *in Mimra* ſive *verbum Jehovæ;* hanc phraſin Chaldæis in uſu eſſe neminem latet.

(2°.)

(2°.) Eo forte conſilio cautum eſt, ne *Mamzerim* Dei eccleſiam ingrederentur, h. e. ne gentiles & Judæi mutuis connubiis commiſti viverent; ut clare tandem conſtaret, Deum promiſſiones omnes, de Meſſia de ſemine Iſraelis oriundo, Judæis & eorum patribus factas, fideliter impleviſſe. Si vero Judæi & gentiles in unam quaſi familiam, nullo facto diſcrimine, coaluiſſent; ſciri non potuit, an Meſſias a ſanguine ſacro vel profano natales accepiſſet; nec an Deus promiſſa, de Meſſia ſtirpe Judaica oriundo perſolviſſet.

(3°.) Deus multos e gentilibus ab introitu in eccleſiam Judaicam arceri voluit, ut adventum Meſſiæ & regni ſui votis eo calidioribus exoptarent. Meſſiah nempe caput unionis catholicæ futurus erat, & ille lapis angularis in quo partes omnes eccleſiæ novæ convenire & conſpirare debuerunt. Illius regnum nec extenſionis nec durationis terminos habiturum erat, nec ulli ab eo rejiciendi, qui conditiones illas generales ([a] fidei ſcilicet & obedientiæ) perimplerent. Huc ſpectat locus ille *Geneſis*, cap. 49. 10. -- *Donec Shilo venerit*, *& ad ipſum* erit *aggregatio populorum*, non ad eccleſiam Judæorum: & ipſius Domini verba, *Jo.* 12. 32. *Et ſi exaltatus fuero a terra, omnes traham ad meipſum.* Alia loca huic affinitate juncta nobis occurrunt, *Jo.* 11. 51, 52. & 17. 21. 1 *Cor.* 12. 13. Multæ prophetiæ obſcuriores extant in vet. Teſtamento, quibus hæc προσαγωγὴ gentium omnium ad Chriſtum & ejus eccleſiam prædicta legitur, viz. *Jerem.* 3. 16, 17. *Jeſ.* 2. 2, 3, 4. & cap. 66. 20, 21. præcipue vero *Jeſ.* 56. 8. ubi LXX. ſic interpretantur, εἶπε κύριος ὁ συνάγων τοὺς διεσπαρμένους Ἰσραὴλ, ὅτι συνάξω ἐπ' αὐτὸν συναγωγήν· *dicit Dominus qui congregat diſperſos Iſrael, adhuc congregabo ad illum congregationem* magnam. Ibi vero per עליו ἐπ' αὐτὸν, *Meſſiah* intelligendus eſt, utpote centrum illud in quo gentes diviſæ, tanquam tot lineæ, olim congregari debuerunt: cum enim eccleſia Judaica gentilibus aditum non niſi difficilem concederet, aut potius pleroſque repudiaret; Chriſtiana latam portam gentilibus aperiebat, cum Chriſtus eccleſiæ caput eſſet, & ad eum olim gentes omnes aggregandæ. Cum itaque gentiles, a Judæorum communione ſeparati, hæc omnia curate conſiderarent; fieri non potuit quin Chriſtus *gentium omnium expectatio* eſſet, qui gentiles omnes propenſis ulnis accepturus erat, & nullos pro *Mamzeribus* habiturus.

(4°.) Non abſimile eſt vero, Deum ideo *Mamzerim*, & alios e gentilium cenſu, ab ingreſſu in eccleſiam Judaicam repuliſſe, ut inde conſtaret intimam cum eccleſia illa conjunctionem non eſſe ad ſalutem neceſſariam, adeoque nonnihil ab illius dignitate & pretio tacite detraheretur. Quid enim eccleſiæ Chriſtianæ janua nulli (Græco vel Judæo) claudebatur, gentiles autem prope omnes ab introitu in eccleſiam Judaicam arcebantur; niſi quod eccleſiæ Judaicæ ritus & inſtituta ad ſolos Judæos pertinerent, & vix quicquam cum ſalute conjunctum continerent; eccleſiæ vero Chriſtianæ leges omnibus incumberent obſervandæ, & ſalutis ſpes nulla niſi eccleſiam Chriſtianam intrantibus affulgeret? Deus ſemper ea generis humani cura tangebatur, ut incredibile ſit, eum homines ullos ab eccleſia Judaica repellere, vel non niſi ſub conditione graviore ad eam recipere voluiſſe, ſi ſalus in eo cardine verteretur, & nulli ad cœlum niſi per eccleſiam Judaicam pateret aditus.

Nihil jam ſupereſt, niſi ut (coronidis vice) nonnulla ſubjungam corollaria, e ſuperius allatis facile colligenda, & quæ toti argumento lucem paulo majorem impertiantur.

Primo: ætatum pene omnium interpretes a legis hujuſce ſenſu & ſcopo genuino non parum aberraſſe videntur. Quantum primis poſt Chriſtum natum ſeculis ab illius mente deviatum ſit, inde conſtet, quod Hebræi & Chriſtiani plerique vocem *Mamzer* de ſpurio, vel prole inceſtuoſe genita, interpretati ſint. Non paucos etiam a legis mente ante Chriſti tempora deflexiſſe, ſatis evincunt peregrinorum querelæ quas [b] propheta memorat; *ne dicat* בן הנכר *filius alienigena, qui ſe Domino adjunxit, Dominus me a populo ſuo omnino ſeparavit.* Alienigenæ filium, talia dicentem, hanc legem de *Mamzere* datam ob oculos ejus habuiſſe, non facile dubitandum eſt: nam בן הנכר vocem ממזר interpretatur, & Dominus nullibi, niſi hac una in lege, filium alienigenæ cujuſvis a populo vel eccleſia ſua diſerte ſeparaverat. Illos interim alienigenas Dei legem ſequius intellexiſſe, pateat ex ipſius Dei verbis, ſenſum proprium ſic in ſequentibus exponentis; *filios alienigenæ qui adhærent Domino, ut miniſtrent ei, & ut diligant nomen Domini, ut ſerviant ei; omnem cuſtodientem ſabbatum a polluendo illud: -- adducam eos ad montem ſanctitatis meæ*, &c. E verbis hiſce manifeſtum eſt, *alienum*, non tam a

a *Gal.* 5. 6. *Act.* 10. 35. b *Jeſ.* 56. 3, 6.

SECT. IV. genere & populo, quam fide cultuque Judæorum, hac in lege denotari. Si qui enim alienigenæ Dei nomen diligerent, eique cultum & honorem exhiberent, & in ſignum cultus & honoris Deo vero tributi, ſabbatum ſanĉte cuſtodirent; Deus gratiæ ſingularis teſſeras iis tam [a] prolixe pollicetur, ut eos Hebræorum genti tantum non æquare videatur. Deus itaque non eo tantum nomine *Mamzerim*, quod nempe natalibus ethnicis orti eſſent, ab eccleſia ſua ſecludi voluit; ſed quod a Deo alieni eſſent, & Diis aut moribus alienis addicerentur. Nec minus hanc legem in ſenſum alienum detorſerunt interpretes, qui ſeculis a Chriſto nato floruerunt. Ex iis enim plerique omnes legem de ſpuriis aut liberis inceſtuoſe genitis intellexerunt, eoſque ab eccleſia, vi legis hujus, excluſos eſſe pronunciarunt. Atque huic opinioni, ni male conjicio, illa Græcorum verſio (ἐκ πόρνης) anſam adminiſtravit.

SECUNDO: probabilitate non caret, legem hanc (ſed iniquius intellectam) in cauſa fuiſſe cur gentium receptio in eccleſiam & gratiam Dei, fidem inter Judæos & Apoſtolos ipſos tam difficulter obtinuerit. Hac ſcilicet in lege curatum eſt, ne Mamzerim, *alienigenæ*, *gentiles*, eccleſiam Domini, ad generationem uſque decimam, ingrederentur. Et lex hæc in cauſa fuiſſe videtur, non tantum cur pauci gentiles in eccleſiam admitterentur; ſed cur [b] eorum admiſſio, nonnullos admiratione percelleret, apud alios fidem difficilem inveniret, aliis illicita & ſacris omnibus adverſa videretur. Et ſane res eſt obſervatione non indigna, Apoſtolum receptionem gentium in eccleſiam, vix unquam niſi [c] *myſterii* nomine memoraſſe.

TERTIO: non eſt a veriſimili alienum, morem Græcorum ſpurios a ſacris arcendi, cauſam non minimam extitiſſe, cur LXX. *Mamzer* per ἐκ πόρνης interpretati ſunt. Nam morem illum inter Græcos antiquiores invaluiſſe, ut ſpurii omnes, id eſt, ex illegitimo matrimonio nati, a ſacris arcerentur, & locorum ſacrorum aditu; lege hac quæ apud [d] *Iſæum* extat, abunde confirmatur: Μηδὲ νόθῳ, μηδὲ νόθῃ ἀγχιστείαν εἶναι μήθ' ἱερῶν, μήθ' ὁσίων. Quinam autem nothi vel ſpurii habiti fuerint, e Plutarchn [1] diſcimus, qui in *Pericle* hanc legem apud Athenienſes latam refert; μόνους Ἀθηναίους εἶναι τοὺς ἐκ δυοῖν Ἀθηναίων γεγονότας, *ex utroque parente, cive Athenienſi nati ſoli cives ſunto.* Hoc jus antiquum Ariſtophon Rhetor. apud [e] Chariſtium reſtauravit, Νόθον εἶναι τὸν μὴ ἐκ ἀστῆς γεγονότα. *Qui matre cive conceptus non eſt, pro ſpurio habeatur.* Et lex hæc multum cognationis habet cum lege Moſis, quæ in re ſacrorum omnes a cæteris juber eſſe ſegreges, qui a matre gentili genus ducebant licet a patre Judæo naſcerentur. Cum itaque LXX. in gratiam præcipue Græcorum verſionem ſuam adornarent, non abſurde creditur, eos ideo *Mamzer* hac in lege per ἐκ πόρνης reddidiſſe, ne leges Judæorum dignitati & puritati rerum ſacrarum conſervandæ, minus quam leges Græcorum, proſpexiſſe viderentur.

COROLLARIUM quartum e prædictis facile colligendum, hoc eſto: eccleſia Judaica & Chriſtiana, quantum ad receptionem aut rejectionem alienorum, multum ab invicem differebant. Nam eccleſia Judaica nullum a ſanguine Judaico alienum, familiari ſocietate, introitu in templum vel ſacrorum paſchalium communione, dignabatur. Hoc e variis hiſtoriæ ſacræ & prophanæ teſtimoniis antea productis abunde ſatis eluceſcit. Eccleſiæ vero Chriſtianæ porta nulli clauditur, niſi Chriſto plane renunciet, & vitam degat [f] magnis ſceleribus coopertam, & evangelii legibus aperte repugnantem. Chriſtus [g] *veniens* effecit, ut *pax prædicaretur* omnibus tum *iis qui longe fuerunt*, a cognitione veri, nempe *gentilibus*; & *qui prope* nempe *Judæis*; qui propheriis de Meſſia & traditionibus de vita æterna inſtructi erant, adeoque a cœlo & ſalute propius abeſſe videbantur. Gentiles jam ſunt οἰκεῖοι τοῦ Θεοῦ, [h] *Dei domeſtici*, & בני בית *filii ad familiam Dei pertinentes*; cum olim בני נר *filii peregrini* audirent, & eo nomine a jure liberorum & civium excluderentur. Et jam Prophetia [i] illa Joelis de nova Hiernſolyma (ni fallar) intelligenda, complementum videtur accepiſſe, *& erit Jeruſalem ſancta, & alieni non tranſibunt per eam amplius:* q. d. „Eccleſia ſeculis futuris extruenda, ab omni pol-„lutione Legali perſtabit immunis; quod alieni in ea ſedes haud amplius habituri ſunt, „cum diſtinctio omnis inter Judæos & alienos, & leges omnes de pollutione perſo-„narum, in æternum ceſſaturæ ſint. Deinde: multi ab introitu eccleſiam Judaicam & ſacrorum omnium uſu repulſi ſunt olim, quod *Mamzerim* (hybridæ) fuerint & na-

a *Iſ.* 56. 7. b *Act.* 15. 7. c *Epheſ.* 1. 9, 10. *Coloſ.* 1. 27. *Epheſ.* 3. 3, 6. d *V. Iſ. Caſaubon. animad.* in *Athen.* lib. 6. cap. 6. col. 410. 30. e Lib. 3. *Hiſtor. Hypomnes.* f *Revel.* 22. 15. g *Epheſ.* 2. 17. h *ib.* 19. i Cap. 3. 22.

1 Vid. pag. 172. D.

tales

tales ab Hebræo patre & matre gentili, vel patre gentili & matre Judæa, traxerint. At Evangelium legem & morem illum e medio ſuſtulit, nec naſcendi conditio quenquam fecit ab eccleſia Chriſtiana ſegregem. Timotheus rei hujus indicium ſatis clarum faciat, qui, a [a] matre licet Hebræa & patre Græco natus, non tantum in eccleſiam Chriſtianam, ſed primas in ea ſedes, admittebatur. Sed jam ſatis hoc ſaxo volvendo laboraſſe videar.

CAP. VII.

Legem Moſaicam idololatriæ obſtitiſſe, ciborum & animalium diſcrimen inſtituendo.

Ciborum & animalium diſcrimen idololatriæ obſtabat.

JUDÆORUM religio gentem illam non tantum ad aras ſed & focos, comitata eſt, & non tantum ſacrificiis, ſed & cibis eorum, modum & legem dedit. Lex enim quædam ciborum genera a Judæorum menſis ablegavit, & animantia nonnulla, quæ gentes exteræ in deliciis habuere, non tantum vitare docuit, ſed & abominari. Et ſane veteres Judæi legis inſtituta hac in parte tam conſtanti religione tenuerunt, ut nec gentilium dicteriis, nec tyrannorum [b] minis, imo vix novis Dei [c] mandatis, ad cibum aliquem immundum guſtandum flecti potuerunt.

INTEREA loci, capita gentilium qui Judæorum mores curioſius obſervarunt, miſere vapularunt, ut rationem aliquam vel ſpecioſam inſtitutionis tam abſurdæ (uti viſa eſt) excogitarent. Nonnulli, Judæos ab aliorum mortalium cibis, moribus & ſocietate, pari de cauſa (moroſo nempe gentis illius ingenio, & inſito generis humani faſtidio) abhorrere crediderunt. [1] *Strabo*, [2] *Seneca*, [3] *Plutarchus*, alii, Judæorum a certis animalium generibus abſtinentiam, ſuperſtitioni anili & genti Judæorum peculiari tribuendam cenſuerunt. Plerique omnes [d] τὴν περὶ τῶν προσκυνήσεων καὶ τροφῶν διάστασιν ἐθρύλουν, *Judæorum diverſitatem in cultu & cibis, malignis ſermonibus differebant.*

SED nil miri habet, homines a rep. Iſraelis alienos de Judæorum legibus & inſtitutis tam contemptim locutos fuiſſe. Id mirum mihi viſum eſt merito, tot e Chriſtianis antiquis fuiſſe, a quibus leges Judaicæ, ciborum diſcrimen inſtituentes, pro viliſſimis habebantur. Nam, ut hæreticos jam taceam qui ciborum mundiriem & immunditiem riſu exceperunt, *Origenes*, *Tertullianus*, *Novatianus*, *S. Barnabas*, alii, de legibus illis non adeo honorifice loquebantur. [e] *Origenes* leges haſce de cibis memorans, πολλοὶ inquit, τῶν νόμων, τῶν ὅσον ἐπὶ τῷ καθ' ἑαυτοὺς τηρεῖσθαι τὸ ἄλογον ἐμφαίνοντες, ἕτεροι δὲ τὸ ἀδύνατον· *Multa leges, ſi eas nude obſervari liceat, rationi repugnant, alia impleri non poſſunt.* Et [f] alibi dicere non veretur, leges illas, ſecundum literam ſumptas, indignas apparere Deo, minuſque rationabiles & elegantes legibus Romanorum, Athenienſium, aut Lacedæmoniorum. [g] *Tertullianus* adverſus Marcionem ſcribens, nihil [4] *tam contemptibile* eſſe dicit, *quam ciborum exceptio* a Moſe præſcripta. Innuit etiam [h] *Novatianus*, [5] in legibus illis inveniri nonnullas a ratione alienas, & impoſſibiles obſervatu. [i] *S. Barnabas* ſenſum literalem hujuſmodi legum contemptim prætetit, & pleraſque trahit ad ſenſus myſticos & allegorias arbitrarias. Chriſtianos equidem longe plurimos a tam aperto legum divinarum contemptu religio tenuit: valde tamen mirati ſunt multi, Deum tot animalium & ciborum genera Judæorum menſis inferri vetuiſſe, & immunditiæ notam tot creaturis inuſſiſſe, quas ipſe [k] *bonas* olim pronunciavit. Noſtræ itaque operæ fuerit, in hujus rei diſquiſitionem deſcendere, & ſcripturæ face legum earum rationes, qua licet, inveſtigare.

a *Act.* 16. 1. b 1 *Mac.* 1. 62. 63. c *Ezec.* 4. 14. *Act.* 10. 14. d 3 *Mac.* c. 3. *com.* 4. e *Philocal.* c. 1. p. 13. f *Homil.* 7. in *Levit.* g Lib. 5. p. 467. h *De cib. Judaic.* cap. 3. i *Epiſtol.* §. 10. k *Geneſ.* 1. v. 31.

1 Vid. Strab. geogr. lib. 16. p. 1104. D.
2 Vid. Senec. Epiſt. 108. p. 635. e
3 Vid. Plut. Sympoſiac. l. 4. p. 669.
4 Tertullianus iſtis verbis loquitur Marcionis ejuſque ſequacium mentem potius quam ſuam: dicit enim, *apud creatorem — vetera — contemptui deputari poſſunt. — Quid tam contemptibile quam ciborum exceptio?* addit-que, *totum quod ſciam vetus Teſtamentum omnis hæreticus irridet.*
5 Vid. pag. 27.

Sect. I.

SECT. I.

Rationes pro diſcrimine ciborum aſſignari ſolitæ ad examen vocantur, & vanitatis arguuntur.

Cur Deus ciborum delectum inſtituerit. CUR Deus eiborum diſcrimen inſtituerit, verbis candidis & apertis in ſcriptura traditur: at nulla eſt inſtitutio Judaica, a cujus ratione genuina Judæi & Chriſtiani plerique tam miſere, ne dicam oſcitanter, aberrarunt. Hanc aſſertionem, veram magis quam mordacem lector judicabit, ſi varias inſtitutionis hujuſce rationes vulgo datas in medium proferam, eaſque ad regulam & libellam exigam.

Ratio 1ª. Primo itaque, multa cum fiducia dici ſolet, Deum hoe animalium diſcrimen ſtatuiſſe, ut populi ſui valetudini proſpiceret, dum animalia venenoſa vel ſuccum male gratum præbentia, a cæteris nutrimenti ſalubrioris animantibus lege lata ſeparavit. Ea ſententia ſuit [a] *Anaſtaſius Sinaita:* loquens enim de vetitis animalibus, τὰ ἔνια τῶν ζώων, inquit, χερσαῖά τε καὶ ἔνυδρα, πλεῖονα τὸν ἰὸν ἔχοντα, πάντη ἀπηγόρευσε. *Nonnulla ex animantibus terreſtribus & aquatilibus, quæ copioſius habent virus, omnino prohibuit Moſes.* Eidem opinioni ſavere videtur Grotius, ſic præcepta de animalibus immundis explicans; [b] *multa horum ab Ægyptiis translata, cauſas habent naturales, ex beno vel malo nutrimento.* In opinionis hujus ſubſidium obſervare ſolent, Deum animalia tantum ruminantia & ungulam findentia, munda & eſui apta pronunciaſſe; quod ſcilicet hujuſmodi animalia cibum ſuum melius atterant & digerant, adeoque, ſignis illis, animalia ſuccum innoxium generantia a reliquis minus ſalubribus optime diſcerni poſſent.

Rejicitur. At hæc omnia evanidum ſolummodo veri eolorem præferunt: quid enim tam ſollicite de Judæorum vulgarium vita & valetudine curaret Deus, cum ipſi Patriarchæ rationis ſolius ductui in cibis ſuis eligendis traderentur? Nos etiam Chriſtiani (quos Deus, [c] *genus electum, regale ſacerdotium,* & *gentem ſanctam,* ſecit) cibos nullo diſcrimine ſacro notos quotidie ſumimus: nec lege aliqua, ſed ſola ratione docti, quædam animalia menſis admovenda, quædam a menſis ablcganda, judicamus. Deinde, certum eſt, Deum animalia nonnulla inter impura poſuiſſe, quæ veterum gula non tantum ſalubria, ſed menſarum ſuarum delicias, habuit. Nam [d] *S. Cyrillus,* poſtquam animalia Judæis interdicta reeenſuiſſet; *Chriſtiani,* inquit, *Lege propemodum valere juſſa,* ἀθετεῖ μὲν τῶν ὀνομασμένων ἀποχὴν βεβδέλυκται, βρώσιμα δὲ πάντα αὐτοῖς, &c. *nibil eorum quæ dicta ſunt, intactum relinquere voluerunt; ſed omnia in cibum* reeeperunt, *quaſi olera pabuli, menſarumque delicias,* ſecerunt *corvos, ibes, & cætera.* Nihil eſt cur *S. Cyrilli* verbis fidem abnuamus, eum lepores, in impurorum animalium claſſe collocati, apud antiquos inter delicatiora menſæ fercula ponerentur. Hanc aſſertionem multis teſtimoniis firmare poſſem, ſi [e] *Petri Criniti,* [f] *Meurſi,* [g] *Petri Caſtellani,* [h] *Nonni,* [i] *Bocharti,* [k] *Voſſii,* & aliorum, ſcrinia compilarem. Multum itaque miratur *Plutarchus,* quod Judæi a leporum eſu temperarent, & valde laborat cerebrum ejus ut moris tam ſingularis rationem ridiculam tandem proſerat. Porcum etiam (e ciborum Judaicorum cenſu delerum) antiqui non tantum inter cibos ſalubres, ſed & maxime ſuaves reſerebant. Hine ſactum quod [l] *Artemidorus* carnes porcinas in ſomno viſas inter præſagia ſeliciora numeret, nam inquit, Ἄριστα πᾶσι τὰ χοίρεια· ζῶν μὲν γὰρ χοῖρος οὐδὲν εὔχρηστον ἀνθρώποις· *Optimæ omnibus carnes porcinæ, nam porcus vivus hominibus nihil utilitatis præbet.* Nec ſolum porci viventis inutilitas, ſed ipſa illius figura & ſœdi mores, animal illud tantum ad lanienam & eſcam natum indicant. Camelus etiam, quem [m] Moſes a eiborum Judaicorum claſſe ſeparavit, a [n] Philoſopho cibis optimis annumeratur: nam, inquit, ἔχει καὶ τὰ κρέα καὶ τὸ γάλα μέχρις οὗ ἂν ἐν γαστρὶ λάβῃ, ἥδιστα πάντων· *Carnem habet & lac, camelus, donec concipiat, omnium ſuaviſſima.* Hoc eo ſacilius credi poteſt, quod princeps quidam Aſricanus (gulæ proculdubio non inſulſus arbiter) Leonem Aſricanum convivio excipiens, [o] *omnium generum camelos* menſæ ſuæ, lautitiarum loco, appoſuerit. Nec beſtiæ ſolummodo, ſed & volucres aliquæ per Moſem vetitæ, gentium aliarum deliciis accenſebantur. Nam inter Græcos cygni in uſu ciborum tam frequentes erant, ut apud [1] *Athenæum* vix unquam a Deipnoſophiſtarum convivio abeſſe dican-

a Lib. *Quæſt. & Reſp. qu.* 26. b *Comment.* in *Lev.* 11. 3. c 1 *Petr.* 2. 9. d Lib. 9. *Contr. Julian.* p. 316. A e *De honeſt. diſciplin.* l. 5. c. 2. f *Auctar. Philolog.* c. 13. g *De uſu carn.* l. 3. c. 5. h *De re cibar.* l. 2. c. 9. i *De Animal. ſac.* P. 1. l. 3. col. 997. k *De Idol. Orig.* l. 3. c. 66. l *Oneirocrit.* l. 1. c. 72. m *Lev.* 11. 4. n *Hiſt. animal.* l. 6. c. 26. o *V. Leon. Afric. deſcrip. Afric.* l. 1. p. 48.

1 Vid. pag. 130. E ubi Athenæus verba loquitur, non ſua ſed Antiphanis Comici ex Oenomao.

tur:

tur: & quanquam Moſes accipitrem avium immundarum numerum augere voluit, pullos accipitris non parum commendat [a] Ariſtoteles, cum ait, γίνονται δὲ καὶ τῶν ἱεράκων οἱ νεοττοὶ, ἡδύκρεῳ σφόδρα καὶ πίονες· *Accipitrum quoque pulli ſunt & pingues & valde ſuavi carne.* Et [b] Albertus Magnus, accipitris carnem abſque diſpendio ſanitatis uſurpari poſſe aſſerit: nam inquit, *caro accipitris dulcis eſt & levis, propter* bonum nutrimentum quo alitur. Hinc ſane liquet, harum legum rationem non eſſe mere phyſicam, petitam a natura animantium ad eſcam conceſſorum vel prohibitorum. SECT. I.

SECUNDO: a nonnullis creditur, Deum nonnullis animalibus immunditiæ notam inuſſiſſe, & eo nomine a menſis Judæorum ablegaſſe, quod hominum animis immunditiem quandam affricarent. Hujus autem ſententiæ patroni non uno eodemque modo ſenſum ſuum interpretantur: nam, Ratio 2ª.

(1°.) NONNULLI dicunt animalia pro immundis habenda hominum animas *mediate* polluiſſe, nempe quatenus ſucco ſuo craſſo & fæculento corporis ægritudines & vitia procrearent: nam anima, inquiunt, in corpore vitiato degens, prout lucerna ſplendida in laterna ſordibus obducta, lucis ſuæ jacturam aut eclipſin neceſſario patitur. Quaſi Deus cibis nonnullis Iſraelitis interdixiſſet, ea de cauſa qua [1] Pythagoras fabas diſcipulis ſuis vetuiſſe creditur, quod ſcilicet corpus inflent & ſic mentem turbent. Huic rationi legem [c] illam de carne rapta peregrinis vendenda tribuendam ſentit [d] Simeon de Muis: *probat vero ſententiam noſtram*, ait ille, *quod huic legi præfixa leguntur hæc verba:* viri ſancti eritis mihi, *perinde quaſi diceretur, ideo ab omni cibo immundo, ut qui immunditiæ & vitii aliquid in animis veſtris ingeneraret, abſtinebitis: nam cibi, ſi noxii ſunt, corporibus & animis, atque adeo moribus, plurimum officiunt.* Explicatur,

HINC autem arguitur rationis hujuſce vanitas, quod longi temporis experientia probatum ſit, animalia nonnulla in immundis poſita, ſuccum non minus vitii experrem, quam munda nonnulla, generare. Deinde, ſi concedamus animalia illa vetita [leporem, cuniculum, porcum, alia] nutrimentum craſſius & animæ minus amicum ſuppeditaſſe; nil inde damni Judæis accedere potuit, niſi animalia illa in uſum frequentem & cibum pene quotidianum recepiſſent. His adde, quod carnes nonnullæ Judæis in cibum conceſſæ [cervina ſcilicet & caprina] in regionibus præſertim calidioribus, ſuccum non minus fæculentum, nec minora vitiorum irritamenta, præbuere; modo veterum teſtimoniis, ſuo in loco proferendis, quicquam in hac materia tribuamus. Et reprehenditur,

(2°.) SENTIUNT alii creaturas immundas & a Moſe vetitas, animas hominum, *immediate*, ex natura ſua, & non ex inſtituto tantum, contaminaſſe. Hanc ſententiam Judæorum, ſaltem Phariſæorum, animos infeciſſe, ſat liquet e Domini colloquio cum Phariſæis, [e] *Mat.* 15, memoratn; verbis etiam [f] Joſephi, Phariſæorum dogmatis addictiſſimi: Ὁ τοῦ [2] νόμου κτίστης τὰ μὲν οἰκειωθησόμενα ἡμῶν ταῖς ψυχαῖς ἐπέτρεψεν ἐσθίειν, τὰ δὲ ἐναντιωθησόμενα ἐκώλυσε σαρκοφαγεῖν. *Conditor Legis, quæ profutura erant animis noſtris ea edere permiſit, carnes autem quæ nocituræ erant, vetuit edere.* Hoc a Judæis ad Turcas, multis aliis Judæorum dogmatis imbutos, tranſiiſſe videtur: nam referente [g] Antonio Thyſio, *ſicuti vinum polluere animam credunt, ita ab iis quæ immunda exiſtimant, tanquam lethali veneno, abſtinent, magnumque cenſetur piaculum, ſi quis ſuillam carnem, ranam, limacem, vel teſtudinem attingat.* Hæc autem doctrina Judæorum, de naturali ciborum & animalium quorundam immunditie, gentium philoſophos auctores habuiſſe putetur. Nam [h] *Porphyrius* πολλὰς τῶν βαρβάρων *multos e barbaris* (quos vocat) memorat, quibus id crimini vertit, quod in ore frequens haberent dictum illud, οὐ γὰρ ἡμᾶς μολύνει τὰ βρώματα, ὥσπερ οὐδὲ τὴν θάλατταν τὰ ῥυπαρὰ τῶν ῥευμάτων· *Non inquinant nos cibi, uti neque mare fluminum ſordes.* Quibus addit, eundem *Barbarorum* [i. e. Chriſtianorum] ſenſum exequens, ἐὰν εὐλαβηθῶμεν βρῶσιν, ἐδουλώθημεν τῷ τοῦ φόβου φρονήματι· δεῖ δὲ πάνθ' ἡμῖν ὑποτετάχθαι· *Si de cibis cauti ſimus, jam ſervi facti ſumus timoris opinioni* vel [i] diſciplinæ; *quin oportet potius omnia nobis ſubjici.* Hæc autem doctrina adeo vicit *Porphyrii* ſcommata, & fidem hodie tam amplam obtinuit, quod περίεργον ſit in refutatione dogmatis adverſi vel tantillum immorari.

TERTIO: ſentiunt alii Deum ciborum & animalium diſcrimen inſtituiſſe, ut po- Ratio 3ª.

a Lib. 6. *de Hiſt. animal.* c. 7. b *De animal.* l. 23. p. 614. c *Exod.* 22. 31. d *Var. ſacr. in Exod.* 22. e *Mat.* 15. 11. f Lib. περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ pag. 1396. 25. g *Memorabil. Vet. rerum publ.* cap. 16. p. 443. h *De Abſtin.* l. 1. §. 42. i *Intellexere forſan Chriſtiani illi quos irriſit Porphyrius, Legis Oeconomiam, quam Apoſtolus ſpiritum ſervitutis & timoris vocat.*

1 Vid. Porphyr. de abſtin. p. 190. 200.

2 Apud codicem D. Caji. Cantab. legitur Κόσμε. Joſephus in illo loco nobis exhibet Eleazarum Antiocho reſpondentem.

SECT. I. pulum qui ſuperſtitionem Ægypti biberat, ad ſenſum ſaniorem revocaret. Nam *Ægyptii boves adorabant, & ſacra, ſerpentibus, crocodilis, belluis cæteris, avibus & piſcibus, inſtituebant.* Hoc aperte dicit Minutius Felix, & verbis ejus fidem tot veterum teſtimoniis adſtruit [a] *Ouzelius*, ut laboratura ſit antiquitatis fides, ſi jam ſuperſit ullus hac de re dubitandi locus. Ut paucis expediam: Ægyptii quibuſdam animalibus divinitatem tribuebant, aliis autem ad auguria ex iis captanda utebantur: Deus itaque, ut ſuperſtitioni huic ridiculæ, quæ Hebræorum etiam animos occupavit, obviam iret; e ſacris illis animalibus quædam comedi, alia vero immunditiæ nomine a menſis & altaribus amandari, juſſit. Sic *S. Baſilii, Seleuc.* epiſcopi, ferebat ſententia: poſtquam enim dixiſſet, [b] Ægyptios beſtias aliquas adoraſſe, alias autem fœdas & altaribus indignas ad ſacrificium attuliſſe, Hebræos etiam e longa conſuetudine *ab eadem ægritudine minime deduci potuiſſe;* ὁ Θεὸς, inquit, ἀνθίστησι κωλύσεως τῷ πάθει τὸ φάρμακον, &c. *Deus ſumma cum ſapientia medicamenti obicem huic malo oppoſuit, & brutorum animalium naturam diſcernens, edictis quædam vocavit* munda, *quædam appellavit* immunda: *ut hæc tanquam impurata abominati, illa velut munda exedentes, per utraque ſuperſtitione abſtinerent, evaderetque Legis edictum animæ medicamentum.* Καὶ φέρει τὴν ὕβριν τῶν κτισμάτων ἐπὶ τῶν ὀνομάτων ὁ Θεὸς, ἵνα τῶν ἀνθρώπων τὴν νόσον ἰάσηται. *Fertque Deus creaturarum ſuarum opprobrium, nomine tenus; ut hominum morbum ſanet, & impediat idololatriam, quæ uſque ad animalia progreditur.* Ita prorſus exiſtimaſſe videtur & [c] Theodoritus: de ciborum enim delectu ſermonem faciens, *non ignoramus*, ait, *Ægyptios multa* animalia *pro Diis coluiſſe: ſed ex his quæ pro Diis colebant, manſuetiora ſacrificiis* & menſis *addixit Deus, reliqua appellavit immunda:* ἵνα τὰ μὲν ὡς ἀκάθαρτα βδελυττόμενοι μὴ θεοποιῶσι· τὰ δὲ ὡς θύοντες μὴ θεοὺς ὑπολάβωσι· &c. *Ut hæc quidem execrati tanquam impura, in Deorum numero non ponerent; illa vero, ut quæ ipſi ſacrificarent, pro Diis non haberent, ſed eum ſolum adorarent cui hæc offerri conveniret.* Origenes etiam ſuperſtitionem Ægyptiam in aruſpiciis faciendis uſitatam huic animalium diſcrimini cauſam dediſſe arbitratur: dicens, [d] *hoc, ſi quid aliud, in Moſe admiratione dignum exiſtimo, quod conſideratis animalium differentiis,* —— πάντα μὲν ἀκάθαρτα ἔφησεν εἶναι, τὰ νομιζόμενα παρ' Αἰγυπτίοις καὶ τοῖς λοιποῖς τῶν ἀνθρώπων εἶναι μαντικά, ὡς ἐπίπαν δὲ εἶναι καθαρὰ τὰ μὴ τοιαῦτα. Ea *omnia impura pronunciavit, quæ ab Ægyptiis aliiſque gentibus vim divinandi habere cenſebantur: reliqua vero, extra hunc cenſum poſita, pura fere omnia. Ideoque in impurorum ordine cenſentur, apud eum, lupus, vulpes, draco, accipiter, aquila, & his ſimilia.*

At hæc conjectura (ſi quod ſentiam, eloquar) auctoris acumen, magis quam inſtitutionis hujuſce rationem, detegit. Nam certum eſt, Abrahamum & Patriarchas, animalia illa, quæ natura miti ingenio eſſe juſſit, in ſacris obtuliſſe, antequam Hebræorum natio vel ſuperſtitio illa Ægyptiaca in mundum venerat. Deinde apud omnes in confeſſo ponitur, Ægyptios canem non minore obſervatione quam bovem & arietem coluiſſe; hunc tamen Deus immundum decrevit, & ab altari ſuo removendum. Præterea: ſat conſtat Moſen animalia in purorum aut impurorum cenſu poſuiſſe, non cum reſpectu aliquo ad eorum uſum & naturam: ſed omnia (nullo delectu habito) munda vel immunda pronunciaſſe, quatenus cum generali ſua munditiæ [e] norma convenire vel diſcordare viderentur: unde & porcus ipſe ea ſola de cauſa, quod *non ruminet*, inter immunda animalia recenſetur.

Ratio 4ª. Quarto: Nonnulli diſcriminis hujuſce rationes reddunt ſymbolicas, & ſentiunt *Moſen* animalia quædam impurorum nomine dehoneſtaſſe, ut ſub certis animalium vetitorum generibus certa hominum vitia tacite redargueret. Quaſi Moſis puſillanimitatem in lepore, fœditatem in porco, ignorantiam in noctua, rapinam in accipitre, [f] *in camelo vitam enervem & criminibus tortuoſam*, tacite & quaſi in imagine perſtrinxiſſet. Judæos antiquiores in rationibus hujuſmodi ſymbolicis aſſignandis ſibi plurimum placuiſſe, pateat e Philonis libro *de agricultura*, & libro cui titulus, *pejorem inſidiari meliori;* e verbis etiam *Eleazari* pontificis, apud [1] *Ariſteam*, animal quodvis immundum de vitio aliquo analogo interpretantis. Eandem interpretandi rationem [2] *S. Barnabæ* nimis arriſiſſe, conſtet ex epiſtola ſua, qua tantum non dicit Deum non tam animalia, quam affectus conſimiles & mores analogos, ſub animalium illorum figuris & umbris vetuiſſe. Horum veſtigiis inſiſtit modo laudatus *Novatianus*, dicens, *ut homines*

a *Animadverſ. ad Minut. Fel.* p. 262, &c. b *Orat. ſixt.* p. 34. c In *Levit.* Quæſt. 1. pag. 115. B d Lib. 4. *cont. Celſ.* p. 225. e *Lev.* 11. 3. f *Novatian. de cib. Judaic.* c. 3.

1 Vid. Bibliothec. Patrum, T. 2. pag. 872.
2 Vid. Patres Apoſtol, T. 1. pag. 30. §. 10.

mun-

Sect. I.

mundarentur, pecora culpata ſunt, ſcilicet ut homines qui eadem vitia haberent, æquales pecoribus æſtimarentur. Et paucis interjectis, *in animalibus mores depinguntur humani, & actus, &* [1] *voluptates: mundi* ſunt *ſi ruminent, id eſt, in ore ſemper habeant -- præcepta divina* &c. *Cum ſuem* edi prohibet Lex, *reprehendit cænoſam, luteam, & gaudentem -- ſordibus vitam.* Multa his affinia occurrunt apud Theodoritum, Quæſt. 11. in *Lev.* Cyril. Alex. de adorat. in Spiritu, lib. 14. p. 497, 498. & lib. 9. [2] cont. Julian. [3] Origenem, Homil. 7. in *Levit.* [4] Clem. Alex. Stromat. l. 5. alioſque e veterum ſenatu non paucos.

Nihil æſtimanda.

Hanc autem ſententiam, tot claris licet nominibus decoratam, talo non niſi debili ſubnixam arbitror. Nam certum eſt, animalia multa [leporem, cygnum, cuniculum, pelicanum, alia] pro immundis habita, quæ tamen vitii alicujus umbram & imaginem præferre, nemo cautus aut conſultus dixerit. Neque veriſimile eſt Deum, cui cum pinguioris ingenii populo res erat, vitia ulla myſtice depingere vel hieroglyphice prohibere voluiſſe. Quin & apertum eſt, Moſem varii generis & conditionis animalia, ob unam eandemque rationem, munda vel immunda pronunciaſſe: unde promptum eſt inferre, eum ad eorum qualitates peculiares vix ullum reſpectum habuiſſe. Præterea, ſententiam hanc eo minus audiendam cenſeo quod prurientibus ingeniis frænum laxet, iiſque legis divinæ majeſtatem, frivolis, precariis, ne dicam & ridiculis, allegoriis & myſteriis minuendi licentiam faciat. Huic enim ſententiæ confiſus, aſſerit auctor antiquus Deum Judæos a lepore, utpote [a] libidinis præpoſteræ ſymbolo & exemplo, temperare voluiſſe: ab accipitre etiam & vulture, [b] ut ab iis, οἷς ἅπας ὁ βίος ἐν ἁρπαγῇ ἐστι, *quibus omnis vita in rapinis eſt*, abſtineamus. Sed vereor ne *a pane iſto leviori abhorreat* lectoris paulo ſolidioris *anima.*

Ratio 5ª.

Quinto: nonnullis eruditione claris viſum eſt, diſcriminis hujuſce rationem & originem a priſcorum temporum moribus & inſtitutis arceſſendam. Ea ſententia fuiſſe videtur [5] *Grotius*, qui præcepta de animalibus immundis explicans, *multa horum*, inquit, *ab Ægyptiis translata* ſunt. Et [6] auctor nuperrimus eruditione præſtantiſſimus, de Moſaico ciborum & beſtiarum diſcrimine verba faciens, *diſcrimen hoc*, ait ille, *alii a beſtiarum natura, alii a Numinis voluntate arceſſunt. Quidni ex priſtis atque obliteratis hominum inſtitutis derivari exiſtimemus? Non enim hæc mundorum immundorumque animalium diſtinctio jam primum lege Moſaica conſtituta eſt, cum olim* [c] *Noacho non fuerit incognita: neque par eſt ut illum diſcrimen futurum proſpexiſſe putemus.*

Debilis habetur.

Sed & hanc ſententiam inter errores tantum ſpecioſos numerandam ſentio. Quamvis enim Ægyptii ab animalibus quibuſdam, Syri a piſcibus, alii ab aliis creaturis, religioſe abſtinuerint; nullam veri ſpeciem habet, gentes antiquas oneroſam illam ciborum diſtinctionem, quam præſcripſit Moſes, in inſtitutis ſuis habuiſſe. Nam probaturi ſumus, Deum ciborum diverſitatem (lege præſcriptam,) tanquam peculiare quiddam, Judæis obſervandam impoſuiſſe, ut ſacer ille populus a gentibus profanis, non minus cibo quam cultu diſcerneretur. Sed & extra fidem eſt omnem, Deum hujuſmodi inſtitutis, nulli uſui tunc temporis inſervientibus, Noachum & poſteros ejus onerare voluiſſe. Neque his obſtat animalium diſcrimen, *Geneſ.* 7. 2. memoratum, quaſi Noachi temporibus obtineret. Cum enim Moſes ad eos quibus lex jam nota, ſcriberet; *mundorum* & *immundorum animalium* in hiſtoria diluvii, prout & ſabbati in hiſtoria creationis, [nempe κατὰ πρόληψιν] mentionem feciſſe videatur. Nec plane ſpernenda [7] Grotii conjectura, qui *immundarum* nomine beſtias illas intelligi ſentit, a quibus comedendis homines, ipſa natura docente, fugerunt, vel quas altaribus nunquam admoverunt.

Ratio 6ª.

Sexto: ſentiunt alii, Deum ciborum differentias inſtituiſſe, ut quocunque ſe in omni vita verterent Iſraelitæ, ſemper aliqua obedientiæ Deo præſtandæ occaſio ſe daret, & aliquid eorum oculis & animis occurreret quod legislatoris ſui memoriam ſubinde renovaret. Huic ſententiæ inter primos favet [d] *Juſtinus Martyr*, ſic in Tryphonis perſona Judæos alloquens, Σαββατίζειν ὑμῖν προστέταχεν, ἵνα μνήμην λαμβάνητε τοῦ Θεοῦ· *Sab-*

a *Cum leporem* interdicit Deus, *accuſat reformatos in fœminam viros*, Novat. *ub. ſupr.* b *Cyril. Alex. ub. ſupr.* p. 318. c *Geneſ.* 7. 2. d In *Dialog.* p. 175. 5.

1 Pamelius legit *voluntates.*

2 Vid. pag. 302.

3 Homiliæ quidem ipſæ in Levit. non extant; interpretationem autem illarum Rufino debemus, qui ſeipſum malæ fidei accuſat, his verbis, *ſupplere cupimus ea quæ ab Origene, — non tam explanationis quam ædificationis intentione perorata ſunt*: ſicut in Homiliis, — *in Geneſim & in Exodum fecimus, & præcipue in his quæ in librum Levitici ab illo quidem perorandi ſtilo dictata, a nobis vero explanandi ſpecie translata ſunt.* Vid. Origeniana Huet. oper. Origen. Græc. præfixa, Part. 1. p. 245.

4 Vid. Tom. 2. p. 677.

5 Vid. Grot. in Levit. 11. 3. 6. Vid. Marsham Chronic. p. 205. 7 Vid. Grotii notas ad libr. v. Relig. Chriſt. §. 9.

SECT. I.

batum celebrare vos juſſit, ut Dei memoriam colatis: — Καὶ γὰρ βρωμάτων τινῶν ἀπέχεσθαι προσέταξεν ὑμῖν, ἵνα καὶ ἐν τῷ ἐσθίειν καὶ πίνειν πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχητε τὸν Θεόν, &c. *Quin & a cibis quibuſdam ut vos abſtineretis, vobis mandavit, ut etiam inter edendum & bibendum vobis ob oculos verſaretur Deus, promptis admodum & proclivibus ad deficiendum a notione ejus:* in eandem ſententiam loquitur, *pag.* 229.

Levis inventa. AT neque hæc ſententia quicquam præter ſpeciem & colorem habet. Multo enim probabilius eſt, Dei ſancientis auctoritatem, legem de cibis vetitis; quam legem de cibis vetitis, Deum, ad populi illius memoriam revocare voluiſſe. Nam Deus naturaliter innoteſcit; eum quælibet herba mentibus humanis ingerit; operibus etiam & beneficiis ad ſtuporem inſignibus Hebræorum animis infigebatur: at oblivio legis illius poſitivæ, circa ciborum delectum verſatæ, Judæorum animis facile obrepere poſſet; niſi Dei ſancientis auctoritas, ſæpius in memoriam rediens, animos eorum ſomnolentes punxiſſet, eoſque ad legem illam obſervandam ſtimulaſſet. Deinde, ſi Deus ideo ciborum diſcrimen inſtituiſſet, ut Judæi vel inter edendum in ipſius memoriam inducerentur; veriſimile eſt eum cibos ſaltem nonnullos ſuavitate ſingulari commendatos prohibere voluiſſe, non autem cibos plerumque fœdos adeo & ingratos, quod vix dixeris an Judæi legis vetantis auctoritate magis, quam rationis inſtinctu & ſtomachi faſtidio, ab eorum uſu reſtringerentur.

Ratio 7a. SEPTIMO: nonnulli ſe perſuaſos habent leges de ciborum & animalium diſtinctione latas, Dei ſolius voluntatem pro ratione habuiſſe: nempe Deo viſum eſt, inquiunt, hujuſmodi legibus pro arbitrio poſitis, *coercere libertatem & exercere obſequium gentis rudioris.* Hoc in animum induxit [a] *Spanhemius.* In eandem ſententiam concedit *Cunæus*, lib. 2. de rep. Hebræorum, *cap.* 24. ibi enim de capite undecimo Levitici (ubi longa extat enumeratio animantium eſu tactuve polluentium) mentionem faciens, *multa*, inquit, *illic in impurorum ſenſu poſita ſunt, non natura aut rationis dictamine, ſed incerta Numinis voluntate. Itaque cauſas earum rerum exquirere, anceps eſt; nec ideo aſſequare.*

Non arridet. PROBE novi ſententiam hanc viris nonnullis e ſuperiori doctorum claſſe placuiſſe: ſed a meipſo nunquam impetrare potero, ut ſentiam, Deum leges ullas arbitrarias & (ſit verbo venia) tyrannicas Iſraelitis imponere voluiſſe. Nam leges hujuſmodi cum inſito bonitatis & ſapientiæ divinæ ſenſu pugnare videntur. Et ſi Deus leges e mera voluntate manantes Iſraelitis impoſuiſſet, veriſimile eſt eas in peccati potius irritamenta, quam obſequii exercitia, tranſituras: erat enim gens illa (quod de mulieribus [b] *Syneſius*) πρᾶγμα δυσμεταχείριστον *res quæ non facile tractari potuit.* Sed nil opus eſt, ut in hac opinione refellenda multum operæ impendam hic, cum illius vanitatem alibi [*] reprehenderim, eamque magis in apertum prolaturus ſim, cum veram legis hujuſce rationem aſſignaverim. Hanc itaque provinciam aggrediar ſtatim.

Ratio 8a. OCTAVO: perſuaſum eſt aliis, Deum animalia quædam immunda pronunciaſſe, & Iſraelitas ab eorum eſu cohibuiſſe, ut populum illum, in luxum & libidinem effuſum, coerceret, eoſque primis quibuſdam abſtinentiæ & temperantiæ rudimentis informaret. Ad hanc cauſam legem de ciborum & animalium quorundam immunditie refert [c] *Tertullianus*, his verbis: *& ſi Lex aliquid cibis detrahit, & immunda pronunciat animalia quæ aliquando benedicta ſunt; conſilium exercendæ continentiæ intellige, & frænos impoſitos illi gulæ agnoſce, quæ quum panem ederet Angelorum, cucumeres & pepones Ægyptiorum deſiderabat. Agnoſce ſimul & comitibus gulæ, libidini ſcilicet atque luxuriæ, proſpectum, quæ fere ventris caſtigatione frigeſcunt. Manducaverat enim populus, & biberat, & ſurrexerat ludere.* Horum germana ſunt illa [d] Novatiani, ut *multa a Judæis ciborum genera tollerentur, immunda multa ſunt dicta: non ut illa damnarentur, ſed ut iſti coercerentur ſervituri uni Deo, quia ad hoc aſſumptos frugalitas decebat & gulæ temperantia, quæ ſemper religioni deprehenditur eſſe vicina, —— Ad coercendam ergo intemperantiam populi, remedia ſunt iſta quæſita, ut quantum luxuriæ demeretur, tantum bonis moribus adderetur. Nam quid aliud merebantur, quam ut ne omnibus eſcarum voluptatibus uterentur, qui divinis mannæ epulis viliſſimos Ægyptiorum cibos præferre auſi ſunt?*

Soliditatis expers. CENSEO autem & eam rationem a ſcopo legis aberrare: ſi enim legem de cibis tuliſſet Deus, tantum ne Iſraelitæ gulæ & libidini ſuæ nimis indulgerent; veriſimile eſt eum animalia palato gratiſſima, non autem fœda plurimum & vel ſtomacho latranti odioſa, prohibere voluiſſe.

a *Dub. Evang.* P. 3. *Dub.* 117. b In *Epiſt.* 67. * *V. Prolegom.* cap. I. c Lib. 2. *contr. Marcion.* §. 18. p. 391. A d Lib. *de cib. Jud.* c. 4.

SECT.

SECT. II.

SECT. II.

Veræ rationes cur Deus ciborum & animalium diſcrimen inſtituerit.

CUM certum ſit auctores eos quotum ſententias modo redarguimus, a veri tramite deflexiſſe, quod Scripturam neſcirent, aut minus atteote legereot; ne eodem & ipſi malo fato utamur, oculos in Scripturam convertamus, ut per cynoſuram illam ad veritatis portum dirigamur. Si itaque nos ad Scripturam conferamus, inde varias diſcri miois hujus inſtituti rationes eliciamus. Nam, Septem rationes aſſignantur.

PRIMO: e Scriptura conſtet Deum hoc diſcrimen ſtatuiſſe, & animalia quædam a Judæorum menſis immunditiæ nomine ſeparaſſe, quod gentem illam ſibi propriam feciſſet, eamque a cæteris mundi gentibus *in peculium* ſeparaſſet. Hoc intelligi datur e legis verbis, *Levit.* 20. 24, 25, 26. *Ego Dominus Deus veſter qui ſeparavi vos a* cæteris *populis: ſeparate ergo & vos jumentum mundum ab immundo, & avem immundam a munda: ne polluatis animas veſtras in jumento & ave & cunctis quæ moventur in terra, & quæ vobis oſtendi eſſe polluta: eritis mihi ſancti, quia ſanctus* ſum *ego Dominus, & ſeparavi vos a* cæteris *populis, ut eſſetis mei.* Quibus verbis perſpicuum eſt, Deum ciborum diſtinctionem lege conſtitutam, Judæorum ſeparationi a gentibus aliis, tanquam rationi præcipuæ, tribuiſſe. Ille unus hic urget ſcrupulus, ubinam ſita ſit vis & virtus rationis illius, *ego Dominus veſter ſeparavi vos a* cæteris *gentibus, ſeparate ergo & vos?* &c. Quantum conjectura aſſequi poſſum, rationis illius vis & virtus explicari debet, quaſi Deus legem illam his verbis tradidiſſet: "gentes alias idolis addictas & ethniciſmi tenebris involutas ὑπερεῖδον. Vos ſolos e mundi gentibus elegi, & legibus, ritibus, oraculis, beneficiis, & privilegiis plane ſingularibus, claros & conſpicuos feci: veſtrum itaque fuerit, jumentum mundum ab immundo in epulis veſtris ſeparare, ut vos e gentium colluvie ſeparatos vos ipſi ſentiatis; & vos Deo ſancto & puro devotos eſſe, ipſa cibi veſtri munditie & quaſi ſanctitate, vicinis veſtris indicetis. Vobis peculiaria cultus tempora, loca, ritus, veſtes etiam præſcripſi peculiares; ut per ea omnia, tanquam ſymbola peculiaria, teſtatum faciatis, vos Deo eximio & naturæ ſuæ excellentia a Diis gentium ſeparato nomina tradidiſſe: eo etiam conſilio peculiarem vobis præſcripſi cibum, & animalia quædam apud alios in deliciis habita vobis impura feci, ut illa comedendi ratio genti veſtræ propria & ad legis meæ præſcriptum attemperata, vos gentem mihi uni ſacram & ſeparatam indicaret. Ad hanc ſententiam acceſſit Theologus [a] ille celeberrimus, de vetitis animalibus in hunc modum diſſerens: *recentiores non putant Deum reſpexiſſe ſingulares proprietates animalium in illis prohibitionibus; ſed potius voluiſſe hac ceremonia eccleſia Judaica corpus diſtinguere ab Ægyptiis, Chaldais, cæteriſque omnibus nationibus. Hiſce itaque ritibus publice profitebantur, ſe eſſe peculiarem Dei populum, & mundum ac ſanctificatum, cum cætera omnes gentes immunda cenſerentur.* Erat nempe rationi conſonum, ut Judæi, in ipſa quaſi fronte, Dei ſui nomen gererent, & ſigno aliquo teſte ſcirent omnes, ſe Deo ſancto & peculiari nomina ſua tradidiſſe: tunc temporis enim gentes, pro variis quibus eguerunt beneficiis, numina varia coluerunt; nec facile ſciri potuit cui Deo quis nomen aut cultum dederat, niſi more vel ritu aliquo peculiari, tanquam indice, uteretur. Prima.

SECUNDO: ſingularis gentis Iſraeliticæ dignitas & excellentia poſtulavit, ut cibo tantum peculiari & dignitatis alicujus ſpeciem ferente paſceretur. Datum ſcilicet id decus Iſraelitis, ut illi ſoli ἱεράτευμα βασίλειον, *gens ſancta* & ſummi Numinis ſponſa haberentur: non erat itaque ex eorum dignitate ut iisdem cum fæce gentium cibis uterentur. Deum ob hanc cauſam Judæos a cibis quibuſdam cohibuiſſe, ſatis ex ipſius verbis intelligitur, *Exod.* 22. 31. Vos *ſancti eritis mihi: carnem* quæ a beſtiis fuerit prægustata *non comedetis*, ſed *projicietis canibus.* Quaſi dixiſſet, "gens ſancta & mihi in peculium dicata, ſancte & pro dignitate tractetur, oec carne lacera vel ferarum faucibus prægustata ſaturetur. Cibum tam vilem canibus, noo liberis meis, aptum habeo. Locus affinis occurrit, *Deut.* 14. 2, 3. *Elegit te Deus ut ſis ei in populum peculiarem, de cunctis gentibus quæ* ſunt *ſuper terram: ne comedatis* quæ immunda ſunt: hoc eſt, favore & honore ſingulari te digoatus eſt Deus, vult itaque ut teipſum cognoſcas & reverearis, & a cibis immundis temperes, utpote dignitati tuæ minime conve- Secunda.

[a] *Davenant.* in *Ep. ad Col.* 2. 17.

SECT. II. "nientibus. Cibos nonnullos hac de cauſa Judæorum genti vetitos, paulo clarius e verſ. 21. capitis ejuſdem conſtet: *quicquid morticinum eſt, ne veſcamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas* eſt, *da ut comedat, aut vende* ei: *quia tu populus ſanctus.* Ubi Judæus peregrinum dignitate & ſanctitate ſuperare dicitur, ideoque peregrino morticinum edere licuit, quod Judæo interdictum eſt; ne dignitatem ſuam lædere, & cibo tam vili Deum ipſum (cui ſanctus erat) probro aliquo afficere videretur. Hinc etiam rationis hujuſce veritas oſtendi poteſt, quod Deus, e quovis quadrupedum, avium, piſcium, & reptilium genere, ea plurimum Judæis in cibum dederit, quæ dignitate præſtare videbantur; ea vero prohibuerit, quæ ſortis vilioris cibi, & corpori vel palato minus grati, ſeculis antiquis habebantur. Hoc audacter aſſeramus, quod animalia omnia Judæis olim in cibum conceſſa, in uſu & pretio apud Orientales hodieque habeantur; & pleraque Judæis interdicta, a menſis ſaltem elegantiorum & rebus lautioribus utentium, etiamnum ablegentur. Hæc paululum confirmant [a] S. Cyrilli verba, *Legem laudemus, quod, cum Iſraelitis ea quæ ad victum peculiarem attinent, accurate præſcriberet,* ἀνεφικτῶν ἐκέλευσεν ὧν ἂν τις γένοιτο παρ᾽ οὐδενὶ λόγου, *abſiſtere juſſit ab iis quæ nemo non repudiarit, imo vero quæ lauto cuivis homini ſic exoſa ſunt, ut ſi vel tantum apponantur, ea* ὡς αἰσχρὰ, βδελυρώτατα, καὶ ἀπόβλητα, *tanquam fœda, odioſa, & rejectanea, vehementer abominetur.* Ideo autem Deus animalibus tantum præſtantioribus in cibum conceſſis, Iſraelitas ad frequentem dignitatis ſuæ memoriam revocavit, ut ſemetipſos revereri diſcerent, nec ſanguinem ſuum familiis ethnicis commiſcere, vel animas ſuas *Diis* eorum *ſtercoreis* aut moribus impuris polluere, dignarentur. Judæi quidem hanc ciborum diſtinctionem, in ſobrium ſanctitatis & dignitatis ſuæ monimentum a Deo inſtitutam, alioſum accipiebant, eamque in faſtus & elati ſupercilii argumentum detorquebant; inde enim anſam tandem arripiebant novas aliquas & Legis ἀκρίβειαν ſuperantes munditiæ normas excogitandi: adeo ut ſi quid vitii levioris in animali vel puro deprehenderent, illud ad exteros & Chriſtianos, tanquam generis humani retrimenta, rejiciendum decernerent. In hujus rei fidem, [b] *Agobardum*, ſui ſeculi Judæos, eorumque circa cibos delicias & faſtidia, ſic deſcribentem audiamus: *Judæorum uſus eſt, ut quando quodlibet pecus ad eſum mactant, ſi ſubactum idem pecus tribus inciſionibus non fuerit jugulatum: ſi apertis interaneis jecur læſum apparuerit: ſi pulmo lateri adhæſerit, vel eum inſufflatio penetraverit; ſi fel inventum non fuerit, & alia hujuſmodi; hæc, tanquam immunda a Judæis repudiata, Chriſtianis venduntur, & inſultatorio vocabulo* Chriſtiana pecora *appellantur.*

Tertia. TERTIO: Deus jumenta munda ab immundis lege lata diſcerni juſſit, ut legis illius obſervatio ſanctitatis divinæ documentum eſſet, & Judæos Deo ſancto & ab omni labe puro dicatos & ſeparatos indicaret. Rationem illam [c] locis pleriſque, ubi victus ratio peculiaris Judæis præſcribitur, aſſignatam reperiamus. Quo vero facilius rationis hujus momenta percipiamus, monendum eſt obiter, vocem קדש duo ſignificare, 1°. Rem aliquam eximiam, & a rebus vulgaribus uſu vel dignitate quadam ſeparatam. 2°. Aliquid re vera ſanctum & a peccati alicujus labecula remotiſſimum. Jam vero legis hujus obſervatio magna ſignificatio erat, Judæos Deum ſanctum (utroque vocis ſenſu) venerari.

(1°.) EOS Deum colere, a gentium numinibus & terræ incolis eximia naturæ ſuæ dignitate longe ſeparatum. Deum eo fine hanc legem ſtatuiſſe, ex ipſis verbis ſuis infero, *Levit.* 11. 44, 45. *Non polluetis animas veſtras in omni reptili quod* movetur *ſuper terram. Ego enim* ſum *Dominus qui eduxi vos de terra Ægypti, ut eſſem vobis in Deum. Sancti eritis quia ego ſanctus* ſum. Quæ verba, ni fallor, hunc ſenſum ferunt: "ſum "quidem ipſe Deus eximius, & a Diis gentium, naturæ meæ eminentia, & operis il-"lius [redemptionis veſtræ ex Ægypto] claritate, ſeparatus: in veſtris etiam moribus "& cibis τὸ περιττὸν, aliquid eximium apparere volo; ut vos gentem ἀφωρισμένην, & "mihi uni devotam indiceris. Deum quidem hoc in loco ſanctitatem moralem & in animo ſitam obſcurius & occultius exegiſſe, non diffitendum eſt: cum autem de ſanctitate quam dixi legali [in abſtinentia ab immundis, poſita] præcipue intelligendum eſſe, ſatis e contextu manifeſtum cenſeo. Hæc autem abſtinentia ab immundis eo luculentius indicavit Iſraelitas Deo alicui ſingulari, nec in vulgarium Deorum numerum aſcribendo, devotos eſſe; quod uſus ille Hebræorum genti proprius eſſet, nec unquam gentium aliarum moribus approbatus.

a *Contr. Julian.* l. 9. p. 316. B b De *Inſolent. Jud.* T. 1. p. 62. c *Lev.* 11. 43. 44, 45. & 20. 24, 25, 26.

(2°.)

Sect. II.

(2°.) Legis hujus obſervatio non minus indicio erat Iſraelitas Deum colere quatenus *ſanctum*, & ab omni turpitudinis alicujus umbella remotiſſimum. Nam gentes nonnullæ, ab animalibus quibuſdam, quatenus ſactis, aliæ quatenus noxiis aut ingratis, Iſraelitæ ſoli ab animalibus ut immundis, abſtinuere. Atque hæc ea cauſa videtur, cur Deus tot leges, de corporum, veſtium, perſonatum, & ciborum, immunditie tulerit, & eos per totum pene Leviticum ad tam ſolicitum puritatis externæ ſtudium vocaverit; nempe ut iis puritatis ſuæ ſenſum incuteret, & moribus illis puritate quadam conſpicuis ſe *ſanctum Iſraelis* [non impurum & ſtercoreum aliquem Ægypti Deum] venerari ſcirent & profiterentur. Hæc autem profeſſio, moribus & ritibus tam puris facta, rationi & temporum illorum genio maxime conveniebat. Nullos enim e Deorum ethnicorum grege ſanctitati pretium ſtatuere viſus eſt, nec unquam ſub *ſancti* nomine ſe coli juſſit. Sed & cultus Deorum illorum, immunditie plurimum corporea & ritibus vix illæſo pudore nominandis peragebatur. Nec ethnici ceremonias tantum, ſed & creaturas fœdas & immundas, in Deorum ſuorum myſteriis frequenter uſurparunt. Moris hujuſce teſtimonium præbent ptophetæ verba, *Jeſ.* 65. 3,4. *Populus irritat me——qui manent in ſepulchris, qui carnem porci comedunt, & jus pollutorum* eſt in *vaſis ipſorum.* Et cap. 66. 17. *Sanctificantes & purificantes ſe in hortis poſt unum in medio, comedentes carnem porci, & abominationem & murem, ſimul conſumentur.* Huc ſpectant illa Alexandri ab Alexandro: [a] animalibus immundis [aſinis, ſuibus, equis, camelis, canibus] impia ſua numina colebant veteres; & ad aras profanas turpiſſimas beſtias admovebant. Dum autem Gentiles animalibus & ceremoniis tam ſpureis & immundis in eorum myſteriis uſi ſunt, indiciis haud obſcuris ſignificarunt, ſe δαίμονι ἀκαθάρτῳ devotos eſſe, & in illius honorem ſacra ſua celebrare. E contrario, Judæorum cibi mundiſſimi, & ſacra omnia ſumma cum puritate peracta, divinæ puritatis imaginem quandam oſtendebant, & Judæos Deo ſancto & ſancte colendo devotos eſſe referebant.

Quarta.

Quarto: Deus ciborum diſcrimen lege ſanxit, ut puerilis Hebræorum natio, ſub legis illius pædagogia, ad prima quædam ſanctitatis & veræ puritatis elementa diſcenda ducerentur. Huic conjecturæ cauſam præbet legis illius ratio ab ipſo Deo reddita; poſtquam enim legem de ſeparando animali mundo ab immundo tradidiſſet, continuo addit, [b] *eſtote ſancti, quia ego Dominus Deus veſter ſanctus ſum:* ea autem verba S. Petrus de ſanctitate [non legali, ſed] Evangelica, per vitam integram colenda, [c] interpretatur. Non equidem renitor, quin textus ille Levitici, in exteriori verborum cortice, ſanctitatem legalem, in munditie quadam corporea ſitam, ſolummodo poſtulaverit: at naturæ legis illius umbraticæ congruum eſt, ut verba illa, in interiori quaſi medulla, ſenſum ſacratiorem continuiſſe credam; &, ſub munditiæ illius exterioris figura, Judæos ad puritatem vere ſic dictam & divinæ conformem ſectandam incitaſſe. Cum Iſraelitæ primum e denſa ſuperſtitionis Ægyptiacæ caligine gradum moverent, excellentem ſanctitatis divinæ ſplendorem recta intueri non poterant: Deo itaque viſum eſt, ſanctitatis ſuæ imagines & umbras [ciborum nempe munditiem, & baptiſmi frequentis καθαρμῶν] teneris eorum oculis objicere, quæ torpentes eorum animos paululum excitarent, eoſque ad ſanctitatis divinæ ſenſum aliqualem gradatim expergeſacerent.

Quinta.

Quinto: Deus legem illam de ciborum diſcrimine tuliſſe credatur, reſpectu aliquo habito ad gentium antiquiorum conſuetudinem, Ægyptiorum moribus confirmatam. Variæ autem rationes adduci poſſunt, quo minus hæc conjectura (neque enim meliori loco eam habeo) plane ridicula vel abſurda cenſeatur. Nam,

(1°.) Verisimile eſt gentes antiquiores abſtinentiam a cibis & animalibus quibuſdam, diu ante datam Legem, in inſtitutis ſuis religioſis habuiſſe. Nam Ægyptii ab ariete & vacca, Syri a piſcibus, Phœnices a turture & columba, Britanni veteres a lepore, gallina, & anſere, alii ab aliis, religioſe temperabant; & abſtinentia illa ſe Numini alicui deditos, & ad illius obſequium compoſitos eſſe teſtabantur. Religionem illam apud ſacerdotes Ægyptios inprimis obtinuiſſe, teſtis locuples eſt [d] *Chæremon* Ægyptius, cui ſtudium erat eorum ritus & res geſtas memoriæ tradere. Nec facile dubitari poteſt, quin ſacerdotes Ægyptii *Chæremoni* æquales, religionem illam e vetuſtiſſima majorum ſuorum ttaditione profectam crederent. Teſtantur etiam [e] ſcriptores ex Arabum ſchola, Zabios, antiquiſſimos illos idololatras, abſtinentiam a certis animalibus in inſtitutis eorum religioſis habuiſſe. Sed & eo credibilius habeatur, morem illum

a Lib. 2. c. 22. & l. 3. c. 12.
b *Lev.* 11. 44, 45. & 20. 25, 26.
c 1 *Epiſt.* c. 1. 15, 16.
d *Ap. Porphyr.* περὶ ἀποχ. l. 4. §. 7.
e *V. Hottinger. Hiſt. Orient.* l. 1. c. 7.

SECT. II.

originem ipſi idololatriæ coævam habuiſſe, quod apoſtolus *abſtinentiam a cibis* inter δαιμονίων διδασκαλίαις [a] numeraverit.

(2°.) COMPERTUM eſt e veterum monumentis, Hebræos & Ægyptios eodem conſilio ciborum & animalium diſtioctionem obſervaſſe. Nam primo, conſtat Hebræos abſtinentiam a cibis in præcipua parte puritatis habuiſſe, eamque in ſanctitatis ſibi propriæ ſignum exercuiſſe. Inde Phariſæus Judæis dicitur, [b] שפירשעצמו מכל טומאה *qui ſemetipſum ſeparat ab omni immunditia, ab omni cibo immundo, & a populo terræ*, i.e. vulgi fæce, *qui ciborum diſcrimen haud accurate obſervant.* Ægyptios etiam [ἐν ταῖς ἁγνείαις] *cum puritati ſtuderent*, a cibis quibuſdam ſe continuiſſe, cuivis jam citatum *Porphyrii* locum conſulenti pateat. Et apud omnes inſtitutionis cujuſcunque ſublimioris profeſſores [Pythagoreos, Pſeudo-Chriſtianos, alios] in morem abiit, a certo genere ciborum abſtinentiam præſtare, quæ ſanctitatis etiam egregiæ teſtimonium habebatur. Deinde, ciborum diſcrimen introductum eſt, ut cibi Judaici cum ethnicis ἀσύνετοι, ſocietatem & commercium mutuum prohiberent: eundem etiam uſum Ægyptiis præbuit, ab animalibus quibusdam tanquam ſacris abſtinentia; nempe ut a cæteris gentibus abjuncti & ſeparati viverent. Sic enim in Ægyptios ludit [c] *Anaxandrides* comicus:

Οὐκ ἂν δυναίμην συμμαχεῖν ὑμῖν ἐγώ·
Οὔθ' οἱ τρόποι γὰρ ὁμονοοῦσ', οὔθ' οἱ νόμοι
Ἡμῶν, ἀπ' ἀλλήλων δὲ διέχουσι πολύ· &c.

Ego eſſe veſter non queam commilito,
Quando nec leges nec mores conſentiunt;
Sed multis inter ſe intervallis diſſident.
Bovem tu adoras, ego quem ſacrifico Diis:
Anguillam numen eſſe reris optimum,
Quæ mihi putatur eſſe optimum obſonium.

Hac ciborum diſcrepantia factum eſt, quod Ægyptius [d] Græcum hominem ſuaviari, ejuſve cultro, veru, vel olla uti, neſas exiſtimaret. Cum itaque Judæi & Ægyptii ab animalibus quibuſdam ob rationes non multum diſſimiles, abſtinerent; veriſimile eſt Ægyptios animalium diſtinctionem diu ante Legem datam obſervaſſe, & eorum conſuetudinem occaſionem aliquam huic inſtituto Judaico præbuiſſe. Si enim Ægyptii, jumenta ſua ſacra a profanis diſcernentes, Judæos & eorum inſtituta ante oculos habuiſſent, vix credibile eſt eos ab exemplari ſuo tam ſtolide & ſuperſtitioſe diſcedere potuiſſe.

(3°.) HINC etiam conjectura noſtra fidem accipiat, quod neutiquam probabile ſit, Deum ritum plane novum & inſolentem populo rudi & veterum omnium tenaciſſimo præſcribere voluiſſe; aut illam nullius judicii plebeculam tam familiariter alloqui, [*ſeparate jumentum*, &c. *quia ſancti eſtis*,] niſi quod abſtinentia a cibis quibuſdam, ſanctitatis indicium apud Ægyptios haberetur.

(4°.) MULTIS argumentis evinci poteſt, Deum in inſtitutis ſuis pleriſque aliis, ſeſe (quatenus fas eſſet) ad ſeculi genium moreſque receptos accommodaſſe. Sed hac de re alibi ſuſius & opportunius diſſeremus.

Sexta.

SEXTO: Deus animalia quædam munda, quædam immunda pronunciavit, ut Judæos quidem mundos, Gentiles immundos eſſe, myſtice ſignificaret. Ita mihi perſuadeo, non levibus adductus argumentis: nam (1°.) Hæc ratio Judæorum omnium antiquiorum puncta tuliſſe videtur. Hoc ex hiſtoria viſionis S. *Petri*, Actorum decimo memoratæ, non obſcure colligo: poſtquam enim S. *Petrus*, oraculum [e] illud cœlitus immiſſum accepiſſet, ſtatim inſert, *oſtendit mihi Deus, ne quem hominem communem vel immundum vocarem.* Quid autem S. *Petrus* oraculum illud, de brutorum ſolummodo mundatione dictum, de hominibus etiam intelligeret; niſi quod præceptum de animalibus immundis allegoriam continere, & homines immundos ſub præcepti illius cortice latitare, vulgo crederetur? Opinionis hujus apud Judæos antiquos pervulgatæ veſtigia quædam deprehendi poſſunt, in epiſtola [1] S. *Barnabæ*, ubi docetur homines impios per animalia immunda ſignificari; & in comment. R. [f] *Menahem*, qui animalia immunda, אומות העולם *gentes mundi*, & eorum eſum, conjugium cum gentili, denotare dicit,

a 1 *Tim.* 4. 1. b *Baal. Aruc.* in פרוש. c *Ap. Athenæum* lib. 7. p. 299. F. d *Herodot.* l. 2. cap. 41.
e *Quæ Deus purgavit, tu ne polluito*, Act. 10. 15, 28. f *Comment.* in *Lev.* 11.

1 Vid. patr. Apoſtol. T. 1. §. 10. p. 30.

(2°.)

(2°.) Lex ipſa quæ ciborum & animalium diſcrimen ſtatuit, rationem illam ratam firmamque facit: ſic enim ſe [a] habet, *ego ſum Dominus Deus veſter, qui ſeparavi vos a* cæteris *populis. Separate ergo & vos jumentum mundum ab immundo, & avem immundam*, &c. *Eritis mihi ſancti, quia ſanctus* ſum *ego Dominus, & ſeparavi vos a* cæteris *gentibus ut eſſetis mei.* Iis autem verbis Iſraelitæ, jumentum mundum ſibi ad eſum ſeparantes, ſancti vel mundi diſerte vocantur; tacite etiam innuitur, Gentiles, animalia nullo diſcrimine ſervato comedentes, in *immundorum* grege collocandos. (3°.) Clarum eſt, Deum animalium & ciborum diſcrimen obſervari præcepiſſe, ut lex illa Judæos a familiari Gentilium uſu & conſortio cohiberet. Conſentaneum eſt itaque ut animalia munda & immunda, tanquam ἀλληγορούμενα, Judæos & Gentiles adumbrantia, capiamus: adeo ut legis illius materia cum fine & uſu ſuo conveniat, & Judæi cum Gentili congreſſum, non minus imparem & ἀνάρμοστον, quam rei mundæ cum immunda miſtionem, notare cenſeatur.

SECT. II.

Septimo: Deus legem illam de animalibus ad eſum mundis & immundis dedit, ut Iſraelitæ a profanis gentibus diſcernerentur, iiſque nec ſanguine, nec religione, nec uſu familiari, jungerentur. Ratio illa lege jam dicta clare continetur, *Levit.* 20. 24, 25, 26. *Ego Dominus Deus veſter* אשר-הבדלתי *qui ſeparavi vos a populis: Vos itaque ſeparabitis inter mundum & immundum*, &c. *Et eritis mihi ſancti, quia ſanctus ego Dominus, & ſeparavi vos a populis, ut eſſetis mei.* Unde conſtet ſummi legislatoris intentionem fuiſſe, ut illa ciborum diſcretione, Judæos non tantum politice, ſed & phyſice, a cæteris gentibus ſepararet. Hunc eſſe verborum intellectum, ſat probat veterum Judæorum praxis, qui legis hujuſce religione devincti, ſeſe a Gentilium congreſſu & uſu familiari perpetuo ſeparabant. Nam ſatis e novi Teſtamenti ſcriptis appareat, eos alienigenis [b] συγχρῆσθαι, [c] [1] συνεσθίειν, [d] κολλᾶσθαι, προσέρχεσθαι, illicitum habuiſſe. Inde & Domino noſtro [e] crimini datum, quod cum Gentilibus convivando contra morem & legem Judæorum ageret. Nec dici poteſt quanta, eo nomine, invidia Judæorum natio apud gentes vicinas laboraret: nam Macedones aulici, ut Judæos in odium apud regem traherent, id inprimis [f] referunt, eos nempe, μήτε τῷ βασιλεῖ μήτε ταῖς δυνάμεσιν, ὁμοσπόνδους τοὺς ἀνθρώπους γενέσθαι, *non eſſe ſociabiles, aut cum regibus, aut cum* regum *exercitibus:* & ethnicos, τὸ ἄμικτον, τὸ ἀσύμφυλον, τῆς διαίτης ἀμιξίαν, *inſociabilem vivendi rationem*, paſſim apud Joſephum Judæis objicientes inveniamus. Et *Euphrates* apud [g] Philoſtratum Judæis id probro vertit, quod omnia ſeorſim haberent & ſeparatim: Ἐκεῖνοι μὲν γὰρ inquit, πάλαι ἀφεστᾶσιν, οὐ μόνον τῶν Ῥωμαίων, ἀλλὰ καὶ πάντων ἀνθρώπων· οἱ γὰρ βίον ἄμικτον εὑρόντες, καὶ οἷς μήτε κοινὴ πρὸς ἀνθρώπους τράπεζα, μήτε σπονδαί, μήτε εὐχαί, μήτε θυσίαι· *Illi quidem antiquitus ſepararunt, non a Romanis tantum, ſed & humano genere: nam vitæ genus adeo ſecretum ab humano commercio excogitarunt, ut ne menſam quidem cum aliis communem habeant, nec libamina, nec preces, nec ſacrificia.* Si quos inſociabilem illam vivendi rationem, ejuſque limites a Judæorum magiſtris conſtitutos, paulo penitius intelligendi ſtudium teneat, conſulant Seldenum noſtrum *de jur. nat. & gent.* lib. 2. c. 5. *Grot. de jur. bel. & pacis*, l. 2. cap. 15. §. 9. & Annot. ad *Deuter.* 7. 2. & D. *Lightfoot* in 1 ad *Cor.* c. 5. v. 9. Quid autem Judæi a gentium aliarum conſortio ſeſe tam inhumaniter amoverent, niſi quod lex illa de diſcrimine ciborum eos a Gentilium cœtu & commercio ſeparare crederetur? Cuivis enim *Moſis* codicem diligenter evolventi pateat, nullam aliam legem Judæos ad exterarum gentium familiaritatem vitandam, clare & aperte devinxiſſe.

Septima.

Legis hujuſce rationibus jam explicatis, hanc Sectionem finiam ſi prius digitum intendero ad duos Judæorum errores, qui ex hac lege perperam intellecta fluxiſſe videntur.

Duo notantur errores Judæorum,

Nam (1°.) Judæi, e legis jam dictæ verbis perperam colligebant, gentes exteras eadem immunditie, qua & animalia maxime immunda laborare. Hinc [h] *Canum* nomen & fœditatem Gentilibus attribuebant, & ipſe [i] tactus alienigenæ eandem immunditiem Judæo affricare, & eandem luſtrandi neceſſitatem inferre, quam tactus menſtruatæ vel animalis immundiſſimi, credebatur. Inde Domino noſtro crimini vertebant Judæi, quod fœminæ illi, *Luc.* 7. 39. (nondum explorata gente vel more) ſe tangendum præberet; quin & e foro frequenti redeuntes (ubi Gentilium tactus evitari vix potuit) ſeſe

Primus.

a *Levit.* 20. 24, 25, 26. b *Jo.* 4. 9. c *Act.* 11. 3. d *Act.* 10. 28. e *Mar.* 2. 16. *Luc.* 15. 2. f 3 *Mac.* c. 3. v. 4. g *De Vit. Apol.* l. 5. cap. 33. p. 216. h *Mat.* 15, 26. i *Jo.* 18. 28.

1 συμφαγεῖν legend. juxta locum laudat.

a lotione

SECT. III. [a] lotione diligenti, tanquam [b] animalis immundi tactu pollutos, expiabant. Sibimetipſis quidem ſanctitatis partes omnes ſumebant Judæi, & ad ſumma ſydera ſe laudibus evehebant: Gentiles autem eorum conſortio prorſus indignos judicabant, eoſque ad vilem uſque brutorum immundorum ſortem deprimebant. Hic autem Judæi a legis divinæ mente plurimum aberrarunt: nam erant quidem Gentiles legaliter immundi, quatenus a communione fœderis externi ſecluſi eſſent, nec aqua luſtrali divinitus præcepta conſperſi, vel magno menſis ſeptimi ſacrificio expiati; non autem quod nativa quadam fœditate laborarent adeo, ut Judæi ab ipſo Gentilium conſortio vel tactu pollutionem contraherent, aqua luſtrationis abluendam.

Secundus. (2°.) JUDÆI non minus a veri vicinia receſſerunt, cum lex ea plane omnem cum Gentilibus communionem aut commercium prohibere crederetur. Opinionem illam Judæorum animos antiquitus occupaſſe, mihi facile perſuadeo, quod *S. Petri* ſeculo Gentilibus προσέρχεσθαι, [i. e. una veſci vel eorum ædes ingredi] [c] ἀθέμιτον *nefarium* haberetur. At ſi Deus ea mente legem illam tradidiſſet, ut nullo unquam tempore *li*ceret, Gentiles ad menſam & convictum admittere, vel eorum colloquio & conſortio frui; proculdubio Dominus noſter (qui juſtitiam omnem implevit) Publicanis, & aliis e Gentilium ſanguine, tam familiariter uti, & eorum ædes tam frequenter ingredi, noluiſſet. Id tantum lege illa vetitum, ne Judæi Gentilium commercia frequentarent, aut ſocietatem cum illis inirent cum nulla cauſa ſatis gravis familiaritatem illam excuſaret. Hic mecum facit *Theophylactus*, qui lucem afferens [d] S. Marci verbis [*egreſſus e finibus Tyri & Sidonis*, &c.] hæc habet, Οὐκ ἐμβραδύνει τοῖς τῶν ἐθνικῶν τόποις, ἀλλὰ ταχέως μεθίσταται, &c. *Non moratur* DIU *in Gentilium locis, ſed ſtatim tranſit, ne daret occaſionem Judæis dicendi, quod prævaricaretur Legem, Gentilibus ſe miſcens.*

SECT. III.

De norma ſpeciali Judæis tradita qua animalia munda ab immundis diſcernerentur.

Norma illa explicatur. CUM Deo viſum eſſet animalium & ciborum diſcrimen inducere, opus erat nota vel regula aliqua generali, qua Judæi munditiam animalium explorarent. Magnæ enim moleſtiæ res eſſet, animalia omnia immunda nominatim enumerare, vel memoria retinere; quin & animalium aliquorum nomina, ſi forte temporis lapſu minus intellecta, multis erroribus & diſſidiis circa ſenſum legis occaſionem miniſtrare poſſent.

HANC itaque judicandi normam præſcripſit ſummus legislator, [e] *omne quod habet ungulam diviſam & — ruminat in pecoribus, comedetis.* Quibus verbis, quid animalis ruminantis nomine cenſendum ſit, inter doctos convenit, & ex vi vocum Hebræarum ſatis intelligitur: nam מעלת גרה *aſcendere faciens ruminationem*, vel *cibum ruminandum* [f] *reducens*, ſine dubio denotant. Res paulo obſcurior eſt, quid per *ungulæ diviſionem* ſignificatur: ad cujus rei intellectum, monendum eſt, animalia, ratione partium ſpectata, in tria genera diſtingui poſſe: alia enim [g] μώνυχα *ungula* ſunt, quibus ungulæ ſolidæ ſunt & indiviſæ, veluti equus, mulus, aſinus: alia πολυσχιδῆ *multifida*, ut lupus, canis, leo; quæ Moſi dicuntur על כפיו [h] *ſuper plantas* aut *manus ſuas* ambulare, quod pedem habeant, ad inſtar manus, in digitos diſtributum: alia διχηλὰ *bifida*, ut bos, cervus, ovis, capra, & hujuſmodi: atque hæc etiam in duas familias diſtribuamus: alia enim ungulam dividunt quidem in partes duas, ſed non findunt; uti camelus, cujus ungula ſuperne diviſa, inferne pellicula conjungitur, ideoque in [i] immundis habitus eſt: alia vero ungulam dividunt ſimul & findunt, atque hæc ea ſunt quæ Moſes mundorum nomine dignatur; nam inter animal מפריס פרסה *dividens ungulam*, & שסע שסע פרסה *findens fiſſuram ungulæ*, ſollicite diſtinguendum docet, *Levit.* 11. 7, & 26.

Illius rationes aſſignari ſolitæ. CUM regulæ jam dictæ ſenſum compertum habeamus, proximum eſt ut rationem expediamus, cur nempe Deus animalium munditiem hac norma diſcerni & explorari voluerit. Id penſi quo felicius abſolvamus, uſui erit primo, rationes paſſim receptas ad examen vocare.

Harum 1a proponitur, HIC itaque primo, multa cum fiducia ſe ingerit importuna allegotizantium natio,

a *Marc.* 7. 4. b *Levit.* 11. 8. c *V. Act.* 10. 28. *Luc.* 19. 7. *Act.* 11. 3. d *Comment. in* cap. 7. 31. p. 229. D e *Lev.* 11. 3. f Ἀνάγον μηρυκισμόν. LXX. g V. *Porphyr. de Abſtin.* l. 4. §. 7. h *Lev.* 11. 27. i *Lev.* 11. 4.

qui

qui ſentiunt, Deum animantia tantum ruminantia & ungulam findentia, myſterii alicujus adumbrandi cauſa, pro mundis haberi voluiſſe. Hic autem, ut fit, non magis inter ſe conveniunt quam horologia: nam, inquit [a] *Cyrillus*, τὸ διχηλὸν εἰς βάσιν τοῦ ποδὸς, τὸ ἐπ' ἄμφω βαίνειν δύνασθαι κατασημαίνειν ἄν· τόγε μὴν μηρυκάζειν, ἐλλογιμότητος ἂν εἴη σύμβολον· *Biſulco pede præditum eſſe, ultro citroque commeare poſſe denotat: ruminare autem, eruditionis eſt ſymbolum.* Nonnullis hujus regulæ ſcopum proxime ferire videtur [b] Novatianus: ille enim de ratione qua *Lex* animalia *munda & non munda diſcernit*, verba faciens, *in animalibus*, inquit, *humani mores depinguntur mundi, ſi ruminent, id eſt, in ore ſemper habeant, quaſi cibum, præcepta quædam divina; ungulam findunt, ſi firmo gradu innocentiæ, juſtitiæ, omniſque virtutis itinera conficiant: eorum enim quæ in duas ungulas pedem dividunt, robuſtus ſemper inceſſus.* Auctor nuperus hanc regulam in mentem aliam detorquet: de animalibus enim mundis & immundis, & diſtinctionis illius ratione, diſſerens, *dubium non eſt*, ait [c] ille, *cauſam potiſſimum in pleriſque fuiſſe ſymbolicam; ut diviſione ungulæ notaretur diſcretio boni & mali, ruminatione applicatio boni cogniti ad operationem.* At, ſi alios audiamus, ungulæ diviſio recto pede inceſſum, ruminatio aſſiduam verbi divini meditatiooem indicat. SECT. III.

Hæc & farinæ conſimilis alia excogitarunt ingenioſi (utioam & modeſti) homines, ne legis hujuſce rationem prorſus neſcire viderentur. Abſit autem ut credamus, Deum legem illam pro cote tantum ingenii propoſuiſſe, & curioſa illa de animalium diſcrimine præcepta dediſſe, ut allegoriis biſce minutulis, incerta tantum conjectura nixis, materiam adminiſtrarent. In quos fumos abitura eſt Lex tota, ſi quævis allegoria, ſpecioſa licet, pro legis ratione, vel myſterio ſacratiore ſub illius verbis latitanre, habeatur? Quot ſenſus Moſis legibus affigemus, ſi quaslibet allegorias, modo ſpecie aliqua blandientes, tanquam ipſiſſimas legum earum rationes, amplectamur? Quibus ſomniis & deliriis feneſtram, imo latam portam, aperiemus, ſi Aaronis campanulæ ſonum ad audientis imaginationem attemperatum edere cenſeantur? Non eo animo hæc dixi omnia, quaſi allegorias omnes e Reip. literariæ finibus exterminari velim: imo vero locum iis, in concionibus apud plebem habitis, in commentariis etiam, libens conceſſerim; ſi prius interpres literalem loci ſenſum & intentionem primariam explicatum dederit. Et rejiciuntur.

Secundo: nonnulli, leviorem illum allegoriarum cibum faſtidientes, rationem paulo ſolidiorem excogitarunt. Dicunt enim Deum animalia ſolummodo notis jam dictis inſignia in mundorum cenſu poſuiſſe, ob rationem naturalem; nempe, ut populus ſuus cibo ſalubriori & valetudini minus inimico ſemper uteretur. Ea enim apud rerum naturalium conſultos invaluit opinio, quod momentis hiſce [nempe cibi ruminatione & ungulæ fiſſione] bonitatem & pravitatem animalium ad cibum mactandorum tuto penſitemus. Secundo.

Fateor equidem opinionem illam plus genii habere, quam vulgares & ad libitum fictæ nonnullorum allegoriæ. At multum dubito annon & hæc opinio ad rationis ſtateram vocata vanitatem ſuam ſit proditura. Nam (1°.) Non eſt vel ſimile vero, Deum Judæorum coquinis præſidere voluiſſe, iiſque (tanquam tot infantibus) invigilare, ne forte palatum offenderent, aut damni aliquid a cibo inſalubri vel concoctu difficili paterentur. Apud alias gentes, *ingenii largitor venter* cibos omnes eligere ſolet aut repudiare: & ciborum pravitas aut ſalubritas res eſt nimis aperta atque obvia, quam ut conſilio egeat. (2°.) Non minus a veriſimili abludit, animalia omnia immunda ſuccum valetudini noxium præbuiſſe, cum certum ſit ipſum *S. Petrum* mandatum de animalibus etiam immundis comedendis accepiſſe; & gentes multas leporem, cygnum, cuniculum, aprum, & immunda alia, non tantum cibos ſalubres, ſed lautitiarum culmen & florem, exiſtimaſſe. (3°.) Si lege illa valetudinis ſolius curam egiſſet Deus, credi vix poteſt, eum tot reptilia (ſtomachi noſtri faſtidia) in mundorum ordine collocare, aprum autem, cygnum & leporem, (menſarum noſtrarum delicias) inter cibos immundos recenſere, voluiſſe. Judæi in porcorum odium & perniciem tota qua erant bile & ſplene ferebantur: at apud Romanos alioſque, porci bene ſaginati inter delicatiora menſæ fercula habebantur. (4°.) Hæc opinio fulcro male firmo nititur: nam opinionis hujuſce patroni ſentiunt, repetitam cibi maſticationem digeſtioni meliori inſervire, & ſuccum puriorem generare: ideoque, rationi conſonum eſt, inquiunt, ut exiſtimemus ruminationem ſalubritatis cauſam eſſe, adeoque munditiæ notam & ſignum a Deo inſtitutam. At ſiquid ratio illa valuiſſet, Deus leporem, camelum, & cu- Refutatur.

a *Cyril. Alex. cont. Julian.* l. 9. pag. 317. D b *De cib. Jud.* c. 3. c *Abrah. Calov. ad Lev.* 11. 1.

SECT. III. niculum, utpote animalia ruminantia, in mundorum ordinem admiſiſſet; nec ungulæ diviſionem (quæ ad animalis ſalubritatem nil confert) æque ac ruminationem, ad illius munditiem poſtulaſſet. In dubium etiam non immerito vocari poſſit, an animalia munda, ob ſolam ruminationem, cæteris animalibus ſalubriora cenſeantur. Nam, obſervante [a] Philoſopho, μηρυκάζει τὰ μὴ [1] ἀμφόδοντα· οἷον βόες, καὶ πρόβατα, καὶ αἶγες *Ruminant animalia illa quæ ſuperiore dentium ordine carent; ut boves, oves, capræ.* Ideoque ruminandi facultas, ad dentium defectum ſupplendum conceſſa, in porcis aliiſque ſuperiora dentium ordine donatis, una maſticatione ſatis compenſari videatur.

Tertia. TERTIO: viſum eſt aliis, Deum animalia tantum ruminantia & ungulam findentia, prout & piſces ſolummodo ſquamis præditos & pinnulis horrentes, in cibum conceſſiſſe, ut effrænatam gulæ Judaicæ laſciviam intra certos limites coerceret. Vidit ſcilicet gliſcentem indies edendæ carnis libidinem, eamque non ratione ſed legum ſeveritate coerceri poſſe.

Repudiatur. AT neque hanc ſententiam quid veri continere cenſeo: ſi enim Deus tot leges de ciborum delectu, ad compeſcendam gulæ Judaicæ libidinem & luxuriam tradidiſſet: iis proculdubio tam varia piſcium & animalium genera comedendi licentiam minime conceſſiſſet. Deinde, Deus ea animalia Judæis in cibum dedit, quæ palatis vel maxime moroſis & delicatis allubeſcerent: at proculdubio Deus cibum longe viliorem [non columbas & cervos, ſed corvos & camelos] iis exhibuiſſet, ſi, ut gulæ laſcivienti modum frænumque poneret, leges de cibis promulgaſſet.

Et quarta. QUARTO: alii ſe perſuaſos habent, Deum animalia munda ruminatione & ungulæ fiſſura diſcerni voluiſſe, quod hæc duo, ſi non cauſæ, notæ ſaltem eſſent, animalium cæteris ſuavitate præſtantium & ſalubritate. Hanc autem ſententiam probare neſcio, quod animalia nonnulla Judæis vetita [porcus, lepus, cuniculus, cygnus, alia] apud alias gentes ad eſum jucundiora & ſucci bonitate cæteris antecellere crederentur; e contra vero, quædam animalia Judæis in uſum menſæ conceſſa [cervus, hircus, ovis, capra, alia] multis e Philoſophis & antiquis gulæ artificibus, nec ſaporis lenocinio, nec ſucci ſalubritate, placuerunt. Hujus argumenti membrum utrumque multis veterum teſtimoniis confirmare poſſem, niſi quod hanc provinciam ceperit [b] *Petrus Caſtellanus*, & multa cum laude adminiſtrarit.

Rationes genuinæ quatuor. CUM luculenter appareat, rationes modo dictas ſoliditate omni deſtitutas eſſe, neceſſe eſt ut legem & regulam illam a cauſis paulo altioribus fluxiſſe cenſeam. Si autem in tantis tenebris ad ſcopum collimare licuerit, Deum regulam illam, ad animalia munda & immunda diſcernenda, quatuor ob cauſas inſtituiſſe dixerim.

Prima. PRIMO: ut ciborum diſcrimen fini & uſui ſuo eo felicius inſerviret. Ideo enim Deus animalia quædam, velut immunda, a Judæorum menſa ſeparavit, ut populum illum a mundi gentibus diſtingueret, & Judæi ſe gentem ſanctam & peculiarem, ipſo cibo ſuo peculiari, declararent. Huic fini congruum erat, ut animalia munda ab immundis hujuſmodi norma diſcernerentur, qua ſalubritatis animalium ratio non adeo magna habebatur. Si enim Lege cautum eſſet, ut beſtiæ vel piſces tantum venenoſi, & ſuccum plane noxium aut inſuavem præbentes, pro immundis & illicitis haberentur; Deus populi Judaici valetudini magis quam diſtinctioni conſuluiſſe, & Judæi a cibis quibuſdam, ſanitatis potius quam Legis ſtudio ducti, temperaſſe viderentur. Quin & exteræ gentes, ſi minus religionis, ſaltem ſanitatis cauſa, ab iiſdem animantibus quibus & ipſi Judæi abſtinuiſſent; adeoque *paries* ille *intergerinus* [ciborum diſcrimen] qui Judæos a gentibus ſecluderet, ante tempus præſtitutum corruiſſet.

Secunda. SECUNDO: Deus hujuſmodi normam ſtatuiſſe videtur, ne Iſraelitæ cum ſacerdotibus Ægypti, ciborum etiam diſcrimen obſervantibus, nimis conſentirent. Leges enim quas antiſtites Ægyptii in ciborum delectu ſervare ſolebant, [c] *Chæremonem* jam laudatum ſic referentem audiamus; τῶν δὲ κατ᾽ αὐτὴν τὴν Αἴγυπτον, ἰχθύων τε ἀπείχοντο πάντων, καὶ τετραπόδων, &c. *Ex iis quæ Ægyptus ipſa protulit, piſcibus omnibus abſtinebant, & quadrupedibus quotquot ſolidas aut multifidas haberent ungulas, aut cornutæ non eſſent; & volucribus omnibus quæ carnes devorarent: multi autem univerſis animalibus abſtinebant.* E quibus non difficulter intelligitur, Judæos ſimul & antiſtites Ægyptios a certis animantium ſpeciebus religionis ergo temperaſſe, ſed leges moreſque diſſimiles in iis eligendis & repudiandis obſervaſſe. Nam Ægyptii a piſcibus omnibus ſe con-

a *Hiſt. animal.* l. 9. c. 50. p. 957. b Lib. 2. *de Eſu carnium*, capp. 1. 2. 5. 12. 13. & *ſeq.* c *Ap. Porphyr.* περὶ ἀποχ. l. 4. ſ. 7.

1 Leg. ἀμφώδοντα.

tinuere,

tinuere, Judæi ab iis ſolummodo quibus natura pinnas & ſquamas denegavit. Ægyptii in ciborum delectu ad quadrupedum ungulas inprimis & cornua reſpectum habuere: Judæi non ungulæ tantum diviſionem, ſed & ruminationem requirebant in animalibus illis quæ menſis ſuis dignabantur. Ægypti religio aves tantum carnivoras damnavit: Judæi vero non ſolum corvum, accipitrem, milvum, & hujuſmodi aves ex raptu viventes; ſed cygnum & upupam, mitioris ingenii volucres, inter cibus impuros & menſa prohibendos numerarunt. Sacerdotes tantum Ægyptii, iique ἐν ἁγνείαις, (cum ſanctitati ſingulari ſtuderent) ciborum diſcrimen obſervabant: Judæi vero ad unum omnes, perpetuo ciborum delectu ſe *gentem ſanctam* & *ſacerdotium regale* teſtabantur. Hoc autem morum diſcrimen inde natum videtur, quod Deus leges ſuas ſic inſtituerit, ut Iſraelitæ moribus puris, nec ſuperſtitioni Ægyptiacæ nimis affinibus uterentur. Nihil enim credibilitatis habet, Ægyptios, gentem illam faſtuoſam, Judæorum ſimios fuiſſe, & mores illos quos *Chæremon* memorat, e Judæorum legibus in ſacra ſua transferre voluiſſe. Si enim Ægyptii, ab animalibus quibuſdam abſtinentes, legem aut morem Judæorum ob oculos habuiſſent; minime credibile eſt, eos ab exemplari ſuo tam longe recedere voluiſſe. Multo æquius eſt credere, Ægyptios ab animalibus quibuſdam & piſcibus, ante datam Legem, ſuperſtitionis ſuæ genio ductos, abſtinuiſſe. Si enim omnis ævi monumenta perluſtremus, obſervatu facile eſt, ſuperſtitioſos omnes hujuſmodi abſtinentiam in præcipua puritatis & religionis ſuæ parte poſuiſſe. [a] Apoſtolus etiam, ἀπέχεσθαι βρωμάτων, inter præcipuas & paſſim receptas *Dæmoniorum doctrinas* numerat. Homines enim a creaturis (quas Deus *bonas* dixit) tanquam pollutis abſtinentes, Deo ipſi probrum ingerunt; & Diabolo, imperium abſolutum in mentes humanas affectanti, ſubmiſſionem plane ſervilem præſtant. Ille itaque Ægypti ſacrificulos, Pythagoræ diſcipulos, Judaizantes Chriſtianos, Monachos a *S. Benedicto* denominatos, [b] aliosque, carnibus omnibus, vel ſaltem quamplurimis, quaſi pollutis & puritati inimicis, abſtinere docuit.

Tertia. Tertio: Deus normam illam generalem ad animalium munditiem explorandam dedit, ne Judæi animalis alicujus eſum, e ſuperſtitioſa [ſanctitatis aut impuritatis inhærentis] opinione, fugere viderentur. Ethnicos enim animalium aut piſcium eſu abſtinentes, in hoc aut illud extremum incidere ſolitos, e [c] *Luciano* diſcimus. Nam ille, de beſtiis loquens quas Deæ Syriæ ſacerdotes ad ſacrificium & cibum idoneas exiſtimarunt, ὗας δὲ μοῦνον, inquit, ἐναγέας νομίζοντες οὔτε θύουσι, οὔτε σιτέονται· ἄλλοι δ' οὐ σφέας ἐναγέας, ἀλλὰ ἱροὺς νομίζουσι· *Sues autem ſolum pro ſceleratis habentes, neque ſacrificant, neque manducant. Alii autem eos non ſceleratos, ſed ſacros exiſtimant.* Superſtitio huic finitima Coptitas tenuit: nam mares e capreis mactare & comedere, nullam religionem vetare credebant, a [d] fœminis autem (eas *Iſidem* in deliciis habere perſuaſi) religioſe abſtinebant. Cæſar mores antiquorum Britannorum referens, *leporem*, [e] inquit, *& gallinam, & anſerem guſtare, fas non putant.* Refert etiam [1] *Porphyrius*, Ægyptios & Phœnices humanis veſci carnibus, quam vaccam morſu attingere, maluiſſe. Sed & [f] Ariſtoxenus tradit, Pythagoram præcepiſſe, ἀπέχεσθαι ἀροτῆρος βοὸς καὶ κριοῦ, *a bove aratore & ariete abſtinere.* Neque hæc ſuperſtitio nudiuſtertius enata, ſed a ſeculis antiquiſſimis propagata videtur: nam ſeculo Moſis, [g] *omnis paſtor Ægyptiis abominatio*, forſan, quod pecora illa pro Diis haberent illi, quæ paſtores loco viliſſimo poſuere. Moris hujuſce cauſa, inſulſos Ægyptios ſale ſatyrico perfricat *Juvenalis*, Sat. 15. ubi de Ægypto, inter alia, hæc habet;

—— Lanatis animalibus abſtinet omnis
Menſa: nefas illic fœtum jugulare capellæ.

Prout autem quibuſdam animalibus ſanctitatem tribuebant Ægyptii, aliique; ſic & alia animalia, e ſuperſtitioſa impuritatis ſuſpicione, a menſis & altaribus ſuis abigebant. Nam Ægyptii, Plutarcho [h] teſte, τὴν ὗν ἀνίερον ζῶον ἡγοῦνται, *ſuem animal a ſacris alienum ſentiunt.* Aſinum etiam & bovem rufum (quod idem [2] *Plutarchus* tradit) tanquam animalia ad odium & contumeliam nata, penitus averſabantur. Neque hic gradum ſiſtere ſolebat veteris Ægypti ſuperſtitio: nam referente [*] Porphyrio, τῶν βοῶν τὰς θηλείας παρῃτοῦντο, τῶν δ' ἀῤῥένων ὅσα δίδυμα, ἢ κατάστικτα, ἢ ἑτερόχροα ἢ παρηλλάττοντα τῇ μορφῇ, bo-

a 1 *Tim.* 4. 3. b *V. Med. Apoſt. noviſ. tempor.* P. 2. c. 7. p. 688. c Lib. *de Syr. Dea* pag. 1075. D d *Ælian. Hiſt.* l. 10. c. 23. e De *bel. Gallic.* l. 5. p. 150. f *Ap. Laert. in Pythag.* p. 219. A g *Geneſ.* 46. 34. h *In Iſid* p. 353. F * *Lib.* 4. περὶ ἀποχ. §. 7.

1 Vid. de Abſtin. lib. 2. pag. 58. §. 11.
2 Vid. pag. 362, 363.

SECT. III. *ves fœminas, & marium quotquot gemelli, aut nævo aliquo aſperſi, aut maculoſi, aut forma immutati, prorſus recuſabant.* Περιεργότερον δ' ἔτι, uti progreditur auctor ille, περὶ τὰ πτηνά, οἷον τρυγόνα μὴ ἐσθίειν· *Curioſius vero* eſt iſtud quod *in volucribus* cavent, *ne ſcilicet turturem comedant.* Superſtitionem conſimilem Ægyptii circa piſces exercuere, alios tanquam ſacros, alios veluti profanos & immundos, a menſa ſua removentes. Ægyptios a piſcibus quibuſdam, tanquam ſacris, abſtinuiſſe, docet Herodotus in [a] Euterpe, ubi ait: Νομίζουσι δὲ καὶ [τῶν] ἰχθύων τὸν καλεύμενον λεπιδωτὸν, ἱρὸν εἶναι, καὶ τὴν ἔγχελυν, *arbitrantur & piſcium aliquos ſacros eſſe, ut lepidotum & anguillam.* Et ſuperſtitionis hujuſce fermentum non Ægyptios ſolummodo, ſed & Syros Græcoſque infeciſſe, clare teſtantur [b] Plutarchi illa, Οὐ παρ' Αἰγυπτίοις μόνον, ἀλλὰ Σύροις, ἀλλὰ καὶ παρ' Ἕλλησι, γέγονεν ἁγνείας μέρος ἀποχὴ ἰχθύων· *Non ſolum apud Ægyptios & Syros, ſed & [c] Græcos, a piſcibus abſtinere, puritatis pars eſt.* Præ aliis autem piſcibus in ſacrorum numero habitis, Ægyptii [d] genus ſquamoſum veneratione præcipua accepiſſe traduntur. Erant interim piſces nonnulli quibus Ægyptii, e ſuperſtitionis ſuæ inſtinctu, odium longe maximum indixerunt: aſſerit enim [e] Plutarchus Ægyptios *ſquameum, phagrum & oxyrynchum*, μάλιστα τῶν ἰχθύων ἀφοσιοῦσθαι, *præ aliis piſcibus execrari.* Paucis expediam: modo integros, avium, brutorum, piſcium, & reptilium ordines perluſtrarem, multis exemplis oſtendi poſſet, Ægyptios, animalia quædam ſacra, alia autem impura & vix digitis extremis tangenda, pro mero arbitrio habuiſſe. Ne itaque Iſraelitæ, ad morem Ægyptiorum, puritatem aut immunditiem animalibus pro libitu ſuo tribuere, vel immunditiam aliquam iis vere inhærentem fugere, viderentur; Deo viſum eſt animalia munda notis & characteribus quibuſdam ab immundis diſcriminare: adeo ut apertum eſſet, Judæos legis divinæ (nnn imaginationis ſuperſtitioſæ) ductum ſecutos, huic creaturæ munditiem, illi immunditiem, adjudicare. Deum ob hanc cauſam, normam illam generalem ad animalium munditiem explorandam ſtatuiſſe, eo proclivius eſt creditu, quod Deus ideo tantum animalia pura vel impura dixerit, quod cum illa munditiæ norma convenirent, aut ab ea diſcederent & diſſentirent. Multæ quidem rationes ab hominibus excogitatæ ſunt, cur lepus & porcus in immundorum cenſum referantur: Deus autem ea ſola ratione animalia illa pro immundis haberi juſſit, quod munditiæ notæ vel characteres a ſeipſo ſtatuti in animalibus illis inveniri nequeant. Nam inquit, *Levit.* 11. 6, 7. *Lepus, quia ruminat ipſe, ſed ungulam non dividit, immundus eſt vobis: & porcus, quia cum ungulam dividat, ſed non ruminat, vobis immundus eſt.* "Quaſi dixiſſet, nolite, gentium aliarum ritu, "hanc aut illam creaturam pro libitu veſtro immundam æſtimare, vel immunditiæ ſuæ "cauſam in ſolis naturæ ſuæ principiis quærere. Ad me, Dominum creaturarum, "ſpectat unice, eas omnes mundas aut immundas, pro conſilio & beneplacito meo, "pronunciare. Veſtrum eſt itaque munditiæ & immunditiæ cauſas, non ex animalium naturis, aut ſeculi placitis, ſed meis inſtitutis, petere; & quamvis creaturam, "modo a munditiæ norma quam ipſe ſtatui diſcrepantem, ſine ulteriore diſquiſitione, "pro immunda repudiare. Ut paucis abſolvam: Deus animalia munda ab immundis, diſcrimine lege ſua ſancito, ſeparari voluit, ut pro certo conſtaret, non e Judæorum ſuperſtitione, vel animalium impuritate nativa, ſed legislatoris inſtituto conſultiſſimo, profectum fuiſſe, quod animali huic aut illi *abominationis* nomen inderetur.

Quarta. QUARTO: animalia notis jam dictis inſignia, animantia pleraque alia *dignitate* & *munditia* quadam naturali ſuperabant. *Dignitate* quidem: quamvis enim ruminatio cibi & fiſſio ungulæ in beſtiis, pinnarum etiam & ſquamarum conjunctio in piſcibus cauſæ non eſſent naturales propter quas Deus earum eſum permitteret, nec eorum defectus in cauſa eſſet cur hæc vel illa animalia prohiberet; ſigna tamen erant, unde nobilis & inſignis aliqua animalium ſpecies, ab alia minus præſtanti diſcerni poſſet. Non inficias iverim, quin, (ſi corporis vires aut molem ſpectes) equus, elephas, camelus, accipiter, & alia ex immundorum ordine, primum inter animantia dignitatis gradum teneant: ſin autem animalium dignitatem e ſalubri ſucco, uſu frequentiori, vitæ commodo, & loco in ſacris æſtimemus; ſat conſtat animantia *mundorum* titulo decorata reliqua omnia dignitate vincere & antecedere. Nec minus extra dubium eſt, animantia munditiei normæ conformia, *munditia* quadam naturali cætera animantia ſuperaſſe. Nam animalibus ruminantibus & ungula fiſſa præditis ita comparatum eſt a natura, ut mitia & manſueta ſint, & puro tantum gramine ſuſtententur. Ipſa mem-

a §. 72. p. 115. b *Sympoſ.* l. 8. *Qu.* 8. p. 730. D c *V. D. Jo. Marſham, Can. Chronic.* p. 212. d *Natal. Com.* l. 1. c. 7. e Lib. *de Iſid.* p. 358. B

brorum

brorum & ungularum ſuarum conſormatio ſatis indicat, naturam cibum ex raptu aut laniatu quæſitum iis denegaſſe: animalia rantum utroque dentium ordine vel ungulis multifidis armata, rapacia eſſe ſolent, & cibis plurimum immundis nutriuntur. Cum itaque animalia ruminantia & ungulas ſindentia dignirare & munditia cæreris anrecellerent, veriſimile eſt, Deum ea de cauſa hæc animalia ſolummodo in albo mundorum ſcribi & Judæorum menſis admoveri voluiſſe. Rationi conſonum videtur, ut ita ſentiam: nam, SECT. IV.

(1°.) PRÆCEPTA de cibis mundis & immundis ideo Judæorum genti data ſunt, ut eos gentem eſſe peculiarem, & alins omnes dignitate & purirate præcedere denotarent. Nulla aurem aptiora dignitatis aut munditiæ gentis Judaicæ monimenra vel teſtimonia exhiberi porerant, quam ea animalia in cibum ſepoſita quæ dignitate & puritate præcellere crederentur.

(2°.) NON eſt ad credendum facile, Deum cibi ruminationem & ungulæ fiſſionem, animalis dignitate & mundiria præcellenris indicia ſtaruere voluiſſe, niſi quod animalia notis illis inſignia, cæteris vere digniora & mundiora viderentur. Nunquam enim legimus Deum fucum feciſſe, & rei alicui ritulum honeſtum, ſine ſpecie vel ratione aliqua tribuiſſe.

(3°.) PISCES, aves, & reptilia, quæ Moſes *munda* vocat, ob dignitatem & munditiem quandam peculiarem in mundorum numerum recepta cenſeantur. Nam piſces pinnis & ſquamis donati, oec in limo degunr, nec cutim viſcidam aur ſordibos infectam geſtant. Si etiam animantia e genere volatili, Judæis in cibum conceſſa, perluſtremus; facile percipiamus, Deum columbas, turtures, & aves alias a miriore natura, puriore victu, & carnis ſuavitate commendaras, iis conceſſiſſe; volucres autem cibo plurimum immundo nutritas, aut olim inrer cibos viliores habitas, immundas declaraſſe. Et, ſi ad reptilia in immundis poſita deſcendar ſermo, cuivis obvium eſt, ea ſortis viliſſimæ animalcula fuiſſe, & quæ vel hodie ne ſummis labiis guſtare nos ſinir faſtidiens ſtomachus. Cum itaque Deus animantia cætera, reſpectu ad eorum præcipue oaturam & morem habito, munda vel immunda dixerit; non adeo abſonum eſt opinari, eum animalia ruminatione & ungulæ fiſſura diſtincta in mundorum ordine poſuiſſe quod purirate cæteris excellere, iiſque tirulo illo digniora viderentur.

(4°.) APUD antiquiſſimi nominis idololatras, fœditas & immunditia aliqua naturalis in cauſa plurimum erat, quod hanc aut illam animalium ſpeciem a menſa prohiberent. Nam Zabii veteres, [a] *Hottingero* teſte, mores eorum e libris quibuſdam Arabicis referente) *edere prohibebant, quicquid dentes in utraque maxilla habet conjunctim, ut porcus, canis, aſinus*; quod ſcilicet hujuſmodi animalia ſordidioribus alimentis uterentur, vel, ob ruminationis defectum, ſuccum haud adeo purum & defæcatum præbere crederentur. Ægyptii etiam, qui ciborum diſcrimen obſervabant, [b] ἀπείχοντο πτηνῶν ὅσα σαρκοφάγα, *volucribus* omnibus *quæ carnes devorabant, abſtinebant*: nam hujuſmodi victus ratio, fœrida plurimum & a munditie aliena habebatur. Cum iraque hujuſmodi animalia, ob immunditiem quandam narivam, damnaverint veterum Zabiorum & Ægyptiorum menſæ; credibile eſt Deum animalia dentata vel ruminandi facultate deſtiruta, ejuſdem impuritatis gratia, immunda vocaſſe, iiſque Judæorum menſis interdixiſſe. Nam leges Ægyptiacas circa cibos, Judaicis, aut leges Judaicas, Ægyptiacis anſam præbuiſſe, non facile dubitandum eſt.

SECT. IV.

Cur porcus, præ cæteris animantibus, immundum & abominandum haberetur.

LEGEM divinam porcum inter immunda animantia poſuiſſe, norunt omnes qui literarum ſacrarum cognitione vel leviter imbuuntur. Judæi vero non ſimplicem aliquam immunditiem, porco cum aliis animalibus communem, ei tribuebant; ſed animal illud præ aliis omnibus quibus odium & fugam indixit Moſes, dereſtari ſolebant & pene execrari. Hoc vel ethnicorum obſervarionem non effugit: nam [c] *Porphyrius* de Judæis loquens, διετέλουν, inquit, πολλῶν μὲν ἀπεχόμενοι ζώων, ἰδίως δὲ ἔτι καὶ νῦν τῶν χοίρων· *Multis animalibus ſemper abſtinuerunt, & ſpeciatim etiamnum porcis.* Quam altas autem radices in Judæorum antiquorum animis egerar odium illud quo porcum in- Judæos porcum præcipue deteſtari ſoliros.

a *Hiſt. Orient.* l. 1. c. 8. pag. 186.

b *Porphyr. ub. ſup.* pag. 151.

c *De Abſtin.* l. 4. §. 11.

SECT. IV. primis averſabantur, ſatis e [a] *Schiekardi* verbis intelligatur; *non ſeculorum tractu, nec longa converſatione noſtra, hæc abominatio ſuilla apud Judæos elanguit, ſed etiamnum hodie ſic abhorrent, ut ne nominare quidem ſuſtineant; ideo puerulis rogantibus, ecquid hoc animalis ſit, reſpondent eſſe* דבר אחר rem aliam *ſive nefandam.*

Quinque documentis confirmatur. MIRUM quidem videri poſſit, cur porcus olim tanto in contemtu atque odio poſitus eſſet, cum ſat conſtet, Deum nullibi in lege ſua, peculiari aliqua ἀτιμίας nota animal illud immundum inſame reddidiſſe. Judæos autem porcum, præter alios quadrupedes, abominati ſolitos, multis indiciis evinci poteſt: nam

(1°.) NULLIS tyrannorum minis, ſuppliciis nullis, adduci poterant, ut ora ſua carnis ſuillæ tactu vel guſtu contaminarent. Zeli hujus exemplum egregium præbuit ſenex [b] Eleazarus, qui nec blanditiis nec minis eo impelli potuit, ut in gratiam regis carnem porcinam ederet, aut edere tantum ſimularet; mille carnificinas experiri malens, quam canitiem ſuam facto tam indigno dehoneſtare. Tantæ virtutis æmuli, & [c] ſeptem fratres, una cum matre, extrema quæque perpeſſi ſunt, potius quam ut eſu porcinæ polluerentur. Et veriſimile eſt, multo plures ab *Antiocho* crudeliter excruciatos, quod carnem illam edere recuſarent: cum enim in ipſo Hieroſolymorum ſacrario mactaſſet ſues, & Judæos cogere cœpiſſet infantes ſuos incircumciſus relinquere, καὶ σῦς ἐπιθύειν τῷ βωμῷ *ſueſque ſuper aram immolare*; πρὸς ἃ πάντες μὲν ἠπείθουν, inquit [d] Joſephus ἐσφάττοντο δὲ οἱ δοκιμώτατοι *His quidem omnes adverſabantur, optimus vero quiſque propterea trucidabatur.*

(2°.) JUDÆI veteres hoc etiam argumento ſummum ſuum in porcos odium prodiderunt, quod ab animalium eorum viſu & nomine toti abhorruerint. Poſtquam enim ab Antiochi tyrannide modo dicta reſpirare cœperunt, hanc legem [e] ſanxiſſe perhibentur, שאין כל איש אפילו יגדל חזיר, *ne quis vel alat porcum*, & transgreſſores anathematis fulmine percuſſerunt. Hodie e Judæis nunnulli (religione proculdubio a majoribus hauſta) porcum ne nominare ſuſtinent: quoties enim de illo contingit loqui, non nominant illud, ſed more recepto דבר אחר, πρᾶγμα ἀλλόκοτον, vocant: quaſi nomen porci inter [f] *res ſcævas & mali ominis* numerarent.

(3°.) JUDÆORUM adverſarii, eorum a ſuibus abſtinentiam, præter cætera Legis inſtituta, notaſſe videntur. Olim enim hujus abſtinentiæ gratia Judæos dicteriis & ſcommatis perpetuo laceſſebant. [g] Caligula Judæos Alexandrinos cum irriſu interrogabat: Διὰ τί χοιρείων κρεῶν ἀπέχεσθε; *cur a porcina abſtinetis?* & qui adſtabant aulici in riſum effundebantur, ὑπὲρ τοῦ τὸ λεχθὲν δοκεῖν σὺν εὐτραπελίᾳ καὶ χάριτι εἰρῆσθαι, *quia videbatur id facete & cum lepore dixiſſe.* Et in Plutarcho [h] Sympoſ. Lampriæ avus inducitur τοὺς Ἰουδαίους διασκώπτων, ὅτι τὸ δικαιότατον κρέας οὐκ ἐσθίουσιν, *Judæos ſubſannans, quod carnem juſtiſſimam non comederent:* carnem illam *juſtiſſimam* vocat, quia porcus ad id ſolum creatus videtur, ut nobis in cibum cedat, cum nullum nobis dum vivit emolumentum afferat. Huc faciunt quæ Joſephus [*] habet: Nos *accuſat Apion, quod animalia ſacrificamus*, καὶ χοίρους οὐκ ἐσθίομεν, *& ſue non veſcimur.* Hinc & Poetæ cavillandi anſam arripuerunt: ſic enim Juvenalis de Judæis, *Sat.* 14.

Nec diſtare putant humana carne ſuillam.

Id eſt, ab eſu utriuſque pariter abhorrent. Alia huc ſpectantia veterum ethnicorum teſtimonia congeſſit [i] Galliæ literatæ decus, e quibus conſtet Judæorum a ſuilla abſtinentiam Gentium ſermonibus jactatam fuiſſe, earumque ſplenem frequenter exercuiſſe.

(4°.) INDE liquet animal illud apud antiquos Judæos odio & execrationi habitum, quod & aliæ gentes Judaiſmo tinctæ porcorum genus odio tam acri proſequerentur. Ut alios jam taceam, Turcæ hodierni *ad* primum porci *conſpectum inhorreſcunt*, donec *horror quem primo conceperant, in bilem & iram vertitur. Væ igitur porcis, ſi forte armatis militibus occurrant, eum quibus confligunt tanquam cum atrociſſimis hoſtibus. Quorundam nares offendit nidor, ac ſi peſtilentiale quoddam miaſma exhalaſſet.* Hæc [k] vir doctiſſimus de Turcarum moribus expertus loquitur. Unde autem Turcæ animis eſſent tam infenſis & inimicis porcorum generi, niſi quod odium illud acerbiſſimum haurirent, aut a majoribus ſuis Judaiſmo leviter imbutis, aut a [l] Mohammede, qui, Judæo præcep-

a Lib. *de jur. Reg.* c. 5. Theorem. 18. p. 149. b 2 *Mac.* 6. v. 18. c 2 *Mac.* 7. d *De Bel. Judaic.* l. 1. c. 1. p. 958. 20. e *Schickard. ub. ſupr.* pag. 148. f *Cun. de Rep. Hebr.* l. 2. c. 24. g *Phil. in Legat. ad Caium.* p. 1042. A h Lib. 4. q. 5. * Lib. 2. *Cont. Apion.* pag. 1373. 45. i *Bochart. de anim. ſac.* l. 2. c. 57. k *Tho. Smith.* Ep. 3. *de Turc. mor.* pag. 43. 44.

l Apud Alcoran. p. 64. Mohammedes prohibitionem illam Deo acceptam refert. Ita loquitur: *certe Deus interdixit vobis morticinum, & ſanguinem & carnem porci.* Verba autem molliora aſtutus ille adjungit, *viz. At vero qui neceſſitate coactus fuerit, non concupiſcens, neque tranſgrediens; non erit piaculum ſuper eum* ſi quid horum comederit: *quippe Deus eſt indulgens, miſericors.*

tore

toreuſus, [a] Suis eſum tactumque vetuit; & religionem e Judaiſmi, æque ac Paganiſmi & Chriſtianiſmi, reliquiis undique corraſis conſarcinavit? SECT. IV.

(5°.) Hinc etiam conſter porcum Judæis inviſum maxime, quod ethnici olim animali illo, tanquam odii & maligniraris ſuæ in Judæos indice & inſtrumento, ſæpius uterentor. Cum enim [1] Antiochus Hieroſolymam occupaſſet, non leporem, ſed [b] *porcum ingentem ſacrificavit*, τό τε αἷμα προσέχεεν αὐτοῖς, καὶ τὰ κρέα σκευάσας, προσέταξε τῷ (μὲν) ἀπὸ τούτων ζωμῷ τὰς ἱερὰς αὐτῶν βίβλους, καὶ περιέχούσας τὰ μισόξενα νόμιμα καταρᾶναι. *Et ſanguine* illo Judæos *perfudit, & carnem capiens, juſſit ſacros eorum libros, qui leges continerent hoſpitibus adverſas & inimicas, juze illo corrumpi & obliterari.* [c] Joſephus etiam, Antiochi res geſtas Hieroſolymis memoriæ tradens, aſſetit eum, fanis & aris ubique extructis, porcinas victimas in iis quotidie obruliſſe; & intentato mortis metu, ad ſacra illa imputa Judæos adegiſſe. Et Romani poſtea porci effigiem in ipſa Templi ſummitate ſtaruerunt, ut ſpectaculum odioſum adeo Judæos ureret, & eorum animos ab antiqua ſede recuperanda magis averſos redderet. Cum etiam Judæorum inimici fidem ſuam explorare vellent, eos ad porcum [non leporem, cygnum, cuniculum, aut quodvis aliud animal ex immundorum grege,] comedendum cogere ſtuduerunt. Nam, ut alia exempla prætermittam, in aſperrima illa perſecutione contra Judæos Alexandrinos a [d] *Flacco* excitata, carnes porcinæ tanquam tentamenta Judæis offerebantur: qui enim guſtaverant de iis, dimittebantur; in eos autem diris modis animadverſum eſt, qui carnis illius eſu ſe polluere, religioni habuerunt. Nemo autem vel probabiliter dixerit, cur ethnici porco, tanquam animi ſui in Judæos eorumque ritus iniquiſſimi ſigno & inſtrumento, toties urerentur; niſi quod omnibus innoteſceret, Judæos id animal, præter cætera, ſummo in contemtu & deteſtatione habuiſſe.

Interea temporis odium illod acerrimum (nulla inedia, nullo convitio, ſupplicio nullo, expugnandum) quo Judæi porcum miſellum proſequebantur, ethnicis frequentem mirandi materiam attulit: nec quicquam a Gentilibus, ptout & Chriſtianis, tam ſollicite quæſitum eſt, quam cur Judæi ab eſu carnis porcinæ, præter cibos & beſtias omnes immundos & Lege vetitos, tam ſancte, tam pertinaciter, abſtinuerint. Hujus odii ratio obſcura.

Hujus abſtinentiæ ratio Gentilibus tam obſcura videbatur, ut Plutarchus hanc inter alias arduas & perplexas quæſtiones, in doctorum ſynodo agitandas referat, [e] πότερον οἱ Ἰουδαῖοι σεβόμενοι τὴν ὗν, ἢ δυσχεραίνοντες, ἀπέχονται τῶν κρεῶν· *Utrum Judæi, ſuem venerantes, aut* potius *averſantes, carne* ejus *abſtineant?* Atque ibi convivas in partes diviſos reperiamus: nam Calliſtratus animal illud τιμήν τινα ἔχειν, in honore aliquo apud Judæos habitum, eoſque ideo carni ſuillæ parcere, arbitratur: ex adverſo, Lampridius Judæos ſuem abominati ſentit, & varias tationes ſibi fingit, quæ virum illum rerum Judaicarum penitus ignarum probant. Suam & [f] *Tacitus* rationem, ſed filo craſſiore contextam, affert: *ſue*, inquit, *abſtinent* Judæi, *memoria cladis, quod ipſos ſcabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium.* Rationem non minus futilem reddit [g] *Porphyrius*, qui ideo Judæos & Phœnices a ſuibus temperaſſe opinatur, ὅτι δὲ ὅλως ἐν τοῖς τόποις ἐφύετο, *quod omnino in regionibus illis haud naſceretur.* Hanc autem rationem falſitatis arguit, quod Dæmones *Mat.* 8. 32. porcorum greges in quos tranſirent, in vicina Gergeſenorum regione reperirent. *Petronius* Judæos porcum coluiſſe ſentit, ideoque numen ſuum morſu violare noluiſſe. Nam, [h] ait ille, Gentilibus antiquis,

Judæus, licet & porcinum numen adoret.

Sed plerique Gentilium, hujus a ſuibus abſtinentiæ rationem minime capientes, eam e fanatico & pertinaci Judæorum ingenio manare crediderunt. Ea mens erat *Antiocho*, ſacerdotem Eleazarum, annis jam gravem, & carnem porcinam guſtare recuſantem, ſic alloquenti; [i] μετὰ τοσοῦτον χρόνον οὔ μοι δοκεῖς φιλοσοφεῖν, τῇ Ἰουδαίων χρώμενος θρησκείᾳ· διὰ τί γὰρ τῆς φύσεως κεχαρισμένης καλλίστην τὴν τοῦδε ζώου σαρκοφαγίαν βδελύττῃ; &c. *Poſt tantum temporis* in mundo tranſactum, *non videris mihi philoſophum agere, Judæorum inſtitutis & ſacris utens. Quid enim, natura carnis tam ſuavis eſum indulgente, hujus imprimis animalis* [porci] *carnes abominaris? Plane delirum eſt, deliciis innocuis frui nolle; & impium, ipſos naturæ favores averſari*, &c.

Nec Gentiles tantum, ſed & Chriſtiani plurimi, hujus a ſuibus abſtinentiæ cauſam ignorarunt, & in illius ratione indaganda, pari mentis ardore, & pari [i. e. nullo] Et Chriſtianis.

a *Suet.* 2. v. 175. b *Diod. Sic apud Phot.* in *Bibl.* p. 1151. c *Antiq. Jud.* l. 12. c. 5. p. 533. d. V. *Philon. in Hiſtor. Flac.* p. 979. e *Sympoſ.* lib. 4. *prob.* 5. p. 669. f *Hiſt.* l. 5. *ſub init.* g *De Abſtin.* l. 1. §. 14. h In *Fragment.* c. 116. i *Ap. Joſeph.* lib. *de Mac.* c. 5. p. 1396. 35.

1. Vid. *Eclog.* 1. ex *Diodor. Sic.* lib. 31. p. 902.

SECT. IV.

eum ſucceſſu, plurimum deſudarunt. Horum enim nonnulli, Judæos a porco, ob rationem phyſicam, penitus abhorruiſſe ſentiunt. Inter eos locum haud obſcurum meruit [a] *Cunæus*, qui ſic opinionis illius patrocinium ſuſcipit; *fuit olim populus Iſraeliticus mire obnoxius iis morbis qui Syros ut plurimum atque Ægyptios infeſtabant: Vitiligines enim, pſoraſque, & tetra ulcera jam olim gentibus illis, velut proprias peſtes, adſcripſere, ſummi Medicorum. Hos autem, & ſimiles-morbos uno nomine complexus eſt Moſes, &* Lepram *vocavit. Porro in ſuibus ſcabies & immundities, non vitium, ſed natura eſt. Quare ne ad corporum pravam affectionem contagio quoque accederet ex eſu contactuve, paulo ſuperſtitioſius averſati ſuem ſunt, quam aut lex Numinis fortaſſe juſſerat, aut poſitum in gentium aliarum inſtitutis erat.* Hiſce paria ſunt *Thyſii* illa, [b] *nullus æque morbus orientem fatigavit, quam lepra atque inſanabilis contagio. Eidem porcorum natura maxime obnoxia. Quare & eſus vetitus, ne in homines paſſim eadem virulentia ſerperet.* Eandem opinionem veterum quorundam Judæorum animis inſediſſe, ſatis e [1] Talmudiſtis intelligere eſt, *Tractat. de Sabbat.* fol. 129. ubi inquiunt, פגע ברבר אחר קשה לדבר אחר, *qui incidit in rem aliam, periclitatur e re alia*, id eſt, ad mentem Gloſſatorum, *porcum comedenti periculum eſt a lepra.* Eandem rationem & apud ethnicos aliquos fidem inveniſſe, colligere licet e [c] Lampridii [2] verbis, qui Judæos ſuem abominari dicit, quia ſub ventre ſolet eſſe λέπρας ἀνάπλεως καὶ ψωρικῶν ἐξανθημάτων, *lepra plenus & ſcabioſis puſtulis.* At ſi ratio illa quid ſolidi contineret, proculdubio Judæorum vicini tot porcorum greges nunquam aluiſſent, nec Græci & Romani veteres porcum & aprum inter menſæ delicias numeraſſent. Neque, ſi ea ſola ratione a ſuibus abſtinuiſſent Judæi, opus erat ut ab eorum viſu, tactu, & nomine abhorrerent.

Alii itaque ad rationem ſymbolicam confugiunt, & Deum ſuis eſum præcipue vetuiſſe ſentiunt, ut ſub figura animalis impuriſſimi & prono ſemper in terram capite ventri deſervientis, populum illum ab omni motum impuritate & affectibus terram ſolummodo ſapientibus tacite & ſymbolice avocaret. Ita judicavit [d] Novatianus: *Cum ſuem cibo prohibet aſſumi, reprehendit utique cœnoſam, luteam, & gaudentem vitiorum ſordibus vitam, bonum ſuum non in animi generoſitate, ſed in ſola carne, ponentem.* Sic & animum induxit [e] Lactantius, ita mentem exprimens; *eodem ſpectat etiam ſuillæ carnis interdictio; a qua cum eos abſtinere Deus juſſit, id potiſſimum voluit intelligi; ut ſe a peccatis & immunditiis abſtinerent. Eſt enim lutulentum hoc animal, & immundum; nec unquam cœlum adſpicit, ſed in terra toto & corpore & ore projectum, ventri ſemper & pabulo ſervit.* Et, poſt pauca, *Interdixit ergo ne porcina carne uterentur, id eſt, ne vitam porcorum imitarentur, qui ad ſolam mortem nutriuntur: ne ventri ac voluptatibus ſervientes, ad faciendam juſtitiam inutiles eſſent, ac morte afficerentur.* Sed & hæc ratio hominum potius ingenium quam legis ſimplicitatem ſapit: Deus enim leges omnes quæ vitam & mores ſpectant, verbis apertis tradere ſolet, non ad morem *Pythagoræ*, ſymbolis & verborum nebulis involutas.

Theodoritus itaque rationem temporariam & e ſeculi tunc præſentis uſu petitam excogitavit. Ob auctoris dignitatem rationem illam [f] verbis ejus repetitam dabimus: [3] διά τοι τοῦτο καὶ χοιρείων αὐτοὺς μεταλαγχάνειν κρεῶν διεκώλυσεν· ἐπειδὴ τούτων μόνων Αἰγύπτιοι μετελάμβανον, τῶν ἄλλων ὡς θεῶν ἀπεχόμενοι· *Ideo & illos carnibus ſuillis abſtinere juſſit, quia his ſolis Ægyptii veſcebantur, cæteris tanquam Diis abſtinentes.* Sed hanc etiam rationem vanitatis arguunt antiquorum teſtimonia, quibus apertum eſt Ægyptios porcum μιαρὸν ζῶον *fœdum animal* habuiſſe, & ab illius eſu, tactu, & immolatione (niſi forte in pleniluniis) abſtinuiſſe. Nullam ea de re dubitandi locum relinquunt, Herodoti, Anaxandridis, Æliani, Plutarchi, & Apionis, quæ [g] Cl. Bochartus congeſſit, teſtimonio.

Alii nodum quem ſolvere neſciunt, ſecare ſatagunt, & dicunt Judæos, nulla ratione, ſed ſola ſuperſtitione ductos, porcum & ipſum nomen ejus in odium traxiſſe longe maximum. Nempe, inquiunt, Judæi nullum unquam medium inter legis contemptum & ſuperſtitioſam ejus obſervationem tenere norant. Hinc autem opinionem illam ratione deſtitutam colligo, quod non ſolum Judæi, ſed & ipſe Deus, porcum

a *De rep. Hebr.* l. 2. c. 24. b *Memorab. Vet. Rerump.* c. 1. p. 29. c *Ap. Plutarc. ub. ſup.* p. 671. A d Cap. 3. de *Cib. Judaic.* p. 733. C e *Inſtit.* l. 4. cap. 17. p. 207. f Serm. 7. de *ſacrif.* g *De animal. ſacr.* P. 1. l. 2. col 703.

1 Vid. *Gemaram* in *Miſchna* de *ſabbato*, Tom. 1.

2 Apud *Plutarc.* legitur *Lamprias. Bochart.* quidem in libr. de *animal. ſacr.* c. 57. col. 698. (quem paulo poſt *Spencer.* laudat) ad *Plutarc.* provocat, & *Lampridii* mentionem facit.

3 Vid. Tom. 4. p. 585. A

(quan-

(quanquam opus manuum ſuarum) præ cæteris agri beſtiis deteſtari videatur. Cum enim exprimere velit, quantum hypocritarum, plenam licet officii, religionem abominatur, Jeſ. 66. 3. *Qui*, inquit, *jugulat bovem*, ac ſi *occideret hominem: qui mactat ovem*, ac ſi *decollaret canem: qui offert oblationem*, ac ſi offerret *ſanguinem porci*. Et cap. 65. 4. Ut ſcelera in legem admiſſa depingeret & aggravaret, ait, *populus* eſt *qui ſemper me coram provocant; qui ſacrificant in hortis; qui comedunt carnem ſuillam, & jus immundarum carnium* habent in *vaſis ſuis*. Et cap. 66. 17. *Qui porci carnem comedunt, & rei abominabilis & muris, pariter conſumentur, inquit Dominus*. SECT. IV.

Hic itaque nodus, vindice digniſſimus, etiamnum ſupereſt, quid porcus meruit, ut ille, ſupra cœtera animalia in immundorum numerum relata, tam impurus & abominandus haberetur? Quæ mens, quæ ratio veterum Judæorum, quod a guſtu, tactu, viſu, imo & nomine, porci abhorruerint adeo, quaſi animal illud vix inter opera divina numerarent? Nobis ſane res hæc admirationem eo majorem moveat, quod porcus ungulam dividat, adeoque contra munditiæ normam minus quam equus & aſinus (qui nec ruminant, nec ungulam dividunt) peccare videatur. Ne Lectorem diutius ſuſpenſum teneam, ſex rationes aſſignandæ videntur, cur porcus olim odio tam ingenti laboraret, & animalium gregem impuritate ſuperare crederetur. Sex itaque rationes aſſignantur.

(1°.) Porcus ungulas equidem fiſſas habet, ſed non ruminat, adeoque a munditiæ norma quam Deus inſtituit, inſigniter aberravit. Inde cenſetur inter ea quæ [1] Joſephus vocat ἄθυτα LXX ἀκάθαρτα ζῶα, id eſt, ἃ θύομεν, οὐδ' ἐσθίομεν, quæ nec immolare nec comedere religio patitur. Hanc rationem diſerta confirmant [a] legis verba, *& ſus, cum dividat ungulam, ſed non ruminet, immundus eſt vobis*. Nil opus eſt itaque ut ad porci lepram & puſtulas, aut cœnum & volutabrum recurramus, ut rationem inveniamus, cur animal illud in impuris habeatur. Porcus non minus quoad uſum, quam naturam ſuam, mundus manſiſſet, ſi legis auctor inſignem illum munditiæ characterem, ruminationem intelligo, ei non denegaſſet. Magno itaque cum negotio nugas agunt, qui alias rationes præter eam quam lex ipſa dedit, anxie indagare ſolent, cur Deus ſuem animal immundum & a Judæorum menſis ablegandum declaraverit. Prima.

(2°.) Porcus animal erat, non tanquam legali, ſed & naturali quadam immunditie, præ cæteris fœdum & infame. Nam porcus luto & cœnoſis volutabris gaudet, fœdiſſima quæque vorat, & potu tam ſpurco delectatur, ut non tam immundus, quam immundities ipſa, videatur. Atque hæc morum impuritas adagio ſacro cauſam dedit, [b] ὗς λουσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρου, *ſus lota ad volutabrum cœni*. Ex hoc luto pullulaſſe videtur aſperum illud odium quo Judæi ſuem inprimis averſabantur. Sic olim judicavit Clem. Alexandrinus, Stromat. *lib. 7.* [2] ubi ait, ταύτῃ καὶ μάλιστα Ἰουδαῖοι χοιρείας ἀπέχονται, ὡς ἂν τοῦ θηρίου τούτου μιαροῦ ὄντος *Ea ratione Judæi maxime abſtinent a carne ſuilla, utpote quod hoc animal ſit maxime ſpurcum*. [c] Lampridius [3] etiam porci odium Judæorum mentibus inuſtum exiſtimavit, quia nullum aliud eſt animal βορβόρῳ χαῖρον οὕτω, καὶ τόποις ῥυπαροῖς καὶ ἀκαθάρτοις, *cœno tam gaudens, ſordidiſque & impuris locis*. Et ratio illa eo propius ad verum accedere putetur, quod Judæorum leges immunditiem omnem curioſe prohibeant, & eo præcipue collimet inſtitutio Moſaica, ut gentem illam rudem & inter lateres enutritam, ad morum elegantiam & prima quædam humanitatis rudimenta fingat formetque. Hoc [d] Maimonidi haud inſcite obſervatum: nam diſcipulum alloquens, *noſti*, inquit, quam anxie *Lex* omnes *ſordes* omnemque *immunditiem prohibuerit, in corporibus, pannis, ollis, agris quoque & in caſtris*, ut nil dicam de ipſis urbibus. Sectione etiam ſuperiori obſervamus, Deum Judæos ad munditiem in cibis curandum legibus devinxiſſe, & animantia tantum puritate quadam corporea cæteris præcellentia iis in cibum conceſſiſſe. Judæi itaque, cum odium in porcinum genus tam infeſtum gererent, non tam Legis literam, quam ſcopum & analogiam, ſpectaſſe videntur, & a porco tanquam animalium impuriſſimo, & reali quadam Legis totius contradictione, penitus abhorruiſſe. Huic rationi non occulte favet Joſephus: nam Antiochi facinora Hieroſolymis perpetrata referens, inter alia, [e] inquit, in templo *ara poſita porcos mactavit*, θυσίας οὐ νόμιμον, οὐδὲ πάτριον τῇ Ἰουδαίων θρησκείᾳ ταύτην ἐπιτελῶν, *ſacrificium peragens neque legale, neque Judæorum cultui cognatum & conſentaneum*. Quibus innuit, hujuſmodi victimas porcinas cum [*] *pura* legis inſtitutis adverſa fronte Secunda.

a *Lev.* 11. 7. b 2 *Pet.* 2. 22. c *Ap. Plutarch. loc. ſup. laud.* d *Mor. Neb.* p. 3. c. 48.
e *Antiq. Jud.* l. 12. c. 5. p. 533. 15. * *Pſal.* 19. 7, 8, 9.

1. Vid. de *bello Jud.* l. 4. p. 1184.
2. Vid. pag. 849.
3 Vid. pag. 134. Not. 2.

SECT. IV. pugnare, nec minimum cum religionis Judaicæ norma, ſcopo, vel analogia conſenſum colere.

Tertia. (3°. Haud ineptum eſt opinari, Judæos eo majore flagraſſe porci odio, quod ſimilibus aliarum gentium moribus & affectibus plurimum accenderentur. Nam auctor [a] ille laudatiſſimus, plurimis veterum teſtimoniis probatum dedit, antiquos Arabes, Phœnices, Ægyptios, mulieres quasdam Africanas, Æthiopes, Indos, alios, non minore cum faſtidio atque odio, quam ipſi Judæi, ſuis eſum tactumque vitare ſolitos. Quod autem populi illi *Judæorum æmuli* (uti contendit vir doctiſſimus) a ſuibus abſtinuerint, affirmare non auſim. Quantum enim conjectura percipiamus, ipſa porci fœditas ethnicis ſtomachum commovit, eumque in eorum odium, plusquam Judæorum exemplum, traxit. Nam [b] Ælianus de ſue loquens, ταύτῃ τοι inquit, καὶ ἠμίσηνται Αἰγύπτιοι τὸ ζῶον, ὡς μυσαρὸν καὶ πάμβορον· *Proinde Ægyptii hoc animal oderunt, ut pollutum & omnivorum.* Et [c] *Herodoto* teſte, Ægyptii ὗν μιαρὸν ἥγηνται θηρίον εἶναι, *ſuem beſtiam immundam eſſe arbitrantur, quam ſi quis vel tranſeundo contigerit, ſe una cum veſtibus flumini immerſum abit.* Hoc eo minus a fide abhorret, quod certum ſit, ethnicos externæ munditiæ curam ſcrupuloſam habuiſſe; & ex antiquo Gentilium uſu hauſtum videatur, quod munditiem externam tanti fecerit, & in præcipua religionis ſuæ parte poſuerit Mohammedes. Sed ut paululum egreſſus ad incœptum redeam: cum tot gentes puritatis alicujus ſtudioſæ, a porco, tanquam ambulante ſterquilinio, fugerent; veriſimile eſt Judæos ab animali illo eo religioſius abhorruiſſe, ne aliter minore puritatis zelo quam gentes exteræ flagrare viderentur. Deinde, ſic erat Hebræorum antiquiorum ratio & natura, ut dogmata moreſque omnes, gentium clariorum conſenſu comprobatos, zelo fervidiore plurimum amplecterentur.

Quarta. (4°. Judæi veteres eſum tactumque porci religioſius evitarunt, forſan quod animalis tam ſpurci fuga atque odium animi Judaiſmo addictiſſimi teſtimonium, ſed illius eſus aut uſus frequens hominis a lege cultuque Judaico ad Ethniciſmum deficientis argumentum, inter ſeipſos haberetur. In hanc ſententiam propendet animus, quod Judæi, ubicunque degentes, tam clara tamque frequentia animi porcis inſenſiſſimi præberent teſtimonia; & quod, mille licet gentium convitiis & tormentis vexati nunquam adduci poſſent, ut carnis ſuillæ odium deponerent, aut illius eſu legis præſcriptum violarent. Cum etiam *Antiochus* aliique virus ſuum in Judæos & eorum cultum evomere, eosque contumeliis gravioribus laceſſere, ſtuderent; nil prius habebant quam ut eos ad eſum porci cogerent, & animalis illius immundiſſimi ſanguine ſacra ſua contaminarent. Tradit [d] Joſephus, Antiochum coegiſſe Judæos, ut abrogato more patrio, infantes ſuos incircumciſos relinquerent, & porcos ſuper aram immolarent. Quid autem Antiochus hæc duo mandata conjunctim daret, niſi quod eodem ſpectarent utraque, & Judæorum legi morique pariter adverſari crederentur? His accedit, quod *Juvenalis*, hac a ſuibus abſtinentia, tanquam nota & charactere peculiari, Judæam nobis deſcriptam dederit. Sic enim Satyra ſexta regionem deſignat *Agrippæ* ſubditam,

Obſervant ubi feſta mero pede ſabbata reges,
Et vetus indulget ſenibus clementia porcis.

Senibus dicit, quod ibi ſeneſcant porci, cum non mactentur. Cum hæc omnia mecum reputo, facile inducor ut ſentiam, Judæos antiquiores abſtinentiam a porco [utpote animali a religionis ſuæ munditia maxime alieno] inter ſigna hominis Legi conſtanter adhærentis habuiſſe, eumque inter Dei & religionis patriæ deſertores numeraſſe, qui eſu vel tactu animalis tam fœdi ſe contaminaret. Et veriſimile eſt, Turcas hodiernos hanc veterum Judæorum ſententiam, una cum porci odio, a majoribus ſuis Judaiſmo tinctis accepiſſe, & ad eorum religionem tranſtuliſſe: nam apud eos hodieque, [e] qui carnem ſuillam comederit, [1] *Islamiſmum* cenſetur *ejuraſſe*.

Quinta. (5°. A ratione nequaquam alienum videtur, Judæos antiquiores odio eo majori porcum habuiſſe, quod animal eſſet cui Gentiles in *februis, ſacrificiis, myſteriis magicis feſtis, & pactis ſanciendis*, locum præcipuum tribuebant.

Qualem in gentilium *februis* & initiis locum obtinuerit, ſatis intelligere eſt e jam

a *Bochart. de animal. Sac.* P. 1. l. 2. col. 702. 703. b *Hiſt.* lib. 10. c. 16. c *In Euterp.* c. 47.
d *De Bel. Judaic.* l. 1. c. 1. p. 958. e V. *Tho. Smith. ub. ſup.* p. 43.

1. *Mohammedes* religionem ſuam nomine iſto ſæpe cohoneſtat. vid. *Alcoran. ſur.* 3. verſ. 19. &c. ubi dicit, *religio apud Deum eſt Eslam.* Gelaleddinus, qui *commentarium* in *Alcoran.* ſcripſit, ait, *Eslam eſſe legem, cum qua miſſi ſunt legati, fundatam ſuper unitatem Dei.* Vox autem ipſa ſibi vult *traditionem*; quaſi huic *legi*, ſeu *religioni* totum ſe aliquis *tradat*. vid. not. *Lud. Marraccii* in *ſur.* 3. *Alcoran.* p. 107. *Alii quidem Eslam* reddunt, *pacem, ſalutem*, juxta vocem Hebraic. שלם Hinc *Mohammedanus* & *Muſlimus* idem ſonant, *viz.* qui *ſalutem & pacem ingreſſus eſt.*

citatis

citatis Prophetæ [a] verbis; *qui ſe ſanctificant & purificant in hortis,* ——— *qui carnem porciſcomedunt, & rei abominabilis & muris,* &c. Io quæ verba, Cl. Seldenus non de nihilo conjicere videtur, [b] porcum apud Europæos, murem autem & porcum apud Aſianos, primas inter februa & luſtrationes habuiſſe. SECT. IV.

Nac Sos, in februis tantum, ſed & *ſacrificiis* ethnicorum, locum primarium tenuit. Veritati huic [c] *Varro* teſtimonium ſatis amplum perhibet: *ſus Græce dicitur ὗς olim* [θῦς.] Sus ita *dictus ab illo verbo quod dicunt θύειν, quod eſt immolare: ab ſuillo enim pecoris genere immolandi initium primum ſumptum videtur. Cujus veſtigia, quod initiis Cereris porci immolantur; & quod initiis pacis, fœdus cum feritur, porcus occiditur; & quod nuptiarum initio in Hetruria --- nova nupta & novus maritus primum porcum immolant. Priſci quoque Latini, & etiam Græci, in Italia idem factitaſſe videntur.* Paria ſcribit Athenæus lib. 9. [1] ubi hæc habentur, οἱ δὲ σῦν εἰρῆσθαι οἱονεὶ θῦν, τὸν εἰς θυσίαν εὐθετοῦντα, *quidam σῦν dici putant, quaſi θῦν, quod ſacrificiis apta ſit.* Hiſce conſona ſunt Ovidii verba, ſummam inter victimas antiquitatem porcæ tribuentia,

> [d] *Prima Ceres avida gavisa eſt ſanguine porca,*
> *Ulta ſuas merita cæde nocentis opes.*

Neque hæc victima locum antiquum ſolummodo, ſed & frequentem, in gentiliom ſacris habuit. Eos enim porcum ad *Lares* placandos immolare ſolitos, docent *Horatii* illa,

> ——— [e] *immolet æquis*
> *Hic porcum Laribus* ———

Eos hac victima luſtraſſe compita, [f] *Propertius* iodicat, cum ait,

> *Parva ſaginati luſtrabant compita porci.*

Quin & hoc ſacrificium gentes aliquæ, præcipue ad mentem ſanam impetrandam, obtulerunt. Ideo enim Antiochus [ἐπιμανής, i. e. *furioſus*, dictus] hoc [g] ſacrificii genus toties elegiſſe creditur, ut inſaniam ejus porcis piacularibus expiaret.

Porcum etiam *in myſteriis magicis* uſitatum, docent Prophetæ illa; [h] *qui habitant in ſepulchris, & in* [2] *locis deſertis pernoctant, qui comedunt carnem ſuillam, & jus immundarum* carnium habent in *vaſis ſuis.* E quibus liquidum eſt, porcum animal magicum fuiſſe, & ethnicos carnis ſuillæ vel joſculi e carne confecti comeſtione, tanquam ſacramento & ritu magico, ſe Dæmoni conſecraſſe, & δαιμονόληπτοι evaſiſſe. Cum io his ſimus, obſervare juvat, carnis Dæmoni oblatæ juſculum partem haud exiguam in ceremoniis Gentium magicis & idololatricis antiquitus habuiſſe. Huic conjecturæ ſpeciem conciliant [i] *Pauli Veneti* verba, ſuperſtitioſos Orientalium quorundam ritus ita referentis; *occidunt arietes, & ſanguinem ipſorum in cœlum ſpargunt,* ——— ſed *& fumum de lignis aloes faciunt, & jus carnium in aera ſpargunt.* Et lib. 3. cap. 24. de aliis ex Oriente idololatris, eorumque moribus ſacris, agens, *portant,* inquit, *cibos ſecum, quos in menſa ante idolum ponunt, & putant Deos comedere de appoſito cibo, & præſertim jus carnium profundunt illis, quo potiſſimum delectari --- putantur.* Sed hæc forſan a re præſenti nonnihil deflectere cenſeantur.

Porcus inſuper, locum haud obſcurum in *feſtis* gentilium tenuit. In feſtis *ſacris*: nam, [k] Athenæo [3] teſte, Argivi diem feſtum egerunt Veneri, & a ſue tunc temporis immolata, eum ὑστήρια nuncuparunt. In feſtis etiam *civilibus*, porcum pro ſummis deliciis habitum, e Juvenali diſcimus, [l] ubi ait,

> *Moris erat quondam feſtis ſervare diebus*
> *Sicci terga ſuis, rara pendentia crate,*
> *Et natalitium cognatis ponere lardum.*

Nec ethnici ad myſteria tantum & feſta, ſed & pacta ſolenoiora ſancienda, porcum inprimis adhibebant. Sic *Varronem* teſtantem audivimus modo, & idem e *Virgilii* verbis eliciamus, *Æneid.* 8. v. 640.

> *Armati Jovis ante aras, pateraſque tenentes*
> *Stabant: & cæſa jungebant fœdera porca.*

a *Jeſ.* 66. 17. b *De Diis Syr. ſynt.* 1. c. 6. p. 180. c Lib. 2. de *Re Ruſtic.* c. 4. p. 162. d *Faſtor.* lib. 1. v. 349. e *Horat. Serm.* lib. 2. v. 164. f Lib. 4. *Eleg.* 1. v. 23. g V. *Joſeph. Valentin.* ad l. 1. *Machab.* cap. 1. com. 5. h *Jeſ.* 65. 4. i *De regionib. Oriental.* lib. 2. c. 41. p. 383. k *Deipnoſophiſt.* lib. 3. l *Satyr.* 11. v. 83. 84.

1. Vid. pag. 401. C. & *Caſaubon. Animadverſ. in Athen.* col. 686.

2. בנצורים *Buxtorf.* interp. *apud cuſtodita, i. e. idola quæ cuſtodiuntur a ſuis cultoribus, non autem cuſtodiunt eos.* Juxta *Ab. Ezram,* quidem, *in locis deſertis*: ſed *R. Salomon.* & *Chaldæum Interp. apud cadavera mortuorum, quæ Necromantæ cuſtodire ſolebant, ut ab iis aliquid ſciſcitarentur.*

3. Vid. p. 96. A & *Caſaubon.* col. 183.

SECT. V.

Ideo porcus in Romanorum [a] vexillis, tanquam pacis indicium & argumentum, ſæpe pingebatur.

Cum itaque porcus in Gentilium ritibus moribusque partes præcipuas obtineret; non ſine ratione conjicio, Judæos animal illud non immundum ſolummodo, ſed pene ſacrilegum habuiſſe, & ideo porcum ſummo cum contemptu atque odio excepiſſe, quod ethnici porcum honore & affectu ſingulari proſequerentur. Nam ex more legis eſt, idola omnia *abominationum* nomine vocare, & quo magis res aliqua idololatriæ cognata & conjuncta eſt, eo majorem ei fœditatem & ſpurcitiem attribuere. Nam inde venit, quod in lege, vacca ruſa, canis, aſinus, animalia tam vilia & impura habeantur, quod e loco & uſu ſuo in Ægypti myſteriis novam & ſingularem immunditiem contraxiſſent. Huic aſſertioni fidem alibi facturi ſumus.

Sexta. (6°.) Ad poſtremum majorum traditio, & opinio longi temporis uſu fideque firmata, odii tam infeſti cauſa non minima cenſeri poteſt. Judæorum vulgus hodie odium in porcos, tanquam gentile quiddam, majorum traditione & fide comprobatum, retinere, minime dubitandum eſt. Eorum enim inertes oculi nihil in legis cortice percipere valent, cur porcos, præ cæteris animalibus ex imputorum grege, fugerent adeo & deteſtarentur. Hic patres ſuos fide ſupina ſequuntur, eosque majores ſuos feliciter & cum ratione ſecutos arbitrantur; adeo ut hac in re, majorum ſuorum ſimii potius quam ſectatores eſſe videantur. Ut omnia in ſummam colligamus: odium illud quo Judæi porcum olim (uti & hodie) proſequebantur, lex quidem plantavit, nativa porci fœditas rigavit, eique præjudicium, traditione & uſu longo confirmatum, dedit incrementum. Ne vero nimis extra callem abeam, eo me jam recipiam, unde paululum aberraſſe videar.

SECT. V.

Animalium & Ciborum diſcrimen, idololatriæ remedium fuiſſe, & quomodo.

De Judæorum legibus animalium & ciborum diſcrimen inſtituentibus, earumque cauſis proximis & ſpecialibus, egi hactenus. Argumenti ratio jam poſtulat, ut earum finem generalem & ultimum in lucem proferam. Miſſa itaque verborum ambage, ſtatim in rem præſentem veniam: legum earum finis generalis & ultimus, is erat; ut idololatriæ propagationem inhiberet, Judæos a familiari gentium exterarum uſu & communione ſeparando. Ut autem rationi huic lumen & fidem afferam, opus eſt, ut oſtendam, 1°. Legem, cibos nonnullos tanquam immundos prohibendo, Judæos a gentilium cœtu & communione ſegregaſſe. 2°. Legem illam, hac præcipue ratione, plurimum ad idololatriam inhibendam & præcavendam profuiſſe.

Ciborum diſcrimen Judæos a Gentilium ſocietate ſeparaſſe.

Docendum eſt primo, legem, ciborum diſcrimen inducendo, Judæos a gentilium cœtu & ſocietate ſeparaſſe. De Judæorum gente (ut altiuſcule ordiamur) Spiritus afflatu prædixit Balaam, [b] *ecce populus ſeorſim habitabit*, καὶ ἐν ἔθνεσιν οὐ συλλογισθήσεται· *Et in gentium cenſum non venturus eſt*. Quæ ſane prophetia complementum literale ſortita videatur, in ipſa terra *Palæſtinæ*, genti circumciſæ deſtinata: hanc enim ſic auctor eruditus nobis deſcriptam dedit, *clauditur undique montibus, hinc abruptis rupibus & profundis vallibus concurſu torrentum, inde altis & implexis anfractibus, ſic contractis, ut per anguſtos colles vix pateat tranſitus viatori*. Cum itaque terra Judæis deſignata tam difficiles & anguſtos haberet aditus, neceſſe erat, ut *populus* ille *ſeorſim habitaret*, & ab orbe pene toto phyſice divideretur. Nec ſatis habuit Deus, ut Iſraelitæ cancellis hiſce naturalibus a gente quavis extera dividerentur: nam ad hunc ſcopum peculiaris illa, politiæ, cultus, victus, veſtitus, inſtitutionis denique totius Moſaicæ, ratio dirigebatur, ut illa ſancta natio a gentibus exteris, tanquam hortus a deſertis, diſcreta maneret & ſeparata. Sed inter inſtituta varia, quæ tanquam paries intergerinus, Judæos a gentibus diſparabant, circumciſio & ciborum differentia notæ præcipuæ fuiſſe cenſeantur. De utroque itaque cum S. Petro contendunt [c] Judæi, gentibus *accedere* vel ulla ſocietate conjungi, prorſus illicitum aſſerentes. Fundamentum autem cui hæc opinio præcipue nitebatur, lex ea erat quæ ciborum & animalium diſcrimen induxit, & variis rationibus Judæos a gentilium ſocietate ſeparavit.

a V. *Jul. Caſ. Bulenger. de Conviviis.* l. 2. c. 24. b *Numr.* 23. 9. c *Act.* 11. 3.

Nempe,

Nempe, 1°. Quatenus peculiarem illam victus rationem Judæis præſcripſit, quæ familiarem cum Gentilibus conſuetudinem vix pati potuit. Nam qui fieri potuit, ut gentes illæ duæ menſæ ejusdem communione fruerentur, cum eadem patina delicias forte Gentili, Judæo vero cibos immundos exhiberet, & animal illud quod Gentilis ſacrum habebat, Judæus devoraret? Quomodo una vivere, una veſci poterant, cum caro porcina, tanquam ferculum [a] delicatius, Gentilium menſis frequenter apponeretur, a cujus viſu tactuque Judæi penitus abhorruerunt? Rem hanc probe tenuerunt Hebræi veteres: liquet enim e literis [b] *Dolabellæ* ad magiſtratus Epheſiorum datis, eos duas cauſas obtendere ſolitos, ut immunitatem a militia impetrarent; nempe, quod eorum religio ſabbato arma ferre & itinera magna facere prohiberet, & difficile eſſet, ſi gentibus exteris immiſti viverent, præceptam victus rationem obſervare. Apud Alexandriden, Græcus quidam rationem haud abſimilem reddit, cur Ægyptiorum commilitium detrectaret: SECT. V. Quatuor modis.

Οὐκ ἐσθίεις ὑεῖ' ἐγὼ δὲ γ' ἥδομαι
Μάλιςα τούτοις·
Non veſceris ſuilla: mihi nulla caro eſt
Quæ ſapiat melius.

Et ſane quamdiu Lex ea Judæos ad peculiarem victus rationem ſervandam adſtrictos tenuit, commode fieri non potuit, ut ethnicis, ejusdem menſæ communione, connubio, commilitio, vel commercio familiari, jungerentur.

(2°.) Quatenus illa ciborum diſcretio Judæorum & Gentilium animos ab invicem alienos, & ad mutua fœdera vel amicitias contrahendas minus aptos & proclives, reddidit. Certum eſt, hoc ciborum diſcrimen fuiſſe tandem ῥίζαν illam πικρίας, unde mutua odia & omnis generis actus inhumani pullularunt. Hinc enim Judæi Gentiles averſandi, & eos hoſtili odio proſequendi anſam arripuiſſe videntur. Nam auctore [c] Diodoro, [1] nunciatum eſt Antiocho, Ἰουδαίους μόνους ἁπάντων ἐθνῶν ἀκοινωνήτους εἶναι τῆς πρὸς ἄλλο ἔθνος ἐπιμιξίας, καὶ πολεμίους ὑπολαμβάνειν πάντας· *Judæos ſolos ex omnibus populis extraneis inſociabiles eſſe, & cæteros pro hoſtibus habere.* De iisdem ſequitur, μηδενὶ ἄλλῳ ἔθνει τραπέζης κοινωνεῖν τὸ παράπαν, μηδ' εὐνοεῖν· *Cum nulla alia gente menſam omnino habere communem, neque bene eos aliis velle:* & mox iis tribuitur μισανθρωπία πάντων ἐθνῶν, *odium humani generis.* Et alii ſcriptores ita paſſim loquuntur de Judæis, quaſi omnem erga gentes alias humanitatis ſenſum exuiſſent. E contra, Judæi non minus in odio Gentium erant, tanquam [d] ἄμικτοι, ἀσύμφυλοι, ἀκοινώνητοι *qui aliena conſortia, cognationes, communiones averſabantur,* & quod viderent eos (quod objicit [2] Tacitus) *ſeparatos epulis, diſcretos cubilibus,* & res ullas cum illis communes habere recuſantes. Quantum hæc Judæorum ἀκοινωνία Gentiles uſſerit, & eorum animos in Judæorum odium & contemptum inflammaverit, intelligere licet e [e] *Rutilii* verbis;

Namque loci querulus curam Judæus agebat,
Humanis animal diſſociale cibis.

Ubi poeta Judæum, ſarcaſmo ſcito quidem ſed virulento, ab homine diſtinguit, eum *animal,* per convicium, velut beſtiam, vocans. Ideo vero Judæum dicit, *humanis animal diſſociale cibis,* quod prout Judæi cum Gentilibus cibum capere recuſarent, ſic viciſſim & [f] aliæ gentes eorum conviviis accedere non dignarentur. Nil opus eſt alios teſtes accerſere, ut rem tam credibilem magis confirmemus: nam longa dies docuit, homines non minus animis quam moribus differre ſolitos, & vix æquo animo pati poſſe, ut quiſpiam in re levi, qualis eſt ciborum uſus, præfracte & cum religionis prætextu, ab iis diſcederet & diſſentiret.

(3°.) Lex illa Judæos a Gentilium conſortio arcebat, quatenus in ea ſanctitas quædam Judæis, & conſequenter Gentilibus immundities, adſcribebatur. Nam in locis iis omnibus, quibus Deus a cibis aliquibus abſtinentiam præcipit, ſanctitatem quandam peculiarem, tanquam præcepti rationem, Judæis tributam legimus. Nempe ſancti erant Judæi quatenus ex hominum communitate (veluti theſaurus & peculium) ſeparati, & quatenus Deo fœdere ſancto conjuncti, quatenus etiam aſperſi ſanguine taurorum & hircorum qui mundabat eos [g] πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς καθαρότητα, *ad carnis puritatem,* qua

a *V. Petr. Caſtellan. de eſu carn.* lib. 2. cap. 2. *Et Voſſ. de Orig. idololat.* l. 3. cap. 66. b *Ap. Joſeph. Antiq. Jud.* l. 14. cap. 10. p. 632. c *Ap. Phot. in Biblioth.* p. 1150. d *V. Grot* not. in *Deut.* 7. 2. & ad *Epheſ.* 2. 15. e *Itinerar.* l. 1. v. 382. f *V. C. Barthu* not. in loc. g *Hebr.* 9. 13.

1. Vid. *Eclog.* apud *Diodor.* p. 901, 902.
2. Vid. *Hiſtor.* l. 5. *ſub init.*

SECT. V. puritate deſtitutæ gentes, *immunda* cenſebantur. Ut rem verbo expediam: eodem modo Judæi ſancti mundique fuerunt, quo & animalia; munditie nempe, non naturali, nec morali, ſed ceremoniali, quæ originem *legi mandati carnalis* debuit. Hinc interim e Judæis non pauci criſtas erigere, animos ingentes ſumere, Gentiles ad canum ſortem & nomen deprimere, eoſque verbis illis faſtu & faſtidio plenis alloqui, [1] *ſta apud te, ne appropinques mihi, quia* [a] *ſanctior ſum quam tu.* Iſa. 65. 5. Omnes autem Judæi ſibi facile perſuadebant, eorum ſanctitatem violari, ſi quid commercii cum Gentilibus immundis haberent, eamque frœni loco datam quod eos a familiari Gentium uſu cohiberet. Sanctitatis hujus opinio cauſa non poſtrema fuit, quod Judæi ſemper a profanorum ſocietate, moribus, inſtitutis & conſiliis, magna religione ſepararent.

(4°.) Quatenus ea in lege diſerte dicitur, Deum Iſraelitas a cæteris gentibus *ſeparaſſe.* Pronum autem erat Iſraelitis, vocem illam de ſeparatione, non politica tantum [regimine & lege peculiari facta] ſed & perſonali, interpretari; cum præſertim apertum eſſet, id egiſſe Deum, ut gentem illam peculiari cultu, regimine, lege, veſtitu, regione, charactere, tanquam multiplici vallo circundato, a gentium profanarum aditu & ſocietate ſecluderet & cohiberet. Græci itaque, non ſine conſilio, ſic locum illum transferunt, [b] ἀφώρισα ὑμᾶς ἀπὸ πάντων τῶν ἐθνῶν· Significat enim verbum ἀφορίζω, hortum vel terram aliquam limite vel ſepimento peculiari a locis circumvicinis diſterminare. Inter alia vero ſepimenta quæ Judæos a gentium ſocietate ſeparabant, eorum idioma numeretur. Nempe proviſum eſt (uti docti ſentiunt) ne Judæi eodem cum Chananæis, aliiſque e vicinia gentibus, ſermone vernaculo uterentur. Nam Judæi atque Gentiles, modo linguæ communitate [magno illo ſocietatis & conjunctionis humanæ vinculo] colligati, facile ſocietate frequente conjungi poſſent, tandem & in gentem unam coaleſcere. Nehemias itaque vehementer iraſcebatur, quod Judæos aliquos [c] *Aſdodice loquentes*, Judaice vero neſcientes, deprehenderet.

Legem hac ratione idololatriæ obſtitiſſe. Ostendendum proximo, legem de ciborum delectu ad idololatriam præcavendam plurimum valuiſſe, Judæos a gentium aliarum ſocietate ſeparando. Hoc autem adeo obvium & apertum eſt, quod probatione vix egeat: nam proculdubio Deus ideo Judæos a gentium exterarum ſocietate & convictu longe ſemotos, & lege de cibis, quaſi muro firmiſſimo interpoſito, ſecluſos eſſe voluit; ne ſuperſtitionis ethnicæ contagionem haurirent, & frequens cum peregrinis commercium Diis & moribus peregrinis portam aperiret. Hanc legis illius mentem & finem ultimum fuiſſe, eo firmius credo, quod ſententia mea veterum nonnullorum ſuffragio confirmetur. Horum primus ſit *Ariſteas:* nam cuidam objicienti, [d] νομίζειν τοὺς πολλοὺς περιεργίαν ἔχειν τινὰ τῶν ἐν τῇ νομοθεσίᾳ περὶ τῆς τῶν βρωμάτων καὶ ποτῶν, καὶ τῶν νομιζομένων ἀκαθάρτων, &c. *Multis viſum eſſe, multa in lege temere comprehenſa, ut illa quæ de cibo & potu, & animalibus illis quæ habentur impura, tradita ſunt;* ſic apud auctorem illum reſpondetur: *cernis quid poſſint & efficiant converſatio & conſuetudo, quod homines ex converſatione improborum depraventur & fiant miſeri per totam vitam:* —— [e] Hoc *diligenter contemplatus, utpote ſapiens legiſlator noſter,* ὅπως ἐν μηδενὶ συναλισγούμενοι, μηδ' ὁμιλοῦντες φαύλοις, διαστροφὰς λαμβάνωμεν, πάντοθεν ἡμᾶς περιέφραξεν ἁγνείαις, καὶ διὰ βρωτῶν, καὶ ποτῶν, καὶ ἁφῶν, καὶ ἀκοῆς, καὶ ὁράσεως, νομικῶς· *ne per ullius impietatis communicationem inficeremur, neve converſatione improborum depravaremur, circumſepſit nos legali ſanctitate & puritate, cibi, potus, tactus, auditus, & viſus.* Senſum conſimilem ferunt [f] Agobardi verba: Judæis *quondam lex Dei præcipiebat, ne cum Gentilibus matrimonium copularent, neve cum iis commune convivium celebrarent; ne videlicet per conſortia nuptiarum & communionem ciborum, a divino quidem cultu deficerent, idololatriæ autem jugo libertatem animi inclinarent.* Hæc proxime attingit ſermo ille S. [g] Baſilii; νόμος τοὺς Ἰσραηλίτας τῆς τῶν ἐθνῶν ἐπιμιξίας ἐχώριζε, καὶ διάταξις τῆς --- ἐκείνων ὁμιλίας ἀπετείχιζεν, ἵνα τῆς εἰδωλολατρείας ἀναστέλλῃ τὴν μίμησιν· *Lex Iſraelitas a gentium commiſtione ſejungebat, & illius decretum, quaſi muro interjecto, ab eorum conſuetudine ſeparabat, ut idololatriæ reprimeret imitationem.* Sed utut hæc ſe habeant, dubitari non poteſt, quin Deus legem de cibis differentibus eo præcipue conſilio dederit, ut Iſraelitas a gentium uſu familiari, & proinde ſuperſtitione, longiſſime removeret. Ut a cultu extraneo ſejunctiores eſſent, eos ne ſalem quidem cum idolorum cultoribus communem habere permiſit. Atque hinc factum videtur, quod Moſes,

a Ubi Targum habet, *quia mundus ſum præ te.* b *LXX.* in *Lev.* 20. 24, 25. c *Nehem.* 13. 24, 25. d *Hiſt. LXX. Biblioth. Gr. Pat.* Tom. 2. p. 870. e Pag. 871. f *Oper.* Tom. 1. p. 104. g *S. Baſil. Seleuc.* Orat. 6. p. 32. D.

1 *Sta apud te.* Hebraica venuſtas ita ſonat, *accede ad te,* קרב אליך *ſanctior* &c. ita Hebr. *ſanctificavi te,* קדשתך

memo-

memoratis gentium moribus impuris & idololatricis, [a] proximo præceptum de abſtinentia ab animalibus immundis iogerat; nempe, ut intelligerent Iſraelitæ, Deum prædictam ciborum diverſitatem & delectum inſtituiſſe, ut eos a gentium cibis impuris & moribus impurioribus longe ſepararet.

Cum itaque id imprimis lege jam dicta cautum eſſet, ne Judæi gentium exterarum commercia frequentarent, & earum uſu familiari contaminarentur; ab inſtituto præſenti non multum aberrabimus, ſi (viee coronidis) obſervemus, & alias gentes eandem rationem ad mores patrios a corruptela conſervandos iniiſſe, & cives ſuos ab exterorum congreſſu & convictu cohibuiſſe. Nam *Chæremon* Ægyptius, mores ſacerdotum Ægyti referens, hæc habet: [b] τῶν ἐξωτικῶν τῆς θρησκείας οὐδενὶ συνεδίων· *Nemini ab eorum ceremoniis alieno convivebant.* Οὔτε ἐν τοῖς ἀπεδείπνοις ἐτίθεντο πλοῦν ἀπ' Αἰγύπτου ἀποκαθισμένοι ξενικὰς τρυφὰς καὶ ἐπιτηδεύματα· *Quin etiam ex Ægypto navigare, in rebus impiiſſimis habebant, ſibi caventes a luxu & moribus exterorum.* Ne cui itaque conjecturam temerarlam feciſſe videar, ſi dixerim Deum populum ſuum ab Ægypriorum & aliarum cultus extranei gentium congreſſu & convictu Lege cohibuiſſe, quod Ægyptii veteres, ſuperſtitionis & doctrinæ ſuæ conſervandæ ſtudio, gentium aliarum commercia fugerent. Nam [c] Joſephi temporibus, *Ægyptiis* illicitum erat *veſci una cum Hebræis*, & hujuſmodi convivium profanum exiſtimabant. Quin & æquum eſt opinari, ſapientiſſimum animarum medicum antidotum e veneno facere, & iiſdem artibus ad Hebræorum ſalutem, quibus olim Diabolus ad eorum perniciem, uti voluiſſe. Præterea, cum [d] *Apollonius Molo*, Judæis invidioſe objiceret, quod [μὴ] κοινωνεῖν [ἐθέλειν] τοῖς καθ' ἑτέραν συνήθειαν βίου ζῆν προαιρουμένοις, *commercium habere* [*nollent*] *cum hominibus aliam vivendi rationem amplectentibus*, Joſephus id non inficiatur, ſed defendit, auctoritate Platonis, qui cives ejus id inprimis monuit, περὶ τοῦ μὴ δεῖν ἐξ ἐπιτυχόντος ἐπιμίγνυσθαι τοὺς ξένους, *extraneos aliquos iis temere commiſceri non debere*; & exemplo Lacedæmoniorum Græcorumque omnium, quos aſſerit, οὔτε τῆς πολιτείας, οὔτε τῆς παρ' αὐτοῖς διαιτήσεως, *neque converſationis neque cohabitationit ſua participationem* peregrinis *exhibuiſſe*; ne ſi civibus quotidiana conſuetudo cum peregrinis intercederet, inde leges moreſque patrios evertendi occaſio naſceretur. Hæc dum perpendo, non adeo abſonum videtur opinari, Joſephum exiſtimaſſe, Deum Iſraelitas ſuos a frequenti gentium uſu & commercio, ciborum diverſitate ſejunxiſſe, quod apud Ægyptios & alias gentes uſitatum eſſet, exterorum ſocietate civibus ſuis interdicere, ut hac ratione novis moribus aditum intercluderent.

CAP. VIII.

Legem idololatriæ obſtaculo fuiſſe, ſacra pleraque certis locis, perſonis, & temporibus aſtringendo.

CUM Deo viſum eſſet, ritum aliquem ſeculis antiquioribus uſitatum in ſacrorum ſuorum numerum admittere, curatum eſt, ut Hebræi ritum illum circumſtantiis quibusdam peculiaribus & ipſorum religioni propriis obſervarent. Quin & Hebræi omnes, quos ulla Legis conſcientia tenuit, religioſe curarunt, ut non tantum ritus ejus omnes, ſed & eorum formulæ & circumſtantiæ, more præſcripto peragerentur. Legimus enim [e] Davidem ſacerdores & Levitas in certum ordinem redegiſſe, *ut offerrent ſacrificia omnia Domino in ſabbatis, neomeniis, & feſtis ſolennioribus juxta numerum & ſecundum normam jugiter* obſervandam. [f] Ezra etiam & comites ſui e captivitate reduces, *celebrarunt ſolennitatem tabernaculorum, ſicut ſcriptum* erat, *&* obtulerunt *holocauſtum quotidianum in numero, ſecundum conſuetudinem, prout diei cujusque officium poſtulavit.* Præ aliis autem ſacrorum circumſtantiis Lege præſcriptis, *locus, perſona*, & *tempus*, dignæ ſunt quas diligentius obſervemus, quod ad idololatriam abolendam plurimum momenti habuiſſe videantur. Eas itaque, prout noſtra fert tenuitas, ſigillatim tractaturi ſumus.

[a] V. *Levit.* 20. 23. 24. 25. & *Deut.* 14. 1, 2. 3. 4. [b] *Ap. Porphyr.* περὶ ἀποχ. l. 4. ſ. 6. 8. [c] *Geneſ.* 43. 32. [d] *Ap. Joſeph. lib.* 2. *cont. Apion.* p. 1387. 5. [e] 1 *Chronic.* 23. 31. [f] *Ezr.* 3. 4.

Nn SECT.

SECT. I.

SECT. I.

De ſtatis ſacrorum locis, & eorum ratione.

Sacra antiquitus ubique locorum celebrata.

ANTE Legem datam, in omni loco ab eminentia vel amœnitate commendato ſacra præſtare, gentium omnium conſuetudine receptum erat. Multa moris hujus apud ſcriptores ſacros & profanos extant teſtimonia: ſed ſatis in præſens fuerit, ut unum Moſem conſuetudinis hujus teſtem audiamus. Sic autem ſe habent illius verba: [a] *funditus perdetis omnia loca, quibus gentes, quas poſſidetis, ſervierunt Diis ſuis, ſuper montes excelſos, & ſuper colles, & ſub omni arbore viridi.*

Hæc licentia lege reſtricta.

DEUS autem, ut incommodis ex hoc fonte emanaturis occurreret, vagam hanc & nullis limitibus clauſam ſacrificandi licentiam lege illa generali abolevit, [b] *cave — ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videris.* Ubi ſignanter additur, *quem videris;* eo quod Iſraelitæ in locorum delectu oculos duces olim ſequerentur, & Diabolus homines ad idolorum ceremonias alliceret amœnitate locorum, ſacris obeundis inſervientium. Huic legi generali duo addidit Deus mandata ſpecialia, quibus ſacra omnia ad loca certa reſtrinxit & determinavit. Horum primum ſic effertur: [c] *homo quilibet de domo Iſrael, ſi occiderit bovem, aut ovem, aut capram, in caſtris aut — extra caſtra, & non obtulerit ad oſtium tabernaculi oblationem Domino, — ſanguinis reus erit*, &c. Eorum alterum occurrit *Deuter.* 12. 5, 6, 7. his verbis: *ad locum quem elegerit Dominus Deus veſter de cunctis tribubus veſtris, ut ponat nomen ſuum ibi, & habitet in eo, inquiretis & venietis illuc. Et offeretis in loco illo holocauſta & victimas veſtras,* &c. *Et comedetis ibi in conſpectu Domini Dei veſtri.*

ISRAELITÆ, legibus hiſce devincti, ad Tabernaculum, (quod præſentior inſidebat Numinis vis) aut locum aliquem præſentiæ divinæ inſignibus cohoneſtatum, ſacra peracturi ſe primo conferebant. Cum autem Deus ſedes quietas in terra promiſſa populo conceſſiſſet, *Salomon* templum auguſtiſſimum Hieroſolymis extruxit: atque illic ſinguli ex oppidis ſuis convenire, primitias offerre, vota nuncupare, ſacra obire, delictorum veniam impetrare, & deſideria ſua Deo exponere tenebantur. Inde cauſa data mulieris Samaritanæ verbis, [d] ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἐν Ἱεροσολύμοις ἐστὶν ὁ τόπος ὅπου δεῖ προσκυνεῖν; [Hinc Phariſæus & Publicanus, vota facturi, [*] *ad templum aſcendiſſe* tenebantur.] Non immerito itaque S. [e] *Chryſoſtomus*, Deum urbem Hieroſolymitanam καθάπερ τινὰ σύνδεσμον λατρείας, *veluti nodum* aut *vinculum totius religionis* Judaicæ feciſſe dicit.

Hæc reſtrictio remedium idololatriæ.

ARGUMENTIS autem non vulgaribus inductos, me perſuaſum habeo, Deum legem illam de ſacris omnibus coram Tabernaculo vel Templo perficiendis, idololatriæ coercendæ ſtudio ſtatuiſſe. Nam,

(1°.) MODIS omnibus curatum eſt, ut Iſraelitæ legem illam ſancte & ſolenniter obſervarent. Vix ullam enim legem (mere ritualem) tam frequenter ingerit & inculcat ſummus legiſlator. Hujus aſſertionis fidem conſignant duo illa Deuteronomii capita [12^m. ſcilicet & 16^m.] quorum utroque ſexies aut ſepties cautum eſt, ne feſta vel ſacra ſua ubique locorum, ſed in loco divinitus electo celebrarent. Nihil Hebræorum regibus probro frequentius vertitur, quam quod eorum ſubditi legem eam impune violare, & in excelſis ſacra facere, ſæpiſſime permitterentur. Sed hæc levis videantur præ verbis illis, (quæ profecto ſatis mirari nequeo) quibus Deus Iſraelitas a legis illius violatione cohibere ſtuduit; [f] *quicunque e domo Iſrael mactaverit bovem vel agnum — & — ad oſtium Tabernaculi conventus non adduxerit eum, ad offerendam oblationem Domino; — ſanguis imputabitur viro illi, ſanguinem fudit, & excidetur vir ille e medio populi ſui.* Quibus verbis cuivis, niſi coram Tabernaculo bovem mactanti, vel rem divinam facienti, homicidii crimen impingitur, eique capitis pœna decernitur, quaſi ſanguinis fuſi reatu vere teneretur. Quid autem Deus legem illam tam ſerio, tam frequenter inculcaret; ejus violationem tam moleſte ferret, & Iſraelitas ad ejus obſervationem tali ratione devinciret; niſi quod eam velut obſtaculum populo in idololatriam ruituro objeciſſet? Legem illam tanquam remedium contra ſuperſtitionis ethnicæ peſtem poſuit Deus: curatum eſt itaque, ne quis eam, rem levem & ἀπερίεργον obſervandam exiſtimaret.

(2°.) ABOLITIO idololatriæ, & abrogatio legis de cultu Hieroſolymis tantum præſtando, tanquam res ſimul eventuræ, conjunctim prænunciantur; eo nempe *Zepha-*

a *Deut.* 12. 2. b *Deut.* 12. 13. c *Levit.* 17. 3, 4, 5. d *S. Joh.* 4. 20. * *Luc.* 18. 10
e *Homil. adv. Jud. T.* 1. *Bened. p.* 625. D f *Lev.* 17. 3, 4.

nia

SECT. I.

nia oraculo; [a] *apparebit* [1] *Dominus ſuper ipſos, & perdet omnes Deos terræ: & adorabunt eum unusquisque de loco ſuo,* & *omnes inſulæ gentium.* Quem locum magis illuſtrem redduot [b] Theodoriti verba, prophetæ menti & inſtituto noſtro maxime conſentanea: Ἐπειδὴ Ἰουδαίοις ἐν τῷ ἐν Ἱεροσολύμοις ναῷ συντρέχειν ἐκέλευσεν [ὁ Θεὸς] &c. *Quia Judæis præcepiſſet* Deus *ut* idololatriæ vitandæ cauſa, *templum quod eſt Hieroſolymis frequentarent: neceſſario addidit fore, ut, Diis falſis e medio ſublatis, unusquisque Deum verum adoret, nec cogantur ad templum illud accurrere, cum in urbibus, agris, & pagis ſuis, cultum Deo exhibituri eſſent.* Septuaginta Malachiam in eandem ſententiam loqui faciunt, cujus verba ſic inrerpretantur: [c] καὶ ἐν ὑμῖν συγκλεισθήσονται θύραι, καὶ οὐκ ἀνάψεται [2] τὸ θυσιαστήριον, &c. *Et in vobis claudentur* templi mei *portæ, & non accendetur ignis in altari, nec ſacrificium accipiam de manibus veſtris.* Διότι ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίε [3] καὶ ἕως δυσμῶν τὸ ὄνομά μου δεδόξασται ἐν τοῖς ἔθνεσι, &c. *Quoniam ab ortu ſolis uſque ad occaſum nomen meum glorificabitur inter gentes, &c.* Quaſi dixiſſet, "olim Templi Hieroſolymitanl januæ non am"plius præbebunt aditum ſacerdoti ſacra peracturo, nec alrare in Templi vicinia poſi"tum igne ſacro calefiet; eo quod idolorum cultus e rebus peribir, & gentes ubique "terrarum mihi ſoli cultum exhibebunt.

(3°.) Judæi veteres legem illam, ſacra omoia in Tabernaculi [vel Templi] confinio præſtari jubentem, ſumma cum religione ſemper obſervarunt. Cum eoim ob loci diſtantiam, ſacram urbem & ædem adire non liceret, facies ſuas verſus Hieroſolymam inter precandum dirigebant, & ipſo corporis ſitu ſe munia ſacra Hieroſolymis obire debuiſſe, & voiuiſſe, teſtabantur. Et quamvis ingens ardor ſacrificandi Judæos teneret, & [d] Julianus eos ad priſcum illum culturæ ritum renovandum hortaretur; illi monita ſua recuſabant, dicentes, ὅτι τῆς πόλεως ἔξω θύειν οὐ θέμις, &c. *quod fas non eſſet extra civitatem victimas immolare; ſed eos totam religionem violare, quicunque ſacrificant in terra aliena:* εἰ δὲ βούλει ἡμᾶς θύοντας ἰδεῖν, ἀπόδος ἡμῖν τὴν πόλιν, ἀνάστησον ἡμῖν τὸν ναὸν, &c. *Proinde, ſi vis nos videre ſacrificantes, redde nobis civitatem, reſtitue templum, exhibe nobis ſancta ſanctorum, colloca aram, & ſacrificabimus nunc, quemadmodum olim.* E quibus veterum Judæorum moribus & dictis inferre licet, eos ſe legi huic arctiſſime devinctos exiſtimaſſe, & illius obſervatiooem animi Deo vero devoti & ab idolis alieni reſtimonium luculentum habuiſſe.

(4°.) Judæi cum feſta agerenr, multo arctius ad locum quam tempus præſcriptum obſervandum adſtricti videantur. Siquis enim in itinere deprehenſus, aut immunditie aliqua præpeditus eſſet, quo minus ſolennitatem Paſchalem menſe primo celebrare poſſet; Deus officium illud in menſem ſecundum differri [e] juſſit: ἵνα φθάσῃ ἐν Ἱερουσαλήμ, καὶ παραβαινέτω τὸν καιρὸν, ἵνα μὴ τῆς πόλεως ἐκτὸς ἐπιτελέσῃ· δηλῶν ὅτι ἡ τοῦ τόπου παρατήρησις τῆς τοῦ καιροῦ παρατηρήσεως ἐστιν ἀναγκαιοτέρα. *Ut venire poſſit Hieroſolymam, at tempus negligat potius quam Paſcha faciat extra civitatem. Ex hoc declarans, quod obſervatio loci, temporis obſervatione magis eſt neceſſaria.* Quid autem Deus majorem loci quam temporis rationem haberi voluit, niſi quod cuirus locus maxime obſtaret idoloiatriæ, & magis quam tempus Iſraelitas iotra iimites officii ſui contioeret?

Variis autem rationibus lex ea de ſacris omnibus ad Tabernaculum aut Templum afferendis ad idoloiatriam extirpandam inſerviebat: nempe, [illegible]

Primo, quarenus Iſraelitas a vicinis gentium altaribus & idolis, veluti frænum quoddam, cohibebat. Hæc ratio lucem & firmitatem a verbis [g] Theodoriti mutuetur: τὸν Ἰσραὴλ διὰ τὴν εὐκολίαν τῆς γνώμης ἐν ἑνὶ χωρίῳ λατρεύειν ἐνομοθέτησεν (ὁ Θεὸς) ἵνα μὴ λαβόντες ἄδειαν προσκυνήσωσι καὶ τοῖς ψευδωνύμοις Θεοῖς. Deus *juſſit Iſraelem, propter animi facilitatem, uno ira loco colere; ne ſi eis data eſſet libera poteſtas, adorarent etiam falſo nominatos Deos.* [h] Idem S Chryſoſtomus paulo apertius exprimir in Pſalmiſtæ illa: *illuc aſcenderunt tribus Domini ad teſtimonium Iſrael,* dicens, τοῦτο ἐγένετο εἰς θεογνωσίας ὑπόθεσιν, ἵνα μὴ πανταχοῦ πλανώμενοι ἀφορμὰς ἔχωσι καὶ ἐξόδους ἐπὶ τὴν τῶν εἰδώλων θεραπείαν, &c. *Hoc fiebat, ut id eis eſſet cauſa cognitionis Dei, ne ſi quoquoverſus vagarentur, occaſio ſumeretur viaque muniretur ad cultum ſimulachrorum. Et ideo* Hieroſolymis tantum *ſacrificare, orare, convenire, dieſque feſtos agere juſſit,* τῇ συγχωρήσει τοῦ τόπου τὴν [illegible] αὐτῶν [illegible]

a Cap. 2. 11. b Serm. 10. de Orac. T. 4. p. 640. A c Cap. 1. 10, 11. d V. S. Chryſoſt. Homil. 5. adv. jud. ubi ſupr. p. 646. e Numer. 9. 10, 11. f S. Chryſoſt. Homil. 4. p. 621. E g In 3. Reg. Quæſt. 56. T. 1. p. 327. h Expoſit. in Pſal. 121. p. 435. Tom. 3.

1 *Apparebit.* Hebr. *terribilis eſt — perdet.* Hebr. *attenuavit*, ubi obſervatu dignum eſt, linguam ſacram ſolere eſſe de futuro loqui, ac ſi jam præteriiſſet.
2 Apud MS. Barberinum, Ed. Ald. & Schol. Cyrill. legitur [illegible] ſicut & *accendetur* v. Bis iſſu, quod conſonum eſt Hebr. [illegible] ſub ſeca faciatis.
3 Καὶ δεντί *Aldinum*. — Ἕως, juxta Ed. Complut. — MS. Barb. [illegible] — glorif. Hebr. [illegible]

SECT. I.

ἀποτειχίζων, &c. *Loci anguſtiis mentem eorum aberrantem, & ad impietatem vergentem, coercens, refrænans & reprimens.* Eodem pertinent quæ [a] in Pſalmum 134[m] attulit: Συνεχῶς δὲ μέμνηται τοῦ οἴκου καὶ τῶν αὐλῶν, προσηλῶν αὐτοὺς τῷ τόπῳ, καὶ οὐκ ἐῶν ἀποπηδᾷν· ὥστε πάσης ἀσεβείας τε, καὶ εἰδωλολατρείας ἀναίρεσιν αὐτοῖς γενέσθαι τὸ πρὸς ἕνα τόπον πάντας συνάγεσθαι, &c. *Templi autem & atriorum aſſidue meminit, eos loco affigens, & non ſinens reſilire; ut omnis impietatis & ſimulachrorum interitus cauſa eſſet, quod omnes in unum locum cogerentur, & non libere & effuſe vagarentur, nec nemora, fontes, montes & colles uſurparent, & converterent in occaſionem impietatis, illic ſacrificantes, & libantes in excelſis.* De hoc argumento [b] alibi paulo fuſius & elegantius diſſerit, ſed illius verba, brevitati ſtudens, prætermitto. Sed, ut aperte loquar, non videtur S. *Chryſoſtomus* hujus præcepti ſcopum & uſum tam feliciter expedire, quin *Radulphi Flaviacenſis* dictum, opportunum habeatur; [c] *prohibentur alibi ſacrificare, niſi ad oſtium Tabernaculi* vel templi, *ut & loci ſacri reverentia, & aliorum ſocietate, qui in ſolennibus victimis pietatem ſervabant, Deo potius quam idolis ſacrificare conſueſcerent.*

SECUNDO: lex ea cultui profano obſtabat, quatenus Tabernaculum aut Templum locus erat Dei ſolius veri præſentia cohoneſtatus, adeoque omnem ſpiritibus immundis aditum probibebat. Illi locis pleriſque aliis [agris, montibus, fluminibus] ſe præſentes exhibere, & cultum ſacrificio præſtitum intercipere ſolebant: at impoſſibile erat ut Deus & Spiritus immundus in eadem æde ſacra ſimul habitarent, & Judæi, ad Templi limina accedentes, Diabolo Numinis perſonam ſumenti cultum exhiberent. Hinc lumen diffunditur in locum illum [d] Levitici. *Ideo ſacerdoti* offerre debent *filii Iſrael hoſtias ſuas, quas occidunt in* agris, ut ſanctificentur *Domino ante oſtium Tabernaculi teſtimonii; —fundetque ſanguinem ſuper altare Domini, —— & nequaquam ultra immolabunt hoſtias ſuas* [1] *Dæmonibus, cum quibus fornicati ſunt.* Quæ ſane verba clare docent, illos λῃστὰς θειότητος *latrones divinitatis* (uti Dæmones vocat [2] Tatianus) interponere ſolitos, & ſacrificio cuivis in agris oblato ſe præſentes ſiſtere, ejuſque honorem quaſi ſuffurari; nec ullum huic malo præſentius remedium fuiſſe, quam ut Iſraelitæ ante oſtium Tabernaculi (quo nullus impurus ſpiritus obrepere potuit) victimas ſuas immolarent.

TERTIO quatenus lex ea (modo ſancte ſervata) omnem cultus ethnici ſpeciem & memoriam abolebat. Erat ſcilicet in ethnicorum moribus frequentiſſimum, ut ſacra ſua in lucis, agris, excelſis, præcipue vero collibus in altum ſurgentibus, obirent. Quin & morem illum tam ſacrum habuere Gentes, quod [e] Perſæ quanquam *nec aras nec ſtatuas erigerent, in loco tamen excelſo ſacrificarent.* Hoc eo ſimilius eſt vero, quod Iſraelitis (quorum mores plerumque Gentium ritus exprimebant) toties crimini tribuatur, quod veterem illum in montibus & excelſis ſacrificandi morem affectu tam pertinaci retinerent. Huic autem cultui in *excelſis* præſtito, idololatria tam arcte jungebatur, quod *excelſa* vix unquam in Scripturis bene audiant, & phraſes illæ, *edere, aſcendere,* & *ſacrificare ſuper montes*, ad cultum idololatricum denotandum [f] frequentius uſurpentur. Ne quid itaque maneret quod cultus idololatrici vel ſpeciem gereret, aut illius memoriam renovaret; Deus res divinas tantum *in monte ſuo ſacro* & ſe quaſi ſpectante, fieri juſſit, & ei qui legem illam tranſiliret, pœnam [g] capitalem ſtatuit.

QUARTO: lex ea, de ſacris omnibus in Tabernaculi [vel Templi] confinio peragendis, idololatriæ profligandæ inſtrumentum erat, quatenus omnem ſanguinis Dæmonibus offerendi, & cum iis communionem colendi, occaſionem & ſuſpicionem ſuſtulit. Nam veteres idololatræ, ut gratiam & ſocietatem cum Dæmonibus inirent, animalis oblati ſanguinem in vaſe vel foſſula aliqua colligebant, & carnem mactatam circa foſſam ſedentes comedebant; imaginantes, ſanguinem eſſe Dæmonum cibum, & ſeipſos communi quaſi menſa cum Dæmonibus uti, & ritu illo familiaritatem & amicitiam quandam inter ipſos contrahi. Hoc e [h] Maimonidis fide refero, qui primus Zabiorum antiquorum ceremonias, magno reip. literariæ commodo, ex obſcuris quibuſdam Arabum ſcriptis in lucem protulit. Maimonidi vero talia referenti aurem eo faciliorem commodemus, quod Lege vetitum ſit, convenire vel congregare ſe circa

a p. 489. b *Homil. in Pſal.* 95. p. 1029. c *Comment. in Levit.* lib. 13. cap. 1. p. 185. d *Levit.* 17. 5, 6, 7. e Πέρσαι τοίνυν ἀγάλματα καὶ βωμοὺς οὐχ ἱδρύονται, θύουσι δὲ ἐν ὑψηλῷ τόπῳ. *Strab.* l. 15. p. 1064. f *V. Iſa.* 57. 7. *Hoſ.* 4. 13. *Ezech.* 18. 6. *Jer.* 3. 6. g *Levit.* 17. 4, 9. h *Mor. Neb. P.* 3. c. 46.

1 *Dæmon. Hebr.* שעירים *hirci*: Dæmones enim illis temporibus hircorum formam induisse ... ſibi vendicabant. De ratione hujus legis vid. *Spencer.* lib. 3. cap. 10. 2 Vid. p. 49.

ſan-

ſanguioem & ibi epulari: *Lev.* 19.26. *Non comedetis* על הדם [1] *ad* vel *apud ſanguinem.* Deus itaque victimas omnes ad Tabernaculi [poſtea & Templi] limina offerri, & [a] ſanguinem ſuper altari effundi juſſit, ut morem tam nefarium & imas [b] idololatriæ fæces olentem e medio tolleret. Huic conjecturæ ſpeciem conciliat, quod utroque illo capite, quo tam frequenter cautum eſt de ſacris omnibus *in loco quem Deus eligeret* offerendis, oon minus frequenter de ſanguine non comedendo, de eo operiendo, de ſanguine ad inſtar aquæ in terram effundendo, occurrant monita. E quibus promptum eſt inferre, legem de ſtatis ſacrorum locis eo collioeaſſe, ut ritus omnes idololatricos circa ſanguinem exerceri ſolitos eliminaret. SECT. I.

QUINTO: lex ea idololatriæ remedium erat, quatenus errores aliquos, late olim diffuſos, & ipſos idololatriæ fomites tacite redarguebat. Nempe,

(1°.) QUOD montes ſingulare quoddam cum cœlo commercium haberent, & Deus multo citius de montibus excelſis quam imis vallibus preces exaudiret. Erhnicis opinionem illam inceſſiſſe, & eos ideo montium cacumina vel ædium ſummitates, tanquam loca altaribus extruendis & precibus offerendis aptiſſima, delegiſſe, ſatis e *Luciano* diſcimus. Ait enim ſacrorum miniſtros ad loca celſiora ſe contuliſſe, [c] [ὅτι] τῶν εὐχωλέων ἀγχόθεν ἐπαΐουσιν οἱ Θεοί, quippe quod Dii facilius *exaudiant preces ex propinquo.* Huic rationi ſubſcribit [d] Tacitus, qui de montibus loquens dicit, *eos maxime locos cælo propinquare, preceſque mortalium a Deis nuſquam propius audiri.* Deus itaque, ut Iſraelitas ſuos ab opinionis illius errore liberaret, non montem excelſum, ſed humile Tabernaculum, & (poſtea) Templum, religionum omnium ſedem renunciavit, & Legis edicto ſancivit, ut ibi ſeipſum adirent, ſacra omnia peragerent, & Deum votis eorum precibuſque propitium expectarent.

(2°.) QUOD Dii multi eſſent, quorum alii ſylvis, fontibus alii, alii montibus, alii vallibus, agris alii, fluminibus alii, (ſuo cuique peculiari tributo munere) præſiderent. Opinionis tam inſulſæ documentum præbuerunt ethnici, cum locis illis omnibus altaria ſtruerent, nempe ut (ubicunque eſſent) honores Diis loci incolis proprios exhiberent. Lex autem de ſtatis ſacrorum loeis, plurimum ad pernicioſam iſtam opinionem radicitus evellendam valuit, quatenus Deos illos fictitios, monti aut valli alicui alligatos, colendi copiam ſuſtulit; & Deum verum, unum & ſimplicem, nec locis nec temporibus diviſum, (utpote [e] uno tantum templo & altari colendum) indicavit. Huc ſpectant D. [f] Thomæ verba: *quia Gentiles diverſis Diis diverſa templa conſtituebant, &c.. ut firmaretur in animis hominum fides unitatis divinæ, voluit Deus, ut uno tantum loco ſibi ſacrificium offerretur.*

(3°.) QUOD templa vel altaria paſſim in agris aut triviis extructa terræ fœcunditatem promoverent. Paganos antiquiores opinionis hujuſce toxicum imbibiſſe, ſatis intelligi datur e *Libanio*, querelas in Monachos, impetum in templa paganica facientes, [g] ſic effundente: *peragrant agros, ſicut torrentes, perdentes agros per templa:* ὅπου γὰρ ἂν ἱερὸν ἐκκόψωσιν ἀγροῦ, τοῦτο τετύφλωταί τε καὶ κεῖται, καὶ τέθνηκε· ψυχὴ γάρ, ὦ βασιλεῦ, τοῖς ἀγροῖς τὰ ἱερά, &c. *Ubi enim templum in agro exciderint, hoc ipſo* is ager *occæcatur, & jacet & mortuus eſt. Anima quippe agrorum, o Imperator, templa* ſunt, utpote quæ *primordia fuerunt ædificiorum in agris, ac per multas ætates hucuſque pervenerunt:* καὶ τοῖς γεωργοῦσιν ἐν αὐτοῖς αἱ ἐλπίδες, *& agricolarum in ipſis ſpes omnis, de viris, uxoribus, liberis, bubus, & ſatis plantatis.* Eadem opinione & [h] Iſraelitæ olim ſeducti, altaria in agris erexiſſe, & ſacra ſua paſſim in campis obtuliſſe putentur. Deus itaque templa & altaria plurima ſtruendi licentiam Iſraelitis ſuis denegavit, & omnes aliquid ſacri peracturos Templum & altare Hieroſolymis extructum adire juſſit, ut opinionem illam ex hominum animis eximeret, & omnes eo ſe conferentes *Deum Iſraelis* omnis boni fontem & origioem agnoſcerent, non Θεοὺς illos ἐγχωρίους quos olim in agris, paſſim extructis altaribus ipſi coluiſſent.

JAM ſatis dilucide docuiſſe videar, legem quæ ſacra omnia coram Tabernaculo vel Templo celebrari juſſit, ad idololatriæ late graſſantis curſum inhibendum plurimum valuiſſe; & Deum non ſine ratione gentem Iſraeliticam ad legis illius obſervationem Objectioni ſatisfactum eſt.

a *Deut.* 12. 27. b *Lev.* 17. *&* *Deut.* 12. c *Lib. de Dea Syr.* p. 1069. A d *Annal.* lib. 13. p. 217. e Εἷς ναὸς ἑνὸς Θεοῦ *Joſeph.* p. 1380. 5 f *Aquin.* l. 2. Qu. 102. Art. 4. g *Orat.* ὑπὲρ τῶν ἱερῶν. p. 11. h *Jerem.* 13. 27. *Hoſ.* 12. 11. *Lev.* 17. 5.

1 על הדם *ad* vel *apud ſanguinem.* Si conjecturæ locus dari poteſt; cum in *Levit.* 19. Leges plures repetitas legimus, quid ni ſuſpicemur, *literam* ע locum כ occupaſſe, hinc idem eſt præceptum, quod in *cap.* 7. 26. vid. כל דם ſive הדם (cum ה emphatico) לא תאכלו *nullum ſanguinem comedetis.*

SECT. I.

pœna capitali devinxiſſe. Nihil jam ſupereſt, niſi ut uni objectioni ſatisfaciam, quæ verborum meorum fidem elevare videtur. Eſt autem hujuſmodi: e variis Scripturæ locis apertiſſime conſtat, Iſraelitas legem illam haud adeo magni habuiſſe, ſed ubique locorum Deum ſacrificiis coluiſſe. Non eſt autem facile creditu, populum legis illius limites tam effrœni licentia tranſgredi voluiſſe, ſi Deus illius obſervationem tam ſerio poſtulaſſet, aut illius obſervatio tantum ad idololatriam extirpandam momenti habuiſſet.

RESPONDEO: minime diffitendum eſt, multos olim veri Dei cultores in legis illius τὸ ῥητὸν peccaſſe, & in excelſis aliiſque locis a Tabernaculo remotis ſacrificia frequenter obtuliſſe; ſed interim illius διάνοιαν, ſcopum & intentionem primariam, diligenter obſervarunt. Sic enim gentium more factum eſt olim, ut quiſque ſibi ipſi loco ſacerdotis eſſet, & unuſquiſque pro libitu ſuo paſſim in agris ſacra privata faceret: ne itaque mos ille in perniciem verteret, & Iſraelitæ loci cujuſvis genio vel dæmoni ſacrificarent; Legis edicto cautum eſt, ne quis ubivis rem ſacram faceret, ſed Tabernaculi vel Templi limina peteret, & ibi victimas omnes immolaret. Adeo ut eo inprimis lex illa collimaret, ut ſacra illa privata & ſine teſte peracta (quæ latam idololatriæ portam aperuerunt) e medio tollerentur. Et ſane Iſraelitæ legis illius ſcopum & intentionem tam pie ſemper obſervarunt, quod neminem unquam privatæ ſortis hominem, poſtquam Deus legem illam dediſſet, ſacra illa privata peregiſſe legamus. Sed ut huic objectioni cumulate ſatisfiat, ei quatuor hiſce *theſibus* paulo plenius & uberius reſponſuri ſumus.

(1°.) DUM Iſraelitæ in deſerto oberrarunt, legem illam de ſacris omnibus ad oſtium Tabernaculi offerendis pie ſervaſſe cenſeantur. Neminem enim, cum in deſerto agerent, ſacra in excelſis feciſſe legimus. Deinde, cum Deus legem illam, addita capitis pœna tranſgreſſoribus irroganda, ſtatuiſſet; vix credi poteſt, quenquam legem pœna tam gravi ſancitam violare voluiſſe. Præterea, cum Tabernaculum ſemper præſto eſſet, & Deus Tabernaculum ſolummodo præſentiæ ſuæ ſedem renunciaſſet; nemo ſacrum aliquod in agris aut excelſis offerre potuit, quin grande crimen ſine ulla apologia admiſiſſet, & animi a Deo vero alienati ſe merito ſuſpectum reddidiſſet.

(2°.) ISRAELITÆ, terram promiſſam ingreſſi, diu quemlibet locum victimis offerendis idoneum exiſtimaſſe videntur, modo ſuſpicio & ſpecies idololatriæ abeſſent, & a ſacrificiis privatis abſtinerent. Sic opinandi cauſam præbent exempla illa plurima, ſacris annalibus memorata, quibus conſtet populum illum ubique locorum, prout ſors tulit, victimas obtuliſſe. De iis autem exemplis paulo fuſius agerem, niſi otium mihi feciſſet [a] *Nierembergii* diligentia, & hic omnem dicendi materiam mihi præripuiſſet.

(3°.) POPULUS Iſraeliticus, ante templum extructum, ex indulgentia divina, licite videntur ſacra in excelſis obtuliſſe. Nam antea Deus nuſquam legitur id criminis loco Iſraelitis objeciſſe, quod in montibus aut excelſis hoſtias immolarent. Nempe temporis longinquitas & omnium gentium conſuetudo morem illum in excelſis immolandi pene ſacrum fecerat; & Iſraelitæ, æſtu quodam conſuetudinis abrepti, abſtinere non poterant, quo minus & ipſi in excelſis, gentium ritu, ſacrificarent. Ut itaque populum durum leniter tractando molliret indulgens Numen, iis etiam excelſa ſua permiſit; ea tamen lege, ut ſacrificia omnia ſacerdotum tantum legitimorum miniſteriis offerrentur, atque adeo omnem cultus alicujus illiciti ſpeciem a ſacris ſuis amoverent.

(4°.) POSTQUAM Templum extructum eſſet, lex illa de victimis ad oſtium Tabernaculi afferendis, quaſi poſtliminio rediit, & omnes ſacra facturi ad atrium Templi ſe conferre tenebantur. Sæpius itaque, poſt templum extructum, regibus cætera piiſſimis id vitio datum legimus, quod ethnicam illam in excelſis immolandi conſuetudinem non cohibuerint; cum ſcilicet Deus templum religionum ſedem conſtituiſſet, & legem illam de victimis omnibus coram ſemetipſo offerendis ad vim & vigorem priſtinum reſtituiſſet.

[a] *De Orig. ſacr. ſcript.* l. 8. cap. 29. 30.

SECT.

SECT. II.

SECT. II.

De perſonis, quibus idololatria præcavendæ cauſa, ſacrorum miniſterium aſtringebatur.

DEUS non locos tantum, ſed & perſonas peculiares, ad cultus Legalis munia peragenda deſignavit, nec cuivis ex illota plebe Tabernaculo miniſtrandi licentiam dedit. Apud gentes equidem antiquiores, qui cæteris auctoritate major eſſet, aut ætate prior, ſacerdotii munus & honorem non raro ſumpſit, & eadem perſona rebus divinis & humanis non raro præfuit. Nonnunquam populi gratia, vel rerum ſacrarum peritia ſingularis, homines ad honorem ſacerdotalem evexit, & vix quiſquam apud exteras gentes (niſi forſan Ægyptios) dignitatem illam ſorte naſcendi tenuit. *Ego*, inquit [a] Caſaubonus, *nullam Athenis ſacram tribum novi: imo vero nulla fuit, non dicam* ἱερὰ, *ſed neque* ἱερατική, *qualis apud Judæos Levitica.* Idem de pleriſque aliis gentibus & civitatibus illæſa veritate dici poteſt. Apud Judæos autem ſacerdotes tantum e tribu ſacra res divinas procurarunt, & functionem ſacerdotalem, non ætatis, poteſtatis, aut prudentiæ, ſed natalium jure, vindicarunt. Sacra miniſteria intra tribus unius limites concludebantur: nulli enim fas erat altari manum admovere, niſi genus ab Aarone duceret; nec cuiquam, niſi ſtirpe Levitica prognato, conceſſum eſt [b] ad *Deum accedere* vel tabernaculo ſuo miniſtrare. Alios omnes, veluti profanos & impuros homines, ab altari & tabernaculo procul arcebat lex & religio Judæorum. Ideo vero Deo viſum eſt, uni tantum tribui & familiæ ſacra munia obeundi facultatem concedere, ut populum illum, in gentium ritus deoſque propenſum, ad Dei veri cognitionem perduceret, eoſque a ſacrificiis privatis & moribus idololatricis avocaret. Ut autem huic aſſertioni lucem & fidem afferam, (1°.) Illius veritatem Scripturæ teſtimonio confirmatam dabo. (2°.) Eandem argumentis evincam quæ ratio ſuggerit. Oſtendam (3°.) quibus rationibus officii ſacerdotalis ad tribum Leviticam reſtrictio ad idulolatriam præcavendam inſerviebat. (4°.) Objectioni uni & alteri ſatisfaciam.

Reſtrictionem ſacerdotii ad unam familiam, remedium idololatriæ fuiſſe.

PRIMO: rerum ordo poſtulat ut aſſertionem meam Scripturæ teſtimonio confirmarem. In hunc finem itaque textum illum *Ezechielis*, [cap. 20. 26.] in medium feram, a cujus ſenſu genuino interpretes pleriq; miſere hactenus aberrarunt. Textus verba in Hebræo ſic ſonant: ואטמא אותם במתנותם בהעביר כל פטר רחם למען אשמם למען אשר ידעו אשר אני יהוה Quo textus hujus difficillimi ſcopum & mentem certius aſſequamur, in verbi cujuſvis explicatione paululum temporis impendemus.

Probatur Ezechielis teſtimonio.

ואטמא אותם במתנותם Quæ verba ſic reddenda cenſeo, *& pollui eos in* [vel *eum*] *donis ſuis:* hoc eſt, "eos una cum victimis eorum pollutos habui & declaravi, partim, "dum iis Legem tradidi, cujus obſervatione reatus & impuritatis ſuæ confeſſionem frequentem ederent; præcipue vero dum eos a tabernaculo & altari meo velut immundos "arcui, & eorum ſacrificia, niſi per vicarias ſacerdotum manus oblata, tanquam polluta, repudiari. Hæc interpretatio Prophetæ menti propinquior exiſtimetur, quod verbum טמא & Græcorum μιαίνω non tantum *polluere*, ſed & *pollutum pronunciare*, vel *pro impuro habere*, in Scriptura denotet: viz. *Levit.* 13. 3. *Et ſacerdos videbit eam* [plagam lepræ] וטמא καὶ μιανεῖ, *& leproſum contaminabit*, h. e. eum immundum decernet & declarabit, vel (uti verſio habet Anglicana) *He ſhall pronounce him unclean.* Atque hoc ſenſu vox illa capite jam dicto multoties uſurpatur. Hoc eo curioſius obſervari velim, quod ſenſus ille loco præſenti maxime cunvenire videatur. Cum enim Deus primogenitos *ad ſeipſum tranſire faceret*, & eorum loco poſtea Levitas tabernaculi ſui miniſterio conſecraret; totum reliquum populum a ſacris ejus arcuit, eumque pollutum & ſanctitatis expertem tacite pronunciavit: Prophetam autem hac de re ſermonem habiturum e jam dicendis elucebit.

בהעביר כל פטר רחם *dum tranſire feci omne quod aperit vulvam*, vel omnem primogenitum. Verbis hiſce ſubobſcuris lucem præbet locus ille parallelus, *Exod.* 13. 12. והעברת כל פטר רחם ליהוה *Et tranſire facies quicquid* primo *aperit uterum, ad Dominum.* Ut locum utrumque felicius intelligamus, æquum eſt ut rem totam paulo altius repetamus: ſciendum itaque, Deum, cum Hebræorum primogenitos [c] e communi clade eximeret, eos aut pretio quinque ſiclorum redimi, vel ſibi ipſi conſecrari, præcepiſſe.

a *Animadverſ. in Athen.* l. 6. c. 6. col. 411. b *Num.* 1. 51. & 3. 38. & 18. 4. c *Exod.* 13. 15. *Num.* 18. 16.

SECT. II.

Prout itaque fœtus primogeniti mundarum pecudum, altari, ita & hominum primogeniti Tabernaculo, ſeparati fuerunt; donec, iis in deſerto recenſitis & ſupra viginti duo millia numeratis, [a] Levitas (qui fere totidem reperti ſunt) Deus in illorum locum ſurrogavit, & cultui ſuo conſecravit. Adeo, ut Deus primogenitos bis ad ſeipſum tranſire fecerit, primo per ſe & in perſonis propriis, deinde per vicarios ſuos, Levitas, in eorum locum & vicem a Deo ipſo ſubſtitutos. Ad hanc *Moſis* hiſtoriam, Prophetæ verba reſpectum habere, probabilius habeatur, quod uterque ſenſum ſuum verbis iiſdem exprimat, & quod hiſtoria illa hiſce verbis Ezechielis ad amuſſim quadret & conveniat.

למען אשמם Ut obſcuram adhuc horum verborum mentem capiamus, monendum eſt obiter vocem שמם diverſo ſignificatu gaudere, prout de *re* vel *perſona* uſurpatur. De *re* dicta, *devaſtatus fuit*, *deſolatus*, *deſertus*, non raro denotat: de *perſona* vero, quandoque, *tacite miratus eſt*, *præ admiratione obſtupuit*; aliquando, *dedecore affecit*, *dehoneſtavit*, *obſcurum* aut *ignobilem reddidit*. Huic voci ſignificatum priorem multis exemplis e Scriptura depromptis aſſeruit auctor [b] ille, cui multum debet Theologorum natio; utrumque vero [c] LXX. qui vocem per Θαυμάζω, συγνάζω, ἐκπλήττω, ἀτιμάζω, ἀφανίζω, [cum de perſona dicitur] interpretantur. Interpretes noſtri Anglicani, & plerique alii, vocem illam אשמם *deſolandi* ſenſu, hoc in loco ſumendam ſentiunt. Iis autem aſtipulari nequeo, quod vox illa שמם, ubi de perſonis agitur, vix unquam ad vaſtationem vel deſolationem notandam in Scripturis uſurpetur; & quod eo ſenſu ſumpta nullum (hoc in loco) commodum ſenſum fundat. Si vero voci huic *admirandi* ſignificationem tribuamus, omnia ſine ſalebris fluent, locus integer ſenſum fundet hiſtoriæ ſacræ conſentaneum, & cum iis quæ antecedunt & ſequuntur pulchre cohærebit. Cum enim Deus totam pene Hebræorum gentem, tanquam pollutam & alienam, ab altaribus ejus arcuiſſet, &, præter morem antiquum, Aaronis ſolius filios victimas offerre permiſiſſet, inſtituti novitatem totum populum ſumma admiratione & ſtupore affeciſſe non dubitandum eſt. Certe *Corah* & gregales ejus, rei novitate perculſi, *Aaronem* & filios ejus, qui ſoli ſacerdorium exercebant, ſic alloquuntur: [d] *nimium vobis* ſumitis, *cum tota congregatio ſancta ſit*, nec tanquam polluta & immunda, a libamine ferendo cohibenda.

למען אשר ידעו אשר אני יהוה *Propter quod ſcirent quod ego Dominus.* Quæ verba rationem ultimam reddunt, cur Deus gentem Iſraeliticam quamvis dona ferentem, tanquam pollutam repudiarit, & ſolos promogenitos [in Levitarum perſonis] ad ſe & ſacra ſua tranſire juſſerit; nempe ut ea ratione populus ille ad Deum verum cognoſcendum & colendum perduceretur. Nam lex ea quæ Judæorum vulgus, tanquam profanum, a Tabernaculo procul ire juſſit, & Aaronis tantum filiis ſacrificandi poteſtatem fecit, ad idololatriam coercendam, & Dei veri cultum promovendum, apprime conducebat.

INTERPRETATIONEM jam traditam aliis omnibus facile præferendam cenſeo: Nam

(1°.) HÆC interpretatio ſenſum e verbis elicit, apertum, cohærentem, & Scripturæ ſimplicitati conſentaneum; cum loci hujuſce verſiones aut interpretationes pleræque aliæ, perplexæ admodum & ſine mente ſoni videantur. Ne ſermo prolixior hac in re lectori tædium ferat, unam ſolummodo, eamque forſan optimam, Anglicanam noſtram, in exemplum proferam. Ea vero ſic ſe habet: *And I polluted them in their ovvn gifts, in that they cauſed to paſs through* [*the fire*] *all that openeth the vvomb: that I might make them deſolate, to the end that they might knovv that I* [*am*] *the Lord.* Quis eſt qui in verbis illis, φωνὴν ἄδηλον, ſenſum incertum, perplexum, vel potius nullum, non facile perſentiſcit?

(2°.) INTERPRETATIO hæc optime conſpirat cum Iſraelitarum rebus moribuſque in hiſtoria ſacra memoratis. Fidem enim apertam facit hiſtoria ſacra, Deum primogenitos, vel *omne quod aperit uterum*, ſibi *tranſire feciſſe*, & Iſraelitarum plebem, tanquam profanam & immundam, ab altaris & templi miniſterio longe removiſſe. Nuſquam autem in Scriptura legimus, Iſraelitas primogenitos ſuos omnes per ignem traduxiſſe; vel Deum, peccati illius gratia, gentem Iſraeliticam ad vaſtitatem aut deſolationem redegiſſe.

(3°.) SI interpretatio noſtra obtineat, hic verſus cum præcedente cohærebit & cognatione quadam conjungetur. Nam verſu illo occurrit ſermo de *ſtatutis non bonis*, quæ veterum chorus de legibus ceremonialibus [utpote bonitate aliqua nativa deſtitu-

a *Num.* 8. 16, 17, 18. b *Schindler. in voc.* שמם. c *V. Kircher. Concordant. in voc.* שמם
d *Numer.* 16. 3.

tis,

tis, & tantum ad effrœnem populi licentiam coercendam datis] interpretatur. Cum itaque legum earum mentio incidiſſet, conſulto & cohærenter additum eſt, *& pollui eos in muneribus ſuis, cum tranſire fecerim omnem primogenitum*, &c. Lex enim de promiſcua plebe a victimis offerendis cohibenda, & primogenitis, aut [eorum loco] Levitis, Deo conſecrandis data, inter *ſtatuta* illa *non bona*, Judaicæ licentiæ remedia ſimul & monumenta, non immerito recenſearur. SECT. II.

(4°.) Huic interpretationi ſermonis prophetici ſeries & ordo non parum firmitatis addit. Poſtquam enim Deus per prophetam perverſos vererum Hebræorum mores, & eorum in retinendis Ægypti ritibus & idolis pertinaciam, fuſe memoraſſet; tandem, *dedi*, inquit, *eis ſtatuta non bona, & pollui eos*, &c. hoc eſt, "leges illas rituales tuli, "ut per eas, tanquam valla & ſepimenta quædam, populum io gentium mores bruto "impetu ruiturum, intra aliquos officii limites continerem. Et, ſi animos ad legum Moſaicarum in Pentateucho traditarum ordinem & ſeriem advertamus, facile percipiamus, Deum tum primum leges pleraſque ceremoniales Iſraelitis impoſuiſſe, & eos *cum muneribus ſuis* (eo quo dixi ſenſu) *polluiſſe*, cum cultu vitulino animi in Ægypti mores Deoſque projectiſſimi documentum nimis apertum edidiſſent. Haud inficias iverim, Moſem paulo antea tabernaculi formam in monte vidiſſe, & mandatum de jugi ſacrificio, & Aarone cum filiis ejus in ſacerdotium inaugurandis, accepiſſe. Hæc tamen omnia antiquæ & nullo legum vinculo reſtrictæ ſacrificandi libertati non multum præjudicabanr. At Moſe paulo diutius in monte commoranre, populus cultu vitulino ſe contaminavit: & tum demum leges de feſtis, ſacrificiis voluntariis & neceſſariis, ciborum diſcretione, pollutionibus, purificationibus, aliiſque ceremoniis datas legimus: & tum primum legem ſupplicio capitali ſancitam [a] legimus, ne quis præter Aaronem & filios ſuos ad altare accederet, aut præter Levitas taberoaculi rebus manum admoveret.

(5°.) Huic interpretationi non parum favent Græci ſic verba transferentes, Καὶ μιανῶ αὐτὰς ἐν τοῖς [1] δόγμασιν αὐτῶν, ἐν τῷ διαπορεύεσθαί με πᾶν διανοῖγον μήτραν, ὅπως ἀφανίσω αὐτάς· *Et pollui eos in* [b] *muneribus ſuis, cum pertranſirem* vel *præterirem ipſe omne adaperiens uterum*, vel omnem primogenitum, *ut eos* [c] *obſcuros redderem* aut *ignobiles*. E quibus apparet, LXX ſic locum intellexiſſe, quaſi Deus hic non tam de primogenitis ſibi aſſumendis, quam iis prætereundis, & Levitis eorum loco conſecrandis, loqueretur. At ſive hoc, ſive illo ſenſu, verba capiantur, ego certe in magno non ponam diſerimine: nam apertum eſt, Deum primogenitos tandem prætcriiſſe, & eorum loco Levitas ad ſacratiora quædam miniſteria recepiſſe: ſed quicquid ſit, extra dubium eſt, LXX vocem illam העביר de liberorum traductione per ignem, cum interpretum vulgo, nullatenus intellexiſſe.

In hoc rextu explicando paulo diligentior fui, non rantum quod locus ille ſat probet Deum, idololatriæ cohibendæ cauſa, non niſi certas perſonas ad miniſteria ſacerdotalia admiſiſſe, ſed quod multorum ingenium & induſtriam haud adeo feliciter exercuerit. Ne vero ſententia mea loco tantum obſcuro niti videatur, nonnulla jam, quæ ſola ratio ſuggerit, argumenta in medium feram, quibus paulo luculentius appareat, Deum, idololatriæ eliminandæ cauſa, ſacrificandi poteſtatem ad familiam Leviticam & Aaronicam reſtrinxiſſe. Et tribus argumentis.

Horum primum hujuſmodi eſt: ſub vet. Teſtamento modis omnibus cautum eſt, ne quis, oiſi e ſemine Aaronico, munere ſacerdotali ſungeretur. Hoc enim Deus non ſimpliciter vetuit, ſed capitis pœnam indixit ei, qui, licet alienus eſſer a genere Aaronico, ſacrificandi poteſtarem arrogaret. Et, quo majorem legi huic auctoritatem conciliaret, eam [d] ſæpe repetitam dedit, & in primos legis illius tranſgreſſores exemplum ſtatuit horrendum adeo, quod ejus ſimile in rerum Hebraicarum monumentis nullibi repetiatur. Cum enim multa convitia a *Core* & ſceleris ſui ſociis in Moſem jactarentur, [e] παρὰ τοὺς νόμους τἀδελφῷ τὴν ἱερωσύνην Ἀαρῶνι δόντα, quaſi *præter morem & æquum, ſacerdotium in Aaronem fratrem contuliſſet*; terra dehiſcens ſeditioſos, cum familiis & facultatibus eorum, abſorpſir vivos: ignis etiam a Domino prodiit, & ducentos illos & quinquaginta familiarum principes, qui *Core* factionem ſequebantur, ita abſumpſir, [f] ὡς καὶ τὰ σώματα αὐτῶν ἀφανῆ γεγονέναι, *ut ne cadaverum quidem reliquia*

a *Num.* 1. 51. & 3. 10. b *Ita verto, quod* δόγμασιν, *eo in loco, corrupte ponatur pro* δόμασιν. c *V. Mat.* 6. 16. d *Numer.* 10. 51. & 3. 1. & 18. 21. e *Joſeph. Antiq. Jud.* l. 4. c. 2. p. 137. 20. f Id. pag. 143.

1 Δόμασιν, apud *cod. Alexandr.*—αὐτοὺς, *Alexandr.* & *Edit. Aldin.* addunt ἵνα (*Alex.* ἵνα) γνῶσιν ὅτι ἐγὼ κύριος.

com-

SECT. II.

comparerent. Cum etiam *Uzzias*, auctoritati ſuæ regiæ confiſus, ſeſe ingereret ſacerdotum muniis; [a] lepra ſtatim percuſſus, majoris erga functionem ſacram reverentiæ documentum extitit. Quid autem Deus, tot legibus mortem minantibus, & ſuppliciis ſine exemplo gravibus, ſacerdotium ſoli *Aaroni* & illius familiæ vindicavit; niſi quod ad legem cultumque ſuum inviolatum conſervandum plurimum intereſſet, ut ſacrificandi poteſtas non toti genti ſed uni familiæ, nec populi ſuffragio ſed naſcendi ſorte, concederetur? Neutiquam enim probabile eſt, Deum pœnas inuſitatas adeo in *Core* & partium ſuarum ſautores infligere voluiſſe, ſi (quod recepta ſert opinio) eo ſolo peccaſſent, quod ſeditioſi fuiſſent, & Moſi & Aaroni ſe non adeo morigeros præbuiſſent.

SECUNDO: Deus inſigni miraculo ſacerdotium ſoli Aaronis familiæ ratum firmumque fecit. Quamvis enim prodigio ſupra memorato ſatis conſtaret, non ambitu vel *Moſis* gratia, ſed calculo divino, ſacerdotium ad *Aaronem* perveniſſe, nonnulli tamen præjudiciis occæcati (ſi Joſepho ſit habenda fides) tam percinaciter in ſuſcepto contradicendi conſilio perſtiterunt, ut res proxime abeſſet a nova ſeditione. Deus itaque miraculo [b] *virgæ* ſolius *Aaronis* germina & amygdala proferentis, hominum plane vicit præjudicia, & ſacerdotium in familia Aaronica, nemine poſtea vel hiſcere audente, confirmavit. Quid autem ſacerdotio in Aaronis familia ſtabiliendo tot miracula impenderet Deus, niſi quod ſeculo illo ſumma religionis in eo præcipue cardine verteretur, & ad idololatriam lata porta patuiſſet, ſi (quod uſu veteri factum eſt) cuivis e vulgo ſacra facere licuiſſet?

TERTIO: nulla ratio ſatis ſolida reddi poteſt, cur Deus, ſub *Moſis* primum tempora, ſacerdotium familiæ Aaronicæ proprium faceret niſi ut idololatriæ morbo paſſim graſſanti remedium adhiberet. Ut hujus argumenti vires diſtincte percipiamus, ratio poſtulat ut functionis ſacerdotalis originem (qua licet) indagemus, & nonnulla de illius exercitio ſeculis ante Moſen uſitato proponamus. Quæ itaque nobis veritati propinquiora videntur, pauculis hiſce *theſibus* complectemur.

(1°.) VERISIMILE eſt, quemlibet loci privati hominem, ante Moſis tempora, ſacrificia privata licite obtuliſſe, & ſacerdotis officium ſibi ipſi & nomine ſuo peregiſſe. Conſtat enim Abelem & Cainum, cum in Adami familia privati agerent, munera ſua ad Dominum adduxiſſe, *Geneſ.* 4. 3, 4. Ubi LXX ſic verba ſignanter transferunt: Καὶ Ἄβελ ἤνεγκε καὶ αὐτὸς ἀπὸ τῶν πρωτοτόκων, *& Abel obtulit etiam ipſe* [i. e. ſua in perſona] *ex ovium primogenitis.* Iſaac etiam (inter privatos, patre adhuc ſuperſtite, numerandus) poſt renovatam promiſſionem de ſemine benedicto, altare ſtruxiſſe dicitur, *Geneſ.* 26. 24. Jacobus etiam privatus, Jordanem cum baculo ſuo tranſiturus, [c] olei libamen in lapidem effundens, partes egit ſacerdotis. Et morem illum ad uſque Moſis tempora viguiſſe, e [d] Legis verbis ſacra omnia privata prohibentibus, haud obſcure colligamus. Hæc opinio eo etiam probabilior exiſtimetur, quod ſacrificiorum oblatio, ritus precandi, gratias agendi, veniam deprecandi, & (ut ſummatim loquar) pene unica Deum colendi ratio, ſeculis illis antiquioribus haberetur: ne itaque homines vitam religione vacuam agerent, par eſt opinari, Deum olim non minus ſacrificandi, quam hodie precandi & gratias agendi, licentiam privato cuique conceſſiſſe. His accedat, quod *Coreh* & comites ejus ideo Moſen & Aaronem in odium apud plebem traxerint, quod exercitium ſacerdotii ſoli Aaroni, Moſis fratri, reſervatum eſſet; hinc enim opinandi locus, res aliter ſe olim habuiſſe, nec unam ſolummodo familiam, ſed quemlibet privatæ ſortis hominem, ſacrificium obtuliſſe. Moris hujus antiquiſſimi veſtigium in paſchatis celebratione percipiamus: nam *in ea*, [e] Philone teſte, οὐχ οἱ μὲν ἰδιῶται προσάγουσι τῷ βωμῷ τὰ ἱερεῖα, θύουσι δ' οἱ ἱερεῖς, ἀλλὰ νόμου προστάξει σύμπαν τὸ ἔθνος ἱερᾶται, &c. i. e. *Non homines e vulgo victimas adducunt ad altare, ut mactent ſacerdotes; ſed jubente Lege, tota gens ſacrificat*, aut ſacerdotii munere fungitur, *dum pro ſe quiſque hoſtiam ſuam & adducit & mactat.*

(2°.) SACRIFICIA domeſtica, & familiæ alicujus nomine oblata, ordinarie per patres tantum familiarum offerebantur. Omnes enim familiæ alicujus principes, [f] Noachus, Abrahamus, Jacobus, Jobus, alii, ubicunque ſedem haberent & familiam alerent, ſacrificandi munus obiiſſe perhibentur. Nam familia ſacerdotali nondum conſtituta, loci paterni pietas & auctoritas poſtularunt, ut patres familiarum toti familiæ ad pietatem exemplo ſuo prærirent, tanquam communes perſonæ totius familiæ cauſam apud

a 2 *Par.* 26. 18, 19, 20. b *Numer.* 17. 8. c *Geneſ.* 28. 18. d *Levit.* 17. 3, 4, 5. e Lib. 3. de *Vit. Moſ.* p. 686. E f *Gen.* 8. 20. *Gen.* 12. 7, 8. *Gen.* 35. 3, 7. *Job.* 1. 5. & 42. 8.

Deum

Deum agerent, & religioſis officiis benedictionem divinam in omnes neceſſitudine aliqua ſibi conjunctos impetrarent. Neque vero loci paterni pietas ſolummodo, ſed & officii præſtandi dignitas poſtulavit, ut perſona cæteris auctoritate & prudentia ſuperior, ſacroſancto victimas offerendi munere fungeretur.

SECT. II.

(3°.) FAMILIA ſacerdotali nondum conſtituta, probabile eſt, ſacerdotes publicos (quales erant Melchiſedecus, Jethro, Potipher, aliique) vel oraculo extraordinario, vel educatione ſacerdotali, vel electione populari, vel denique loci alicujus publici jure, ſacerdotii obeundi facultatem obtinuiſſe. Non erat enim e dignitate ſacerdotii, ut quilibet privatus & imperitus homuncio ſacerdotis publici titulum ſibi ſumeret, & ſacrificia, regionis aut civitatis totius nomine, offerendi poteſtatem pro libitu ſuo arrogaret. Adde, quod *Coreh* apud [a] Joſephum acerbe & contumelioſe in Moſem invehatur, [ὡς] τὴν ἱερωσύνην Ἀαρῶνι δόντα, μὴ τῷ κοινῷ δόγματι τοῦ πλήθους, ἀλλ᾽ αὐτοῦ ψηφισάμενον, *quod abſque populi ſuffragio, pro ſua ſolius libidine & imperio, ſacerdotium Aaroni tribuiſſet*. Non eſt autem credibile, *Coren* id Moſi criminis loco objicere voluiſſe, niſi quod ſeculis antiquioribus ſacerdotes publici muneri tam ſolenni populi ſuffragiis non raro præficerentur.

(4°.) ANTE Legem datam, non magis dignitas ſacerdotalis, quam regia vel prophetica, ad certam aliquam familiam reſtringebatur. Cum primum aureum vitulum oblato ſacro coluiſſent Iſraelitæ, Deus jus ſacrificandi penes unam familiam eſſe voluit, & abdicatis aliarum tribuum primogenitis, ſacerdotiiſque omnibus privatis, ſacerdotii ordinem, quem Apoſtolus [b] τὴν τάξιν Ἀαρὼν vocat, ſtabilivit; nec ullis ſacrificandi poteſtas data eſt, niſi Aaroni ſanguinis propinquitate jungerentur. Inde occaſio data [c] τῇ ἀντιλογίᾳ τοῦ Κορὲ, qui antiquam ſacrificandi libertatem toti cœtui ablatam moleſte ferebat, & honorem ſacerdotalem in ſolam Aaronis familiam collatum lividis oculis intuebatur.

HÆC omnia, de ſacrificandi jure rituque inter Patriarchas obtinente, veritati propiora videantur, quod ſacris ethnicorum moribus conveniant, qui e ſeculis hiſce vetuſtiſſimis ritus ſuos, errore licet miſere depravatos, hauſiſſe putentur. Nam e [d] Seldeni noſtri verbis edoceamur, *apud paganos priſcos, -ſacerdotia publica fuiſſe & patrimonialia,.. gentilitia item & familiaria,.. collegia item ſacerdotum & patrum ſacrorum, & filiorum ſacrorum*, &c. *Cum interim rite ſacrificare nihilominus, immolare, adolere, & quæ reliqua ſunt ſacerdotii ſimplicis munera, cuivis e vulgo ſeu privatis pariter fas eſſet præſtare*, &c.

E jam dictis abunde liquet, ſeculis antiquioribus ſacrificandi munus legibus pene omnibus ſolutum fuiſſe, & Deum tum primum ſacerdotii obeundi facultatem ad ſolum *Aaronem* & familiam ſuam reſtrinxiſſe, cum Iſraelitæ animi gentium moribus & idolis addictiſſimi nimis aperta dediſſent argumenta. Ideoque non abſurdum eſt opinari, Deum eodem conſilio ſacerdotium Aaronicum, quo & totam legem Moſaicam, inſtituiſſe; nempe ut populo, alias in effrœnem licentiam ruituro, compedes injiceret, & omnem cultus idololatrici ſpeciem & occaſionem tolleret. Quis enim rationem ſatis ſolidam aſſignare potis eſt, cur Deus, ſtatim ab exitu ex Ægypto, veterem ſacrificandi licentiam cohiberet; niſi quod Iſraelitæ a ritibus avitis nimis receſſiſſent, & eorum novi mores, ut fit, novis legibus condendis anſam præbuiſſent? Sed ſatis diu jam hoc ſaxum volviſſe videar.

ARGUMENTIS ſatis apertis oſtendiſſe videar, Deum muneris ſacerdotalis exercitium intra anguſtos familiæ Leviticæ limites coarctaſſe, ut idololatriæ ſe paſſim diffundentis curſum impediret. Proximum eſt, ut paucis expediam, quibus rationibus functionis ſacerdotalis ad familiam Leviticam reſtrictio ad idololatriam abolendam inſerviebat.

Quomodo reſtrictio ſacerdotii populum ab idololatria cohiberet.

PRIMO itaque, ſacrificandi poteſtas uni tantum familiæ conceſſa hunc uſum præbuit quatenus impedivit, ne quis eſſet opportunus ſacra aliqua privata & ſuſpecta faciendi locus. Cum enim Deus legem de ſacris omnibus ſacerdotis alicujus Aaronici miniſterio peragendis edidiſſet, & paucorum annorum uſus novam auctoritatem legi illi conciliaſſet; vix quiſpiam aut potuit aut voluit victimas in agris, aut montium domuumque ſummitatibus, in idoli vel dæmonis alicujus honorem immolare. Nam ipſe proculdubio conſecrationis ſuæ ſenſus & religio cohiberet, ne quis ſacerdos ex Aaronis ſtemmate ſacrificia ſuperſtitionem olentia, præſentia, multo minus miniſterio

a *Antiq. Judaic.* l. 4. c. 2. p. 137. 20. b *Heb.* 7. 11. c *Ep. S. Jud.* ver. 11. d *De Synedr.* l. .. c. 16. p. 645.

Sect. II. ſuo, cohoneſtaret. Deinde, ſacerdotes a Deo peculiariter inſtituti, ſacris oblatis præſentes, omnem ab iis idololatriæ ſpeciem & ſuſpiciooem amoverunt. Cum enim Iſraelitæ in excelſis [locis inſamibus] immolarunt, ipſa ſacerdotum præſentia in cauſa fuit ne in idololatriæ ſuſpicionem venirent: quos enim locorum eorum inſamia ſuſpectos reddere potuit, miniſtrorum illorum explorata pietas & natalium ſanctitas a cultus alicujus profani ſuſpicione liberavit.

Secunoo: quatenus reſtrictio illa veterem Iſraelitarum idololatriam ad animum ſubinde revocavit, iiſque pollutionem quandam inde contractam tacite exprobravit. Huic aſſertioni fidem & lucem afferunt modo citata [a] Prophetæ verba: *quod judicia mea non fecerunt, & ſtatuta mea abjecerunt, -- & poſt idola patrum ſuorum fuerunt oculi eorum; ego dedi iis ſtatuta non bona, & judicia per qua non vivent, & pollui eos in muneribus ſuis, cum tranſire fecerim* ad me *omne quod aperit uterum*, vel omnem primogenitum; למען אשמם *ut illos facerem obſtupeſcere*, & *cognoſcerent me eſſe Dominum.* E quibus Prophetæ verbis hæc duo perſpicue colligenda ſunt: (1°.) Deum tum primum Iſraelitis *ſtatuta non bona* [i.e. ritualia] tradidiſſe, eoſque tanquam profanos & pollutos ab altari ſuo removiſſe, cum vituli cultu, aliiſque moribus Ægyptum olentibus, maniſeſtum feciſſent, cor eorum ad *patrum idola* ſpectare, eoſque decalogi præcepta & fœdus divinum repudiare. (2°.) Deum, in idololatriæ Iſraeliticæ pœnam & remedium, eos *polluiſſe*, id eſt, tanquam pollutos tractaſſe, & eorum munera niſi ſacerdotum manibus oblata, pro impuris habuiſſe. Deum ea de cauſa populum tanquam pollutum ab altari ſuo abegiſſe, ſatis e contextu liquet. Poſtquam enim Deus populi mores & naturam in idola præcipitem fuſe commemoraſſet, conjunctim & uno quaſi ſpiritu ſe *leges non bonas* iis *dediſſe*, & *eos cum muneribus ſuis polluiſſe*, dicit: quid autem, niſi quod utrumque in idololatriæ pœnam & remedium feciſſet Deus? Cum enim Iſraelitæ in animo volverent, illa legum ritualium vincula, patribus ſuis prorſus ignota, quibus ipſi conſtringebantur; pronum eſſet ſuſpicari mores eorum brutos & effrœnes tantæ ſeveritati cauſam præbuiſſe. Cum etiam viderent ſacerdotes & Levitas, tanquam filios & ſamulos, in Dei quaſi domum receptos, & electos ut ei a ſacratioribus eſſent miniſteriis; ſemetipſos autem a tabernaculo procul amaodatos, & ipſorum munera, niſi vicaria ſacerdotum manu tradita, pro impuris habita; ii proculdubio qui paululum ſupra vulgi modulum ſapiebant, animos in diſcriminis tam probroſi cauſam intendebant, idololatriæ malum ſerio percipiebant, & ſe meritas idololatriæ ſuæ pœnas perſolvere, triſti pudore dejecti fatebantur. Hic iterum ingerenda [b] textus modo laudati verba, *& pollui eos in muneribus ſuis, cum præterirem omnem primogenitum, ut eos percellerem*, vel *dehoneſtarem*, & *ut ſcirent me eſſe Dominum.* Et proculdubio, cum leges illæ, de primogenitis repudiandis, Iſraelitis a tabernaculo & altari procul abigendis, & ſacris omnibus Levitarum ſolorum miniſterio peragendis, traderentur; eorum aliqui admiratione & ſtupore quodam tangebantur, alii dedecoris illius conſcii intimis animi ſenſibus angebantur, & ipſa ſua pœna, tanquam ſpeculo, ad contemplandam idololatriæ turpitudinem & eorum impuritatem ab idololatria hauſtam, utebantur.

Tertio: reſtrictio ſacerdotii, ſavoris divini monimentum erat io familiam Leviticam, quæ, præ cæteris Hebræorum familiis, zeli contra idololatriam exempla perilluſtria præbuiſſet. Cum enim Iſraelitæ plerique alii ad vituli cultum prolapſi eſſent, Levitæ longe plurimi ab illius peccati contagio integros & intactos ſe conſervarunt. Levitæ etiam, cultus divini zelo accenſi, [c] Moſi vocanti præſto erant, ut de idololatriæ reis vindictam ſumereot, & tanti ſceleris reatum vel neceſſariorum ſuorum ſanguine expiarent. Phinehas etiam, e ſtirpe Levitica prognatus, ſimili zelo flagrans, *Zimri* occidit, cum impuris amplexibus non fœminæ tantum, ſed & idolo Midianitico, jungebatur. Et (ſi quid fidei Judæorum magiſtris habeamus) cum ceteræ Tribus Ægypti ſuperſtitionibus inficerentur, Levitæ criminis illius immunes perſtitere, nec unquam a Dei partibus deflexerunt. Hanc itaque tribum, cujus fidem & zelum documentis inſignibus adeo compertum habuit, Deus ſacerdotio & ſacrorum miniſterio cohoneſtavit. Deum ea de cauſa ſacerdotium familiæ Leviticæ tribuiſſe, teſtatur [d] *Philo*, cum, de tribubus loquens, ait, *una ex omnibus ſelecta ſacerdotium obtinet*, γέρας ἀνδραγαθίας καὶ φιλοθεΐας ψυχῆς τινὶ λαβοῦσα, &c. *hoc* tanquam *pietatis & fortitudinis præmium accipiens, quo tempore plebeia multitudo viſa eſt ſeduci errore quorundam* popularium *ad Ægyptiacum delirium deſciſcentium.* Hæc e Scripturis hauſit *Philo*, quæ [e] ſæpins aſſerunt tribum Le-

a *Exec.* 20. 24, 25, 26. b *Exec.* 20. 26. c *Exod.* 32. 26, 29. d Lib. 2. *de Monarc.* p. 822. E & l. 3. *de V. Moſ.* p.679. B e *Exod.* 32. 28, 29. *Deut.* 33. 8, 9. *Num.* 25. 11, 12, 13. *Mal.* 2. 4, 5, *Eccl.* 45. 28.

viticam

viticam principem apud Deum gratiæ locum tenuiſſe, eumque tabernaculi miniſterium, ſacerdotium, & pontificatus honorem, inter Levitas; in perpetuum zeli & pietatis ſuæ teſtimonium, diſtribuiſſe. Nihil autem vim majorem ad Iſraelitas a gentium moribus avertendos habere potuit, quam quod ſemper ante oculos habuerint tribum illam tantis honoribus auctam, eo quod a gentium moribus & idolis ſe puram & immunem conſervaſſet, & zeli in Deum cultumque ſuum ſpecimen egregium non ſemel edidiſſet. SECT. II.

UNUM jam ſupereſt, nempe ut argumentis contra hanc vel illam ſermonis mei partem militantibus occurram. Dubiis Objectionibus occurritur.

HORUM primum hujuſmodi eſt: ſermo jam factus fundamento male firmo niti videtur, nempe quod priuſquam Deus Aaronem & filios ſuos ad ſacerdotii honorem ſeparaſſet, ſacerdotium quaſi primo occupanti cederet, & quilibet ſibi ipſi ſacerdos eſſet, ſaltem in ſacris pro ſe uno factis: cum tamen Judæi & Chriſtiani plerique ſacerdotium ante Moſis tempora penes primogenitos fuiſſe, iiſque ſacrorum curam incubuiſſe, ſtatuant. Opinionem illam dignitatem omnpe ſacerdotalem primogenituræ privilegium fuiſſe, in Judæorum animos alte deſcendiſſe, pateat, e plurimis illis, quæ [a] Cl. Seldenus congeſſit, Rabbinorum teſtimoniis. E Chriſtianis, in eandem ſententiam concedunt, [b] *Grotius*, [c] *Seldenus*, [d] *Bochartus*, (illi reip. literariæ triumviri) ut alios jam taceam non facile numerandos. In hujus autem opinionis ſubſidium, illius patroni [e] *veſtimenta* illa *deſiderabilia* proferre ſolent, quæ *Eſau* primogenitus, tanquam muneris ſui ſacerdotalis inſignia, geſſiſſe creditur. Ita Judæos antiquitus exiſtimaſſe, S. Hieronymum teſtantem audiamus: [f] *In hoc loco* [nempe *Gen.* 27. 15.] *tradunt Hebræi, primogenitos functos officio ſacerdotum, & habuiſſe veſtimentum ſacerdotale, quo induti, Deo victimas offerebant, antequam Aaron in ſacerdotium eligeretur.* Addunt inſuper, quod Eſau, non *ineptus* ſed [βέβηλος] *prophanus*, ab [g] Apoſtolo nuncupetur, qui ἀντὶ βρώσεως μιᾶς, *propter eſcam unam* [h] jus primogenituræ vendidit, & facto illo ſanctum illud Deo miniſtrandi privilegium ſe pro vili habere ſatis indicavit. Deinde, & illud afferunt, quod Levitæ, ad quos ſpectabat ſacrorum cura, Deo dati eſſent pro primogenitis, & eorum in locum ſurrogati: adeo ut quales erant Levitæ primogenitorum loco ſubſtituti, tales eſſent primogeniti, quamdiu loco jureque ſuo gaudere licuit. Hinc etiam argumentum ſumi ſolet, quod Hebræorum primogeniti Deo *ſacri* fuerint, & homines illi quos Deus præcipuo quodam jure [i] *ſuos* appellaverit. Illi vero quos Deus *ſuos* & ſibi *ſacros* vocat, Deo miniſtraſſe & ſacerdotium obiiſſe non temere cenſeantur. Quibus omnibus adjungi ſolet quod Jacob *Reubeni*, filio ſuo natu maximo, titulum illud [k] *excellens dignitate* tribuat; cujus, inquiunt, ratio vix ulla reddi poteſt, niſi quod ſacerdotium jure πρωτοτοκείων ad Reubenem pertineret. Ut his omnibus major addatur fides, Targum Hieroſolymitanum, Onkeloſum, Jonathanem, & alios e ſynagoga magiſtellos, laudare ſolent.

AT e locis illis nihil ſatis firmum ad hanc ſententiam ſolide fundandam deduci poteſt. Nam *veſtimenta* illa *ſpecioſa*, non quatenus familiæ ſacerdoti, ſed quatenus familiæ ſpei & hæredi (e ſpeciali quidem, ſed debito parentum effectu) Eſavo primogenito concedebantur. Nec Eſavus *profani* ſtigmate inuritur, quod ſacerdotium, ſed quod Dei benedictionem, patris ſui miniſterio in primogenitum præcipue conferendam, nihili æſtimaverit. Addi poteſt, quod in verbis illis Apoſtoli, *profani* nota non tam Eſavo quam Chriſtiano, voluptatis alicujus mundanæ cauſa ad gentiliſmum deficienti, inuri videatur. Aſſertionis hujuſce rationem infra dabimus, cum res ipſa feret. Nihilo firmius eſt, quod de Levitis in primogenitorum locum ſuffectis additur: nihil enim notius eſt quam quod Levitæ non ſacerdotes eſſent, ſed ſacerdotum adminiſtri; nec munere illo inferiori, niſi ſacris quibuſdam ritibus initiati fungerentur. Non magis valet, quod Hebræorum primogeniti Deo ſacri fuerint, eoſque Deus *ſuos* dixerit; hoc enim inde factum eſt, quod Deus in Ægypto, Hebræorum primogenitos e communi clade eximens, ſibi jus novum in eos acquiſiverit; non ut Deo ſacerdotum loco miniſtrarent, ſed ut quinque [l] ſiclis ſacerdoti datis redimendi eſſent. Nec rem in dubio poſitam concludit titulus ille *Reubeni* datus: nam Reuben *dignitate præcellere* dicitur, non quod natalium jure dignitate ſacerdotali frui deberet, ſed quod fratribus ſuis natu prior eſſet, & in ſpem poteſtatis & hæreditatis amplioris naſceretur.

a Lib. *de ſucceſſ. in bon. defuncti* c. 5. & Lib. 1. *de ſucceſſ. in Pontificat.* c. 1. b *Annot.* ad *Luc.* 2. 23. c Lib. 1. *de ſucceſſ. in Pontif.* p. 110. d De *Anim. ſac.* P. 1. col. 575. e *Gen.* 27. 15. f *Tradit. Hebraic.* in *Gen.* T. 2. col. 531. g *Hebr.* 12. 16. h *Tradunt* Hebræi, *quod uſque ad ſacerdotium Aaron, omnes primogeniti, ex ſtirpe Noe fuerint ſacerdotes, & Deo victimas immolarint, & has eſſe* primogenita *quæ Eſau vendidit*: S. Hieron. Ep. ad Evangelium T. 2. col. 573. i *Num.* 8. 17. k *Geneſ.* 49. 3. l *Num.* 18. 16.

SECT. II. Cum itaque ſacra monumenta nihil de primogenitorum ſacerdotio ante Moſem referant, non eſt cordati hominis Judæorum dictaris hac in re fidem nimis pronam adhibere; præſertim cum hiſtoria ſacra ſententiæ contrariæ magis favere videatur. Nam [a] *Abel* natu minor, æque ac Cainus primogenitus, ſacra, eaque Deo grata, feciſſe dicitur. *Jacobum* etiam, ſecundo-genitum, rem ſacram feciſſe, & donum Deo pergratum obruliſſe, legimus. Ne multis immorer: quantum e Scripturis intelligere datum eſt, filii natu minores ſingularem gratiam apud Deum iniiſſe, & beneficia majora reportaſſe, videantur. Hinc anſa data [b] *Theodoriti* obſervationi, Ἐπισημαντέον δὲ ὅτι πανταχοῦ τῶν πρωτοτόκων οἱ μετ' αὐτοὺς προτιμῶνται, &c. *Animadvertendum eſt autem, paſſim primogenitis præferri natu poſteriores; etenim Caino præpoſitus eſt Abel, & Japheto* antepoſitus eſt *Sem, cum eſſet poſterior; & Iſmaeli* prælatus eſt *Iſaac, & Eſavo* prælatus eſt *Jacob, & Joſeph* antepoſitus eſt *Reubeni & Judæ, & Ephraim Manaſſæ*, &c. His addo, quod Moſes, altari extructo, miſiſſe fertur [c] *juvenes*, de *filiis Iſrael* indiſcriminatim ſumptos, qui *holocauſta offerrent, & pacifica Domino ſacrificarent*. Ibi quidem pro *Juvenibus*, Onkelos, Jonathan, Saadias Arabs, & Tawoſus Perſa, *primogenitos* poſuere. Sed temere dicitur quod nuſquam legitur. Si quid in ejuſmodi antiquitate concipienda conjecturæ concedendum ſit, dixerim, [d] *Juvenes* illos *e filiis Iſraelis*, nullo delectu habito, deſumptos fuiſſe, ut pro ea vice ſacrificandi munere fungerentur. Nam ſeculis antiquioribus ita comparatum fuiſſe cenſeo, ut homines media juventute florentes (utpote corporis robore & pulchritudine præcellentes) ad divinum & laborioſum ſacrificandi munus eligerentur. Hoc in *Jaſonis* ſacrificio religioſe obſervatum notat *Apollonius Rhodius*: poſtquam enim dixiſſet *Jaſonem* duobus bobus Apollinem propitiare ſtatuiſſe, [e] addit,

—— τὼ δ' ἐρύσαντο
Κουρότεροι ἑτάρων βωμοῦ σχεδόν. ——

—— *Quos* boves *duxerunt*
Ad aram juniores ſociorum, ——

Quæ verba ſic illuſtrat Scholiaſtes: Κουρότεροι] ἐπεὶ ἔθος ἦν νέους ὑπὸ Θεοῖς, καὶ οἱ τῶν ἑταίρων νεώτεροι τὰς θυσίας ἐπετέλουν· Καὶ Ὅμηρος ἐπὶ τῆς τῶν νέων θυσίας, Κοῦροι μὲν κρητῆρας ἐπεστέψαντο· Hinc lux *Virgilii* verbis, — *Tum lecti Juvenes certatim, araque ſacerdos viſcera toſta ferunt* taurorum. *Æn. 8. v. 179.* Veriſimile eſt itaque Moſem, ſacerdotio Aaronico nondum conſtituto, hunc ſeculi morem obſervaſſe, & ſelectiores juvenes tantum ejus cauſa ad officii ſacerdotalis exercitium evocaſſe. Manſit autem diu poſtea (quod obiter noto) moris illius antiquiſſimi veſtigium, in eo, quod nemini [f] licuit altari miniſtrare poſt annum quinquageſimum, cum nempe flos ætatis emarcuiſſet.

Secundo: hoc etiam argumento ſententiæ noſtræ fides labefactari poſſe videtur. Aaron nullum unquam zeli ſingularis exemplum adverſus cultum idolorum edidiſſe legitur. Imo vero tantum abfuit ut ille præter cæteros ab idolis abhorreret; quod Iſraelitis in vituli cultum præcipiti rabie ruituris, facile cederet, & eorum deſideriis ſtatim indulgeret. Ideoque fidei repugnat, Deum idololatriæ præcavendæ gratia, ſolum *Aaronem* & familiam ejus honore ſacerdotii dignatum fuiſſe.

Fatendum eſt quidem, Aaronem hac in re timori ſuo & importuno vulgi deſiderio nimis indulſiſſe. Si tamen Aaronis affectum & ingenium e variis pietatis ſuæ indiciis in Scriptura memoratis æſtimemus, par erit ut eum ſingulari in Deum zelo flagraſſe, & animo ab idolis quam maxime alieno fuiſſe, cenſeamus, adeoque Deum hac de cauſa Aaroni tantum & illius familiæ Pontificatus honorem, & honorificam ſacrificandi licentiam concrediidiſſe. Mecum hic ſuffragatur [g] *Joſephus*, qui dicit Deum *Moſi præcepiſſe, ut ſacerdotium Aaroni fratri ſuo daret*, ὡς ἀνδρεῖον δὲ διὰ τὴν ἀρετὴν δικαιότερον τυχεῖν *utpote ea virtute prædito, ut merito, præ cæteris ejus habenda ratio videretur.*

a *Geneſ.* 4. 3. 4. b *Quæſt.* in *Geneſ.* 109. c *Exod.* 24. 5. d Νεανίσκους τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ. LXX in loc. e *Argonautic.* lib. 1. verſ. 407. f *Num.* 8. 25. g *Antiq. Judaic.* l. 3. c. 8. p. 116.

SECT.

S E C T. III.

Sect. III.

De temporibus quibus adſtricta ſunt Hebræorum ſacra.

ERANT Judæis non tantum loci & perſonæ, ſed & tempora quædam ſacris uſibus peculiariter deſtinata. Ea vero omnia ad ſiſtendum idololatriæ curſum vim magnam habuiſſe, vel inde cognoſcatur, quod veteres idololatræ toto niſu id egerint, ut Judæos ab eorum obſervatione cohiberent. De profano illo, *Danielis 7.* memorato, prædictum legimus, *quod putabit ſe poſſe mutare tempora*, h. e. explicante [a] Grotio, *ſperabit ſe in perpetuum abolere poſſe ſabbata*, *paſchata*, *pentecoſtas*, Σκηνοπηγίας, *dies propitiationis*, *novilunia*. Hanc prophetiam in Antiocho complementum habuiſſe, teſtatur hiſtoria [b] Machabaica, qua Rex ille præcepiſſe dicitur, *ut profanarent ſabbata & dies feſtos.* Quum autem tempora illa ſacratiora varii generis eſſent, nec una eademque ratione fini quem dixi promovendo deſervirent, ut ſermo noſter diſtinctus evadat & captu facilis, quæ de temporibus illis ſolennibus dicturi ſumus, in quatuor haſce *Theſes* compingemus. De temporibus ſacris 4. theſes.

PRIMA ſit hæc: *tempora ſacra a lunæ motu pendentia, ad idololatriam abolendam plurimum valuere.* Pleræque Judæorum ſolennitates, novilunia ſcilicet, paſcha, feſtum tabernaculorum, & novi anni initia, a lunæ motu pependerunt. Nam Judæi novilunia ſua, & anni redeuntis initia, luna naſcente celebrarunt; paſcha vero & feſtum tabernaculorum 14°. & 16°. menſis die, cum nempe luna pleno orbe effulgeret. Huc forſan ſpectat Pſalmiſtæ illud, [c] *fecit lunam* למועדים *εἰς καιρούς*, *vel ſtatas ſolennitates.* Hujuſmodi vero ſtatæ ſolennitates idololatriæ paſſim graſſanti viam obſtruebant, quatenus officiis ſacris deſtinatæ eſſent, & Iſraelitas occupatos detinerent, quo minus Gentilium ſacris & feſtis, in novilunio vel plenilunio plurimum celebratis, intereſſe vellent aut poſſent. Veteres idololatras novilunia ſua religioſa ſolennitate plurimum excepiſſe, multis argumentis evinci poſſet, niſi quod hac de re alibi ſe dabit magis opportunus dicendi locus. Nec eorum plenilunia religione ſua caruiſſe, conjicere licet e Beroſi Chaldæi teſtimonio quod a temporis injuria ſervavit [d] Athenæus: Βήρωσος, ait ille, ἐν [τῷ] πρώτῳ Βαβυλωνιακῶν, τῷ Λώῳ μηνὶ ἑκκαιδεκάτῃ, φησὶ ἄγεσθαι ἑορτὴν Σακέας προσαγορευομένην ἐν Βαβυλῶνι ἐπὶ ἡμέρας πέντε h. e. *Beroſus in primo Babylonicorum refert, decimo ſexto die menſis Loi feſtum* [f] Sacean *dictum Babylone dies quinque celebrari.* [e] Meurſius etiam de Theſmophoriis (feſtis in Cereris honorem inſtitutis) agens, e collatis veterum teſtimoniis colligit, *initium ſacrorum celebrandorum in decimum quartum menſis* Pyanepſionis, *finem in decimum octavum incidiſſe* Cum itaque Deus menſis & anni cujuſvis initium ſacrum eſſe, & feſta ſua celebriora ſub menſem medium obſervari juſſerit, obſtaculum objecit idololatriæ: nam hac ratione Judæorum animos officiis religioſis in ipſius honorem præſtandis diſtrictos tenuit, eoſque a curandis ethnicorum ſacris feſtisve, in lunæ forſan honorem ſub ea tempora celebrari ſolitis, avocavit. Prima.

SECUNDO: *ſabbata Judæorum omnia* vel *tempora ſolennia numero ſeptenario definita, ad idololatriam extirpandam erant apprime accommodata.* Nempe, ſabbatum dierum, vel ſeptimus quiſque dies otio ſacro dedicandus: ſabbatum ſeptimanarum, aut feſtum pentecoſtes poſt ſeptem a paſchate ſeptimanas obſervandum: ſabbatum menſium, vel tempora feſtis & jejuniis religioſis menſe quovis ſeptimo conſecranda: ſabbatum annorum, vel otium terræ judaicæ (quaſi ſex annorum laboribus fatigatæ) anno quovis ſeptimo concedendum: & ſabbatum ſabbatorum omnium, vel annus ſepties ſeptimus, qui ſervorum humeros oneri ſubduxit, iiſque plenam a laboribus immunitatem attulit. Hæc autem tempora ſolennia, per numerum ſeptenarium digeſta & diſtributa, plurimum ad idololatriam fugandam virtutis habuere, quatenus creationis imaginem quandam Ju- Secunda.

a *Not. in Dan.* 7. 25. b L. 1. c. 1. ver. 48. c *Pſal.* 104. 19. d *Deipnoſophiſt.* L. 14. p. 639. C.
e *Græc. Feriat.* L. 4. p. 161.

f Vid. *Iſ. Caſaubon.* in locum, col. 909. ubi legimus, in *Heſychii gloſſis Sacæa dicitur fuiſſe Scytharum quoddam feſtum: & Scythæ ipſi nominantur* Sacæ. *Sed Babylonio potius Beroſo credamus qui ſolemnitatem* Sacæan *vel* Sacæorum *ſuis popularibus aſſerit.* ——— *videtur verum nomen hujus Babyloniorum feſti fuiſſe* Seſacæa, *quod more ſuo Græci corruperunt decurtaruntque: nam apud Jeremiam Prophetam duobus locis Babylon dominatur* ששך Seſac. ——— vid. cap. 25. 26. & 51. 41. *Alii*, inquit Grotius in *Jer.* 25. 26. *malunt hoc nomen repetita litera prima derivare a* שך *Sach, quod nomen alicui Deorum Babylonis ob quam is qui Hebraice vocabatur* מישאל Miſael *dictus eſt Babylonice* Miſach, *Daniel.* 1. 7.

Sect. III.

dæis exhiberent; & opus illud egregium ipſis pene oculis & auribus eorum toties ingererent, quod fieri vix potuit ut unquam oblivioni traderetur. Cum enim Deus mundi compagem conderet, ſex dies operi, ſeptimum quieti, dedit: ideoque ſabbatum ordinarium (utpote dies, poſt ſex dies laboris, otio dicandus) umbram quandam & [illegible] creationis geſſit; prout & ſabbata extraordinaria, quæ poſt ſextam temporis longioris partem labori tributam, terræ, ſervis, aut toti Judæorum genti, quietem attulerunt. Cum autem ſabbata toties repetita creationis modum & formam exprimerent, & operis illius memoriam ſæpe redintegrarent; vix poſſibile fuit, ut Judæi creaturas ullas in partem cultus creatori debiti vocarent, aut ſolem, lunam, & exercitum cœli haud ita pridem creata, Deorum vice colerent. Si creationis opus memori mente tenerent, fieri non potuit, ut creaturis una cum creatore cultum exhiberent; &, ſi ſabbata colerent, non minus impoſſibile fuit, ut creationis obliviſcerentur. Jam dicta cauſam ſuggerunt, cur Deus, ætate creationem & diluvium ſequente, ſabbatum non inſtituerit; quod ſcilicet ætate illa crimen idololatriæ non vigeret, & homines, propter recentem creationis & diluvii memoriam, unum Deum mundi creatorem colerent, nec opus haberent ſabbato quod creationis memoriam inſtauraret.

Tertio. Tertio: *veriſimile eſt Deum menſem Tiſri (civilis anni caput & exordium) idololatria præcavendæ cauſa ſacris ſolennitatibus impleviſſe.* Nam Judæi [a] primum menſis illius diem, feſto tubarum clangore, ſacrificiis, conventu ſolenni, & animo ad hilaritatem ſoluto, celebrare tenebantur. [b] Lex etiam præcepit, ut die decimo feſtum expiationis, ſolenni jejunio, oblationibus, aliiſque ceremooiis ageretur. [c] Decimo quinto, tabernaculorum ſolennitas indicebatur, cujus multiplices ceremoniæ non parum negotii per octiduum Judæis afferebant. Deus autem ideo menſem *Tiſri* tot ſacris ceremoniis celebrem feciſſe videtur, ne Iſraelitæ, utpote ſacris negotiis detenti, Gentilium ceremoniis vacarent, aut Zabii & Ægyptii veteres menſem aliquem magis ſancte agere, vel annum melioribus auſpiciis inchoare, quam ipſi filii Jehovæ viderentur. Huic opinioni ſpeciem aliquam conciliat veterum Zabiorum conſuetudo, qui menſem illum a quo annum auſpicabantur, feſtis, jejuniis, & ſacrificiis, pene totum dicarunt, & eoſdem menſis dies quos ipſi Judæi, nec religione protſus abſimili, coluerunt. Nam Zabii die primo & ſecundo feriati ſunt, die [d] octavo jejunium indixerunt, & decimo quinto *vocavit* in [i] *Sammaelis* honorem inſtituta eſt. Hoc e fide ſcriptoris Arabici (ab [e] *Hottingero* non ſemel citati) refero qui Zabiorum recentiorum uſus, a majoribus eorum ſine dubio propagatos, memoriæ conſignavit. Nec facile dubitandum eſt, quin & Ægyptii menſem Tiſri religioſius obſervarent, cum a Septembri vel Tiſri annum ſuum inchoarent, & ſub id temporis actiones annuas ad culturam [Nilo tum regreſſo, & ſolo ſiccato,] redintegrarent. Ad hæc: cum ratione pugnat, Deum, tot ſolennitatibus religioſis in menſem unum congeſtis, Iſraelitas a vitæ communis officiis & curis detinere voluiſſe, niſi ſeculi mores inſtitutioni illi (pene dixeram, importunæ) cauſam aliquam præbuiſſent.

Quarto. Quarto: *probabile eſt certa illa ſacrificii jugis offerendi tempora, moris idololatrici abolendi cauſa inſtituta fuiſſe.* Ut hæc aſſertio ſaltem ſpecioſa videatur, de ſacrificii jugis offerendi tempore hoc in anteceſſum lectorem moneo: nempe Judæos agnum matutinum poſt horam ſecundam, ſeptimam ooſtram: & agoum veſpertinum ſub [f] horam nonam, tertiæ noſtræ reſpondentem, obtuliſſe. Tempus illud quo agnum veſpertinum offerebant, e verbis Maimonidis de Paſchate loquentis, magis diſtincte colligatur; [g] *non mactatur* paſcha *niſi poſt ſacrificium juge, quod inter duas veſperas* offerri debet, *poſt ſuffimenti oblationem.* Adeo ut res ſit extra litem poſita. Judæos ſacrificii jugis offerendi munus, nec ante ſolis ortum, nec poſt ſolis occaſum præſtitiſſe. Atque hæc ſacri diurni faciendi tempora tam ſancte obſervarunt, quod axiomatis vicem tenerent, *ſi præteriit tempus, præteriit ſacrificium.* Ideo vero (ſi bene conjicio) tam ſedulo curatum eſt, ut Judæorum ſacra quotidiana (prout & reliqua omnia) ſole quaſi intuenre peragerentur; ut clare conſtaret, eos nocturna Gentium ſacra, in mortuorum honorem fieri ſolita, penitus repudiare, nec religionem ſuam quicquam commune

a *Num.* 29. v. 1. b V. 7. c V. 12. d *Sic forſan pro decimo legitur, e ſcribæ vel auctoris lapſu.* e *Hiſt. Orient.* l. 1. c. 8. p. 177. f [Ieρὸν] [illegible] *Joſeph. Antiq.* l. 14. c. 4. pag. 614. 15. g *Tract. de Paſchat.* c. 5. §. 4.

i Apud *Talmudicos* frequens eſt mentio *Sammaelis* qui vocatur *angelus mortis, princeps aeris, & ſerpens antiquus,* qui *Evam ſeduxit.* Hinc *Targum Jonathan.* in *Gen.* 3. 6. [illegible] *Sammael* & *Satan* idem volunt apud *Midraſch.* ubi legitur, *Sammaelem* *inequitaſſe ſerpenti antiquo, & ſeduxiſſe Evam.* qui plura vult, legat *Maimonid. Mor. Neb. Part.* 2. *cap.* 30. & *Buxtorf. Lexic. Chald. Rab. Talmud.* in voc. סמאל *col.* 1495.

cum

cum Diis inferis, aut ceremoniis eorom cultui propriis, retinere. Eorùm enim myſteria *lucifuga* plurimum fuiſſe, & *principis tenebrarum* imaginem geſſiſſe, e plurimis veterum teſtimoniis innoteſcat. In re tam teſtata & cuivis cognita, ſufficiat uoum *Pauſaniam* teſtem advocare, qui de Diis Inferis, quos *Milichios* vocant, verba faciens, Νυκτεριναὶ [a] inquit, αἱ θυσίαι Θεοῖς τοῖς Μειλιχίοις εἰσὶ, &c. His *nocturna fiunt ſacra*, in quibus *ante Solis exortum carnes* victimarum *abſumere, eodem ipſo in loco ſoleune habent*. Ex adverſo, Judæi ſacra facturi in ſolem diemque prodiere, ut eo longius ab idololatriæ ſuſpicione abeſſent, & ipſum ſacrificii ſui tempus indicio eſſet, ſe *patrem luminum* ſolummodo venerari.

E ſupra dictis abunde liquet, Legem, ſacrorum peractionem ad certos locos, perſonas, & tempora aſtrinxiſſe, & hac ratione gentium moribus aditus omnes occluſiſſe. Id etiam Jeroboamus argumento nimis aperto docuit, quod, ſacra facturus, nec *locis*, nec *perſonis*, nec *temporibus* Lege præſcriptis, ſe alligari pateretur. Nou *locis* quidem, quod [b] populi animos a ſacris Hieroſolymæ præſtandis averterit, & munia religioſa coram vitulis ejus obiri juſſerit: non [c] *perſonis*, quod *ſacerdotes inſtituerit* מקצות העם *e populi extremis* aut *infimis, qui non eraut ex* tribu *Levi*: neque etiam [d] *temporibus*, nam ſolenniter *obtulit ſuper altari quod fecerat in Bethel, decimo quinto die in octavo menſe quem commentus erat in corde ſuo*. Quid autem Jeroboamus hæc omnia, contra inſtituta moreſque ſacrorum, faceret, niſi quod in mores ethnicorum nimis propenderet, quibus introitus omnis hac ſacrorum reſtrictioue præcludebatur?

CAP. IX.

Legem idolis obſtaculo fuiſſe, feſtivitates generis varii (ſeptiduanas, menſtruas, annuas) iudicendo.

LEGEM ritualem varii generis feſta (ſeptiduana, menſtrua, anoua) Judæis indixiſſe, nullus in ſcriptura vel mediocriter verſatus ignorare poteſt.

FESTA ſeptiduana (i. e. ſabbata, quavis hebdomade celebranda) ad idololatriam extermioandam plorimum valuiſſe, tam clare probatum eſt alibi, ut nil opus ſit buic argumento diutius immorari.

FESTORUM menſtroorum nomine neomeniæ ſunt intelligendæ, quas etiam Deus ea præcipue de cauſa ſancivit, ut ritus idololatricos io noviluoiis uſitatos e regiouibus Hebræorum eliminaret. Hoc etiam argumentis bene multis evinci poſſet: ea vero in locum magis opportunum rejicienda cenſui.

FESTORUM annuorum nomine cenſeri velim illa celebrioris notæ feſta, quovis anno colenda, paſcha, peotecoſten, & feſtum tabernaculorum, ſimul in [e] Lege quaodoque memorata. *Paſcha* feſtum erat ioeunte vere celebrandum, ut Ægyptiacæ redemptionis imaginem exhiberet, eaque gentis Iſraeliticæ mentibus nuoquam elaberetur. *Pentecoſte* ſolennitas erat quotannis obſervaoda, præcipue ut tempus Legis in Sinai promulgatæ frequenter occurrens, Hebræorum animis altius inhæreret. Deos feſtum taberuaculorum agi voluit, ut illius ritus, obſervationis in deſerto per anoos quadraginta, & habitatioois in tentoriis, memoriam refricarent, & Iſraelitas ad ſenſum beneficiorum eo tempore divinitus acceptorum excitarent.

DE feſtis ſupra memoratis, hoc ordine ſervato jam diſſerendum eſt.

DOCENOUM eſt primo, feſtum paſchatis ad idololatriam præcavendam egregie accommodatum fuiſſe.

SECUNOO: feſtum pentecoſtes ad ſcopum eundem collimaſſe, & uſum eundem præbuiſſe.

PROBANOUM eſt tertio, feſtum etiam tabernaculorum fini & uſui jam dicto miniſtraſſe.

DICENOUM eſt quarto de primitiarum oblatione, feſto cuique ſubjuncta, & illius inſtituti cauſa.

a *In Phocic.* lib. 10. p. 897. b 1 *Reg.* 12. v. 28, 29. c V. 31. d V. 33. e *Exod.* 23. 14, 15, 16. *Deut.* 16, 16. *Ex.* 34, 22.

Sect. I.

SECT. I.

Multis oſtenditur, paſcha feſtum fuiſſe ad idololatriam abolendam inſtitutum.

Feſti Paſchatis duplex finis:

UT lector inoffenſo pede progrediatur, in primo ſermonis mei limine duplicem hujuſce feſti finem (proximum ſcilicet & ultimum aut remotum) aſſignandum duxi. Proximus is erat, ut Iſraelitæ, ſolennitatem paſchalem celebrantes, redemptionis ſuæ ex Ægypro memoriam recolerent; &, tanti beneficii ſenſu racti, nullum animi grati teſtimonium prætermitterent. Feſti hujus finis ultimus erat, ut (redemptionis illios memoriam repetens) Iſraelitas Deo, ranti beneficii auctori, arcte devincirer, eoſque ad idola moreſque gentium ruitoros, cohiberet, & intra limites officii contineret. Feſtum paſchale fini utrique miniſtraſſe, & utroque reſpectu ad idololatriam abolendam accommodatum fuiſſe, ſatis e ſequentibus eluceat argumentis.

In memoriam redemtionis ab Ægypti idololatria:

Horum primum ſit hoc: ſeſtum paſchatis non minus in memoriam redemptionis ab Ægypti idololatria quam ſervitute fuit inſtitutum. Hoc equidem in Scriptura nuſquam expreſſe dicitur; inde tamen opera non difficili colligatur. Nam.

(1°.) Deus Iſraelitis ex Ægypto propediem abituris, hoc in mandatis dedit [a] *ne* ſcil. *idolis Ægypti ſeipſos contaminarent*. Cum enim in Ægypto viverent, ea fuit eorum inſelix conditio, ut manus a lateribus Ægypti puras conſervari non facile pateretur; difficultatis tamen haud magnæ res erat, eorum animas ab idolis Ægypti puras & immaculatas cuſtodire. Poſtquam autem Dei mandarum poſt rerga rejeciſſenr, & pollutionem ab idolis Ægypti contraxiſſent; conſentaneum eſt opinari, Deum Iſraelitas a Dæmonis ac Pharaonis tyrannide una liberaſſe; Deum etiam, utriuſque beneficii collati memoriam in paſchate celebrari voluiſſe.

(2°.) Deus, in ipſa nocte paſchatis, [b] *judicium in Ægypti Deos omnes*, æque ac Ægypti *primogenitos, exercuiſſe* dicitur: ea nempe, nocte, Dei judicio, ruinam fecerunt Ægypti templa; idola ceciderunt, Deorum ſymbola (boves, arietes, & alia, *ſacra animalia*) neci tradebantur: Diis interim Ægyptiis, ad injurias & ritus eorum vindicandas, nulla poteſtas relicta videbatur. Hæc omnia fide digniora putentur, quod e Scriptura conſtet, Deum olim genti graviter delinquenti vix unquam pœnas acerbiores irrogaſſe, quin Deorum etiam gentis illius maleficia quam acerrime vindicaverit. Cum enim Deus in [c] Babylonios, [d] Philiſthæos, [e] Aſſyrios, [f] Ægyptios, alios, pœnas inflixerit ſeveriores; eum in gentium earum Deos ſemper acerbius aliquid ſtatuiſſe legimus. Cum itaque in Ægyptios antiquos, eorum etiam Deos, in primi paſchatis nocte, ſeverius animadverſum eſſet; neceſſe fuir ut nox ea ſolennis, in orbem rediens, pœnas in Ægyptios & ipſorum Deos in memoriam revocaret, & inde pro certo ſcirent Iſraelitæ, Ægyptios & eorum Deos Jehovæ pariter ingratos & odioſos extitiſſe.

(3°.) Redemtio ex Ægypto (quæ in paſchatis feſto memorari debuit) non populi rantum Iſraelitici, ſed Dei cultuſque ſui gratia peragebatur. Nam, ut ſermo meus paulo altius ordiatur, ea tempeſtate qua Deus conſilium ejus de Iſraelitis ex Ægypto liberandis Moſi patefecit, totus pene mundus in ethniciſmum degeneraverat; & ſpei vix rima ſupererat, Deum verum cultores iterum habiturum. Ægyptus eo ſæculo non tantum [g] κατείδωλος erat, ſed Iſraelitas eorum idolis æqoe ac imperiis ſervos detinebat; adeo ur iis *gentis ſanctæ* & *ſacerdotii regii* nomen tantum & umbra ſupereſſet. Cum itaque res in locum tam triſtem rediiſſer; Deus id egit, ur populum Iſraeliticum, non a Pharaonis, ſed etiam Diaboli, tyrannide liberaret, & e ſtipitibus illis liberos ſibi ipſi & Abrahamo ſuſcitaret. Hoc autem beneficium in prima redemtionis Ægyptiacæ parte recenſendum eſſe, non ratio tantum ſed ſcriprura docear: [h] *quanam* eſt inquit, *ut populus tuus Iſrael, gens in terra*, propter *quam ivit Deus ut redimeret* eam *ſibi in populum, & poneret ſibi nomen faceretque* eis *magnalia & horribilia ſuper terram -- a facie populi ſui, quem redemiſti ibi ex Ægypto, Gentibus, & Diis eorum: firmaſti enim tibi populum tuum Iſrael -- in populum ſempiternum: & tu, Domine* Deus, *factus es iis in Deum.* Cum itaque redemptio ab Ægypti & gentium aliarum idolis, pars non poſtrema fuerit beneficii in paſchate recolendi; inde non difficulter intelligitur, Iſraelitas (pietate ſaltem & ſcientia clariores) hanc partem inprimis, in feſtivitate paſchatis, ob oculos habuiſſe, eamque mentibus eorum altius inſediſſe.

a *Exod.* 20. 7, 8. b *Ex.* 12. 12. *Num.* 33. 4. c *Jer.* 50. 2, 3. d 1 *Sam.* 6. 5. e *Dan.* 11. 8. f *Jeſ.* 19. 1, 2, 3. *Exec.* 30. 12, 13. *Jer.* 43. 12, 13. g *Act.* 17. 16. h 2 *Sam.* 7. 23, 24.

(4°.) Pas-

Sect. I.

(4°.) Pascha feſtum erat, cujus ritus & inſtituta pleraque moribus & idolis Ægyptiis ἐκ διαμέτρου adverſabantur. Hoc multis inſtantiis extra dubium ponetur, *Lib.* 2. ubi ſermo de paſchatis inſtitutis, & eorum antitheſi moribus & idolis Ægyptiis opportunius inſtituetur. Cum autem naſi ſaltem acutioris Iſraelitæ id facile perſentirent, fieri non potuit, quin liberationis ſuæ ab idolis Ægyptiis ſenſum vividum retinerent, ejuſque memoriam in feriis paſchalibus, non minus quam immunitatem a jugo Pharaonis, læti celebrarent. Hoc eo facilius eſt creditu, quod iis ſolis feſtum paſchatis adeundi & participandi licentia concederetur, qui [a] *ſeipſos a gentium abominationibus ſeparaverant:* adeo ut apertum ſit, idola gentium, & paſchatis ritus, ἀσύστατα fuiſſe; & non magis quam *Arcam* & *Dagonem* conſiſtere potuiſſe.

Et benefic. in populum collati.

Secundo: feſtum paſchale monimentnm erat beneficii in populum collati, poſt natos homines maximi; adeoque magnum ad idololatriam abdicandam, & Deo uni cultum exhibendum, argumentom continebat. Nam ut rem longam breviter expediam, cum Iſraelitæ io Ægypto verſarentur, inter ſtipulas & lateres laborare, & onera non minus infra dignitatem ſuam ſubſidentia, quam vires eorum ſuperantia ſubire cogebantur. Deus interim, qua erat immenſa miſericordia, dolendam populi ſortem miſertus, eos longa miraculorum ſerie ab Ægypti tyrannide liberavit, Pharaonis triſte jugum eorum cervicibus excuſſit, eoſque tandem in libertarem gentis ſanctæ digoitati conſentaneam viodicavit. Libertatis autem hujuſce beneficio, populus Iſraeliticus ad cultum ſoli Jehovæ (liberatori ſuo) tribuendum tam arcte tenebantur, ut non liceret iis a Dei lege cultuque deficere, vel beneficium tam egregium oblivioni dare. Utcunque, ne ſomnolentos Hebræorum animos miraculi tam inſignis oblivio lapſu temporis occuparet, (quod etiam eveniſſe [b] dicitur) curatum eſt, ut ritus paſchales, ſervitutis Iſraeliticæ ſimul & liberationis imagines quaſdam exhiberent, quæ utriuſque memoriam ſæpe renovarent, & populum illum ad gratitudinem exprimendam, Deoque fideliter adhærendum ſtimularent. Quantum autem ritus paſchales quotannis celebrati valuerunt ad idololatriam exterminandam, inde licet intelligere; quod populo in idololatriam inclinante, ritus illi contemptui habiti ſint, & raro vel nunquam obſervati: cum autem [c] Reges pii præfecturam gererent, & animos appellerent ad Dei legem, cultumque promovendom; nil prius habuerunt, quam ut feſtum paſchatis inſtaurarent, & totam geotem ad ritus paſchales obſervandos allicerent & excitarent.

Memoria redemtionis illius, argumentum contra ſuperſtitionem Ægypti.

Tertio: ipſa redemtio ex Ægypto, paſchatis feſto recolenda, contra ſuperſtitionem Ægypti clara præbebat argumenta. Nam primo: redemtio illa luculenter indicavit, Deum illum, cui beneficium illud acceptum debuerunt Iſraelitæ, Deos Ægyptios virtute & robore longe ſuperare; cum Iſraelitæ, Diis illis invitis & reluctantibus, ex Ægypto in Deſertum ad ſacra in Dei ſui honorem præſtanda, educerentur. Deiode: ætate Moſis, Ægyptus religionis & ſapientiæ, non minus quam Athenæ poſtea philoſophiæ, fama claruiſſe dicitur: nihil itaque magis in Ægypti & ſapientiæ Ægyptiacæ contemptum & opprobrium cedere potuit, quam eductio ex Ægypto, manu tam forti præſtita, cum Ægyptus eo ſeculo ſapientiæ ſchola tam illuſtris haberetur. Præterea: [d] lege lata cautum eſt, ne populus Iſraelis, Ægypto liberatus, iterum in Ægyptum reverteretur; ut vel inde conſtaret, Deum eo conſilio Judæos Ægypto liberaſſe, ne peſtis Ægyptia, idololatria, mentes eorum inficeret, & ne quid veteris fermenti populi moribus adhæreret.

Ritus & ceremoniæ paſchatis eidem uſui inſerviebant.

Quarto: ipſi ritus & ceremoniæ paſchatis anſam opinandi ſatis amplam præbent, Moſem feſtum illud ad idololatriam Ægyptiam funditus eradicandam, & Dei veri cultum promovendum, inſtituiſſe. Nam,

(1°.) Agnus ille maſculus aut hœdus in ſolennitate paſchatis offerendus, indicio fuit, Deum feſtum illud ad Ægypti præcipue ſuperſtitionem ſugillandam & abolendam indixiſſe. Nam Ægypti ſuperſtitionem circa aves & hœdos inprimis occupatam fuiſſe, ſatis aperte docent [e] Satyriſtæ verba:

—— Lanatis animalibus abſtinet omnis
Menſa: nefas illic fœtum jugulare capellæ.

Sufficiat in præſens boc argumentum extremo digito tetigiſſe, quod [f] alibi plena quaſi manu & conſilio deſtinato tractaturus ſum.

(2°.) [g] Masculi omnes e genere Judaico, cum paſchatis feſtum agitarent, eo in

a 3 *Eſdr.* 7. 13. b *Pſal.* 78. 10, 11, 42, 43. & 106. 7, 13, 21. c 2 *Paral.* 30. 5, 10. 11. & 35. 17, 18. *Ezr.* 6. 19. 20. d *Deut.* 17. 16. e *Juvenal. Satyr.* 15. v. 11. f V. Lib. 2. Cap. 4. g *Ex.* 23. 17. *Deut.* 16. 2.

Sect. II.

Secundo: finis hujus feſti maxime generalis, aſſertionis meæ fidem & veritatem confirmat. Finis enim feſtorum maxime generalis is erat, ut Iſraelitæ, feſto vacantes otio, memoriam redemtionis ex Ægypto ſæpe redintegrarent, & ſeipſos ad gratitudinem religioſam exprimendam frequenti recordatione ſtimularent. Huic enim fini feſta pleraque ſerviebant: feſtum ſabbati vel ſeptiduanum huic uſui miniſtraſſe, ſatis e Deuteronomii quinto diſcitur: [a] *memento quod ipſe ſervieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti & brachio extento: idcirco præcepit tibi.. ut obſervares diem ſabbati*: feſtum paſchatis ad uſum eundem deſtinatum fuiſſe, patet etiam e Deuteronomii verbis: [b] *immolabis paſcha Domino Deo tuo, de ovibus & de bobus, in loco quem elegerit Dominus* Deus tuus.-- *Non comedes in eo* panem *fermentatum*, —— *ut memineris diei egreſſionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ.* Deinde feſtum etiam tabernaculorum ad ejuſdem beneficii memoriam refricandam inſtituiſſe, e Levitici verbis intellectum eſt; [c] *omnis qui de genere eſt Iſraelis, manebit in tabernaculis, ut diſcant poſteri veſtri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Iſrael, cum educerem eos de terra Ægypti.* Feſtum pentecoſtes ab eodem fine & ſcopo minime deflexiſſe, non ægre colligitur e verbis Legis, feſti hujuſce ritus inſtituentis: [d] *celebrabis diem feſtum hebdomadarum Domino Deo tuo*, —— & [1] *epulaberis coram Domino Deo tuo*, —— *in loco quem elegerit Dominus Deus tuus*, —— *& recordaberis quod ſervus fueris in Ægypto*, &c. Cum itaque feſtum pentecoſtes, æque ac reliqua feſta, liberationis ex Ægypto memoriam redintegraret, & huic uſui communi non minus quam reliqua feſta miniſtraret; inde promptum eſt intelligere, feſtum illud ad idololatriam exterminandam aptum fuiſſe & accommodatum. Nam fieri vix potuit, ut Iſraelitæ tam inſignis beneficii memoriam ſæpius in anno renovarent, ejuſque memoriam hilaritate feſtiva celebrarent; eo tamen ſtuporis devenirent ut Deo vero nuncium remitterent, & ad Deos moreſque peregrinos defectionem facerent.

Tertio: proximum argumentum ad ſententiam meam aſſerendam ab hujus feſti fine *ſpeciali* petitur. Hujus nempe feſti finis proximus & *ſpecialis*, is erat, ut Iſraelitæ legis cum tonitru & fulgure promulgatæ, quinquageſima luce a primo paſchate ritu feſtivo celebrata recordarentur; legem eam recenti memoria retinerent, illam ſanctius obſervarent; & pro ea ſummo legiſlatori gratias immortales agerent. Hinc anſa data illis [e] S. *Hieronymi*: dedicatio Legis eſt pentecoſte. Ut autem hæc omnia certius evenirent, ſapienter inſtitutum eſt, ut, recurrente legis datæ tempore, hoc magnæ ſolennitatis feſtum ageretur. Nam obſervante [f] Maiero, *cum memoria hominum adeo labilis, ac mens ita imbecilla ſit, ut, niſi objecto quodam in ſenſus incurrente ſæpe moveatur, facile præteritorum aut non viſibilium oblivione ducatur; hinc in arduis & magnis rebus nunquam ex animo deponendis, a ſapientiſſimis viris, tam inter ethnicos quam Iſraelitas*, -- *ſenſibilia quædam ſolennia* ſunt *inſtituta, quorum conſideratione ad eorum, quæ antecta* vel *celebrata* ſunt, *vel alias arcana habentur*, -- *recordationem quilibet non ignavus excitetur, ut Deo Opt. M. a quo uno omnia bona perfecta deſcendunt, pro ſuis donis ſempiternas agat gratias.* Cum itaque Deus præcepiſſet, ut Iſraelitæ diem Legis promulgatæ hilarem & feſtum quotannis agerent, atque adeo curaſſet, ne tantæ rei memoria lapſu temporis intercideret; cuivis rem hanc vel limis oculis intuenti pateat, hoc feſtum idololatriæ quam maxime obſtitiſſe: nam fieri vix potuit, ut ibi locum inveniret idolorum cultus, ubi legis divinitus datæ fides & memoria hominum animis fixa remaneret.

Quarto: feſtum pentecoſtes idololatriæ non leviter obſtitiſſe, hinc etiam oſtendi poteſt, quod ethnici feſtis Hebræorum omnibus ſeipſos oppoſuerint, eaque occaſione quavis oblata prohibuerint. Cum enim Babylonii rerum in Judæa potirentur, eorum nequitia factum eſt, ut [g] *ſabbata & feſta oblivioni traderentur in Zione.* Cum etiam rerum ſumma rediit ad Regem illum ethnicum a Daniele prænunciatum, *Cap.* 7. 25. animum ejus *ad leges & tempora*, i. e. מועדים tempora ſtatuta, ſabbata ſcilicet & feſta annua, *mutanda* appuliſſe dicitur. Hæc autem prophetia in Antiocho complementum accepiſſe videtur, quo procurante Judæorum [h] *feſta in luctum, & ſabbata in opprobrium*, vertebantur; cujus etiam decreto ſancitum eſt, ut eorum *ſabbata & dies feſtiva polluerentur.* Eodem ſpectant alia loca, in ſcriptis [i] Apocryphi obvia, quæ a lectore cui vacat conſulantur. At veri ne ſpeciem quidem præ ſe fert, ethnicos feſtis

a *Deut.* 5. 15. b Cap. 16. 2, 3. c Cap. 23. 42, 43. & vid. *Hoſ.* 12. 9. d *Deut.* 16. 10, 11, 12. e Ad *Fabiol.* de 42. *Manſ.* T. 2. col. 593. f *Hieroglyph. Ægypt.* l. 4. p. 164. g *Lament.* 2. 6. h 1 *Mac.* 1. 39, 45. i 1 *Mac.* 10. 34. & 2 *Mac.* 6. 6.

1 Ita *verſio Vulg. Hebr.* autem *lætaberis.*

SECT. III. hiſce Judaicis ſe tam adverſoa oſtendere voluiſſe, niſi quod pro certo ſcirent, feſtivitates illas ad idololatriam abolendam inſtitutas fuiſſe, eaſque cum ſacris aut feſtis ethnicis nihil omnino cognationis habuiſſe.

Quinto: hinc etiam ſententia mea ſtabilior evadat, quod [a] maſculi omnes, in feſto pentecoſtes, templum adire, & eoram Jehova ſe præſentes ſiſtere teoerentur. Ideo vero conſtitutum eſt, ut geos integra (quæ in maribus eontioeri [b] cenſebatur) in Dei templo ſæpe comparerent, ut eo ipſo teſtatum facerent, ſe Dei famulos eſſe, Dei ſacris animos addicere, & ſeipſos non minus ab idolis, quam idolorum templis elongare. Deinde: frequens ille tranſitus ad Hieroſolymam Iſraelitas a gentium moribus ſenſim ablactavit, eos ad frequens commercium cum piis Hebræis exercendum aſſuefecit, & in eauſa fuit ut Dei veri ſacris frequentea intereſſent, eumque tandem diſcernere & revereri [c] diſcerent.

Sexto: feſtum pentecoſtes eodem ſacro charactere a feſtis ethnicorum idololatricis, quo & alia omnia Judæorum feſta diſcernebatur, & Deo vero ſeponebatur. Prout enim feſta quævis alia, per numerum ſeptenarium, tanquam ſacrum quendam characterem; ſic & feſtum pentecoſtes per eundem numerum & characterem, Deo vero ſepoſitum & ſeparatum cenſebatur. Nam feſtum ſabbaticum die ſeptimo coli debuit in honorem ſummi rerum conditoris, qui die ſeptimo ceſſavit, poſtquam ſex dies operi creationis impendiſſet. Feſtum paſchatis [d] bis ſeptimo die primi menſis, & ſeptem dierum ſpatio, celebrari debuir. Feſtum etiam pentecoſtes, poſt [e] ſeptem hebdomadas a paſchatis ſolennitate numerandas agebatur, unde & *feſtum hebdomadarum* dicebatur. Feſtum tabernaculorum menſe [f] ſeptimo, per ſeptem eiam dies agebatur; nec quiſquam numerum illum ſacrum, niſi pœnas legi violatæ daturus, ſupine præterire potuit. His addi poſſent, anous ſabbaticus, anno quoque ſeptimo, & annus Jubilæus, aono ſepties ſeptimo, ſolenniter obſervandus; unde conſtet Legem annos illoa, per numerum ſeptenarium menſuratos, io creatoris honnrem, & illiua memoriam ſæpe renovandam inſtituiſſe. Cum itaque Deus alia quæque Judæorum feſta numero ſeptenario tanquam ſacro charactere notare voluit, ut inde conſtaret, ea nihil cum feſtis ethnicis cogoationis habere, ſed Deum ea in creatoris ſolius honorem inſtituiſſe, ratio ſuadeat opinari, Deum feſtum etiam pentecoſtes, adjuncto numero ſeptenario, conſpicuum reddidiſſe, ut ſuum quaſi characterem gereret; & inde pateret, Deum illud ethnicorum ſeſtis prophania oppoſuiſſe, & in ipſius honorem & cultum celebrari voluiſſe.

SECT. III.

Feſtum Tabernaculorum uſum eundem prabuiſſe.

Feſtum tabernaculorum idololatriæ abolendæ inſerviebat.

FESTUM de quo jam ſermo faciendus eſt, nunc [g] ἑορτὴ τῶν σκηνῶν. alibi [h] ἑορτὴ τῆς σκηνοπηγίας, a Græcis interpretibus appellatur. Erat autem feſtum Hebræorum, nullo non gaudio & hilaritate celebratum, quo durante Judæi tentoria vel tabernacula [non domos] incolebant. Hujus autem feſti finis proximus erat, ut Hebræorum memoriæ, opus redemtionis ex Ægypto, & tempus illud quo Judæi tabernaculis, annos quadraginta in deſerto vagantes, utebantur, ſemper inhæreret. Ejuſdem feſti finis ultimus erat, ut eorum animos ab idolis avocaret, eoſque Deo, redemtori ſuo, legibuſque ſuis firmiter adjungeret & conciliaret. In hanc autem ſenteotiam ſequentibus adducor argumentis:

Nam primo: Deus io hujus feſti ſacrificiis, numeros illos, ſacroa & myſticos, (ſeptem & decem) ſic de induſtria commiſcuiſſe videtur, ut per eos, tanquam divinos characteres, a feſtis ethnicis quibuſcunque clare diſcerneretur. Ut enim feſtum tabernaculorum eo ſacratius haberetur, præcepit Deus, ut die feſti primo [i] Juvenci tredecim, ſecunda duodecim, tertia undecim, quarta decem, quinta novem, ſexta octo, ſeptima ſeptem, juvenei mactarentur. Inſtitutis hiſce recitandis poſtquam [k] *Calvinus* nonnihil immoratus fuiſſet, continuo addit: *diligenter inculcat* Moſes, *quibus in ſingulos dies victimis Deus ſibi litari velit. Cur autem tam inaqualis fuerit diſtributio, mihi non liquere fateor, & ignorantiam fateri praſtat, quamnimis ſubtiliter argutando in meros*

a *Ex.* 23. 17. b *Deut.* 31. 11. c *Deut.* 14. 23. d *Lev.* 23. 5, 8. e *Ib.* verſ. 15. 16.
f *Ib.* v. 34. g *Levit.* 23. 34. *Deut.* 16. 13. h verſ. 16. i V. *Numer.* 29. a verſ. 13. ad. v. 32.
k *Com. in Pent.* p. 260. *ſub fin.*

fumos

famos evaneſcere. Me quod attinet, in re tam perplexa & obſcūra, hoe ūnum probabiliter aſſerendum arbitror; id nempe curaſſe Moſem, ut ſeptem dierum ſpatio, eos juvencorum (quos dixi) numeros immolarent, qui ſimul ſumti, numerum ſeptuagenarium adimplerent. Ille vero numerus [a] ſeptuagenarius nihil aliud eſt quam ſeptem per decem, vel decem per ſeptem multiplicatus; cum numerus ſeptuagenarius ſacros illos & legis uſu maxime tritos numeros (nempe ſeptem & decem) plusquam ullus alius numerus, in ſeipſo eomplectatur. Moſem hac de cauſa eos quos dixi juvencorum numeros offerri præcepiſſe, non tantum ſumma rei probabilitas extra dubium ſtatuit, ſed etiam numerorum quos dixi ſeries: nam non tantum in numero ſeptenario deſinunt, ſed a numero decimo tertio ordiuntur; ut ſcilieet numerum ſeptuagenarium conficerent, in numeros illos myſticos (ſeptem & decem) tam facile reſolvendum. Ideo vero tam ſancte curatum eſt, ut numerus ille juvencorum, die ſeptimo mactandorum, in ſeptenario deſineret; ut ſacer ille numerus, repetitus, hujusce feſti ſanctitatem indicaret; & ut numeri illi (ſeptem & decem) in Lege frequentiſſimi, locum frequentem in hujus feſti victimis obtinentes, tanquam eharacteres & notæ quædam ſacratiores inſervirent, quibus feſtum hoc ejusque victimæ ab alio quovis feſto & victimarum numero dividerentur. SECT. III.

SECUNDO: ſententiæ meæ nonnihil auxilii præbet lex ea, qua mares Hebræorum omnes, hnc in feſto, donis & quaſi tributis inſtructi, coram Domino, rege ſuo, ſe præſentes exhibere tenebantur. Nemini fas erat, hoe in feſto, manibus [b] vacuis adire ſummi regis habitaculum. Operæ difficilis eſt, ritus omnes in feſto præſcriptos in lucem revocare, vel eorum origines inveſtigare. Mihi vero non plane temerarium videtur opinari, ritum hunc, Deum muneribus honorandi, a mnre conſimili inter gentes antiquiores invaleſcente natales accepiſſe. Refert enim [c] *Saxo Grammaticus*, ethnicos olim idolis ſuis tributa quædam ſolvere, iisque magnam partem ſpoliorum bello captorum iis dedicare ſolitos. Morem affinem inter Septentrionales quosdam idololatras obtinuiſſe, ſatis ex [d] *Olai Magai* verbis intellectum eſt; *ae -- Septentrionales homines in conſpectu numinum ſuorum appareant vacui*, *certas oblationes ex oſſibus ſylveſtrium animaliam, & grandium cetoram & piſcium venatioae quaſitas faciunt.* Neque eſt quod miretur quispiam, hujusmodi morem inter idololatras olim viguiſſe, cum notum ſit, eos reges, duces, & alios heroas inter Deos numeraſſe, & iis, fato functis, eodem pene ritu quo cum in vivis erant, honorem exhibuiſſe. Hinc enim id moris emanavit, ut iis ædes ſumptuoſas erigerent, cibos in templis apponerent, tributa quædam ſolverent, eosque donis & oblationibus, ad morem humanum honorarent. Cum itaque rudis Hebræorum populus hujusmodi ritus ab idololatris accepiſſet & Deos ethnicos ritu ab idololatris orto eolere didiciſſet; Deo viſum eſt, ritus eos ab idolis ad ſeipſum transferre, eosque in ſui nominis honorem uſurpari voluit; ne, ſi Deus omnino vetuiſſet, Iſraelitæ, in mores antiquos jurati, iis (ut olim) in idolorum honorem uterentur. Cum itaque ſolennitatis hujusee ritus præcipuus a Gentilibus ortum traxerit, & ea de cauſa receptus in uſum fuerit, ut idololatriæ paſſim graſſantis peſtem inhiberet; non temere creditur, totum hoe feſtum ab eodem ſonte dimanaſſe & Deum illud ad eultus profani curſum impediendum inſtituiſſe.

ARGUMENTUM tertium ad veritatem præſentem aſtruendam ſuggerit prophetia Zachariæ; eo ſcilicet in loco ubi ſic prædictum legitur; [e] *& erit*, quod *omnis reliquus e gentibus omnibus* olim *venientibus contra Hieroſolymam*, *aſcendet quotannis ad adorandum regem*, *Jehovam*, Deum *exercituum*, *& ad celebrandam feſtum tabernaculorum.*

HUNC locum Grotius aliique κατὰ τὸ ῥητὸν interpretantur, de aditu ſcilicet anniverſario ad Hieroſolymam, ad cultum nimirum obeundum, in feſto tabernaculorum præſtari ſolitum. Huic autem interpretationi ratio ſimul & ſcriptura refragantur: *ratio*, quod poſſibile non eſſet, ut homines ex toto terrarum orbe quotannis ad Hieroſolymam confluerent, ut ibi Deum in tentoriis adorarent. Nec minus *ſcriptura* interpretationi huic adverſatur, nempe locus [f] ille Levitici, quo præceptum eſt ut homines e ſanguine Judaico prognati (ſoli Iſraelitæ) in tabernaculis habitarent, cum hoc feſtum agitarent.

ALII itaque textum illum Zachariæ ſenſu ſpirituali vel evangelico capiendum ſentiunt. Inter eos ita [g] *Coccejus* hunc locum explicandum cenſuit: *quemadmodum -- in novo teſtam.* σαββατίζομεν, & νεομηνίαν *celebramus & paſcha*, *ita quoque* σκηνοπηγίαν, *ſcilicet*

[a] *V. P. Bungum de Myſter. numer.* c. 7. & 10. [b] *Exod.* 23. 15. [c] *Lib.* 14. p. 288. [d] *De ritib. gent. Septent.* l. 3. c. 8. [e] *Zach.* 14. 16. [f] *Levit.* 23. 42. [g] *Comment. in Zach.* 14. 16.

SECT. III.

non in litera, ſed in ſpiritu & veritate. Sed & huic interpretationi ratin non minus aperte refragatnr: nam feſtum tantum tabernaculorum hoc in loco memoratur, ejusque ſolius obſervatio magnis præmiis & pœnis urgetur, feſtis aliis ſilentio prætermiſſis: non eſt enim facile rationem aſſignare, cur hic feſti tantum tabernaculorum mentio fierer, ſi ſenſu ſpirituali capi debear, & feſta quævis alia [ſabbata, paſcha, pentecoſte, neomenia] ſub eo nomine cenſeantur.

MULTO itaque ſimilius eſt vero, locum hunc ſenſu quidem Legali & literali, ſed paulo latiori quam vulgo, capiendum eſſe; nempe de Dei veri cultu, quem gentes idolis vel maxime devote [etiam [a] Ægyptii ipſi] non minus ſincere quam Iſraelitæ in feſto tabernaculorum, olim erant exhibituræ. Huic interpretationi aſſenſum eo promptiorem præbeo, quod verſu ſequente hæc verba habeanrur; [b] *& erit, qui non aſcenderit ex familiis terra Hieroſolymam ad adorandum Regem, Jehovam,* Deum *exercituum, ſuper ipſos non erit pluvia.* Nam hanc pœnam (ἀνομβρίαν) Deus interminari ſoler & infligere in eos, qui Dei legibus & ſacris inſuper habitis, Deos alienos amplexantur. Nec conjectura plane remeraria eſt, hic alluſum eſſe ad pœnam *Achabo*, regum peſſimo, irrogatam, cujus regno pluviæ deſcenſus ad annum usque tertium cohibebatur. Non nemo forſan hic a me quæret, cur cultus Dei veri, per obſervationem feſti tabernaculorum, potius quam paſchatis aut pentecoſtes, hic innuatur? Sed in expedito reſponſio eſt: qui Hieroſolymas adibant, ut feſtum paſchatis aut pentecoſtes, obſervarent, Deum tantum qua redemptorem ex Ægypto, vel legiſlatorem in monte Sinai, coluerunt: gentes autem nullæ, Judæos ſi demas, Deum eo reſpectu colere potuerunr. Ar vero, qui ad Hieroſolymam, feſti rabernaculorum celebrandi cauſa ſe conferebant, *ad adorandum regem, Jehovam, Deum exercituum*, eo veniebant, eique cultum gentibus omnibus cum Judæo communem exhibebant. Deinde: in rabernaculorum feſto, Judæi generis cujusque (vineæ, oliveti, lanæ, lini, frumenti, gregis, & ſimilium) primitias majores Deo conſecrabanr; & iis oblarionibus quibus olim dæmones & [c] idola benefactores publicos agnoſcebant, ſe bona vitæ omnia Jehovæ tantum debere tacite profitebantur. Ut rem in pauca conferam: Zachariæ ſeculo, ſic more comparatum crar, ut omnes huic feſto vacantes ſe Jehovæ devotos, & idolis adverſos, magis oſtendere crederentur, quam ſi feſtis aliis intereſſent, vel aliis omnibus cultus Judaici ritibus ſeipſos exercerent.

QUARTUM argumentum a vario hujus feſti quaſi faro petitur. Quavis enim ætate prout ſeculi genius magis aut minus ad idololatriam inclinavit, hoc feſtum maxime contemtum, vel riru ſolemni celebratum, obſervare licet. Quamvis enim Deus diſerte præcepiſſet, ut dies huic feſto dicatus ſancte & ſolenniter agererur; hiſtoria ſacra teſtatum facir, diem illum ab ætare [d] Joshuæ ad ætatem usque Nehemiæ (h. e. per annos bis mille) contemtui habitum; nec Iſraelitas in tentoriis habitaſſe, vel ullo ritu præcepto diem illum celebrem feſtumque reddidiſſe. Poſtea vern, cum Deus Judæos e Babylonia reduxiſſet, eosque patriæ & libertati ſuæ priſtinæ reſtituiſſet; [e] hoc feſtum, nulla habita mentione paſchatis aut pentecoſtes, ritu ſolenni ſervabatur, & dies σκηνοπηγίας inter maxime lætos & celebres agebatur. Diſcriminis autem hujusce nulla mihi ratio probabilior occurrit, quam quod ab ætate *Joshua* ad *Nehemiæ* pene tempora, populus Deo & legi ſuæ non adeo firmiter adhæreret, ſed inrer legem & idololatriam incerta vice plerumque claudicaret. Nil mirum itaque, ſi remporibus illis incertis & infelicibus hujus feſti ratio non magna eſſet, quod ſcilicet idololatriæ maxime repugnaret, & illius obſervatores ritu illo ſe Deo ſoli devotos aperte teſtarentur. Cum autem res eorum afflictiſſimæ, dura præſertim ſervitus inter gentes, eos ab idolis ablactaſſent; & favoris divini ſenſus eos Deo firmius obligaſſet; nil prius habuere, quam ut feſtum ſolennitate maxima celebrarent, atque ea religione mentes eorum ab idolis inprimis alienas indicarent. Atque hæc omnia documento ſunt, hoc feſtum, ejusque ritus omnes, idololatriæ frontem adverſam geſſiſſe, & Deum feſtum illud ad idololatriæ curſum impediendum inſtituiſſe.

NIMIS in longum excurrerem, ſi plura ſubjungerem ad hoc feſtum exornandum, quod [f] Plutarchus μεγίστην καὶ Ἰουδαίοις καὶ τελειοτάτην ἑορτὴν haud immerito nuncupavit. Nec abſurde creditur Judæos antiquiores eo majore cum ſolennitate & gaudio hoc feſtum agitari voluiſſe, ut ritus ejus hominum animis altius imprimerentur, & vulgus ad illud obſervandum facilius allicerentur.

a *Zach.* 14. 18, 19. b v. 17. c *Hoſ.* 2. 5, 8, 9. d *Nehem.* 8. 16, 17. e *Ezr.* 3. 4. *Nehem.* 8. 17. f *Sympoſiac.* l. 4. *Quæſt.* 5. p. 671.

SECT.

SECT. IV.

De Primitiarum oblatione quæ feſto cuique ſubjungebatur.

SECT. IV.

Primitiarum oblatio, feſto cuique anne-xa.

OBSERVATU non indignum cenſeo, Deum feſto cuique præceptum de primitiis nonnullis offerendis adjunxiſſe. Nam in paſchate Judæi primitias hordei; in pentecoſte, primitias tritici; tabernaculorum ſolennitate, vitis, oliveti, & arborum omnium primitias offerebant. Gregis primitiæ, vel animalium primogenita, in feſto præcipue paſchatis Deo ſacrabantur; vere ſcilicet ineunte, cum nempe viribus præſtarent animalia, & bruta menſe ſeptimo prognata vigore multum antecellerent.

Ut res tota clarior evadat, hic duo dubia ſolvenda veniunt: primo, cur Deus rerum omnium primitias ſibi ſacrari vel offerri juſſit? Secundo: cur lege cautum eſt, ut feſtum nullum abſque primitiis oblatis ageretur, ſed earum oblatio feſto alicui nexu indiviſo jungeretur?

Primo: cur Deus rerum omnium primitias ſibi ſoli ſacrari vel offerri juſſit?

Respondeo: Deus Iſraelitas ea lege teneri voluit, (1°.) ut primitiæ illæ tributum gratitudinis Deo ob vitæ bona reddendum ſignificarent. (2°.) Ut feudi loco ſervirent, quo ſupremum Dei dominium in omnia teſtatum facerent. Deus non tantum *perſonarum* ſed *rerum* etiam & *bonorum* noſtrorum Dominus eſt: Iſraelitæ itaque *victimas* ad Dei dominium in perſonas eorum teſtandum offerebant; *primitias* autem ad illius dominium in res & bona ipſorum omnia profitendum. Deus autem hujuſmodi teſtimonium reale poſtulavit, eo quod rei teſtandæ ſatis belle conveniret. (3°) Quod veteres idololatræ (quorum moribus aſſueverant Iſraelitæ) fructus & incrementum terræ Diis ſuis ficititiis aſcriberent, eos his aut illis terræ partibus præſidere crederent, eorum etiam dominium in omnia, primitiarum oblatione, teſtandum exiſtimarent. Hoc teſtimoniis & aliis argumentis evinci poſſet: ea vero in *Lib.* 3. rejicienda duxi, ubi *de primitiarum origine* ſermonem magis amplum & opportunum habiturus ſum.

Quæstio ſecunda hæc erat, cur lege juſſum eſt, ut feſtum nullum absque primitiis oblatis ageretur, ſed earum oblatio feſto alicui nexu indiviſo jungeretur? Quantum conjecturis aſſequi licet, ſic quadruplici de cauſa conſtitutum eſt. (1°.) Ut Iſraelitæ, primitiis offerendis aſſueti, ad feſtum præcipuum celebrandum, eo libentius ad Hieroſolymam proficiſcerentur. (2°.) Ut Hebræorum feſta per primitias annexas, a feſto quovis ethnico; & primitiarum ſuarum oblatio, per annexum feſtum, a primitiis Diabolo ſacratis, aperte dividerentur. (3°) Ne religio Moſaica populo tædio eſſet, ut gentis tam moroſæ mentes ad minus operoſos ethnicorum ritus adverteret, ſi multa & longa ad Hieroſolymam itinera poſtulaſſet. (4°.) Primitiæ hordei, tritici, & oliveti, ſolennitatum earum tempore maturæ fuerunt & opportunæ, quibus e Legis præſcripto jungebantur. Erat itaque conſentaneum, ut ea quæ natura pene conjunxerat, Deus minime ſepararet.

CAP. X.

Legem idololatriæ obſtaculum fuiſſe, Dei & ſacrorum ſuorum omnium honori proſpiciendo.

HONOS & reverentia Deo & ſacris debitus, eſt agnitio excellentiæ vel dignitatis plane ſingularis iis inhærentis. Eſt autem reverentia vel agnitio illa, tum interna tum externa: internam ſinio, quam mens & affectus exhibent, vel, ut explicatius loquar, cum quis intus & ex animo Deum & ſacra ejus, eminentia, peculiaria, & differentia judicat, nec affectu vel ritu aliquo ab eorum dignitate alieno violanda: externam dico, cum religioſum illum animi ſenſum & affectum, actu aliquo, Dei & ſacrorum dignitati conſentaneo [geſtus, oris, aut operis] exprimimus & indicamus. Ut itaque præſentis operis penſum peragam, oſtendam primo, legem multis modis curaſſe, ut Deus & illius ſacra reverenter & eorum dignitati convenienter haberentur: ſecundo, legem hac ratione idololatriæ obſtitiſſe, & Iſraelitas, ne ad ritus externos deſciſcerent, cohibuiſſe.

Sect. I.

SECT. I.

Oſtenditur Legem curaſſe, ut honos & reverentia ſingularis Deo deferretur.

Legem Dei honori proſpexiſſe.

LEX Moſaica id maxime omnium egiſſe videtur, ut Iſraelitis intimum ſublimitatis Divinæ ſenſum incuteret, eoſque ad honorem & reverentiam ſingularem Deique majeſtati conſentaneam exhibendum devinciret. Hoc autem ut effectum daret, mediis potiſſimum tribus utebatur.

1°. Titulos honorificos Deo tribuenda.

PRIMO: lex illa titulos Deo tribuit, ad reverentiam plane ſingularem ei conciliandam aptos & accommodatos. Inter eos autem, tituli illi, *ſanctus* & *zelotypus*, eminent, & in ſcriptis Moſaicis Deo frequenter & peculiariter tribuuntur.

TITULUM priorem Deo frequenter tribui, norunt omnes qui ſcripta illa vel eminus ſalutarunt. In re tam trita atque obvia unum illum [a] Levitici textum citaſſe ſufficiat, *& eritis ſancti mihi, nam ego Jehovah* ſum *ſanctus*. E lege *Moſis* titulus ille in [b] alia ſcripturæ loca tranſiiſſe putetur, quibus Jehova, *ſanctus Iſraelis*, appellatur. Eo autem titulo Dei ſublimitas incomparabilis indicatur, qua ſupra omnia ἀξιώματα & ſummos humanæ excellentiæ gradus elevatur, ab omni eminentia creata immenſo intervallo ſeparatur, & juſtus, potens, ſapiens, bonus, ſine pari dicitur. Voces illas, *ſanctus* & *ſanctitas*, hoc ſenſu capiendas, Hannæ verba dubitare non ſinunt; [c] *non* eſt *ſanctus ſicut Dominus, quia præter te nullus* eſt, *& non* eſt *petra*, vel fortis, *ſicut Deus noſter*. Quibus innuit, ſanctitatem in Deo notare excellentias incommunicabiles, fortitudinem nempe, ſapientiam, & bonitatem ſine exemplo maximam, ſupra laudem, ſupra captum poſitam. Nec minus frequenter titulum illum *zelotypus* Deo in lege tributum legimus: occurrit enim præcepto ſecundo aliiſque bene multis pentateuchi locis: cæterorum vicem ſuppleat locus ille inſignis, *Exod.* 34. 14. *Non incurvabis te Deo alteri, nam Dominus cujus nomen zelotes, Deus zelotypus* eſt. Quibus innuit Deus, ſe fœdere quaſi conjugali Judæorum genti junctum, ideoque rivalem ferre non poſſe, vel idololatria violatam conjugii fidem inultam præterire.

NEQUE vero tituli illi *frequenter* ſolummodo, ſed & *peculiariter* Deo Iſraelis in ſcriptura tribuuntur. Quamvis enim gentilium Dæmones *Deorum* nomine quandoque dignata ſit [d] ſcriptura, eos tamen nuſquam aut *ſanctos* aut *zelotypos* appellavit. Non enim *ſancti* eſſe poterant, cum pares & conſortes eſſent, utpote naturæ dignitatis, cultus, & nominis ejuſdem communione conjunctiſſimi. Neque *Zelotypi* erant aut conſortis impatientes: nuſquam enim legimus Dæmonem aliquem idolorum aut numinum multitudinem oraculo prohibuiſſe, vel iratum fuiſſe quod eodem templo & altari cum Dæmone aliquo ſocio coleretur.

EOS autem titulos divinos ad idololatriæ curſum ſiſtendum plurimum virtutis habuiſſe, ſatis e [e] *Joſhua* verbis intelligimus: *non poteritis ſervire Domino, quia -- ſanctus* eſt *ille: Deus zelotypus* eſt *ille*, & *non parcet ſceleri veſtro. -- Si dereliqueritis Dominum, & ſervieritis Deo alieno, convertet ſe, & malefaciet vobis*, &c. Quaſi dixiſſet, "fieri nequit ut vos, qui inclinatione voluntatis in Deos alienos propendetis, Jehovæ "ſerviatis: ille enim parem non habet, nec rivalem patitur. Et ſi quis numen alienum "in cultus ſocietatem aſſumat, ſciat Deum illum zeloten ſpretæ dignitatis ſuæ pœnas ſe-"veriſſimas ab eo experiturum.

2°. Dira exempla in majeſtatis divinæ contemptores edita referenda.

SECUNDO: ut cœli majeſtatem verenter haberent Iſraelitæ, lex Moſis dira exempla in ſpretæ dignitatis divinæ reos edita memoriæ conſignavit. Cum enim lege decretum eſſet, ut in ſacris peragendis igne tantum cœleſti [ab altari deſumpto] uterentur, *Nadab* autem & *Abihu ignem alienum*, qualem nempe ſolebant antea, ſacris admoverent; memoriæ proditum eſt, ignem, tantæ temeritatis vindicem, a Domino prodiiſſe. Cum etiam conſtitutum eſſet, ut *Aaronis* filii, unctione, lotione, aliiſque ritibus ſolennibus, conſecrati, ſacerdotium adminiſtrarent; *Corah* vero, *Dathan* & *Abiram* tam ſacro muneri manus eorum illotas admoverent; lege traditum eſt, terram dehiſcentem, majeſtatem divinam, tam vili & vulgari miniſterio pollutam, vindicaſſe. Cum etiam Deus Iſraelitas ab omni opere ſervili die ſeptimo ceſſare præcepiſſet, & miſellus quidam illius diei requiem, lignis pauculis collectis, violaſſet; Deus ſententiam capi-

[a] Cap. 20. 26. [b] *Pſal.* 89. 18. *Iſ.* 17. 7. [c] 1 *Sam.* 2. 2. [d] Scriptura ſignanter dixi, nam in Gentilium ſcriptis & precationibus, Di plerumque *ſancti*, Deæ *ſanctæ*, ſunt appellati, obſervant. *Briſſon.* l. 1. de formul. p. 44. & *P. Merul.* in *Ennii Annal.* l. 1. p. 106. [e] Cap. 24. 19.

talem

talem in criminis tantilli reum tuliſſe fertur. Et diu poſtea, Deus extremo ſupplicio *Uzzam* affeciſſe dicitur, quod arcam, Dei ſcabellum, tacto inconſulto temeraſſet. Deus autem inſtitutorum ſuorum ſanctitatem & honorem ſuppliciis tam ſeveris vindicavit, eaque omnia una cum ipſa lege literis conſignari voluit; ut Iſraelitis vividum majeſtatis ſuæ tremendæ ſenſum incuteret, eosque a ſui ipſius & legis ſuæ contemptu, tantæ majeſtatis & ſeveritatis ſenſu, coerceret. SECT. I.

Præcepta quædam huc ſpectantia tradenda.

TERTIO: Lex præcepta plurima eo fine tradidit, ut homines Deo reverentiam ſanctitati & excellentiæ ſuæ convenientem exhiberent. Operis permoleſti eſſet, præcepta omnia in hunc ſcopum collimantia ſpeciatim enumerare: nos itaque præcepta ſolummodo maxime inſignia huc ſpectantia recenſebimus.

INTER ea locum principem teneat lex illa, [a] *ſanctificabor in* omnibus *mihi propinquis* vel *accedentibus*. Deum legem illam majeſtatis & honoris ſui tuendi cauſa tuliſſe conſtet, ſi prius moneamus, *ſanctificandi* verbum ſenſu triplici uſurpari. Nam aliquando *ſanctificare* eſt ex non ſancto ſanctum facere, quandoque rem Deo addicere vel conſecrare, quandoque ſancte uti, vel ſingulariter & cum diſcrimine habere, denotat. Cum *conſecrare* ſignificat, eſt הקריש in conjugatione Hiphil; cum autem *ſancte & decore habere*, Hebræi קרש dicunt, in conjugatione [1] Piel Vocem אקרש. [2] hac in lege ſenſu poſteriori capiendam eſſe, indicio eſt ipſa vocis Conjugatio. Hunc etiam ſenſum firmat naturæ divinæ excellentia, quæ tanta eſt, ut magis conſecrari, vel ſanctitatis alicujus acceſſionem aut incrementum capere, non poſſit. Præterea, ſenſus hic optime cohæret cum præcedentibus: cum enim *Nadab* & *Abihu* ignem vulgarem ſacris appoſuiſſent, & Deus majeſtatis ſuæ facto illo violatæ crimen diro ſupplicio vindicaſſet; ſtatim addit, *ſanctificabor in propinquis mihi, & coram omni populo glorificabor*. Quaſi dixiſſet, " ego Dominus ſanctus ſum, incommunicabili majeſtatis meæ eminentia a Diis " & eminentiis quibuscunque ſeparatus, & *ſupra omne nomen nominatum* immenſo in" tervallo elevatus: ideoque ſacra mea omnia, ſancte, cum diſcrimine, & ritu eminen" tiæ meæ conſentaneo, peragantur. Non eſt e dignitate mea ut idem ignis qui culi" nis veſtris, ſacris etiam meis inſeratur. Quiſque munere quovis religioſo tam ſan" cte & decore perfungatur, ut omnes imaginem quandam ſanctitatis & eminentiæ meæ " in ipſis ſacris veſtris effigiatam perſentiſcant. Manifeſtum eſt autem legem hanc ad ſacroſancti numinis honorem & dignitatem aſſerendam egregie accommodatam fuiſſe: tunc enim teſtatum facimus nos honorifice admodum de Deo ſentire, eique excellentiam eminentem & plane ſingularem tribuere; cum ceremoniis non tantum decoris, ſed & differentibus, eique uni propriis, Deum veneramur.

(2°.) AD augendam majeſtatis divinæ reverentiam ſancitum videtur, ne quis extra pontificem unum, maximum illud numinis arcanum, Sanctum Sanctorum, ingrederetur. Illi ſoli, in expiationis feſto, locum illum ſacratiſſimum, interiorem magni regis cameram, adire conceſſum eſt. Quid autem, niſi ut hac ratione Deo & religioni majeſtas quædam adderetur? Nam ſicuti principes majeſtatem & auctoritatem regiam eo non leviter confirmant, ſi populo ſe rarius conſpiciendos præbeant; ita arcanum illud penetrale, quod numinis divini veluti receptaculum erat, venerationem maximam & horrorem ſanctiſſimum incutiebat, quod conſpectus ejus rarior eſſet, nec cuivis obvius. Facile interim conceſſero, ſacerdotem ſummum ſancta ingredientem typum & imaginem geſſiſſe ſacerdotis noſtri maximi, [b] cœlum olim quaſi cum ſanguine ingreſſuri. Ac nemo paulo cordatior ſibi perſuadere poteſt, Deum ideo ſacerdoti tantum ſummo in templi intima penetrandi licentiam dediſſe, ut Chriſti imaginem aliquam exhiberet; cum vix credibile ſit, ullos e veteri Hebræorum gente, ritus illius ſenſum mentemque myſticum capere potuiſſe. Multo itaque propius eſt vero Deum ſoli pontifici aditum ad ſancta præbuiſſe, præcipue majeſtatis adaugendæ gratia, cujus major eſt ex occulto veneratio. Omne difficile & ignotum, vulgus pro magnifico habere ſolet: e conſpectu vero familiari & acceſſu facili, regum majeſtas ut plurimum eviléſcit. Nihil itaque indignius tulere Judæi, quam quod [3] rex Agrippa e palatio ſuo celſiore locum illum arcanum conſpiceret: quin & eorum legati Romam miſſi de facti indignitate conqueſti ſunt, quod aſpectus ille frequens loci religionem & Dei habitantis majeſtatem lædere & minuere crederetur.

a *Lev.* 10. 3. b *Hebr.* 9. 7, 8, 24.

1 קרש in *Piel.* etiam ſibi vult *conſecrare*, vid. 1 *Reg.* 8. 64.
2 אקרש in illa *lege*, viz. *Lev.* 10. 3. eſt futurum *Niphal*, quod *paſſivum* eſt.
3 Vid. *Joſeph. Antiq. Jud.* lib. 20. c. 7. p. 895. 11.

Sect. I.

(3°.) Eodem ſpectaſſe videtur lex ea quæ pecudes omni ex parte perfectas, in ſacrificium offerri poſtulavit. Judæorum religio pecudem omnem, jugo tritam, ſenio confectam, teſticulis læſam, cornibus mutilam, [a] morbo denique vel vitio aliquo laborantem, ſacris inidoneam pronunciavit. Sacerdotes apud [b] Prophetam reprehenſi ſunt, qui in jugi ſacrificio *cæcum*, *claudum*, & *morbidum* offerebant: illi etiam qui, voti alicujus rei, victimis morbidis aut vitioſis defungebantur. Sacerdotes itaque & illi qui victimas afferebant, τὸ ἀκριβὲς καὶ περιττὸν τῆς ἱερεύσεως (ſunt [c] *Philonis* verba) curam & diligentiam ſummam in explorandis beſtiis altari deſtinatis adhibebant: ὅπως οἱ δοκιμώτατοι (inquit) τῶν ἱερέων ἀμώμητα ἐπὶ πολλῶν ἄκρων ἐρευνῶσι, &c. *Ut probatiſſimi ſacerdotum peritiſſimique, ab extremis pedibus exorſi, partes conſpicuas explorarent, & quæ ſub ventre feminibuſque latent, ne forte vel minima celetur labecula.* Quid autem Judæorum lege & more tam ſollicite curatum eſt, ut ſacrificia tantum eximia & acri ſacerdotum judicio probata altari ſiſterentur; niſi quod hujuſmodi ſacrificia Dei cultuſque ſui reverentiam intuentibus inferrent, & utrumque a vili & abjecta plebis opinione vindicarent? Cum enim ſacerdotes, *Malachiæ* ſeculo, pudorem & pietatem omnem uſque eo decoxiſſent, ut animalium retrimenta [[d] cæca, clauda, morbida] altari conſecrarent; Deus per Prophetam conqueritur, eos *nomen* ejus *polluiſſe*, & ſemetipſum una cum menſa ſua odio & contemptui expoſuiſſe. Nec fieri poteſt, ut Deus & religio ſuam apud inſulſam plebeculam auctoritatem & dignitatem tueantur, ſi res abjectæ nulliuſque pretii ſacrum in uſum ſeponantur. Hoc & ethnici ſenſiſſe videntur: illi enim, rem ſacram facturi, non minus quam Judæi, circa pecudis immolandæ perfectionem indaginem curioſam inſtituebant. Religionis hujuſce teſtem audiamus [e] Lucianum: *illi cum immolant*, primum ſertis *coronant pecudem*, καὶ πολύ γε πρότερον ἐξετάσαντες εἰ ἐντελὲς εἴη, &c. *Multoque ante explorant num legitima ſit & ſacris idonea; ne forte mactent ex his quæ religio repudiat.* * Briſſonius & [f] Grotius alia teſtimonia horſum ſpectantia ſtudioſis ſuppeditabunt.

(4°.) Eodem conſilio lex ea data eſt Iſraelitis, ut tabernaculum, arcam, utrumque altare, candelabrum, vaſa ſacra, & ſacerdotes, unctione ſolenni [g] conſecrarent, & ab uſu communi ſepararent. Cui legi affinitate proxima jungebantur præcepta illa, ſæpius repetita, ut tabernaculum, veſtes ſacerdotum, filios Aaronis, quandoque totam congregationem, [h] lotione, oblatione, vel ſanguinis aſperſione, ſanctificarent, id eſt, Deo & cultui ſuo dedicarent. Quorſum autem ſpectarunt unctiones, lotiones, aſperſiones & oblationes illæ variæ, circa res & perſonas omnes uſui ſacro deſtinatas uſurpatæ, niſi ut Iſraelitæ ſanctitatis & majeſtatis divinæ ſenſu eo intimiore tangerentur? Cum enim viderent omnia quæ Deum cultumque ſuum cognatione aliqua attingebant, tam ſancte habita, & tot ſolennibus ceremoniis ab uſu vulgari ſeparata; pronum erat Iſraelitis Deo majeſtatem eximiam tribuere, eumque *religionis pene attonita cultu* venerari. Fieri non potuit, quin cultus divini inſtrumenta omnia tam ſolenni religione ſacrata & ab uſu communi ſepoſita, Iſraelitis vividum ſanctitatis & eminentiæ divinæ ſenſum incuterent eoſque reverentiæ tantæ majeſtati debitæ frequenter admonerent.

(5°.) Eadem de cauſa ſtatutum eſt, ut igne tantum ſacro, id eſt, cœlitus in altare delapſo, ſacris in omnibus uterentur. Cum enim Aaron ſacrificia ex bobus, hircis & arietibus, altari impoſuiſſet, [i] *ignis a conſpectu Domini exiens conſumpſit in altari holocauſtum & adipem.* Ignis autem ille de cœlo datus ſacer habebatur, & vigili ſacerdotum cura [k] inextinctus perpetuo ſervabatur; nec fas erat ignem ullum, præter ſacrum illum, [l] altari vel thuribulo alicui applicare. Ignis itaque a Domino egreſſus, abſumpſit Aaronis filios, *Nadab* & *Abihu*, quod pro igne ex altari ſumpto, [m] ignem alienum in thuribulis ſuis obtuliſſent. Deum autem in ſacris omnibus ignem ſolummodo de cœlo miſſum, majeſtatis & ſanctitatis ejus aſſerendæ cauſa, toleraſſe, ſat conſtet ex ipſius verbis, poſtquam temeritatem *Nadabi* ignem alienum offerentis accerrime vindicaſſet; *ſanctificabor*, [n] inquit, *in his qui appropinquant mihi, & in conſpectu omnis populi glorificabor.* Quæ verba miſere torquent, & a nonnullis torquentur interpretibus, cum tamen ſenſum ſatis expoſitum & apertum ferant; nempe, "Deum ſanctum eſſe, "i.e. a quavis perſona vel eminentia, incomparabili naturæ ſuæ excellentia, ſepara-"tum; ideoque poſtulare ut ſanctificetur, i.e. auguſte, decore, & ritu naturæ ſuæ ſe-

a *Levit.* 22. 19, 20, 21. *Deut.* 15. 21. b *Mal.* 1. 8. & 14. c Lib. de *Victim.* p. 836. d *Mal.* 1. 7, 8. e Lib. de *ſacrif.* p. 186. * De *formul.* l. 1. p. 14. f *Not.* in *Exod.* 12. 5. g *Exod.* 30. 26, 27, 28, 29, 30. h *Exod.* 29. 21. i *Levit.* 9. 24. k *Ib.* c. 6. 12. l *Num.* 16. 46. *Apoc.* 8. 5. m *Levit.* 10. 2. n *Ib.* v. 3.

"paratæ

"paratæ imaginem quandam ferente, colatur. Dei veſtri dignitati & eminentiæ plane "ſingulari ooo convenit, ut illius ſacra igne quovis vulgari, a focis ad aras tranſlato "peragantur. Sect. II.

(6°.) Ut Iſraelitæ majeſtatis divinæ ſenſu magis afficerentur, & reverentiam Deo præſtarent excellentiæ ſuæ ſingulari convenientem; lege proſpectum eſt, ut omnia cultui ſuo miniſtrantia, a rebus aliis, uſu, ritu, vel ſplendore peculiari diſcernerentur. Hic, ad mentem meam appoſite loquens, audiatur D. Thomas: [a] *habet hoc humanus affectus, ut ea quæ communia ſunt & non diſtincta ab aliis, minus revereatur; ea vero quæ habent aliquam excellentiæ diſcretionem ab aliis, magis admiretur & revereatur. Et inde etiam hominum conſuetudo inolevit, ut reges & principes, quos oportet in reverentia haberi a ſubditis, & pretioſioribus veſtibus ornentur, & etiam ampliores & pulchriores habitationes poſſideant. Es propter hoc oportuit, ut aliqua ſpecialia tempora, & ſpeciale tabernaculum, & ſpecialia vaſa, & ſpeciales miniſtri, ad cultum Dei ordinarentur; ut per hoc animi hominum ad majorem Dei reverentiam adducerentur.*

Sunt & alia multa præcepta legis eo fine data, ut Iſraelitæ Deum revereri diſcerent, & ſenſu tremendo divinæ majeſtatis afficerentur. *Aquinas* itaque ptope abſuit a vero cum dixit: [b] *sosus exterior cultus Dei* lege præſcriptus, *ad hoc præcipue ordinatur, ut homines Deum in reverentia habeant.* Ea vero præcepta lubens & ſciens prætereo, ne lectori in ſacris tantillum verſato, ſermonem hac de re juſto prolixiorem habuiſſe videar.

SECT. II.

Legem rebus ſacris honorem eximium aſſeruiſſe.

Hucusque de mediis egimus quibus lex Moſaica majeſtatem & reverentiam Deo *directe* vindicavit. Proximum eſt ut videamus, qua ratione lex illa ſacris ejus majeſtatem quandam aſſeruit, & honorem eximium *indirecte* & quaſi ex obliquo, Deo conciliavit. Initium autem a *rebus* ſacris faciemus, & legibus eo fine datis ut res omnes, Dei quaſi nomine inſcriptæ, ſummo in honore haberentur. Variæ leges ad ſacrorum dignitatem tuendam datæ.

Ex iis, prima ſit lex de rebus pene omnibus, circa Dei cultum uſurpatis, unguento ſingulari & ab uſu communi ſemoto conſecrandis. Lex illa, cum tota unguenti illius conficiendi ratione, fuſe traditur, *Exod.* 30. 23, 24. & ſeq. Et ut Iſraelitæ unguentum illud & omnia eo perfuſa reverenter haberent, ſub capitis pœna cautum eſt, ne quis ei ſimile conficeret, aut illud uſu aliquo vulgari dehoneſtaret. Quid autem Deus tam ſollicite curaret, ut unguentum illud materia & uſu ſingulari ab aliis omnibus diſcerneretur, niſi ut ſancte, reverenter, & differenter ab aliis unguentis haberetur, & omnia unguento illo perfuſa verenter & cum timore quodam religioſo tractarentur. Ideoque [c] *Belshazzar*, ſe grandi piaculo obſtrinxit, quod ipſa templi vaſa, ſacro illo chriſmate peruncta, uſu vili & ab eorum ſanctitate alieno temeravit. Prima.

Secundo: eidem uſui inſerviit lex ea quæ, [d] repræſentata *exciſionis* pœna, Judæos a ſanguinis eſu cohibebat. Ut lector ſenſum meum paulo clarius aſſequatur, monendum eſt, Deum legem duplicem circa ſanguinis eſum populo Iſraelitico tradidiſſe: (1°.) Ne [e] *ſupra* vel *juxta* ſanguinem comederent, ad morem ſcilicet & ritum magicum ethnicorum. Nam, auctore [f] Maimonide, illi *beſtiam mactantes, & ſanguinem ejus in vaſe vel foſſula* aliqua *colligentes, carnem mactatam circa ſanguinem illum*, in circulo ſedentes, *comedebant*. Deum autem ritum illum ea in lege præcipue vetuiſſe, libro ſecundo docemus, ubi & legem illam ſenſui ſuo genuino de induſtria teſtituimus. (2°.) Ne una *cum ſanguine* carnem manducarent. Deum autem legem illam tuliſſe, ut ſanguini (qui in cultu rituali primas partes habuit) honorem & reverentiam quandam conciliaret, ſatis e legis verbis liquere poteſt; [g] *qui comederit ſanguinem, --- excidam eum e medio populi ſui: quia anima carnis in ſanguine ipſo, & ego dedi eum vobis ad expiandum pro animabus veſtris.* Quaſi dixiſſet legiſlator, "cum ſanguis ſit ipſa "animalium vita atque aoima, eum animarum veſtrarum [h] ἀντίλυτρον poſui, & in uſum "ſanctiſſimum, [peccatorum veſtrorum expiationem] ſeparavi. Sanguinem itaque "abſtinentia religioſa honoretis, nec tem altari meo ſacram menſis veſtris inſe- Secunda.

a 1ª. 2. *Quæſt.* 102. *Art.* 4. p. 184. b *Ub. ſupr.* c *Dan.* 5. 23. d *Lev.* 17. 10. e *Lev.* 19. 26. f *Mor. Neb.* P. 3. c. 46. g *Lev.* 7. 26. & 17. 10. 11. h *Hanc animam vobis pro meliore damus.* Ovid. Faſt. 6. v. 162.

SECT. II. "ratis. Non eſt illius dignitati conveniens, ut ſanguinem, cui gratiam meam & ipſam "vitam veſtram debetis, vulgariter habeatis, & corpora veſtra ipſa quaſi vita & ſalute "animarum veſtrarum nutriatis. Sat ſcio longe plurimos rarionem haoc a Moſe datam oſcitanter præterire, & duas alias proprio ex ingenio fingere, Nempe, inquiunt, Deus ideo ſanguinis eſu Judæis interdixit ne moribus eſſent efferatis, & qui ora ſæpe ſanguine belluioo, manus tandem humano ſanguine cruentarent. Maimonides, aliique veſtigiis ejus inſiſtentes, aſſerunt Deum a ſanguine [prout & mnrticino & ſuffocaro] comedendo Judæos cohibuiſſe, quod concoctu difficilis eſſet & nutrimentum craſſum præberer & fæculentum. Sed nobis non licet eſſe tam acutis, cum ſcriptura ſanguinem altari proprium faciat, & Deum ideo ſanguinis eſum vetuiſſe dicat, quod ſacratiſſimas expiandi partes ſanguioi conceſſiſſet. Ne res in uſum tam ſacrum ſepoſita vileſceret, lege cautum eſt ne quis illius dignitatem uſu tam vili læderet: nihil enim tam proſtrati honoris & exiſtimationis eſt, quam quod ex ore in ſtomachum & e ſtomacho tandem in latrinam tranſit. Legem ſanguinis eſum hac ſola de cauſa prnhibuiſſe, probabilius exiſtimetur, quod conſtet legem, [a] adipem etiam (una cum ſanguine ſæpe vetitum) ideo prohibuiſſe, quod nempe Deo ſacer eſſet & altari ſuo peculiariter reſervatus. Hoc pateat cuivis legem conſulenti, *Levit. 7. 25.* Non erat e dignitate rei Deo ſacræ, ut Iſraelitæ eam deglutirent, cum nihil ſit abjectius aut contemptius eo quod in gulam tranſit.

Tertia. TERTIO: ſcopum eundem lex ea (vel potius lex multiplex) habuit, qua [b] ſacerdotes & Hebræorum vulgus, immunditie aliqua laborantes, a ſacris omnibus [templo, paſchate, victimarum reſiduis] arcebantur. Memini Athanaſium presbyterum hoc dubium [c] *Iſidoro Peluſiotæ* ſolvendum propoſuiſſe, δι' ἣν αἰτίαν ὁ λεπρὸς καὶ ὁ γονοῤῥυὴς, οἵ τε τὰ ἄλλα νοσοῦντες ἀκούσια νοσήματα, ἀπείργονται τῶν ἱερῶν περιβόλων· *Quidnam cauſæ ſit, quamobrem leproſis, ſeminiſque profluvio laborans aliique qui morbis minime voluntariis tenebantur, ſacroſancto* templi *ambitu prohibebantur?* Hoc autem difficile, quod *Iſidorus* plane intactum præterit, nos hujuſmodi reſponſo expediamus: ideo ſacerdotes aliique turpitudine aliqua fœdari, templi aditu & ſacrorum communione prohibebantur, ut inde Deo & ſacris ejus dignitas & majeſtas quædam adderetur. Cum enim legis elementis infirmis & egenis, per ſe ſpectatis, nihil ſanctitatis aut dignitatis ineſſet, quod homines ad honorem & reverentiam iis exhibendam incitaret; neceſſe erat, ut Deus arte quadam (ſit verbo venia) ad reverentiam inſtitutis illis conciliandam uteretur. Ut itaque hoc effectum daret, ſtatutum eſt, ut ei qui lepra, ſeminis effluvio, vel alia aliqua impuritate carnali tenebatur, ſacris omnibus interdiceretur; nec ulli niſi multo cum negotio & ceremoniis operoſis expiato, templum, altare, epula ſacra, conventus ſolennes, & hujuſmodi alia, adeundi licentia concederetur. Nec ſane ratio ulla felicior ad finem quem dixi conſequendum iniri potuit: quis enim, niſi horrore quodam religioſo correptus, ſacra illa tractare vel adire poterat, quorum puritas tam delicata erat, ut vitii aut labeculæ alicujus acceſſu læderetur, nec quenquam morbo vel immunditia levicula laborantem iis intereſſe pateretur? Ut pars hæc ſermonis mei bene deſinat, ſubjungam [d] *Toſtati* verba: *quia ea quæ erant in lege veteri non habebant aliquam ſecundum ſe dignitatem & reverentiam, ideo decuit ad hoc,* ut *eſſent in honore, multas ceremonias circa illa obſervari. Sic namque manifeſtum eſt de omnibus quæ apud nos ſunt: cum* enim *apud rem aliquam multas ceremonias obſervamus, eam magno* in *honore* ponimus, *aut per hoc dignam honore* dicimus.

Quarta. QUARTO: legibus ſacrorum honori proſpicienribus, annumeranda eſt lex ea ſacerdotibus & Hebræorum vulgo data; nempe, ut omnia Dei nomini & cultui dicata reverenter, peculiariter & pro dignitate ſua tractarenrur. Sacerdotes ea lege obſtrictos legimus, *Levit. 22. 2. Loquere ad Aaronem & filios ejus, ut ſeparent ſe a ſanctis filiorum Iſrael, & non polluant nomen ſanctum meum* in iis omnibus *quæ ipſi ſanctificant mihi.* i. e. Ut omnia mihi ſacrata ſanctitati ſuæ congruenter habeant, & actu aliquo religioſo [manuum lotione, abſtinentia in immunditie, vel ritu conſimili reverentiam indicante] ſe ſacris meis eminenriam & dignitatem ſingularem tribuere, teſtatum faciant. Hanc eſſe germanam legis illius expoſitionem, indicant Dei per [e] prophetam verba: *ſacerdotes violaverunt legem meam, & polluerunt ſancta mea: inter ſanctum* & *profanum non diſcreverunt.* Hoc eſt, divina & humana promiſcue habuere, nihil discriminis inter

a *Lev.* 3. 17. & 7. 23, 24, 25, 26. b *Lev.* 7. 20. 21. & 22. 3, 4. c *Epiſt.* lib. 2. *Ep.* 81.
d In *Lev.* c. 11. *Quæſt.* 3. e *Ezec.* 22. 26. f *Nam rem aliquam contemptim aut indiſcriminatim habere, eſt polluere.* V. 2. Reg. 23. 8. Mic. 4. 11. Pſ. 89. 39. Malac. 1. 7, 12.

uſibus

uſibus ſacris & vulgaribus deſtinata poſuere, nec uſu peculiari vel ritu aliquo lege præſcripto rei alicujus ſeparatæ dignitatem & excellentiam agnovere. Legem conſimilem Judæorum etiam vulgus tenuiſſe, palam eſt e *Levit.* 5. 15. *Anima* --- quæ *peccaverit per errorem circa ſacra Domini*, *adducet* oblationem *Domino pro delicto ſuo*, &c. Quem locum [1] Maimonides de rebus in uſum ſacrum ſepoſitis, & per errorem vulgariter uſurpatis, intelligendum cenſuit. Nam, inquit ille, quid [a] *ſi* res illæ *lignum* ſint *aut ſaxum, pulvis & cinis? cum nomen Domini* totius *mundi invocetur ſuper iis*, --- *ſanctificantur. Et ſi quis eas in uſum aliquem vulgarem adhibuerit, in eo tranſgreditur; & quamvis hoc ex errore fecerit*, *neceſſe* eſt ut *victimam piacularem* afferat. Ea itaque legum earum mens & ſcopus erat, ut ſacra omnia [reſiduæ nempe victimarum partes, altaris & templi vaſa, veſtes ſacerdotales, omnes templi partes, & hujuſce ſortis alia] uſibus humanis eximerentur, & honorifice modoque ſanctitati ſuæ conſentaneo tractarentur.. Nec ſane ratio ulla felicior iniri poterat, ad honorem Deo & rebus nomini ſuo ſacratis aſſerendum. Ut enim regum honori & reverentiæ conſultum eſſet, mos ab omni vetuſtate receptus eſt, ut res quaſdam ſibi proprias haberent, nec promiſcuis aliorum hominum uſibus violandas. Vel pueris notum eſt, purpuram induere, encauſto in ſcriptis uti, & hujuſmodi alia, *regalia* olim habita fuiſſe, & perſonis tantum in rerum faſtigio poſitis vindicata. In ſacris annalibus legimus de [b] *regis mula*, quam uſus regi tam propriam feciſſet, ut *ſuper eam equitare*, dignitatis regiæ prærogativa & inſigne crederetur: de equo etiam [c] *Ahaſueri*, in uſum ſuum tam peculiariter reſervato, ut *in eo ſedere*, dignitas pene regia, & eodem loco cum corona & veſte regis, haberetur. Nec ætas noſtra exemplis caret, utenſilium, colorum, inſignium, & rerum aliarum quæ viris primæ dignitatis propriæ ſunt, & eorum uſui quaſi dedicantur. Apud Chioenſes, referente [d] Trigautio, *color regius cæteriſque interdictus flavus eſt*, *e quo* regis *veſtis contexta eſt, variis ex aureo filo draconibus. Nec in veſte ſolum regia dracones, ſed in palatio univerſo, vaſiſque aureis & argenteis*, --- *vel cælati viſuntur vel depicti.* --- Et *ſi quis eum colorem, aut dracones in proprios uſus adhiberet, perduellis haberetur, niſi forte regio eſſet ſanguine prognatus.* Adeo ut hujuſmodi dedicationem vel appropriationem, honoris haud vulgaris teſtimonium eſſe, naturæ inſtinctus docuiſſe videatur.

QUINTO: inter leges quibus reverentiæ ſacris debitæ proſpexit Deus, numeranda videtur lex ea qua cautum eſt, [e] *ne ſanguis ſacrificii ſui una cum pane fermentato offeratur, aut adeps feſti ſui uſque ad mane relinquatur.* [2] Bochartus quidem eo in loco ad gentium vicinarum ritum aliquem magicum alludi putat, *cujus*, inquit, *in tanta vetuſtate veſtigia non ſupereſſe quis miretur, cum e profanis ſcriptoribus nullum habeamus ſuperſtitem, qui non ſit multis ſeculis Moſe poſterior?* Mihi autem ignoſcent proculdubio viri perdocti manes, ſi, ratione non una ſuadente, ab illius opinione recedendum cenſeam. Nam ſi Deus ritui alicui magico, tunc temporis uſitato, legem illam oppoſuiſſet, haud credibile eſt, ritum eum *Maimonidis* indaginem (qui pleroſque alios in lucem protulit) effugere potuiſſe. Deinde, multis Hebræorum ſuffragiis, & argumentis e ſcriptura depromptis, evicit [f] *Bochartus*, legem illam tantum de ritu paſchatis intelligendam: at vero ſi Deus legem illam dediſſet, ut ritum aliquem magicum inhiberet, proculdubio ritum tam infamem, non a paſchate ſolummodo, ſed & aliis feſtis & ſacrificiis, ablegaſſet. Præterea, nulla ritus illius veſtigia in Gentilium monumentis & ceremoniis deprehendi poſſunt, quum certum ſit eos rituum aliorum pene omnium, lege Moſaica vetitorum, uſum & memoriam ad ſera uſque ſecula retinuiſſe.

MIHI hæc attente mecum cogitanti, vero magis conſentaneum videtur, Deum legem illam ſtatuiſſe, ut eo majorem paſchati [feſto ſuo ſacratiſſimo] dignitatem & honorem conciliaret. Hanc opinionem probabilem reddunt rationes haud facile contemnendæ: nam,

(1°.) DEUS hanc legem ferens, mentionem paſchatis facit honorificam. Nam paſcha, non agnum, ſed זבחי *ſacrificium meum;* & ſolennitatem illam, non paſcha, ſed חגי *feſtum meum*, ſignanter vocat: quaſi agnus paſchalis inter ſacrificia, & ſolennitas paſchalis inter feſta, eminerent adeo, ut digna eſſent quibus nomen *ſacrificii* & *feſti*,

a *Ap. Cl. Med.* lib. 1. *Diſcurſ.* 2. p. 14. b 1 *Reg.* 1. 33, 44. c *Eſther* 6. 8. d Lib. de *reg. Chin.* c. 7. p. 170. e *Exod.* 23. 18. f De *Animal. ſac.* lib. 2. col. 573.

1 Vid. *Maimon.* in *tract. meilah.* cap. 8. §. 8. Vid. etiam *Mor. Neb.* Part. 3. c. 46.

2 *Bochartus* in *lege* Exod. 23. 18. illuſtranda, nullam affinitatis cum gentium vicinarum ritu mentionem facit, ſed in lege *de hædo non coquendo in lacte matris ſuæ.* Ex. 23. 19. ubi *Clementis Alex.* aliorumque legis illius interpretatione ad examen revocata, dicit --- *ad vicinarum gentium ritum* &c. De ritu autem *magico Bochart.* nihil loquitur. vid. lib. 2. de *animal. ſacr.* cap. 52. col. 637.

ſti,

SECT. II. *ſti*, κατ' ἐξοχὴν & eum excellentia quadam, tribueretur. Quid autem Deus, hoc in loco, tam honorifice de paſchate loqueretur, niſi ut tacite indicaret, ſe legem hanc ideo tuliſſe, ut contemptus alicujus anſa & ſpecies omnis a ſacrificio tam inſigni tolleretur, & ſeſtum tam ſolenoe Deoque proprium modo peculiari & ſanctitati ſuæ convenienter ageretur?

(2°.) Cuivis apertum eſt, legem hanc plane peculiarem fuiſſe, & in ſolo ſeſto paſchatis obſervandam. Cum aliis enim ſacrificiis panes [a] fermentatos conſociare, nulla vetuit religio: nec lex ulla Judæos ad aliarum [b] oblationum reliquias uno eodemque die comedendas devinctos tenuit. At lex ea ſetmentum a ſacris paſchalibus amandavit, & illicitum ſecit vel minimam agni, vel cujuſvis alterius ſacrificii, paſchalis partem, in craſtinum reſervare. Judæos antiquos hanc legem ſenſu tam laxo accepiſſe, ſat cooſtat e loco illo parallelo, *Exod.* 34. 25. quem Græci interpretes in hæc verba transſerunt; Οὐ σφάξεις ἐπὶ ζύμῃ αἷμα [1] θυμιαμάτων μου, καὶ οὐ κοιμηθήσεται εἰς τὸ πρωῒ θύματα ἑορτῆς τοῦ πάσχα· i. e. *Non immolabis cum pane fermentato ſanguinem ſacrificiorum meorum, nec remanebunt uſque mane ſacrificia feſti paſchalis.* Quid autem Deus (præter morem ſeſtorum) agnum, & ſacrificia paſcharis alia, uno eodemque die comedi jubetet, niſi ut honorem ſeſto illi proprium & peculiarem vindicaret?

(3°.) Ratio a Judæorum magiſtris reddi ſolita, cur lege cautum ſit ne caro pacificorum ultra diem [c] ſecuodum relioqueretur, eſt הגדלת דבר הקרבן [2] *magnificentia ſacrificii:* nam, inquiunt, earo ſacra in regionibus illis calidioribus diutius ſervara, ob odorem ſuum graviorem ſorſan eviluiſſet. Non caret itaque veti facie, Deum carnem paſchatis non ultra diem [d] primum remanere voluiſſe, ut feſti tam ſolennis honori & magoificentiæ proſpieeret, nec quiſquam, palati vel naſi delicatioris, a carne tam ſacra, ob illius odorem aut ſpeciem minus gratam, abhorreret.

(4°.) Sententia hæc, per ſe ſpectata, probabilis eſt, & magna veritatis ſpecie eommendata. Cuivis eoim vel limis oculis legem Moſaicam intuenti patear, ſummi legiſlatoris curam (ſic loqui liceat) ad ſacrorum omnium decus & honorem illæſum conſervandum, inprimis vigilaſſe. Deinde, cuivis innoteſcit, ſermentum acore quodam male grato panem inficere, & illud indignum haberi quod menſæ ulli, niſi vili & plebeiæ, apponatur. Nee mious a ſeſti illius ſacratiſſimi dignitate alienum erat, ut ſacrificii ſui adeps aut pars aliqua ſemeſa in craſtinum remaneret. Nauſeam enim delicatulis movere ſolent pinguedinis reliquiæ & carnes igne heſterno coctæ, ſi die ſequente menſis inferantur: nec majeſtatem divinam condecebat, eonvivis ſuis cibos apponere, qui, in diem ſequentem relicti, ſaporem & vim ſuam pene totam amiſiſſent.

(5°.) Judæi veteres, prout & aliæ gentes, carnes pridie coctas odio vel contemptui habuiſſe videntur. Judæos antiquiores ſic erga carnes pridianas animatos ſuiſſe, quis e Prophetæ [e] verbis non injuria conjectarit; *non eſt ingreſſa in os meum* ulla *caro immunda.* Quamvis enim libri Græci qui plurimorum manibus teruntur, ibi [3] κρέας βέβηλον *carnem profanam* habeant; in quibuſdam eſt κρέας ἢ βέβηλον *caro* [f] *pridiana vel profana.* Sed & eo probabilius eſt, Judæos religioſiores hujuſmodi earnes olim averſatos, quod caro pridie cocta putredioi vicina crederetur. Nam, obſervante [g] Pet. Caſtellano, [4] Hippocrates ἕωλα per σαπρὰ *corrupta*, & [5] Galenus ἑωλίζειν per προσηπεῖν *ad putredinem diſponere*, interpretatur. Neque Judæi tantum, ſed & gentes antiquæ proculdubio, pro vili habebant cibum heſternum, qui nempe primam novitatis & caloris gratiam amiſiſſet. [h] Athenæus [6] introducit *Arſinoen* θοίνην ἕωλον *dapes pridianas* vituperantem, & intet turbæ promiſcuæ dona numerantem.

Sunt & aliæ leges ad dignitatem quandam rebus ſacris afferendam latæ: eas autem ſicco pede præteribimus, ne tædio ſimus, aut lectoris aeumini & diligentiæ nimis diffidere videamur.

a *Lev.* 7. 13. b *Lev.* 7. 16. c *Lev.* 19. 6. d *Exod.* 23. 18. e *Exec.* 4. 14.
f *Nam Suidas* ἕωλον *eſſe tradit* τὸ εἰς τὴν ἕω λειπόμενον. g *De eſu carn.* l. 1. cap. 5. h *Deipnoſoph.* l. 7. *ſub init.*

1 Apud *Cod. Alex.* θυσιασμάτων. *Edit. Complut.* θυσιάσματος. al. θυμάτων.—θύματα, *Alex.* θυμίαμα. *MS. Oxon.* & *Edit. Ald.* θῦμα. *Complut.* θυσιάσματα.
2 Vid. *R. Lev. Barcelon. Præcept.* 138. *col.* 57.
3 Apud *Cod. Alex.* βέβηλον. *Apud Theodoritum* Tom. 2. p. 329. A ἕωλον καὶ βέβηλον.
4 Vid. *de victus ratione* l. 2. p. 29.
5 Vid. lib. 7. de *methodo*, cap. 6.
6 *Iſ. Caſaubon.* ita animadvertit in *Athenæum* — *vituperantur ut plurimum* ἕωλοι *cibi: quanquam memini Hippocratem in libro* περὶ παθῶν *præcipere quibuſdam ægris ut utantur cibis* ἑώλοις καὶ ψυχροῖς. pag. 474.

SECT.

SECT. III.

SECT. III.

Legem perſonarum ſacrarum honori proſpexiſſe.

Leges quibus ſacerdotum honori proſpectum eſt

QUO major Deo & ſacris ejus accederet veneratio, eæ leges datæ ſunt quæ miniſtrorum ſacrorum dignitatem ſummopere tuebantur.

INTER eas locum primum habeat, lex ea qua cautum eſt, ne ulli fracti, gibboſi, nani, mutili, vel tali aliqua corporis labe notabiles, altari miniſtrarent. Lex ea fuſe traditur, *Levit.* 21. Ubi Deus, poſtquam varia corporis vitia enumeraſſet quibus aliquis e ſanguine licet ſacerdotali natus, ad altaris miniſterium ineptus reddebatur; ſtatim addit, [a] omnis vir *in quo* eſt *macula*, *velum non ingredietur, & ad altare non accedet, ne polluat ſanctuarium meum: quia ego Dominus qui ſanctifico eos:* hoc eſt, ne hujusmodi ſacerdotes, inſigni aliqua corporis turpitudine vel vitio deformati, ſanctuarium meum tanquam locum vulgari alicui miniſterio deſtinatum tractent & aliis minus honorifice de ſanctuario, cultu, & ſacerdotio meo, ſentiendi occaſionem præbeant. Quamvis enim provida natura non raro corporis deformitatem pulchris animi dotibus abunde compenſet, vulgus κατ' ὄψιν judicat, & prout externa corporis ſpecies in oculos incurrit, ita perſonam & officium hominis ſpernit aut admiratur. *A Perſis* itaque *religioſe* [b] *obſervatum eſt, quod & toti Orienti familiare, neminem* in *imperium* admittere, *quem corporis mutilatio, vel naturæ in quibusdam membris infirmitas notaret.* Idem & Romanos quandoque ſervaſſe legimus: nam, referente Dionys. Halicarnaſſæo, [1] Horatius Cocles & Mutius Scævola, quia mutili, magiſtratus incapaces judicati ſunt. Recte itaque alicubi [2] Curtius, pleriſque gentibus ingens in corpore *veneratio eſt, magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos ſpecie* egregia & *eximia natura* donavit.

(2°.) LEX ea peculiaris de ſacerdotum luctu funebri lata videtur, ut inde ſacris & ſacrorum miniſtris gratia quædam & majeſtas adderetur. Nempe [c] lege proſpectum eſt, ne ſacerdos funeri cujusvis, niſi ſanguine conjunctiſſimi, adeſſet, aut ceremoniis in luctu funebri conſuetis uteretur. Deum legem illam ſanxiſſe, ut ſacra & ſacrorum miniſtri reverentiam eo majorem in hominum animis obtinerent, ſatis e verbis ſequentibus intelligitur. Cum enim præcepto cautum eſſet, ne quis e filiis Aaronis mortui alicujus exequiis intereſſet, hæc cauſa præcepti traditur; *verſ.* 4. *Non contaminabit ſe*, cum ſit *vir primarius in populo ſuo, ut polluatur:* q. d. "Non decet ſacerdotem, ritu aut ſqualore funebri muneris ſui exercitio ſe ineptum reddere, & cum plebem dignitate ſuperet, ceremonia aliqua triſti & indecora apud plebem recepta, oris locique ſui dignitatem minuere. Seipſum revereri oportet, & a ſeculi moribus parum decoris aut imbecillitatem vulgi ſapientibus ſeparare. Et poſtquam Moſes ceremonia quavis lugubri ſacerdotibus interdixiſſet, continuo addit, [d] *ſancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen Dei ſui, quia oblationes igne factas & panem Dei ſui offerunt:* h. e. Deo & religionis officiis peculiariter ſeparati ſunt: & loci ſui τὸ πρέπον poſtulat, ut a populi fæce non minus more quam munere diſcernantur: volo itaque ut ſacerdotes ſe cum diſcrimine habeant, nec morem quemvis vulgarem & eorum faſtigio indignum ſervent; ne nomen meum & eorum miniſterium eo minus ſanctum & ſeparatum cenſeatur. Fatendum eſt interim, Deum non ſacerdotum tantum ſed & ſacrorum honori lege illa ſtuduiſſe. Cum enim ita lege conſtitutum eſſet, ut omnes officio aliquo funebri ſungentes pro pollutis haberentur, non erat e ſacrorum dignitate vel tabernaculi ſanctitate, ut exequiis intereſſent ſacerdotes: inde enim neceſſe eſſet, ut ſacra negligerent, aut ea manibus impuris tractarent, & utrovis modo *Dei ſui nomen polluere* viderentur.

(3°.) LEGE etiam de ſacerdotum matrimonio lata, eorum honori & dignitati conſultum videtur. Nam [e] lege curatum eſt, ut qui ſacerdotio fungebatur, fœminam tori virilis neſciam, non viduam, repudiatam, proſtibulum, aut ullam pudicitiæ ſuſpectæ fœminam, ſibi matrimonio copularet: nempe, ne quid labis aut dedecoris, e conjugio

a *Com.* 23. b *Thyſ. memorab.* c. 3. de *Rep. Perſar.* p. 95. c *Levit.* 21. 1, 2. 3, 5. d *Lev.* 21. 6.
e *Lev.* 21. 7, 13, 14.

1 *Dionyſ. Halicarnaſ.* narrat quidem iſtam συμφορὰν Horatii, viz. τὴν πήρωσιν τῆς βάσεως (apud *Cod. Vatican.* τῆς βλάψεως) de *Mucii* autem infortunio ejusmodi altum ſilet. Vid. *Antiq. Roman.* lib. 5. p. 285.

2 Vid. lib. 6. p. 237.

SECT. III.

vili aut vulgari, ſacerdotibus, aut ſacris quibus operam dabant, adhæreret. Legem illam eo fine datam fuiſſe, * legis verba doceant; *mulierem meretricem, & profanam non accipiet*, &c. *quia ſanctus ipſe Deo ſuo: & ſanctificabis ipſum, quia panem Dei tui offert.* Et ſtatim poſtea, *viduam, & repulſam, & prophanam*, & *meretricem, non accipiet: quinimo virginem e populis ſuis accipiet uxorem. Et non prophanabit ſemen ejus in populo ſuo, quia ego Dominus ſanctificans eum.* Quæ verba, ſi recte intelligo, hæc volunt: ſacerdotem ſcilicet perſonam eſſe ad ſacra munia ſolenniter ſeparatam, ideoque ſanguinem ejus a vulgaris aut polluti ſanguinis admiſtione purum conſervandum; ut ille, tanquam perſona eximia & plane ſingularis, in honore maximo habeatur, & ita per omnia ſe gerat, ut imaginem exprimat Dei *ſancti*, [i. e. ſingulari naturæ ſuæ eminentia a rebus creatis ſeparati] cujus cultui ſe totum conſecravit. Et proculdubio leges illæ, ſacerdotibus & ſacris quibus ipſi præerant, haud vulgare decus attulerunt. Si enim Iſraelitæ animos attenderent ad interdicta illa varia ne ſacerdotes corpora mortuorum attrectarent, aut eorum exequiis deſungerentur, & ne fœminam aliquam congreſſus viriles expertam, ſed virginem, ſelectam, & ab omni labe puram, in uxorem ſumerent; fieri non potuit, quin ſacerdotem perſonam eximiam exiſtimarent, & ſacra omoia reverenter haberent, quibus ille miniſtrabat: Deum enim leges eas, de marrimonio præſertim, ad ſacrorum, æque ac ſacerdotum, honorem & dignitatem magnificandam inſtituiſſe, non facile dubitandum eſt. Cum enim vidua, repudiata, profana, & fœmina cui vitium oblatum, labis & impuriratis alicujus ſpeciem ferrent, impuritatis aliquid ſacrorum miniſtris affricare poſſent; unde tabernaculi religio vileſceret, & ſacra omnia reverenriæ priſtinæ jacturam facerent.

(4°.) Ut ſacerdotes veneratione eo majore exciperentur, iis veſtes ſacræ ſumma pulchritudine inſignes lege decernebantur. Hoc in ipſa lege ſatis aperte traditur, viz. *Exod.* 28. 2. & 40. *Facies Aaroni veſtes ſanctas*, ſtolam, &c. *& filiis ejus, tunicas, baltheos*, &c. εἰς τιμὴν καὶ δόξαν (uti reddunt LXX) *in honorem & gloriam:* i. e. ut populus, tanti ſplendoris admiratione perculſus, ſacerdotes & eorum miniſteria honore plane ſingulari proſequatur. Et ſane, cum ſacerdos ſummus veſtibus auro intertextis exornatus incederet, cum gemmarum ſuarum ſplendor aerem propinquum illuminaret, & (ut alia jam taceam) caput ejus corona aurea Jehovæ nomine inſcripta redimiret; cum etiam ſacerdotes gregales lino quæſitiſſimo decorati miniſtrarent, eos etiam zona ad eximiam pulchritudinem elaborata circumcingeret, & (ut verbo expediam) cultum ſolo pontificali minorem gererent; cum, inquam, pontifex & minorum gentium ſacerdotes inſignibus hiſce ſacerdotalibus induti miniſtrarent; fieri non potuit, quin populus apparatus ram ſplendidi ſenſu penitus afficeretur, & ordini ſacerdotali reverentiam tanto ſplendori parem exhiberet.

(5°.) Ad hunc finem data eſt lex ea de primitiis & decimis quibus ſacerdotum natio ſuſtentabatur, ad templum afferendis. Hac ratione ſacerdotum honori ſimul ac vitæ proſpectum eſt: nam (1°.) Hujusmodi primitiæ & decimæ res erant Deo ipſi ſolenniter dedicatæ. Erat autem honoris faſtigium obſervante [a] *Philone* κοινωνοὺς τῶν κατ' εὐχαριστίαν ἀνατιθεμένων γίνεσθαι Θεῷ, *particeps fieri eorum quæ Deo ſacrantur a gratis hominibus.* Nam hoc modo legis fidem liberari dicit, quæ ὑπερβολῇ τῆς τιμῆς χρησαμένη, τὸν Θεὸν ἔφη κλῆρον αὐτῶν εἶναι, *honoris maximi cauſa, Deum ipſum ſortem* & poſſeſſionem *fore* ſacerdotum *pronunciat.* (2°.) Decimæ & primitiæ illæ reditus haud mediocres ſacerdotibus præbuerunt. Rei hujuſce teſtem Philonem advoco: poſtquam enim primitias & decimas, frumenti, vini, olei, & pecudum, memoraſſet; *quanta*, [b] inquit, *hinc copia proveniat, licet ex numeroſiſſima gentis frequentia conjecturam facere.* Qui vero reditus tam uberes habebant, facile muneris ſui dignitatem ſuſtinere, & pronam apud populum venerationem obtinere, poterant. (3°.) Lege illa ſacerdotum honori conſultum eſt, quatenus omnem exprobrandi materiam ſuſtulit. Hoc [c] *Philoni* obſervatum, cum ait, ὑπὲρ τοῦ μηδένα τῶν διδόντων ὀνειδίζειν τοῖς λαμβάνουσι, κελεύει τὰς ἀπαρχὰς εἰς τὸ ἱερὸν κομίζεσθαι πρότερον, &c. *Ne quis e* primitias *ſolventibus exprobraret accipientibus* beneficium ſuum, *jubentur prius in templum deferre munera, ut tum demum inde ſacerdotes deſumant.* Quibus poſt pauca ſubjungit, *quisquis non ab hominibus, ſed a Deo in omnes beneficio, munus accipit, ſalvo pudore accipit.*

(6°.) Ut populus eo majore reverentia ſacerdotes obſervaret, lege cautum eſt, ne quis altari miniſtraret, niſi e tribu Levitica & Aaronis familia genus duceret. Multum enim ad ſacerdotum dignitatem adjecit natalium claritas, nempe ſanguis hauſtus

* *Lev.* 21. 7, 8, 14. a Lib. *de honor. ſacerdot.* p. 830. b Pag. 832. c *Ib.* p. 833.

ab

ab Aarone qui Dei * חסיר [1] audiit, & tribu illa quæ, præ cæteris, olim eximiæ pietatis laude floruit. Ordo ſacer eviluiſſet proculdubio, ſi Deus ex infima plebe poſtremos muneri ſacerdotali defungendo præfeciſſet. Codicem Moſaicum percenſenti leges occurreot aliæ, quæ ad ſacerdotii dignitatem ſervandam a Deo ferebantur; eas autem, brevitati ſtudens prætermitto. SECT. IV.

SECT. IV.

Et Locorum Sacrorum.

LOCORUM ſacrorum nomine hic intelligimus locos ſanctitate relativa donatos, i. e. Dei præſentis ſymbolis decoratos, Deo inſuper & religioni cooſecratos. Judæi vero loca duo, [Tabernaculum & Templum] ſanctitate illa Legali inſigoia habebant, ad quorum honorem & dignitatem illæſam conſervandam, ſummus legislator [a] *vehementer & ſollicite laboraſſe* videatur. Non eſt mihi animus, in hoc ſolo, pingui licet, multum operæ collocare: ad leges tantum præcipuas inteodam digitum, eo fine datas, ut dignitatem eximiam ſanctuario aſſererent, & illud a contemptus alicujus ſpecie vindicarent.

INTER eas locum primum occupet [b] lex ea generalis, *ſanctuarium meum reveremini.* Prima. Hoe autem præceptum Judæos ad reverentiam duplicem [internam & externam] ſanctuario præſtandam devinxiſſe creditur. Interna in animo ſita eſt, qui tum demum rei alicui ſanctæ reverentiam exhibere dicatur, cum eam, peculiarem, eximiam, & dignitate præcellentem, exiſtimet, & ſenſu religioſo rei illius dignitati conſentaneo afficiatur. Reverentia externa eſt, quæ ritu vel actu aliquo externo, decoro & ad honorem teſtandum apto, exhibetur; nempe pedum denudatione, ſacrorum officiorum peractione, manuum lotione, ab uſu aliquo vulgari ſeparatione, capitis apertione, vel alia aliqua ceremonia, modeſta, & ad gentis cujusque mores accommodata. Hoc ſenſu latiore Judæi legem illam accepere: inde enim fluxiſſe videtur, quod illi tot leges & ceremonias, tanquam ſepes quasdam, ad ſanctuarium ab omni contemptu muniendum, excogitarenr. Nam Judæorum inſtitutis introductum eſt, ut [c] [2] *nemo in montem templi veniret cum baculo, aut calceamentis pedum, neque cum mantica vel pecuniis linteo involutis:* ut omnes templo exeuntes religioſe curarent, ne tergum aut ullæ poſterioris corporis partes ſanctuario obverterentur: ut ſacerdotes minime in templo [d] habitarent, nec ullo niſi mioiſterii tempore in illud ingrederentur. Judæorum etiam moribus receptum erat, ut Levitæ circa ædem ſacram nocturnas excubias agerent; non ut ab hoſte vel graſſatoribus tuta eſſet, ſed ut ſanctuario & religionibus honos eo ſublimior haberetur. Erant etiam Judæis [e] οἱ ἐν δευτέρᾳ τάξει ſacerdotes, quibus porticus atriumque verrendi, ſcobes & quiſquilias exportandi, & munditiem curandi, partes demandatæ ſunt; ne templum vileſceret & minoris fieret, ſi quid impurum & ab illius ſanctitate diſſentiens in æde tam auguſta vel illius confinio deprehenderetur. Mundities enim res cumprimis ἱεροπρεπὴς, & præcipuum honoris ædibus ſacris tributi [f] ſignum, antiquitus habebatur. Ideoque, in ſignum contemptus maximi, ædes *Baalis* [g] in latrinam (rerum maximé ſpurcarum receptaculum) convertebatur,

(2°.) AD ſanctuarii reverentiam conſervandam, lex ea *Aaroni* data eſt, *Lev.* 10..9. Secunda. *Vinum & omne quod inebriare poteſt, non bibetis, tu & filii tui, quando intratis in tabernaculum*, h. e. dum ſtolam fertis & in ſanctuario miniſtratis. Sacerdotes hanc legem ſancte coluiſſe, notat *Hecatæus* apud [3] Euſebium: nam de Templo Judaico verba faciens, διατρίβοντι, inquit, ἐν αὐτῷ καὶ τὰς νύκτας, καὶ τὰς ἡμέρας ἱερεῖς, ἁγνείας, τινὰς ἁγνεύοντες, καὶ τὸ παράπαν οἶνον οὐ πίνοντες ἐν τῷ ἱερῷ. Cauſa autem vini, miniſtrationis ſuæ tempore interdicti, verſu ſequenti traditur, *ut diſtinguant inter ſacrum & profanum, inter mundum & immundum:* h.e. Ut conſtet iis rationis uſus, qua res & perſonas ſacras diſcernere valeant; ut nec res ſacræ minus ſancte & honeſte tractatæ ſordeant, nec ſanctuarium meum perſonæ alicujus immundæ acceſſu polluatur. Corinthii, ſacram cœnam vino

* *Deut.* 33. 8. *Pſal.* 106. 16. a *Noſti quam ſollicite & vehementer Lex laboret, magnificentiam & venerationem ſanctuarii nobis perſuadere.* Maim. Mor. Neb. Par. 3. c. 45. b *Lev.* 19. 30. c *V. Cun.* de *Rep. Hebr.* l. 2. c. 12. d *Maimon. ub. ſup.* p. 171. e *Phil.* lib. de *ſacerd. honorib.* p. 834. f *Deut.* 23. 14. g 2 *Reg.* 10. 27.

1 Apud *Pſal.* 106 16, legitur קדוש
2 *Nemo* &c. Vid. *Tractat. Beth. Habbechirah*, cap. 7. §. 2. in *Maimonid Jad. Chazak.* Tom. 3.
3 Vid. *Euſeb. Præp. Evangel.* p. 408.

SECT. IV. gravati celebrantes, τὸ σῶμα τῦ Κυρίυ διακρίνειν, *Domini corpus diſcernere* non norunt, ſed panem myſticum tanquam vulgarem, nullo diſcrimine habito, comederunt: idem & uſu veniſſet, ſi Deus, inter ſacra minisſteria, ſacerdotibus vinum bibendi libertatem conceſſiſſet. Libertas illa proculdubio tandem in licentiam abiiſſet, & ſacerdotes vino victi ſacra & profana omnia promiſcua habuiſſent, unde & ſanctuarium una cum ſacris ejus omnibus uſu vili & geſtu ridiculo in contemptum adduxiſſent.

Tertia. (3°.) Scopum & propoſitum idem [ſanctuarii ſcilicet honorem] habuit [a] lex ea de immundis omnibus, puerperis inprimis, a ſanctuario & ſacrorum communione longe removendis. In ea ſum ſententia, quod nulla ratio occurrat, cur Deus puerperas, alioſque pollutione quavis infames, a tabernaculo ſuo procul ire juberet, niſi ut inde ſenſus verecundus, tabernaculi ſanctitati & excellentiæ conſentaneus rudiori plebeculæ incuteretur. Vix ulla nempe ceremonia ad excellentiæ tabernaculi ſenſum inferendum, aut ſenſum illum exprimendum, magis apta & populi illius ingenio accommodata excogitari potuit, quam diſtantia illa verecunda quæ puerperis & aliis immunditie aliqua laborantibus injungebatur. Quivis enim facile colligeret, Dei ſanctuarium ædes omnes vulgares ſanctitate & dignitate longe antecellere, cum nullis niſi ſolicite purgatis ad illud accedere conceſſum eſſet. His adde quod & ethnici (quorum inſtituta Judæorum legibus facem præferant) puerperas omnes ante diem a partu quadrageſimum, templorum ſuorum ingreſſu prohibuerint. *Prægnans*, inquit [1] Cenſorinus, *ante diem quadrageſimum, non prodit in fanum.* Cauſam addit *poſt partum — pleraque fœtæ graviores ſunt, nec ſanguinem interdum continent:* quaſi dixiſſet, fœminæ partu nuper levatæ, impuræ ſunt adhuc, & indignæ quæ ſacrata tranſcendant templi limina, ne illius eximia ſanctitas frequentia tam impura & infami minuatur. E dictis facillime cognoſci poreſt, cur mulier, fœminei ſexus partu ſoluta, per [b] ſexaginta ſex dies a ſanctuario abſtinere teneatur; quod ſcil. αἱ θηλύτοκοι minus caleant, eoque tardius ad munditiem, templi majeſtati & ſanctitati convenientem, perducantur.

Quarta. (4°.) Multum etiam ad ſanctuarii venerationem addidit, lex ea *Levit*. 10.7. quæ ſacrorum miniſtris tradebatur: *ex oſtio tabernaculi conventus non egrediemini, ne forte moriamini.* Hanc legem Hebræorum [2] magiſtri non tantum Aaronem, & filios ejus, qui in vivis erant cum *Nadab* & *Abihu* perierunt, ſed & eorum poſteros, devinxiſſe ſentiunt. Ea vero lege proviſum eſt, ne quis in tabernaculo agens & ſacerdotium jam adminiſtrans, nunciato propinqui alicujus funere, ſic affectibus ſuis indulgeret, ut (ſacris in medio relictis) tabernaculo exiret, & majus erga hominem mortuum, quam Deum vivum, ſtudium & affectum proderet. Deum autem legem illam ad augendam ſanctuarii ſui majeſtatem ſacerdotibus impoſuiſſe, ſatis intelligi datur e lege cognata ſummo ſacerdoti tradita; [c] *de ſanctuario non egredietur, neque polluet ſanctuarium Dei ſui:* nam lex ea clare docet, pontificem rebus divinis occupatum, ædes ſacras *polluere*, h. e. vulgariter & tanquam ædes communes habere, modo, *adytis ariſque relictis*, ſe domum conferat, ut patris defuncti funus defleat & exequias curet. Tum demum ſacerdotes ſe honorifice de ſanctuario ſentire, eique ſanctitatem eximiam tribuere, teſtabantur; cum ſepoſitis, non tantum negotiis, ſed & affectibus humanis, ſacra curarent, & Deo ἀπερισπάστως inſervirent.

Quinta. (5°.) Lex liberos *Molecho* dari prohibens, ad contemptum omnem a ſanctuario amoliendum, eique dignitatem eximiam aſſerendam ferebatur. Hoc e duobus Levitici locis ſimul collatis eluceſcat: viz. *Levit*. 18.21. *Non tranſire facies ſemen tuum ad Moloch, & non pollues nomen Dei tui;* & Levit. 20.3. *Statuam faciem meam in virum illum* — qui *de ſemine ſuo Molecho dederit, ut contaminet ſanctuarium meum, & polluat nomen ſanctum meum.* Ut autem horum locorum interpretationi viam præſtruamus, monendum eſt iterum, *nomen* & *ſanctuarium* Dei, dupliciter, interne ſcilicet & externe ſanctificari poſſe. *Interne* ſanctificari dicitur, cum animus excellentiam eximiam Deo & ſanctuario tribuit, & ſenſu afficitur excellentiæ illi ſingulari conſentaneo; *externe* vero, cum animus actu rituque aliquo externo, ſingularis illius excellentiæ fidem & ſenſum exprimit, Deo & ſanctuario ſuo honorem ſingularem dictis & factis exhibendo. Hinc intelligere eſt, quid ſit Dei *nomen* & *ſanctuarium polluere* & *contaminare;* nempe nomen & cultum uni Deo proprium cum Diis aliis communicare, & ſacrificia, coram ſanctuario tantum offerenda, alio in loco immolare. Qui itaque

a *Lev*. 11. 4, 5. b *Lev*. 12. 5. c *Lev*. 21. 12.

1 Vid. cap. 11. pag. 57.
2 Vid. *R. Lev. Barcelon.* de *Præcepto* 157. pag. 63.

Molecho

Molecho liberos offerebant, Dei nomen & honorem *Molecho* ſacrilege tribuebant, & tabernaculo deſpicatui habito, in loco quovis vulgari ſacrificabant. SECT. V.

(6°.) Legibus, quibus honori ſanctuarii conſultum eſt, annumeremus præceptum de ſacerdotibus inſigni aliquo corporis vitio & fœditate ootatis a ſanctuarii miniſterio & ingreſſu prohibendis. Rei huic fidem faciunt ipſa præcepti verba, *Levit.* 21. 23. ***Ad velum non ingredietur***, & ***ad altare non accedet ſacerdos cui ineſt macula, ne polluat ſanctuarium meum:*** h. c. Ne hujuſmodi ſacerdos fœdus aut viſu deformis, plebeiis, vix ultra ſuperficiem penetrantibus, minus honorifice de ſanctuario meo ſentiendi occaſionem præbeat. Miniſtri regii, oris & corporis elegantia conſpicui, oovam regibus & palatiis majeſtatem conciliant: ſervi vero, quibus ſacies illiberalis, aut fœdum & deforme corpus, a regum dignitate alieni creduntur, & eorum majeſtatem minuunt in conſpectu plebis. Curavit itaque ſummus Judæorum Dominus, ne ulli, licet e gente ſacerdotali, in ſamulorum ſuorum numerum aſcriberentur, niſi quos corporis integritas & honeſta ſpecies commendarunt. Neque abſooum fuerit hinc rationem arceſſere, cur [a] nullis ante annum vigeſimum quintum, nec poſt annum ætatis ſuæ quinquageſimum, tabernaculi miniſterium obire liceret; nempe ut homioum animis eo major ineſſet ſanctuarii veneratio. Nam ſub ætatem illam homines maxime vigeot florentque, pulchritudine juvenili vel fortitudine & gravitate virili præcipue decorati: & proculdubio longo ſacerdotum ordini, corporis elegantia vel firmitate conſpicuo, vis magna ineſſet ad ſingularem ſanctuarii reverentiam hominum animis incutiendam. At ſi quis operi alicui ſacerdotali manum admoveret, priuſquam annum vigeſimum quintum attigiſſet, aut poſtquam annum quinquageſimum ſuperaſſet; verendum erat, ne puerilis imbecillitas aut ſenilis aliqua deſormitas eum contemptui objicerer, & ſanctuarium *polluendi*, i. e. minus reverenter habendi & colendi, Judæis κατ' ὄψιν judicantibus occaſionem adminiſtraret. Sexta.

(7°.) Præcepta de tabernaculo tam ſplendide fabricando data videntur, ut Iſraelitæ eo majore ſanctuarii reverentia tenerentur. Multorum verborum ambitu nil opus eſt, ut ſplendidum illum rerum omnium apparatum quo tabernaculum præfulgebat, lectori curioſius exponam; cum illius pompam & elegantiam, Spiritus S. penſcillum tam graphice depinxerit, & illius cognitio tam facile e ſacris fontibus hauriatur. Id unum dixiſſe ſufficit, naturam, artem, & inſtinctum divinum, conſpiraſſe, ut tabernaculum opus egregium prodiret & omnibus numeris abſolutum. Ideo vero tam ſolicite curatum eſt, ne Iſraelitæ quicquam ſplendoris aut elegantiæ in tabernaculo deſiderarent; ut populus ille, ſenſu ductus & ſanctuarii ſplendore perculſus, illud revereri diſcerent, & regis ſui cœleſtis majeſtatem ex auguſta palatii ſui magnificentia judicarent. Septima.

Hæc & alia in cauſa erant, cur a ſacerdotibus olim, ἅπαντα φόβῳ καὶ καταξίως μεγάλης θειότητος ἐπιτελεῖσθαι (uti loquitur [b] Ariſteas) *omnia cum reverentia, & ut convenit magna divinitati* [in tabernaculo & templo] *perficerentur:* nam plura adhuc, Gratiis haud invitis, ad hanc materiam ornandam, adduci poſſent. Sed hæc forſan ad lectoris ſitim ſedandam, vel diligentiam excitandam, ſufficiant.

SECT. V.

Legem rituum etiam ſacrorum honori proſpexiſſe.

Ut Judæi inſtituta legalia ſanctius & ſtudioſius obſervarent, id inprimis curavit ſummus legiſlator, ut nihil iis ineſſet quod iis offendiculo eſſe, nec quicquam deeſſet, quod reverentiam & religionem eorum animis injicere poſſet. Hoc aperte conſtabit, ſi probatum dedero, legis inſtituta, gravitate, ſanctitate, ſplendore, atque ordine commendata fuiſſe; & hiſce quatuor, gentium aliarum ceremonias plurimum ſuperaſſe. Sermonem itaque de ſingulis aſtricte faciam. Honorificæ rituum ſacrorum circumſtantiæ quatuor.

(1°.) Gravitas & ſobrietas ritus & inſtituta legis Hebræorum animis quam maxime commendarunt. Si enim ritus omnes Moſaicos animo revolvamus, nihil ludicrum, ἄλογον & abſurdum nihil, nihil quod *Catonis* moroſi ſeveritatem pati non poteſt in iis reperiamus. Erant rudimenta illa *infirma* quidem & *egena:* ſed hoc temporum & Hebræorum ingenio tribuendum eſt, qui inſtituta ſublimiora & ad Dei ho- Gravitas.

a Vid. *Seld. de ſucceſſ in Pontific.* p. 220. 221. &c. & *Grot. in S. Luc.* 3. 23. b *Hiſtor. de. LXX Interp. Bibliot. Pat. Gr.* T. 2. p. 866.

SECT. V. miniſque natura magis accommodata minime paterentur. Si vero cum animis noſtris reputemus, quid temporum & Hebræorum veterum conditio poſtulavit, ſateri neceſſe eſt, nihil a ratione, legislatoris majeſtate, aut viri cordati gravitate alienum, in toto rituum Moſaicorum catalogo deprehendi poſſe. Neque hoc Gentilium obſervationem fugiſſe videtur: nam *Strabo*, ut Moſi odium & invidiam conflaret, artes varias comminiſcitur, quibus *Moſes* ad facilem plebem ſibi devinciendam utebatur. Inter alia vero, [a] *Moſes*, inquit, *pollicebatur ſe traditurum* τοιοῦτον σεβασμὸν καὶ τοιαύτην ἱεροποιΐαν, ἥτις [ὅτε] δαπάναις ὀχλήσει τοὺς χρωμένους, ὅτε ἢ θεοφορίαις, ὅτε ἄλλαις πραγματείαις ἀτόποις *talem colendi & ſacrificandi rationem, quæ nec impenſis, nec motibus propheticis, aut ullis aliis rebus abſurdis, utentibus gravis accideret.* Quaſi dixiſſet, "Moſes ritus ſanaticos & emotæ "mentis indices, geſticulationes ridiculas & ad ſtuporem tantum movendum aptas, a "religione ſua longe ablegavit; nec hecatombæ, ceremoniæ theatricæ vel obſcœnæ, "quæ Ægyptiorum myſteria onerabant, ullum in legibus & ſacris ab eo inſtitutis lo"cum invenerunt. Quibus omnibus, *Strabo* veritatem quidem, quamvis (ad morem Diaboli) calumniandi animo loquebatur; cum legis ceremoniæ ſobrietatem ſpirent, & ideo inſtitutæ ſint, vel ut ſacra quæ temporis ratio poſtulavit, decore & cum majeſtate quadam perficerentur, vel ut morale aliquid (licet obſcurius) indicarent, vel ut in iis obſcurius Evangelii ſchema repræſentaretur. At pleræque Gentilium ceremoniæ tam ridiculæ erant & mente vacuæ, quaſi id egiſſent Dæmones, ut miſeri homines eorum ludus eſſent & fabula. Huc apprime ſaciunt verba auctoris, cui literæ non parum debent: [b] *recordetur quis typos & ceremonias veteris legis. Fuerunt illæ rationales & ſignificativæ, longe diſcrepantes a ceremoniis idololatriæ & magiæ; quæ tanquam ſurdæ & mutæ erant, nihil docentes plerunque, imo ne innuentes quidem.* Nempe id unice curabant Dæmones, harum ceremoniarum magiſtri, ut hominum ſtultitia & obſequio plane ſervili fruerentur.

Sanctitas. (2°.) RITIBUS Moſaicis dignationem & gratiam haud exiguam addidit eximia illa ſanctitas & innocentia, qua ſupra Gentilium ceremonias eminebant. Nihil enim a *Moſe* inſtitutum qood cultoris modeſtiam gravaret, aut cum nativis erga ſeipſum aut ſobolem affectibus male conveniret. Ille nihil obſcœnum, crudele, vel profanum, cultus aut religionis titulo cohoneſtare docuit. Cum etiam ſacerdotes ceremonias tam ſacras adminiſtrarent, lege cautum eſt, ne verecundiæ leges transgrederentur, &, ritu ethnico, partes detegerent, quas pudor velare jubet. Longe alia rituum ſacrorum ſacies apud ethnicos, quorum religio Diaboli imaginem ferebat, utpote crudelitate vel ſpurcitie plerumque contaminata. Vix quicquam continebant eorum myſteria caſtis aut humanis oculis tolerandum. [2] Apud Babylonios ſœminæ omnes ritu recepto corpora in honorem Veneris, quam *Mylittam* vocabant, vulgare ſolebant: & notum eſt, μυστήρια τοῦ [3] Beel-phegor, Oſiridis, Liberi patris, & Cereris, tam turpia fuiſſe, quod pudoris interſit ritus eorum impuros ſilentio præterire. Res aliter eſſe non potuit, cum in Gentilium ſacris profligati pudoris [4] fœminæ non raro ſacerdotum vice fungerentur. Hinc ſumma gentium cura, ne ritus ſui in vulgus prodirent: mira in myſteriis eorum ſilentii fides, & in eum qui arcana vulgaſſet, non raro pœna capitis animadvertebatur.

Splendor. (3°.) RITUUM & inſtitutorum Moſaicorum ſplendor reverentia & religione non levi Judæorum animos afficiebat. Cum enim viderent ſacerdotis maximi pectorale lapidibus nobilibus illuminatum, ſacerdotes minores veſtibus ſpeciem elegantem præbentibus exornatos, vela tabernaculi byſſino emblemate figurate variegata, templum ornatu non ſacile verbis aſſequendo ſplendidum, tabernaculum & arcam naturæ ſimul & artis ornamentis inſtructiſſimum; proculdubio magnus eos ſubibat ſtupor, & profundiſſima Dei & ſacrorum ſuorum reverentia tenebantur.

Ordo. (4°.) ORDO etiam pulcherrimus ſummum ritibus Moſaicis honorem & auctori-

a *Strab. Geogr.* lib. 16. p. 1104. C   b *Verulam. de Augm. Scient.* l. 9. c. 1. p. 598.

*. Θεοφορίαις — *motibus propheticis*, potius *numinis afflationibus*; *ita Suidas* reddit θεοφορ. ἐνθουσιασμός & provocat ad *Epigramma Dioſcoridis* in *Gallum*, ſive *ſacerdotem Cybele*, ex *Anthologia inedita*.

——— Αγρια δ' αὐτοῦ
Εψύχθη χαλεποῖο πνεύματα θευφορίης.

Εψύχθη — *Kuſter.* mallet ἐπαύθη. Πνεύματα θευφορ. — In *Anthologia*, rectius πνεῦμ' ὑπὸ θευφορίης. *Anthologiam* totam legas, ſub voce Θαλάμη.

2 *Apud. Babyl.* vid. *Herodot.* l. 1. cap. 199. *Strabon. Geogr.* l. 16. p. 1081. & *Selden.* de *Dus Syr. Syntagm.* 2. c. 7.

3 De *B. Phagor.* vid. *Numer.* 25. 1, 2, 3. *Pſal.* 106. 28. De *myſteriis B. P.* vid. *Selden. Syntagm.* 1. c. 5. & *Voſſium* de *idololatr.* l. 2. c. 7. De *Oſiride*, *Plutarch.* de *Iſid. & Oſir.* p. 355, 364. *Selden. Syntagm.* 1. c. 4. *Voſſium*, l. 1. c. 27. De *Libero*, *Plutarch.* p. 365. *Voſſium*, l. 2. c. 14. De *Cerere Voſſium*, l. 2. c. 59.

4 *Fœmina*, &c. Vid. *Strabon. Geogr.* l. 12. p. 456, 837.

tatem

ratem afferebat. Lege curarum eſt, ut omnia κατὰ τὸ πρέπον & κατὰ τάξιν ex *decoro* & *præſcripto*, in cultu Legali, peragerenrur; & ut Judæi non ranrum ceremonils hiſce Deum colerent, ſed & riru decoro & præſcripto ceremonias illas exequerentur. Nihil enim cultum divinum ſpectans verbis obſcuris aut incerti ſenſus a Moſe traditum, nil cæco vel præcipiti zelo, nihil pturienti Judæorum ingenio, vel naruræ humanæ rerum novarum in ſacris avidæ, relictum fuit. Nempe Lex de minimis plerisque curavit: ipſi arcæ annuli, altaris craticula, cortinæ tabernaculi, varia zonæ pontificalis materia & hujusmodi alia, curioſe præſcribuntur, & cultus legalis forma & modus eadem ἀκριβείᾳ qua & ipſa materia & inſtrumenta, plerumque determinantur. Atque hac ratione abunde proſpectum eſt, ne confuſio, ſtrepitus, noviras, partium ſtudia, incerta ſacra, ſuperſtitio, vel quidvis alind a cultus divini gravitate & majeſtate alienum, Judæos & corum religionem in contemptum traheret. SECT. V.

Hæc omnia de Judæorum ritibus paulo ſuſius dicta in compendium contrahunt regis [a] *Agrippa*, Cajum ſic alloquentis, verba: *Marcus Agrippa, avus tuus maternus, Judaam Herode avo meo regnante adiit: -- cumque ſpectaſſet templum, &* decoros ritus *ſacerdotum, puritatemque* civium, *delectatus eſt ſpectaculo ut magnifico ac ineffabili, adeo ut inter familiaria colloquia nihil tunc in ore haberet aliud quam laudes templi ejusque* ornamentorum. *Ergo quam diu haſit* ibi -- ἐφοίτησεν ἐς τὸ τέμενος, τερπόμενος τῷ Θεῷ, &c. *Ad templum accedebat* quotidie, *oblectans animum contemplatione ſacri apparatus, ſacrificiorum ordinis, verendaque majeſtatis in ſacerdote ſummo, ſacrato cultu ornato, præſidenteque* cæteris. Si e re noſtra ſorer, alios e Genrilium ordine recenſere poſſem, quos ob rituum gravitatem, ſanctitatem, ſplendorem atque ordinem, ingens Judaici cultus inceſſit admiratio.

SECT. VI.

Legem Moſaicam idololatria obicem poſuiſſe, Dei & ſacrorum omnium honori proſpiciendo.

SATIS e jam dictis manifeſtum arbitror, legem id ante alia curaſſe, ut Deus & ſacra omnia ſuo apud omnes, i. e. Summo, in loco & honore haberentur. Proximum eſt, ut aperrum ſaciam legem hac ratione inſtrumenrum fuiſſe ad idololatriam eradicandam aptum & accommodatum. Miſſis itaque verborum ambagibus, rem ipſam puremus: lex illa quinque præcipue modis ad idololatriam eradicandam inſerviit, quatenua ſacrorum omnium honorem integrum & illæſum tam ſtudioſe & ſolſicite conſervavir. Nam. Leges prædictas, idololatriæ variis rationibus obſtitiſſe.

(1°.) Hac ratione tremendum majeſtaris divinæ ſenſum rudibus Hebræorum animis injiciebat. Cum enim ſacra nulla niſi lotis manibus tangenda eſſent, cum temporis aut ritus alicujus ſacti religio non oiſi capitis pœna ſoluta violari poſſer, cum nemo niſi expiatione ſolenni præmiſſa ad ſacrorum communionem admitteretur, cum eriam quivis contra rei alicujus ſacræ honorem ex ignorantia peccans culpam ſolenni oblatione redimere cogeretur; fieri vix potuit, quin populus ille majeſtaris divinæ ſenſu intimo percelleretur, eique reverentiam ſtupori proximam exhiberet. Cum enim Deus ranto cum negotio & tam cauta religione coli vellet, nec ritus alicujus a ſeipſo inſtituti contemptum inultum præterire; pronum erat Iſraelitis inde majeſtatarem ejus æſtimare, eumque tanquam Deum eximium ex intimis animi ſenſibus venerari. Nihil autem magis valere potuit ad Hebræorum animos in Dei fide cultuque rerinendos, quam corum cordibus alte impreſſus majeſtatis ejus eximiæ ſenſus. Nemo unquam a Dei illius cultu receſſit, cui majeſtarem eximiam tribuir, & omni obſervantia dignum animitus exiſtimavir. Idololatria ſemper a contemptu & vili aliqua opinione de Deo vero concepta exordium traxit. Ideoque proxime poſt præceptum conrra idololatriam ſuccedit mandatum contra juramenta ſalſa vel temeraria, quibus Dei majeſtas læditur & contemptim habetur. Obſervatum [b] Philoſopho, poreſtatum & imperiorum plurimorum diſſolutionem è cootemptu & amiſſa apud plebem reverentia ortum habuiſſe. Ad eandem originem, nempe conremptum, idololatriam & atheismum, cultus & imperii divini abrogationem, referamus: nam Dei cultus & imperium inter homines ſemper ſterit aut cecidir cum ſacrorum honote & reverentia. Summo itaque cum conſilio petitiones illæ duæ, [*ſanctifi-* Prima.

a *Ap. Philon.* lib. de *Legat.* ad *Cajum.* p. 1033.

b Ἐν τῷ καταφρονεῖσθαι, πολλαὶ γίνονται τῶν καταλύσεων [τυραννίδος.] *Polit.* 5. c. 10. T. 2. p. 406. A.

Sect. V. *cetur nomen tuum, adveniat regnum tuum*] in oratione dominica conjunguntur. Hinc & omnium gentium legibus proviſum eſt, ut religionis inſtitutis ſuus conſtaret honos & reverentia, nec quisquam Deos aut ſacra lubidrio haberet, niſi religionis contemptæ crimen capite luiturus.

Secunda. (2°.) Honoris ſacris omnibus debiti vindicatio, idololatriæ obſtaculum fuit, quatenus divinæ ſanctitatis [id eſt, naturæ ſuæ ab omnibus eminentiis excellentia incommunicabili ſeparatæ] ſenſum ingeſſit Iſraelitis. Cum Deus *ſanctus Iſraelis* appelletur, & *ſanctitas* ei, tanquam attributum proprium & incommunicabile, tribuatur; intelligendum eſt, Deum, bonitate, potentia, & ſapientia tam ſingulari præditum, quod nec parem habeat nec priorem, adeoque nota illa præclara a Diis ethnicis & omnibus ἐν ὑπεροχῇ vel dignitate conſtitutis diſcernatur. Ut itaque Iſraelitæ cognoſcerent, & mentibus eorum firmiter impreſſum retinerent, Deum ſuum ſanctum eſſe, nec in cenſum eundem cum Diis aliis venire poſſe; lege curatum eſt, ut omnia Deo ſacra naturæ ſuæ ſanctæ & ſeparatæ imaginem quandam gererent, & ſancte, peculiariter, & modo quodam ſeparato haberentur. Hac de cauſa, Deus omnia ſibi dicata, ab uſu quovis vulgari ſeparari, & prout eminentiam a relatione ſua petitam decebat, tractari voluit. Ut paulo explicatius loquar: lege curatum eſt, ut res omnes Deo conſecratæ a rebus aliis ejusdem generis, uſu rituque peculiari, diſtarent, & Judæi ritus omnes a Deo inſtitutos, cum diſcrimine & ſuo tantum in cultu uſurparent; nec res aut ritus Deo ſacros, ei cum numine aliquo fictitio communes eſſe paterentur. E ſacris enim peculiaribus adeo & uni Deo propriis, proclive erat colligere, Deum Iſraelis excellentia incommunicabili gaudere, nec eminentem naturæ ſuæ dignitatem cum ullis gentium numinibus communicare. Nihil autem idololatriæ magis e regione repugnat, quam excellentiæ divinæ ὑπεροχῆς & plane incommunicabilis, in intimos hominum animos recepta fides; cum idololatria plures in divinitatis ejusdem ſocietatem vocet, & gloriam cultumque conſimilem Diis multis tribuendum doceat.

Tertia. (3°.) Honos eximius Dei ſacris habitus ad idololatriam abolendam profuit, quatenus Iſraelitarum pietas & obedientia in ſacris illis colendis præcipue verſarentur. Legis inſtrumenta rudimenta quædam pietatis erant puerilibus Hebræorum ingeniis accommodata. Ea nempe ruditate fuerunt & pervicacia, quod ullum niſi legis carnalis & ritualis jugum ferre plane recuſarent. Pietatis & rationis paulo altioris ſenſum adeo omnem exuiſſet illa moribus Ægypti penitus imbuta natio, quod animis ſuis fixum & immotum ſederet, nullo niſi rituali & externo obſequio Dei majeſtatem agnoſcere & venerari. Neceſſe itaque fuit, ut Deus omnibus cultus illius externi partibus majeſtatem & dignitatem quandam auguſtam aſſereret, & illius honorem ſtudioſe ſuſtentaret; niſi enim ritus illi miſelli honorem & auctoritatem aliquam apud Iſraelitas habuiſſent, illi proculdubio cultum a *Moſe* non ita pridem inſtitutum deſeruiſſent, & ad atheiſmum aut ritus idololatricos (quibus antiquitas & gentium uſus auctoritatem conciliaſſent) impetu præcipiti proruiſſent.

Quarta. (4°.) Judæi teſtatum dabant, ſe Deum verum colere, dum ſacra ejus omnia honore & reverentia ſingulari proſequebantur. Honos ejus inſtitutis præſtitus argumentum erat animi ab idolis alieni & Jehovæ dediti. Nam *Moſis* ætate Deorum plena erant omnia: erant Θεοὶ πολλοὶ καὶ [בעלים] Κύριοι πολλοὶ, quibus homines cultum Deo vero debitum ſacrilege tribuebant; nec Θεοὶ illi λεγόμενοι eorumque cultus ab illo ὄντως Deo cultuque ſuo, niſi ritibus quibusdam propriis & peculiaribus, a craſſa & incocta plebe dignoſci poterant. Deus itaque ritus & ceremonias legales ſancivit, ut per eas, tanquam teſſeras & ſymbola quædam, ipſe & cultus ipſius, a gentium numinibus & cultu in eorum honorem præſtito diſcernerentur. Ideoque obſervatu facile eſt, Moſem Dei cultum & ritus cultui divino proprios juxta præcepiſſe, idolorum etiam cultum & ritus quos uſus cultui profano proprios & cognatos fecerat, ſub eadem capitis pœna prohibuiſſe. Hinc intelligi poteſt, honorem Dei ſacris & ceremoniis vindicatum, multum momenti ad idololatriam e rebus tollendam habuiſſe: nam ſeculo illo, rerum & rituum ſacrorum contemptus, animi ad cultum alienum vergentis ſuſpicionem attulit, & Judæum tanti criminis ſuſpectum in capitis diſcrimen duxit: e diverſo, Judæi qui ſumma obſervatione Dei ſacerdotes & ſacra colebant, ab idolis abhorrere, & Deo vero nomina dediſſe cenſebantur.

Quinta. (5°.) Honos ille ſingularis Dei ſacris & inſtitutis habitus, obſtabat maxime, quo minus vel ipſa in deſuetudinem abirent, vel ethnicorum ritus in eorum loca ſufficerentur. Honos ille, legis inſtituta; & legis inſtituta diligenter obſervata, Dei veri cultum;

tum; in ſecuro poſuere. Hoc multis evinci poſſet, ſed hac de re non eſt noſtri muneris in præſenti copioſius agere. Sect. I.

Non eo animo hæc dixi omnia, quaſi non crederem Moſen ideo etiam rerum ſacrarum honori tuendo ſtuduiſſe, ut utrumque religionis adverſarium, atheiſmum æque ac idololatriam, profligaret. Verendum enim erat, ne Iſraelitæ, in perdendis ethnicorum imaginibus, altaribus, templis, excelſis, & eorum ſacris omnibus, polluendis, diu occupati, in rerum omnium religioni ſacrarum contemptum ſenſim laberentur. Moſes itaque, perſonarum, locorum, rituum omnium, Deo ſacrorum, honori conſervando proſpexit; ne Iſraelitæ in atheiſmi *Scyllam* deciderent, idololatriæ *Carybdin* vitare cupientes.

CAP. XI.

Legem idololatriæ obſtitiſſe, varias immunditiæ munditiæque ſpecies inducendo.

CUM rerum ſeries ita poſtulet, ſermo noſter ad varias immunditiæ munditiæque ſpecies, quæ utramque pene faciunt Levitici paginam, jam convertendus eſt. Ut autem lucem eo clariorem huic argumento afferamus, (1°.) De Personarum immunditiis earumque ſpeciebus, (2°.) De rationibus eas inſtituendi maxime probabilibus, (3°.) De earum origine & antiquitate, (4°.) De Rerum etiam immunditiis, dicturi ſumus.

SECT. I.

De Perſonarum immunditiis, earumque variis ſpeciebus.

UT ordine quo inſtituimus, hoc argumentum perſequamur, primo de Personarum immonditiis, earumque ſpeciebus variis, ſermonem habituri ſumus. In hoc autem argumento tractando non admodum accurate verſari placet, quod earum numerus amplus ſit, nec facile ineundus, [a] Maimonides triginta duos אבות הטמאות [1] *patres* aut fontes *immunditierum* enumeravit, quos magiſtri in plurimos rivulos derivarunt. Nos e ſpeciebus hiſce plurimis paucas tantum libabimus, quas lex ipſa memorat, & quæ nobis de earum origine dicturis uſum præbeant. Immunditiæ variæ.

Erat itaque (1°.) Immunditiespuerperæ: nam [b] legis Moſaicæ conſtitutione ſancitum erat, ut mulier certis a partu diebus, a ſacris & cœtibus publicis arceretur, & omnes eam aut lectum ejus tangentes impuritatis ſuæ participes haberentur, donec ipſa ritus καθαρισμῦ ſui lege præſcriptos peregiſſet. Prima.

(2°.) Immunditiеs menſtruatæ, menſe redeunte ſanguinis fluxum patientis. Hæc autem, ex præſcripto [c] legis, impura habita eſt, & ab hominum commercio, mariti congreſſu, rerum domeſticarum tactu, præcipue vero tabernaculi aditu, ſeparari debuit. Secunda.

(3°.) Immunditiеs concubitus conjugalis. De ea Judæi veteres legem illam interpretari ſolebant, [d] *& vir, cum egreſſum fuerit ex illo* [2] *ſemen concubitus, abluet in aquis omnem carnem ſuam, & erit immundus uſque ad veſperam.* Hinc anſa data [e] *Joſephi* verbis: Καὶ μετὰ τὴν νόμιμον συνουσίαν ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἀπολούεσθαι κελεύει ὁ νόμος· *Etiam poſt legalem commixtionem viri & fœminæ, lex lavare præcipit:* Ψυχῆς τε καὶ σώματος ἐγγίνεται μολυσμός· *Nam* hinc *animæ ſimul & corporis facta eſt pollutio.* Hic autem (quod obiter moneo) Joſephus nimis a vero deflectere videtur: nam homines conventu conjugali νομικῶς tantum polluebantur, h. e. vinculum iis injectum eſt a lege, ne ad caſtra accederent, aut ſacra, niſi prius lavati, participarent. Tertia.

(4°.) Immunditiеs lepræ, unde [f] quivis eo morbo affectus ab hominum conſortio ſejunctus erat, & tanquam ſepulcrum ambulans ab omnibus evitabatur; ne illius halitu vel contactu inficerentur, adeoque a ſacrorum participatione excluderentur. Quarta.

a *Præfat. in Sep. Tahar.* b *Levit.* 12. 4. c *Levit.* 15. 19. 20. *& ſeq.* d *Levit.* 15. 16.
e *Cont. Apion.* l. 2. p. 1381. 15. f *Levit.* 1[?]. 44, 45, 46.

1 De *Abboth Hatummoth*, *patribus*, i. e. *fontibus pollutionum*, vid. *Maimon. Jad. chaz. Part.* 9. *Fol.* 384.

2 Semen concubitus; apud Hebræos autem eſt hypallage (quæ linguæ Hebr. ſolennis eſt) viz. שכבת זרע *concubitus ſeminis.*

(5°.) Im-

SECT. II.

Quinta. (5°.) IMMUNDITIES funeris, ab iis contracta qui [a] mortuorum corpora, ſepulchra, vel oſſa retigiſſent, aut iis moribundis operam aliquam navaſſent, aut eorum exequiis interfuiſſent. Hujus autem immunditiæ purgatio non niſi aſperſione aquæ vitulæ rufæ cineribus conditæ, & ſolenni corporis ablutione, perficienda erat. Atque hæc ablutio [1] βαπτισμὸς ἀπὸ νεκρῦ ab Helleniſtis dicebatur.

Sexta. (6°.) IMMUNDITIES ſomnii, ſeminis fluxum procurantis. Immundities illa קרי לילה [2] *accidens* aut *caſus noctis*, [b] verecunda ſcripturæ lingua, dicitor; *ſi fuerit inter* vos *homo qui ob accidens noctis pollutus ſit*, -- *ad veſperam lavetur aqua.* Hæc immundities ita fœdabat ſacerdotes, quod ad ſacra munia die poſtero præſtanda plane inutiles eſſent; ita vero vulgares Iſraelitas, quod a ſacris participandis, nondum purgati, rejicerentor.

Septima. (7°.) ERAT denique immundities contactus: nam non tantum lepra, fluxus impurus, aut rei immundæ uſus, hominem immundum reddidit; ſed contactus minimus rei vel perſonæ alicujus quam immundus aliquis (nolens licet & fortuito) contigiſſet. Hujus immunditiæ multa nobis exempla præbet [c] Leviticus, quæ regula illa generali nitebantur; [d] *quicquid tetigerit immundus, immundum* faciet, *& anima qua tetigerit* illud, *erit immunda uſque ad veſperam.*

SECT. II.

De cauſis immunditierum perſonalium maxime probabilibus.

Immunditierum legalium cauſæ variæ.

RATIONES cur Deus has & alias immunditierum ſpecies inſtituerit, proximo occurrunt expediendæ. Ratio autem generalis erat, quod populus ille, ſeculi moribus addictior, religionem vix ullam, niſi ritualem & in ipſos ſenſus incurrentem, facile pateretur. Sed aliæ rationes, cum ipſa præſentis argumenti natura magis conjunctæ, reddi poſſint, cur Deus tam varias immunditierum ſpecies Iſraelitis obſervandas impoſuerit. Nempe

Prima. (1°.) Ut reverentia ſanctuarii & zelus illud ingrediendi in eorum animis accenderentur. Minuitur enim in conſpectu noſtro rerum omnium dignitas, & zelus noſter erga præſtantiſſima deferveſcit, ſi in oculis noſtris quotidie verſentur, & iis cum libet frui liceat. Et proculdubio Deus ipſe & thronus ſuus in contemptum abiiſſent, ſi cuivis [mundo vel immundo] ſanctuarium adire contigiſſet, & Dei domicilium eadem facili opera, qua & ædes proprias, ingredi licuiſſet. Deus itaque, ut contemptui, e familiari rerum ſacrarum uſu oriundo, obviam iret, lege cavit ne [e] polluti ad ſanctuarium accederent; & tam varia ſtatuit pollutionum genera, ut vix aliquem mnnditia legali præditum, aut certe quam paucos, invenire liceret. *Nam* (obſervante [f] Maimonide,) *ſi* quis *liber ſit a contactu cadaveris, vix tamen effugere poterit, ne contactu alicujus ex immundis octo reptilibus, quæ ſubinde in domos, vias, cibos & potum incidunt, contaminetur. Et ſi hoc effugiat, forte non evadet a contactu mulieris menſtruatæ, vel ſanguinis profluvio laborantis, aut leproſi, vel* ad minimum *cubilis* aut lecti *ipſorum. At licet ab iſtis quoque conſervetur, non* tamen *evitabit* forſitan *amplexum uxoris ſuæ, vel caſum* & pollutionem nocturnam. *Quamvis autem mundus ſit ab iſtis etiam pollutionibus, tamen non permiſſum eſt ei ingredi ſanctuarium, donec occubuit ſol ejus: neque etiam nocte poſtquam [3] ſol ipſius occubuit. -- Illa autem nocte, quam facile fieri potuit, ut vel eum uxore ſua ſe commiſceat, vel nova aliqua immunditiei cauſa ipſi contingat, ita ut mane in eadem pollutione ſurgat ut die præcedente. Hæc enim omnia efficiunt, ut* hnmo *a ſanctnario abeſſe cogatur, nec quovis tempore illud calcare* vel intrare *poſſit.* Pollutiones illæ omnes, maxima licet adhibita diligentia vix evitandæ, aditum ad ſanctuarium admodum anguſtum & difficilem reddidere. Cum autem ex iis pollutiones nonnullæ non niſi multo cum laboris & temporis impendio tolli potuerint, aditus ille multo adhuc difficilior & pene præcluſus exiſtimetur. Nam (quod eidem [g] auctori obſervatum) *immunditia quanto* eſt *frequentior, tanto ejus purificatio gravior* eſt *& diuturnior. Ita, quia converſatio & contrectatio mortuorum, inprimis propinquorum, frequentior* eſt *omnibus reliquis pollutionibus, ideo non poteſt ejus purificatio fieri niſi cinere Juvencæ, licet difficulter haberi*

a *Numer.* 19. 11, 13, 14, 16. b *Deut.* 23. 10. c Cap. 15. 5, 10, 11, 12, 21, 27. & cap. 22. 5. d *Num.* 19. ult. e *Levit.* 12. 4. f *Mor. Neb.* P. 3. c. 47. g *Ub. ſupr.* pag. 175.

1 Vid. *Ecclus.* cap. 34. v. 25.
2 Apud *Deuter.* קרה
3 De tempore *ingrediendi ſanctuarium*, vid. *Tractat. Tab.* *apud. Thamid & Middoth*, apud *Miſchn. Surenhuſ.* Part. 5.

poſſit,

poſſit, & poſt ſeptem demum dies. Fluxus & menſtruum, quia crebriora ſunt & graviora quam contactus mortuorum; ideo ii qui illis laborant, ſeptem dierum; & is qui illos tangit, unius diei purificatione opus habet. Adeo ut palam ſit, varia illa pollutionum genera, ad ſummum honorem & reverentiam [a] ſanctuario & ſacris conciliandum, fuiſſe apta maxime & accommodata. Nam aditum ad ſanctuarium difficilem effecerunt: hoc autem habet humanum ingenium, ut omnia difficilia, pulchra & pretioſa judicet. SECT. II.

(2°.) DEUS tam varia pollutionum genera ſancivit, & earum obſervationem in parte religionis haberi voluit, ut craſſum & agreſtem populum primis quibusdam decori & humanitatis elementis imbueret. Nam populus Iſraeliticus, Ægypti ſtipulis & lateribus innutritus, non tantum a religione, ſed & humanitate pene deſciviſſet, & mores tantum conditioni ſuæ ſervili convenientes imbibiſſet. Deus itaque mulierem menſtruatam, ſanguinis aut ſeminis profluvio laborantes, leproſos, reptilia quædam, ſepulchra, mortuorum oſſa, pannum aut ſtratum menſtruo ſanguine fœdatum, & hujuſce cenſus alia, plane immunda declaravit, & ab eorum uſu tactuque Judæos lege & religione refrænavit: nempe ut populus ille [b] fœditatem & ſpurcitiem fugeret, conditionis ſuæ priſtinæ barbariem ſenſim exueret, vitæ cultioris uſum paulatim reciperet, & Deus ad ingenium moremque paulo humaniorem eos informaret. Hanc rationem calculo ſuo dignatur [c] *Pellicanus:* eum enim legem explicaret qua reptilia quædam, immunda, & omnes eorum morticina tangentes, immundi, decernuntur; *format*, inquit, *hac lex homines — ad munditiem & humanitatem, barbaros mores feraleſque componit*, & curat *ut horrida eſca & contactu fœdo abſtineant homines.* Erat autem conſentaneum, ut Deus a moribus impuris & rus merum olentibus Iſraelitas cohiberet, quod mores culti & ad elegantiam quandam compoſiti, aditum ad ſcientiam, ordinem civilem, & religionem præſtruere ſoleant. Quin & voluit forſan Deus, ut natio ſibi ipſi ſacra, & *ſacerdotii regalis* titulo decorata, modo tantæ dignitati conſentaneo ſe gereret, & non minus morum urbanitate quam rituum puritate, a barbara quavis & immunda gente diſcerneretur. Secunda.

(3°.) VARIA illa pollutionum genera ſtatuta videntur, ut oneris & pœnæ loco eſſent Iſraelitis, qui in deſerto Dei præcepta violaſſent, iisque cultum ritualem gentium moribus conformem prætuliſſent. Polluciones illas Iſraelitis oneri fuiſſe moleſtiſſimo, dubitari nequit; cum tam variæ fuerint, iiſque perpetuam vigilandi vel purgandi occaſionem adminiſtraverint. Quocunque ſe in omni vita verterent, ſemper hinc aut illinc immunditia iis obreperet vel maxime caventibus & vigilantibus. Imo vero nonnunquam neceſſitas iis incubuit immunditiem contrahendi, non ſine gravi damno & opere moleſto eluendam. Cum enim pietatis & charitatis officium, patri, fratri, vel alicui propinquo debitum, poſtularet, ut iis animas agentibus adeſſent, & exequiarum juſta ſolverent; immunditiem inde contraxerunt, quæ per [d] ſeptiduum eos a caſtris & ſacris amandabat, & non ſine corporis ablutione & aquæ luſtralis aſperſione ſolvebatur. Poſtquam etiam multum temporis & laboris ad immunditiem expurgandam & puritatem ſacris dignam acquirendam impendiſſent; quilibet immundus, [e] ſputo ſuo vel tactu leviori, pium Iſraelitam tam operoſæ religionis fructu privare, eumque ad lotionis prioris tædium revocare, potuit: adeo ut purgandi labor actus pene in orbem rediret, & quilibet immunditiem ſuam tollere ſtagens, *Siſyphi* ſaxum volvere videretur. Utcunque Judæi laboris hujuſce tædium ſtomacho minus reluctante devorare poſſent, ſi quid commodi ad ipſorum animas inde rediiſſet: at poſtquam lotionibus & aſperſionibus ſuis ad laſſitudinem uſque ſe ipſos exercuiſſent, corde non minus immundi erant quam antea; cum, Apoſtolo teſte, lotiones illæ centies repetitæ [f] *carnis* ſolius *emundationem purificarent.* Apoſtolus itaque de *variis* Hebræorum *lotionibus*, tanquam meris oneribus loquitur, ad *Hebr.* 9. 10. ubi eos appellat δικαιώματα σαρκὸς ἐπικείμενα, *juſtitias* aut ceremonias *carnales* Judæis *impoſitas*. Deum autem moleſtam illam tot pollutionum & lotionum ſarcinam, pœnæ loco Iſraelitarum humeris impoſuiſſe, ſatis ex illius per Prophetam verbis cognoſcatur, *Ezec.* 20. Ibi enim Deus jura illa moralia, quæ Iſraelitis [g] Ægypto nuper egreſſis dedit, fuſe memorat, *v.* 10. 11, 12. Narrat inſuper, quod illi [illegible] illa [illegible] (vitam licet obtemperantibus allatura) deſpicatui habuerint, & ad mores ritusque gentium ſemper inclinarint, *Com.* 13, 14. His addit, *ver.* 23, 24, 25, 26. *Levavi manum meam contra eos in deſerto, ut diſpergerem eos inter gentes,* Tertia.

a *Literalis immunditiarum ratio erat, ut homines ex raro acceſſu ad ſacra, ea magis venerarentur.* Aquin. 1[a]. 2. qu. 102. Art. 5. b *Deut.* 23. 10, 11. 12, 13. c *Comment.* in *Lev.* 11. 31. T. 1. d *Num.* 19. 19. e *Lev.* 15. 8. f *Hebr.* 9. 13. g *Jer.* 7. 22, 23. *Exod.* 19. 20.

Sect. II. &c. *quod judicia mea non fecerint*, —— *ego & etiam dedi eis ſtatuta non bona, & judicia in quibus non viverent, & pollui eos in muneribus ſuis*, —— hæc autem verba niſi quid me fallit, hunc ſenſum ferunt; " cum Iſraelitæ [nullis beneficiis, minis nul- " lis, ad mentem ſaniorem revocandi] leges quas primo dederam, cum vita conjunctas " & cujuſvis rationi conſonas, præfracte repudiarent, & ad gentium idola cultumque " ritualem impetu pluſquam bruto ruerent; ut hujus contumaciæ & vanitatis pœnas lu- " erent, eis leges rituales dedi, non malas quidem, nulla tamen bonitate nativa com- " mendatas. Iis autem legibus, utpote varias immunditierum ſpecies inducentibus, ef- " fectum eſt, ut Iſraelitæ non raro polluti eſſent, adeo ut munerum oblatione & ſa- " crorum uſu penitus interdicerentur, & ad ſuas (quotidianæ licet incurſionis) im- " munditias eluendas aſtringerentur. Sed ſi Propheta tacuiſſet, inde ſcire liceret Deum leges de pollutionibus & purgationibus, oneris & pœnæ loco Iſraelitis in deſerto oberrantibus impoſuiſſe; quod eorum poſteris in terra promiſſa paſſim habitantibus conceſſum eſſet, quavis immunditie ſe polluere, niſi ad ſanctuarium acceſſuri eſſent, aut [a] feſtum ſolennius celebraturi.

(4°) Verisimile eſt, Deum tot legibus de pollutionibus & purgationibos Iſraelitas aſtrinxiſſe, ut conſtaret eos gentem eſſe Nazaræam, Deo ſancto devotam, & a gentibus aliis peculiari cultu & prærogativa ſeparatam. Nam Iſraelitæ, mortui, puerperæ, menſtruatæ, & rei cujuſvis legaliter immondæ, tactum fugientes, aut tactus illius immunditiem ablutione ſolenni expiantes, [illegible] & a gentium, ſaltem plurimarum, (ni fallor) uſu alienum faciebant, & puritatis cujuſdam ſingularis imaginem præferebant. Hinc etiam conjecturæ noſtræ color accedat, quod in [b] lege abſtinentia ab immunditiis omnibus, ſanctitatis & ſeparationis extraordinariæ ſignum & menſura ſtatuatur: adeo ut quævis perſona, quo magis ſancta ſit & Deo ſeparata, eo magis a quavis immunditie ſibi cavere teneatur. Nam Hebræorum natio a mortui tactu & immunditiis quibuſdam aliis, pluſquam gentes exteræ; [c] Nazaræi, pluſquam Hebræorum vulgus; [d] ſacerdotes ordinarii, miniſterii ſaltem tempore, pluſquam Nazaræi; & ſacerdos [e] ſummus, pluſquam ſacerdotes ordinarii, abſtinere tenebantur. Atque hinc factum eſt, quod [f] *Baruch*, gentis ſuæ in captivitatem abductæ vicem dolens, ſic eos alloquatur; *unde eſt Iſrael, quod in terra inimicorum es? inveteraſcis in terra aliena, pollutus es mortuis*, &c. aqua nempe luſtrali, qua [g] ſola mortuorum pollutio tollitur, jam deſtitutus. Quid autem *Baruch* pollutionem illam inter præcipua captivitatis Babylonicæ mala recenſeret, niſi quod Judæi, mortuis quotidie polluti & nunquam purgati, ſanctitatis priſtinæ jacturam feciſſe, & ab immundis Babyloniis nullo diſcrimine ſeparati, viderentur?

(5°.) Deus eas quas diximus induxit immunditias, forſan ut immunditias quas Ægypti vel gentis alicujus alterius [illegible] peperiſſet, tacite reprehenderet, & e populi ſui moribus eliminaret. Nam ſub Moſis tempora, Zabii (quorum, libro ſecundo, mentionem frequentem habeo) ſuperſtitione ſolicita multorum animos impleviſſent, eoſque multifariis pollutionibus, communia vitæ negotia impedientibus, oneraſſent. Veritatis hujuſce teſtem [h] *Maimonidem* audiamus: *conſueto & uſitato more receptum* erat *apud Zabios in partibus Orientis*, — *ut mulier menſtruo laborans ſeparatim ſit in domo aliqua; ut loca in quibus ambulavit, comburantur; & quiſquis cum ea locutus fuerit, pro polluto habeatur; quin-imo ſi ventus idem tranſeat ſuper menſtruatam & mundum aliquem, ut pro polluto habeatur.* —— *Præterea*, ex Zabiorum *conſuetudinibus erat iſtud quoque, quod omnia ea quæ ſeparantur a corpore, ut pili, ungues, ſanguis, pro immundis haberentur. Unde tonſores omnes ipſis immundi erant, quia ſanguinem & pilos tangunt. Quicunque novaculam ſuper carnem ſuam tranſire ſinebat, lavare ſe cogebatur in aqua fontana, clara, limpida. Et ſic plures defatigationes & tædioſas* conſuetudines *habebant*. His omnibus probabilitatis aliquid ineſſe cenſeo; quod veteres Arabes, oris ſputum & ſpurcitiem, narium mucorem, capitis & genarum pilos, dentium ſordes, corporis excrementa, unguium extremitates, præputium, alia, in immundorum numero collocarint. Hinc factum quod varios mundandi [i] ritus, gargarizationem ſeu oris collutionem, narium aqua inſpirata purgationem, myſtacis tonſuram, capillorum diſcriminationem, dentium & reliqui corporis fricationem, mundationem ab excrementis emiſſis, unguium præſectionem, pilorum axillarium vulſionem, raſuram pubis & circumciſiooem, in uſu

a *Jo.* 11. 55. b *Num.* 6. 7, 8. *Lev.* 21. 4, 6. c *Num.* 6. 6, 7. d *Levit.* 21. 1, 2. e V. 10. 11. 12. f *Baruc.* 3. 10. g *Num.* 19. 11, 12. h *Mor. Neb.* P. 3. c. 47. i *V. Cl. Pocock. Not. in ſpecim. Hiſt. Arab.* p. 303.

habue-

habuerint. Ritus hoſce omnes [ab *Abrahamo*, uti volunt, acceptos] hodieque exercent *Turcæ*, & qui eos negligunt pro immundis habent, & eorum contactum fugiunt. Cum itaque videret Deus tot ridiculas immunditierum ſpecies introductas, & hominum non paucorum animos ſub hac triſti religione miſere laborantes; haud abſurde creditur, Deum ideo nonnullas immunditiæ & munditiæ leges & normas præſcripſiſſe, ut receptam pollutionum doctrinam emendaret, pollutionis cauſas & purgandi ritus magis in compendium reduceret, & populum ſuum anxia Zabiorum ſuperſtitione & ingenti rituum fanaticorum onere liberâret. SECT. III.

(6°.) Verisimile eſt, Ægyptios, aut alias gentes Moſe antiquiores, a nonnullis tanquam immundis abſtinniſſe, & non minus immunditias quam purgationes aliquas in moribus habuiſſe. Nam ea ſemper erat ſuperſtitionis, ubicunque vigebat, indoles, quod a perſonis, rebus, & cibis quibusdam, tanquam profanis & immundis, homines cohibuerit, iiſque dogmata illa [ne tangas, ne guſtes, ne tractes] impoſuerit. Deus itaque & Iſraelitas immunditias aliquas obſervare voluit, ut ritibus ab uſu recepto, non multum diſcrepantibus ſibi ipſi obſequium præſtarent, & religionem cui aſſueverant olim, non tam reliquiſſe quam mutaſſe viderentur. Sed hæc ratio pede firmiori ſtabit, cum tertiam penſi mei partem abſolverim.

SECT. III.

De pollutionum Legalium origine & antiquitate.

POLLUTIONUM de quibus egimus hactenus, origo (qua licet) inveſtiganda eſt proximo, & ſedulo quærendum, a gentibus, an a Judæis, originem derivarint. Hinc autem anſa dubitandi datur, quod e veterum teſtimoniis liquidum ſit, Gentes etiam immunditierum ſpecies aliquas in ſcriptis Leviticis memoratas in more habuiſſe, & a rerum nonnullarum uſu tactuque, æque ac ipſos Judæos abhorruiſſe. Plurimi quidem hunc nodum facili opera ſolvendum ſentiunt, omnia in gentium antiquiorum moribus reperta, *Moſis* inſtitutis conſona, e Judæorum legibus furtim ſurrepta, fortiter affirmantes. Sed a vero minus alienum videtur, harum immunditierum obſervationem, nec prorſus a gentibus, nec prorſus a Judæis, originem accepiſſe. Ne vero generalia illa lectori fraudi ſint, ſententiam noſtram hac in re, ſalvo tamen cuique diſſentiendi jure, quatuor hiſce *Theſibus* apertius explicabimus. Immunditierum origo 4. theſibus explicata.

Harum prima ſit hæc: *probabilitatis haud parum habet, varia pollutionum genera, Zabiis*, [h. e. idololatris ex Oriente antiquioribus] *in uſum veniſſe, diu antequam leges Moſaica traderentur.* Cum gentium antiquiorum monumenta ritusque prope omnes abſorpſit Lethe, non auſim *theſin* hanc inter certa & indubitata numerare. Eam autem probabilibus adſcribere non dubitem, jam dicto *Maimonidis* teſtimonio fretus, qui Zabios illos ſine modo & fine pollutiones induxiſſe refert; & Deum leges aliquas de munditia & immunditia tuliſſe dicit, ut eorum ſuperſtitioni luxurianti modum & menſuram poneret. Sed ſi *Maimonides* tacuiſſet, immunditias aliquas ad originem ethnicam referre minime dubitarem. Cum enim Diabolus poteſtatem arbitrariam in ritibus ſuis inſtituendis exercere ſoleat, & id plurimum enixius egerit, ut hominum curam & diligentiam circa purgationes & pollutiones externas occupatam detineret, ne puritatis internæ ſtudio vacare poſſent; non ſine ratione creditur, eum primum res quasdam, tanquam pollutas, fugere, & a nonnullis corporis immunditiis cavere, docuiſſe. Hinc etiam conjecturæ noſtræ fides augeatur, quod certum ſit, Diabolum olim pro arbitrio ſtatuiſſe, ut multa tempora pro infauſtis, & animantia certa pro immundis, apud gentes nonnullas haberentur. Nam quo longius Diaboli ſanctiones & ritus a ratione aberant, eo magis extabant imperii quod affectabat abſoluti teſtimonia; & obſequium iis præſtitum, animum verbis ejus addictum eo luculentius indicabat. Deinde, ſatis e Teſtamenti veteris hiſtoria diſcitur, Iſraelitas legum Moſaicarum [a] novitate perculſos fuiſſe, & a Deo ſæpe defeciſſe, quod ritus aliquos, utpote ſeculi moribus adverſos, moleſte ferrent; apud conſultos itaque non facile fidem inveniet, Deum tot leges de munditiis & immunditiis Iſraelitis imponere voluiſſe, ſi munditiæ vel immunditiæ doctrina plane nova fuiſſet, iiſque antea prorſus inaudita. Ut his omnibus major conſtet fides, pollutionum exempla nonnulla ſtatim in medium feram, quas ante datam legem gentes obſervaſſe videantur. Theſ. 1.

[a] *Hoſ.* 8. 12.

SECT. III. Theſ. 2ª.

Secundo: *veriſimile eſt, abſardas aliquas immunditiæ ſpecies & mundandi ceremonias, inter gentes antiquiores aſitatas, alias immunditiæ ſpecies & magis emendatos purgandi ritus, introducendi occaſionem præbuiſſe.* Hoc a me non temere dictum eſſe, percipiat lector, ſi pollutiones a gentibus obſervatæ cum immunditiis a Moſe præſcriptis conferantur. Moſes enim ea tantum pro immundis & immunditiæ cauſis haberi juſſit, quæ naturalem quandam ſpurcitiem & fœditatem præ ſe ferunt, & quæ homines, ſenſus præſertim delicatioris, naturaliter abominantur. Prout Moſes ea tantum ad res aut perſonas purgandas adhiberi voluit, quæ nativa quadam purgandi virtute pollent, & cum effectis ſuis analogiam quandam & conſenſum colunt, qualia ſunt ignis, aqua fontana, & aqua vitulæ cineribus immiſta; ſic & ea tantum pro immundis & immunditiæ cauſis haberi juſſit, quæ vere ſpurca ſunt, & vel natura docente fugienda; qualia ſunt, pannus aut ſtratum ſeminiflui tactu fœdum, ſepulchrum, morticinum, reptile, coitus, puerperæ ſanguinis fluxu laborantes, mortuorum oſſa, ſomnio impuro contaminati, & hujuſmodi alia fœditatem apertam præferentia. Nam ideo lepra [non febris, peſtis, aut morbus alius aliquis] hominem tam immundum reddidit, quod lepra Judæorum ſimilis eſſet lepræ Græcorum, quam [a] Hippocrates *turpitudinem magis quam morbum* fuiſſe dicit. Cum etiam hominum jam mortuorum, aut ad mortem & putrefactionem properantium, corpora, meram impuritatem & inquinamentum ſpirent; lege ſtatutum eſt, ut omnes, qui mortuis aut morientibus aſtitiſſent, aut iis aliquid officii præſtitiſſent, immunditiæ affecti cenſerentur. Cum etiam fœmina, ſexus fœminei partu levata, ſanguinis impuri fluxu [a] multo diutius teneri ſoleat, quam quæ marem peperit; ideo puerperæ, ſub Lege, multo diutius poſt [b] partum ſexus fœminini quam maſculini pollutæ cenſebantur, & a ſanctuario cœtibusque publicis abſtinere tenebantur. Adeo ut ſi rem totam rite æſtimemus, leges Moſaicæ de munditiis & immunditiis datæ, non ex arbitrio Dei, ſed naturæ fonte & præſcripto, fluere viderentur.

Si vero res aut perſonas a Zabiis aliiſque gentibus in impurorum claſſe locatas intueamur, plurimas inveniamus quæ immunditias ſuas meræ hominum ſuperſtitioni, vel ſacerdotum ethnicorum in mentes humanas dominandi libidini, debuerunt. Nam, ſi [c] *Maimonidis* fidem ſatis firmam habeamus, apud Zabios ea omnia quæ ſeparantur a corpore, ut ungues, pili, ſanguis, alia, pro immundis habita ſunt; imo ventus ipſe ſuper menſtruatam tranſiens, & quiſque cum ea locutus fuerit, loca etiam in quibus ambulavit, inter polluta cenſebantur. Religionem conſimilem & Ægyptios tenuiſſe, conjicere fas eſt e *Pythagoræ* placitis, qui ſua pene omnia ex Ægypti lacunis hauſiſſe creditur. Docuit autem [d] *Pythagoras* puritatem *balneis & aſperſionibus* comparari, *& purgatione a funere, & cubili puerperæ, quin & abſtinentia* ab animalibus, *carnibus morticinis, mullis, melanuris, ovibus, animantibus quæ ova pariunt, fabis, reliquiſque rebus quas præcipiunt hi, qui myſteriis peragendis in templis præſunt.* Hæc aperte ſatis indicant, *Pythagoram* non tantum morticina, funera, & puerperas (quibus nativa quædam ſpurcities ineſt) ſed & alia multa, nulla fœditate notata, ex mero arbitrio vel animo Ægyptiæ diſciplinæ dedito, inter impura poſuiſſe. Rem totam paucis exprimo: prout ethnici variis mundandi ritibus & [e] inſtrumentis, mere arbitrariis, & nulla cum effectis ſuis affinitate conjunctis, utebantur; ſic & varias immunditiæ ſpecies pro mero arbitrio induxiſſe, & res aut perſonas, mundas & immundas, non rationis & naturæ, ſed cæcum & incertum ſuperſtitionis, ductum ſecuti, decreviſſe videantur.

Cum itaque gentium pollutiones quamplurimæ fuerint, & nulla certa ratione vel regula definitæ; Judaicæ vero multo pauciores, & e fœditate quadam rebus ipſis inſita dimanarint; plus quam probabile videtur, Deum, ætate Moſis, antiquam purgationum & pollutionum diſciplinam correxiſſe, eamque multo ſimpliciorem & naturæ magis conformem reddidiſſe; adeoque gentium antiquiorum ſuperſtitionem, circa munditiem & immunditiem tam ſolicite verſatam, novas immunditiæ leges & menſuras inſtituendi occaſionem præbuiſſe. Nam ſi gentes antiquæ purgationum & pollutionum diſciplinam ab Hebræorum lege rituve derivaſſent, vix credibile eſt eos ab exemplaris ſui veritate & ſimplicitate tam longe aberrare potuiſſe: gentes enim, non tantum ſine exemplo, ſed ſine ratione, multa pro immundis habuere; multa etiam, quæ lex & ratio *polluta* vocarunt, iis neglectui fuiſſe videantur. Nam,

a *V. Hippocrat.* περὶ [illegible] ſect. 3. p. 18. b *Levit.* 12. 2, 4, 5. c *Ub. ſupr.* d *Teſt. Laert.* lib. 8. in *Vit. Pythag.* p. 222. e [illegible] *Lucian.* in *Necyom,* p. 159. D

a Vid. *Hip. Sect.* 5. p. 85.

Tar-

Tertio *Judæi quaſdam immunditiæ ſpecies ſibi ipſis proprias*, & *in gentium aliarum inſtitutis minime repertas, obſervaſſe videntur.* Nam lepra, (ut inde ſumam exordium) apud Hebræos quidem immunditia vix ulli ſecunda cenſebatur, & omnis eo vitio infamis ab hominum [a] conſortio & ſacris cœtibus abſcindebatur. Nam lege juſſum eſt, ut leproſus de ſeipſo [b] clamaret טמא טמא h. e. alta voce ſe immundiſſimum pronunciaret. Nam locutio ſimilis, ſenſum cum voce geminans, occurrit *Deuter.* 28. 43. *Peregrinus qui eſt in medio tui aſcendet* מעלה מעלה *ſuperne ſuperne* [h. e. altiſſime] *ſuper te, & tu deſcendes* מטה מטה *infra infra*, h. e. infime, vel (prout nos reddimos) *very low.* Sed longe alia fuit apud exteras gentes conditio hominis lepra laborantis: nam rex Syriæ, *Naamane*, leproſo licet, * familiariter utebatur, eum ad honorem non vulgarem evehebat, & templum Rimmonis ingreſſurus illius manibus nitebatur. Hinc cauſa data *Joſephi* verbis: * ἀπήλασε τῆς πόλεως τὰς λέπρᾳ τὰ σώματα κακωθέντας, &c. *Ejecit Moſes e cœtu* & conſuetudine *hominum lepra laborantes*, &c. — *cum inter* alias *gentes leproſi verſentur & in pretio ſint: & tantum abſit ut relegentur aut contemptim habeantur, ut in expeditionibus, dignitates militares, & in adminiſtratione reip. civiles, illis committantur*, καὶ εἰς ἱερὰ καὶ ναοὺς ἐξουσίαν [ἔχωσιν] εἰσιέναι, *& ad ſacra & templa accedendi poteſtatem* habeant. Si a lepra ad immunditiem tactu reptilis hauſtam tranſeamus, illius etiam in gentium exterarum ritibus & ſcriptis omnibus nec umbram nec veſtigium reperiamus. Ad hæc: apud Hebræos, conſuetudo cum menſtruata non tantum immunditiea maxima, ſed & inter notæ [c] nigrioris crimina cenſebatur. Nam lege ſancitum erat, *ut* [d] *ſeptem diebus immundus* fieret, quiſquis vel ignarus cum muliere menſtrua patiente congrederetur; ſiquis autem id ſciens volenſque faceret, e ſententia * [g] legis exterminio mulctabatur. At apud alias gentes hujuſmodi congreſſus uſu frequens erat & nunquam in religionem veniebat. Poſtquam enim Deus congreſſum cum muliere ſeparata inter alios gentium mores impuros, vetuiſſet; ſtatim addit, * *ne polluamini in his omnibus*, in quibus *contaminata ſunt omnes gentes.* Eo autem probabilius eſt, Deum ad hos concubitus immundiſſimos, apud alias gentes uſitatos, hic reſpexiſſe; quod Babylonii menſtruatis, & fœminis a partu recentibus, (quaſi nulla pollutione tactis) fana ingrediendi, & ſacra participandi, licentiam dederint. Nam [e] *Baruch*, Beli ſacerdotes & ritus memorans, inquit, *ſacrificia eorum fœta & menſtruata tangunt*, nempe, comedendi animo. Aliæ forſan immunditiæ ſpecies, antiquitus Hebræorum genti peculiares, enumerari poſſent; niſi quod morum antiquiorum primordia tenebris involuta ſint, quibus vix quicquam percipere licet. SECT. I. Thes. 3a.

Quarto: *non abſimile eſt vero, pollutionum ſpecies* aliquas *ex antiqua gentium conſuetudine in Hebræorum legem cultumque fluxiſſe.* Hoc ego, non tanquam rem compertam, ſed ut conjecturam ſpeciem veri præferentem, æqui lectoris judicio ſubjectam, aſſero. Cum enim in argumento tam obſcuro jam verſer, & temporum antiquiorum hiſtoria vix quicquam mihi hærenti lucis aut ſubſidii præbeat; quivis paulo æquior conjectoræ modeſtæ locum & veniam indulgebit. Ne vero generalibus hiſce diutius immorer, pollutionum exempla quædam in medium dabo, quæ ex gentium antiquiorum conſuetudine, in Dei legem fluxiſſe putentur. Thes. 4a. De origine pollutionis contractæ.

Primo itaque, ſi auſpicate conjecturam facio, pollutio e puerperio orta ex antiquorum ceremoniis in Hebræorum legem & morem tranſiit. Multum puerperis immunditiæ tribuit Hebræorum religio, nec minorem veterum Græcorum fides. Nam *Euripides*, poetæ licentia uſus, Dianam culpat, quaſi nimis delicatam, quod homines puerperæ vel mortui tactu pollutos, altaribus ſuis prohiberet. Ipſa [f] verba ſic ſe habent: Puerperio.

Τὰ τῆς Θεοῦ δὲ μέμφομαι σοφίσματα,
Ἥτις, βροτῶν μὲν ἤν τις ἅψηται φόνου,
Ἢ καὶ λοχείας, ἢ νεκροῦ θίγῃ χεροῖν,
Βωμῶν ἀπείργει, μυσαρὸν ὡς ἡγουμένη.
Mihi iſta Diva non placet ſapientia,
Quæ, ſiquis ulla cæde conſceleret manus,
Corpuſve tangat mortuum, aut puerperam,
Altaribus ceu impium prohibet ſuis.

a 2. *Reg.* 15. 5. b *Levit.* 13. 45. * 2 *Reg.* 5. 1. & 18. * *Antiq. Judaic.* l. 3. c. 11. p. 125. 40. 126. 20. c V. *Ezec.* 18. 6. & 22. 10. d *Lev.* 15. 24. * *Lev.* 20. 18. * *Lev.* 18. 19. & 24. e Cap. 6. 28. f In *Iphigen. Tauric.* v. 380.

g נכרתו *exſcindantur*: de *pœna* כרת *exciſionis*, variiſque ejus ſpeciebus vid. *Selden. de Jur. Nat. & Gent.* l. 7. c. 9.

SECT. III. Refert etiam Diogenes [a] Laertius, *Pythagoram* ſeipſum, a funere vel puerpera reverſum tanquam pollutum, purgare ſolitum. Veriſimile eſt autem opinionem illam, de pollutione puerperarum, ab Ægyptiis aut aliis Noæ liberis profectam, qui corporis immunditiem, tanquam morbum contagioſum, tactu in alium derivari, & labem, aqua luſtrali eluendam, animæ communicare crediderunt. In hanc ſententiam propendet [b] *Grotius:* poſtquam enim teſtimonia quædam e ſcriptis ethnicis attuliſſet, ad probandum, apud ethnicos etiam *homines puerperarum contactu impuratos;* continuo addit, hoc *& lex Moſis præſcribit: incertum an, ut alia quadam, etiam ante moribus uſurpatum: ut videri hac poſſint a Noa liberis profecta.* Eidem ſententiæ ſtuduiſſe videtur Judaicus ille magnæ vetuſtatis auctor, qui librum *de vita & morte Moſis* edidit: nam Deum, pœnas Ægyptiis infligentem, ab aqua incipere voluiſſe dicit, מפני שהיו מונעים בנות ישראל המצרים לעשות טבילה *Quia Ægyptii mulieres Iſraeliticas* [a partu nempe recentes] *a baptiſmo* vel immerſione *impediebant.* Hæc enim verba [c] *Gaulmynus* non ad καθημερινὰς βαπτισμὰς referri poſſe aſſerit, *quos longo poſtea temporum ſpatio traditiones invexerunt,* ſed, inquit, ea *de mulierum balneis intelligo, qua poſt ſeptem a puerperio ſeptimanas tenentur ſibi curare, in fluviis* aut *ciſternis ad hoc factis, ſed adeo profundis ut aqua ad earum collum pertingat.* —— *Cum autem in* Ægypto *nulli fontes aut aqua prater Nilum eſſet, facile fuit mulieres* Hebræas *ab hoc balneo prohibere.* Et ſane, niſi auctor ille de baptiſmis ad partus immunditias eluendas tunc temporis uſurpatis intelligatur, non eſt facile dictu, cur Ægyptii mulieres potius quam viros a baptiſmo prohibuerint. Si auctoris hujuſce teſtimonio niti fas ſit, perſpicuum eſt puerperas, diu ante legem datam, pro impuris habitas fuiſſe, priuſquam immunditiem partu contractam eluiſſent. Hæc tamen omnia (ne quid diſſimulem) probabili tantum conjecturæ locum faciunt: cum e veterum ſcriptis abunde conſtet, hujuſmodi immunditiem radices haud adeo altas in Græcorum moribus aut animis habuiſſe. Nam [d] *Theophraſtus*, ſuperſtitioſi mores riſu dignos referens, ait, eum ὅτε ἐπὶ νεκρὸν ἐλθεῖν, ὅτε [r] λεχώ *neque ad defunctorum juſta, neque ad puerperam, accedere* velle. In [s] Chryſippi libris erat, τὸ προσελθεῖν ἀπὸ λεχοῦς ἢ θανάτου πρὸς ἱερὸν, ἀλόγως διαβέβληται, *ire ad templum recta a puerpera aut a mortuo, ſine cauſa culpatur.* Et e verbis Euripidis modo citatis liquet, ipſam Dianam a nonnullis ludibrio habitam, quod homines ob tactum puerperæ tanquam pollutos, ab altaribus ejus cohiberet. Nec immerito: cum Græcorum *Diana* ſe hac in re magis delicatam & faſtidioſam præbuerit quam Chaldæorum *Belus*, cujus ſacerdotes templum ingrediendi & ſacra participandi veniam [e] puerperis indulſerunt.

Funere. (2°.) Veriſimile eſt immunditiem funere contractam ex antiquo gentium uſu manaſſe, & novam tantum a lege Moſaica ſanctionem accepiſſe. Nam *primo*, gentes pleræque olim, mortui contactu aut viſu funeſtæ domus aditu, vel miniſterio aliquo moribundis impenſo, ſe pollutos exiſtimabant, & repetitis ablutionibus ad pollutionem illam eximendam utebantur. Hoc multis teſtimoniis probatum reperiat, cui conſulere viſum eſt, *Meurſium* de *funere*, Cap. 15. & 49. *Guther.* de *jur. Manium*, Lib. 2. cap. 7. & 8. *Caſaub.* in *Theophraſt. Charact.* p. 132. *Natal. Com. Mytholog.* l. 1. c. 13. 14. *Dilher.* de *Cacozel. Gentil.* c. 6. *Johan. Kirchman.* de *fun. Roman.* l. 2. c. 21. & lib. 3. c. 9. *Grot.* in *S. Mat.* 8. 22. alioſque. Ratio vero magis opinari ſuadet, ceremoniam tam diffuſe propagatam, a *Noa* liberis, ad tot gentes effluxiſſe, potius quam e parvula illa & in angulum terræ concluſa Judæorum gente. *Secundo:* præcepit Deus, ut omnes funere polluti, peculiari februi genere [nempe aqua, vitulæ ruſæ cineribus aſperſa] purgarentur. Nam, obſervante [f] Bertramo, aqua *juncis rufa cineribus* condita, *& aſperſiones ex ea* faciendæ, *eas duntaxat pollutiones* ſpectarunt, *qua ex mortuorum hominum cadaveribus, oſſibus, & ſepulchris, contracta fuiſſent. Aqua enim alia adhibita videtur ad eluendas pollutiones alias, aliunde quam ex hominibus mortuis eorumque oſſibus — contractas; ut — probare poſſimus ex* Levit. *c.* 11. *c.* 12. *c.* 13. *c.* 14 & *cap.* 15. Quid autem Deus immunditiem funebrem aqua tantum hoc ritu parata tolli voluerit, niſi ut Iſraelitæ a gentibus contagionem funere contractam eluentibus diſcernerentur; & illa purgandi ratio genti ſanctæ propria, documento eſſet, Iſraelitas, immunditiem funebrem explantes, Deo [non ſeculo ſoli] morem gerere, & religionem, non ſuper-

a *Ub. ſupr.* b *Annot.* ad *S. Mat.* c. 8. v. 22. c *Not.* in lib. 1. c. 11. p. 253, 254. d In *Charact.* cap. περὶ δεισιδαιμ. e *Baruc.* 6. 28. f *Lucubrat. Franckdal.* cap. 8. col. 1158. 50.

r Vid. *notas Iſ. Caſaubon.* in loc. p. 132. —— λεχώ· Ita ſe habet *nota Caſaubon.* ut Auberius etiam in margine ſuæ Editionis: multo rectius quam λέχω. juxta Exemplaria plerique. Vid. *Needham.* in loc. p. 76. & *Dupert.* p. 470.

s Vid. *Grot.* in *Num.* 19. 11. & *Math.* 8. 22.

ſtitionem

ſtitionem vulgo receptam, exercere? *Tertio:* Iſraelitæ, pollutionem funebrem purgaturi, ceremoniis multo ſimplicioribus quam Gentiles utebantur. Nam apud Iſraelitas, homines & vaſa funere contaminata, lotione & aquæ cineralis aſperſione luſtrabantur: at [a] Feſto teſte, Gentiles, *funus proſecuti, redeuntes ignem ſupergrediebantur, aqua aſperſi.* Sulphur etiam in Gentilium februis ad expiandas domos funere pollutas uſitatis, locum habuiſſe, teſtatur [b] *Plinius.* Deinde, pollutio funeris proſecutione contracta, non admodum onéroſa Judæis extitit, ſed [c] ſeptem diebus purgari potuit: apud ethnicos autem Deæ Syriæ devotos, nonnullis non niſi poſt diem a pollutione funebri [d] triceſimum, aditus ad templum & ſacra concedebatur. Hinc opinandi cauſa naſcitur, Deum luſtrandi ritus laboribus otioſis impeditos inveniſſe, eoſque purgatos & ad majorem ſimplicitatem redactos Iſraelitis tradidiſſe. *Quarto:* hinc etiam firmetur conjectura noſtra, quod Hebræis a funere redeuntibus, olim (prout & hodie) ſolenne eſſet, manus ſolenniter lavare. Sentit autem R. Bechai, *aquam purificationis,* a funere redeuntibus, ex præſcripto legis aſpergendam, huic mori principia tribuiſſe. Nam legem [e] illam explicans, *inde,* inquit, *nobis mos lavandi manus, cum a mortuo venimus,* רמז למי פרה *quod innuat aquam vaccæ rufæ.* Hoc autem Magiſtrum illum invita veritate dixiſſe cenſeo: nam fu..re polluti, non manus lavare, ſed bis corpus aqua cinerali ſpargere, [f] lege de vitula rufa tenebantur. Ideoque credibilius eſt, morem illum [utpote a Deo nullibi præceptum] a vicinis gentibus olim ad Hebræos deveniſſe. Iis enim in more erat, vas aqua luſtrali plenum præ domus funeſtæ foribus collocare, qua ſe ſpargere, vel manus lavare ſolebant exequiarum comites. Hinc vas illud nomen χέρνιβος *aquiminale* tenuit. Ejus [g] Euripides his verbis meminit.

> Πυλῶν πάροιθεν δ' ἐχ ὁρῶ
> [i] Πηγαῖον, ὡς νομίζεται,
> Γε, χέρνιβ' ἐπὶ φθιτῶν πύλαις·
>
> *Non video ante fores*
> *Fontanam (ut receptum eſt moribus)*
> *Aquam,* manibus lavandis deſtinatam.

Nihil autem probabilitatis præ ſe fert, antiquiores Hebræos hunc morem funebrem a gentibus accipere voluiſſe, niſi & immunditiem funebrem a gentibus ad ſeipſos veniſſe credidiſſent. Hæc argumenta, ſaltem conjuncta, ſententiam noſtram juvant, eamque fide non prorſus indignam referunt.

(3°.) ÆGYPTII, vel e gentibus exteris alii, pollutiones noctis primi religioſius obſervaſſe, eaſque inter immunditias lavacris eluendas habuiſſe, videntur. Sacerdotes Ægyptios inquinamenta illa nocturna, ſi quando acciderent, lavacris expurgare ſolitos, teſtatur [h] *Chæremon* Ægyptius. Eorum enim mores recolens, inquit, Εἰ δὲ ποτε συμβαίη περὶ ὀνειρώτλαν, παραχρῆμα ἀπελάθησαν λουτρῷ [τὸ σῶμα] *Si forte in ſomniis polluerentur, illico corpus lavacro luſtrabant.* Ad religionem conſimilem apud Romanos obtinentem, alludere videntur *Perſii* illa, *Sat.* 2.

> ——— *Tiberino in gurgite mergis*
> *Mane caput bis terque, & noctem flumine purgas.*

Ægyptum moris hujuſce principium fuiſſe, tam luculenter probare, ut nullus dubio ſuperſit locus, poſt tot tranſacta ſecula, difficile factu eſt, ne dicam, impoſſibile. Cum autem Ægyptii, a remotiſſima gentis illius memoria, tam ſolicite cauti fuerint, ne quid ſordis corporeæ iis ſacra peragentibus adhæreret; cum etiam omnem cum [i] Hebræis eadem in menſa communionem, e ſtudio fanaticæ puritatis, averſarentur; cum etiam purgatio immunditiæ *caſu nocturno* factæ, puritatis cujuſdam eximiæ ſpeciem ferret; non poteſt abſurdum aut hiſtoriæ diſſonum videri, quod & hujus immunditiæ ſimul & purgationis conſequentis originem ad Ægyptios referamus. Hinc etiam non parum firmetur conjectura noſtra, quod gentes Moſe priores fluxum ſeminis ex uſu

Sect. III.

Caſu nocturno.

a In verb. aqua. b Lib. 35. c. 15. c *Num.* 19. 11, 12. d *Lucian.* Lib. de *Dea Syr.* p. 1075. D e *Comment.* in *Numer.* 19. f *Num.* 19. 19. g In *Alceſtid.* num. 98. h *Ap. Porphyr.* περὶ ἀποχ. l. 4. ſ. 7. i *Geneſ.* 43. 32.

[i] Juxta *Edit. Aldinam* Πηγαῖα δ'; unde χέρνιβα erit Neutrius generis & pluralis numeri. Vid. plura apud *Barnes.* in locum p. 268.

Sect. III.

thori conjugalis ortum inter immunditiæ ſpecies & cauſas numerarint. Conſtat enim e ſcripturis & antiquiorum gentium memoriis, eas a concubitu, per aliquot ante ſacra dies, abſtinuiſſe, vel (ſi nuperis amplexibus ſe polluiſſent) luſtrationibus & purgationibus diligenter incubuiſſe. Cum enim Deus in montem deſcenſurus eſſet ut Legem traderet, de ſecubitu viri & uxoris mandatum dedit; proculdubio ut Iſraelitæ ritu illo, tunc ubique ante ſacra recepto, reverentiam tantæ ſolennitati debitam exhiberent. Romanos eodem ritu templis & ſacris honorem tribuiſſe, teſtantur [a] *Plutarchi* illa; Ἡμᾶς δὲ τῷ νόμῳ πόλεως ὄντας εὐσεβεῖς, ἐξευλαβητέον ἐστὶν εἰς [1] ἱερὸν ἐμβαλεῖν καὶ κατάρχεσθαι θυσιῶν, &c. *Nobis autem, ſi recte leges colimus, cavendum eſt, ne ad templa & ſacrificia accedamus, paulo ante re venerea uſi.* Babylonios atque Arabes congreſſum conjugalem in impuris habuiſſe conſtat, quod ſtatim ab hujuſmodi congreſſu lotionibus ad illius immunditiem tollendam uterentur. Aſſertionis hujuſce fides [b] *Herodoti* teſtimonio nititur: ὁσάκις δ' ἂν μιχθῇ γυναικὶ τῇ ἑωυτοῦ ἀνὴρ Βαβυλώνιος, —— ὄρθρου γενομένου [2] λοῦνται ἀμφότεροι· ἄγγεος γὰρ οὐδενὸς ἅψονται, πρὶν ἂν λούσωνται· ταὐτὰ δὲ ταῦτα καὶ Ἀράβιοι ποιεῦσι· *Quoties autem cum uxore miſcetur vir Babylonius, —— ſub diluculum abluuntur ambo, nullum vas priuſquam ſe abluerint tacturi. Eadem & hæc Arabes faciunt.* Hanc autem religionem ab Ægyptiis hauſiſſe videntur: nam [c] *Clemens Alexandrinus*, inſtituta & inventa Ægyptiis auctoribus aſcribenda referens; inter alia, inquit, *illi primi cum mulieribus in templis rem habere vetuerunt*, [3] μηδὲ εἰς ἱερὰ εἰσιέναι ἀπὸ γυναικῶν ἀλούτους ἐνομοθέτησαν· *Et nemini qui ſeſe ab uxoris congreſſu non luſtraſſet, templa patere voluerunt.* Aliæ ſuperſunt immunditiæ ſpecies legibus inſtitutæ, quarum originem ſilentio præterire ſtatui, memor moniti Pythagorici, ἄνευ φωτὸς μὴ λαλεῖ· Et in argumenti præſentis complementum, pauca ſubjungam de nonnullis immunditiis, nuſquam a Deo præceptis, ſed inter Judæorum ἐθελοθρησκείαις integre numerandis.

Alvi exonerationes.

(4°.) Immunditiès ex alvo aut veſica levata, ſaltem ſacerdotes inficere credita, a gentibus ad Hebræos dimanaſſe videatur. Sacerdotibus templo miniſtrantibus, poſt opera illa naturæ peracta, purificandi neceſſitatem incubuiſſe, e verbis [d] Talmudis datur intelligere, זה הכלל הוה במקדש כל המיסך את רגליו טען טבילה וכל המטיל מים טען קדוש ידים ורגלים i. e. *Hæc erat generalis regula in ſanctuario, ut quiſquis* [4] *texeras pedes ſuos, lavaret; qui etiam aquas ejecerat, manus & pedes ſanctificaret*: iis enim [e] *pedes tegendi* & *aquas ejiciendi* phraſibus, e ſcriptura ſumptis, urinæ & ſtercoris egeſtio verecunde exprimitur. Hanc autem religionem Judæos a gentilibus quibuſdam, *Pythagoræ* forſan ſectatoribus, accepiſſe, non eſt quod dubitemus. Docuit enim [5] *Pythagoras* diſcipulos ejus, ἁγνεύειν ἀπὸ παντὸς μιάσματος *ab omni inquinamento*, nempe corporeo, ſeipſos purificare: & *Eſſeni*, in diſciplinam Pythagoræ proniores, a ventris onere levati, ſeſe lavare ſolebant, tanquam turpiter inquinatos. Moris illius teſtem [f] *Joſephum* dabo, hæc inter alia, de *Eſſenis* referentem: Καίπερ δὴ φυσικῆς οὔσης τῆς τῶν σωματικῶν λυμάτων ἐκκρίσεως, ἀπολούεσθαι μετ' αὐτὴν, καθάπερ μεμιασμένους, ἔθιμον· *Quamvis purgatio ſordium corporis naturalis ſit, ſolenne tamen habent, ut poſt eam quaſi ab immunditia diluantur.* Opinioni noſtræ de ſuperſtitionis hujus origine gentilitia cauſam præbent etiam Turcarum mores, qui lotionibus illis (conſuetudine a ſectæ primordio derivata) quotidie exercentur. Nam *Gabriel* [g] *Sionita*, de triplici lotione apud eos uſitata loquens, *tertia demum lotio* eſt, inquit, *dum alvum aut veſicam exoneraverint: non enim charta aut linteo utuntur, ſed aqua frigida, qua pudenda ipſi aut ipſorum mancipia lavant.* Hanc autem lotionem [6] *Mohammedes*, qui ritus undique corraſos in religionis ſuæ fabulam tranſtulit, a gentium moribus hauſiſſe putetur. Quidam enim a Gentiliſmo nuper converſi, eadem religione ridicula Monachorum antiquorum conſcientias onerare ſtuduerunt. Hoc ex [h] *Athanaſio* colligere promptum eſt, qui in Epiſtola ad *Ammon* monachum, multo cum zelo invehitur in eos, a quibus ἐκκρίσεως φυσικῆς, *excretio natura poſtulante facta* ἁμάρτημα ἢ ἀκάθαρτον ἔχειν, *ſceleris aut labis aliquid habere* dicebatur. Et ibi, fictas omnes & ſimulatas puritates Diabolo auctori tribuit, qui, inquit, hujuſmodi præceptis,

a *Sympoſiac.* l. 3. *Quæſt.* 6. p. 655. D b *Hiſt.* lib. 1. c. 198. c *Ap. Euſeb. Præp. Ev.* p. 475. C
d *Cod. Iom* c. 3. *ſect.* 2. e 1 *Sam.* 24. 3. *Jud.* 3. 24. 2 *Reg.* 18. 27. f Lib. 2. de *Bel. Jud.* c. 8. p. 1063. 30.
g De *Orient. Urb. & morib.* c. 15. h Tom. 1. P. 2. p. 959. 960.

1 Θέρος —— Ita ſe habet, *Edit. Pariſ. Valeſius* autem rectius legit εἰς τὸ ἱερόν.

2 Legitur in optimo MS λοῦνται καὶ ἀμφότεροι, & moniſtro anlure Vid. *Gronov.* in loc. p. 853.

3 Vid. *Clementem* ipſum, *Stromat.* lib. 1. p. 361. 15. ubi legitur μηδ' —— γυναικῶν.

4 Hebraica elegantia utitur מימי רגלים *aquis pedum* pro *urina*, 2 Reg. 18. 27. quod *Rabbenis* etiam ſolenne eſt. vid. *Sheringham.* in *Cod. Jom. edit. Surenhuſ.* Part. 2. pag. 218.

5 Vid. *Porphyr.* de *vita Pythag.* p. 183. & *Iamblich.* cap. 24. p. 105.

6 Vid. *Alcoran.* ſur. 4. verſ. 42.

men-

mendacem ſeverioris cujuſdam ſanctimoniæ ſpeciem gerentibus, hominum animos anxios reddere, ipſi naturæ convitiari, [illegible], *& aſcetas a conſueta & ſalutari cura revocare*, ſtudet. Sect. III.

(5°.) Immunditiès a ſola nocte oriunda, gentium imitatione in Hebræorum mores abiiſſe putetur. Nam veteres Hebræi ſerio crediderunt, res & perſonas a ſola nocte pollutionem contrahere, unde ſacris ineptæ reddebantur. Inde factum quod [1] machinam quandam lignariam, labro, utpote vaſi ſacro, fabricarent, ne ſcilicet aquæ in ipſo pernoctarent: id enim a *Maimonide* pro ſacrorum lege traditur, וכל דבר שיתקדש בכלי קודש א[illegible] לן נפסל. [2] *quicquid ſanctificatur in vaſe ſacro, ſi pernoctat pollutur*. Tradunt etiam Talmudici, quod licet ſacerdotes manus & pedes abluiſſent, cum templo exiiſſent; iiſdem tamen poſtridie, cum rediiſſent, opus erat lotione, tametſi inſomnes fuiſſent, שהיד[illegible] נפסלות בלילה, [3] *quia manus nocte polluuntur*. Poſtquam hæc, & alia eodem pertinentia, e Talmude & Maimonide protuliſſet [a] *Sheringhamius* noſter; continuo addit, a *Judæis, ut veriſimile eſt*, hanc *olim* ſuperſtitionem *hauſerunt Gentiles, qui nocte etiam mundum pollui exiſtimarunt*. Perſius *Satyr*. 2. v. 15. A ſola nocte.

Hæc ſancte ut poſcas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque, & noctem flumine purgas.

Virgilius, lib. 4. Æneid. v. 6.

Poſtera phœbea luſtrabat lampade terras,
Humentemque aurora polo dimoverat umbram.

Ubi Servius, *luſtrabat, id eſt, purgabat; nam nox quodammodo polluit mundum.* Hæc ille: ſed parcatur mihi, ſi cum viro doctiſſimo ſentire nequeam: cogit enim honos genti ſanctæ debitus, ut ſuperſtitio omnis primam inter ethnicos originem inveniſſe putetur; & ut Hebræi dogmatis aut moris alicujus ridiculi, conſectanei potius quam magiſtri habeantur. In hanc ſententiam eo pronior eſt animus, quod opinio de noctis tantum pollutione vel *Æneæ* temporibus obtinuerit. Teſtimonio ſint illa [b] Poetæ, rituum antiquorum ſcientiſſimi:

——*Nox Æneam ſomnuſque reliquit.*
Surgit, & ætherii ſpectans orientia ſolis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Suſtulit, ac tales effudit ad æthera voces.

In quem locum hæc habet Servius: *dicitur nox ſolo ſomno polluere. Unde eſt: & noctem flumine purgat.* Patet itaque *Virgilium* ſuperſtitionis hujus originem a temporibus fabuloſis arceſſendam exiſtimaſſe. Hæc autem ſuperſtitio multo recentius Hebræorum animos infeciſſe videtur: nam [c] filios [4] *Catini* cujuſdam, *labro* ſancto *duodecim epiſtomia cum antea duo tantum habuerat*, primus *feciſſe fertur*, שלא יהיו מימיו נפסלין בלילה, *ne aquæ ejus nocte polluerentur*. Catinus autem ille ſub inclinantis rei Judaicæ tempora vixiſſe creditur.

(6°.) Immunditiès e tactu Gentilium oriri credita, ex imitatione puritatis Ægyptiacæ manaſſe cenſeatur. Judæi homines omnes, niſi ſacra ſua colerent, in immundorum grege poſuerunt, eoſque labem & contagionem quandam tactu ſolo propagare crediderunt. Ea Judæos opinione ductos fuiſſe, cuivis e ſcriptura perſpectum eſt: nam, S. [d] *Marco* referente, a foro vel aliis publicis congreſſibus reverſi, balneum petebant, quod locis illis publicis alienigenæ frequentes convenirent, quorum tactu ſe inſcios inquinari poſſe verebantur. Simili de cauſa, cum inſtaret paſcha, [e] prætorium ingredi metuebant, ne in tanta Romanorum ibi convenientium multitudine, Gentilis contactu polluerentur. Ex hac Gentilium immunditie, tactu (uti creditum) propaganda, manavit S. [f] Petri illud; *vos ſcitis, quomodo abominatum ſit viro Judæo*, κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἀλλοφύλῳ, *adhæreſcere ſeu accedere ad alienigenam: ſed mihi oſtendit Deus*, Tactu Gentilis.

a *Not.* in *Cod. Iom.* cap. 3. §. 10. p. 224. b Lib. *Æneid.* 8. v. 67. c *Cod. Iom.* c. 3. §. 10.
d Cap. 7. 4. e *Jo.* 18. 28. f *Act.* 10. 28.

1 R. *Ob.* de *Bartenora*, dicit *Machinam* illam eſſe rotam, ad demittendam *aquam* in puteum, ut aquæ conjunctæ eſſent in puteo, & non polluerentur, quia per noctem relictæ erant. vid. notas ejus in *Jom.* p. 224.

2 Vid. *Maimon. Jad. Chaz.* in *Beth. Habbechirah*.

3 Vid. *Maimon.* in *Biath Hamikdaſch*.

4 *Ben. Catin*, erat pontifex maximus, qui fecit *epiſtomia*, ut duodecim ſacerdotes qui [illegible] tempore ſacrificii continui matutini, lavarent ſe ſimul. Ita ſe habent *Bartenora* & *Maimonides* in locum illum *Jom.* p. 224.

SECT. III.

neminem communem aut immundum dicendum hominem: uempe, ideo Gentilem convenire, vel ejus conſuetudine uti familiarius, infame & illicitum habebatur, quod plane immundus, & immunditiem cibis & aſſidentibus affricare crederetur. Huic opinioni conveniuut [a] S. *Petri* mores: nam Gentiles primum pro foribus alloquitur, nec in ædes introducit (immunditiem oempe metuens) priuſquam eos eſſe de quibus a Deo præmonitus erat, pro certo cognoviſſet. Ideoque uon de nihilo hæc de Judæis dixit [b] *Apollonius Tyanæus*: Ἐκεῖνοι μὲν πάλαι ἀφεστᾶσιν, οὐ μόνον Ῥωμαίων, ἀλλὰ καὶ πάντων ἀνθρώπων. Οἱ γὰρ βίον ἄμικτον εὑρόντες, καὶ οἷς μήτε κοινὴ πρὸς ἀνθρώπους τράπεζα, &c. *Illi jamdudum deſciverunt, non a Romanis tantum, verumetiam ab hominibus univerſis. Qui enim vitam a cæteris ſeparatam viventes, neque menſa eum cæteris, neque* ſacris, *neque* ceremoniis ullis *communicant, ii magis a nobis diſtare videntur, quam ipſi Indi.*

SUADENT autem ratioues haud leves, ut pollutionis hujus, alienigenæ tactu contractæ, principia ad Ægyptios referamus: nam

(1°.) E ſcriptura pateat, Ægyptios, diu ante *Moſis* tempora, ab exterorum tactu uſuque ſamiliari, tanquam re impura & abominanda, penitus abhorruiſſe. Hoe ſacer hiſtorieus verbis apertis aſſerit, *Geneſ. 43. 32. Non poterant Ægyptii panem comedere cum Hebrais:* βδέλυγμα γάρ ἐστι τοῖς [1] Αἰγυπτίοις, *nam* hujuſmodi convivium *Ægyptii pro immundo habent* aut abominaodo. Ratio itaque eredere poſtulat, Ægyptios moris hujus exemplum dediſſe Judæis, eoſque peregrioi tactum & convictum fugiſſe, vel ut Ægyptiis extraneos averſantibus vicem redderent, vel oe ſtudio puritatis, ab æmula gente ſuperari viderentur.

(2°.) NIHIL omnino, de vitando Gentilium contactu, in omnibus immunditiæ legibus cautum extat. Hoe eo certius habeatur, quod ipſi Judæorum [c] magiſtri fateantur, immunditiem tactu Gentilis eoutractam, & purgationis oeceſſitatem inde natam, ſapientum ſolummodo decreto niti. At longe abeſt a veri ſpecie, ſapientes illos tali aliquo decreto gentem ſuam onerare voluiſſe, niſi eonſimiles Ægypti vel gentis alieujus vieinæ mores, hujuſmodi decreto cauſam ſimul & apologiam præbuiſſent.

(3°.) JUDÆI baptiſmos ſuos quotidianos ab Ægyptiis aut aliis in vieino gentibus hauſiſſe videntor. Huie eonjecturæ quoddam veluti ſigillum eſto [d] *Montacutii* noſtri teſtimonium: *lavandi conſuetudinem a luſtrationibus Paganorum mutuati credi poſſunt Phariſæi, Ægyptiis præcipue & Perſis:* Καθαρμοὶ *enim &* ἀπολύματα *frequenter apud illos uſurpabantur: unde ſe expiandos & inundandos eredebant*, &c. Si itaque Judæi purgationes ſuas quotidianas ab Ægypto mutuati ſint, non eſt abſurdum credere, eorum etiam pollutiones ordinarias ab eodem ſuperſtitioois foote profluxiſſe.

(4°.) OPINIO hæc, de Gentilium immunditie, & immunditie ſolo eorum contactu propagata, Judæorum animis antiquitus inſediſſe videatur. Doctiſſimus Seldenus eam, Haſmonæorum ſeculo, vel ante, initium habuiſſe ſentit. Eo enim obſervante, in [e] *Gemara Babylonica* decretum illis tribuitur in quo fœmina quælibet Gentilis velut ſemper נדה, i. e. *quæ menſtruis laborat*, cenſebatur. Sed mihi fit credibile, dogmatis illius originem a temporibus multo antiquioribus areeſſendam eſſe. Nam *Samaritæ*, hoſpites ad ſe appellentes averſabantur, eoſque a contactu ſuo prohibebant: dicebant enim, μὴ πρόσψαυε, *ne attingas*, & ſi exterum aliquem attigiſſent, corpus & veſtimenta ſtatim abluebant. Hoc ex [f] *Epiphanii*, & [g] Geographi Nubienſis fide refero. *Samaritas* autem religionem illam a Judæis, diu ante apoſtaſiæ ſuæ tempora, mutuatos fuiſſe, dubitari nequeat; eum [h] multa Judaiea, ſeculis antiquis uſitata retinuerint. & (cum apoſtatæ eſſent) a moribus eorum recentius inductis abhorruerint. Cum itaque Judæi, ſeculis illis antiquioribus, ethnieos pro immuudis habuerint, & ab eorum conſortio vel contactu ſuos prohibuerint; conſulto creditur, hune morem ab Ægyptiis emanaſſe, qui exterorum conſuetudiuem & eontactum, tanquam profanum & impurum per multa ſecula devitarunt. Hoc multis veterum teſtimoniis probatum dedit [i] auctor de re literaria præclare meritus. Aliorum ſententias de moris hujus origine redarguerem, niſi tæderet, in argumento, ubi omnia Cimmeriis tenebris obſcuriora, diutius immorari.

a *Act.* 10. 21, 22, 23. b *Ap. Philoſtr.* in *Vit.* l. 5. c. 33. p. 216. c *Ap. Seld.* citat. l. *de jur. nat.* pag. 180. d *Apparat. ad Orig. Eccleſ.* 7. *ſect.* 26. p. 253. e *Ub. ſupr.* ad *tit. Abhod. zar.* cap. 2. fol. 36. f T. 1. *Hæreſ.* 9. pag. 26. g *Climat.* 2. P. 5. h V. *Benj. Itiner.* p. 40. i *Johan. Marsh. Chronic. Can.* p. 208.

1 *Codex Alexandr.* & *Editio Aldin. adjungunt*, Αἰγυπτίοις — πᾶς ποιμὴν προβάτων.

SECT.

C A P. IV.

Sect. IV.

De rebus mundis & immundis.

Leges de rerum immunditie datas fuiſſe,

QUANTUM mediocritari noſtræ licuit, de PERSONIS mundis & immundis hactenus diſſeruimus: &, nequa pars argumenti præſentis induſtriam noſtram requirere videatur, de RABUS immundis proximo ſermonem breviuſculum habituri ſumus. Nempe ſancitum eſt legibus, ut immunda omnia fœditatis ſuæ cootagiooem non minus in res quam perſonas diffunderent; & [a] lecta, ſtragula, vaſa, furni, aliaque omnia ad uſus humanos comparata, menſtruatæ, reptilis, leproſi, vel mortui contactu, pollutionem contraherent, & aliis impertirent. Lex autem præcipua, qua rerum quarundam ſancitur immundities, his verbis promulgatur: [b] *hac* omnia [oempe reptilia modo dicta] *immunda ſunt vobis. Qui tetigerit morticina eorum, immundus erit uſque ad veſperam: & ſuper quod ceciderit quicquam de morticinis eorum, polluetur: tam vas ligneum & veſtimentum, quam pelles & cilicia, & in quocunque fit opus, tingentur aqua, & polluta erunt uſque ad veſperam,* & ſic poſtea *munda erunt. Vas autem fictile, in quod horum quicquam intro ceciderit, polluetur, & idcirco frangendum eſt. Omnis cibus quem comeditis, ſi fuſa fuerit ſuper eum aqua* (cibo immundo contacta) *immundus erit: & omne liquidum quod bibitur e* tali *vaſe, immundum erit*, &c. Leges illæ, de rebus hiſce leviculis datæ, quamplurimos, legislatoris cooſilium noo aſſequentes, admiratione & ſtupore quodam affecerunt; eoquemagis, quod Iſraelitas ad earum obſervationem rigore nimio devinxiſſe videatur. Nobis enim, humanitus judicantibus, res minuta videtur, murem in vaſe aquatio extinctum eſſe; vas tamen illud immundum cenſeti debuit, donec lotiooe ſedula munditiæ ſuæ priſtinæ redderetur. Nobis etiam Dei conſilium noo attendentibus, rigor immodicus videtur, quod juſſi ſint Iſraelitæ, ſiquod tale animal in labrum vinarium cecidiſſet, noo modo vinum effuodere, ſed vas ipſum diſſipare: & ſi in [c] furno ſuffocatum eſſet aut in foco jacuiſſet, utrumque diruere; quaſi beſtiæ pollutæ contagio ad res ſenſu carentes penetraret.

Ob rationes octo.

NE quis itaque, cujus animus in legum earum ſuperficie tantum hæret, Deum levicula rigidius exegiſſe cenſeat, aut eas, tanquam frivolas & arbitrarias, odio vel ludibrio habeat; rationes aſſignabo, cur Deus has leges tuliſſe, & ad eas obſervandas Iſraelitas arcte adeo tenuiſſe, cenſeatur.

HARUM prima ſit hæc: populus ille, inter Ægypti lateres educatus, mores ſordidos & conditioni tantum ſervili conſentaneos hauſerat: ideoque par erat, ut Deus leges conderet omnem fœditatem & ſpurcitiem ablegantes, eoſque ad munditiem & morum elegantiam non doctrina taotum ſed lege & religione devinciret. Æquum erat, ut Iſraelitæ, jam in Dei familiam aſciti, ſe decenter tractare diſcerent, ut aoimos ſerviles indies exuerent, & ad mores homine liberali & iogenuo dignos inclinarent, nec mores, cibos, veſtes, aut furnos, immundos, utpote ſervitutis Ægyptiacæ monumenta, retinerent.

(2°.) DEUS leges haſce tuliſſe putetur, ut munditiæ atque immunditiæ menſuras, vagas antea & incertas, figeret, eaſque magis in arctum cogeret. Nam, obſervante [d] *Scaccho*, apud idololatras, non tantum perſonæ, ſed etiam loca, civitates, regiones, provinciæ, animalia, agri, prædia, poſſeſſiones, exercitus, vaſa inſenſibilia, veſtes, lecti, ſedilia, & pleraque alia, immunda cenſebantur, niſi aqua purificata fuiſſent: Deus autem, ut lenitatem ſuam commendaret, & ſuos a cultu tam oneroſo liberaret, homines tantum & [e] res in homioum uſu verſatas, immunditiæ capaces & pollutionis legibus ſubditas eſſe voluit. [f] *Maimonides* itaque, pollutionis & purificatioois legem memorans, inquit, *lex hac—nulla alia de cauſa venit, quam ut minuat cultus & labores* circa res ſacras: *& ſi quid ſit, quod moleſtiam & defatigationem aliquam habere videtur, id non aliunde provenit, quam ex eo, quod nos ignoremus ritus & conſuetudines in illis temporibus uſitatas.*

(3°.) VERISIMILE eſt, Deum leges aliquas de vaſorum immunditiis inſtituiſſe, in remedium dogmatis aut moris ſuperſtitioſi tunc temporis invaleſcentis. In hac ſententia me non parum confirmat D. Thomas: nam ille, de lege loquens, qua [g] *vas*

a *Lev.* 15. 12. b *Lev.* 11. 31. 32. 33. 34. *&c.* c *Lev.* 11. 35. d *Myrothec.* P. 2. c. 30. col. 432. e *Levit.* 11. 32. f *Mor. Neboch.* P. 3. c. 47. g *Num.* 19. 15.

SECT. IV. *non habens operculum & ligaturam deſuper*, immundum decernitur; [a] *erat*, inquit, *hoc præceptum ad declinandum idololatriam:* crediderunt *enim idololatræ, quod ſi mures* & *lacertæ ,vel aliquid hujuſmodi, quæ* dicabant *idolis, caderent in vaſa vel in aquas, quod eſſent Diis gratioſa. Adhuc etiam aliquæ mulieres vaſa dimittunt diſco opertæ, in obſequium nocturnorum numinum quæ* Janas *vocant.* Ne quid itaque ſuperſtitionis hujus antiquæ Judæorum moribus adhæreret, Lege ſancitum eſt, ut vaſa omnia ſine operculo relicta, pro immundis [non ſacris, aut Numini *gratioſis*] haberentur.

(4°.) Deus hujuſmodi leges tuliſſe videtur, ut ſanctuarii ſui dignitatem & honorem integrum & illæſum conſervaret. Obſervationi obvium eſt, Deum, quo rerum ſacratum honori caveret, inſtituiſſe, ut omnia cultum ſuum ſpectantia munditiæ quæſitiſſimæ ſpeciem gererent. Nam perſonæ omnes levi aliqua immunditia laborantes, a ſacris participandis arcebantur: Dei altare mundorum tantum animalium ſanguine tingebatur: animalis immolati cineres [b] *in locum mundum*, ex præſcripto legis, efferebantur: ſacerdotibus non niſi mundis tabernaculo miniſtrandi licentia concedebatur: *aqua purificationis* [c] perſonæ ſolummodo mundæ miniſterio in immundum ſpargebatur: templum ab omni ſorde & immunditia purum ſervabatur, [d] Levitarum opera, quibus illud verrendi & ſordes efferendi munus imponebatur. Ideo vero tam ſolicite curatum eſt, ut munditiés & vet. Teſtamenti cultus tam arcto nexu jungerentur, ut ſacra Dei, decore & modeſte tractata, majore in pretio & honore haberentur. Eſt itaque veteris illius oeconomiæ rationi & uſui conſentaneum, ut cenſeamus, Deum ideo præcepiſſe, ut vaſa omnia, in quæ mus aut lacerta cecidiſſet, ab uſu communi tanquam polluta rejicerentur, ne quid inde labis haurirent Iſraelitæ, cum Deo & ſacris communionem habituri. Nam ideo de corporis munditie ſe tam ſolicitum præbuit ſummus legiſlator, ut ad ſanctuarium & ſacra, labeculæ cujuſvis immunes accederent Iſraelitæ, eaque reverenter haberent & modo ſanctitati ſuæ ſingulari conſentaneo.

(5°.) Deus has leges juſſiſſe putetur, ut earum obſervatio ſignum & ſymbolum eſſet, quo Judæi teſtatum facerent, ſe Deum verum, illum ipſum qui eos ex Ægypto liberaſſet, pro Deo habere & ſancte venerari. Nempe ſeculo illo, religio profana mundum pene univerſum inſidebat, & Dii varii, pro variis hominum ingeniis, vulgo & paſſim colebantur. Uſus itaque & rerum conditio poſtulavit, ut Deus leges conderet, quarum obſervatio eſſet χαρακτηριστική, & nota quaſi propria qua Dei ſancti cultores innoteſcerent, & a Deorum falſorum cultoribus aperte diſcriminarentur. Varias immunditiæ leges eo conſilio datas fuiſſe, ſatis intelligitur e legiſlatoris ipſius verbis, cum primum leges illas inſtituiſſet; [e] *ne polluatis animas veſtras in omni reptili quod movetur ſuper terram: ego enim* ſum *Dominus qui eduxi vos e terra Ægypti, ut eſſem vobis in Deum: ſancti eritis, quia ego ſanctus* ſum. Quaſi dixiſſet Deus, "ille ego, "qui tam inſigni beneficio [redemptione ſcil. ex Ægypto] vos devinxi mihi, & in ope"re illo peragendo tam ſtupenda divinitatis & potentiæ meæ documenta præbui, leges "haſce de rebus & animalibus immundis dedi, ut earum obſervatione vos me unum "pro Deo & Domino habere ſignificetis. Sum enim ipſe Deus *ſanctus*, & naturæ meæ "puritate atque excellentia ſingulari a quovis impuro gentium numine longe ſeparatus. Cum itaque ab omni pollutionis ſpecie cavetis vobis, ſanctitatis meæ imaginem quandam gerere, eamque (pro ingenii veſtri craſſioris modulo) reddere videamini. Gentiles, qui ſpiritus immundos pro Diis habent, eorum naturam ritibus "immundis & ſpurcitie plenis exprimere ſtudent: & conſentaneum eſt, ut vos *ſanctum* "*Iſraelis*, redemtorem veſtrum, colere, moribus ab omni fœditatis ſpecie remotis, & "puritatem meam aliquatenus imitantibus, indicetis.

(6°.) Lex omnia reptilia quæ viſcoſam & fœtidam quandam humiditatem intra viſcera geſtant & in cute demonſtrant, immunda decreviſset; adeoque legis ipſius ratio poſtulavit, ut liquores aut vaſa reptilium eorum tactu contaminata pro immundis haberentur. Eidem legi conſonum erat, ut vaſa lignea vel ærea, tactu reptilium eorum impurata, aqua vel igne mundarentur; vaſa fictilia, utpote vilioris pretii, frangerentur; liquores autem effunderentur, quod in munditiem ſuam priſtinam nec aqua vel igne commode reſtituendi. Adeo ut, ſi rem totam probe & ex ratione judicemus, hæc vaſorum immundities non minus e reptilium immundorum natura, quam ſanctione legis, fluxiſſe videatur.

(7°.) Moses hanc rerum immunditiem ſtatuiſſe videtur, ut hac ratione Judæi a

a 1ª. 2. Qu. 102. art. 5. P. 331. b *Lev.* 6. 11. c *Num.* 19. 19. d *Nam fuiſſe dicuntur* על טהרת *ἐπὶ τὸν καθαρισμὸν*, (*uti LXX.*) 1 *Par.* 23. 28. & 2 *Par.* 29. 12, 15, 16. e *Lev.* 11. 44, 45.

Genti-

Gentilium conſortio & convictu ſejuncti viverent, nec frequens eum peregrinis commercium cultui & mosi peregrino feneſtram aperirer. Judæns enim eodem cum Gentili, ſtrato, ſtragulo, furno, vaſe, & liquore uti, legum religio prohibebat; ne forte pollutionis aliquid iis adhæreret, & inde moleſtæ purgationis occaſio naſceretur. Lex de rerum immunditiis Judæos a gentium ſocietate ſeparabat, cum a re quavis immunditie legali tacta pollutionem haurire poſſent, haud adeo facili opera eluendam. Huc alludere videnrur, ſic ab [a] Apoſtolo citata, [b] Prophetæ verba: Διὸ ¹ ἐξέλθετε ἐκ μέσου αὐτῶν, καὶ ἀφορίσθητε, λέγει Κύριος, καὶ ἀκαθάρτου μὴ ἅπτεσθε· Deus autem ideo Judæos a Genrilibus, legibus hiſce, tanquam vallis & ſepimentis, ſeparari voluit, ne Judæi ſuperſtitionis ethnicæ contagionem haurirent, ſi commercia frequentia cum Genribus exercerent.

(8°.) Israelitæ [c] *gens ſancta* erant, & Deo, præter cæteras gentes, peculiari ratione ſeparati. Deus itaque vaſa omnia reptilium immundorum caſu temerari, & a gentis illius uſu ſeparari, voluit; ut diſciplina illa *ſanctitatis* ſuæ ſignum & ſymbolum eſſet, eamque ad eorum memoriam ſæpiſſime revocaret. Hanc rationem eo ſolidiorem habeo, quod Judæi ſimul & Chriſtiani fateantur, leges rerum & animalium munditiem aut immunditiem ſpectantes, ſanctam Hebræorum gentem unice tenuiſſe. Ideo vero Deus tot *ſanctitatis* ſuæ monimenta præbuir Iſraelitis, ut eorum animis nunquam excideret, ſed eos officii ſui commonefaceret; & exprobraret, ſi forte quicquam ab eorum ſanctitate alienum perpetrarent.

Hæc ſi quis paulo altius & cogitatius expendat ſecum, facile percipiat, rationes non leves fuiſſe, cur Deus de rebus hiſce minutis leges ferret, & earum obſervationem ſtrictiùs exigeret, quamvis earùm obſervatio cum populi ſui damno non levi ſæpiſſime conjungeretur.

CAP. XII.

Legem idololatriæ progreſſum inhibuiſſe, Zabiorum ritus & inſtituta prohibendo.

Seculo illo quo Moſes ad Hebræos ſub ſervitutis Ægyptiacæ jugo fatiſcentes, redemptor mittebatur, Zabiorum ſuperſtitio longe lateque propagata eſt, & totus pene mundus ingemuit, ſe factum Chaldæum & Ægyptium. Horum Zabiorum mentio frequens occurrit apud Maimonidem, eo in libro quo legum Moſaicarum rationes & origines inveſtigare ſtudet, & [d] *multarum legum rationes ei, ex cognitione fidei, rituum, & cultus* Zabiorum, *innotuiſſe* dicit. Quemvis itaque literaruræ ſacræ vel profanæ ſtudioſum juvabit proculdubio, horum Zabiorum, nomen, originem, ritus, libros a Maimonide memoratos, leges etiam eorum ritibus oppoſitas, penitius intelligere. Atque id a me jam poſtulat ſermonis inſtituti ſeries, ut circa Zabios illos, & præcepta legis eorum moribus oppoſita, ſtylum exercerem. Cum autem hoe argumentum tam fœcundum ſit, & explicationem non interruptam poſtuler; illud ſeparatim, libro ſecundo, tractare conſultum duxi, ne ſermo prolixior rerum ordinem & methodi perſpicuitatem perturbet & interpellet.

In præſenti, ſat erit monuiſſe, Zabios illos fuiſſe perditiſſimis moribus idololatras, aſtrorum, dæmonum, idolorum, mortuorum etiam cultui, ritibus inſuper & artibus huic cultui connexis admodum & proxime cohærentibus, addictiſſimos. Sciendum eſt etiam, Zabiorum eorum ritus & dogmata, tanquam zizania, ſcientiæ divinæ triticum, pene per orbem terrarum, ſuffocaſſe, & in morem (ne dicam, & religionem) ubique locorum, tunc temporis abiiſſe. Deus itaque, ut huic ſeculi morbo ſe paſſim diffundenti occurreret, & Iſraelitas ſuos a ſuperſtitionis illius ſcabie puros & intactos conſervaret; leges & ritus haud paucos inſtituit, qui Zabiorum ceremoniis & inſtitutis adverſa fronte repugnabant. Et proculdubio, ſi ritus eorum perſpectos haberemus, lux magna plurimis affulgeret, in obſcuro jam ſitis Hebræorum legibus, quæ ideo tradebantur, ut Zabiiſmi tunc late regnantis curſum remorari poſſent.

Uberrimi hujus argumenti primitias quaſdam jam exhibuimus, plenam meſſem, ob rationem modo dictam, libro proximo reſervandam arbitrati. Eo itaque, bona ſua cum venia, lectorem amandamus.

a 2 *Cor.* 6. 17. b *Jes.* 52. 11. c *Exod.* 19. 6. d *Mor. Neb.* P. 3. c. 29.

1 In *Codice Borneri*, ἐξέλθατε — *Cod. Nov. Col. Oxon.* & *Codd. Leicestrens.* & *Lanfranc.* ἅπτησθε & *Jes.* 52. 11. Juxta *MS. Alexandr.* ἐξέλθατε — *Exempl. Vatican.* αὐτῆς. *Edit. Complut.* αὐτῆ. — *Vatican.* ἅψησθε. *Alex.* ἅπτεσθαι.

CAP. XIII. XIV.

CAP. XIII.

Ritus aliquos longo uſu receptos reformando, eosque ad Dei ipſius cultum transferendo.

NONNULLIS ante legem ſeculis, Diaboli fraude, traditionis incertitudine, temporum ruditate, & hominum natura religionum novarum avida, res ita comparatæ ſunt; ut doctrina de Deo cultuque ſuo a patriarchis tradita miſere corrumperetur, & religio quædam e variis ceremoniis (antiquis, novis, ſanis, inſanis) conſarcioata paſſim obtineret. Cum itaque Deus *gentem ſanctam* condere, & collapſum nominis ſui cultum ad nitorem & puritatem priſtinam reſtitoere ſtatuiſſet; ritus omnes, aut ſua natura corruptos, aut impuris Dæmonis orgiis ita conju .os & proprios ut luſtrari oon poſſent, penitus abolevit: ritus autem ooo pauco , nullo vitio notatos, & gentium (forſan & Patrum) antiquorum uſu cohoneſtatos, in legem cultumque ſuum recipete non dedignatus eſt. Quicquid erar in cultu olim recepto τῶ πονηρῶ κόμματος, Deus e medio ſuſtulit: ritus autem innocuos, quibus uſus gratiam apud plebem fecerat, ipſe toleravit, & legis ſuæ ſanctione cohoneſtavit. Ritus haud paucos antiquitus uſitatos in novam quaſi formam finxit Deus, ut plebis animos quos ratio noo potuit, uſus aut divina συγκατάβασιν cultui ſuo conciliaret. Si leges & ſacrorum ritus divinitus inſtituti rigidæ ſolummodo poteſtatis imaginem prætuliſſent, & Deus nihil omnino populi rudioris affectibus aut moribus induliſſet; veriſimile eſt, eos Dei legem, utpote nova tantum & inopinata præcipientem, rejicete voluiſſe.

Ut hæc omnia lectoris animo facilius illabantur, probare debui, 1°. Deum, cum legem daret, cultus antiquitus uſitati ritus & inſtituta non pauca toleraſſe, & in cultum ſuum tranſtuliſſe, ut ſeipſum populi moribus & affectibus accommodaret. 2°. Συγκατά-βασιν illam, ad idololatriam abolendam, momenti plurimum habuiſſe. Sed oon eſt conſilii mei, hæc & alia cum jam dictis conjunctiſſima hie ſtylo diffuſiore proſequi, ne prolixitas argumenti ſermonis mei ſeriem atque ordinem nimis interrumpat. Ideo vero viſum eſt, hujus, proot & ſuperioris argumenti, lectori quaſi primitias tradere; quod ordo mihi propoſitus exigat, ut pauca ſaltem de utroque ſubjecto prælibarem, & ad legis intelligentiam non parum cooducat, ut partium ejus omnium ſcopus & connexio, hoc primo in libro, taoquam brevi tabella, ſimul ſpectanda proponantur.

CAP. XIV.

Legem cæremonialem idolis obſtitiſſe, ritus moleſtos & oneroſos admodum inſtituendo.

UT hoe argumentum eo clarius evadat, & intellecto facilius; quæ jam dicenda veoiuot, hoc ordine diſpooenda cenſui.

Primo: variis rationibus evincam, legem ritualem Iſraelitis oneroſam extitiſſe.

Oſtendam Secundo: quo reſpectu lex ea tam gtavis erat & oneroſa.

Tertio: legem eam, quatenus oneroſam adeo, obſtaculo fuiſſe idololatriæ, & ad eam profligandam non parum virtutis habuiſſe.

Quarto: argumentis ex adverſo pugoaotibus brevi ſatisfaciam.

SECT. I.

Multis argumentis evictum eſt, legem ritualem Judæis oneroſam extitiſſe.

Legem ritualem Judæis eſſe oneroſam variis argumentis probatur.

METHODUS propoſita id inprimis efflagitat, ut variis evincam argomentis, leges Hebræorum rituales iis oneris & moleſtiæ non parum attuliſſe. Hoc ot eo nervoſius efficiam & expeditius, veritatem præſentem duplici argumentorum genere, *teſtimoniis* nimirum & *exemplis*, ratam & firmam faciam.

Mearum partium eſt primo, veritatem hanc variis teſtimoniis aſſerere, & extra aleam dubitandi ponere. Eam itaque, Chriſti Domini, Prophetarum, ſacerdotum Judaicorum, S. Pauli, Apoſtolorum omnium, Judæorum veterum, Chriſtianorum denique fide Chriſti nuper imbutorum, teſtimoniis, bene firmam & munitam reddam.

Pri-

Sect. I. Teſtimonia Chriſti:

Primo: Chriſti Domini teſtimonium aſſertioni meæ fidem indubitatam afferat. Nam e Domini noſtri verbis, quæ S. Matthæus memoriæ prodidit, intelligere licet, legem Moſaicam multum oneris & moleſtiæ continuiſſe. Ea vero ſic interpres vulgatus latine reddidit: [a] *venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego* [1] *requieſcere faciam vos. Tollite jugum meum ſuper vos,* —— *& invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Verbis illis inſunt multa, quæ facile ſuadeant, Chriſti ſermonem de iis interpretandum eſſe, qui ſub legis Moſaicæ jugo & onere ſuſpirare ſolent, & ad libertatem anhelare.

Nam (1°.) Sententiæ meæ non parum favent ea verba, οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, *laborantes & graviter onerati;* quæ maxime quadrant cum rituum Moſaicorum onere, cui ferendo [b] pares non erant Hebræorum humeri, ſed ſub eo miſere laborabant, & pene fatiſcebant. Hæc eo propiora veritati cenſeantur, quod Salvator noſter locum [c] illum *Jeſaiæ* ſpectare videtur, ubi Propheta, ſub imagine *Sionis* & *Hieroſolymæ* in majorem libertatem olim aſſerendæ, liberalem & ingenuum eccleſiæ Chriſtianæ ſtatum ſic prænunciavit, Καὶ οὐ μὴ [2] εἴπῃ ὁ λαὸς ὁ ἐνοικῶν, κοπιῶ ſic enim (ſi recte conjicio) LXX Prophetæ mentem explicant, potius quam interpretantur. Et ſi hæc explicatio pro vera habeatur, tunc locus ille ſenſum repræſentabit cum contextu magis cohærentem quam verſio Anglicana, *and the inhabitant shall not ſay I am ſick.*

(2°.) Sententia mea cum ſenſu vocum earum, *jugum meum in vos tollite, nam jugum meum ſuave & onus leve*, maxime conſentire videtur. Hic enim *Chriſti jugum & onus* ejus, oneri & jugo illi ex adverſo ponitur, quod ægre ferebant Hebræi, quodque tædium iis & moleſtiam non levem exhibebat. Cogit autem locus ille [d] S. Johannis huic parallelus, cogit inſuper [e] uſus ſcripturæ, ut *onus* & *jugum* de Chriſti mandatis intelligamus; & *onus* illud hic tacitam ἀντίθεσιν Moſis mandatis, utpote longe gravioribus, continere ſentiamus. Hoc in animum eo promptius induco meum, quod Chriſti ζυγὸς hic χρηστὸς, & illius φορτίον hic ἐλαφρὸν, appellétur: [f] χρηστὸς autem *benignum, bonum, utile;* ἐλαφρὸν etiam, φορτικὸν, *leve, portatu facile* denotare, norunt omnes qui græca literatura vel leviter imbuuntur. Quid autem Chriſti *jugum* & *onus* attributis hiſce cohoneſtatur, niſi ut a [g] *jugo ſervitutis* Moſaicæ (quod nec [h] χρηστὸν erat nec [i] ἐλαφρὸν) aperte diſcernatur, eique longe præferatur?

(3°.) Voces illæ ſequentes (*& requiem animabus veſtris invenietis*) textum hunc de perſonis rituum Legalium onere preſſis & obrutis interpretari ſuadeant. Nam voces illæ, penitius intellectæ, hunc ſenſum exprimere videntur: "leges quas ipſe fero, non "tantum leviores & humanæ naturæ gratiores ſunt, iis quas dedit Moſes; ſed mer"cedem poſt ſe trahunt multo ampliorem, & præmio cuivis in lege Moſaica memorato "longe præferendam. Leges enim a Moſe ſancitæ *corporibus* tantum obtemperan"tium requiem attulerunt: ipſe vero ſancte polliceor, eos omnes qui jugum meum "ſubeunt, & legibus meis obſequium præſtant, requiem *animabus* eorum reper"turos.

(4°.) Ipsa textus obſcuritas (pene dixeram) affectata, ſententiam meam probabilem reddit & rationi conſentaneam. Nam phraſes illæ, *venite ad me*, κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, *tollite jugum & onus meum, ego reficiam vos*, & affines aliæ, ſenſum tam obſcurum & incertum præ ſe ferunt; ut, ex interpretum ordine, *vel duo vel nemo* textus hujuſce mentem & ſenſum hactenus aſſecutus ſit. Quidam enim de jugo Satanæ, nonnulli de jugo peccati, alii de onere conſcientiæ, reatus ſenſu tactæ, alii aliter, hunc locum interpretantur. Quid autem Dominus, requiem a legis onere diſcipulis ejus promiſſurus, huic rei caliginem quandam obduceret, & verbis tam incerti ſenſus uteretur; niſi ut odium & invidiam Judæorum declinaret, qui legem ſuam, æque ac templum, credebant in æternum duraturam? Deinde: *plenitudo temporis* nondum advenerat, qua leges Moſaicæ ceſſare, & hæc Chriſti promiſſio complementum ſuum accipere, debuerunt: æquum itaque fuit, ut Chriſtus, de rebus hiſce futuris agens, verbis obſcurioribus, prophetarum ritu, loqueretur.

(5°.) Hinc etiam ſententia mea nonnihil firmitatis hauriat, quod immunitas a rituum Moſaicorum onere [k] χάριτι τοῦ εὐαγγελίου *Evangelii gratia*, & [l] *libertas* ad Chriſtum

[a] S. Mat. 11. 28, 29, 30. [b] Act. 15. 10. [c] Jeſ. 33. 24. [d] 1 Jo. 5. 3. [e] 1 Reg. 12. 4. Act. 15. 10, 28. Rev. 2. 24. [f] Rom. 2. 4. 1 Pet. 2. 3. [g] Gal. 5. 1. [h] Heb. 7. 18. [i] Act. 15. 10. [k] Rom. 6. 14, 15. [l] Gal. 5. 1.

1 *Requieſcere faciam*, apud Vulgat. Edit. Sixt. V. & Clem. VIII. reficiam.
2 Juxta Exemplar. Vatican. εἴπωσι, quod Edit. Aldin. deeſt. — Vatican. λαὸς ἐνοικῶν. κοπιῶ — deeſt Edit. Complut.

SECT. I.

auctorem referenda, non ſemel appelletur. Magnam autem apud me gratiam inibit, qui me docebit, cur immunitas illa, *Evangelii gratia*, & *libertas* a Chriſto donata, nuocupetur; niſi locus e [a] S. Matthæo jam citatus, eo quo dixi ſenſu capiendus ſit, & de gravi illo rituum Moſaicorum jugo (a quo per illa Chriſti verba liberamur) intelligendus.

Prophetarum.

SECUNDO: prophetarum etiam teſtimonlo, veritas cui firmandæ jam ſtudeo, ſtabiliri pnteſt. E prophetis enim proclive eſt intelligere, ritus lege præſcriptos, *Deo ſimul & populo* moleſtos & oneroſos extitiſſe. *Deo* ipſi: dicit enim, apud prophetam, [b] *ſe calendas ipſorum & dies feſtos faſtidire*, & ritus ipſorum tanto oneri ſibi eſſe, ut ea *ſuſtinens laboraret*. *Populo* in ſuper hujuſmodi ritus tædium & moleſtiam peperiſſe, colligere licet ex ejuſdem prophetæ teſtimonio, *Cap.* 50. 4. Ubi propheta, Chriſti perſonam ſuſtinens, dicit, ſe a Deo *linguam eruditorum* accepiſſe, *ut ſciret opportune loqui* את־יעף *laſſo*, vel, præ virium defectu, requiem *ſitienti*. Et alibi, ſub Chriſti perſona loquens, dicit, *ſpiritus Domini* eſt *ſuper me*, *eo quod unxerit me Dominus*, -- *ut prædicarem captivis indulgentiam*, *& clauſis apertionem*. i. e. exponente [c] Vatablo, "ut liberarem eos, qui capti ſunt peccatis, & vinctis ſub legis ceremoniis promulgarem "apertionem carceris. Atque eo ſpectare videntur hæc Apoſtoli verba ad Romanos, [d] *nunc autem ſoluti ſumus a lege*, [1] *mortui ei in qua*, tanquam vincti in carcere, *detinebamur*. Alia prophetarum teſtimonia alibi opportunius in medium allaturus ſum.

Sacerdotum Judaicorum:

TERTIO: ſententia mea concordi *ſacerdotum Judaicorum* ſuffragio confirmari poteſt. Cum enim ſacerdotes illi miniſteria ſua bene loti & maculæ cujuſvis expertes præſtare, victimas etiam nullo vitio vel labe notabiles offerre, tenerentur; cum etiam hujuſmodi religio curioſa ſæpius in orbem rediret, negotii ſimul & ſumptus quotidiani materiam adminiſtrans; eam ſatietatem tædiumque ſacerdotum genri creavit, ut exclamare non dubitarent, מתלאה [e] [τίς] [f] μόχθος, [2] (ita vox redditur a LXX) *quæ defatigatio, quæ moleſtia eſt illa*, cui tolerandæ nulla patientia par eſſe poteſt.

S. Pauli:

QUARTO: partes meas non parum confirmat frequens *Apoſtoli Pauli* teſtimonium. De Moſaicis enim inſtitutis agens, de iis loquirur tanquam oneribus quæ Judæis [g] *imponebantur*: nam Legis λατρείαν ſtetiſſe dicit, μόνον ἐπὶ βρώμασι καὶ πόμασι καὶ διαφόροις βαπτισμοῖς, καὶ [3] δικαιώμασι σαρκὸς μέχρι καιροῦ διορθώσεως [4] ἐπικείμενα. De tota lege rituali contemptim loquitur, ad *Galat.* 4. 3. ubi ait, *nos cum eſſemus* νήπιοι *infantes*, *ſub elementis mundi* ἦμεν δεδουλωμένοι *eramus in ſervitutem redacti*. Et *cap.* 5. 1. Auctor eſt Galatis ut immoti *ſtarent in libertate qua Chriſtus eos liberaverat*, nec *ſe jugo ſervitutis*, lege nempe ceremoniarum, *implicari* paterentur. Et [h] *Cap.* 2. de falſis fratribus agens, qui ſubdole faciebant omnia, ut legem ritualem in locum & ſtatum priſtinum reſtituerent; *ſubintroierunt*, inquit, *explorare libertatem noſtram*, ——— *ut nos in ſervitutem redigerent*. Ut hoc argumentum ad pauca redeat: S. Paulus totam ad Galatas epiſtolam eo conſilio ſcripſiſſe putetur, ut inſtituta ritualia deſcriberet, tanquam elementa jejuna, ad ætatem eccleſiæ puerilem & ſervilem accommodata, ut eos, Judaizandi inſania miſere laborantes, ad ſenſum ſaniorem revocaret.

S. Petri & Apoſtolorum:

QUINTO: ſeotentia mea novum pondus acquirat a conjuncto *S. Petri* & Apoſtolorum teſtimonio. Cum enim nonnulli, Gentiles qui nomina ſua Chriſto dederant, ad circumciſionem ſubeundam & Legis ritus obſervandos, devinctos affirmarent; S. Petrus, ſuum & Apoſtolorum ſenſum exprimens, ex adverſo reſpondit, [i] *quid sentatis Deum, imponentes jugum*, rituum nempe, *ſuper cervicem diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Et paucis interjectis, de riribus abolendis [k] decretum eſt, ne Neophyti, oneris Moſaici gravitate deterriti, a Chriſto deſciſcerent, & ad ethniciſmum degenerarent. Ut expediam paucis: utraque illa dictio, ζυγὸς & βάρος, quam Chriſtus legibus ſuis leniter accommodavit, ab Apoſtolis, de *Moſis* inſtitutis a gentibus, uſurparur. Eo enim ſpectat phraſis illa ἐπιθεῖναι ζυγὸν *jugum imponere* Act. 15. 10. & ἐπιτίθεσθαι βάρος *onus imponere*, quæ nobis occurrit *verſ.* 28.

Judæorum veterum:

SEXTO: ritus Moſaicos moleſtiis haud paucis homines olim affeciſſe, *Judæorum veterum* teſtimoniis evinci poteſt. Eos enim rituum Moſaicorum apparatum oneroſum

a *Matth.* 11. 28, 29. b *Iſ.* 1. 14. c *Schol.* in *Iſai.* 61. 1. d *Rom.* 7. 6. e *Mal.* 1. 13. f In *Exod.* 18. 8. g *Heb.* 9. 10. h *Cap.* 2. 4. i *Act.* 15. 10. k *Com.* 19. & 28.

1 Ἀποθανόντες *mortua* ſcil. *lege*.

2 *Mal.* 1. 13. LXX reddunt מתלאה ταῦτα ἐκ κακοπαθείας ἐστί. *Editio Complut.* Hebraica rectius vertit ἰδοὺ ταῦτα &c.

3 Apud *Cod. Alexandr.* (male autem) legitur δικαιώμα.

4 *Juxta Voſſii lectionem ex ſedecim manuſcriptis*, ἐπικείμενα.

exiſti-

Sect. I.

exiſtimaſſe, ſatis e prophetæ verbis datum eſt intelligere; [a] *non te ſervire feci in oblatione, nec laborem tibi prabui in thure: non emiſti mihi calamum argento*, &c. Hæc enim verba hunc ſenſum videntur in imo continere: "tu quidem exiſtimas oblationes meas, ſumptu graves, & negotii plenas; teque *thus* & calamum mihi offerendum, argento & labore non levi comparare; adeoque cultum meum admodum onerosum extare, & tibi moleſtiam faceſſere non facile tolerandam. Te quidem laſſum & fatigatum, nec injuria, quereris: at longe abes a vero, ſi fatigationis hujuſce culpam in Deum conjicis. Totum hoc malum tibi ipſi triviſti, cujus ingenium moreſque cultum magis liberalem & ingenuum minime paterentur. Contumaciæ tuæ indomitæ tribuendum eſt unice, quod jugum tam grave cervicibus tuis imponatur. Ad hanc veritatem firmandam inſerviat etiam parabola de operariis in vineam conductis, qui tacito [b] murmure Domini gratiam improbabant, quod laborem inæqualem æquali mercede remuneraverat; *dicentes, hi noviſſimi unius hora laborem vinea impenderunt, & tu illos nobis pares feciſti qui portavimus onus & æſtum diei*. In hac autem parabola, tanquam in ſpeculo, contemplanda proponitur oeconomiæ divinæ ratio & ordo in Judæorum & Gentilium rebus adminiſtrandis. Cum utriſque ſcilicet ex pari egit, & [c] *nihil diſcriminis inter nos & illos poni voluit*. Hanc autem paritatem Judæi prorſus inæqualem exiſtimabant, & eam æmulis oculis intuebantur; quod nempe Gentiles, ſub noviſſima tantum mundi ſecula, Dei vineam ingreſſi ſint; ipſi vero a prima pene mundi naſcentis origine, in Dei vinea deſudaverint; & cultus admodum operoſi & ſervilis onus, una cum perſecutionis æſtu ſub legibus ethnicis, ad ſeculi veſperam toleraverint.

Et Chriſtianorum

Septimo: his omnibus accedant σύμψηφα Chriſtianorum ad fidem Chriſti nuper converſorum teſtimonia. Cum enim ſynodus Hieroſolymæ coacta, varia Legis inſtituta prorſus irrita declaraſſet, aut ea ad quatuor ſolummodo præcepta reduxiſſet; Chriſtiani [d] gaudio non exiguo perfuſi dicuntur, & Gentiles ad fidem Chriſtianam ſe frequentiſſime receperunt. Hoc autem argumento non obſcuro eſt, Chriſtianos antiquos legem ritualem onus eorum humeris formidandum exiſtimaſſe, & immunitatem ab illius moleſtiis in lucro poſuiſſe: aliter enim non conſtat ratio, cur decretum [e] illud Apoſtolicum, quod immunitatem illam ratam fecit, tanti æſtimarent, & evangelium quod ritus illos onerofos abrogavit, tam libenter amplecterentur.

Idem probatur exemplis e Lege depromptis

Methodi mihi præſcriptæ conditio requirit proximo, ut veritatem ſupradictam exemplis aliquot e lege depromptis magis ratam faciam & fidei conſentaneam. Hic autem ſi inſtituta quævis oneroſa & negotii plena, lege contenta in medium adducerem; neceſſe eſſet ut totam pene legem tranſcriberem, & lectori moleſtiam ægre ferendam exhiberem. Sed non ea eſt argumenti mei dignitas aut obſcuritas, ut uſui eſſe poſſit in veritatis hujuſce probatione tam ſollicite laborare. Propoſito meo & lectori conſulto ſatisfactum erit, ſi ritus & inſtituta quædam proferam, quæ præ cæteris oneri fuiſſe, & Iſraelitis moleſtiam maximam creaſſe, videantur. Hic itaque

viz. Sabbato & circumciſione:

Primo: & ante alia, religionis Judaicæ ſigna (ſabbatum nimirum & circumciſio) memorari debent. Sabbati rigores Judæorum animos irritaſſe, & eorum patientias non leviter exercuiſſe, conjicere licet e ſcripturis illis e quibus apparet eos a ſabbati violatione non niſi poſt ſera ſecula cohibere potuiſſe: ex iis etiam ſcripturæ locis quibus interdictum eſt a [f] ſedibus eorum in ſabbato removere, [g] ignem accendere, [h] ligna paucula colligere, quicquam cibi coquere, vel (ut rem paucis exprimam) [i] *vias ſuas facere, vel voluntatem propriam invenire*, vel ſecundum voluntatem ſuam *loqui*, manum inſuper a quovis opere ſervili cohibere. Sed Iſraelitis ſabbato paulo gravior acceſſit circumciſio, ſi verbis Judæi ſatis experti niti liceat; [k] *circumciſionis actio ita comparata eſt, ut nemo vel ſibi vel liberis ſuis, niſi propter fidem & religionem, eam ſit facturus. Nam non eſt* levis aliqua *cruris læſio vel brachii aduſtio, ſed res duriſſima* & difficillima, nec ſine vitæ diſcrimine quandoque ſubeunda. Præ metu itaque circumciſionis, multi e gentilibus ad legis Judaicæ jugum ſubeundum adduci minime potuerunt.

Rerum & perſonarum immunditiis:

Secundo: leges & ritus circa rerum & perſonarum immunditias inſtituti non parum moleſtiæ & ſolliciti timoris Iſraelitis attulere. Lectori tædium non leve faceſſerem, ſi immunditias omnes lege memoratas, una cum omnibus explandi ritibus lege præceptis, enumerarem. In præſens ad duas immunditiæ ſpecies, maxime moleſtas, (per ſeminifluum ſcilicet & mortuum contractas) digitum ſufficiat intendiſſe. Nam

a *Ieſ.* 43. 23, 24. b *Mat.* 20. 11, 12. c *Act.* 15. 9. *Rom.* 3. 22. d *Act.* 15. 31. & 16. 4, 5.
e *Act.* 15. 28, 29, 31. f *Exod.* 16. 29. g *Exod.* 35. 3. h *Num.* 15. 32. i *Ieſ.* 58. 13.
k *Maimon. Mor. Neb.* P. 3. c. 49.

SECT. I.

fluxus ſeminis, a morbo vel debilitate vaſorum ortus, non tantum hominem ipſum per [a] ſeptem dies contaminavit, ſed ipſius lecto, ſtragulis, veſtibus, lecti ſocio; ſed & ipſis equi ephippiis, immunditiem affricavit, & contagionis aliquid ad res & perſonas omnes a ſeminifluo tactas propagavit. Interea temporis, immundus ipſe ab acceſſu ad tabernaculum, & externo Dei cultu, tanquam ἀμύητοι, longe arcebatur. Nec minor immunditia, vel minore negotio purganda, quæ a mortui cadavere dimanavit. Ita nempe lex habet, hujus immunditiæ rationem explicans; [b] *quum* quis *mortuus fuerit in tabernaculo, quicunque ingreſſus fuerit tabernaculum, & quicquid fuerit in tabernaculo, — immundus erit ſeptem diebus. Omne item vas apertum, ſuper quo non fuerit operculum* adjunctum, *immundum erit. Quicunque praterea tetigerit in ſuperficie agri occiſum gladio, vel mortuum, aut os hominis, aut ſepulchrum, immundus erit ſeptem diebus.* Si quis autem hujuſmodi pollutionem contraxiſſet, &, nondum ritu præſcripto luſtratus, ad tabernaculum & ſacra ſe contuliſſet; ille tabernaculi ſanctitatem violaſſe cenſebatur, & ſententia capitis in frontis tam perfrictæ peccatorem lege ferebatur. Quanta vero *defatigatio* legis hujus obſervatio Judæis erat, non difficulter intelligatur; cum immunditiens illa frequenter accideret, & non niſi ritibus operoſis, & poſt moram ſeptem dierum, expiari poſſet. His accedat, quod Hebræi pollutionem hujuſmodi ſunebrem evitando vix eſſent; cum naturæ jura ſæpe poſtularent ut neceſſariis ſuis officia ſuprema præſtarent, iiſque decumbentibus pie miniſtrarent. Adeo ut inter legem naturæ hujuſmodi pollutionem quandoque negligere præcipientem, & legem Moſaicam, eam omni ſtudio fugere docentem, medii & quaſi crucifixi non raro viderentur.

Legibus ad Naziræatus religionem latis:

TERTIO: leges ad Naziræatus religionem dirigendam latæ, maxime [c] moleſtæ & rigoroſæ fuiſſe cenſeantur. Singulas enumerare longum eſt, & minime neceſſarium, cum cuivis legem conſulenti obviæ ſint. Obſervare tantum liceat, quid facto opus erat, ſi forte pollutio Naziræo contigiſſet, quæ nulla diligentia præcaveri potuit. Si quis e Naziræorum ordine in domum funeſtam ſciens intuliſſet, vel ad mortuum acceſſiſſet; profeſſionis ſuæ religionem non ſine ſcelere graviore violaverat. En vero legis hujuſce rigores, & inſtituta tyrannidem quandam ſapientia, ſi κατ' ἄνθρωπον judicemus. Quamvis enim quis [d] morte tantum repentina juxta Naziræum caderet, quæ (noſtro forte judicio) errorem omnem excuſare poſſet; Deus tamen immunditiem inde natam expiari jubet, & quicquid temporis a voto ſuſcepto præterierat pro nihilo habet, nec in rationem venire patitur: præceptum eſt etiam, ut de integro votum ſolvere inciperet, qui nullius culpæ reatum contraxiſſet. Neque hic legis illius rigor ſibi modum ponit: lex enim poſtulat inſuper, ut, præter temporis jacturam, ſacrificium adjiceret, quo Naziræus qui pollutus fuerat, ad novam conſecrationem ſeipſum præpararet. Hæc omnia (quod obiter moneo) ſpeciem quidem rigoris præ ſe ferre minime diffitendum eſt: cum autem quiſque Naziræus ſe ſponte ſua conſecraſſet & voto plane voluntario ſeipſum devinxiſſet; nil cauſæ fuit, cur ille, vel alius quiſpiam, de rigore nimio conquereretur.

Legibus de reptilibus & animalculis.

QUARTO: leges de [e] reptilibus quibuſdam, & aliis animalculis ejuſdem cenſus, multum oneris & negotii Judæis attulere. Quamvis enim hujuſmodi animalcula, plane vilia, & longe infra hominis curam poſita, videantur; de iis leges haud paucæ ferebantur, quæ Judæis moleſtiam non levem fecerunt, eoſque majoris momenti rebus intentos interpellarunt. Præceptum eſt enim, ut non tantum horum animalium eſum fugerent, verum etiam ut hujuſmodi animalis immundi tactus hominem ad veſperam uſque pollutum redderet. Neque hic ſe continuit legis rigor: nam curatum eſt inſuper, ut [f] vas quodvis, a tali animalculo contactum, ſi fictile, frangeretur; ſi e materia quavis alia conſtaret, diligenter ablueretur. Juſſi ſunt inſuper Iſraelitæ, ſi quod tale animal, in labrum vinarium cadens, illinc extinctum fuiſſet, non modo vinum effundere, ſed vas ipſum diſſipare. Sin autem in furno ſuffocari contigiſſet, vel in foco jacuiſſet, utrumque diruere debebant; quaſi hujuſmodi contagio ad res etiam ſenſu deſtitutas diffunderetur. Adeo ut leges illæ poſtularent, ut rebus admodum exiguis vacarent Iſraelitæ, & curam vigilem rebus vix cura dignis, niſi quod a Deo præceptis, impenderent.

Et ciborum differentiis.

QUINTO & ultimo: leges de ciborum differentiis Judæis graviter incubuiſſe cenſeantur. Cum enim legum illarum obſervatio Judæos & ethnicos ab ejuſdem menſæ communione cohiberet; Judæi, tanquam ἄμικτοι & μισάνθρωποι, apud ethnicos habe-

a *Levit.* 15. 2, 3, 4. 5. &c. b *Num.* 19. 14, 15, 16. c V. *Numer.* 6. d *Num.* 6. 9, 10, 11.
e *Levit.* 11. 29, 30, 31. f *Levit.* 11. 32, 33, 35.

bantur,

bantur, qui nec leges Judaicas nec earum rationes aſſequebantur. Deinde: leges tam inopinatæ Judæos non raro gentium cachinnis & opprobriis objiciebant, eo quod earum cauſa cibos nonnullos ut immundos averſarentur, quos Gentes inter menſarum ſuarum delicias habuerunt. Præterea, leges illæ de cibis immundis, non parum incommodi Judæis attulerunt: impedimento nempe ſuere quo minus eorum fidem gentemque celare poſſent, cum inter adverſarios eorum infenſos verſari contingeret: & in cauſa fuere non raro quo minus rem ſuam ſamiliarem ſatis commode promovere poſſent. Rei præſenti ſatis apte quadrant ea verba *Calvini*, de ciborum prohibitione verba ſacientis: [a] *fuit illa prohibitio Judæis maxime moleſta in ſuilla carne, quia ad victum apprime commoda eſt, non modo quia ſuave condimentum eſt aliis cibis, ſed quia inde minore ſumptu aluntur operarii.* SECT. II.

Multa alia exempla jam dictis affinia ſubjungi poſſent; ea vero prætermitto, quod ſibi moram longam, & forſan ingratam, poſcant.

SECT. II.

Ostenditur *quo reſpectu leges illæ rituales tam moleſtæ fuerunt & oneroſæ.*

SERMONIS mei ſeries & connexio poſtulant, ut oſtendam proximo, quo reſpectu leges quas dixi rituales tam moleſtæ fuerunt & oneroſæ. Ut autem præſens inſtitutum methodice proſequar, ſermonem intra cancellos hoſce coercebo: probabo nempe leges eas, quatenus numeroſas, quatenus inutiles, quatenus ſeveras & rigoroſas, quatenus ſumptuoſas, quatenus operoſas & negotio plenas, quatenus denique novas & plerunque peregrinas, oneroſas admodum & incommodas extitiſſe. Leges rituales extant oneroſæ, quatenus

Primo: quatenus *multiplices* & *numeroſas*. Ita fuiſſe, non diffitetur ipſe legum auctor, qui leges eas appellat רבו[1] תורתי [b] quæ *Vulgatus* per *multiplices leges meas* interpretatur. Conſentit *Syrus*, qui ſenſum textus exprimit per סוגאא רנמוסי *multitudinem legum mearum*, vel *leges meas multifarias*. Idem cenſuit *Kimchi*, ſic prophetæ ſenſum explicans; המצות שרבו בתורתי *Præcepta, e quibus multa ſunt*, vel *quæ multiplicantur, in lege mea*. Et ſane leges illæ rituales eo charactere non immerito notabantur, cum de minimis curarent, ab aris Hebræorum ad eorum ſocos & ſurnos pertingentes. Ipſæ leges de perſonarum, ciborum, vaſorum, lectorum, veſtium, & aliorum utenſilium immunditie, tam variæ fuerunt & multiſariæ, ut verendum ſit ne ipſa earum enumeratio lectori faſtidium crearet. Ut rem longam in pauca conferam: leges illæ tam variæ fuerunt & multiſariæ, ut quocunque ſe in omni vita verterent Iſraelitæ, ſemper lex hæc vel illa ritualis aures eorum vellicaret; & tota legum earum compages eos ſollicitos haberet, ne forſan (ob humanæ mentis infirmitatem) legis alicujus violatæ reatum inviti contraxiſſent. Atque hac de cauſa, [c] *lex ipſa per ſe onus erat ſatis* δυσβάστακτον, inquit Grotius, *quod nec* Judæi, *nec eorum majores perferre* potuere, *nimirum ob ingentem numerum præceptorum, & humanæ memoriæ atque attentionis imbecillitatem.* Ne vero ea legum farrago curam anxiam injiceret Hebræorum animis, eoſque reatus ſuſpicione & pœnæ formidine cruciarer; Deo viſum eſt Expiationis ſeſtum inſtituere, quo gens integra, victimis aliiſque ceremoniis ſolennibus, ab omni peccato per incuriam aut errorem admiſſo quotannis abſolvebatur. Multiplices & numeroſæ:

Secundo: leges illæ, quatenus *inutiles*, non minore moleſtia Judæos affecerunt. Scriptura non ſemel aſſerit, e legum ritualium obſervatione, multum moleſtiæ, parum autem commodi, ad Judæos rediiſſe. Nam Apoſtolus, νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς *legem mandati carnalis* memorans, ad *Heb. 7. v. 18.* εἰς τὸ ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελὲς *infirmitatem* tribuit *& inutilitatem.* Et alibi, ad *Hebr.* nempe 13. 9. *Pulchrum* eſt, inquit, *gratia ſtabiliri cor, non cibis; qui non profuerunt ambulantibus in iis.* Locus hiſce cognatus occurrit, ad *Hebr. 9. 9. Munera & hoſtiæ offeruntur, non potentes cultorem perficere juxta conſcientiam*, i. e. juxta *interiorem hominem*, uti *Theophylactus*, vel *juxta animam*, prout *Oecumenius*, interpretatur. Ejuſdem momenti ſenſum præ ſe ferre videntur ea S. Pauli ad Romanos [d] verba, τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου ἐν ᾧ ἠσθένει· Ad alios ſcripturæ locos, eodem ſpectantes, digitum ſufficiat intendiſſe, viz. *Galat.* 3. 21. 1 *Tim.* 4. 8. *Ezec.* 33. 15. Inutiles:

a *Comment.* in 1 *præcept. Pentat.* p. 181. b *Hoſ.* 8. 12. c *Annot. ad S. Mat.* 23. 4. d *Rom.* 8. 3.

1 Multo rectius רבי juxta קרי Keri, *viz.* variam *lectionem.*

SECT. II. Horum enim locorum mens & ſcopus eſt, oſtendere leges eas uſui vix ulli miniſtraſſe, cum nec veniam peccatorum impetrarent, nec animæ virtutis aliquid impertirent, nec aditum ad regnum cœlorum cuivis aperirent. Huic veritati ſola ratio teſtimonium ſatis amplum perhiberet, ſi ſcriptura tacuiſſet: cum enim cultus ille ritualis, [a] *in cibis, potibus, lotionibus variis, & juſtitiis carnalibus*, conſiſteret; apertum eſt, carnalia illa vim & virtutem ad animam diffundere, vel eam vita donare, minime potuiſſe. In eo ſolo ſe prodebat oblationum & rituum legalium virtus, quod eorum uſus Judæum a pœnis lege denunciatis liberaret, eumque ſecurum terræ promiſſæ poſſeſſorem redderet. Cum itaque lex ea Judæorum humeros onere non levi premeret, nec tamen oneratos mercede ſatis apta remuneraret; neceſſe fuit, ut lex ea moleſtiam faceſſeret Iſraelitis ægre tolerandam, & ut illi libertatem a labore tam inutiliter impenſo vehementer deſiderarent.

Severæ: TERTIO: hæ leges oneri fuere Judæis quatenus admodum *ſevera* fuerunt & *rigoroſa*. Eos enim, tanquam gentem ſervilem tractabant, & ad modum eorum ingenio ſervili prorſus accommodatum: ritus enim nulla nativa bonitate commendatos imponebant, eos pœnæ tantum formidine ad obedientiam præſtandam coercebant, & cum duritie quadam inflexibili mortem aut obſequium exigebant. Haud immerito itaque lex Moſaica [b] νόμος τῶν ἐντολῶν, *lex* tantum *mandatorum*, & [c] νόμος ἔργων *lex operum*, & [d] διακονία θανάτου *miniſtratio mortis* audiit: quod nempe lex ea præcepta & promiſſa tantum naturæ mundanæ contineret, & homines oſtenſo mortis metu a præceptis ejus violandis deterreret. Fuere ſcilicet Iſraelitæ veteres, ſervilis ingenii populus, a Gratiis & Muſis omnibus alienus, res tantum mundanas ſapiens, & ſola mortis metu & pœnæ alicujus corporalis formidine ad frugem adducendus. Ad infelicem gentis hujuſce genium *lex* ea *mandatorum* maxime fuit adaptata, cum circa ritus tantum externos, & nil boni continentes verſaretur, cum etiam Iſraelitas (ad modum ſervorum) ſupplicii tantum formidine intra limites officii contineret. Prout itaque lex ea Judæis craſſioribus, & nullius boni ſenſu tactis, oneri fuit, quatenus pædagogi vicem obiit, eoſque ab idolis animadverſionis metu refrænavit; ſic & iis moleſta acceſſit quos Deus e luto meliore finxerat, quod ſcilicet eos officiis tantum humilioribus & δικαιώμασι σαρκικοῖς exerceret, nec ſpe levi cœleſtis hæreditatis eos animaret.

Sumptuoſæ: QUARTO: leges illæ Judæis eo graviores acceſſerunt, quod earum non paucæ magnis *ſumptibus* & impenſis eos onerarent. Longum eſſet ſumptus & impenſas omnes enumerare, ad quas faciendas cultores Moſaici tenebantur. Nec in argumento tam trito & uberi moram longam faciam, ſufficiat rem hanc exemplis paucis & obviis illuſtrare. Primo itaque, Lex eos ad *animalium* mundorum πρωτογεννήματα Deo ſacranda devinctos tenuit: *rerum* etiam omnium quæ decimari poterant decimas, primas, ſecundas, tertias, ad uſus ſacros ſeponere debuerunt; adeo ut, poſtquam Legi ſatisfactum eſſet, ne ſeptima pars totius agricolæ, tanquam laboris ſui pretium, remaneret. Deinde: feſta ſolenniora nonniſi multis ſacris oblatis agi debuerunt, quæ ſumptus eo majores Iſraelitis attulere; quod lex poſceret, ut quævis oblatio parte quavis integra eſſet & immaculata. Præ feſtis autem reliquis, magno ſtetiſſe videtur ſolennitas illa [e] tabernaculorum, qua nempe boves quadraginta novem, ſeptem hirci, quatuordecim arietes, & agni nonaginta novem, e præſcripto legis offerebantur. Præterea: lex ea gravioribus adhuc impenſis Judæos oneravit, quod eos ad pecuniam pauperi abſque fœnore credendam devinciret, quod etiam anno quoque ſeptimo agri proventum pauperi & peregrino relinquendum, & nummos pauperi mutuo datos e creditoris tabulis expungendos eſſe, poſtularet. Cum etiam de impenſis ſit ſermo, id ſileri non debet, quod lex ea vix ullum veniæ vel expiationi locum concedat, cum quis pollutionem graviorem contraxerit, vel delictum per errorem aut ignorantiam admiſerit; niſi [f] vitulum, agnum, turturem, vel victimam aliquam aliam, non niſi pretio ſoluto comparandam offerat. E quibus omnibus manifeſtum evadit, [g] *Strabonem* in Hiſtoria rerum Judaicarum male verſatum fuiſſe, cum dixit, Moſem tot hominum animos & ſtudia partibus ejus adjunxiſſe, *quod pollicitus eſſet ejuſmodi cultum & ſacrificium ſe traditurum*, ὅτι οὐδὲ δαπάναις ὀχλήσει τοὺς χρωμένους, ὅτε [1] θεοφορίαις, ὅτε ἄλλαις πραγματείαις ἀτόποις *quæ nec impenſa, nec afflatu, nec re ulla abſurda*, eos *perturbaret*.

Operoſæ: QUINTO: docendum eſt proximo, leges eas, quatenus *operoſas & negotii plenas*,

a *Hebr.* 9. 10. b *Epheſ.* 2. 15. c *Rom.* 3. 27. d 2*Cor.* 3. 7. e *Numer.* 29. a *com.* 13. ad 32. f *Numer.* 6. 11. g *Geogr.* l. 16. p. 1104. c

1 Vid. p. 178. *Not.* 1.

onero ſas

oneroſas admodum extitiſſe. Tot uempe ceremoniæ, curioſe peragendæ, exercitii quotidiani materiam Judæis attulerunt, ut iis vix unquam otioſis eſſe licerer. Semper enim immuuditiem aliquam luſtrare, vel domnm aut veſtem aliquam lepro tactam ſacerdotibus oſtendere, vel iter tædio plenum ad [a] Hieroſolymam facere, & ibi moram bene longam trahere, debuerunt. Gentis Judaicæ religio maritum & uxorem, debito conjugali ſoluto, [b] lavare docuit, quaſi tori maritalis uſu ſeipſos contaminaverant. Præterea: leges de cibis, potubus, immunditiis, baptiſmis variis, & aliis inſtitutis curioſis, vigilem populi curam & attentionem ſæpe poſtularuut; ne forſan in minutis offenderent, & a recto deelinarent. Neqne leges illæ Judæorum animis tantum, ſed etiam corporibus, moleſtiam afferebant: nam ad oſtium templi, victimis ſuis onerati, venientes, ad laſſitudinem uſque non raro laborabant. Atque hinc occaſio data populi verbis apud [c] Prophetam, [1] *quæ fatigatio?* Si Judæis ſic a [d] *Clario* citatis fidem habeamus: *contra populum hoc dictum voluut Judai, cui moleſtum fuit adducere victimas ad atrium Domini, & ſe laſſum portandis illis querebatur, atque ita indignabundus* in *terram projicere ſolebat.* In iſto corporis exercitio, & animi contentione ſtudioque, perperuo verſabantur ii qui Legis Moſaicæ jugum ſubierunt; adeo ut a Domino noſtro, [e] κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, *ad [f] laſſitudinem laborantes & graviter onerati*, non immerito appellentur. Sect. III.

Sexto & nltimo: leges illæ eo graviores habebantur, quod *nova* plurimum eſſent, & a gentium aliorum uſu alienæ. Legis equidem ritus & inſtituta clarioris notæ (veluti ſacrificia, novilunia, luſtrationes, feſta, alia, de quibus Libro tertio agitur) antiqua plerunque fuerunt, & aliarum gentium uſu frequentiſſima. Prout enim Chriſtiani veteres gentium delubra rituſque omnes minime rejecerunt, ſed horum pleraque ad uſum legitimum & Chriſtianum accommodarunt; ſic & Moſes (vel potius per Moſem, Deus) inſtituta genrium omnia minime repudiavit, ſed multa, purgata tamen & quaſi circumciſa, in legem cultumque divinum tranſtulit; ut hac arte Judæorum animos a Legis inſtitutis eo minus averſos redderet. Interea loci non diffitendum eſt Deum leges non paucas (de domibus nempe lepra pollutis, de rerum & perſonarum immunditiis, de unico templo & altari extruendo, & ſimilibus) inſtituiſſe, quas ægre ferebant Iſraelitæ, quod iis novæ & a gentium veterum uſu averſæ viderentur. Hanc aſſertionem firmiorem reddit [g] *Hoſea* teſtimouium, cujus ſeuſus apud interpretem *Vulgatum* ſic exprimltur: [2] *ſcripſi eis multiplices leges meas, quæ velut aliena computata ſunt;* i.e. "quæ tanquam res exteræ, & a ſeculi præſentis ingenio & uſu diſcordes, habentur, & eo nomine nullius æſtimantur. Ab hoc ſenſu nou longe abeſt ea Græcorum interpretatio, τὰ νόμιμα αὐτῶ εἰς ἀλλότρια [3] ἐλογίσθησαν. Nova.

Ideo vero Judæi leges haſee novas & alio quaſi cœlo natas tam iniquo ferebant animo, quod ita natura comparatum ſit, ut nova omnia ſuſpecta plurimum & inviſa veniant; ea vero quæ gentium aut annorum multorum uſus commendat, fide & affectu proclivi plerunque recipiantur. Cum *Ephraim* itaque legis divinæ jugum ferre recuſaret, rei ratio verbis illis innuitur, quibus *Ephraim [h] vitulus non doctus*, vel *non aſſuetus* ferre jugum, appellatur.

SECT. III.

Legem, quatenus oneroſam, idololatriæ multum obſtitiſſe, & ad eam profligandam non parum valuiſſe.

IDEO lex ea, oneroſa licet & inutilis, Iſraelitis imponebatur, ut [i] moribus eorum Ægyptum olentibus obicem poneret, & idololatriæ peſti, qua miſere laborabant, remedium adhiberet. Cum autem alibi veritati huic lucem & fidem ſatis amplam fecerim, nolo hic actum agere, vel ei argumento firmando diutius immorari. Eam itaque [k] *Riberæ* ſolius teſtimonio paulo firmiorem reddam, & deinde ad ea me recipiam quæ cum inſtituto præſenti propius conjunguntur. *Quemadmodum lac utile eſt infantibus pro ea ætate, adultis autem & perfectis inutile; haud ſecus lex imperfectis Judæis* Lex oneroſa obſtabat idololatriæ.

a 1 *Reg.* 12. 28. b *V. Joſeph.* cont. *Apion.* p. 1381. c *Malac.* 1. 13. d *Schol.* in *Malac.* 1. p. 386. e *Mat.* 11. 28. f *Jo.* 4. 6. g Cap. 8. 12. h *Jerem.* 31. 18. i *Gal.* 3. 19. k *Comment.* in *Hebr.* cap. 7. p. 317. num. 68.

1 Vid. pag. 198. *Not.* 2.

2 Juxta Editionem Sixti V. & Clementis VIII. *ſcribam ei.*

3 Apud *MS. Cardinalis Barberini*, ἐλογίσθη.

Sect. III. *utilis erat, abducens eos ab idolis, & ad verum Deum adducent, convenientiaque* præcepta *iis tradens: perfectiorum autem indigis non porro utilis eſt, carnales enim præcipiebat victimas & purificationes, quibus ſpirituales* jam non *indigent.*

Non nemo forſan hic a me quæret, qua ratione lex, in ſe prorſus inutilis & oneroſa, Judæos *ab idolis abducere* potuit, & obſtare quo minus idololatria libere inter eos, æque ac gentes alias, graſſaretur? Hæc autem quæſtio facile reſponſum recipit: nam,

Quatenus ſignum erat & monimentum pertinaciæ judaicæ: (1°.) Leges illæ, quatenus tam inutiles & oneroſæ, pertinaciæ & idololatriæ Judaicæ ſigna fuerunt & monumenta diu duratura. Huic veritati multum lucis & præſidii præbet vigeſimum caput *Ezechielis.* Ibi nempe Deus populo in memoriam revocat idololatriam illam qua, per totum incolatus Ægyptiaci tempus, ſeipſos polluerant, *verſ.* 4, 7, 8. Eas etiam leges fuſe memorat, quas iis Ægypto nuper egreſſis dederat, *verſ.* 10, 11, 12. Poſtea gentis iſtius ingenia moreſque diſtincte refert: quod nempe Dei ſtatuta deſpicatui habuerint, minas & promiſſa nullius æſtimarint, & quod ritus & Deos Ægyptios arctis amplexibus retinuerint. Hiſce memoriæ proditis, *Com.* 25. ſubjungit, *quare & ego dedi ipſis ſtatuta non bona, & jura per qua non viverent.* Adeo ut textum integrum exponendum cenſeam, quaſi Deus prophetam in hunc modum allocutus fuerat; [a] "Iſraelitis, Ægypto recens egreſſis, leges dedi, non ſervis ſed ingenuis dignas; utpote nativa ſua bonitate commendatas, & vitam ſincere obtemperantibus allaturas. Cum autem illi leges eas, utpote mori & indoli eorum repugnantes, aperte violarent, & in cultum idolorum, qua erant pertinacia, perpetuo ruerent; Deus tandem, gentis Judaicæ contumacia quaſi fractus & fatigatus, iis leges alias inſtituit, ſua quidem natura *non bonas*, & patribus eorum prorſus incognitas; quæ nempe jugi loco forent, quo rigidæ cervicis populi contumacia frangeretur, & omnis ad Ægypti mores redeundi libertas adimeretur, & leges illæ (multum negotii, parum emolumenti, obſervantibus allaturæ) perpetua manerent iræ divinæ & contumaciæ Judaicæ teſtimonia. Hac paraphraſi nihil, aut vero ſimilius excogitare potui, vel quod huic obſcuro textui lucem clariorem adferat.

Et in rebus minutis verſabatur. (2°.) Lex ea ritualis ad avertendum ab idololatria populum egregie fuit accommodata, quatenus ad res adeo minutas ſe extenderet, ut Iſraelitis, in quovis articulo vitæ, levis aliqua obedientiæ Deo vero præſtandæ occaſio ſe ingereret, & legislatoris ſui memoriam renovaret. Huic ſententiæ cumprimis favet [b] *Juſtinus Martyr*, ſic Judæos in perſona *Tryphonis* alloquens; σαββατίζειν ὑμᾶς προστέταχεν, ἵνα μνήμην λαμβάνητε τοῦ Θεοῦ, *ſabbata celebrare vos juſſit, ut Dei memoriam colatis:* — Καὶ γὰρ βρωμάτων τινῶν ἀπέχεσθαι προστέταχεν ὑμῖν ἵνα καὶ ἐν τῷ ἐσθίειν καὶ πίνειν πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχητε τὸν Θεόν, &c. *Quin & a cibis quibuſdam ut abſtineretis, mandavit vobis, ut inter edendum & bibendum vobis ob oculos verſaretur Deus; promptis & proclivibus ad deficiendum ab ejus notione. Et poſt* [c] *paginas aliquot.* Διὰ τὸ σκληροκάρδιον, inquit τοῦ λαοῦ ὑμῶν πάντα τὰ τοιαῦτα ἐντάλματα νοεῖτε τὸν Θεὸν διὰ Μωσέως ἐντεταλμένον ὑμῖν, ἵνα διὰ πολλῶν τούτων ἐν πάσῃ πράξει πρὸ ὀφθαλμῶν ἀεὶ ἔχητε τὸν Θεόν, &c. *Propter duritiem cordis populi veſtri, cunctas hujuſmodi ſanctiones Deum per Moſen vobis tuliſſe intelligitis; ut per complura illa* inſtituta, *in omni actione vobis ante oculos eſſet Deus, ac neque injuſte facere neque impie agere occiperetis.* Cum hiſce *Juſtini* paria pene faciunt [d] *Cedreni* verba: Διὰ τὴν σκληροκαρδίαν [Ἰουδαίων] ἐπέδησεν αὐτοὺς [ὁ Θεὸς] ὅπως διὰ τοῦ θύειν, καὶ ἀργεῖν, καὶ ἁγνίζεσθαι, καὶ τὰ τοιάδε παρατηρεῖσθαι, εἰς ἔννοιαν ἔρχωνται Θεοῦ, τοῦ ταῦτα διαταξαμένου αὐτοῖς, καὶ νομοθετήσαντος i. e. *Sic* Deus *ob cordis duritiem devinxit* Judæos, *ut ſacrificiis, feriis, purificationibus, aliiſque* ceremoniis *obſervandis, Dei memoriam retinerent, qui* omnia *iſta præceperat, & legibus præſcripſerat.* Nec ab hac legis Moſaicæ ratione Judæi veteres abhorruere: nam [e] *Philo*, legem memorans qua præceptum eſt, ut quotieſcunque panis fermentatur & ſubigitur, totius maſſæ primitiæ quædam in uſum ſacerdotum ſeparentur; *hoc pacto*, ait ille, offerentium pietati proſpicitur: Ἐθιζόμενοι γὰρ ἀεὶ καὶ τῆς ἀναγκαίας τροφῆς ἀπάρχεσθαι, τὴν Θεοῦ μνήμην ἄληστον ἕξουσιν, ὃ μεῖζον ἀγαθὸν ἐν ἑτέροις. *Dum enim aſſueſcunt ſemper alimenti partem tanquam primitias, Deo ſeparare; nunquam in ejus oblivionem veniunt, qua re nihil* in vita *poteſt contingere felicius* homini. Neque hæc opinio ratione minus quam veterum auctoritate firmari videtur: quid enim lex Moſis, victum, veſtitum, agri colendi modum, capitis tonſuram, ſacrificii cujuſque circumſtantias, aliaſque minutias per totam pene vitam diffuſas, tam curioſe definiret; niſi ut Hebræorum populus ætatem ſub divina quadam diſciplina ageret, & lex ea tanquam κοινὸν βάμμα καὶ φυλακτήριον (uti loquitur [1] *S. Juſtinus*) *cocci-*

a *Jerem.* 7. 22, 23, 24. b *Dialog.* cum *Tryphon.* p. 175. 5. c Pag. 229. 25. d In *Compend. Hiſt.* p. 239. C e Lib. de *Præmiis Sacerd.* pag. 830. D

1 Vid. locum jam laudatum.

neus

neus panniculus & phylacterium, ad populum monendum inſerviret; unde nulla Dei oblivio animis vel maxime ſtupidis & ſomnolentis obrepere poſſet. His omnibus gratiæ nonnihil ſuper addet [a] *Calvini* teſtimonium: *populum ſuum adipe veſci Deus vetuit, etiam in cibis vulgaribus, ut domi quoque religionem colerent. Fuit enim haud dubie hoc pietatis exercitium, ut qui procul aberant a templo, ſeſe tamen in quotidiano victu aſſuefacerent ad Dei cultum.* SECT. III.

Quatenus apta fuit ad populum ſubigendum;

(3°.) LEX illa moleſta & operoſa uſui jam dicto miniſtravit, quatenus ad populi durioris animum ſubigendum, eumque mitem & diſciplinæ capacem reddendum, apta fuit & attemperata. Nam lex ea mori, ſtudioque gentis illius adverſata eſt, quæ in vetitum idololatriæ neſas tota nitebatur. Præcepta etiam plurima continuit, a bonitatis & rationis ſpecie tam remota, ut mera potentiæ arbitrariæ documenta, & ingenii ſervilis exercitia, viderentur. Præterea: lex hæc, ut homines a ſui ipſius violatione deterreret, mortem aut grave malum temporale, [b] χωρὶς οἰκτιρμῶν ſubeundum, iis interminata eſt. E quibus apertum eſt, legem eam ſeverum triſtemque pædagogum fuiſſe, Judæorum hominem inprimis exteriorem exercuiſſe, eosque tanquam ſervos, metu ſolummodo intra limites officii continuiſſe; & proinde, Deum legem eam, tanquam humilitatis & obſequii magiſtram, Judæis impoſuiſſe. Et proculdubio, cum leges tam variæ, quarum nec bonitas nec ratio conſtabat, Iſraelitis imponerentur; eorum pars ſanior ſe ut ſervos, aut ætatis nondum maturæ liberos, tractari ſentiebant, & animos conditioni tam ſervili conſentaneos induebant. Ab hoc equidem ingenuo rerum ſenſu multum aberat Hebræorum vulgus: eorum enim plerique legem eam non jugum exiſtimabant, ſed ornamentum; imo vero animos ab ipſo jugo ſumere ſolebant, & ſervitutem legis non pati tantum, ſed & in illa [c] gloriari. Sed illi quibus felicior natura contigit, intimo jugi tam ſeveri & oneroſi ſenſu tangebantur, & *redemptionem filiorum Dei*, in Evangelii Jubilæo promulgandam, impenſe deſiderabant. Et certe ſi quis rem totam attentius æſtimaverit, facile percipiat, Deum leges haſce carnales & multifarias magis ad [d] ſubigendos quam demulcendos Hebræorum animos ei genti tradidiſſe.

Et impediendum quo minus ethnicorum ritibus vacarent.

(4°.) NONNULLI non abſurde ſentiunt, leges ceremoniales idololatriæ obſtaculo fuiſſe, quatenus earum multitudo ſic occupatos tenuit Hebræorum animos, ut ethnicorum ritibus & moribus obſervandis vacare non poſſent. Ea erat opinione S. Chryſoſtomus, qui præcepta ritualia Judæis, in gentium ceremonias ruituris, fræni vice functa fuiſſe dicit, quatenus ἀφορμὴν τῆς ἀσχολίας παρέχοντα, *occupationis honeſtæ occaſionem iis pene ſemper offerentia:* & ſane, ſi Judæi ad legem illam operoſam diligentius attendiſſent, tantum a rebus ſuis otii nunquam eſſe potuit, aliena ut curarent, & a fido cultuque patrio ad mores & ritus ethnicorum degenerarent. Adeo ut onera Legis in *Canaan*, Pharaonis oneribus in *Ægypto*, non prorſus abſimilia videantur: prout enim hæc obſtabant, quo minus Iſraelitæ ad res novandas & rebellionem contra Pharaonem animos appellerent; ſic & onera Legis eorum animos a ritibus externis & rebellione contra Dominum ſuum avocarunt.

Quatenus moribus Ægypti adverſabantur.

(5°.) E legibus hiſce moleſtis nonnullæ frontem adverſam ferebant moribus Ægypti, quæ *ſuperſtitionibus* ſuis *operoſiſſimis* Iſraelitas inſecerat & oneraverat. Nam oſtenſum eſt alibi, Deum in Paſchate ritus multos circa agnum maſculum obſervandos inſtituiſſe, ut ſeipſum Ægypti religionibus opponeret; & dogmata ritusque male ſanos tacite redargueret, qui circa arietem in Ægypto percrebuerunt. Mandatum eſt etiam (quod obſervatum eſt alibi) ut Iſraelitæ vitulum integre ruſum, multorum rituum apparatu ſacrificarent, ut ea ratione Deus doctrinas & ritus Ægyptios circa vitulum ruſum eradicaret, qui Hebræorum animis & moribus tenacius adhæſerunt. Curatum eſt inſuper, ut in feſtis omnibus, & oblationibus pleriſque ſolennioribus, [e] hircus aut bœdus locum obtineret; eo quod Ægypti ſuperſtitio circa hircum maxime deliraret, & Hebræorum natio cultus [f] hircini inſania maxime laboraret. Neque veri ſpecie caret, Deum curaſſe, ut immundities ex mortuo ſæpe contingeret, diu remaneret, & non ſine labore moleſto tolleretur; ut ſuperſtitionem Gentilium circa mortuos exerceri ſolitam exterminaret. [g] Mortuis enim cultum divinum tribuebant, eorum ſacra participabant, in ſepulchris eorum pernoctabant, eorum reſponſa in dubiis expectabant, eos etiam in Deorum ordine collocabant. Cum autem Lege præſcriptum eſſet, ut ipſe tactus mor-

a *Comment.* in *Pentat.* in 2 *Præcept.* p. 282. b *Heb.* 10. 28. c *Act.* 21. 20, 21. *Rom.* 2. 23. d *Act.* 15. 10. *Gal.* 5. 1. e *Lev.* 23. 18, 19. f *Lev.* 17. 7. g *Pſal.* 106. 28. *Iſ.* 65. 4. *Iſ.* 8. 19.

Sect. IV.

tui, vel oſſis aut ſepulchri, imo ſola mortui præſentia, pollotione tam gravi res & perſonas omnes afficeret, ut non niſi lotione repetita, aquæ luſtralis aſperſione, & ſeptem dierum ſpatio a ſacris abſtinentia, removeri poſſet; fieri non potuit, quin Iſraelitæ Gentilium dogmata de Heroum mortuorum ſanctitate & divinitate repudiarent, & eorum ſuperſtitio, circa mortuos occupata, de rebus evaneſceret.

Et multiplex erat.

(6°.) Rai ratio, & ipſe legum ritualium finis & ſcopus, omnino poſtularunt, ut leges illæ *multiplices* eſſent, adeoque moleſtæ & oneroſæ. Finis enim & ſcopos præcipuus ad quem promovendum leges illæ variæ collimarunt, is erat. Ut nempe ſenſum incuterent Hebræorum populo puritatis & ſanctitatis illius Dei qui leges eas inſtituit, & cujus cultui populus ille ſe ſerio conſecravit: ut etiam ſymbolorum vice fungerentur, quorum ope Judæi perciperent ſe [a] *populum ſanctum* eſſe, id eſt, a profanis mundi gentibus ſeparatum; adeoque prorſus alienum eſſe ab ipſorum dignitare, ut fœdus aut ſocietatem inirent cum impuris mundi gentibus, aot earum *Deos ſtercoreos*, ritus, aut mores æmulo oculo intuerentur. Ut antem leges illæ rituales eo ſelicius fini & uſui jam dicto miniſtrarent, neceſſe ſuit, ut animalium, perſonarum, eiborum, vaſorum, veſtium, domorum, & rerum aliarum, munditias & immunditias minutiſſime determinarent, & ad eas obſervandas populum Iſraeliticum arctiſſime devincirent.

SECT. IV.

Duabus occurritur objectionibus, quibus corollarium adjunctum eſt.

RERUM ordine ſic poſtulante, argumentis ex adverſo pugnantibus proximo reſpondendum eſt, & totum Caput uno adjuncto Corollario tandem finiendum.

Argum. 1um.

Ex argumentis hoc primum eſto: fidem omnem excedit, Iſraelitas legem ritualem tam gravem & moleſtam expertos ſuiſſe, cum Deus aperte neget ſe quicquam oneris eorum humeris impoſuiſſe, vel eos operis injuncti gravitate laſſos aut defatigatos reddidiſſe. Id clare ſatis exprimitur hiſce Prophetæ verbis: [b] *non me invocaſti Jacob, nec laboraſti in me Iſrael. Non te ſervire feci in oblatione, nec laborem tibi prabui in thure: — ſed tu ſervire me feciſti in peccatis tuis, prabuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Michæ prophetia locum parallelum præbet, *Cap. 6. 3. Popule mi, quid feci tibi*, vel, [c] *qua in re moleſtus fui tibi? Reſponde mihi.* Pateat autem e contextu, Deum ea verba protuliſſe, reſpectu habito ad oblationom, & riruum aliorum multitudinem, quæ moleſta & gravis a Judæis habebatur. Ratio itaque ſuadet opinari, Judæos olim legem non accepiſſe moleſtam, ſed ſeciſſe talem; ſocordia nimirum, avaritia, vel amoris defectu, quo Deum & cultum ejus amplecti debuerunt.

Solvitur duplici reſponſo.

Hujus argumenti color omnis duplici reſponſo diluatur. Nam (1°.) lex ea quæ cultum inſtituit tam operoſo rituum apparatu præſtandum, Deo auctori tribuenda eſt. Deus enim ſeipſum legis illius auctorem profitetur, *Ezec. 20. 25. Ego dedi eis precepta non bona, & Judicia in quibus non vivent.* Ibi nempe per *precepta non bona*, multi præcepta ritualia intelligunt, quæ tandem a Deo, ſacto nempe vitulo anreo, Iſraelitis tradebantur. [d] "Antequam *enim* offenderent Dominum, *idolum illud erigentes*, de-" calogum tantum acceperint, poſt idololatriam vero & blaſphemias, ceremonias legales "multas dedit, ad nihil aliud utiles quam ut *eos* remorarentur a dæmonum cultu, & "ſacrilega ſuperſtitione gentium. Adeo ut horum præceptorum, nec occaſio, nec natura, quicquam in iis nativæ bonitatis indicet.

(2°.) Etsi Deus auctor legis cultusque tam moleſti fuerit, veritate tamen illæſa dici poteſt, eum populo Judaico minime moleſtum, aur oneroſum extitiſſe. Cum enim apertum ſit, leges eas nihil cum Dei natura cognationis habuiſſe; neceſſe eſt, ut a populi propenſione vel ingenio rituali, potius quam Dei voluntate vel natura dimanaſſe cenſeantur. Atque ita ſe tem habere, clare ſatis e variis ſcripturæ locis intellectum eſt: *Jerem.* 6. 20. *Quid mihi* thus *de Saba* affertis *& calamum* ſuave olentem *de terra longinqua? Holocauſta veſtra non ſunt accepta, & victima veſtra non placuerunt mihi*, Pſal. 51. 16. [e] *Si voluiſſes ſacrificium, dediſſem; at in holocauſtis non delectaris.* Sed huic veritati locem paulo clariorem impertit modo citatus *Jeſaia* locos: [f] *non te ſervire feci in oblatione*, ſponte mea: *nec laborem tibi prabui in thure*, volens & nulla urgente neceſſitate.

a Exod. 22. 31. Lev. 11. 43, 44. Lev. 20. 25, 26. b Iſ. 43. 22, 23, 24. c Ἢ τί ἠνώχλησά σοι, LXX. in loc. d V. Iſidor. Clar. Schol. in loc. e Vid. Pſalm. 50. 13, 14. f Cap. 43. 23, 24.

ceſſitate. *Sed* (ut quod res eſt eloquar) *tu ſervire me feciſti in peccatis tuis, & præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis;* & ego (licet invitus) te ſervire feci in oblationibus, & laborem tibi præbui in thure, & multiſariia legis meæ ceremoniis; ut nempe vicem tibi rependerem, & lex mea tam oneroſa cervicem tuam ferream ad laborem flecterer, & eſſet fræni loco, quod te, in gentium mores alias ruiturum, a mortis ſemita cohiberet. SECT. IV.

SECUNDO: non nemo forſan & hoe argumento contra jam dicta pugnaturus eſt; ſi lex ea ritualis tantum moleſtiæ Judæis creatura fuiſſet, & præcepta quæ præſtando vix erant, in ſeipſa continuiſſet; tantum aberat proculdubio, ut lex ea moroſum Hebræorum populum ab idolis & moribus ethnicis cohiberet, ut veriſimile ſit multos jugo tam gravi eolla ſubducere, & ipſo legis odio ad vias & ſtatuta gentium tranſire voluiſſe. Argumentum 2um.

AT hæc etiam objectio reſponſo uno & altero ſolvi poteſt. (1°.) Minime diffitendum eſt, haud paucos e gente Judæorum legis hujuſce moleſtias tam impotenter toleraſſe, ut cervices ſuas Dei jugo ſubtraherent, & latam ethniciſmi ſemitam legis illius anguſtiis facile præſerendam exiſtimarent. *Jeremias* hujusmodi eervicis rigidæ peccatores non ſemel memorat: *viz.* Cap. 5. 5. Ubi inquit, *Ibo ad optimates, & loquar eis: -- At ecce, hi ſimul* [a] *confregerunt jugum, ruperunt vincula.* Ephraimum eodem ingenio pertinaci fuiſſe, priusquam eum caſtigatio magis humilem docilemque reddidiſſet, ex ejusdem Prophetæ verbis intelligitur: Cap. 31. 18. *Caſtigaſti me*, Domine, *& eruditus ſum, quaſi juvenculus indoctus*, vel *non aſſuetus jugo.* Eadem claſſe peccatorum ponendi ſunt illi, de quibus apud Hoſeam agitur, Cap. 8. 12. Dedi iis *leges meas multiplices*, & *tanquam res aliena reputata ſunt.* (2°.) Noo facile dubitandum eſt multos ætate quavis extitiſſe, qui legem illam (oneroſam licet) affectu debito receperunt, & obſequium legi præſtitum carnis propriæ deſideriis antepoſuerunt; onus iræ divinæ, legis illius onere longe gravius exiſtimantes. Nec minus extra dubium eſt, legem eam io hujusmodi pios Iſraelitas [b] *opus perfectum habuiſſe;* eosque humiles, voluntati divinæ morigeros a gentium inſtitutis alienos, ſanctitatis propriæ memores, & libertatis Evangelicæ ſtudioſos eupidosque reddidiſſe. Solvitur duplici reſponſo.

CORONIDIS vice, unum, his verbis coneeptum, ſubjungam corollarium. Si tempora ante & poſt aſcenſionem Domini in cœlos una conſeramus, magnum diſcrimen inter modum & methodum religionis propagandæ, prompte licet obſervare. Ante Domini aſcenſionem, & ſtante adhuc templo ſecundo, ritus & eeremoniæ corporeæ complebant omnia, & Judæi [c] νήπιοι erant, ſub legis inſtitutis, tanquam primis quibusdam rudimentis, δεδουλωμένοι. Deinde: ſeeulis rudioribus, deeem præcepta, κατὰ τὸ ῥητὸν ſpectata, religionis Judaicæ ſummam eontinebant; & ritus quos dixi carnales ad illa præcepta complenda recta ducebant, & prima quædam στοιχεῖα religionis illius haud immerito habebantur. Hoc ex alibi dictia ſatis eluceſcit. Præterea: ſub primas Judaismi naſcentis origines, Judæi clarioris notæ ritus omnes in templo, vel ſaltem Hieroſolymis, exercere tenebantur; adeo ut templum & civitas illa eſſet quaſi vineulum præcipuum, quo ritus illi & tota fides Judaica, connecterentur. His addo, quod tota religio Judæorum, ad idololatriam, ævi priſci peſtem, evertendam collimavit, & ad hunc finem provehendum (quod ſæpe doceo) ritus legales egregie fuerunt aceommodati. Cum autem Chriſtus in cœlum aſcenderet, & in manum ejus rerum omnium ſumma traderetur; deerevit idololatriam & Dæmonem, non ritibus ſed miraculis, non victoriis ſed martyriis, noo tarde ſed ciro, perdere; ut inde conſtaret, Dei filium, non minus virtute quam dignitare Moſem, Dei miniſtrum, ſuperare. Neque hic tacere debeo, quod ritus Moſaici, eum eorporei & externi fuerinr, non multum eonſenſus habeant cum religione Chriſtiana, quæ hominis interioris puritatem ſpirat, & ad eam promovendam, tanquam ſcopum præcipuum, tendit. Adeo ut verendum eſſet, ne ritus externi, modo in religionem Chriſtianam recepti, hominum animos minus ad eam præcipuam attentos redderent, & fidei Chriſtianæ cauſam oon tam adjuvarent, quam impedirent. Sed hæc forſan omoia eum argumento præſente non multum conjuncta cenſeantur. Corollarium.

a *Pſal.* 2. 2, 3. b *Jacob.* 1. 4. c *Gal.* 4. 3.

CAP. XV. SECT. I.

CAP. XV.

De legum rituumqae Moſaicorum fine ſecundario.

MEMORIA repetendum eſt, me legem ritualem, duas ob cauſas, [a] PRIMARIAM & SECUNDARIAM, datam aſſeruiſſe. PRIMARIA erat, ut lex ea medium eſſet ordinarium, quo Deus, ad idololatriam abolendam, & Iſraelitas in ipſius fide cultuqoe retinendos, uteretur: SECUNDARIA erat, ut legis illius ritus & inſtitura myſteriis quibuſdam adumbrandis inſervirent. Cauſam utramque verbis hiſce complexus eſt [b] Steuchus Eugubinus, *pleraque* in Levitico *inſtituit Deus*, *ut antiquorum ritus transferrentur in cultum divinum*, *aut etiam penitus extinguerentur:* hoc eſt, ut utroque modo, idololatria radicitus evelleretur. Hanc cauſam legis *primam* dixi. Deinde ſubjungit, *intelligimus autem*, ibi *præcepta, majorum rerum quaſi typum* fuiſſe, *& non eſſe ſimpliciter & ſecundum corticem intelligenda:* quibus cauſam quam dixi *ſecundam* aſſerit.

RITUUM Moſaicorum cauſam primariam jam expedivi, &, niſi me fallam, manifeſtum feci, legem ceremonialem ad idololatriæ abolitionem, & cultus longe melioris introductionem, tanquam ſcopum præcipuum collimaſſe. Ad cauſam ſecundariam, acies intentionis noſtræ proximo dirigenda eſt.

UT autem hanc penſi mei partem ſelicius abſolvam, oſtendam, 1°. Deum ritus & inſtitura *quædam* legalia myſteriis quibuſdam ſacratioribus adumbrandis inſervire voluiſſe. 2°. Deum inſtituta legalia, non *omnia*, ſed *quædam* ſolummodo, in uſum illum ordinaſſe. 3°. quænam illa myſteria fuerint. 4°. Myſteriorum & rerum ſublimiorum repræſentationem, legum rituumque Moſaicorum finem fuiſſe ſecundarium.

SECT. I.

Ritus & inſtituta quædam *legalia myſteriis adumbrandis inſerviiſſe.*

Myſteria quædam legis inſtitutis adumbrata fuiſſe.

E magno illo interpretum numero, qui doctrinas ritibus Moſaicis involutas explicare ſatagunt, nonnulli multa inde, ſomniorum quam myſteriorum nomine digniora, proferre videntur: plerique vero, legis myſteriis indagandis occupati, in ſtudia ſenſusque diſcrepantes abeunt, legem Moſaicam, tanquam naſum cereum, in hanc vel illam ſormam, pro varia cerebri ſui figura, convertentes. Inde nonnullorum præjudiciis occaſio data eſt, qui ſecretiora legis ſenſa pro interpretum figmentis habent, & myſteria (quæ dicimus) inter ingenii minus religioſi luſus numerare ſolent. Utcunque minime dubitandum eſt, quin inſtituta Moſaica, σκιαγραφίαν *umbram evanidam* Evangelii, & lineas quaſdam rudiores bonorum cœleſtium, exhibuerint. Hoc eo minus dubitanter aſſero, quod aſſertionis meæ veritatem, ſcriptorum Θεοπνεύστων, Judæorum etiam & Chriſtianorum, teſtimonia, ratam firmamque faciant.

Probatur teſtimonio ſcripturæ.

SCRIPTA Θεόπνευστα, cum veteris tum novi Teſtamenti, huic veritati teſtimonium præbent. In veteri Teſtamento, cauſam hanc aſtruere videtur inſignis illa prophetia *Zacharia*, Cap. 8. verſ. 3. *Sic dicit Jehovah, revertar ad Sionem, & habitabo in medio Hieroſolymæ, & vocabitur Hieroſolyma urbs illa veritatis, & mons Jehova* Dei exercituum, *mons ille ſanctitatis.* Prophetiam illam, phraſibus a cultu & lege Moſaica depromptis, eccleſiæ Chriſtianæ ſtatum & dignitatem depingere, ab omnibus notæ clarioris interpretibus extra dubium ponitur: nam per Chriſti ἐνώσεως ἐν σαρκί, & Spiritus effuſi gratiam; facta eſt eccleſia, *nova Hieroſolyma*, Dei habitaculum, & mons ſanctitatis. Ideo autem *urbs veritatis* ſalutari meruit, quia [c] χάρις ἡ ἀλήθεια *gratia & veritas* per Chriſtum ventura eſſent; id eſt, cultus umbraticus per Moſen inſtitutus, ſole demum exorto, tranſiturus, & rerum imagines, rebus ipſis exhibitis, locum olim conceſſuræ. Quid autem Hieroſolyma vetus *urbs veritatis* appellari non potuit, niſi quod *corpus* nondum eſſet exhibitum, cujus inſtituta Moſaica umbras & imagines languentes exhibebant? Teſtantur etiam novi Teſtamenti ſcripta, ritus Moſaicos rerum cœleſtium ſymbola fuiſſe & realia documenta. In iis enim vocantur τῶν μελλόντων σκιά, *Hebr.* 10. 1. [1] Cœleſtium ἀντίτυπα, *Hebr.* 9. 24. τῶν ἐπουρανίων ὑπόδειγμα,

a Cap. 1. b *Comment. in Num.* 6. c *Jo.* 1. 17. & 4. 24.

1 Græce, ἀληθινῶν.

Hebr.

Hebr. 8. 5. παραβολὴ εἰς τὸν καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα, *Hebr.* 9. 9. Lex integra παιδαγωγὸς εἰς Χριστὸν dicitur, ad *Gal.* 3. 24. & illius inſtituta, στοιχεῖα, *elementa mundi* Gal. 4. 3. quod ſcil. prima quædam eſſent pietatis & Evangelii rudimenta, ad mundi pueritiam accommodata: ideoque Spiritus S. quædam per inſtituta legis *indicare* vel monere dicitur, ad *Hebr.* 9. 8. SECT. I.

Judæorum.

HANC etiam veritatem confirmant Hebræorum teſtimonia, qui Moſis ſcripta σοφίαν ἐν μυστηρίῳ κεκρυμμένην continere, ſemper opinati ſunt. Judæos antiquiores altam & ſeriam veritatis hujuſce fidem tenuiſſe, e Juvenalis verbis, de Judæis ævo ſuo Romæ degentibus, haud perperam colligamus.

[1] —— Servant & metuunt jus
Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes.

nam creditu facillimum eſt, ſatyriſtam ad receptam Judæorum vulgarium opinionem & loquendi morem alluſiſſe, qui frequenter de סתרי תורה *arcanis legis*, filiis ſapientum imprimis innoteſcentibus, olim, prout & hodie, loquebantur. Eandem ſententiam Talmudici etiam, a patribus ſuis transmiſſam, tenuere. In cujus rei fidem ipſos audiamus: [a] *dedit nobis Deus formas ſeu figuras tabernaculi, ſanctuarii, & omnium vaſorum ejus, candelabri: menſa, & altarium* לציורים שכליים ולהתבונן מהם האמתות העליונות *in typos rerum intellectualium, & ad intelligendum ex iis veritates cæleſtes.* In eandem ſententiam ivit [2] Maimonides, cum totam legem דברי כפלים *verba duplicata*, id eſt, ſenſu duplici, literali & myſtico, gravidam pronunciavit. Ex hac autem opinione, de duplici legis ſenſu, [b] Grotius natum arbitratur diſcrimen antiquitus inter Hebræos celebratum ſcriptæ legis & legis oralis, quam & קבלה, hoc eſt, παράδοσιν vocant, utramque dicentes a Moſe profectam. *Non*, inquit, *quod res aliæ fuerint in traditione, quam in lege ſcripta, ſed quod ea quæ lege ſcripta occultius continebantur, ſtudioſis indagatoribus enodaret accurata interpretatio.* Multa his affinia collegit [c] auctor nuperus, qui, ob eruditionem, candorem, ingenium, judicium, ſtyli nitorem, & induſtriam, plane ſingularem, ſatis digne laudari vix poteſt.

Et Chriſtianorum.

NEQUE Judæi ſolummodo, ſed & Chriſtiani, librum Legis ſenſum myſticum ſimul & literalem continere, & ad inſtar libri Apocalyptici, *ſcriptum* quaſi *intus* & *extra*, pro certo habuere. Chriſtianos antiquos ita cenſuiſſe, multis teſtimoniis, ſi operæ pretium eſſet, oſtendi poſſet. Satis ſit, duobus aut tribus teſtibus, e veterum ordine, rem præſentem confirmare. Ex iis [d] *Origenem* primo ſic inſtituto noſtro convenienter loquentem audiamus: [ἐν] ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ ἐλάτρευον τῶν ἐπουρανίων οἱ Ἰουδαίων ἱερεῖς, ἐν ἀπορρήτῳ διηγούμενοι τὰ τοῦ νόμου περὶ τῶν θυσιῶν βούλημα, καὶ ὧν σύμβολα ἦσαν αὐταί. *Ad ſimilitudinem & umbram* quandam *cæleſtium ſerviebant ſacerdotes Judæorum, in arcano intellectum ſacrorum legitimorum enarrantes & quidnam ſignificaretur per ea*; prout & moris erat, Ægyptiis, Græcis, Judæis, dogmatum ſuorum ἐξωτερικὰ [e] populo tradere, interiora vero filiis domus reſervare. Origeni ſubjungam Epiphanium, Legis inſtituta ſic explicantem: [f] Πάντα ταῦτα, εἰκόνες καὶ σύμβολα ὄντα, τῆς ἀληθείας φανερωθείσης μετετέθη, κατὰ μὲν τὸ φαινόμενον -- ἀνῃρέθη, κατὰ δὲ τὸ πνευματικὸν ἀνελήφθη. *Hæc omnia, cum nihil aliud præter figuras & imagines eſſent, veritate patefacta translata ſunt; imo vero, quod ad externam ſpeciem attinet, -- ſublata, quantum autem ad ſpiritualem rationem, retenta ſunt.* Hanc etiam ſententiam probavit [3] S. Auguſtinus contra Fauſtum, cum Legis ritus, *prænuntiativas* obſervationes appellaret. Tantum etiam abfuit, ut recentiorum temporum Chriſtiani a Patribus in hac cauſa diſſentirent, quod veritatis hujuſce fides, (inconſulta tamen & incauta) tot theologos e noſtris pepererit, qui quaslibet pene Legis apiculas ad allegorias frigidas & exangues trahere ſolent, & ad omnia Moſis verba & inſtituta accedere, certi myſteria vel invenire vel facere.

Cur doctrinæ quædam hoc modo traditæ, rationes ſeptem.

MULTÆ autem rationes aſſignari poſſunt, cur Deus plurima Judæis myſtice traderet, & rituum legalium typis & umbris involuta: nempe,

PRIMO: Iſraelitæ, nuper e ſervitutis domo liberati, res cœleſtes, nude & quaſi retecta facie propoſitas, intueri non poterant aut æſtimare. Moſes ſuper faciem ſuam velamen poſuit, cum Iſraelitæ ſplendorem vultus oculis adverſis intueri non ſuſtinerent: & par erat, ut Moſis ſcripta lucem quandam diviniorem, cui ferendæ populi

a In *Berach.* cap. 5. *ſub fin.* b *Comment. in Mat.* 5. 20. c *Huet. Demonſt. Evang. Propoſ.* 9. c. 171. §. 7, 8.
d Lib. 5. *contr. Celſ.* p. 261. e *Marc.* 4. 34. f *Adv. Hæreſ.* l. 1. T. 2. p. 220. A

1 Sat. 14. 101.
2 Vid. *Mor. Neb.* P. 3. c. 27. & *Præfat. in Miſchn.*
3 Vid. T. 8. col. 370.

SECT. I. carnalis oculi impares erant, velis & umbris refractam exhiberent. Huic rationi punctum ſuum dedit [a] Procopius, his verbis: *quod vetus Teſtamentum paulo obſcurius eſt, cauſam aliam arbitrare nullam, quam priſcorum hominum obtuſa pectora: nam velo indigebant, cum non ſuſtinerent illa* (myſteria Evangelica) *propter excellentiam videre.* Hiſce cognata ſunt illa [b] Theodoriti, Ἰστέον μέντοι ὡς παχυτέροις ἔδει τοῖς τηνικάδε, καὶ τὰ νοητὰ ἐφικέσθαι μὴ δυναμένοις, &c. *Non eſt ignorandum, Dominum ſapientiſſimum per ſigna corporea ſtuduiſſe commodo eorum, qui craſſioris adhuc erant ingenii, nec ea percipere poterant quæ ſunt intellectualia.* Ab his proxime abſunt [c] Theophylacti verba: τῷ ὄντι ὁ νόμος οὐ προηγουμένως ἐδόθη, ἀλλὰ διὰ τὴν ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν, μὴ δυναμένην ἐξ ἀρχῆς δέξασθαι τὸ κατὰ Χριστὸν μυστήριον· *Revera lex non ex intentione primaria data eſt, ſed propter infirmitatem humanam, quæ non potuit ab initio Chriſti myſterium capere.*

Secunda. SECUNDO: œconomiæ divinæ methodus & ratio poſtularent, ut Evangelii myſteria per rituum legalium nebulas & ambages primo traderentur. Summo cœli concilio viſum eſt, in Evangelii revelatione, gradus non ſaltus facere. Res Chriſtum & Evangelium ſpectantes, non niſi per obſcura illa de *ſemine mulieris* & *Shilo venturo* vaticinia, ſeculis antiquioribus innotuere. Poſtea vero per multiſarios Judæorum ritus & ſacra, paulo clarius & expreſſius tradebantur. Cum autem pædagogia illa rudiores hominum animos diu exercuiſſet, regni cœleſtis myſteria per luculentiora *Jeſaiæ, Jeremiæ*, & aliorum Prophetarum, vaticinia, pene viſenda & tractanda ſubinde proponebantur. Horum autem vaticinia non minus claritate quam majeſtate ſuperabant Domini noſtri ſermones ad Judæos habiti, quibus velum, multis ne Deo, de ſeipſo, de legis ſenſu, doctrinis obductum, detrahebatur. Multa tamen & ipſe doctrinæ ſuæ præcepta parabolis obſcuravit, multa etiam [d] de regno ſuo, locis & temporibus magis opportunis enuncianda, reſervavit. Cum autem *plenitudo temporis* adveniſſet, Dominus emiſit Spiritum, qui velum de Moſis & prophetarum facie ſuſtulit, Chriſti parabolas illuſtravit, & regni myſteria, verbis luce clarioribus, Apoſtolorum miniſterio, tradidit. Hinc itaque ſua conſtet veritas *Theodoriti* verbis, [e] σύμμετρα ταῖς ἡλικίαις προσφέρει παιδεύματα [ὁ Θεὸς] *Documenta cuilibet ætati mundi congrua præbet* Deus.

Tertia. TERTIO: Deus ſpiritualia ſub rituum carnalium involucro tradi voluit, forſan ut conſtaret fœdus vetus ejuſque mediatorem, infra novum & illius mediatorem plurimum ſubſidere. Inde enim ſcriptura probat, novam œconomiam & illius auctorem dignitate & excellentia veterum ſuperare; quod nova, res ipſas, veras, vivas, & præſentes exhibeat, vetus autem *rerum bonarum umbram* tantum habeat, adeoque mentis humanæ ſitim provocet potius quam reſtinguat.

Quarta. QUARTO: lex Moſaica toti Judæorum genti data erat, in qua rudes & indocti politis & ingenio valentibus immiſcebantur; ideoque par erat, ut τὰ αἰσθητά, quæ vulgus indoctum exercerent, & τὰ νοητά, quæ ſapientum animos afficerent, permiſta contineret. Haud multum a re præſenti abeunt [f] *Euſebii* verba, τὸ μὲν [Ἰουδαίων] πλῆθος ταῖς τῶν νόμων κατὰ τὴν ῥητὴν διάνοιαν παρηγγελμέναις ὑποθήκαις ὑπῆγε, &c. Judæorum *plebem quidem, ritibus omnibus quomodo legum ipſarum verbis concepti erant, Moſes obſtrictam teneri juſſit. Ceteros autem, quorum mens eſſet virtusque firmior, cum eo cortice liberatos eſſe, tum ad diviniorem aliquam & hominum vulgo ſuperiorem philoſophiam aſſueſcere, & in altiorem legum earum ſenſum mentis oculo penetrare voluit.* Duplici illi Moſis conſilio in legibus illis ferendis, Judæorum mores & ſtudia reſpondebant: dum enim inſipidum vulgus ſtudium & pietatem ſuam externo ritu & cortice legis exercebat, viri felicius nati & genio nobiliore afflati, legis interiora ſcrutari ſolebant, ejusque myſteria ſolerter indagare. Ex horum numero Pſalmiſtam fuiſſe, documento fit oratio illa, [g] *retege oculos meos, ut aſpiciam mirabilia legis tuæ.*

Quinta. QUINTO: Deus multa in lege typorum & figurarum tegumentis involuta tradidit, forſan ut lex Moſaica cum ipſo Moſis ingenio & educatione conſenſum coleret. In hanc ſententiam me rationes haud leves impulerunt: nam primo, e *Philone* diſcimus, [h] Moſem literatura hieroglyphica in Ægypto imbutum, & inter plures alias ſcientiæ ſpecies, τὴν διὰ συμβόλων φιλοσοφίαν ibi didiciſſe. Deinde, non ſemel eruditis obſervatum eſt, Spiritum S. per prophetas loquentem, afflatum ſuum ad varia eorum ingenia, mores, & officia civilia plurimum accommodaſſe: quidni itaque credamus, Deum multa per ſymbola & figuras ſacras in lege tradidiſſe, ut Moſis ingenio,

a *Comment. in Geneſ. p. 3.* b Tom. I. *Quæſt. 60. in Exod. p. 108.* c In *Luc. c. 10. p. 386.*
d *V. Grot. not. in S. Mat. 16. 20.* e *Hæret. fab. l. 5. T. 4. p. 91.* f *Præparat. Ev. l. 8. c. 10. p. 378.*
g *Pſal. 119. 18.* h *De Vit. Moſ. l. 1. p. 606.*

ſymbolis & literis ſecretioribus aſſucto, eo magis congrua eſſent & accommodata? Præterea, cum primum Deus ad munus propheticum Moſen evocavit, cum tanquam virum hieroglyphicis Ægypti literis innutritum tractavit, ei providentiæ divinæ myſterium, in [a] rubi ardentis ſed non conſumpti ſymbolo, contemplandum præbens. Eſt itaque Moſis hiſtoriæ conſonum, opinari, Deum voluiſſe ut Moſes myſtica rerum ſublimiorum ſimulacra ſcriberet, eo quod hujuſmodi ſcribendi ratio, literaturæ, qua Moſes inſtitutus erat hieroglyphicæ non parum conveniret. SECT. I.

Sexto: veriſimile eſt Deum ſacratiora quædam, ſymbolorum & typorum velis obducta, in lege tradidiſſe, ob morem affinem inter gentium, Ægyptiorum præcipue, ſapientes uſitatum. Sexta.

Nemo hoſpes eſt adeo in politioris literaturæ ſpatiis, quin probe norit, ſcientiam, in prima ſua infantia, ſymbolorum, typorum, hieroglyphicorum, emblematum, fabularum, ænigmatum, aut parabolarum faſciis involutam fuiſſe. Antiquitus vix ulla, religionis, politiæ, vel philoſophiæ, dogmata apertam geſtabant faciem; ſed res quæque præclaræ velo aliquo tegebantur. Hunc ſubliniora omnia myſtice & veluti per nebulas indicandi morem, apud Ægyptios maxime viguiſſe, teſtantur veteres, & totus *Hori Ægyptii* liber ἱερογλυφικῶν aperte clamat. Unde [b] Strabo magiſtros Ægyptios μυστικοὺς καὶ [illegible] non immerito appellavit. Myſticum illum philoſophandi modum apud Perſas etiam obtinuiſſe, nos docet *Origenes, Lib. 1. cont. Celſ. p. 11.* Ubi de Perſis ſermone facto, παρ' οἷς inquit, εἰσὶ τελεταί, πρεσβευόμεναι μὲν λογικῶς ὑπὸ τῶν παρ' αὐτοῖς λογίων, συμβολικῶς δὲ, &c. *Apud quos ſunt myſtica ſacra, quæ certa ratione curantur a viris eruditione celebribus; a vulgo autem externa tantum ſigna tractantur, nihil ſolicito de penitiore cognitione eorum quæ per illa ſignificantur. Idem ſentiendum & de Syris atque Indis,* καὶ τῶν ὅσοι καὶ μύθους καὶ γράμματα ἔχουσι, *& aliis quotquot literas habent & fabulas.* Nec Ægyptii ſolum & Perſæ religionem & philoſophiam ſuam figurarum abſtruſiorum cortice involvebant, [c] [ἀλλὰ] πάντες .. οἱ θεολογήσαντες, βάρβαροί τε καὶ Ἕλληνες, τὰς μὲν ἀρχὰς τῶν πραγμάτων ἀπεκρύψαντο· τὴν δὲ ἀλήθειαν αἰνίγμασι, καὶ συμβόλοις, ἀλληγορίαις τε αὖ καὶ μεταφοραῖς, καὶ τοιούτοισί τισι τρόποις παραδεδώκασιν· i. e. Sed *omnes qui de rebus divinis tractarunt, tam barbari quam Græci, rerum quidem principia occultaverunt; & veritatem ænigmatibus, ſignisque ac ſymbolis, allegoriisque rurſus & metaphoris, & quibusdam talibus tropis modisque tradiderunt.* De hoc uſu, apud Ægyptios, Chaldæos, Perſas, Pythagoræos, aliosque plurimos, invaleſcente, fuſe & erudite docuerunt, *Plutarchus* in *Iſide*, *Porphyrius de vit. Pythagoræ*, p. 185. *Clem. Alex. ſtromat.* l. 5. per tot. *Jamblic. de vit. Pythag.* c. 5, 23, 32, & 34. *Iſaac. ſelect.* l. 2. p. 130, 131. *Cauſinus* in *Horum*, *Franciſc. Patric. Diſcuſ. Peripatet.* Tom. 1. l. 6. & T. 3. l. 1. *Kircherus* in *obeliſc. Pamphil.* lib. 3. c. 3, 4. *Olaus Wormius Monument. Danic.* l. 5. p. 407. *Laudatiſſimus Huetius*, lib. *jam citati* pag. 638. & alii multi, quorum numerus haud facile ineundus. Ideo vero magiſtri veteres dogmata ſua velamine quodam obducta tradidere, ne profanum vulgus ad myſteria ſua temere accederet, & ut doctrinæ ſuæ, fluminum ad inſtar, quo magis obſcuræ & cœnoſæ, eo magis profundæ viderentur.

Cum itaque Philoſophia quædam ſacra figuris myſticis obſcœnata, & religio aliud in ſummo monſtrans, aliud in imo premens, apud Ægyptios & alios, Hebræorum temporibus obtinuerit; æquum eſt opinari, Deum religionem, carnalem quidem in frontiſpicio, ſed divinam & myſticam in penetrali, Judæis tradidiſſe, ut inſtituta ſua ad ſeculi guſtum & uſum accommodaret, nec quicquam ſapientiæ nomine commendatum, legi vel cultui ſuo deeſſe videretur. In hanc ſententiam non ſine ratione veniſſe videar, tribus inductus argumentis:

(1°.) Mystica Ægyptiorum ſe exprimendi ratio (ſi ſpeciem externam ſpectemus) multum cognationis cum Hebraica habuiſſe videtur. Senſum meum firmant & illuſtrant [d] *Franciſci Valeſii* verba: *hieroglyphica ſcribendi ratio, quam ſacerdotes Ægyptii tenuerunt in ſacris, ſimilem continebat ſapientiam quam etiam in veri Dei cultu quadantenus retineri videmus. Nam in Dei* templo *multus uſus ignis & aquæ: quia arbitror, hæc hieroglyphice munditiem* indicabant. Ab hiſce non longe diſtant [e] *Clementis* illa: Ἐν τῷ ἀδύτῳ τῆς ἀληθείας ἀποκείμενον ἱερὸν ὄντως λόγον, Αἰγύπτιοι μὲν διὰ τῶν παρ' αὐτοῖς ἀδύτων καλουμένων, Ἑβραῖοι [καὶ] διὰ τοῦ παραπετάσματος ᾐνίξαντο· *In adyto veritatis repoſitum ſermonem revera ſacrum, Ægyptii quidem per ea quæ apud ipſos vocantur* adyta, *Hebræi autem per* velum *ſignificarunt.* Et poſt paucas paginas, [f] inquit, ἤδη γοῦν τῶν Ἑβραϊ- Prima.

a *Exod.* 3. 2. b *Geogr. l.* 17. c *Clem. Alex. Strom. l.* 5. *p.* 658. 5. d *De Philoſ. ſacra, c.* 26. *p.* 160.
e *Stromat.* l. 5. p. 656. 35. f Pag. 670. 20.

SECT. I. τοῦ κατά γε τὴν ἐπιγραφὴν, καὶ τὰ τῶν Αἰγυπτίων αἰνίγματα. *Occultationem igitur quod attinet, ſunt Hebraicis ſimilia Ægyptiorum ænigmata.* Unde autem tam ſimilia inter ſe fuerint Ægyptiorum & Hebræorum *ænigmata*, niſi quod Deus ita legem & ſacra ſua temperaſſet, ut ſeculi mori (qua licuit) apprime convenirent? Nullus enim paulo cautior opinari poteſt, Ægyptios hac in re Judæorum diſcipulos fuiſſe vel ſectatores; cum in confeſſo ſit, literaturam hieroglyphicam *Moſe* antiquiorem fuiſſe, & Ægyptios diu antea ſymbolis & figuris myſticis dogmata ſua ſacrariora diſſimulare ſolitos.

Secunda. (2°.) E *Philone* jam nunc citato pateat, Ægyptios religionem velo myſtico tectam & philoſophiam, per ſymbola, per animalium figuras, & alia ſecretiora rerum paradigmata, traditam, diu ante Moſis ætatem in uſu habuiſſe. Hoc & eo credibilius, quod apud omnes in confeſſum venerit, modum docendi per ſigna & rerum notas, rationem docendi per literas & verba ſcripta, vetuſtate ſuperare.

Tertia. (3°.) Sententia hæc veterum & recentiorum aliquorum ſuffragio confirmatur. Inter antiquos *Clemens* imprimis nobiſcum facit: poſtquam enim oſtendiſſet,[a] gentium theologos, philoſophos, poetas, omnes olim ſapientiæ nomine celebratos, ἐπικεκρυμμένως καὶ διὰ συμβόλων προφητεύειν, *ænigmatice & per ſymbola docere ſolitos;* ſtatim addit τοιαῦτα γοῦν [καὶ] ὁ Μωυσῆς παραινεῖ, &c. *Talia ergo Moſes* quoque *præcipit, ut hæc communia*, οὐ φάγεσθε χοῖρον, ἔτι ὀξύπτερον, &c. *Non veſci porco, neque aquila*, &c. Quæ ſane, cum aliis a Moſe præceptis, ad ſenſum ſacratiorem trahit *Clemens*, eaque Moſem ſcripſiſſe dicit, ad morem gentium myſtice & ſymbolice philoſophantium. Nec tantum *Clemens*, ſed &[b] *Cyrillus, Alexandrinus* opinioni noſtræ manum auxiliarem porrigit: nam ille, ut *Julianum*, in ſolis Legis clarioribus hærentem, eamque nihil obſcuri habere putantem, reprehenderet; hæc habet: Φασὶ γενέσθαι τῶν ποτὲ εἰδώλων λελατρευκότων, αἰνιγμάτων τεχνίτας, &c. *Ajunt fuiſſe, inter idolorum cultores, ænigmatum artifices, adeoque in iis fingendis induſtria & arte ſingulari præditos, quos* Hieroglyphos *vulgo nominabant. Hi in templis & obeliſcis literas incidentes, noſtris non utebantur; ſed aliis figuris rerum naturas efformantes, abſtruſam quandam ſcientiam ſapientioribus ingerebant.* Hæc autem (ni fallor) *S. Cyrillus* affert, non tantum ut ea quæ dicturus erat illuſtraret, ſed ut rationem redderet, cur in Lege multa obſcurius & ſub rerum aliarum cortice tecta traderentur. E recentioribus teſtem mihi primum advoco *Franciſcum Patricium*, qui inter ſeculi ſuperioris eruditos nomen haud obſcurum obtinuit: ille vero, poſtquam multis oſtendiſſet, Ægyptios, Chaldæos, Perſarum Magos, & alios Moſe priores ſapientiæ magiſtros, doctrinas ſuas in arcanis ſervaſſe, vel ſcriptis ænigmatum ſpeciem præ ſe ferentibus mandaſſe, vel eas cum ſolis ſacerdotibus communicaſſe; tandem[c] ſubjungit, *hunc morem Moſes eſt ſecutus, cum legum libros ſolis ſacerdotibus & aperuit & cuſtodiendos* communicavit, *cum* etiam *omnia ejus ſcripta figuris & velaminibus adumbravit.—— Hunc eundem morem prophetæ omnes ſanctiſſimi obſervarunt: non* enim ſine *figuris* & *ænigmatibus ſunt locuti.* Huic accedat, auctoris haud ignobilis,[d] *Jacobi Bolducii* teſtimonium: ille, cum jam citatum Philonis teſtimonium attuliſſet, *e verbis*, ait ille, *Philonis notandum eſt, Moyſem didiciſſe a doctoribus Ægyptiis ſcientiam occultam Hieroglyphicorum. Quod etiam confirmat Cl. Alexandrinus, dicens eam adhibuiſſe* Moyſem *ad tradenda, & exponenda, complura Legalium præceptorum & ceremoniarum myſteria.* In illius autem ſententiam pleno gradu concedit *Bolducius*.

Septima. Septimo: non temere creditur, ritus & inſtituta Legis, apud homines quoſdam ingenii ſubtilioris, in contemptum abitura, ſi nulla myſteria, ſacramenta nulla, pro ſeculi more, continuiſſent. Nam *Celſus* Judæis id ut probrum objicit, quod ſacra haberent ſenſu altiori vacua, & quæ nec Græcis nec Ægyptiis ſubtilioribus, ſed bardo tantum & obeſo Judæorum populo, convenirent. *Celſum* hujuſmodi convitiis Judæorum legem gentemque violare ſolitum, ex *Origenis* reſponſo non male conjiciamus. [e] Ἆρα, μόνοις Ἕλλησιν ἐν ὑπονοίαις ἔξεστι φιλοσοφεῖν; ἀλλὰ καὶ Αἰγυπτίοις, καὶ ὅσοι τῶν βαρβάρων σεμνύνονται ἐπὶ μυστηρίοις καὶ ἀληθείᾳ; μόνοι δὲ Ἰουδαῖοι ἔδοξάν σοι, καὶ ὁ τούτων νομοθέτης, καὶ οἱ συγγραφεῖς, πάντων ἀνθρώπων εἶναι ἀνοητότατοι; i. e. Vertente Gelenio, *ergo ſolis Græcis in penitioribus ſenſibus philoſophari licet, aut etiam Ægyptiis, & ſi qui alii barbari jactant ſe habere veritatem tectam myſteriis? Judæi vero ſoli & Legiſlator eorum, aliique ſcriptores, videntur tibi mortalium omnium ſtultiſſimi?* Quæ plauſtra convitiorum, fortis ille calumniator, aliique ſui ſimiles, in Judæorum legem gentemque conjeciſſent; ſi quid ex

a Stromat. *l.* 5. *p.* 676. 25. b *Cont. Julian. l.* 9. *p.* 299. c *Diſcuſſ. Peripatet. T.* 3. *l.* 1. *p.* 293.
d *De Oggio. Chriſtian. l.* 3. *c.* 2. *p.* 186. e *Ap. Orig. cont. Celſ. l.* 4. *p.* 189.

vero

vero traxiſſent iſta, & lex Moſaica, nulla ſenſa ſacratiora, ſymbola & myſteria nulla, continuiſſet? Seculis antiquioribus, homines aliqui fidem & honorem Legi, tanquam ſcripto Θεοπνεύστῳ nunquam tribuiſſent, ſi nihil in ea ſupra captum vulgi poſitum, nihil quod ingenium perſpicax exerceret, inveniri potuiſſet.

SECT. II.

SECT. II.

Deum leges & ritus quoſdam, *non omnes, ad res cæleſtes adumbrandas inſtituiſſe.*

Nonnulla tantum Legis inſtituta, myſtica fuiſſe.

NE quæ jam dicta ſunt errori alicui aditum patefaciant, monendum eſt proximo, Deum leges & ritus *quoſdam*, non autem omnes, ad res cœleſtes adumbrandas inſtituiſſe; nec e dignitate Legis eſſe ut inſtituta Moſis omnia, temere & ſine delectu, ad myſteria ſignificanda traherentur. Nil opus eſſet ut hanc cautelam interponerem, niſi ut intra certos modeſtiæ & ſobrietatis limites coercerem allegorizandi licentiam, quæ in immenſum exire ſolet, & ſeculis nonnullis ipſam Legis literam prorſus obſcuravit. Sociniani & Judæi moderni omnia Legis myſteria & ſenſus latentes, Meſſiam præcipue ſpectantes, tanquam ſimilitudines coactas & luſus phantaſiæ, reſpuunt & aſpernantur. Multi autem in vitium plane contrarium currunt, & in fingendis allegoriis ſibi quidlibet permittunt, totam legem perpetuis myſteriis & allegoriis gravidam exiſtimantes. Nam philoſophandi materiam ex ipſis arcæ vectibus, annulis, & dimenſione deſumunt, in quovis tabernaculi uncino & laqueolo arcanum aliquod olfaciunt acutæ naris homines, & nullum quantumvis minutum legis apicem prætereunt, cui non allegoricum, forſan & anagogicum, ſenſum aſſuunt.

Quis autem, cui cerebri ſuppetit unciola, ſibi perſuadere poteſt, Deum ritus tam multos & multiformes ad pauca & ſimplicia Chriſtianiſmi myſteria repræſentanda ſtatuiſſe? vel iis umbris & figuris ad res Evangelicas adumbrandas uti voluiſſe, quæ tam obſcuræ ſunt & incerti ſenſus, quod nemo repertus ſit adhuc, qui earum ſenſa myſtica certa ratione reſignare potuerit? Deinde, ſunt inſtituta & ritus Moſaici non pauci (quod *Artemidorus* de ſomniis quibuſdam dixit,) ξηροὶ καὶ ὥσπερ οὐκ ἔχοντες λαβάς. *aridi & quaſi anſas non habentes*, hoc eſt, nullam allegoriæ vel myſterii alicujus fingendi præbentes anſam. Quid enim myſterii ſuberat illi Legis præcepto, ut avis immolandæ inteſtina & plumæ ad altaris [a] latus orientale ſolummodo rejicerentur? quid arcani ſignificandum erat, quod Euchariſtica ſacrificia cum panibus [b] fermentatis offerri deberent? quod Naziræi crines [c] ſub lebete ad carnes immolatas coquendas comparato, comburendi ponerentur? quod Lex vaccam integre rufam, piaculi loco, immolandam poſtularet? & (ut multa alia jam taceam) quod in feſto tabernaculorum tredecim boves mactari deberent, die feſti ſecundo duodecim, tertio undecim, atque ita deinceps, donec ad unum, die ultimo offerendum, deventum eſſet? Hæc & pleraque alia Legis inſtituta ne minimam rei alicujus ſecretioris umbram præ ſe ferunt, nec ex iis quicquam myſterii vel fidiculis exprimendum. Sat ſcio ingenium chymicum ſpirituale aliquid e quovis aridiſſimo ritu Moſaico extrahere poſſe, & quamlibet legis apiculam in ſacramentum fingere. Sed cavendum eſt maxime, cum interiora legis aperire ſtudemus, nec perperam arguti ſimus, & nubem pro Junone, cerebri tantum noſtri figmentum, myſterii divini loco, in ſinum recipiamus.

Objecta diluuntur.

Nonnulli proculdubio multo cum fervore contra jam dicta inſurgent, quod non minus Apoſtolo & rationi, quam ſententiæ vulgo receptæ, repugnare videantur. Cum enim Apoſtolus de cibo & potu, diebus feſtis, neomeniis & ſabbatis, quæ legis compendium faciunt, ſermonem habuiſſet; *hæc*, [d] inquit, *umbra ſunt futurorum, ſed corpus* eſt *Chriſti*. Hæc Apoſtoli verba, ſenſu non ſano capta, ſententiæ paſſim receptæ locum fecerunt, quod nempe ritus omnes Moſaici rerum noſtrarum umbræ & figuræ eſſent, & myſterium aliquod Chriſtianum ritui alicui Judaico ſemper ex adverſo reſponderet. Atque hæc imaginatio, virorum cætera doctorum libros & ſermones tot nugis & notionibus male coctis implevit, Dei legem in naſum quaſi cereum in quaslibet formas ducendum convertit; & in cauſa fuit, quod ita ſe gerant aliqui, quaſi Evangelium, in Pentateucho, quam ſcriptis Apoſtolorum, citius & apertius inveniendum exiſtimarent.

a *Levit.* 1. 16. b *Ib.* c. 7. 13. c *Num.* 6. 18. d *Coloſ.* 2. 17.

SECT. II. At hæc Apoſtoli vetba, ſi diligentius expendantur, nullum huic opinioni patrocinium præbent: cum enim neomeniam, ſabbatum, & cætera legis inſtituta, σκιὰν τῶν μελλόντων appellaverit, id ſolum intelligi voluit, ea oempe omnia, metam umbram, fumum, nihil eſſe; ſi cum Chriſto, & illa rerum ſoliditate quas introduxit ipſe, conferantur. Nam vox σκιὰ, cui *corpus* e regione reſpondet, non *relative*, ſed *comparative*, & per modum oppoſitionis intelligenda eſt, Quaſi dixiſſet, "cibus & potus, novilu"nia, ſabbata, & religio circa legis ritus & ſolennitates externas occupata, meræ ſunt "umbræ, res nec ſolidæ, nec duraturæ. At Chriſtus ejusque religio, *corpus* eſt, h. e. "res ſolida & perpetua, utpote naturis [non moribus] hominum accommodata. Huoc eſſe verborum ſenſum, inde conſtare poteſt, quod Apoſtolus eo in loco non tantum de Judæotum feſtis & ſabbatis, ſed & Pythagoræotum abſtinentia a carne & vino, tanquam rebus ejusdem virtutis & momenti, ſermonem inſtituat. At certum eſt, neminem unquam Pythagoræotum ritus, *umbras* (h. e. rerum cœleſtium typos & imitamina) ſed vanitates & res omni virtute caſſas, habuiſſe. Hunc vetborum intellectum probat *Iſychius*, ad *Levit.* 15. ubi *Corpus Chriſti* per *verbum doctrinale*, hoc eſt, Chriſti doctrinam, e ſolidis præceptis & doctrinis conflatam, interpretatur. Non eſt quod hæc interpretatio, nova vel coacta lectoti videatur, cum locutionis conſimilis exemplum apud [a] *Joſephum* habeamus. Ille enim de *Archelao* loquens qui poteſtatem regiam ſine tegis titulo exercuiſſet, [1] ἥκει, ioquit, παρὰ τοῦ δεσπότου σκιὰν αἰτησόμενος βασιλείας, ἧς ἥρπασεν ἑαυτῷ τὸ σῶμα· *Regni* umbram *a Domino* Cæſare *poſtulaturus venit*, *cujus ſibi* corpus *ipſe* antea *rapuiſſet*.

Cum Apoſtolus allegotizantium cauſam minime tueatur, veriſimile eſt eos duas haſce rationes in cauſæ ſuæ ſubſidium allaturos.

Harum prima ſic ſe habet: apertum eſt, Deum pauca admodum mandata generalia circa cultum lege præſctiptum edidiſſe, ſed ſummam ἀκρίβειαν in minutulis quibusque, tabetnaculi, arcæ, & vaſotum ſacrorum circumſtantiis deſcribendis adhibuiſſe. Quid autem Deus ad minima quæque tabernaculi miniſterium ſpectantia deſcenderet, & ipſas ceremoniatum ſuarum circumſtantias tam curate determinaret; niſi ut typi illi carnales prototypis ſuis cœleſtibus adamuſſim reſponderent, & ut *bona futura* quorum *umbra* erant eo perfectius exprimerent & repræſentarent?

Non me latet allegoriarum ſtudioſos hoc inprimis argumento niti ſolitos. Ipſi divinando non ſunt, cur Deus ipſos miniſterii legalis apices præſcriberet, niſi quod figuræ eſſent quæ ab exemplari ſuo cœleſti ne latum unguem recedere debuerunt. At res longe aliter ſe habet atque illi ſentiunt: Nam Deo tam accuratam cultus normam ſancire viſum eſt, (1°.) Ne Iſraelitæ, incertis ipſorum ingeniis traditi, circa ſacrorum ritus in partes abirent, unde motus civiles, & tandem reip. ruina, naſcerentur. (2°.) Iſraelitæ nuper in Ægypto ſervi, nihil cum literis aut morum cultura commercii habuere; nec par erat ut manibus tam illotis res ſacras tractandi & ordinandi facultas nimis ampla concederetur. Religionis dignitati maxime conveniebat, ut rudis & inculta natio nihil in cultu divino, niſi ex præſcripto, faceret. (3°.) Deus pauca admodum in incerto reliquit, ne populus ille propriæ imaginationi nimis indulgeret. Deus enim præcepta illa ritualia tradidit, tanquam prima quædam obedientiæ rudimenta & exercitia, gentis illius pueritiæ accommodata, donec animum magis virilem & ſolidioribus præceptis parem adipiſcerentur. (4°.) Multa Judæorum ſacra, quoad formam & ſpeciem externam, affinitate proxima res & ritus non paucos in religione Gentilium uſitatos attingebant. Deus itaque pleraque cultum ſuum ſpectantia accurate definivit, quod magni ad pietatem intereſſet, ut religio Judæorum a ſuperſtitione Gentilium, circumſtantiis quibusdam propriis & clare præſcriptis diſcerneretur.

Secundo: & hoc forſan argumento, ad ſententiam meam refellendam, pugnabit allegorizantium natio: omnium conſenſu firmatum eſt, arcam, tabernaculum, & alia celebriora legis inſtituta, Chriſti carne habitantis & rerum cœleſtium imaginem præbuiſſe. Quidni itaque partes inſtitutorum illorum omnes aliquid myſterii, modeſtis conjecturis inveſtigandi, continuiſſe cenſeantur? Æquum enim videtur, ut eandem *ſignificationis* ſanctitatem quam toti tribuimus, & partibus aſſeramus.

Multi quidem opinantur, Evangelii myſteria quædam, ſub arcæ, tabernaculi &

a *De Bel. Jud.* l. 2. c. 2. p. 1050. 30.

1 Ἥκει &c. ſunt verba *Antapatri Salomes filii* (*ex Archelai adverſariis in dicendo acerrimi*) quem *Archelaum* accuſare narrat *Joſephus*.

aliorum

aliorum legis inſtitutorum, tegumento diſſimulari; adeoque ſuum eſſe pro virili parte laborare, ut myſteria illa detegantur, & veritatis nucleus, ſub ritus alicujus putamine latens, in lucem protrahatur. Et ſe torqueant acuti homines (per me licet) iu eruendis myſteriis & allegoriis quas in arca & tabernaculo contineri ſentiunt. Ego (qui cum ſacris ludere neſcio) cum *S. Chryſoſtomo* ſentire malim, qui, hæc & alia *Moſis* inſtituta memorans [a] Πάντα ταῦτα, inquit, σεμνὰ ἦν καὶ λαμπρὰ τῆς Ἰουδαϊκῆς ἀγνωμοσύνης ὑπομνήματα, *hæc omnia erant magnifica* & præclara *inſcitiæ* & ſtupiditatis *Judaicæ monimenta*. Sed, modo arcam, tabernaculum, & alia potioris notæ legis inſtituta, evanidam quandam cœleſtium imaginem geſſiſſe concedamus, nil opus eſt, ut eorum partes omnes, aue quosvis legis apices, ſubtilius allegorizemus. Nimis anxia eſt eorum περιεργία, qui in dictis inſtitutis partes ſingulas minutatim excutiunt, & ſolicite quærunt quid cui reſpoudeat; cum ſatis ſit in re tota comparationem intelligi. Non magis in typis quam in parabolis, oportet quidlibet in ſignificationem trahere: nam iu utriſque, circumſtantiæ quædam ob decorum addi ſolent, quædam ob neceſſitatem. SECT. III.

Sunt & aliæ momenti levioris objectiones, quas conſultus prætereo, ne ſermo prolixior hac de re lectori faſtidium pariat.

SECT. III.

Quænam myſteria ſub cortice legis occultantur.

SECTIONE prima & ſecunda monſtraſſe videmur, myſteria quædam in lege Moſaica latuiſſe, & τὰ ἐπουράνια legis umbram τῶν πνευματικῶν habuiſſe: proxima penſi noſtri pars eſt, ut quænam illa myſteria fuerint, paucis oſtendamus. Hic autem auctores tanta ſunt in varietate & diſſenſione conſtituti, quod moleſtum ſit eorum ſententias omnes enumerare. Judæi inſtituta quædam Moſaica rerum *cœleſtium* umbram geſſiſſe, haud gravatim largiuntur. Ethnici quidam, in partem mitiorem propenſi, Judæorum leges & ritus in ſummo leviora quædam ferre, in imo ſecreta *philoſophica* premere cenſuerunt. Theologorum pars potior, legem *Moſis* myſteria pure *Evangelica* continere, & Chriſti faciem lineis quibuſdam rudioribus depictam exhibere, ſe perſuaſam habuit. Nec pugnabit Socinianus, ſi ritus Moſaici dogmata quædam *moralia* myſtice docuiſſe cenſeantur. Non deſunt alii, qui ſentiunt legem Moſaicam arcana quædam *hiſtorica* contiuere, h. e. res olim geſtas ſub rituum quorundam imaginibus exprimere, & memoriæ conſignare. Perſuaſibilius videtur, partes haſce litigantes veritatem diſcerpſiſſe, & omnes, ut fit, membrum illius aliquod retinuiſſe. Nam, Sub velo legis arcana quædam latuiſſe.

Primo: inſtituta quædam Moſaica rerum cœleſtium imaginem præſerebant. Erat enim templum vel tabernaculum (præcipuum Moſis inſtitutum) cœli triplicis, (extimi, medii, & ſuperioris) imago, & ad illius exemplar, in atrium, ſanctum, & penetrale, diſtributum. Judæos antiquos ita cogitaſſe, conjicere licet e ſermone illo Salomoni tributo in apocryphis; [b] *Juſſiſti me ædificare templum in monte ſancto tuo, & in civitate habitationis tuæ altare*, & *ſimilitudinem* tabernaculi *quod præparaſti ab initio*, h. e. & Sanctum Sanctorum, quod imago eſt cœli inviſibilis, habitaculi tui, ab ipſa rerum origine conditi & præparati. Adeo ut auctor ille idem pene dicat, quod [c] Apoſtolus, qui tabernaculum τὴν σκιὰν καὶ ὑπόδειγμα τῶν ἐπουρανίων, *umbram & exemplar cœleſtium*, & [τὰ] ἅγια χειροποίητα, τῶν ἀληθινῶν ἀντίτυπα, uominavit. Hæc autem [d] Apoſtolus & auctor apocryphus, nnn e revelatione aliqua peculiari, ſed veteri Judæorum diſciplina, hauſiſſe videntur. Sic enim [e] *Joſephus* templi interioris arcanum explicat: τὸ μὲν τρίτον αὐτῆς μέρος, τὸ ἐντὸς τῶν τεσσάρων κιόνων, ὃ τοῖς ἱερεῦσιν ἦν ἄβατον, ὡς οὐρανὸς ἂν εἴη τῷ Θεῷ. *Tertia* tabernaculi *pars, quæ inter quatuor columnas* continebatur, *ſacerdotibus inacceſſa, cœlum quodammodo* repræſentabat uni *Deo ſepoſitum*. Ad hæc proxime accedunt [2] *Philonis* illa, τὰ ἄδυτα τῆς σκηνῆς, ἅπερ ἐστὶ σύμβολα νοητά. *Penetralia tabernaculi ſunt intelligibilium ſymbola.* Ad mentem itaque veterum Judæorum locutus eſt *Abarbanel*: de tabernaculo enim & Sancto Sanctorum agens, ea non nude & ſimpliciter ſpectanda dicit, [f] שמעשה המשכן ושאר הדברים עיקר הכונה בהם שיהיו כספר חכמה עליונה – וענין נכבד אשר אליו יתישרו, [3] *quod in opere tabernaculi & cæteris*, Cœleſtia.

a *Homil.* 15. *in Ep. ad Hebr.* cap. 9. T. 6. p. 838. C b *Sap.* 9. 8. c *Ad Hebr.* 8. 5. d *Ib.* cap. 9. 24.
e *Antiq. Judaic.* l. 3. c. 6. p. 109. 5. f *Comment. in ſec.* תרומה *ſub fin.*

1 Apud *MS. Vatican.* ἀνεῖτο τῷ Θ. ut *Joſephus* paulo ante & infra, ἄβατον τοῖς ἱερεῦσιν.
2 Lib. 3. de *vit. Moſ.* p. 666.

3 Vid. Col. 197. *Spencer* provocat ad commentarium *Abarbanelis in Exod.* 25. 2. ubi mentio facta eſt de תרומה *terumah*, viz. *oblatione* ſpontanea in extruendo ſanctuario.

SECT. III. *præcipua intentio fuerit, ut ſint tanquam liber ſapientiæ altioris — & rei glorioſæ ad quam ipſa diriguntur.* A nonnullis autem, huic antiquiorum Judæorum dogmati cauſam feciſſe creditur, doctrina illa Platooiea inter Helleniſtas obtinens, quod mundana omnia ideis & exemplaribus quibusdam cœleſtibus ex adverſo reſpondeant, & tes omoes [a] בצלם hic *in imagine* quadam *ambulent*, cum non tam res ſint quam rerum cœleſtium umbræ, typi, & ſimulacra. Cum autem hæc opinio fundamento careat, ſatius eſt opinari Judæos antiquos tabernaculum rerum cœleſtium umbram & exemplar exiſtimaſſe, ob affinitatem & ſimilitudinem quæ inter tabernaculum & cœlum interceſſit. Nam Sanctum Sanctorum, ſoli pontifici die illo quo cultui ſolenni operabatur adeundum, cœli ſuperioris imaginem geſſit expreſſam & oculo vel lippienti manifeſtam. Hinc enim anſa data eſt illis, de tabernaculo loquentis, [b] *Joſephi* verbis: τὸ δὲ τρίτον μέρος μόνῳ περιέγραψε τῷ Θεῷ διὰ τὸ καὶ τὸν οὐρανὸν ἀνεπίβατον εἶναι [τοῖς] ἀνθρώποις. *Tertiam vero partem ſoli Deo aſſignavit* Moſes, *eo quod cœlum hominibus ſit inacceſſibile.* Quæ ſane verba cauſam opinandi præbent, Judæos antiquiores in hanc ſententiam promptiores deſcendiſſe, quod pars illa tabernaculi & cœlum ſupremum tanta ſimilitudine & affinitate jungerentur. Nil opus eſt, ut hoc operoſius evincam ipſe, cum in hac meſſe [c] *Kircherus* ita laboraverit, ut mihi ne ſpicilegium reliquiſſe videatur. Prout autem tabernaculi pars intima mundi ſupercœleſtis figuram exprimebat, ita & pars media [ἅγιον κόσμιον [d] dicta] mundi viſibilis imaginem repræſentabat. Multis enim inſtantiis oſtendi poſſet, partem illam cum cœlo & mundo aſpectabili nnn parum cognationis habuiſſe, ſi [e] *Joſephus* & [f] *Clemens Alexandrinus* hanc provinciam priores noo occupaſſent.

Philoſophica. SECUNDO: veriſimile eſt, intra legis Moſaicæ receſſus, arcana qoædam philoſophica latuiſſe. Hoc antiquiorum Judæorum aſſenſu comprobatum eſt. Docebant enim illi, tabernaculum & ejus apparatum, non tantum mundi ſuperioris exemplar, ſed & inferioris imaginem quandam continere. Τὴν διαμέτρησιν — τῆς σκηνῆς [x] πρὸς μίμησιν τῆς τῶν ὅλων φύσεως συνέβαινεν εἶναι. *Commenſurationem — tabernaculi ad imitationem naturæ eſſe contigit*, inquit [g] *Joſephus*, qui naturæ myſteria, Tabernaculi velis, floribus, aliiſque, latitantia, ſæpe Gratiis haud invitis explicare videtur. Huc ſpectant *Philonis* illa, [h] Τῆς κατ' ἀριθμὸν τῶν ἑπτὰ πλανήτων χορείας μίμημά ἐστιν ἡ ἱερὰ λυχνία, καὶ οἱ ἑπτὰ λύχνοι οἱ ἐπ' αὐτῆς. *Septem erraticorum ſyderum curſus, imitatio eſt ſacrum candelabrum cum ſeptem lucernis ſuperpoſitis.* Hanc *Philonis* opinionem in formam paulo meliorem fingere videtur [i] *Grotius*, ubi dicit, *ſeptem quæ vaga dicuntur ſidera, ſignificata per ſeptem templi lampadas, & τὰ ἄλλα, per cæteras lychni partes.* Sunt & alia in tabernaculo quæ rerum naturalium & ad philoſophiæ provinciam pertinentium figuras exprimunt, de quibus [k] *Kircherum*, ad mentem præcipue veterum Hebræorum, fuſe diſſerentem conſulamus. Hinc [l] vir doctiſſimus Apnſtolum ideo *philoſophiam* cum *elementis mundi* junxiſſe ſentit, *quia doctores Hebræorum univerſum tabernaculum ſeu templum, ceremoniaſque eo pertinentes, ad philoſophiam referebant.* In hujus tei fidem, auctor ille diſerta Judæorum teſtimonia [m] alibi in medium protulit. Nec e Judæorum ſolummodo, ſed & ethnicorum ſcholis, nonnulli, cultioris ingenii viri, philoſophiæ cujuſdam altioris nucleum ſub legum Judaieatum cortice latere cenſuerunt. Nam [n] *Plutarchus*, de ridiculis quibusdam & abſurdis (ita ſibi videbantur) Judæorum inſtitutis agens, τὰ παρ' ἐκείνοις λεγόμενα, inquit, μύθοις ἔοικεν, εἰ μή τινας ἄρα λόγους σεμνοὺς ἔχοντες, οὐκ ἐκφέρουσιν. *Quæ apud ipſos dicuntur* & ſtatuuntur, *fabularum ſunt ſimilia: niſi quod ſerias quaſdam* & philoſophicas *rationes habeant*, quas in vulgus *non efferunt.*

Evangelica. TERTIO: ritus & inſtituta legis myſteriorum Evangelicorum ſimulacra, oculis purgatioribus facile percipienda, præferebant. Prout lex moralis rudimenta quædam exhibuit earum virtutum quas Evangelium clare poſtulat, ita & lex ceremonialis initia & proœmia eorum myſteriorum quæ Evangelium in apertam lucem protulit. Sat erit rem tritam & confeſſam adeo, unius Judæi & Chriſtiani veteris teſtimonio ſtabilitam dare. E Judæis, [o] *Philo* pontificem maximum ſacerdotis noſtri ſummi ſimulacrum geſſiſſe, verbis credo dignis, aſſerit. Λέγομεν inquit τὸν Ἀρχιερέα, οὐκ ἄνθρωπον,

a *Pſal.* 39.7. b *Antiq.* l. 3. c. 7. p. 115. 35. c *Obeliſc. Pamphil.* lib. 2. c. 7. d *Hebr.* 9. 1.
e *Antiq. Judaic.* l. 3. c. 7. f *Stromat.* l. 5. p. 665. &c. g *Antiq.* lib. 3. c. 6. p. 109.
h Lib. *Quis rer. div. hær.* p. 511. e i *Not. in ſap. Salom.* c. 7. v. 19. k *Obeliſc. Pamphil.* l. 2. c. 7.
l *De Dieu in Ep. ad Coloſ.* c. 2. v. 8. m *Not. in Act.* 7. 43. n *Sympoſ.* l. 4. qu. 5. p. 669. F
o Lib. de *Profug.* p. 466. B

x Apud *MS. Vatican.* καὶ μίμησιν.

ἀλλ

ἀλλὰ λόγον θεῖον εἶναι, πάντων οὐχ ἑκουσίων μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀκουσίων ἀδικημάτων ἀμέτοχον· *Summum ſacerdotem dicimus, non hominem; ſed* in effigie *verbum divinum eſſe, omnium tam voluntariorum quam involuntariorum peccatorum expers.* E Chriſtianis antiquis, [a] *Juſtinus Martyr* veritatem hanc ſuo teſtimonio communivit; conſtanter affirmans, Πάντα — τὰ ὑπὸ Μωσέως διαταχθέντα, — τύπους καὶ σύμβολα καὶ καταγγελίας τῶν τῷ Χριστῷ γίνεσθαι μελλόντων, καὶ τῶν εἰς αὐτὸν πιστεύειν προεγνωσμένων, καὶ τῶν ὑπ᾽ αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ ὁμοίως γίνεσθαι μελλόντων. i. e. *Omnia — a Moſe ordinata, — figuras & notas & enunciationes eorum quæ Chriſto eventura erant; eorum etiam qui in ipſum ut crederent, præcogniti erant; eorum item quæ Chriſtus ipſe facturus erat.* De Judæis itaque loquens [b] *Irenæus*, acute dicit, *legem, & diſciplinam illis fuiſſe, & prophetiam futurorum.* Erat quidem *diſciplina* Judæis, quatenus ritus quoſdam externos impoſuit, quibus, tanquam exercitiis obedientiæ levioribus, veræ pietati proluderent: erat etiam *prophetia futurorum*, quatenus Chriſti adventum, officium, paſſionem, alia, non verbis ſed ſignis, i. e. typis & ſymbolis emphaticis, prænunciavit. Vix equidem credi poteſt, Hebræorum vulgus, ſub prima præſertim naſcentis Judaiſmi tempora, rituum illorum propheticorum ſenſum interiorem intellexiſſe: at veriſimile eſt viros propheticos, quo propius accederent Meſſiæ venturi tempora, eo magis velum Moſaicum amoviſſe, & quo tenderent cultus illius ambages & ænigmata populo expoſuiſſe. Nec vana prorſus eſt opinio, multa legis arcana & mirabilia, per Cabbalam quandam, a Moſis uſque ſeculo tranſmiſſam, & inter viros plurimum altioris ſubſellii conſervatam, Judæis antiquioribus innotuiſſe.

Quarto: conſulto creditum eſt, inſtituta legis arcana quædam ethica, i. e. præcepta vitæ figuris involuta, continere. Nec promptum eſt quidem nec opportunum, inſtituta legis omnia καθόλου ethicam ſuppeditantia recenſere: quædam autem doctrinam vitæ formativam myſtice tradidiſſe, doctorum multorum ſuffragio, & loquaci rituum quorundam natura ſatis confirmatur. Nam confeſſa res eſt & manifeſta, baptiſmos e præſcripto legis frequenter exercendos, rudiorem puritatis internæ figuram exhibuiſſe. Sacra omnia non niſi poſt lotionem præviam peragenda, cordis munditiem neceſſarium cultus divini comitem non obſcure ſignificarunt. Cum etiam lex monuit, ut [c] ſacerdotis initiandi manus, pes, & auris dextra, victimæ ſanguine tingerentur; videtur doctrinam moralem, ſacerdotibus inprimis curandam, ſub obſcuris rituum illorum involucris tradere. Niſi me fallat animus, Deus ſacerdotis aurem, pedem, & manum dextram [præcipua diſcendi & agendi inſtrumenta] tam ſolenni ritu conſecrari jubens, miniſtros ſuos ſanctitatis eorum præcipue muneri conſentaneæ monuit, eoſque membra ſua [d] *tanquam juſtitiæ inſtrumenta exhibere* docuit. Cum etiam præceptum eſſet, ut oblata ſacra, dextrorſum & ſiniſtrorſum, prorſum & retrorſum, [e] agitarent; motiones illæ Dei dominium in omnes mundi partes indicarunt, & *Deum totius terræ* [non topicum aliquem Gentilium Deum] ſacris oblatis cultum eſſe docuerunt. Cum denique peccati alicujus gravioris reus, pœnitentiam agens, victimam piacularem immolaret; diſerte cautum eſt, [f] *ne oleum aut thuris aliquid in eam mitteret*: quid autem, niſi ut lex indicaret, hujuſmodi peccatorem dolorem pœnitentialem (cui *thus* & oleum minime conveniunt) victimæ ſuæ adjungere debuiſſe? Multa alia his affinia curioſis ſuppeditabit *Philo*, & alii, qui in occultis legum Moſaicarum ſenſibus eruendis operam poſuerunt. Ethica.

Quinto: myſteria quædam hiſtorica in rituum Moſaicorum involucris occultata cenſeantur. Ut ſenſum meum paulo clarius efferam: res quædam ſeculorum omnium memoria digniſſimæ, rituum quorundam imaginibus exprimebantur, ut Iſraelitarum oculis potius quam auribus ingeſtæ, animis eorum tenacius inhærerent. Ex. gr. Solennitas Paſchalis, in rerum Ægyptiacarum [g] memoriam inſtituta, ceremoniis tam ſignificativis agi debuit, quod integram pene ſervitutis Ægyptiacæ, & liberationis ex Ægypto hiſtoriam ad hebetis cujuſvis animum facile revocaret. Feſtum etiam tabernaculorum hiſtoriam quandam viſibilem præbuit temporis illius quo in ſolitudine mille malis vexati vagabantur, & cœlo vel forſan tentorio tegebantur. Septiduana ſabbati celebritas creationis hiſtoriolam complectebatur, eamque Judæorum animis quaſi trabali clavo infixam conſervabat. Nec alienum a fide videtur, leges de *vacca rufa* & *hirco emiſſario* datas (de quibus in loco dicam) ſuperſtitionis alicujus Ægyptiacæ, quæ Judæos olim infecerat, monimenta obſcuriora continere. Si opportunum eſſet, res hæc multis aliis exemplis confirmari poſſet, cum ſeculi Moſaici mores & eventus ple- Hiſtorica.

a *Dialog. cum Tryph.* p. 222. 5. b *Adv. hæreſ.* l. 4. c. 28. p. 317. c *Exod.* 29. 20. d *Rom.* 6. 13, 19. e *Exod.* 29. 24. f *Levit.* 5. 11. g *Deut.* 16. 3.

SECT. IV. riſque legis inſtitutis occaſionem dederint. Et, ſi vetuſtas edax plurima veterum monumenta, temporum antiquiorum ritus & res geſtas referenria, non aboleviſſet, leges Moſaicæ nobis tam obſcuræ & ratione deſtitutæ minime viderentur. Ex antiquitatis inſcitia factum eſt, quod multa Moſis inſtituta mirari magis hodie poſſimus, quam intelligere.

E ſuperioribus evidens eſſe cenſeo, omnis generis arcana ſub rituum Moſaicorum tegmine latuiſſe. Quod itaque [a] *Plutarchus*, credula temeritate, de religioſis Ægyptiorum inſtituris dixit, de Judæorum ſacris & ceremoniis uſurpemus: οὐδὲν ἄλογον οὐδὲ μυθῶδες οὐδὲ ὑπὸ δεισιδαιμονίας ἐγκατεστοιχειῶτο ἱερουργίαις. Ἀλλὰ τὰ μὲν ἠθικὰς ἔχοντα καὶ χρησίμους αἰτίας, τὰ δὲ οὐκ ἄμοιρα κομψότητος ἱστορικῆς ἢ φυσικῆς ἐστιν. *Nihil a ratione diſſonum, fabuloſum nihil, nihil ſuperſtitionem olens, in* eorum *ſacris conſtitutum eſt: ſed quædam ethicas & utiles doctrinas* in receſſu *continentia, alia vero non expertia elegantiæ* cujuſdam *hiſtoricæ vel philoſophicæ*.

SECT. IV.

Rerum cœleſtium adumbrationem, rituum quorundam finem fuiſſe ſecundarium.

Aſſertio data. CUM Deus tot rituum & ceremoniarum legem Judæis obſervandam dederit, ejus intentio primaria, non ea erat, ut Evangelium myſticum, vel doctrinam de Chriſto figuris & umbris obſeptam, traderet; ſed id inprimis agebat Deus, ut ritibus illis populi rudioris obſequium exerceret, eoſque intra certos obedientiæ & pietatis limites contineret. Hoc liquido conſtabit, ſi rem totam altiuſcule repetamus.

Explicatur. CUM Hebræorum natio, e longa cum Ægyptiis conſuetudine, non tantum cultui rituali, ſed & ritibus inter Ægyptios uſitatis, pertinacius adhæreret; Deus non tantum ritus plurimos, ſed & Ægyptiacos aliquos, in legem ſuam recepit; ut cultum ejus populo gratum & optatum redderet, & nimia ſacrorum ſuorum peregrinitas gentem rudem & in mala omnia ſponte ruentem non irritaret. Neque tamen hac in re ſic populi ſtudiis obſecutus eſt Deus, ut ritus eorum veteres nec numero nec forma mutatos iis indulgeret. Prout enim Hebræorum ruditas ingentem illam rituum farraginem cui in Ægypto aſſueverant, prorſus abrogari, ita & rituum aliquorum vitia eos omnino tolerari, minime paterentur. Deus itaque nonnullos e ritibus antiquis cum impietate aliqua conjunctos, a cultu ſuo penitus abdicavit; alios autem ſic a mendis repurgavit, & in novam formam mutavit; ut per eos, tanquam prima cultus & obſequii rudimenta, pueriles animæ ad ſeveriora pietatis exercitia ſenſim perducerentur; & animæ magis viriles languentes quaſdam rerum ſpiritualium imagines in iis contemplari poſſent. Adeo ut lex *Moſis*, ſenſu literali ſumpta, pædagogus eſſet ad Deum; ſenſu vero myſtico ſpectata, non raro ad Chriſtum & Evangelium.

ATQUE hac in re Deus ſapientiæ ſuæ ſpecimen egregium edidit, & illi non abſimile quod in mundo frequenter obſervemus: in eo enim, notante [b] *Verulamio*, dum *natura aliud agit, providentia aliud elicit*; nam frondibus quas natura, conſuetudinem ſuam retinens, parit, utitur providentia, ad cœli injurias a fructu tenello propulſandas. Pari modo, cum Hebræorum natio, conſuetudinem ſuam exuere neſcia, ritus antiquos impenſe deſideraret, Deus eorum deſiderio ſe morigerum præbebat; ſed eorum ruditate & impotentia puerili ad fines egregios & ſapientia ſua dignos utebatur. Sic enim ritus antiquos populo indultos, circumſtantiis quibuſdam demptis aut additis, immutavit, ut rerum cœleſtium ſchema repræſentarent, oculis purgatioribus facile percipiendum; adeo ut Deus puerilibus Iſraelitarum ſtudiis obſequens, divina promoveret.

Probatur. REM totam exemplo uno & altero clariorem faciam. Cum gentium & annorum multorum uſus eorum animos ſacrificiorum religioni devinxiſſet, Deus cultum ſacrificio præſtitum ſtatim abrogare noluit, ne populus ille, tantæ novitatis impatiens, ad atheiſmum deficeret aut ethniciſmum. Multa interim ſacrificia ritu tam peculiari & emphatico celebrari juſſit, ut Chriſti, piaculi loco pro nobis olim offerendi, figuram expreſſam & pene loquacem exhiberent. Cum etiam fermentum (ni fallor) in quibuſdam Gentilium ceremoniis, locum præcipuum antiquitus obtinuiſſet, lege cautum eſt ne *cum ſanguine ſacrificii* [c] *fermentum offerrent*, cum feſtum paſchatis exercerent. Hanc autem legem juſſit Deus, primario forſan ne ſacra ſua ſuperſtitionem olerent

a *Lib. de Iſid.* p. 353. E b *De Augm. ſcient.* l. 3. c. 4. p. 222. c *Exod.* 34. 25.

ethnico-

SECT. IV.

ethnicorum; ſecundario vero (quod monet [a] Apoſtolus) ut ſub fermenti ſymbolo malitiam omnem, in fraterno præſertim paſchatis feſto, deponendam ſignificaret. Proinde, populi ruditas & ſeculi conſuerudo poſtulaſſe videntur, ut ſacerdotes Judaici, ſacris operantes, veſtibus lineis & ſumma puritate conſpieuis induerentur. Dei itaque, hujuſmodi veſtes inſtituentis, intentio primaria erat, ut populo, pompam & ſplendorem externum in ſacris expetenti, rem gratam faceret; ſecundaria vero, ut veſtes illæ albæ nitidæque [b] *juſtitiam ſanctorum* notarent, & puritatis illius eximiæ, qua miniſtri præcipue ſacrorum ornari debent, ſymbola extarent & monimenta.

Ex his omnibus haud obſcure cognoſcatur, legis Moſaicæ ſeopum & intentionem primariam fuiſſe, ut idololatriæ ſe late diffundentis contagionem ſiſteret; ſecundariam vero, ut rerum ſublimiorum imaginem lineis obſcurioribus expreſſam præberet, & non minus animos ſapientum, quam corpora vulgi rudioris, exerceret.

Defenditur,

Facile prævideo nonnullos duo argumenta in adverſæ cauſæ patrocinium adducturos, quibus breviter occurrendum eſt.

Contra primam objectionem.

Horum primum ad hune modum ſe habet: apertum eſt, nonnulla Moſis inſtituta cœleſtium imaginein tam vivam & expreſſam geſſiſſe, & a eeremoniis omnibus in cultu Gentilium uſiratis formam & ſpeciem tam diſcrepantem habuiſſe; quod aperta rei veritas ſateri cogar, primariam Dei inſtituentis intentionem fuiſſe, ut per figuras tam illuſtres & inſignes, Hebræorum animos ad res cœleſtes, ſub externo rituum illorum apparatu latitantes, indagandas excitaret. Quid enim tabernaculi adyta, nulli mortalium niſi pontifici ſoli adeunda, inſtituerit Deus; niſi ut ſacra illa umbratica τῶν ἀληθινῶν τύποι eſſent, & [c] *aditum ad ſancta ſanctorum nondum eſſe patefactum* indiearent? Quid expiatiunis feſtum, tanta cum religione & ſolennitate cultum, in quo ſacerdos ſummus ſanguinem victimæ extra templum oblatæ in ſancta ſanctorum attulit; niſi ut imaginem vivam & ſpirantem exhiberet ſacerdotis noſtri maximi, qui ſanguine ſuo in terris oblato in cœlum tranſiit, ut ibi cauſam noſtram eoram Deo ageret, &, ſanguinis illius virtute, peccati expiationem nobis impetraret? Quid pontifici ſoli munus expiandi demandatum erat, quid oracula per *Urim* illius tantum miniſterio tradira, quid cultu tam ſplendido & ſumptuoſo incedebat, quid ei uni (quaſi ſupra mortalium ſortem poſito) in neceſſariorum ſuorum funere ſe polluere denegarum; niſi ut ſingularia illa documenro eſſent, eum ſacerdotis altioris imaginem ferre, & ut illius perſonam majore eum dignitate ſuſtineret?

Solut.

Lubens concedo, eam fuiſſe rituum quorundam dignitatem & excellentiam plane ſingularem, qund vividum cœleſtium ſenſum Judæis incutere, & *Meſſiam* venturum, quaſi digito exerto, monſtrare viderentur. Atque hac in re luculentum ſapientiæ ſuæ doeumentum præbuit ſummus legiſlator: niſi enim Deus aliquibus eeremoniis, *Meſſiam* venturum clare prænunciantibus, ſomnolentos Hebræorum animos excitaſſet; illi proculdubio *umbram* pro *corpore* fuiſſent accepturi, & exteriori cultus ſui pompa & gloria pereulſi, cœleſtium inanes & incurioſi permanſiſſenr. Hujuſmodi vero ceremoniæ Evangelicæ (ſit verbo venia) paucæ fuerunt, & a Deo quaſi de induſtria inſtitutæ, ut œconomiam tunc præſentem umbraticam eſſe eitoque tranſituram indicarent, & Judæos œconomiæ longe nobilioris ſpe & expectatione detinerent. Sed & obſervare juvat, ceremonias haſce pauculas tum primum induxiſſe Deum, eum ſeculi mores & populi tarditas legis cultuſque ritualis inſtituendi neceſſitatem quandam attuliſſent: ut facile appareat, Deum ceremonias illas quas dixi Evangelieas, obiter & ex intentione quadam ſecundaria ſtatuiſſe.

Et ſecundam.

Secundo: dicet forſan non-nemo, interpretum partem non minimam ſententiæ meæ reſragari. Cum enim legem interpretandi provinciam eapiunt, omnia ſtatim ad allegorias rrahunt, & ſie expediunt omnia, quaſi legis litera illius pars minima eſſet, & *Moſes* ambages tantum & ænigmata, pro vario interpretum ingenio ſolvenda, tradidiſſet. Quanrum itaque ex allegoricis eorum commentariis conjicere licet, multi viri docti nobis hie adverſantur, & legem primario ad myſteria adumbranda datam arbitrantur.

Non diffitendum eſt, opinionem hane, inter ævi præſertim eiterioris Interpretes, plurimum viguiſſe, eoſque ſenſum aliquem myſticum & allegoricum legibus vel maxime perſpicuis accommodaſſe. Sed facile conſtet hanc opinionem eos fefelliſſe, ſi rem totam in examinis æqui trutinam deducamus. Quid enim probabilitatis habet, Deum hebeti & inculto populo legem perpetuis myſteriis ſcatentem tradere, & eos qui vix-

a 1 *Cor.* 5. 7, 8. b *Revel.* 19. 8. c *Hebr.* 9. 24.

SECT. V. dum ſordes a lateribus Ægypti contractas abluiſſent, rebus tantum myſticis exercere voluiſſe? Aut cui conſulto veriſimile videri poteſt, quemlibet pene legis ritum & periodum ſenſum ſecretiorem continuiſſe, cum nulla Judæis fax eſſet, quæ ſenſum illum obſcurum illuſtraret? Non enim facile credendum eſt, Judæos antiquiores clavem aliquam habuiſſe, qua tot legis arcana reſerarent, cum vel ipſi Chriſtiani in allegoriis ſuis inde deducendis conjecturam plerumque ducem ſequantur, & ritum quemvis arcani indicem exiſtiment, ſi ad rei alicujus Evangelicæ ſimilitudinem & imaginem aliquatenus accedere videatur. De hoe autem argumento fuſius & opportunius in ſequentibus dicturi ſumus.

SECT. V.

Capitis concluſio, ubi agitur de nimio & ſobrio allegoriarum uſu ſtudioque.

Mala e nimio allegoriarum ſtudio orta, quinque.

CUM ſatis e jam dictis eluceat, myſteriorum quorundam adumbrationem finem fuiſſe legis ſecundarium, & QUÆDAM ſolummodo legis inſtituta huic uſui inſerviiſſe; hinc anſam captemus horum hominum περιεργίαν arguendi, qui omnia ad allegorias vel invita trahunt, &, e luxu quodam animi, parata & facilia faſtidientis, facilem atque obvium legis ſenſum contemprim prætereunt, & ſe totos componunt ad ſenſus myſticos & a vulgi captu remotos indagandos. Sentiunt ſcilicet ſcripta Moſaica inexhauſtam ingenii exercendi materiam præbere, atque hunc legis interpretem perhibent optimum, qui ad illius textum ſenſus myſticos concinnius & elegantius novit accommodare.

HÆC autem opinio, mala nec pauca nec levia in eccleſiam Judaicam ſimul & Chriſtianam traxit. Nam,

Primum.

(1°.) HUIC opinioni tribuendum eſt, quod tot legum Moſaicarum mens & ratio in abdito adhuc delitefcant; & vix ulla ſcripturæ pars ſit in qua ſcriptorum labor magis quam in pentateucho deſudaverit, vix ulla tamen quæ majore adhuc caligine obducatur. Cum enim ad legem aliquam deventum ſit, cujus rationem allegorizantes aſſignare neſciunt, ſtatim myſterium aliquod pro arbitrio fictum ingerunt, & legem myſterii illius repræſentandi cauſa datam fiducia pene prophetica affirmare ſolent: unde factum eſt, ut hominum animi, falſis ſpecieque fallentibus allegoriis intenti, a genuinis legum rationibus indagandis avocentur. Qualem nobis, legum Moſaicarum ſenſus indagantibus, facem prætuliſſent, *Origenes, Clemens, Cyrillus Alexandrinus*, alii, literis & hiſtoricorum antiquiorum ſcriptis inſtructiſſimi; ſi, miſſis allegoriis ſuis inanibus, animos ſuos ad legum earum ſenſum & ſcopum primarium inveſtigandum appuliſſent? Legum nonnullarum ratio nos forſan in æternum latebir, quod hiſtorici veteres qui ritus Ægyptios & Aſſyrios (legum earum occaſiones) memoriæ mandarant, hodie deſiderentur; & in Patrum illorum ſcriptis, Moſaica illa quæ luce antiquitatis egent, argutiis allegoricis alio detorqueantur.

Secundum.

(2°.) HÆC opinio quibuslibet ineptiis latam portam aperit, & quidlibet, myſterii divini legibus illis involuti nomine, effutiendi occaſionem præbet. Nam per hujuſmodi ad placitum & libidinem fictas allegorias, mens & ſenſus legum Moſaicarum in arbitrio & ingenio ponuntur interpretum, ita ut ſummus legiſlator nil velle videatur, niſi quod illis in mentem venerit. Atque hac de cauſa [a] *Valentianus Presbyter* parvi hoc interpretum genus æſtimaſſe dicitur: Σοφωτέροι γάρ, ὡς ἔφης, τῶν γραφῶν ἑαυτοὺς ἡγούμενοι, εἰς ἅπερ βούλονται μετασχηματίζοντες τὰ θεῖα λόγια, πολλὰ σφάλλουσι τοὺς ἀκούοντας. *Dum enim, ut aiebas, ſemetipſos ſcripturis ſapientiores* eſſe *exiſtimant*; hinc fit, ut *oracula divina in quaſcunque ipſis libuerit figuras transforment, & auditores multis modis fallant.* Nec aliter fieri potuit, cum allegoriarum ſtudioſi non tam legis ſenſum ſequantur, quam ingenium proprium, quod indies creſcere ſolet, & hic ad nauſeam lectoris fœcundum eſſe poteſt. Huie itaque malo ut remedium quærerent allegoriſtæ veteres, [*Philo*, *Clemens*, *Origenes*, aliique] vel allegorias antiquitus receptas tradiderunt, aut ad ſcripruram, nunc myſtice nunc obſcure loquentem, animos adverterunt. Nam, *Philo* fatetur aliquoties ſe allegorias, non a ſeipſo primum excogitatas, ſed traditione receptas, enunciare; & ſiquis inter ſe *Philonis*, *Origenis*, & *Clementis* allegorias conſerat, ſæpe comperiat, eas affinitate conjunctas fuiſſe, adeoque veteres allegoriſtas eandem plurimum allegorizandi normam & viam obſervaſſe. Sed allegoriarum ſtudioſi quos ſecula ſequiora peperere, ſe nulli certæ regulæ devinxiſſe, ſed quicquid illis calor cerebri ſug-

a *Ap. Iſidor. Peluſ.* l. 4. Ep. 117. C.

geſſit,

geſſit, in chartas impegiſſe, videntur. Nam allegoriæ quas ipſi cudunt, & pro ſenſu legis interiore nobis obtrudunt, ſæpe diſſident inter ſe; ſæpius autem jejunæ ſunt, & indignæ quæ pro ſacratiore legis divinæ ſenſu habeantur. SECT. V.

(3°.) Hujusmodi allegoriæ ſcrupulos & moleſtias haud leves ſortis inferioris Chriſtianis frequenter adſerunt. Nam plurimi libri & conciones, Chriſtianorum vulgus ad theologiam illam myſticam vocant & allegoricam, eoſque ad *typorum* (uti loquuntur) *glorioſorum* ſtudium impenſius adhortantur; ut [a] εἰς τὸ ἐσώτερον τοῦ καταπετάσματος ingrediantur, & Chriſtum, jam ceremoniarum faſciis involutum, retectum intueantur. Eorum interim animi miſere anxii & ſuſpenſi manent, quod ipſi ſenſus myſticos eruere neſciant, nec ab aliis aliquid certi diſcere; cum myſteria tam varia uni eidemque legi vel ceremoniæ affixa videant, & in myſteriorum illorum indagine conjectura tantum agantur omnia. Hinc illæ lachrymæ: legis puteum *aquam vivam* continere ſando acceperunt, at *puteum* illum *profundum* eſſe, & ſe ἄντλημα *non habere* miſeri conqueruntur. Tertium.

(4°.) Hæc opinio in cauſa fuit, ut ſapientia & bonitas divina in legibus Moſaicis eluceſcens ſæpius obſcuretur, &, loco legis ſumma cum ſapientia datæ, torta, ſutilis, & *Apennina* glacie frigidior, non raro ſubſtituatur allegoria. Multas expoſitiones allegoricas a modernis excogitatas me ſcire profiteor, tam frivolas & a legis divinæ gravitate & ſcopo alienas, quod ſi eas in medium proferrem, lector conſultus in dubio hæreret, ridere deberet an indignari. Neque faba hæc in modernos tantum cudi debet, cum multas farinæ conſimilis allegorias ab antiquis excogitatas in vulgus efferre poſſem, niſi religio nuditatem Patrum detegere prohiberet. Interea loci, Dei leges atheis ludibrium debent, quaſi ſenſa ſacratiora, plumbea conjecturæ ſolius clave reſeranda, continerent; aut, ad inſtar Hieroglyphicorum Ægyptiorum, res quaſdam pueris e trivio notas, ſub myſterii cujuſdam gravioris ſpecie, traderent. Compendio dicam: ad legem Dei ab atheorum contemptu vindicandam, plus valet una ſolida ratio, quam allegoriæ plurimæ, multo licet ingenio & labore concinnatæ. Quartum.

(5°.) Opinio hæc, & inde prognata allegorizandi licentia, ab auctoribus famæ parum ſecundæ [Judæis aut philoſophis antiquioribus] emanaſſe videatur. Nam Judæos antiquos allegoriis impenſe deditos fuiſſe, & totam pene legem in myſterium transformaſſe, non obſcure colligitur ex iis quæ [b] *Ariſteas* de *Eleazare*, [c] *Origenes* de *Ariſtobulo*, [d] *Philo* de *Therapeutis* & *Eſſæis*, literis & memoriæ prodiderunt; ut ipſum [e] *Philonem Judæum* jam taceam, omnium manibus tritum, cujus ſcripta pleraque ſcatent allegoriis. Judæos, *Helleniſtas* imprimis, hac in re philoſophos antiquos imitatos fuiſſe, cauſam opinandi non levem præbet *Philo*: nam ille, mores *Eſſæorum* in ſacris ſuis conventibus obſervatos referens, inter alia, [f] ὁ μὲν τὰς βίβλους, inquit, ἀναγινώσκει λαβών, ἕτερος δὲ τῶν ἐμπειροτάτων, ὅσα μὴ γνώριμα παρελθὼν ἀναδιδάσκει· τὰ γὰρ πλεῖστα διὰ συμβόλων ἀρχαιοτρόπῳ ζηλώσει παρ᾽ αὐτοῖς φιλοσοφεῖται. *Ibi unus libros quoſdam prælegit, alius unus e peritioribus accedens, quæ obſcura ſunt explicat: nam apud eos pleraque per figuras & ſymbola, veterum* philoſophorum *more, tradita ſunt.* Quibus verbis alluſum videtur ad ſymbolicam & obſcuram philoſophandi rationem qua gentium magiſtri veteres inclaruere. Nam, teſte [g] *Plutarcho*, οἱ Πυθαγορικοὶ μικρὰ [τῶν] μεγάλων ἐποιοῦντο σύμβολα· *Pythagorici res parvas magnarum ſymbola faciebant*, & per id quod dicebant, altius quiddam quod tacebant, volebant indicari. Conſtat etiam allegoricum illum docendi & interpretandi modum apud celebres illos gentium theologos, *Platoniſtas*, eos præſertim qui ſeculis poſtremis *Platonem* ſecuti ſunt, plurimum invaluiſſe. Ab iis autem *haud dubie* [h] vir doctus ita loquitur, *idem* allegorizandi *morbus, fatali quadam ingeniorum contagione, in veteres nonnullos Chriſtianos eſt derivatus, qui in ſacrarum literarum explicatione eodem modo ſunt verſati.* Cavendum eſt itaque ne myſticis & allegoricis legis interpretationibus nimis indulgeamus, quæ gentium philoſophis, & *Helleniſtis* eorum æmulis, originem & incrementum ſuum debuiſſe videntur. Quintum.

(6°.) Hæc opinio multis ejuſdem legis & ritus interpretationibus, nulla conjunctis affinitate, feneſtram patefacit. Nam typis, fabulis, ſymbolis, figuris, & hujuſmodi rerum ſignis, ita comparatum eſt, ut in quemlibet ſenſum facile torqueri poſſint, & ad inſtar nubis figuratæ, pro vario intuentium captu & ingenio, rei nunc hujus nunc illius imaginem ſuſtinere. Si quis frontem paululum perfricuerit, nihil eſt quod e typis aut inſtitutis Sextum.

a *Hebr.* 6. 19. b *Hiſt. LXX.* in *Bibl. Patr.* p. 872. &c. c Lib. 4. *cont. Celſ.* p. 189. d Lib. de *Vit. contemplat.* p. 893. D e Lib. *quod omn. prob. lib.* p. 877. f *Ub. ſupr.* D g *Quæſt. Rom.* p. 281. A h *Boxhorn. Animadv.* in *Plut. Q. Rom.* col. 1027.

SECT. V. legis probare nequit, cum typi (quos vocant) ſint ſenſus multiplicis & interpretationis inexhauſtæ. Hoc probe norunt antiquiores pontificii, qui ante ſeculum proxime elapſum, allegoricam ſcripturas, pentateuchum inprimis, interpretandi rationem unice in pretio habuere. Hic ſcilicet interpretandi modus in quaslibet formas & ſenſus ſcripturam traxit, unde ad impoſturas papiſmi ſuffulciendas egregie fuit accommodatus. Cum itaque *Cajetanus*, Reformatorum importunitate coactus, incertum illum commentandi modum defereret, & ſenſui literali preſſius adhæreret; ſuorum malam gratiam [a] iniit; & vix multis apologiis facti illius invidiam amoliri potuit.

Septimum. (7°.) Hæc opinio [quod ſcilicet leges Moſaicæ mera ſint ænigmata & myſteria verbis ſimplicibus ubique diſſimulata] nullo non ævo leges illas literaliter ſpectatas in contemptum duxit, & auctoritate omni apud plebem ſpoliavit. Eo rem deductam fuiſſe *Philonis Judæi* ſeculo, [b] ipſum teſtantem audiamus: Εἰσὶ τινες οἱ τοὺς ῥητοὺς νόμους σύμβολα νοητῶν πραγμάτων ὑπολαμβάνοντες, τὰ μὲν ἄγαν ἠκρίβωσαν, τῶν δὲ ῥᾳθύμως ὠλιγώρησαν, οὓς μεμψαίμην ἂν ἔγωγε τῆς εὐχερείας. *Sunt quidam qui dum putant ſcriptas leges* eſſe *ſymbola & figuras intelligibilium, his inveſtigandis diligenter dant operam, illas facile negligunt; quorum mihi non placet facilitas:* hæc dicens *Philo*, ante oculos habuiſſe videtur *Eſſæos* & *Therapeutas*. Nam *Eſſæi* ſic legis expoſitionibus myſticis animos addixerunt, ut ritus legis litera præceptos parum curaſſe videantur. Hic iterum *Philonis* teſtimonio utor, qui de ſanctis illis Judaicis verba faciens, [c] inquit, μάλιστα θεραπευταὶ Θεοῦ γεγόνασιν, οὐ ζῷα καταθύοντες, ἀλλ' ἱεροπρεπεῖς τὰς ἑαυτῶν διανοίας κατασκευάζειν ἀξιοῦντες. *Summa religione Deo ſerviunt, non mactando victimas, ſed ſuasmetipſorum mentes ad ſanctimoniam componendo. Therapeutæ*, ſenſibus legis abſtruſioribus inveſtigandis addictiores, illius ritus externos minus obſervabant, & de ſenſu literali parum pro dignitate loquebantur; ſenſum ſuum myſticum, legis *animam*; literalem autem, illius *corpus* (contemptim) appellantes. *Philonem* hic etiam teſtem ingero, de *Therapeutis* [d] ita diſſerentem: Ἅπασα ἡ νομοθεσία δοκεῖ τοῖς ἀνδράσι τούτοις ἐοικέναι ζῴῳ· καὶ σῶμα μὲν ἔχειν τὰς ῥητὰς διατάξεις, ψυχὴν δὲ τὸν ἐναποκείμενον ταῖς λέξεσιν ἀόρατον νοῦν. *Viris hiſce lex tota videtur animalis habere ſimilitudinem: quod præcepta tradita corpus referant, animam autem, penitior intellectus, ſub velamine verborum abditus.* Si ab antiquis illis, ad ævi ſequioris allegoriſtas deſcendat ſermo, facile comperiamus eos eodem ingenio fuiſſe, & legis ſenſum literalem, tanquam corticem & putamen, vix alicujus æſtimaſſe. Apertum eſt, eos, cum primum animos ad legem interpretandam appulerunt, id ſolum negotii ſibi datum credidiſſe, ut legis ſenſum arcanum retegerent, & e figurarum involucris explicarent. De legum enim Moſaicarum ſenſu literali & ratione primaria non magnopere laborant: ſed ita ſe parant, quaſi Deus leges & ritus Moſaicos inſtituiſſet, tantum ut Evangelii ſtatum myſtice prænunciaret.

Hæc pluribus forſan quam operis inſtituti ratio poſtulavit, proſecuti ſumus; eo quod allegorica commentandi ratio, ipſa ſubtilitate ſua ſæpe delira ſit, & meris conjecturis, ne dicam ineptiis, myſteriorum ſacrorum nomen imponat; hominum ſimpliciorum credulitati illudat, & in eorum mentes merum imperium frequenter exerceat; quod nil certi probet, ſed fluctuantem lectoris animum in dubitationum ſyrtes non raro devehat; hominum animos a veris & ſolidis legum Moſaicarum rationibus indagandis avocet; quod allegoriſtæ non pauci legem divinam, quaſi ob rationes incertas, leves, ne dicam ridiculas, datam, ſannis & jocis atheorum expoſuerint; Judæorum pertinaciæ & blaſphemiæ locum nimis amplum dederint; myſteria ex rebus quibuſque obviis & apertis effodere ſoliti ſint, quaſi via hominum pervulgata ſapere faſtidirent; & ita ſe gerant, quaſi, noctuarum ad inſtar, plus in typorum crepuſculo, quam Evangelii luce, percepturi.

Si quis me ſatyra mordaci nimis allegorizantium gentem caſtigaſſe ſentiat, audiat *Steuchum Eugubinum* verbis acrioribus effuſam & nullis legibus aſtrictam allegorizandi licentiam [e] ita coercentem: multi ſunt, *maxime a concionantibus, qui ſæpe divinas extorquent literas, dum illud volunt eſſe figuram illius, & illud alterius: acciditque ut oculatis in nos Judæis ludibrio ſimus. Tenendum utique medium eſſet, ut quæ figuram præ ſe ferunt, figurate* interpretemur: *quæ* vero *in aliud tempus non ſpectant, non eo* torqueamus. *Fit enim ex hac cauſa, ut fœdiſſimis fabulis divinas inficiamus literas. Quam rem maxime vituperat* [1] Gregorius Naz. *erat enim & apud Græcos, genus hominum, quale*

a *V. Haleſ. concion.* 1. *Anglic.* p. 19. b Lib. de *Migrat. Abrah.* p. 402. A c Lib. *Quod omnis prob. liber.* p. 786. D d Lib. de *Vit. Contemp.* p. 901. C e *Recognit.* ad *Deut.* 6. 4. T. 1. col. 168.

1 Vid. *Orat.* 3. in *Julianum*, *invectiv.* 1.

noſtris

noſtris & multis ante viguit diebus, qui infinitum quendam figurarum coacervarunt cumulum, eoque utebantur *ad oſtendendum, omnia, non tam maxima quam minima, fuiſſe figuris præmonſtrata. Ego certe dicerem, id non modo eſſe ſtultiſſimum, ſed etiam impiiſſimum.* Auctori noſtro veniam facile largiamur, ſi in allegoriſtas iniquior aliquanto videatur: nam ſtomacho firmato ſit oportet, cui tam craſſa & obeſa nauſeam aut bilem non moveant, quæ a nonnullis, tanquam myſteria lege contenta, nobis obtruduntur. Deinde, legis divinæ ſanctitas haud patitur, ut ſignificationes myſticas, e propriis tantum ingeniis depromptas, illius inſtitutis affigamus. CAP. XVI.

NON eo hæc a me dicuntur omnia, quaſi ſtomacho tam moroſo vel delicato eſſem, ut myſteria & allegorias legibus Moſaicis affixas faſtidirem omnes, nec quicquam hac in re modeſtis hominum conjecturis & ingeniis indulgerem. Ne nimius aut obſcurus ſim, quid hic ſentiam aut velim ipſe, [a] *Philonis* verbis exprimam: *ſunt quidam qui dum putant ſcriptas leges* eſſe *figuras intelligibilium, his diligenter dant operam, illas facile negligunt:* ἔδει [δὲ] ἀμφοτέρων ἐπιμεληθῆναι, ζητήσεώς τε τῶν ἀφανῶν ἀκριβεστέρας, καὶ ταμίας τῶν φανερῶν ἀνεπιλήπτου· *Debuerant autem utraſque curare, ut & obſcura quærerent accurate, & manifeſta ſervarent diligenter.* Id itaque imprimis pro certo ſtatuamus, quamlibet in pentateucho legem ſenſu literali intelligi poſſe, eumque primo diligenter indagandum. Eo poſito, ejuſque ratione (qua per vetuſtatis tenebras licet) explicata, per me non ſtabit quo minus quiſpiam allegoriis eliciendis impendat operam, modo remota nimis & aliena non conſectetur, eaſque non tam veritatis quam ornamenti loco plerumque proferat. Ita monuit *S. Baſilius*, qui de ſenſu loquens allegorico, ὡς κεκομψευμένον, inquit, μὲν τὸν λόγον ἀποδεχόμεθα, ἀληθῆ δὲ ὅλως οὐ πάνυ δώσομεν. Curandum eſt etiam, ut ſenſus noſtros myſticos & allegoricos, doctorum judicio & cenſuræ ſubmiſſos, modeſte proponamus. Multi enim, ſi myſterii alicujus Evangelici umbellam aut imaginem rudiorem in lege rituve aliquo ſe percipere ſomniant; Deum legem & ceremoniam illam ad myſterium illud adumbrandum inſtituiſſe ſtatim aſſerunt, idque ea animi fiducia quaſi Deo a ſecretis eſſent, eique a dextris adſtitiſſent, cum lex Moſaica conderetur. Animi ad modeſtiam multo majorem compoſiti documentum præbuit [b] *Gregorius Nyſſenus:* poſtquam enim multas allegorias e variis *Moſis* legibus eliciuſſet, ὃ δὲ παρ' ἡμῶν, inquit, στοχαστικῶς ὑπονοηθέντων περὶ τῶν προκειμένων νοημάτων λέγεται, τοῦτο ἐπὶ τῇ κρίσει τῶν ἐντυγχανόντων ποιήσομεν, ὡς ἢ ἀπόβλητον ἢ ἀπόδεκτον νομισθῆναι, ὅπως ἂν ἡ διάνοια τοῦ πρέποντος ἐπεσκεμμένα λογίζηται· h. e. Interprete Front. Ducæo, *quod autem a nobis, conjectione quadam hæc ad propoſitum accommodantibus dicitur, id legentium judicio totum relinquimus: nec reclamabimus ſi rejecerint, nec lætabimur, ſi ſuſceperint.*

CAP. XVI.

Appendix, in qua ſtrictim agitur de mediis extraordinariis ad idololatriam abolendam uſurpatis.

AD libri hujuſce calcem perveniſſe videbar, cum fuſe docuiſſem, legem Moſaicam medium illud ordinarium fuiſſe, quo Deus ad idololatriam abolendam utebatur. Media illa extraordinaria, ſeptem. Sed eo penſo abſoluto, ferebat animus de mediis extraordinariis eodem tendentibus pauca dicere: quod hæc argumenta mutuam ſibi lucem præſtent, & affinitate non adeo remota conjungantur. Nempe norat ſapientiſſimus rerum arbiter, ſeculo illo mala uſque eo invaluiſſe, quod mollibus legum ſolummodo remediis cedere nollent; & populum Iſraeliticum, e longo cum Ægyptiis commercio, vitiis tam gravibus & adultis infectum, ut non niſi magno niſu & exerto brachio expugnari poſſent. Ut itaque populum illum ad mentem ſaniorem revocaret, Deo viſum eſt, non tantum lenta & ordinaria legum ſuarum remedia adhibere, ſed & extraordinaria aliqua & ad morbi contumaciam paulo magis accommodata.

HORUM primum hujuſmodi erat: Iſraelitas in ſolitudinem educebat, ibique per Primum. annos quadraginta ſeorſim a gentium colluvie detinebat. Hac ratione ab Ægyptiis dividebantur, qui morum peſſimorum exemplo Iſraelitis ad idololatriam certo præirent, aut eos, [c] oſtenſo mortis metu, a Dei ritibus obſervandis deterrerent. Quin & innumera ſolitudinis infortunia magnum ad populi mores emendandos momentum afferebant, quatenus ad affectus eorum agreſtes ſubigendos & mores emolliendos inſerviebant. Hæc & alia complexus eſt *S. Chryſoſtomus*, verbis inſtituto præſenti apprime

a *Loc. ſupr. laudat.* p. 402. A   b Lib. de *Vit. Moſ.* T. I. p. 223. C   c *Exod.* 8. 26.

convenientibus: [a] ὁ Θεὸς τῶν Ἑβραίων τὰς παῖδας ἐπειδὰν ἴδε τὴν παλαιὰν τῶν κακῶν ἀποθέσθαι συνήθειαν, τὴν ἐν Αἰγύπτῳ λέγω, λαβὼν κατῴκισεν αὐτὰς ἐπὶ τῆς ἐρημίας, &c. *Deus Hebræorum gentem, cum eorum quæ in Ægypto didicerant malorum vetus conſuetudo deponenda eſſet, ſeorſim in ſolitudinem abduxit, quam longiſſime ab illis a quibus corrumpebantur, & tanquam in monaſterio illorum animos formabat, viam omnem medicinæ* & curationis *tentans, aſperiorem atque leniorem; nihilque penitus omittens ex his quæ viderentur eorum ſalubritati profutura.* Ad hanc medendi methodum antiquitus uſurpatam Deus alludere videtur, *Hoſ.* 2. 14, 15, 16. nam eo loci de gente Iſraelitica, non melius tunc quam olim ſe habente, verba faciens; *eam*, inquit, *in deſertum ducam, & loquar ad cor ejus*, [b] Καὶ δώσω αὐτῇ τὰ κτήματα αὐτῆς ἐκεῖθεν, καὶ τὴν κοιλάδα Ἀχὼρ [1] διανοῖξαι σύνεσιν αὐτῆς· καὶ ταπεινωθήσεται ἐκεῖ κατὰ τὰς ἡμέρας νηπιότητος αὐτῆς, καὶ κατὰ τὰς ἡμέρας ἀναβάσεως αὐτῆς ἐκ γῆς Αἰγύπτου &c. *Et dabo ei poſſeſſiones ſuas inde & vallem Achor ad aperiendum intellectum ejus. Et humiliabitur illic juxta dies infantiæ ſuæ, & juxta dies aſcenſionis ejus e terra Ægypti. Et erit in die illa, dicit Dominus, vocabit me, vir meus, & non vocabit me ultra, Baalim.* Hæc verſio Græca (quam *Syriaca* firmat & *Arabica*) ad mentem Prophetæ multo propius quam alia quævis accedere videtur. Quantum enim ex contextu colligendum, id negotii Prophetæ jam datum erat, ut ſub *ſolitudinis* metaphora, conditionem triſtem & afflictam gentis illius idolis addictæ prænunciaret; & Deum, afflictionis illius miniſterio, gentis oculos aperturum, & (prout olim patres eorum, per ſolitudinis diſciplinam) ab idolis ad ſeipſum reducturum. Videtur mihi hæc expoſitio nihil habere coacti aut violenti.

Secundum. (2°.) Deus, ne latius manaret idololatriæ malum, Iſraelitas in Ægypto natos & ſuperſtitionis Ægyptiacæ peſte correptos in deſerto perdidit. Cum enim Ægyptiis & eorum pravis moribus, a primis uſque pueritiæ ſpatiis, intime jungerentur, ſpes nulla reſtabat eos animum mutare & ad frugem unquam redire voluiſſe. Illi itaque, juſto Dei judicio, in deſerto cecidere, ne, ſi patres vixiſſent Ægypti vitiis infecti, ad filios illa ſerperet Ægypti ſcabies; & ne filii, tam triſti fato moniti, mortifera patrum ſuorum veſtigia perſequerentur. Hic iterum *S. Chryſoſtomum* ad ſenſum meum paulo magis explicandum & confirmandum advoco: ille nempe de Iſraelitis hiſce mentionem [c] faciens, τίνος δὲ ἕνεκεν, inquit, πάντες ἀπώλοντο; *cur autem omnes* in deſerto *perierunt?* Reſpondet, ἐπειδὴ τὰ μεγάλα ἥμαρτον· ἐντεῦθεν δὲ καὶ ἕτερον οἰκονόμει, τοὺς μέλλοντας τὴν Παλαιστίνην ἀπολαμβάνειν, ἀθεάτους εἶναι τῶν ἐν Αἰγύπτῳ κακῶν, τῆς δεισιδαιμονίας, τῆς ἀσεβείας ἁπάσης, καὶ μηδένα διδάσκαλον ἔχειν τῆς τοιαύτης πονηρίας· i. e. *Quoniam valde peccarunt. Sed & aliud providit* Deus, *ut futuri Palæſtinæ incolæ, ii eſſent qui mala in Ægypto perpetrari ſolita* omnem nempe ſuperſtitionem & impietatem *non vidiſſent, & qui tantæ improbitatis nullum magiſtrum habituri eſſent.* Credi nequit, Iſraelitas legem *cultus Ægyptiaci contumelia inſignem* recipere voluiſſe, dum Ægyptiis immiſti viverent, & eorum minis aut moribus in partem contrariam flecterentur; aut legem illam animo conſtante ſervare potuiſſe, ſi patres eorum ſuperfuiſſent, quos proculdubio ſuperſtitionis Ægyptiacæ duces & magiſtros habituri eſſent.

Tertium. (3°.) In idololatriæ remedium, opera edita ſunt poſt natos homines maxima, quæ nempe [d] Deorum Ægyptiorum vires, imo [e] Iſraelitarum fidem, longe ſuperabant. Hoc ſatis evincunt miracula in Ægypto & deſerto facta, quorum nec numerum inire facile eſt, nec magnitudinem ſatis pro dignitate exprimere. Hæc autem ad idololatriam eradicandam plurimum profuerunt, nempe, quatenus hebetis & ſomnolentæ gentis admirationem etiam atque etiam excitaruot, majeſtatis & benignitatis divinæ tam luculenta præbuerunt argumenta, timoris religioſi frænum populo contumaci injecerunt, gentem Deo dicatam ab idolis & lateribus Ægypti liberarunt, & potentiam Dei numinum ethnicorum vires immenſo intervallo ſuperare docuerunt. Non eſt facile creditu populum tam infeliciter natum factumque, rationum ſolummodo momenta percipere, vel machinis ullis, niſi ſpectaculis admirationem & terrorem ſummum incutientibus moveri, potuiſſe.

Quartum. (4°.) Deus, ut repagulum objiceret idololatriæ, capitis pœnam decrevit in eos qui ad idololatriam deſciſcerent, aut inſtituta legis *elata manu* violareot. Atque hæc

a Lib. 3. ad *Vit. Monaſt. Vituper.* Ed. Benedict. T. 1. p. 85. D b *LXX. in loc.* c *Expoſ.* in *Pſal.* 43. T. 3. p. 192. d *Exod.* 8. 18, 19. e *Pſal.* 78. 20.

1 Verſio *Theodotionis* eſt ἀνοῖξαι τὴν ὑπομονὴν αὐτῆς *Symmachi*, ὡς θύραν ἐλπίδος, quæ cum Hebraicis conſentiunt. לפתח תקוה—τανταν. Juxta *MS. Cardinal. Barberini* in margine, & *Symmachum.* κακωθήσεται *Aquilam*, ὑπακούσει, omnia quæ ſibi vult ענה—ταπεινώσει. *Edit. Complut. Barberini* in marg. *Symmachi*, & *Theodotionis*, νεότητος. *Hebraica* autem נעורים ſibi vendicant νηπιότ.

pœna

CAP. XVI.

pœna infligi debuit non tantum in homines privatos qui alios ad falſorum Deorum cultus incitarunt, ſed etiam in [a] civitatem integram quæ cordis ad idola deflectentis teſtimonium dedit. Hanc pœnam exigebant Judæi, ſive judicio publico, ſive judicio iſto quod *zeli* vocabatur; cum nempe ſui juris eſſent, & legibus propriis, in patria viventes, uterentur. Iis autem, cum extraneo principi ſubditi eſſent, haud licuit quenquam judicio illo privato & zelotico interficere, niſi principis illius permiſſione, qualem dedit rex [b] Perſidis, & Romani in alienigenas intra [c] templi ſepta deprehenſos. Nullum autem (ut in eandem revertar) idololatriæ peſti præſentius remedium excogitari potuit, quam pœna capitalis in apertos apoſtatas aut ſecretos ſeductores conſtituta; cum præſertim Deus quemlibet privatum, lictorem ſuum, aut pœnæ illius executorem, ſtatuiſſet. Nam hac ratione curatum eſt, ut omnia rerum malarum ſemina in ipſo ortu & primo niſu perderentur.

(5º.) INTER idololatriæ remedia extraordinaria cenſeri poteſt, quod Deus Cananæos, & alias gentes eo crimine infames, funditus everterit, & earum civitates Iſraelitis occupandas dederit. Eas enim delevit Deus, ne ſuperſtitionis ſuæ exemplum in poſteros iret; & ut Iſraelitæ, in gentium illarum pœna, tanquam ſpeculo quodam, idololatriæ merita contemplari poſſent. Et profecto ſtupendum plane eſt & prodigio proximum, Judæos Cananæorum idola colere potuiſſe, cum certo ſcirent ea cultoribus antiquis in perniciem vertiſſe, eoſque ipſis illis ſedibus, quas illi tenebant, penitus expuliſſe. Fieri non potuit, ut Iſraelitæ eandem calcarent ſemitam, niſi fatali cuidam delirandi libidini traditi fuiſſent. Proculdubio ab iis moribus quos norant anteceſſoribus ſuis tot miſerias attuliſſe, pie & prudenter abſtinuiſſent, ſi vel ullam bonæ mentis partem reliquam habuiſſent. Quintum.

(6º.) AD idololatriam præcavendam, Deus prophetas ſubinde ſuſcitavit, qui eventus pleroſque lætos triſteſve populo prænunciarent. Nam hoc medio Deus primariam idololatriæ radicem ſuſtulit, opinionem nempe paſſim invaleſcentem, bona & mala omnia ad idola & dæmones eſſe referenda, eoſque ſacrificiis, precibus, gratiarum actionibus, eo nomine colendos & propitiandos. Aſſertioni meæ pondus addit [d] S. *Chryſoſtomi* teſtimonium: Ἔθος παρὰ Ἰουδαίοις παλαιὸν, τὰ τὰ μέλλοντα αὐτοῖς καταλαμβάνειν κακὰ (καὶ) ἀγαθὰ, προαγορεύειν τοὺς προφήτας ἄνωθεν, &c. *Mos erat apud Judæos antiquos, ut Prophetæ divinitus afflati prædicerent illis quæ imminerent, ſeu bona ſeu mala, propter inſignem illorum improbitatem & impudentiam. Siquidem illico beneficiorum Dei obliviſcebantur*, καὶ τοῖς δαίμοσιν ἐπεγράφον τὰ γινόμενα, καὶ τὰ ἀγαθὰ ἐκείνοις ἐλογίζοντο. *Et ea quæ fiebant, Dæmonibus adſcribebant, & bona illis imputabant.* Hac de cauſa, Prophetas illis eventura prædixiſſe diſcere licet e Dei per prophetam verbis, [f] *annunciavi tibi quæ ventura erant in te, ne quando dicas, idola mea fecerunt ea, & ſculptilia conflatiliaque mea præceperunt ea.* Si enim Iſraelitæ ſanguinis ingenui guttulam in venis habuiſſent, fieri non potuit, ut ea bona vel mala ſimulacris imputarent, quæ prophetæ divinitus afflati ventura prænunciaſſent. Sextum.

(7º.) MEDIIS extraordinariis, quibus Deus idololatriæ malo mederi ſtuduit, accenſeri debet, divina illa regiminis forma quam [i] Joſephus Θεοκρατίαν appellavit. De illa vero, Diſſertatione ſequente, ſermonem ex profeſſo inſtituimus. Septimum.

a *Deut.* 13. 6, & 15. b *Eſth.* 8. 11, 12. c *V. Grot, annot. ad Mac.* 3. d *Homil.* 3. *adv. Jud.* Ed. Bened. T. 1. p. 634. B. e *Jerem.* 44. 16, 17, 18. f *Jeſ.* 48. 5.

i Vid. contr. *Apion.* lib. 2. p. 1376. 40.

DISSERTATIO
DE
THEOCRATIA JUDAICA.

PRÆFATIO.

Theocratiæ generalis explicatio.

LIBRO primo pene ad umbilicum ducto, diſſertationes duas [de *Theocratia judaica* unam, de *Uſura* alteram] ſubnectere viſum eſt, ei cognatione propinqua cohærentes. *Theocratiæ* vero nomine, Dei monarchiam aut imperium intelligo, quæ in *naturalem* & *civilem* diſtribui poteſt. Monarchia Dei *naturalis*, ea eſt, quæ jure creationis & omnipotentiæ ſuæ Deo convenit, quamque in omnes creaturas, a prima rerum origine, naturaliter exercuit, & ſemper exercebit: *civilis* ea eſt, quam Deus inter Iſraelitas tenebat, jure ſolennis pacti, quo nomen Regis inter eos, & rerum omnium arbitrium, certa conditione, Deo deferebatur. E duplici illa theocratia factum eſt, quod Deus in ſcriptura ſacra, nunc [a] βασιλεὺς τῶν [1] ἐθνῶν & [b] *rex totius terræ*, quandoque [c] *rex Iſraelis*, appelletur. Non eſt mihi animus in præſens de theocratia naturali (quæ vim magnam ſcriptorum exercuit) ſermonem inſtituere. Nempe id ſolum cum re præſente conjunctum eſt, ut theocratiam civilem explicem, quam Deus inter Iſraelitas exercuit, cumprimum Pharaonis jugum exuiſſent. Tunc ipſe Deus rerum ſummæ præfuit, & non modo ſacra, ſed & civilia omnia, nomine & loco regis politici, rexit & adminiſtravit. Huc ſpectant [d] *Sirachidis* illa, Ἑκάστῳ ἔθνει [2] κατέστησεν ἡγούμενον ὁ Θεός, [3] καὶ μερὶς Κυρίου Ἰσραήλ ἐστι. *Unicuique genti Deus præſidem dedit, Iſrael autem Dei portio eſt.* Senſus eſt, ſicut cæteræ gentes a regibus ſuis, ita populus Hebræus, & ejus rectores, a Deo regebantur & ducebantur. Quamvis itaque *Moſes* & ſeniores cum imperio aliquo præeſſent Iſraelitis, *Joſephus* regimen illud non ἀριστοκρατίαν ſed Θεοκρατίαν conſultus appellavit; quod illi vicarium tantum imperium gererent, & juxta Dei reſponſa vel præcepta rempublicam adminiſtrarent.

Præſentis inſtituti ratio quadruplex.

HANC autem imperii formam ſermone uberiore perſequi, conſultum habeo, (1°.) Quod nemo, de hoc argumento, niſi carptim & aliud agens, hactenus diſſeruerit; unde ſpes mihi non dubia, me rem ſactutum lectori non ingratam, ſi in eo nonnihil operæ collocarem. Juvat etiam in ubere meſſe, nullius falce tacta, laborare. (2°) Theocratia illa locum principem tenuit inter media extraordinaria, ad idololatriam abolendam adhibita, de quibus capite proximo ſermonem feci. Hoc rerum eventus aperte docet: cum enim rerum arbitrium teneret Deus, & Judices omnia Dei nomine & vice miniſtrarent; nuſquam legimus quenquam notæ clarioris virum ad idola deſciviſſe, vel Judices illos præcepto vel exemplo morum corruptelam induxiſſe. Cum autem reges populo præficerentur, e ſacris annalibus appareat, Iſraelitas, regum exemplo corruptos, a Dei lege & majorum pietate ſæpe deſeciſſe. Deinde, dum Θεοκρατία illa

a *Apoc.* 15. 3. *Jer.* 10. 7. b *Pſal.* 47. 2. c *Zephan.* 3. 15. d Cap. 17. 17.

1. Juxta lectiones *Velesianas*, αἰώνων, quod *Millius* omnino genuinum eſſe arbitratur. Vid. *Prolegom.* N° 509.

2 *Exemplar. Vatican.* κατέστησεν.

3. *Editio Complutenſis* ita ſe habet, καὶ προσελάβετο τὸν Ἰσραὴλ ἑαυτῷ μερίδα, ὃν πρωτόγονον, ἔστι παιδεύει παιδείᾳ, καὶ μερίζων φῶς ἀγαπήσεως, οὐκ ἀνίησιν αὐτόν.

duraret

Sect. I.

duraret, & Deus regis locum occuparet, idololatriæ duplex crimen audiit, & non tantum *apoſtaſia*, ſed & *rebellio* [peccatum in ſecundum ſimul & qointum mandatum] habita eſt. Ideoque credi par eſt, Iſraelitas omnes, ullo pietatis ſenſu tactos, idololatriæ præcipue crimen fugere voluiſſe, quo tabola legis utraque frangebatur. (3°.) Ideo etiam in hoc dicendi campo vires noſtras experiri viſum eſt, quod e theocratia penitius intellecta multum lucis accedet legibus & inſtitutis Moſaicis, ad quorum explicationem conatus & ſtudia noſtra jam diriguntur. (4°.) De hoc ſacro regimine ex profeſſo jam diſſerendum eſt, ut objectioni e ſupra dictis oriundæ cumulate ſatisfiat, & ἀσύστατα locuti minime videamur. Nam in libri noſtri limine dictum eſt, *Moſis* leges & ritus inſtitutos fuiſſe, præcipue ut idololatriæ obicem ponerent, & Iſraelitas a *Zabiiſmi* peſte puros conſervarent: cum tamen a *Moſe* multa ſancita fuerint, quod œconomiæ & regiminis tunc obtinentis ratio & decorum ita poſtularent.

Methodus in ſequentibus obſervanda.

Quo vero methodice procedat ſermo, quæ jam dicturi ſumus ad hæc capita generalia revocabimus:

Primo: probatum dabimus, Hebræorum regimen, ſtatim ab exitu ex Ægypto, theocratiam fuiſſe, & Deum, cum regis nomine & poteſtate, populo illi præfuiſſe.

Secundo: regiminis hujus conſtituendi formam & modum e collatis ſcripturæ locis elicere conabimur.

Tertio: theocratiæ conſtituendæ cauſas inveſtigare conabimur.

Quarto: agemus breviter de illius exordio, duratione, & abrogatione.

Quinto: de iis etiam *Moſis* inſtitutis, quibus hæc imperii forma cauſam dedit.

Sexto: hæc omnia ad objectionis modo dictæ ſolutionem breviter accommodabimus.

C A P. I.

Probatur Hebræorum regimen primitus theocratiam *fuiſſe, & Deum, cum Regis nomine & poteſtate, populo illi præfuiſſe.*

TOTUM hunc mundum, qua late patet, Dei imperio obnoxium eſſe, cumque unum מלך העולם [1] *regem mundi*, [a] ſcriptura dicit, & nemo mentis integer unquam dubitavit. Cum autem gens Hebræa in Dei peculium electa eſſet, Deus imperio peculiari iis præeſſe, & *rex mundi* ſimul & *Iſraelis* appellari, non dedignatus eſt. Ut huic aſſertioni fidem & lucem afferam, oſtendam, (1°.) Regimen Hebræorum theocraticum fuiſſe, & Deum nomen & poteſtatem regiam inter eos habuiſſe. (2°.) Qualis rex Deus erat Iſraelitis. (3°.) Qua ratione principatum illum adminiſtravit Deus, cum ipſe in cœlis ageret.

S E C T. I.

Deum poteſtatem vere Regalem inter Hebræos habuiſſe, probatur teſtimoniis & aliis argumentis.

Dei poteſtas regia probatur, Teſtimoniis factis.

DEUM unum Hebræorum regem fuiſſe, & imperium abſolutum inter eos exercuiſſe, teſtimoniis & apertis poteſtatis ſuæ regalis indiciis evinci poteſt.

Inter teſtimonia, locum primum jure merito Scripturis hoc aperte teſtantibus aſſignamus. Inter eas autem elucet maxime locus ille celebris, *Judic.* 8. 22, 23. Ubi Iſraelitæ, a Midianitarum jugo *Gideonis* virtute liberati, principatum & imperium ei poſteriſque ſuis obtulerunt; dicentes, *dominare tu in nos, & filius filii tui, quia liberaſti nos de manu Midian.* Ille vero conditionem oblatam reſpuit, dicens, *non dominabor in vos ipſe, nec dominabitur in vos filius meus,* ſed *dominabitur in vos Dominus.* E quibus apparet, Iſraelitas imperium & principatum *Gideoni* obtuliſſe; *Gideonem* autem principatum, tanquam rem ſacram & ſoli Deo propriam, repudiaſſe. Porro, Deum in gente Iſraelitica principatum tenuiſſe pateat, quod *Samuelem* [populi regem poſtulantis vota moleſte ferentem] ita conſoletur; [b] *audi vocem populi in omnibus quæ lo-*

a *Dan.* 4. 24. *Pſal.* 47. 2.   b 1 *Sam.* 8. 7.

1 *Daniel.* 4. 24. legitur *Chaldaice* עליא & מלכא (juxta *Maſorethas* עלאה) *rex excelſus. Pſal.* 47. 2. מלך על כל - הארצ *rex - ſuper totam terram.* Mentio quidem facta eſt Jehovæ מלך לעולם regis mundi, *Pſal.* 29. 10. & מלך עולם *Jer.* 10. 10.

SECT. I. *quuntur tibi, quia non te ſpreverunt, ſed me ſpreverunt*, ממלך עליהם. τοῦ μὴ βασιλεύειν ἐπ' αὐτῶν, *ne regnem ſuper eos*. His indicar Deus, ſe gentem Iſraeliticam hactenus gubernaſſe, & poteſtatem regis civilis inter eos exercuiſſe. Hinc perſpicue diſcimus, cur ſolium cui *Salomon* inſedit, [a] *ſolium Domini*; regnum quod ejus poſteri tenuerunt, [b] *regnum Domini*; judicium quod populi principes ferebant, [c] *judicium Domini*; vocentur: quod ſcilicet, ante reges exortos in Iſraele, hæc omnia Dei, tanquam ſummi regis, fuerint, & ab eo ad reges & principes Hebræorum dimanarint.

Et humanis. NEQUE ſacrorum tantum oraculorum, ſed & veterum ſcriptorum, teſtimonia, huic veritati præſidium præbent. Inter eos *Joſephus* qui *Moſem* inducit ſic Iſraelitas [d] alloquentem; Ἀριστοκρατία μὲν -- κράτιστον, καὶ ὁ κατ' αὐτὴν βίος. Καὶ μὴ λάβοι πόθος ὑμᾶς ἄλλης πολιτείας, ἀλλὰ ταύτην στέργοιτε, τοὺς νόμους ἔχοντες δεσπότας, καὶ [1] κατ' αὐτοὺς ἕκαστα πράττοντες. Ἀρκεῖ γὰρ ὁ Θεὸς ἡγεμὼν εἶναι. i.e. *Optimum quidem* vobis eſt *optimatum regimen, & in ſic adminiſtrata republica vivere; nec eſt cur alterius politiæ formæ deſiderium vos accipiat: ſed præſtat, ut hac contenti, in legum & veſtra ipſorum poteſtate ſitis. Satis enim eſt Deum habere gubernatorem.* Et paulo poſt, ſic *Moſem* belli leges populo præſcripſiſſe [e] dicit; στρατὸν ἐπ' αὐτοὺς ἀγάγετε, στρατηγῷ μὲν αὐτοκράτορι χρώμενοι τῷ Θεῷ, ὑποστρατηγὸν δὲ χειροτονήσαντες ἕνα [2] τῇ ἀρετῇ προὔχοντα: *Exercitum contra eos* [hoſtes] *educite, ſummum imperium Deo committentes; ſed creantes unum aliquem virtute præcellentem, qui vicarius ſit ei, & quaſi proimperator.* Hanc etiam veritatem ratam certamque facit [f] *Theodoritus*, qui formam adminiſtrationis publicæ, apud Hebræos antiquitus obtinentis, ſic depingit; ὁ δεσπότης Θεὸς, καὶ Θεοῦ καὶ βασιλέως ἐπλήρου τὴν χρείαν. ὁ δὲ προφήτης ὑπουργὸς ἦν, οἷόν τις ὕπαρχος, ἢ στρατηγὸς, ἢ δήμαρχος. *Dominus Deus, & Dei & regis implebat munus. Propheta vero* [Samuel] *erat adminiſter, & veluti quidam præfectus, aut magiſter militum, aut tribunus plebis.*

Poteſtatis etiam regiæ ſignis, in Scriptura memoratis. DEUM inter Hebræos regis politici munus obiiſſe, fidem faciunt jam adducta teſtimonia: hoc etiam e poteſtatis ſuæ regiæ ſignis & indiciis paulo luculentius evinci poteſt.

1. INTER ea primo recenſeri debent actiones illæ, regio tantum faſtigio conſentaneæ, quæ in ſcriptura ſacra Deo aſcribuntur. Eas autem, vel earum præcipuas, his verbis complexi ſunt Iſraelitæ; [g] *rex nobis præſit*, -- qui *judicet nos*, -- *& egrediatur in conſpectu noſtro, & pugnet bella noſtra:* & hæc omnia Deus præſtitit, cum inter Iſraelitas imperii clavum tenuit: nempe (1°.) Populum ipſe judicavit: ille enim [h] leges (judicii normas) in monte *Sinai* dedit, quas etiam, principum ritu, pœna & mercede vitam hanc caducam ſolummodo ſpectantibus confirmavit: ille controverſias omnes graviores circa res ſacras aut civiles reſponſis ex [i] oraculo datis determinavit: ille pœnas edixit legum ſuarum [k] tranſgreſſoribus irrogandas: Deus in [l] cauſa filiarum *Zelophehad* ſententiam tulit, & hæreditatum jura definivit. (2°.) Deus egreſſus eſt in conſpectu populi. Senſum meum ſatis explicant & confirmant illa *Moſis* verba, Numer. 14. 14. *Audiverunt* Ægyptii *quod tu Domine* ſis *in medio populi iſtius, quod oculo ad oculum conſpectus ſis, quod nubes tua ſteterit ſuper eos, quod ambulas coram iis in columna nubis interdiu, & in columna nubis noctu.* (3°.) Gentis illius bella pugnavit. Hoc aperte dicit *Joſhua*, Cap. 23. 3 & 10. Et ut verbis ſuis fidem aſtruat, incurſus illos hoſtiles enumerat, a quibus, ſummi numinis auſpiciis, liberati fuiſſent. Hinc Deus [3] *Triumphator Iſraelis* audit in Hiſtoria ſacra, 1 *Sam.* 15. 29. Sed ſi *Joſhua* tacuiſſet, inde facile cognoſcatur Deum gentis illius bella pugnandi provinciam ſuſcepiſſe, quod arca, præſentiæ divinæ ſymbolum, agmina ſua plurimum [m] præcederet; quod ipſe in tentorio ageret; & imperatoris more, per caſtra [n] ambularet, cum Iſraelitæ in tentoriis & armis verſarentur.

2. SECUNDO: loci regii ſigna ſunt, prærogativæ & *jura*, quæ vocant, *majeſtatis*, Deo uni reſervata. Ille enim *judices*, proreges & vicarios ſuos, cœleſti aliquo indicio vel immediato [o] Spiritus ſui impulſu, ſubinde conſtituebat: [p] nulli ad muneris alicujus publici exercitium ſine Dei conſenſu evehebantur: ſicli dimidium tributi loco quotannis accipiebat, quod & omnes annum vigeſimum ſupergreſſi, Deo, tanquam regi ſuo, ſol-

a 1 *Paral.* 29. 23. b 2 *Par.* 13. 6. & 8. c *Deut.* 1. 17. d *Antiq. Judaic.* l. 4. c. 8. p. 164. 10.
e Ib. p. 172. 40. f In 1 *Reg. Quæſt.* 14. T. 1. p. 239. g 1 *Sam.* 8. 19. 20. h *Nehem.* 9. 13.
i *Exod.* 18. 19. & *Num.* 7. 89. k *Levit.* 24. 12. & *Num.* 15. 35. l *Num.* 27. 7, 8. 9. m *Num.* 10. 33.
n. *Deut.* 23. 14. o *Jud.* 3. 10. p *Deut.* 16. 18. & 17. 15. *Hoſ.* 8. 4. *Num.* 11. 16. 17.

1 In lectionibus *Bignii* & *Exemplari Sambuci*, κατὰ τούτους.

2 Apud *Hudſon.* τὸν, & lectiones *Vatican* ἐπ' ἀρετῇ.

3 נצח potius *æternitas* ſeu *robur*.

vere

vere tenebantur: [a] fœdera nulla cum gentibus vicinis ineunda, niſi licentiam a Domino prius impetraſſent: bella [b] nulla gerenda erant, eum Dei conſilium nondum expectaſſent: leges novas ſanciendi poteſtas ſemper manebat penes ipſum Deum: & (ne multis immorer) ad Dei ſolius arbitrium judiciumque, ſumma rerum & conſiliorum omnium perpetuo rediit. SECT. I.

3. Tertio: tituli regii Deo in ſcripturis tributi, clara ſunt poteſtatis ſuæ regiæ documenta. In iis enim Deus המלך *Rex ille* paſſim appellatur: ut 1 *Sam.* 12. 13. *Jerem.* 51. 57. *Pſal.* 149. 2. *Hoſ.* 13. 10. & מלך רב ὁ μέγας βασιλεὺς, *Pſal.* 48. 2. *Mat.* 5. 35. Eundem titulum Deo tribuit Chaldæus *Paraph.* in *Cantic.* 1. 11. ubi inquit, *Moſes magiſter eorum*, Iſraelitarum, *aſcendit ad æthera, & pacem conſtituit* בינהון ובין [1] מלבהון *inter eos & regem eorum.* Nec tantum nomen מלך ſed & אלהים (Deo ſæpius in ſcriptura tributum) docet, eum poteſtate regia vel imperatoria Hebræorum genti præfuiſſe. Quantum enim e vocis illius uſu in Scriptura colligatur, אלהים dignitatis & potentiæ principalis nomen eſt, & proprie perſonas poteſtate aliqua ſingulari donatas indicat. Nam nomen illud, angelis, principibus, Judicibus, & magnatibus, ſæpius in Scriptura datum eſſe, multis exemplis probare poſſem; niſi quod rem hanc quivis Hebraice vel mediocriter doctus norit, & provinciam illam ſatis ornarint, [c] *Schindlerus*, [d] *Fortunatus Scacchus*, aliique. Nec eſt cur quiſpiam ſuſpicetur, Scripturam id nominis Deo [non quatenus Hebræorum tantum, ſed] quatenus orbis terrarum domino regique tribuiſſe: omnem enim ſuſpicionis illius occaſionem tollunt ea *Moſis* [e] verba, את - יהוה האמרת היום להיות לך לאלהים *Elegiſti Jehovam hodie, ut ſit tibi Elohim.* E quibus prompte colligitur, *Jehovam*, nomen divinitatis, & Deo uni proprium, [2] *Elohim* autem [f] dignitatis, imperii vel poteſtatis, titulum fuiſſe, & aliquid Deo cum aliis magiſtratibus commune ſignificaſſe. In quo dignitatis hujus ratio poſita fuerit, & quid poteſtatis illius vigore Deo conceſſerint Iſraelitæ, Moſes his verbis explicat, *ut ambules in viis ejus, & cuſtodias ceremonias illius, & mandata atque judicia, &* [3] *obedias ejus imperio:* nempe hæc verborum forma Deum ut regem reſpicit, & Iſraeliticæ reip. regimen, una cum leges conſtituendi jure & auctoritate, Deo tribuit.

Hic una nobis occurrit objectio, qua veritatis hujuſce fides labefactari & concuti poſſe videatur. Petitur autem e celebri [g] illo ſcripturæ loco *legem præcepit nobis* Moſes *hæreditatem eccleſiæ* Jacob, *& fuit rex in* Jeſurun, id eſt, *in Iſrael*, ſi quid fidei Judæi & Chriſtiani plerique mereantur. Atque inde (ni fallor) anſam arripuit [h] *Philo*, Moſem ἄριστον βασιλέα καὶ νομοθέτην, *optimum regem & legislatorem*, appellandi. Cum itaque ſcriptura *regis* titulum Moſi tribuat, ſumma imperii penes eum, non Deum, fuiſſe, & ille ſolus Iſraelitas jure regio gubernaſſe, putetur. Objectio I

Sed difficultas, quam ex hoc loco nectunt adverſarii, non multo negotio expediatur. Moſes enim *rex* dictus eſt, quod ſummam, poſt Deum, in Iſraele poteſtatem exerceret, & ex eo uno penderent omnia: ſed nihil inde de Dei jure & auctoritate regia detrahebatur, cum Moſes non eſſet rex ἀνυπεύθυνος, ſed omnia Dei judicio ſe gerere profiteretur, & nihil tam impenſe deſideraret, quam ut ſua omnia in ſummi regis honorem cederent. Solvitur.

Si hæc omnia diligenter expendamus, [i] *Joſephi* verbis calculum libenter adjiciemus; Ἄπειροι μὲν αἱ κατὰ μέρος τῶν [4] ἐθνῶν καὶ τῶν νόμων παρὰ τοῖς ἅπασιν ἀνθρώποις διαφοραί. *Innumeræ ſunt particulatim* gentium *& morum apud omnes homines differentiæ.* Οἱ μὲν γὰρ μοναρχίαις, οἱ δὲ ταῖς ὀλίγων δυναστείαις, ἄλλοι δὲ τοῖς πλήθεσιν ἐπέτρεψαν τὴν ἐξουσίαν τῶν πολιτευμάτων. *Alii ſiquidem monarchiis, alii oligarchiis, alii vero democratiis, reipublicæ poteſtatem commiſerunt. Noſter autem legislator, nihil horum intendens,* Θεοκρατίαν [5] ἀπέδειξε τὸ πολίτευμα, Θεῷ [6] μᾶλλον μόνῳ τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ κράτος ἀναθείς, *politiam noſtram,* Θεοκρατίαν [*divinum imperium*] *declaravit, Deo præcipue principatum aſſignans & potentiam.*

a *Joſ.* 9. 14, 16. *Judic.* 1. 1. b *Judic.* 20. 18, 28. c *Lexic. Pentagl.* col. 79. d *Myrother. ſacr.* P. 2. Cap. 52. e *Deut.* 26. 17. f *Ubicunque* eſt אלהים in *Hebræo*, *ſignificat imperium*. Grot. in Exod. 20. 2. g *Deut.* 33. 4. h *De Vit. Moſ.* lib. 3. p. 681. C i *Contr. Apion* lib. 2. p. 1376. 35.

1 מלבהון in loco laudato nulla eſt mentio de *rege*: in verſu 14. legitur. *oravit coram Domino & placavit pro filiis Iſrael.*

2 Vid. pag. 37.

3 *Deut.* 26. 17. לשמע בקלו *audias vocem ejus.*

4 *Hudſon* legit. ἐθῶν ex *Euſebio* in lib. 8. de *Præp. Evang.* c. 8. p. 361.

5 Apud *Euſeb.* ἀπέγραψε.

6 *Hudſon* [*Euſebii* auctoritate fretus omittit μᾶλλον μόνῳ

Sect. II.

S E C T. II.

Qualis Rex Deus erat Iſraelitis.

Deum regem fuiſſe, DEUM olim regis officio functum fuiſſe, teſtimoniis & regii ſui muneris indiciis ita ſancitum arbitror, ut cuivis æquo lectori ſatisfaciant. Ut ordinem dicendi mihi datum teneam, oſtendam proximo, *qualis rex Deus eſſet Iſraelitis.*

Politicum. Dico itaque primo (quod non ſemel dixi) Deum regem *politicum* fuiſſe, & rerum Iſraeliticarum cum Sacrarum tum civilium curam & regimen habuiſſe. Hoc argumentis haud facile refellendis, Sectione ſuperiori probaſſe videar: ne tamen Diſſertationis pars aliqua diligentiam meam deſideret, aut jam dicta fide firma careant, hæc duo jam adductis ſubjungam argumenta.

(1°.) Deum regis politici locum in gente Iſraelitica tenuiſſe pateat, quod in inſtitutis ejus haud paucis, regum morem & ritum imitari videatur. Verborum meorum fidem liberabunt inſtituta illa plurima, regii moris imitamina, de quibus *Cap.* 5. ſermonem magis opportunum habeamus. Quid autem Deus tot inſtituta moris & apparatus regii formam & imaginem gerere voluerit, niſi quod muneri ſuo regio convenirent; & inde daretur intelligi, Deum gentis totius regem eſſe, eique non tantum ut Deo, ſed etiam ut regi, reverentiam & obſequium exhibendam?

Secundo: liquidum eſt, ante regum tempora, Judices & magiſtratus omnes poteſtatem tantum vicariam & Deo obnoxiam exercuiſſe. Nam (1°.) Iis nulla regiæ [i.e. arbitrariæ & abſolutæ] poteſtatis inſignia geſtare conceſſum fuit. *Saulus*, qui primus regis nomen geſſit in Iſraele, [a] *corona & armillis*, loci regii ſignis, ornatus prodiit: ea vero, inde uſque a *Moſis* ætate, nemo Judicum geſſerat; quid autem, niſi quod poteſtatem tantum delegatam haberent, & ſummi regis perſonam ſuſtinerent? (2°.) Hujus etiam vicariæ poteſtatis argumentum eſt, præceptum quod *Joſhua*, & in illius perſona, Judicibus aliis datum legimus, *Numer.* 27. 21. *Stabit coram* Eleazare *ſacerdote*, qui *interrogabit pro eo juxta judicium Urim coram Domino: juxta ſermonem ejus egredientur, & juxta ſermonem ejus ingredientur, ipſe, & omnes filii Iſrael.* Ex hoc præcepto pateat, *Joſhuam* & alios *Judices* cum imperio tantum limitato in rep. verſatos fuiſſe, nec rem ſuo arbitratu gerere potuiſſe: nam ingreſſus & egreſſus ſuos ad normam oraculi divini dirigere tenebantur: (3°.) *Judices* pompæ & faſtigii regii ſigna omnia, tunc temporis uſitata ſtudioſe declinaſſe videantur. Non enim alebant ingentem ſatellitum copiam, ut, regum ritu, μετὰ πολλῆς φαντασίας in publicum prodirent; nec tributa vel vectigalia, ad loci ſui dignitatem ſuſtentandam, exigebant: nullas domos eburneas, apparatu regio inſtructas, habuere; nec inſanas aliquas ſubſtructiones moliti ſunt, [b] *in regni* domos *& majeſtatis* ſuæ regiæ *gloriam*: non [c] equos & quadrigas, aut ingentem concubinatum catervam, juxta regum orientalium conſuetudinem, ſibi compararunt: nec *reges* (quibus ſummum eſt & unicum imperium) ſed *Judices* appellari ſunt, ut ipſe titulus indicio eſſet, eos, non tam imperandi, quam juxta legis normam judicandi, & ſententias a Deo latas exequendi, poteſtatem ſumere. Quid autem *Judices* omnia, regiæ poteſtatis imaginem præ ſe ferentia, tam ſolicite repudiarent, niſi quod Deus rex eſſet, & ipſi vicaria & delegata tantum præfectura deſungerentur? (4°.) *Judices* poteſtatem limitatam & a Dei nutu dependentem habuiſſe, ſatis e populi votis & verbis innoteſcat. Cum enim, regis ſui cœleſtis pertæſi, novam regiminis formam poſtularent; regem ſibi præficiendum deſiderarunt, ככל הגוים *ſicut omnes* in vicinia *gentes*, h.e. (prout ſenſum eorum interpretatur [d] *Abarbanel*) *qui rex eſſet ſimplicem & abſolutam habens poteſtatem*; qui, regum vicinorum more, omnia pro arbitrio ſuo moderari poſſet, nec, *Judicum* ritu, a regis ſuperioris nutu & conſilio dependeret: nam hujuſmodi regimen, tanquam a gentis ſuæ dignitate alienum, ægre tuliſſe videntur Iſraelitæ.

Militarem. Secundo: Deus rex erat *militaris*, qui Iſraelitis in terram promiſſam tendentibus, ſe ducem & imperatorem præbuit. Nam Iſraelitæ in deſerto, ducibus atque armis inſtructi, in quatuor etiam agmina generalia diviſi, exercitus ingentis ſpeciem ferebant; & Deus in eo ſummi ducis titulum gerere & munus obire dignabatur.

(1°.) In exercitu Iſraelitico Deus ipſe ſummi ducis titulum gerere dignabatur.

a 2 *Sam.* 1. 10. b. *Dan.* 4. 30. c. 1 *Reg.* 1. 5. 2. *Sam.* 15. 1. d *Comment.* in 1 *Sam.* 8.

Prout

Sect. II.

Prout enim copiæ Iſraeliticæ יהוה צבאות [a] *exercitus Domini*; ſic & ipſe Deus, יהוה צבאות *Dominus exercituum* vocabatur. Nam fallor maxime, vel Deus hoc titulo toties inſignitur, non quod in exercitus [b] cœleſtes & terreſtres imperium habeat, (quamvis hoc nemo ſanus inficias ibit) ſed quod in exercitu Iſraelitico ſummi ducis nomen & officium olim tenuiſſet. Deum inde titulum illum acquiſiviſſe probant *Pſalmiſta* [c] illa, *elevate portæ capita veſtra, & elevate vos oſtia perpetua, & introibit rex gloriæ. Quis eſt ille rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens bello. Elevate portæ capita veſtra, —— & rex gloriæ introibit. Quis eſt ille rex gloriæ? Dominus exercituum, ipſe rex gloriæ.* Quibus verbis apparet, titulum illum [*Dominus exercituum*] Deo adhæſiſſe, quod *bello potens* eſſet, & potentiæ ſuæ bellicæ tot glorioſa ſpecimina, in deſerto cumprimis, edidiſſet. *In deſerto*, conſultus dixi: nam hoc Pſalmo veteres Iſraelitæ celebraſſe videntur adventum arcæ in templum, quæ Dei vicem in deſerto geſſit, & populo ſigna collaturo præire ſolita eſt. Hanc conjecturam paulo firmiorem reddit locus [d] ille *Samuelis*, ubi ſermone de arca reducenda facto, vocatur *arca Domini*, *cujus nomen eſt Dominus exercituum, qui habitat inter Cherubinos:* Quid enim, eo in loco, Deus, *Dominus exercituum* appellatur, niſi quod Deus id ſibi nominis acquiſiviſſet in deſerto, ubi ſe bello potentem præſtabat, & arca (præſentiæ ſuæ ſymbolum) agmina pugnam initura ducere, & eandem cum iis belli aleam ſubire videbatur? Res hæc paulo clarior evadet e *Propheta* [e] verbis: *omnes aſcendent ab anno in annum, ut adorent regem, Dominum exercituum, & celebrent feſtum tabernaculorum: & erit, qui non aſcenderit e familiis terræ, ad Hieroſolymam, ad colendum regem Dominum exercituum, non erit ſuper eos imber.* His autem verbis, *rex* & *Dominus exercituum*, quin & *adorare regem Dominum exercituum* & *celebrare feſtum tabernaculorum*, immediate conjunguntur, & tanquam voces ſenſus & momenti conſimilis uſurpantur. Eſt autem perſuaſio facilis, Prophetam ſic locutum fuiſſe, quod unus Deus ſe regem & dominum exercituum Iſraelitis in deſerto præſtitiſſet; quod etiam feſtum tabernaculorum inſtitutum fuiſſet in memoriam, non tam populi per deſerta ducti, quam Dei (ducis ſui) in tentorio habitantis; & proinde quilibet, illius feſti cultu, *regem Dominum exercituum* colere crederetur. Cum in his ſimus, non alienum eſſe videtur, cauſam reddere, cur *Zachariah*, longe frequentius quam cæteri prophetæ, Deo titulum illum [*Dominus exercituum*] tribuiſſe cenſeatur. Niſi me fallo, *Zachariah* hanc phraſin frequentius uſurpavit, quod in eo rerum articulo propheta miſſus eſſet, quo Judæorum ſtatus a patrum ſuorum in Ægypto & deſerto commorantium, conditione non multum diſcrepavit. Nam Judæorum *Babylon* (ſi vel idola ſpectemus aut incommoda) cum patrum ſuorum Ægypto & deſerto nimis apte conveniebat: Judæi multi in *Babylone*, æque ac Iſraelitæ in Ægypto, mente concidebant, & ſibi non minus a ſpe quam re omni derelicti videbantur: Judæi e *Babylone*, prout patres olim ex Ægypto, jam redimendi erant, & in terram promiſſam inducendi: hæc redemptio difficultatibus tam ſimilibus impedita erat, quod eam prædicat *Zachariah*, verbis ab hiſtoria liberationis ex Ægypto clare mutuatis; [f] *& reducam eos de terra Ægypti*, &c. *Et tranſibit* populus *in maris freto, & percutiet* Deus *in mari fluctus, ſiccabuntur etiam omnes alvei fluminis*, Euphratis nempe, Jordani hic ex adverſo reſpondentis: *Tobiah*, *Sanballat*, aliique multi Judæorum hoſtes infenſiſſimi, hoſtibus in deſerto paralleli, vi omni connixi ſunt, eorum reditum aut res proſpere ſuſceptas impedire. Huic itaque rerum conditioni congruum erat, ut Propheta titulum illum antiquum, rerum in deſerto geſtarum monimentum, Deo ſæpe tribueret; ut eorum animos erigeret & fidem firmaret, quibus omnia, de proſpero Judæorum ſtatu & inſtante redemptione prædicta, fabulis forſan & [g] ſomniis affinia videbantur. Sed ad inſtitutum præſens paulo propius accedamus.

(2°.) Deus, non tantum ſummi ducis titulum gerere, ſed & munus obire dignabatur. Nam ille ſe perpetuum exercitus Iſraelitici comitem in deſerto præbuit: in tentorio regio, regum militantium ritu, per multos annos [h] *ambulavit:* ipſe cum Iſraelitis in bellum prodiit, & hoſtes eorum potentiſſimos bello ſuperavit: ille הולך בתוך מחנים (uti loquitur *Bechai*) *in medio caſtrorum ambulans ad particularia quæque provide attendit*, & omnia conſilium in loco poſtulantia reſponſis ſuis præſens expedivit.

Tertio: Deus rex erat *cœleſtis* Iſraelitis, & ab iis eo nomine colebatur. Ita nempe lege curatum eſt, ut ritus & inſtituta, Dei cultum ſpectantia, ſemper aliquid Et cœleſtem.

a *Exod.* 12. 41. b *Geneſ.* 2. 1. c *Pſal.* 24. 7, 8, 9, 10. d 2 *Sam.* 6. 2. e *Zachar.* 14. 16. 17. f *Zachar.* 10. 10, 11. g *Pſal.* 126. 1. h 2 *Sam* 7. 6.

SECT. III.

regum mortalium forte ſublimius & auguſtius olerent, & eodem tempore Jehovæ tribuerent infirmitatem regis & majeſtatem Dei; nempe, ut hac ratione ſenſus & affectus majeſtati cœleſti conſentanei populo incuterentur, & legis inſtitutis non minus Dei honori quam plebis imbecillitati conſultum eſſet. Hoc multis exemplis oſtenſuri ſumus, ut primum ſermonis noſtri methodus occaſionem dederit.

SATIS e jam dictis elucet, Iſraelitas Jehovam, *ſummi regis*, *imperatoris*, *& Dei* loco habuiſſe, eumque tribus hiſce titulis coluiſſe. Tres illi tituli conjunctim occurrunt *Pſal.* 84. 4. *Hirundo nidum ſibi invenit quo pullos ſuos poneret, nempe altaria tua, Domine exercituum, rex mi, & Deus mi:* verbis etiam [a] Prophetæ, *ſic dicit Jehovah, rex Iſrael, & redemptor ejus, Dominus exercituum, primus ego & noviſſimus, & præter me non eſt Deus:* Pſalmo inſuper 48. 2. & 9. *Gaudium univerſæ terræ mons Sion, ad latus Aquilonare civitas regis magni: ſicut audivimus in civitate Domini exercituum, in civitate Dei noſtri.*

S E C T. III.

Qua præcipue ratione, cum Deus in cœlis ageret, principatum ſuum adminiſtravit.

Deum quatuor mediis Iſraelitas gubernaſſe.

DOCENDUM tertio, qoa præcipue ratione rex ille cœleſtis regnandi provinciam adminiſtravit. Ne itaque ad rem tam claram & facili reſponſo expediendam per ambages eam, dico,

(1°.) DEUM rexiſſe populom per *leges judiciales* a ſeipſo traditas. Deus ipſe, more principum, leges & judicia populo ſuo dederat, & earum adminiſtratio præcipuum erat Dei regnantis argumentum. Erant enim leges illæ voluntatis ſuæ regiæ monumenta, & rectæ rationi (proutres tunc habebant) apprime conſentaneæ. [b] *Samuel* itaque prudens monuit, Judicibus rerum ſummam habentibus, regnaſſe Deum; quod tunc temporis lex, æqui juſtique regula, dominata eſſet: imperio vero ad reges translato, Deum non ultra regnaturum; cum rerum arbitrium futurum eſſet non penes legem Dei, ſed voluntatem homiois unius, more regum ethnicorum, pro libidine ſua dominantis. Deus tunc regis dignitate functus eſt & imperium tenuit, com Judices populo præeſſent, qui lites inter ſuos ottas, ex lege, vel æquo & bono, determinarunr. At ſolio pene detruſus erat, com gubernacula tenerent illi, qui populum ſuo rexerunt arbitratu, & ſibi jus (non dicendi, ſed) dandi licentiam arripuerunt.

(2°.) DEUS Iſraelitas rexit *oraculis*, & reſponſis extra otdinem datis, com nodus aliquis incideret ſe vindice dignus. Nam oraculum tabernaculi vel oraculum *Urim* conſultum ibant, cum eos urgerent mala vel dubia aliqua graviora. Iſraelitas conſilium ab oraculo tabernaculi quandoque petiiſſe, ſatis e verbis *hiſtorici ſacri* cognoſci datur; *Judic.* 20. 18. *Aſcenderunt ad domum Domini, conſuluerunt que Deum, atque dixerunt, quis* erit in exercitu noſtro *princeps certaminis contra filios Benjamin?* Eos hic ad *oraculum tabernaculi* ſe contuliſſe, dubitari vix poteſt, cum *ad domum Domini aſcendiſſe*, & ibi Deum conſuluiſſe, dicantur. Idem caput oraculi *Urim* conſulti teſtimonium haud obſcurum præbet, nempe verſu 27. ubi verba ſic ſe habent, *& interrogarunt filii Iſrael Dominum, & Area fœderis* fuit *ibi in diebus illis: &* Phinehas *filius* Eleazar -- *ſtetit coram ea, -- dicens, an egrediar iterum ad bellum cum filiis Benjamin?* Oraculum *Urim* eo loci conſultum fuiſſe, me perſuaſum habeo; quod oraculum illud ad res præcipue bellicas moderandas inſtitutum eſſet, & qood in oraculo illo conſulendo, juxta ritus *Urim*, miniſterio *Phineazi* ſacerdotis uterentur. Com autem regnum haberet Deus, Iſraelitæ ab oraculo hoc vel illo, in belli præſertim negotio, conſilium petere tenebantur. Bis itaque in bello magnam cladem a Benjamitis acceperunt, quod Dei oraculo nondum conſulto prælium cum illis iniiſſent; nec [c] res proſpere geſta eſt, priuſquam culpam illam correxiſſent.

(3°.) DEUS *regendi munere* fungebatur, ſacerdotes, pontificem imprimis, ordinarios regni præſides conſtituendo, qui vice ſua judicia legis exercerent. Nam, *ſi difficile vel ambiguum aliquod* emergeret, & judicum intra portas opiniones de illo variarent; Iſraelitæ ad ſacerdotes, aut Judicem (ſi quis eſſet) cauſam illam graviorem deferre debe-

a *Jeſ.* 44. 6, 8. b 1 *Sam.* 8. c *V. Judic.* 20. 18, & 28.

bant:

bant: ſacerdotes autem *judicii veritatem iis indicare*, prout & Iſraelitæ eorum ſententils acquieſcere, lege [a] tenebantur. Et hac de cauſa, ni fallat conjectura, *pectorale judicii*, non *Joſhua*, non judici alicui, ſed pontifici ſoli, geſtare conceſſum eſt; quod ſcilicet ille primus eſſet ſummi regis miniſter ordinarius, & præcipuus inter ſacerdotes litium & judiciorum arbiter: æquum enim erat, ut *pectorale judicii*, tanquam muneris locique ſui ſignum & ſymbolum, ei ſoli geſtandum & conſulendum traderetur. Hinc ratio præcipua petenda videtur, cur Deus Hebræorum gentem ממלכה כהנים [b] *regnum ſacerdotale* futurum pollicetur; quod nempe ſacerdotes, ordinarios regni judices conſtituere, & iis primam poſt ſeipſum populi regendi poteſtatem tradere, decreviſſet. Nec commode res aliter ſe habere poterant: cum primis ſeculis ſacerdotes, pingue otium habentes, legum & artium ſcientia præſtarent cæteris, & *Judices* non omni tempore populo præſiderent. Hinc cauſa non levis data *Joſephi* verbis, de lege dictis: [c] *quis ejus quicquam movere poteſt, aut melius unquam adinvenit? aut aliquid ab aliis gentibus tanquam præcellentius, ad ſtatum reipubl. noſtræ transferre poteſt?* καὶ τίς ἂν κάλλιον ἢ δικαιότερα γένοιτο, [1] τὸν Θεὸν μὲν ἡγεμόνα τῶν ὅλων πεποιημένης; τοῖς ἱερεῦσι δὲ κοινῇ μὲν τὰ μέγιστα διοικεῖν ἐπιτρεπούσης, &c. *aut quæ poterit eſſe melior atque juſtior, quam ea quæ Deum quidem principem omnium eſſe confirmat? Sacerdotibus autem in communi quidem res præcipuas diſpenſare permittit, ſummo vero pontifici aliorum ſacerdotum principatum competenter injungit?*

(4°.) Deus *regis* officium præſtitit, viros pietate, prudentia & fortitudine præcellentes, ad res publicas ejus vice regendas evocando, eosque donis propheticis inſtruendo. Cum nempe gentis illius mores in pejus indies laberentur, & populus ſub regis exteri tyrannide laboraret; Deus viros quoſdam prnphericos extra ordinem excivit, qui regni ſtatores eſſent, & auctoritate ſimul & virtute ſua omnia in integrum inſtituerent. Hi שפטים *Judices* dicti ſunt: vel quod titulus ille apud [d] *Tyrios, Phœnices*, alios, ordinis inferioris magiſtratibus tribueretur; vel quod illi leges exequendi potius quam condendi poteſtate gauderent, & locis ſuis conveniret ut, *Judices* potius quam *reges* dicerentur. Neque leges tantum adminiſtrare ſolebant *Judices*, ſed (ſi res exigeret) bellum gerere; ut Iſraelitas, regis ſolius ſupremi ſubditos, a gentium externarum tyrannide vindicarent. Hoc opus alienum erat a muneris ſacerdotalis religione & ſanctitate. Sacerdotes itaque, jus dicentes, Deum qua *regem*; & *Judices*, bella gerentes, Deum qua *Dominum exercituum*; repræſentaſſe videantur.

CAP. II.

De regiminis hujus conſtituendi forma & modo.

CUM Deo viſum eſſet humano more cum Hebræis agere, & *regis* aut *imperatoris* civilis nomen & officium gerere, ſic temporum illorum conditioni ſeſe accommodavit, ut ad munus illud modo & forma in principum electiooc & inaugutatione uſitatis admitti non recuſaret. Nam, Dei inauguratio regia ceremonia quadrupli ci peracta.

(1°.) Deus ipſe, more hominum munus aliquod ambientium, egregia ſapientiæ & potentiæ ſuæ exempla nuper edita populo in memoriam revocat; ut conſtaret neminem *regis* perſonam majore cum dignitate ſuſtinere poſſe. Deinde, *regis* officium ſe gratum & acceptum habiturum, totamque gentem non tantum in curam & clientelam ſuam, ſed & ſinus & intimiores affectus, recepturum, verbis apertis indicat. Nam *Exod.* 19. 4. Deus Moſen ad Iſraelitas miſit, ut nomine ſuo ſic eos alloqueretur: *vos* ipſi *vidiſtis quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi*. Quaſi dixiſſet, „vobis omnibus innoteſcit, me Ægyptios in perniciem veſtram „conjuratos perdidiſſe, currus eorum falcatos fregiſſe, & *Pharaonem* ipſum [regem rei „bellicæ peritia celebrem] cum copiis ſuis omnibus in mari ſubmerſiſſe. Sic vobis „proſpexi, & extra teli hoſtilis jactum, aut incommodi gravioris ſenſum, vos omnes po- „ſui, ut ſuper alas aquilarum vos portaſſe videar. Noſtis etiam quam potenter, ho- „ſtibus licet inviris, vos huc adduxerim, exſiccato etiam mari rubro, ut ſicco & ſecuro „pede huc perveniretis. Hæc fatus, ſubjungit, *ſi ergo audieritis vocem meam, & cuſto-* Prima.

a *Deut.* 17. 8, 9, 10, 11. b *Exod.* 19. 6. c *Cont. Apion.* l. 2. p. 1379. 10. d. *V. Grot.* not. in *Deut.* 17. 9.

1 Apud *Euſeb. Præp. Evangel.* lib. 8. p. 364. D. τὸν τὸν Θ.

dieritis pactum meum, eritis mihi in *peculium de cunctu gentibus: mea* enim eſt *omnis terra, & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta. Hæc ſunt verba quæ loqueris ad filios Iſrael.* Qui locus, inquit, [a] auctor jam laudatus, hunc ſenſum facit: „ſi ergo me in principem & Dominum veſtrum *eligatis*, de legibus vobis „tradendis cogitabo: & ſi mandatis meis *obtemperetis*, & pactum quod vobiſcum ini„bo non *violetis;* præ omnibus terræ populis quibus impero, cum ſim Dominus omnium, „& poſſim alias nationes eligere, vos eritis mea hæreditas, meus populus, in quo regnum „& ſacerdotium -- firmabo; legibus & ceremoniis *quæ talem* remp. *deceant inſtructum* „*& ſtabilitum.*

Secunda. (2°.) CONDITIONEM oblatam accepit, & Deum in *regem* ſuum junctis ſuffragiis elegit populus. Quamvis enim Deus leges figere & refigere, omniaque pro arbitrio ſuo moderari potuit, quoniam tamen, ducum aliorum titu, coloniam Iſraelitarum jam deducturus eſſet, ad eorum imbecillitatem ſeculique forſan conſuetudinem συγκατάβασιν, & ab iiſdem eligi in imperatorem, non dedignatus eſt. Adeo ut gentis illius regimen & imperium, populi conſenſu potius quam eminentiæ ſuæ jure, ad Deum deferri videretur. Cum enim Deus potentiæ & bonitatis ſuæ ſatis exploratæ Iſraelitas admonuiſſet, & eorum in ſe animum pertentaſſet; in contextu additur, [b] *& reſpondit populus, omnia quæ loquutus eſt Dominus, faciemus. Cumque retuliſſet Moſes verba populi ad Dominum, ait* ei *Dominus, jam nunc veniam ad te in caligine*, &c. E quibus liquidum eſt, Deum electionem ſuam in imperatorem ab exercitu Iſraelitico præſtolatum fuiſſe, eum ab Iſraelitis electum fuiſſe, eoſque omnes Dei imperium animo lubenti admiſiſſe. Deus autem, qua erat bonitate, hunc populi conſenſum & electionem non parvi feciſſe videtur: nam, obſervante [c] *Scaccho*, cum Moſes populi conſenſum ad Dominum retuliſſet, Deus, accepto nuncio, ſtatim cum Moſe agere cœpit, de ſeipſo Iſraelitis manifeſtando, de [d] tabernaculo in palatium & habitaculum regium fabricando, & legibus de politia & cultu religioſo ſanciendis. Nam [e] antea, neque populo adparuerat Deus, neque leges ei tradiderat, neque populus eum loquentem audiverat, nec de tabernaculo, aut ſui inter eos habitandi propoſito, vel verbum fecerat.

Tertia. (3°.) DEUS & Iſraelitæ, *regum* & *ſubditorum* titu, mutuo fœdere & promiſſione ſibi invicem aſtringebantur. Nam Deus, ad *munus regium* electus, ſe populum in peculium habiturum, & in regionem Chananæorum introducturum, ſanctiſſime pollicetur. [f] *Ecce*, inquit, *ego mittam Angelum* meum, qui præcedat *te*, & *cuſtodiat in via, & introducat in locum quem paravi.* Ex adverſo populus in ſe recipit, Dei leges & ſtatuta omnia ſe religioſiſſime obſervaturum. Cum enim leges a Deo datas, & conditiones quibus eos in clientelam ſuam recepturus erat, audiviſſent; [g] *reſponderunt una voce, omnia locutus eſt Dominus, faciemus, & erimus obedientes.* Mutua illa promiſſio & ſtipulatio paulo *quæ* explicatius traditur, *Deut.* 26. Ubi Moſes totam legem paucis complectens, *hodie,* [h] inquit, *elegiſti Jehovam ut ſit tibi Elohim* [Dominus aut imperator] *& ambules in viis ejus, & cuſtodias ceremonias ejus atque judicia, &* [1] *obedias ejus imperio.* Quibus verbis *viarum* nomine, præcepta moralia; *per ceremonias*, leges rituales; per *judicia* vero, præcepta politica, ſignificari cenſeantur. Cum itaque Iſraelitæ, promiſſionis illius fide & ſolennitate, ad ſtatuta Dei omnia ſervanda ſeipſos obſtrinxiſſent, ſtatim addit Moſes, *& Dominus elegit te hodie, ut ſis ei populus peculiaris, ſicut locutus eſt tibi, ut cuſtodias omnia præcepta ejus, & faciat te excelſiorem omnibus gentibus.* E ſacris hiſce textibus appareat mutua Dei & Iſraelitarum obligatio: Deo nimirum populum Iſraeliticum eligente, & ſeipſum ad *Chananæorum* & gentium vicinarum regiones ei tribuendas obligante; & populo vice verſa Deum in regem & imperatorem ſuum eligente, & ad ſtatuta ejus obſervanda fœdere ſancto ſe devinciente. Atque inde veniſſe cenſeo, quod lex populo Iſraelitico data, *fœderis* nomine, in Petateucho præſertim, appellari ſoleat. Moſes populum alloquens, legis divinæ ſtatuta *pactum* vocat; *Deut.* 4. 13. *Et oſtendit vobis Deus pactum ſuum quod præcipit ut faceretis*, & *decem verba quæ ſcripſit in duabus tabulis lapideis:* Et Deut. 29. 1. *Hæc* ſunt *verba fœderis quod præcepit Dominus Moſi, ut feriret cum filiis Iſrael in terra Moab, præter illud fœdus quod cum eis pepigit in Horeb.* Hinc & liber ille in quo leges a Deo latas in monte ſcripſit Moſes, *liber fœderis* dicitur, *Exod.* 24. 7.

a *Fortunat. Scac. Elæochr. Sac.* P. 2. c. 52. col. 562. E. b *Exod.* 19. 8. 9. c *Ub. ſup.* col. 559. E. d *V. Exod.* 24. 3. coll. cum *Exod.* 25. 2. e *V. L. Exod.* 19. 8, 9, 10. f *Exod.* 23. 20. g. *Exod.* 24. 3, & 7. h *Verſ.* 17. 18.

1 Juxta *Hebr.* לִשְׁמֹעַ בְּקֹלוֹ *ad audiendam vocem ejus.*

(4°.) Fœ

CAP. III. Quarta.

(4[a].) Fœdus & obligatio quo Deus & Iſraelitæ ſibi invicem devincti ſunt, ceremoniis in electione principum & aliis contractibus, eo ſeculo uſitatis, ratum firmumque factum eſt. Quantum enim ſeculi tam remoti ritus fœderales percipere liceat, fœdera tunc temporis inita duplici potiſſimum ceremonia rata facta ſunt; nempe victimæ oblatæ ſanguinem in fœderatos aſpergendo, vel oblatæ victimæ partem aliquam una comedendo. Gentes antiquiores, fœdera ferientes, utrumque ritum in moribus habuiſſe, alibi magis opportune probari poteſt. Fœdus autem inter Deum & Iſraelitas factum, utroque ritu firmatum fuiſſe, pro certo affirmare minime vereamur. Cum enim [a] *Moſes* Dei promiſſa & præcepta in libro ſcripſiſſet, & populus, auditis iterum legibus & promiſſis divinis, aſſenſum præbuiſſet; *Moſes*, oblata victima, [b] *ſanguinis dimidium ſparſit ſuper altare*, quod Dei locum occupavit, & dimidium ſuper populum; dicens, [c] *hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum, ſuper cunctis ſermonibus his.* Atque hoc ritu peracto ut firmitas omnimoda fœderi adderetur, *Moſes* & *Aaron*, *Nadab* & *Abihu*, ſeptuaginta inſuper e *ſenioribus* (qui populi quaſi perſonam gererent) in [d] montem aſcendiſſe, & ibi, e pacificis verſu 5[o]. memoratis, comediſſe, dicuntur. Deum autem fœdus hoc, ritu tunc temporis uſitato, firmari voluiſſe, eo magis credibile videatur; quod olim, cum *Abrahamo* pactum facturus, ad ritum inter *Chaldæos* fœdus inituros uſitatum ſe conformaverit. Cum enim [e] illi, ritu tranſeundi inter diviſas victimæ partes, fœdera confirmarent; Deus cum *Abrahamo* pactum initurus, inter animalium immolatorum partes diviſas, in forma & ſimilitudine ignis, pertranſire voluit. *S. Chryſoſtomus*, hanc συγκατάβασιν divinam ſecum reputans, [f] inquit, *attende obſecro*, εἰς πόσην παχύτητα, *in quantam craſſitudinem ſibi deſcendendum duxerit benignus Dominus, ut Patriarcham certiorem reddat:* ἐπειδὴ γὰρ τὸ παλαιὸν ἔθος ἦν αὐτοῖς οὕτω συνθήκας ποιεῖσθαι, καὶ διὰ τούτων αὐτὰς βεβαιοῦν, ταύτην καὶ αὐτὸς ἔρχεται τὴν ὁδόν. *Nam quod olim ita mos eſſet paciſcendi & pacta firmandi, ideo & ipſe Deus hanc viam ingreſſus eſt.*

CAP. III.

Regiminis hujuſce divini variæ rationes aſſignantur.

Reginimis hujus rationes,

CUM Deus, etiam nullo fœdere vel electione interveniente, totius orbis rex & Dominus ſit, & homines omnes ad leges illius obſervandas ſacramenti connati religione teneantur; nonnullis inſtar miraculi videri poſſit, Deum ab Iſraelitis in regem eligi, regis politici partes inter eos perimplere, & palatium aut habitaculum regium in terra tantum Iſraelitica ſibi parari, voluiſſe. Ne itaque res hæc mira cuiquam & pene ſupra fidem poſita videatur, varias rationes [alias ex parte Dei, alias ex parte gentis Iſraeliticæ, ex parte ſeculi alias, alias ex parte regiminis ipſius] συγκαταβάσεως hujus aſſignabimus.

Ex parte Dei.

PRIMO, ex *parte Dei:* nempe Deus populum Iſraeliticum *manu excelſa*, h. e. [g] miraculis & portentis ne fando quidem auditis antea, ex Ægypto liberaſſet, iiſque omnia ad vitam neceſſaria ſuppeditaſſet: ideoque rationi quam maxime conveniebat, ut Iſraelitæ Dei ſolius imperio ſe ſubmitterent, & eorum omnia Dei nutu regerentur. Ita *Joſhuæ* viſum eſt, qui, ut populus ille Deo firmiter adhæreret, iis in memoriam revocat, [h] quam potente brachio eos ex Ægypto eduxiſſet, quas victorias Dei ſolius auſpiciis ab hoſtibus ſuis reportaſſent, quanta denique cura & ſtudio eos in regiones fœcundiſſimas induxiſſet. Deinde, populus ille gens erat quam Deus e medio nationum tuliſſet, & ſibiipſi [i] *de cunctis terræ populis in* סגלה *peculium* elegiſſet; tantæ vero dignitati conveniebat, ut in Dei tantum clientelam recepti, ejus ſolius fidei traditi, & imperio ſubjecti, viverent. Rem totam non male verbis *Abarbanelis* illuſtremus: [k] *quemadmodum homo qui acquiſivit ſibi* כסף וזהב וכלי חפץ *argentum & aurum & vaſa deſiderabilia, ea nulli ſervorum committit, ſed ipſemet eorum in theſauris ſuis reconditorum curam gerit; ita Iſrael erit ſub gubernatione providentiæ divinæ, nunquam alteri principi vel domino tradendus.* Præterea, cum Deus eo ſe daret, ut Iſraelitas a moribus & idolis Ægypti traheret; permagni intererat ad id quod agebat, ut ipſe rempublicam gereret, & æqua rerum adminiſtratione populi ſtudia ſibi & cultui ſuo conciliaret. Tam ſapiens, tam potens, & benignus imperii arbiter, non potuit populo non pergratus accidere,

a *Exod.* 24. 4. b V. 6. c V. 8. d *Exod* 24. 1, 5. e *V. Grot.* in *Geneſ.* 15. 17. & *Jerem.* 34. 18, 19. f *Homil.* 37. in *Geneſ.* T. 4. Ed. Benedict. p. 374. A. g *Exod.* 13. 3. *Deut.* 4. 34. h Cap. 24. i *Exod.* 19. 5. k *Comment.* in *Pentat.* fol. 169. col. 1.

CAP. III. ei præſertim qui *Pharaonis* inhumani tyranoidem non ita pridem exuiſſet. Si in Iſraelitas, recentes ab Ægypti ſervitute, ſeculi reges imperium habuiſſent, qui ſubditos eorum fortunis exuere, vita ſpoliare, tributis opprimere, & arbitratu ſuo ſubditos & ſeipſos regere, ſolebaot; proculdubio *genus* illud *irritabile* rebus novis animos addixiſſet, & ſe eonditiooibus iniquis vel ipſam Ægyptum reliquiſſe credidiſſet.

Ex parte populi. SECUNDO: ſi gentem Iſraeliticam ſpectemus, rationes occurrunt variæ, cur Deus inter eos gubernacula teneret, & populo illi fœdere peculiari & quaſi politico conjungi non dettectaret. Nam,

(1°.) POPULUS Iſraeliricus erat כמלכת כהנים [a] *Regnum ſacerdotum*, moribus, legibus, & honoribus peculiaribus [quemadmodum ſacerdotes in ſanctuario] a gente quavis alia ſeparatus: decorum itaque ſuit, & peculiaribus ſuis vivendi rationibus apprime conſentaneum, ut imperii ſui forma peculiaris eſſet, & a gentium aliarum regimine longe diſcreparer.

(2°.) HAC ratione proſpectum eſt optime, ne populus ille, moribus Ægyptiis aſſuetus, ad Deos & ritus Ægypti facile reverteretur. Fieri vix potuit, ut populus a Dei lege cultuque deficeret, cum Deus ipſe reip. præſideret, & nulli ad rem Judaicam moderandam, niſi Dei Spiriru afflati & acclti, admitterentur. Aſſertioni meæ fidem rerum eventus aſtruit: quamvis enim Iſraelitæ, cum Deus & *Judices* ab ipſo conſtituti remp. gubernarent, in gentium mores quandoque degeneratent; certum eſt, eos multo frequentius & diutius ſub regibus veram religionem deſeruiſſe. Nempe *Judices* omnes viri ſuerunt prudentia & pietate clari, & populum non minus exemplo quam præcepto ad virtutem provocarunt. Reges autem plerique ſuerunt idololatræ: [b] *præter Davidem, Ezechiam, & Joſiam, omnes peccatum commiſerunt: nam reliquerunt legem altiſſimi reges Judæ*, & contempſerunt timorem Dei. Populus itaque ſub regibus nunquam diu manſit in obſequio Dei: prout enim regum vieinorum mores reges Judaicos, ira & reges Judaici (morum ſuotum contagione) totam gentem inſecerunr. Deus itaque magis purgatam & florentem, quam ea tempora ſerebant, temp. promiſſurus, *reſtituam*, [c] inquit, *Judices tuos ut* fuerunt *prius*.

(3°.) POPULUS ille inter *Jehovam* & *Baalem* fluctuabat, & ancipiti vice nunc hujus nunc illius inſtitutis adhærebat. Ideoque par erat, ut Deus non tantum creationis, ſed & electionis, pactique etiam ſolenniter confirmati, jure iis præſideret; ut triplex ille ſunis dubium & incertum populum figerer, eoſque Deo arcte devinciret. Nam ſi quid ingenui ſanguinis, aut honeſti & decori ſenſus aliquis, ſuperſſet; fieri non potuit ut Iſraelitæ Dei partes deſererent, quum junctis ſuſfragiis eum in regem ſuum nuper elegiſſent, & ad leges ejus obſervandas fœdere tam ſolenni ſeipſos aſtrinxiſſent.

(4°.) CUM populns Iſraeliticus Ægypto primum exiret, res ſuæ eo in loco ſitæ ſunt, quod nemo homo muneri regio obeundo par eſſe potuerir. Nam in genre illa uſque adeo turbata & conſuſa erant omnia, quod ea nemo in ordinem certum digerere norat, niſi qui lucem e tenebris micare juſſit. Populus ille moribus tam agreſtibus erat & incultis, quod ab Ægyptiis nomine tanrum & ſanguine diſcreparet: tam expers etiam conſilii & præcipiti temeritate abreptus, quod levi quavis occaſione arrepta de reditu in Ægyptum cogitaret. Erant etiam Iſraelitæ inrer medios hoſtes poſiti, adeo ut quocunque oculos verterent, ingens belli moles inſtaret, nullo niſi ſummi numinis ope & cooſilio ſuſtinenda. Ea denique ſuit gentis illius novæ conditio plane ſingularis, quod ingenii humani non eſſet, eorum remp. legibus inſtruere, quæ populi tam ſracti, hebetis, & contumacis ingtniis & circumſtantiis convenirent. Cum itaque tantæ molis eſſet Hebræorum gentem condere & moderari, nec quiſpiam inventus eſſer cui populi deſendendi cura delegari poſſet; æquum erat ut Deus ipſe, pro ſumma ſua potentia & ſapientia, provinciam tam difficilem ſuſciperet, & eorum res omnes Dei ſolius nutu & imperio [regni ſalrem ſurgentis exordio] regerentur.

(5°.) ISRAELITÆ Deum in *regem* & Dominum ſuum ſolenniter elegerunt. Hoc e *Joshua* verbis colligo: [d] *teſtes vos* eſtis, *quod ipſi elegeritis vobis Dominum, ut ſerviatis ei: & reſponderunt*, nos *teſtes*. Gentts aliæ ſe *regina cæli*, *Molocho*, τοῖς *Baalim*, regibus divinitate donatis, vovebant ſervos: Iſraelitæ ſoli, *Elohim*, Dominum Dominotum, gentis ſuæ præſidem ſtatuebant, & ſe leges ejus obſervaturos fidem aſtringebant. Cum itaque Iſraelitæ ſoli Deum in *regem* eligerent, nil mirum ſi benignus Deus eos in populum eligere, & rerum ſuarum curam & regimen ſuſcipere, dignaretur.

a *Exod.* 19. 6. b *Sirach.* c. 49. 4. c *Joſ.* 1. 26. d *Joſ.* 24. 22.

TER-

TERTIO: rationes ex *parte ſeculi* dari poſſunt, cur Deo ipſi viſum eſſet ad imperii clavum ſedere, & hanc regiminis divini formam inſtituere. Nam, CAP. III.

(1°.) SECULI moribus ita factum erat, ut Dii ſui principatum quendam inter ſervos ſuos obtinerent, & nomine rituque regio colerentur. Nam ſeculo illo Deos titulis illis, *Molech*, *Elohim*, *Baalim*, & hujuſmodi aliis, regibus & magnatibus tribui ſolitis, inſignire ſolebant: eos imperii arbitros plerumque ponebant, cum nec bella gerere, nec civitatem condere, nec regem eligere, nec grandius aliquid moliri ſolerent, priuſquam Deos per oracula vel auſpicia conſuluiſſent. Quin & iiſdem ceremoniis Deos ſuos, quibus & reges honorabant: eos enim ſceptro & purpura donabant, *Baruch.* 6. 11. eos oſculis accipiebant, quibus & regibus honorem perhibebant, *Hoſ.* 13. 2. [a] coronam, loci regii inſigne, capitibus eorum imponebant, 1 *Sam.* 10. 1. eos in hominum humeris ſublimes in vulgus efferebant, *Jeſ.* 46. 7. Cum itaque more gentium inveterato receptum eſſet, Deos titulo & honore regio donatos colere; nihil abſurdi præ ſe fert, Deum ideo regis nomine ſe colendum exhibuiſſe, ut ſeipſum ſeculi moribus, qua licuit, accommodaret, & non minus populo ſuo quam Dii gentium ſervis ſuis, adeſſe, præeſſe & proſpicere crederetur.

Ex parte ſeculi.

(2°.) SECULO illo dæmones titulos poteſtatem [b] regiam ſapientes [*Molech*, *El*, *Elohim*, *Baalim*] uſurparant, & ſub nominibus illis ſe Gentibus adorandos propoſuerant. Erat itaque conſentaneum, ut Deus ſe diabolo adverſum ſiſteret, & titulum illum המלך, cujus diabolus diu malæ fidei poſſeſſor fuerat, ſibi ipſi jure vindicaret. Hæc ea cauſa videtur, cur ſibi nomen בעל [c] ævo priſco ſumeret. Atque hic opportune ſe offerunt [d] auctoris, in ſubſidium noſtrum non ſemel vocati, verba: *quia principes & imperatores reliquarum nationum, quos jam mortuos gentes colebant, ſive adhuc inter vivos militari gloria* aut poteſtate regia *conſpicuos*, *venerarentur*, אלים [aut אלהים] *dicebantur; Deus, ratione fœderis cum populo initi, princeps jam & imperator illius reip. conſtitutus, tanquam principibus* illis *dignior & excelſior*, *apud Iſraelitas nomine* [El &] Elohim *appellari voluit.*

(3°.) SECULO illo uſus obtinuit, ut *reges* honoribus divinis afficerentur, & prout Dii ſui *regum* ritu, ita & *reges* Deorum ritu & loco, colerentur. *Chaldæos*, *Ægyptios*, alios, [e] *reges* ſuos fato functos Deorum loco habuiſſe, res nota eſt, nec argumentis ad probandum indiget. Eos etiam *reges* aliquos vivos in Deorum numerum retuliſſe, iiſque dignitatem cultumque divinum ſæpe tribuiſſe, non facile dubitandum eſt. *Perſas* dignitatem & cultum humano majorem regibus eorum conceſſiſſe, teſtatur *Artabanus Perſa*, qui ſic apud [f] *Plutarchum* affatur *Themiſtoclem*, Ἡμῖν δὲ πολλῶν νόμων καὶ καλῶν ὄντων κάλλιστος οὗτός ἐστι, τὸ τιμᾶν βασιλέα, καὶ προσκυνεῖν εἰκόνα Θεοῦ. Et veriſimile eſt *Hamanem*, ſeipſum regibus coæquantem, ſe more *Perſarum* adorari præcepiſſe, & *Mardochæum* coram eo genuflectere recuſaſſe, ne cultum Deo debitum homini nefario tribuere videretur. Sic opinandi cauſam præbet precatio [g] *Mardochai: tu ſcis Domine*, *me non contumelia*, *neque ſuperbia*, *neque gloriæ cupiditate feciſſe*, *ut ſuperbum* Hamanem *non colerem; ---- ſed id feci*, *ne hominis gloriam Dei gloriæ præponerem*, *nec quem præter te Dominum meum adorarem.* Nec *Perſas* tantum, ſed & alias gentes, *reges* ſuos cultu divino proſecutos fuiſſe, multis exemplis evinci poſſet, niſi quod [h] *Fileſacus*, in hoc argumento tanta cum laude verſatus ſit. Cum itaque reges ſuos adorandi conſuetudo paſſim apud ethnicos antiquiores obtinuerit, haud abſurdum eſt opinari Deum ideo *regis* nomen & officium accipere dignatum fuiſſe, ut Iſraelitæ ſeipſum impenſius adorarent, & eorum animi a cultu *regis* alicujus terreſtris averterentur.

QUARTO: aliæ rationes aſſignari poſſunt, ex *parte regiminis* ipſius, quo nullum felicius, aut cum populi dilecti rationibus conjunctius, excogitari potuit.

Ex parte regiminis.

NAM (1°.) Hoc *regimen* pacificum erat, & ad reip. tranquillitatem conſervandam maxime accommodatum. Cum enim Deus ſibi uni poteſtatem regiam reſervaſſet, litibus illis obviam ivit quæ circa principatum oriri poſſent. Cum etiam Deus, rerum ſummam tenens, controverſias omnes graviores infallibili ſententia determinaret, locus nullus liti vel querelæ, multo minus motui civili, ex injuriæ alicujus illatæ prætextu, relinquebatur. Magiſtratus qui Dei vicibus in imperio fungebantur, hujuſmodi erant qui bello vel incendio civili ne vel unam ſcintillulam afferre poterant: non enim opibus congerendis animos unquam adjecerunt, non ſe elatius in imperio efferebant,

a *V. Selden.* l. *de tit. honor.* P. 1. c. 8. p. 156. b *V. Seld.* de *Diis Syr. ſyntag.* 1. c. 6. & *ſyntag.* 2. c. 1.
c *Hoſ.* 2. 16. d *Fortunat. Scac. Myroth. ſac.* P. 2. c. 52. col. 562. A. e *V. Grot. not.* in *Exod.* 20. 3.
f In *Vit. Themiſtoc.* p. 125. C. g In *Eſth. Apocr.* c. 13. 12. & 14. h Lib. de *Idolol. Politic.*

in judicando præcipiti temeritate minime ferebantur, nec ipſorum honori vel dignitati ſtudebant, ſed in rep. conſervanda curam integre deſigebant. Ut expediam paucis: durante Theocratia, Deus ita temperavit omnia, ut ille bellandi ardor, qui veterum Hebræorum animis ioſediſſe videtur, vix unquam erumperet ad perniciem populi.

(2°.) Hæc reipublicæ moderandæ forma, ſuavis erat, humanæ naturæ & gentis illius *electæ* dignitati conſentanea. Cum enim cæteræ gentes, ſervorum ritu, dominorum ſuorum voluntati & imperio mero ſubjicerentur; Iſraelitæ, durante *Theocratia*, legibus [dominis æquiſſimis] obedire tenebantur. *Moſes* itaque extremum vitæ diem clauſurus, Iſraelitas monuiſſe * dicitur, *ne* ullam *aliam politiæ* formam concupiſcerent; nam vobis, inquit, præſtat, ut τὰς νόμους ἔχοντες δεσπότας. *leges tantum dominos habentes*, vitam tranſigatis. Hujuſmodi regimen tanti habet *Ariſtoteles*, qund dicere non veretur, [a] ὅπου μὴ νόμοι ἄρχουσιν, οὐκ ἔστι πολιτεία. δεῖ γὰρ τὸν μὲν νόμον ἄρχειν πάντων, τῶν δὲ καθ' ἕκαστα τὰς ἀρχὰς καὶ τὴν πολιτείαν κρίνειν. *Ubi non dominantur leges, non eſt reſpub. Omnibus enim legem quidem dominari oportet: de rebus autem ſingulis*, quas leges non definiunt, *magiſtratus & remp. judicare.*

(3°.) Hoc *regimen* maxime tutum erat, quod ſcilicet Iſraelitas ab omni incommodo, periculo, vel injuria, ſartos tectoſque conſervaret. Cum enim *jura* quæ dixi *majeſtatis* [legum ſanctio, bellorum indictio, magiſtratuum inſtitutio,] manerent penes ipſum Deum; cum *Judices*, qui ſecundam a Deo poteſtatem in rep. tenebant, donis propheticis inſtructi eſſent, & a Deo ſuſcitati; cum ſacerdotes & Levitæ viri prudentes eſſent, & judicia non ad libidinem ſuam, ſed leges a Deo datas exercerent; & ſi quid ardui vel perplexi accideret, ſemper præſto eſſet Deus, qui *Judices* & magiſtratus hærentes, oraculis ſuis expediret; cum inquam hic eſſet rerum Judaicarum locus & conditio, neceſſe erat ut omnia in tuto eſſent & tranquillo. Nil mali vel timere poterant Iſraelitæ, cum politia illa θεοκρατουμένη malis omnibus remedium præſtaret, aut eorum cauſas tolleret.

(4°.) Hoc regimen benignum & manſuetum erat: nihil enim aut juſſit aut fecit Deus ut poteſtatem abſolutam oſtentaret: bella nulla geri voluit e pruritu dominandi: populum nullis tributis ad explendos theſauros oneravit: [b] viris fortitudine & pietate conſpicuis leges ſuas exequendi poteſtatem delegavit: ut compendium faciam, Deus ſumma cum bunitate, juſtitia, & ſapientia, principatum ſemper adminiſtravit; adeo ut Iſraelitis Deo regi ſubditis nihil ad ſummam felicicatem, præter ingenuum felicitatis ſoæ ſenſum, defuiſſe videatur.

Hæc omnia perpendens *Moſes*, ad plures abiturus, id conſilii populo dedit, ſi [c] *Joſepho* credimus, *ne unquam eos regiminu alterius deſiderium caperet: Samuel* etiam vehementer angebatur, cum populum Theocratiæ pertæſum, & effrænato *regis* deſiderio captum, cerneret. Sed quid *Moſem* hic aut *Samuelem* memoro, cum gentes aliquæ Θεοκρατίαν Judaicam cuivis imperii formæ prætuliſſe, &, imperii tam felicis æmuli, Θεοκρατίαν inſtituiſſe, videantur? Huic opinioni locum facit, id quod habet *Scholiaſtes* ad [d] *Ariſtophanis* [Ὦ Ζεῦ βασιλεῦ] Τοῖς Ἀθηναίοις πυθοχρήστως ἐγένετο, καταλῦσαι μὲν τὰς βασιλείας, προστήσασθαι δὲ Δία βασιλέα· *Apud Athenienſes, Apollinis oraculi monitu factum eſt, ut ipſi reges ſuos exigerent, & Jovem regem conſtituerent.* Non eſt interim diſſimile vero, *Athenienſes* hoc in vulgus ſpargi voluiſſe, ut poteſtatem regiam (quam forſan oneroſam experti fuiſſent) honeſte & cum religione quadam imminuerent.

C A P. IV.

De regiminis hujus origine, duratione, & abrogatione.

ORDINIS mihi propoſiti memor, de regiminis hujus origine, duratione, & abrogatione, proxime dicturus ſum. Hæc tria argumenta unum in caput compingere conſultum duxi, quod aliquid inter ſe cognati habeant, & ſibi mutuam lucem commodare poſſint.

* *Ap. Joſeph.* pag. 164. 10. a *Politic.* l. 4. cap. 4. T. 2. p. 369. C. b *Exod.* 18. 21, 22. c *Ub. ſupr.* d Ad *Nubes*, *init.* p. 57.

SECT.

SECT. I.

De origine Theocratiæ.

IN regiminis hujus origine perquirenda oon eſt quod multum laboremus: neminem enim in ſacris literis vel mediocriter verſatum latere poteſt, *Theocratiam* in ipſo rerum Iſraeliticarum exordio aliquatenus obtinuiſſe, ad ἀκμὴν autem noo niſi gradatim & poſt legem in Sinai datam perveniſſe.

GRADUM primum ad poteſtatem regiam obtinendam feciſſe videtur Deus, cum gentem Iſraeliticam inſigni illo potentiæ & bonitatis ſuæ documento [Ægyptiorum in mari rubro ſubmerſione] ſibi devinxiſſet. Cum enim *Moſes* factum illud egregium Cantico celebraret, *Dominus*, inquit, [a] *regnabit in ſeculum & in perpetuum: quia ingreſſi ſunt equi Pharaonis cum curribus & equitibus ſuis in mare*, &c. Quem locum *Abarbanel* hac paraphraſi illuſtrandum cenſuit: *poſtquam Sanctus Benedictus pro Iſraelitis contra Ægyptios pugnavit, & inimicos illorum demerſit in aqua*, הוא ימלוך לעולם *Ille regnabit ſuper Iſrael in perpetuum* ואין להם צורך למלך אחר *nec alio opus habebunt rege*. Nempe hoc facto Deus Iſraelitas nova quaſi vita donaſſe, & in eos jus peculiare ſibi acquiſiviſſe, videbatur.

CUM autem tam egregium bonitatis & potentiæ ſuæ ſpecimen edidiſſet Deus, ſe regem populo obtulit; ſancte promittens ſe in fidem & clientelam ſuam eos recepturum, e conditione ſervili in *regnum ſacerdotum* evecturum, iiſque regiones fœcundiſſimas conceſſurum, modn ſe morigeros dictoque parentes exhiberent. Populus etiam conditionem accepit, & (ut omnia ritu in principum inaugurationibus olim uſitato peragerentur) Deum unanimi electiooe imperio præficiunt, & fidem de obedientia præſtanda ſolenniter aſtringunt obſignantque.

POSTQUAM autem Iſraelitæ Deum ad officium regium elegiſſent, & utrique fidem dediſſent & accepiſſent mutuo; Deus, jure regio uſus, legibus politicis remp. munivit: tabernaculum, tanquam mobile palatium, parari voluit, ut inter ſubditos ejus habitaret: oraculum *Urim* inſtituit, ut, eo mediante, *Judices* conſilium ejus in regni arduis explorarent: alias etiam officii regii partes implevit, quæ verſantur in litibus dirimendis, ſententiis ſerendis, pœnis irrogandis, & [b] gravioris momenti negotiis ordinandis. Et quamvis ſenatum conſtituiſſet *Moſes* qui copias militares regeret, & de [c] litibus levioribus decerneret; certum eſt eos poteſtatem tantum a Den, tanquam rege ſummo, derivatam exercuiſſe. Sic enim eos alloquitur Moſes quos in magiſtratu poſuiſſet: [d] *audite illos, & quod juſtum eſt judicate*, ſive civis ſit ille, *ſive peregrinus:----nec accipiatis cujuſquam perſonam, quia Dei judicium eſt:* h. e. „Judicandi provinciam „animo æquo & nullis partibus obnoxio adminiſtrare debetis, qnod poteſtatem veſtram „a Deo, tanquam rege, demandatam habeatis, & judicium quod ſertis noo veſtrum „ſit, ſed ſummi illius principis qui nullius perſonam accipit.

JAM dictorum luee, ad obſcuram antea regiminis hujus originem dirigamur.

SECT. II.

De illius duratione.

ISRAELITIS non tam felicibos eſſe licuit, ut optima hae imperii forma, integra & imminuta, perpetuo fruerentur. Id itaque penſi mihi proxime propoſui, ut illius durationem ſpectarem, & (qua licet) ipſum tempus indagarem, quo primum Theocratia de rebus evanuiſſe cenſeatur. Cum autem regiminis hujus, non ſimul & ſemel, ſed per gradus quoſdam, jacturam ſecerint, placet hie veritatis fugientis veſtigia gradatim premere. De Theocratiæ duratione. theſes quatuor.

PRIMO itaque ad certum affirmo, quod Iſraelitæ, regem ſibi dari poſtulantes, gradum primum ad imperii hujus deſideratiſſimi ruinam feciſſe videantur. Res eſt ultra eaptum credulitatis, veriſſima tamen, eos imperium humanum divino præſerre, & regem ignotum Deo, tot beneficiis noto celebrique, præponere potuiſſe. Quin imo in eam evaſere veſaniam, quod Dei regimen non tantum *minoris*, ſed in pectoris receſſu *nullius* æſtimarent. Hoc aperte eogooſcitur e Dei [e] ſermone, quem Græci interpretes Prima.

a *Exod.* 15. 18, 19. b *Exod.* 18. 15. c *Deut.* 1. 16. d *Deut.* 1. 17. e 1 *Sam.* 8. 7.

SECT. II. in hæc verba reddidere; οὐ σὲ ἐξουδενώκασιν, ἀλλ᾽ ἢ ἐμὲ [1] ἐξουδενώκασι τοῦ μὴ βασιλεύειν ἐπ᾽ αὐτῶν. *Non te nihili fecerunt, ſed me nihili fecerunt, ut non regnem ſuper eos.* Cum itaque Dei regimen nihili ſacerent, & imperii regii ſplendor eorum oculos unice perſtringeret; Deus regi præfecturam tradere ſtatuit, ne populus in pejora rueret, ſi eorum votis audacibus obſtitiſſet.

Secunda. SECUNDO: Dei regimen mulro magis imminutum eſt, cum Deus *Saulem* & *Davidem* ad rerum arbitrium evocaſſet. Nam e ſacris annalibus apparet, [a] eos leges tuliſſe, pœnas capitales irrogaſſe, bella geſſiſſe, magiſtratus inferiores inſtituiſſe; non Dei, multo minus populi, ſuffragium aut conſilium expectantes; adeo ur hinc conſtet eos ſe pro regibus geſſiſſe, & poteſtatem arbitrariam exercuiſſe. Poreſtas autem arbitraria, cui nihil extra regis ipſius animum & voluntatem limites aut modum ponit, cum Theocratiæ natura pugnat, eique penitus adverſatur. Cum itaque *Saul* & *David* hujuſmodi poteſtatem tam frequenter exercuerint, non temere aſſerimus hanc divinam regiminis formam, iis regnantibus, plurimum imminuram. At vero cum *Saul* & *David* reges eſſent, non nati ſed a Deo electi & conſtituti; cum etiam conſtet eos Pectoralis oraculum conſuluiſſe, & res ſuas illius ſententiæ permiſiſſe; non ſine ratione arbitramur, Theocratiam, tunc temporis, utut morituram quidem, noo prorſus expiraſſe.

Tertia. TERTIO: Salomone rerum poriro, Theocratia multo vicinior ἀφανισμῷ non immerito cenſeatur. Nam in *Salomone* regnum ſactum eſt hæredirarium, cum antea perſonale fuerir & electivum, Deo *Saulem* & *Davidem* eligente & ſummæ rerum præficieote. Hoc autem indicio erat Deum magiſtratus conſtituendi jure ceſſiſſe, & poteſtarem ſuam politicam *Salomoni* tradidiſſe. Nam populus Dei præfecturam rejecturus, ſic *Gideonem* alloquitur, [b] *dominare noſtri tu, & filius tuus*, &c. Reſpondet ille, *non dominabor veſtri, nec domiuabitur in vos filius meus, ſed dominabitur in vos Dominus:* quibus innuunt *Gideon* & Iſraelitæ, regnum ſucceſſorium & dominium Dei politicum ſimul conſiſtere minime potuiſſe. Hinc etiam opinandi cauſa naſcitur, Theocratiam extremum pene ſpiritum efflaſſe ſub *Salomone*, quod admodum probabile ſit, *Urim* [præcipuum imperii divini pignus & indicium] primo ſub rempora *Salomonis* oracula fundere deſiiſſe. Rationes quæ ſic animum inducunr opinari, [c] ſuo in loco proferemus. Ut opinio noſtra paulo firmior evadar, obſervare juvet, *Salomonem* primum, imperii ſacri pignus alterum, arcam intelligo, in Sanctum Sanctorum ſerri præcepiſſe. *Moſes*, *Joſhua*, *Judices*, *Saulus*, *David*, arcam perpetuum habebant itinerum aut præliorum comitem: quod ſcilicet Dei, bellorum præſidis & ſummi rerum omnium curatoris, indicium eſſet, & inde reſponſa ad belli paciſque negotia moderanda ſubinde peterentur. Cum itaque arca ſedem fixam & quietam in Sancto Sanctorum inveniſſet, apertum erat, Deum copias Iſraeliticas, ducis politici ritu, nunquam iterum educturum, eum imperatoris perſooam depoſuiſſe, & regibus *Iſraelis* imperii ſummam [belli & pacis arbitrium] jam detuliſſe.

Quarta. QUARTO: Judæi theocratiæ veteris indicia & veſtigia quædam obſcuriora, ad extrema uſque politiæ ſuæ tempora retinuere. Nam Deus, diu poſt tempora *Salomonis*, * *rex Iſraelis* appellatus eſt: ipſo Domini noſtri ſeculo, Hieroſolyma [d] *civitas magni regis* audiit: templum, *regis* magni domus & palatium, ad ſera ſecula ſtetit imperii divini monimentum: lex a Deo rege tradita, *magna* quædam imperii Judaici *charta* ſemper habita eſt, & ad ultima expirantis Judaiſmi rempora lites pleræque ex illius præſcripto dererminatæ: & quamvis majeſtatem ejus contemptu & impietate pene incredibili polluiſſent, eorum curam geſſit Deus, & (pro ſingulari ſua bonitate) palam edixit, [e] *ego ero rex* veſter. Ex his elucet ratio, cur Theocrariam, Diſſertationis hujus argumentum, non *Iſraeliticam* dixi, ſed *Judaicam;* nempe quod Judæi regiminis hujus (quamvis imminuti) beneficio, multo diutius quam Iſraelitæ, gaviſi videantur.

a 2 *Sam.* 11. 1. 1 *Sam.* 13. 2, 3. 1 *Reg.* 2. 35. b *Judic.* 8. 22, 23. c *Diſſert. de Ur. & Thum.*
* *Zeph.* 3. 15. d *Mat.* 5. 35. e *Hoſ.* 13. 10.

1 Juxta *Exemplar. Vatican.* ἐξουδενώκασι alia, ἐξουδ.

SECT.

S E C T. III.

De regiminis hujus abrogatione.

NOBIS jam cnnſideranda relinquitur regiminis hujus *abrogatio*. Ut autem in ordinem jam dicenda digeramus, hujus *cauſam* primo, dein & *effectum*, expediemus. Cauſam quod attinet, eam in principalem & minus principalem dividamus. Regiminis hujus mutati, ſpectanda Cauſa, Principalis, populi pertinacia.

REGIMINIS hujus murari vel abrogati *cauſa principalis*, e 1 *Sam.* 8. cogooſcatur. Ibi enim populi ſeniores *Samuelem* adiiſſe dicuntur, ſenectutum ejus rebos agendis ineptam, & filiorum ſuorum vitam a virture alienam cauſantes, & eum, ſatis pro imperio, ſic alloquentes: [a] *couſtitue nunc regem ſuper nos, qui judicet nos, ſicut omnes gentes* habent. Et quanquam *Samuel* ſemel arque iterum eos a propoſito revocaſſet, & quanra inde malorum moles univerſæ rei Iſraeliticæ immineret, fuſe recenſuiſſet; propoſiti tam tenaces erant, quaſi tragœdiam a *Samuele* prædictam inſtar ludi habuiſſent. Rariones autem variæ reddi poſſunt, cur Iſraelitæ in hane formam reip. moderandæ cupiditate tam effrænata ferebantur.

NEMPE (1°.) Quod omnes in vicino gentes ſub *regum* imperio viverent. Hane rationem ipſi reddunt Iſraelitæ, ſic Prophetæ conſilio reclamanres: [b] *nequaquam, rex enim erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes.* [c] *Joſephus* horuin verborum ſenſum explicans, arbirrati ſunt, inquit, οὐδὲν ἄτοπον εἶναι, τῶν πλησιοχώρων βασιλευομένων, τὴν αὐτὴν ἔχειν αὐτοὺς πολιτείαν· *Nihil abſurdi eſſe, ſi cum vicini regem haberent, eandem & ipſi imperii formam acciperent.* Nec vane dictum eſt, gentes vicinas reges habuiſſe, cum ex [d] anriquiſſima rerum orientalium hiſtoria cnnſtet, eas *reges* ſolummndn rerum ſuarum adminiſtrarioni præpoſuiſſe. Nec vana fides [e] *Civilis Batavi*, qui *Gallos* alloquens dixiſſe fertur, *ſervire Syriam, Aſiamque, & ſuetum regibus Orientem.* Cum itaque *regum* imperio ſubeſſent gentes exreræ, Iſraelitæ, κακοζηλίας ſtudio abrepti, ad *Samuelem* concurſum faciunt, *regem* & ſibi præficiendum poſtulantes. Cum enim gentes aliæ moribus tantum patriis adhærerent, Iſraelitæ ſemper ad mores & ritus externos imirandos ardore præcipiti ferebantur.

(2°.) VERI ſpeciem præ ſe fert, verba legis perperam intellecta regem petendi anſam Iſraelitis præbuiſſe. Sic enim in [f] *Deuteronomio* legitur: *quum ingreſſus fueris in terram quam Dominus Deus tuus dat tibi, & poſſederis eam, & habitaveris iu ea, & dixeris, ponam ſuper me regem ſecundum omnes gentes quæ* ſunt *iu circuitibus meis: pones ſuper te regem, quem elegerit Deus tuus. E medio fratrum tuorum pones ſuper te regem*, &c. Auctores aurem nec pauci nec obſcuri nominis (quorum nonnullos citar [g] *Johannes Friſchmuth*) ſe perſuaſos habent, Iſraelitas his verbis accepiſſe mandatum eligendi regis, quod, hoſtibus devictis & terra *Canaan* occupata, exequi tenebaorur. Hoc & Iſraeliras antiquiores in animos induxiſſe, probabilius habeatur, quod, regem expetentes, *Samuelem* ipſis legis hujuſce verbis allnquantur, *ponas regem ſuper nos, ſicut omnes gentes;* & quod regem petant, non niſi cum rerram ingreſſi eſſent, & in ea, devictis hoſtibus, habitarent; quod etiam non ipſi ſibi regem facerent, ſed ad *Samuelem* ſe conferrent, regem petituri. Quaſi dicerent, "legis [h] edicto cautum eſt, ne nos ipſi *regem ſuper nos conſtitueremus*, ſed eum in *regem* ſumeremus "*quem Dominus eligeret*, id eſt, per prophetam approbarer. Nos itaque, præcepti "memores, ad te, Dei prophetam & viearium, confugimus, ut regem, eumque calculo divino probatum, habeamus.

(3°.) VERISIMILE eſt, Iſraelitas imperium regium exoptaſſe, & illud Dei regimini præpoſuiſſe, e ſecreto & cordibus ſuis alte diſſimularo oumioum & rituum ethnicorum deſiderio. Plurimæ genris illius apoſtaſiæ, ſeriptis ſacris memoratæ, probant Iſraelitas, ex Ægypto reduces, cultus ethnici deſiderium alte retinuiſſe, & ens, quavis arrepta nccaſione, ad mores ethnicos impetu præcipiti proruiſſe. Huic ὁρμῇ nihil magis obſtabar quam imperium Dei, ſub quo, lege ſimul & pio *Judice*, tanquam duplici fræno, cohibiti ſunt, quo minus in mores Gentilium ruerent, & prophanis eorum affectibus indulgerent. Cum itaque Dei regimen eorum voluntati repugnaret adeo, nil mirum ſi & Iſraelitæ regimini illi penitus adverſarentur, & *Samuele* jam ſenectute

a Verſ. 5. b 1 *Sam.* 8. 19, 20. c *Antiq. Judaic.* l. 6. c. 3. p. 231, 1. d V. *Selden. tit. honor.* p. 4. 9. & 10. e *Ap. Tacit. Hiſt.* l. 4. p. 91. f *Deut.* 17. 14, 15. g *Diſcurſ. de Rege eligend.* §. 2. h *Deut.* 17. 15.

SECT. III.

fracto, *reges* ſibi dari poſtularent, quos deſideriis eorum magis morigeros futuros, ſe perſuaſos habuerunt. Nec eos ſpes ſua fruſtra habuit, cum *reges* pene omnes ad mores ethnicorum deficerent, aut mores ethnicos tolerarent. Iſraelitas hac præcipue ratione permotos imperium regium Dei regimini prætuliſſe, e Dei ſermone non obſcure colligatur, *1 Sam. 8. 7, 8. Non ſpreverunt te, ſed ſpreverunt me, ne regnem ſuper eos: juxta omnia opera quæ fecerunt a die* illa qua *aſcendere feci illos ex Ægypto, uſque ad hanc diem, & dereliquerunt me, & ſervierunt Diis alienis, ſic ipſi fecerunt etiam tibi.* Quibus verbis innuitur, Iſraelitas, Deo regnum abjudicantes, ſe ſui ſimiles præſtitiſſe; nec quicquam feciſſe niſi quod moribus eorum idololatricis affinitate proxima jungebatur. Hoc & rerum eventus indicat: nam illi ipſi Dei legem cultumque deſeruerunt, qui Dei regimen non ita pridem aſpernati ſunt; qui Jehovam minime pro *rege*, tandem nec pro Deo, habere voluerunt; & qui regimen olim, tandem & cultum a gentibus petitum impenſe deſiderarunt.

(4°.) INGENS belli moles eorum cervicibus impendere videbatur, & credebant Iſraelitæ res ſuas loco tutiori futuras modo regis fidei & curæ mandarentur. Ex hoc fonte fluxiſſe regis deſiderium, e petitionis ſuæ *tempore*, *modo*, & *fine* conſtare poteſt. *E tempore:* nam obſervante [a] *Samuele*, tum primum regem ſibi præponi poſtularunt, cum viderent *Nahas*, Ammonitarum regem, bellum adornare; quaſi melioribus auſpiciis rem geſturi eſſent, ſi ſub regis potius, quam Dei ſignis militarent. *E modo:* nam regem ſibi præficiendum poſtularunt, *ſicut omnes gentes*, h. e. qui plenaria belli gerendi & juſtitiæ adminiſtrandæ poteſtate inſtructus eſſet, adeoque majorem haberet ad hoſtes repellendos facultatem & auctoritatem. *E fine:* nam regem petunt, ut *bella ſua pugnaret*, & militibus cum hoſte congreſſuris exemplo & conſilio opem ferret. Ut paucis complectar omnia: videbant *Samuelem* jam ſenio debilem, credebant Deum cœlo ſuo incluſum & rerum incurioſum, norunt etiam Ammonitas, Philiſthæos, alios in eorum perniciem juratos hoſtes: & hebeti populo nulla ſibi ad ſalutem via patere videbatur, niſi rerum ſuarum tutela & adminiſtratio regi forti & militia bono traderetur.

(5°.) DEI regimen, cui diu ſuberant Iſraelitæ, tanquam ſimplex, humile, & omni ſpecie exteriore deſtitutum, contemptui habuerunt. Quamvis enim imperium regium ob morem ubique gentium receptum, petere videbantur; erat tamen mos ille prætextus potius quam vera illa, quam corde premebant, petendi cauſa. Eos enim regimen Divinum in cordis penetrali plane contempſiſſe, ſatis intelligitur e verbis τῷ καρδιογνώστῃ, *1 Sam. 8. 7. Non te flocci fecerunt, ſed me flocci fecerunt, ut non regnem ſuper eos.* Nempe Deus, in cœlis agens, rex erat inviſibilis: illi vero, Romanenſium ritu, caput viſibile, regem ipſis oculis uſurpandum, impenſe deſiderarunt. [b] *Fac nobis regem*, inquiunt, *qui egrediatur in conſpectu noſtri*, & majeſtate ſua percellat intuentium animos. Deinde, Dei regimen plane ſimplex erat, nec ulla viſibili pompa & ſplendore commendatum; & ea de cauſa dominio regio vilius & inferius populo puerili videbatur. Regem, gemmis & veſtibus auro intertextis illuſtrem, *corona & armillis* exornatum, ſplendide habitantem & epulantem, cum ingenti etiam ſatellitio procedentem, habere; pulchrum, auguſtum, & gentis ſuæ dignitati conſentaneum, videbatur. Eos hujuſmodi regem in votis habuiſſe, paulo clarius elucet e verbis [c] *Hoſeæ*, nonnulla referentis quæ in *Samuelis* hiſtoria reticentur; *ubi ſunt Judices tui, de quibus dixiſti, da mihi regem & principes?* Hinc enim apparet, Iſraelitas non regem ſolum, ſed principes & conſiliarios a latere, ſub rege conſtitutos, exoptaſſe; ne ſcilicet viciniis gentibus pompa & ſplendore regio cederent, iiſque vel minima ex parte minores haberentur.

(6°.) NATURA e luto tam craſſo finxiſſe videtur Iſraelitas, ut bona ſua minime cognoſcere potuerint, nec res ullas veris momentis æſtimare. Quamvis enim *Samuelem* nullius injuriæ poſtulare potuiſſent, & propheta mala illa plurima quæ regis deſiderium allaturum eſſet, fuſe recenſuiſſet; in ſententia priori, pertinacia quadam bruta, perſiſtunt; & ita ſe gerunt, quaſi prophetam, de oneribus a rege imponendis diſſerentem, aſinorum auribus audiviſſent.

Cauſa minus principalis. Dei conceſſio.

HÆC *populi pertinacia* regiminis mutati *cauſa principalis* haud immerito cenſeatur. *Cauſa minus principalis* (de qua proximo dicendum) erat *conceſſio Dei*. Cum enim Iſraelitæ Dei regimini rigidius adverſarentur, & imperium regium impenſe deſiderarent; eorum votis annuit benignus [dicam, an [d] iratus?] Deus, &, *Samuelem* alloquens,

[a] 1 Sam. 12. 12. [b] 1 Sam. 8. 20. [c] Cap. 13. 10. [d] Hoſ. 13. 11.

audi,

audi, inquit, *vocem eorum, & pone regem ſuper eos.* Certo certius eſt, quod non minus populi commodo, quam Dei bonori, conſultum fuiſſet, ſi molli imperii divini Jugo cervices ſuas nunquam ſubtraxiſſent: cum autem regis deſiderium ferre non poterant impotenres Iſraelitæ, Deo viſum eſt eorum deſideriis effrænatis nonnibil indulgere, quibus ſi pertinaciter obſtitiſſet, illi forſan, ad alienigenam delapſi, non tantum Dei regimioi, ſed etiam legi & cultui, renunciarent. Atque, hac in re, Deus ab arte regis politici non receſſit: nam regis prudentis babetur, populi connivere poſtulatis, licet communibus rebus non admodum opportunis, ſi majus e ſtudiis contrariis diſpendium timeatur. Huc pertinet *Ciceronis* illud: [a] Non *permanendum* eſt *in una ſeutentia, converſis rebus*, & hominum *voluntatibus immutatis, ſed temporibus aſſentiendum. Nunquam enim præſtantibus in rep. gubernanda viris laudata eſt in una ſententia perpetua permanſio: ſed, ut* in *navigando tempeſtati obſequi artis eſt, etiam ſi portum tenere non queas; cum vero id poſſis mutata velificatione aſſequi, ſtultum eſt eum tenere cum periculo curſum quem ceperis, potius quam eo commutato, quo velis* tamen *pervenire: ſic eum nobis omnibus in admiſtranda rep. propoſitum eſſe* debet, *&c.* SECT. III.

SECUNDO: de regiminis hujus abrogati *effectu* vel *eventu* breviter differendum eſt. Is autem quadruplex erat: *ira Dei, ſervitus populi, ſubverſio religionis*, & *ruina regni.* Effectus aut eventus quadruplex

(1°.) IRA *Dei*: nam Iſraelitæ Theocratiam rejicientes & regem poſtulantes, Deum ad iram quam maxime provocarunr. Nempe regis petitio, notante *Samuele*, רעה רבה [b] *malum multifarium* erat, & ſummam ingratitudinem, diffidentiam, ſuperbiam, impudentiam, contumaciam, diſſimulatiooem, Dei contemptum, ethniciſmi ſtudium, temeritatem, & fidei violationem, in ſe una continebat. *Snmmam ingratitudinem*: eo quod regem petendo, illius jugum & imperium ferrè recuſarent, qui a malis non facile numerandis eos liberaſſet, & ab infima ſervitute ad florentem reip. ſtatum & opes vicinis ſuis invidendas eos traduxiſſet. Ingraritudinem hanc iis probro vertit *Samuel*, dicens, [c] *vos hodie abjeciſtis Deum veſtrum, qui ſalvavit vos ab omnibus malis & anguſtiis veſtris: & dixiſtis ei, pone regem ſuper nos.* Nec in Deum ſolum, ſed & ejus miniſtrum *Samuelem*, ſe ingratos præbuerunr: nam & eum rejecerunt, qui collapſam morum & religionis diſciplinam, abjectis idolorum ſordibus, inſtauraſſet, Judicis æquiſſimi partes impleviſſet, & eo Philiſthæos & alias e vicinia gentes adduxiſſet, quod ne hiſcere auderent, cum *Samuel* rei communi præficeretur. Eorum etiam *diffidentiam* notam faciebanr: nam ideo regem expetebant, quod in Domino exercituum non acquieſcerent, ſed humana præſidia præponerent, & ſibi perſuadentes, ſe fato meliore belli coo ſilia ſub rege duce tractaturos. Conſtar enim e verbis *Samuelis*, eos tum primum regem ſibi præponi poſtulaſſe, cum *Naas* bellum moliretur, eoſque de ſua publicaque ſalute ſollicitos redderet: [d] *videntes*, inquit, *quod Naas, rex filiorum Ammon, veniſſet adverſum vos, dixiſtis mihi; nequaquam, ſed rex imperabit nobis.* Eorum inſuper *ſuperbiam* prodebanr: nam regem poſtularunt, ut eſſent *ſicut omnes gentes*, h. e. ut ſua etiam reſp. gloria quadam externa inter alias emicaret, nec regum vicinorum ſplendor & pompa regia Judicum ſuorum dignitatem extinguere vel obſcurare viderentur. *Impudentiam* etiam, eo quod imperii formam a ſeipſis excogitatam, politiæ à Deo ipſo conſtitutæ & adminiſtratæ præferendam exiſtimarent; & *Samuelem* adirent præciſe dicentes, *conſtitue nobis regem*, cum ea de re *Samuelem* minime conſuluiſſent, nec per otium ſecum ipſi deliberaſſent. *Contumaciam* inſuper, regem animo tam obfirmaro poſtulantes, quod a ſententia ſua moveri non potuerinr, etiamſi propbeta fuſe docuiſſet, in quam immenſum malorum mare ſe præcipites daturi eſſenr, ſi regimen in gentem electam primitus ioductum rejicerent, & regiam judicandi formam a profanis gentibus hauſtam introducerent. *Diſſimulationem* etiam: neceſſitatis eoim aut miſericordiæ larvam cupiditati ſuæ ſuperponunt, ita prophetam alloquentes, [e] *ecce tu ſenniſti, & filii tui non ambulant in viis tuis: conſtitue nobis regem*, &c. Quaſi dicerent, "tu quidem multa cum laude ſupremi judicis perſonam diu ſuſtinuiſti: cum autem vires tuæ, ſenio jam fractæ, moleſtæ gubernationis oneri ferendo oon ſufficiant, & filii tui a patris ingenio & ſanctitate toto cœlo diſſideant; ut tibi & reip. bene conſultum ſit, oratum te volumus, ut præfectura cedas, & regem nobis conſtituas, ur pari loco ſimus cum ceteris e vicino gentibus. At hiſtoriæ ſacræ ſtudioſi ſat norunt eos hæc dixiſſe, tantum ut ſtudia & conſilia peſſima colore ſpecioſo tingerent. præterea, petitio populi *regiminis* Ira Dei.

[a] Ep. 9. ad Lentul. p. 20. [b] 1 Sam. 12. 17. [c] 1 Sam. 10. 19. [d] 1 Sam. 12. 12. [e] 1 Sam. 8. 5, 6.

SECT. III. *divini contemptum* continebat: nam ideo tegii imperii deſiderio laborabant, quod pompa quadam alliceret, & præ ea fotderet tegiminis divini ſimplicitas, rudis & ab omni ſtrepitu aulico aliena. Hoc peccatum præ ſe ferebat etiam *ethnieiſmi ſtudium:* cum enim regem poſtulatunt, *ſicut cæteræ gentes habuerunt*, gentium conditionem ſuæ prætuliſſe videntut, & leges illas tacite reſpuiſſe, quas * tegibus Iſraelitis iodixit Dominus, & eas admittere voluiſſe, quas reges barbari & idololatræ vel tulerunt ipſi, vel ab aliis acceptas coluetunt. Seipſos etiam *temeritatis ſummæ* reos atguebant, quod mite Dei jugum experti, regis faſcibus parete mallent, & regem expeterent gentium vicinarum regi ſimilem; qui nempe ſuo tantum arbitratu rem verſaret publicam, nollum habens cujus potentiam timeret, conſilium peteret, aut aſſeoſum expectaret. *Samuel* temeritatis hujus, non ſine ratione, cum probro meminit. apud ª *Joſephum*, dicens τίς ἔσχεν ὑμᾶς ἄνοια, ¹ φυγεῖν μὲν τὸν Θεὸν, ὑπὸ βασιλέα δὲ εἶναι θέλειν; *Quæ vos dementia cepit, ut Dei imperium detrectantes, ſub rege eſſe malletis?* Denique, populus ille regem experens *in fidei violatæ* crimen incurrebat. Deum enim in tegem ſolenniter elegiſſent Iſraelitæ, & ad leges ejus obſervandas promiſſionis & fœderis religione ſeipſos devinxiſſent: cum itaque Θεὸν ἀποχειροτονεῖν τῆς βασιλείας (uti loquitur ² *Joſephus*) oon tantum rebellionis ſed & perjurii reatum contrahuot.

Cum *regis* petitio tot nigrioris notæ peccata contineret, Iſraelitæ pœnitentiam agentes ſpeciatim agnoſcunt, ſe peccatis ſuis omnibus hnne cumulum addidiſſe, *quod regem* ᵇ *poſtulaſſent.* Expediam paucis: Iſraelitæ regem petentes graviter peccarunt, & Deum vehementer offenſum reddiderunt, non qnod imperium regium [regiminis divini typus & imago] ſimpliciter ſpectatum, ei diſpliceret; ſed quod imperium regium, duta licet ſervitute redemptum, regimini ſuo, æquo lenique, præſetendum exiſtimarent.

2°. Populi ſervitus. Effectus regiminis mutati ſecundus, etat *populi ſervitus.* Nam a regibus ſuis, regum vicinorum poteſtatem arbitrariam æmulantibus, ita conſtricti ſunt Iſraelitæ, quod vix ullam libertatis priſtinæ veſtigium aut memoriam retinuerint. Nam prædixit propheta. reges inter eos, non paterno vel regio, ſed ᶜ herili & tytannico dominatu, regnaturos; gravia e ſubditorum bonis exactutos vectigalia; onera, quibus ſubditorum humeri pares non erant, iis impoſituros; eos ad miniſteria, vel ſervis ignominioſa, filios & filias adacturos; quicquid regibus eſſet operis urbani, ruſtici, pecuarii, vel bellici, eos corpotum ingenuorum miniſterio peractutos. Hæc omnia votis populi, tegem qualem gentes habebant exteræ petentis, reſpondiſſe videantur. Nam reges *Orientis* poteſtatem arbitratiam & plane herilem in ſubditorum perſonas & fortunas exetcebant. Hac poteſtate vetetes in *Aſſyria* ptincipes uſos fuiſſe, ſatis e ᵈ *Juſtino* diſcimus: *principio rerum* ait ille, *populus nullis legibus tenebatur: arbitria principum pro legibus erant.* ᵉ *Ariſtoteles*, de hujuſmodi mero principatu loquens, Οἱ περὶ τὴν Ἀσίαν, inquit, ὑπομένουσι τὴν δεσποτικὴν ἀρχὴν, οὐδὲν δυσχεραίνοντες· *Aſiatici imperium deſpoticum ferunt, nec indignantes.* Paulo altius aſſurgit ᶠ *Apollonii* dictum: [Ἀσσύριοι καὶ Μῆδοι] τὰς τυραννίδας προσκυνοῦσιν· Aſſyrii & Medi *dominationem arbitrariam* etiam *adorant.* Hinc illa ³ *Livii*, *Syri & Aſiatici -- genera hominum ſervituti nata.* Cum itaque populus Iſraeliticus ingenio tam ſervili eſſent, ut hujuſmodi regem & dominationem in beneficii parte ponerent; Deus, tegem futurum *Samueli* oſtenſurus, ᵍ inquit, זה יעצר בעמי, *iſte dominabitur* ⁴ *in populum meum:* ita *Vulgatus* locum teddit, ſed verbum יעצר emphaſin continet, & *coercebit*, *coarctabit*, ſignificat.

3°. Subverſio religionis. (3°.) Religionis veræ *ſubverſio* mutationi regiminis imputari poteſt. Cum, Dei jugo excuſſo, ſub imperio *regum* viverent Iſraelitæ, populus in omnia ſtatim flagitia præceps ivit, & gentium moribus maxime vetitis & abominandis ſeipſum contaminavit. Nempe ſub regibus laxatæ ſunt imperii habenæ, & gens hactenus hypocritica, frænis libeta, ad veros mores tediit. Neque *reges* malo tantum tegimine, ſed exemplo pejore, popoli moribus peſtem & perniciem attulere. Judices quidem ʰ omnes ſancti fuerunt, eum tamen e regibus, qui Judicum ordini ſucceſſerunt, pauciſſimi fuerint non idololatræ. Hinc cauſa data doctiſſimi ⁱ *Sanctii* vetbis: *dici poſſunt reges*

* *Deut.* 17. 18. a *Antiq. Judaic.* l. 6. c. 5. p. 237. 25. b 1 *Sam.* 12. 19. c 1 *Sam.* 8. 11, 12, 13. d *Hiſtor. lib.* 1. *init.* e *Politic. lib.* 3. c. 14. f *Ap. Philoſtrat. lib.* 7. *cap.* 14. p. 292. g *Lib.* 1. *cap.* 9. v. 17. h *Hebr.* 11. 32. *Ecclaſ.* 46. 11. i *Comment.* in 1 *Sam.* 8. col. 170.

1 Juxta *Lection. Vatican.* φεύγειν — βασ. ἄ
2 *Ubi ſupr.* c. 4. p. 233. 15.
3 Vid. *Liv.* T. 3. Lib. 36. § 17.
4 Juxta Edit. Sixt. V. & Clem VIII. *populo meo.*

abjeciſſe

abjeciſſe Deum: quia vix dum regium nomen in ſuo populo audierat Iſrael, cum veri Dei nomen aut abjectum eſt, aut vile apud plurimos haberi cœpit. Qui tertius regium nomen inter Iſraelitas obtinuit Salomon, *finitimarum gentium idolis ſupplicavit: vix quartus rex* Rehoboam *regnum inivit, cum decem tribus, paterna religione, aut omnino prodita, aut magna ex parte contempta, aureos conflarunt vitulos, & mores* gentilium *amplexa ſunt.* --- *Neque duæ aliæ tribus fuerunt* impietatis *illius tam ſtolida* & *invereennda prorſus exortes: nam* & *illa coluerunt idola*, &c. SECT. I.

(4°.) REGNI *ruina* inter triſtes mutati regiminis eventus numerari debet. Nam poſt paucos annos, tota natio in duas factiones ſeceſſit, bellis frequentibus ſe mutuo atterentes, donec pars utraque tandem regibus ethnicis in prædam cederet. Captivitatibus preſſi ſunt luctuoſis Iſraelitæ, quas nunquam experti fuiſſent, ſi a ſummo ſuo rege & Domino non deſciviſſent. Ut paucis omnia colligam: cuivis in ſacris literis cum cura verſato pateat, reges in Dei regnum & ſolium accitos, mille malis, incommodis, bellis, occaſionem dediſſe, & Iſraelitis non modo nulli uſui fuiſſe, ſed & eorum [a] perniciem acceleraſſe. 4°. Ruina regni.

C A P. V.

De inſtitutis illis Moſaicis, quibus Theocratia occaſionem adminiſtravit.

AD inſtituta Moſaica e regimine Theocratico oriunda, oratio jam conferenda eſt. Ut autem ad hoc argumentum aditum eo promptiorem habeamus, ad memoriam revocandum eſt, Deum triplici modo ſpectari poſſe, (1°.) Quatenus rex mere politicus erat, cui ſumma imperii Iſraelitici ſolenni electione & fœdere deferebatur. (2°.) Quatenus rex cœleſtis, qui [b] *thronum in cœlis* habebat, & *magnus rex* erat *ſuper omnes Deos.* (3°.) Quatenus dux & imperator exercitus Iſraelitici, & regis in caſtris agentis implebat vicem. Hæc ſermone diſtincto perſequi conſultius exiſtimavi, quod *Moſis* inſtituta ad Deum, quandoque ut regem politicum, quandoque ut regem cœleſtem, nonnunquam ut regem militantem, reſpectum habeant; nec facile ſit; legum nonnullarum rationes & textuum multorum ſenſum intelligere, niſi ad varios hoſce reſpectus diligenter attendamus.

S E C T. I.

De inſtitutis Moſaicis Deum ut Regem mere politicum ſpectantibus.

PRIMO: ſpectandus eſt Deus ut rex politicus, cujus erat, non tantum generali providentia, ſed ſpeciali imperio, gentem Judaicam regere & moderari. Plurima autem a *Moſe* inſtituta videntur, quod perſonæ regiæ quam Deus ſuſtinuit apprime convenirent, & honorem ei qua regi debitum, ſacrum & illæſum conſervarent. Illa Legis inſtituta ſeptem.

NAM primo: tabernaculum inſtitutum eſt, ut ſummo regi, palatii & habitaculi regii loco, inſerviret. Cum primum enim Iſraelitæ Deum in regem ſuum ſolenniter elegiſſent, legem eam de tabernaculo ſtruendo tuliſſe dicitur, [c] *& facient mihi* מקדש *Sanctuarium, & habitabo in medio eorum.* Ad quæ legis verba, hæc *Moſes Ben Nachman annotavit* יעשו בית וכלים במקדש מלך ובית מלכה ושכנתי בתוכם בבית ובכסא הכבוד אשר יעשו לי שם *Facient domum, & vaſa quaſi ſanctuarii regis, domuſque regia. Et ego in eorum medio habitabo, in domo ſcilicet ſolioque gloria, quod mihi facient.* Hæc ille, nec inſcite: nam [d] palatium regium מקדש Hebræis dicitur, vel quod locus ſeparatus ſit, ad quem nulli niſi regi & interioris admiſſionis famulis & amicis datur aditus, vel quod a rege, tanquam numine terreſtri, ſanctitatem quandam hauriat. Hac de cauſa forſan, palatium, היכל מלך. a Græcis, [e] ναὸς βασιλέως, appellatur, quaſi palatium regis, inter loca ſanctiora, ſecundum ab ipſo templo ſanctitatis gradum obtineret. His in tranſitu dictis, obſervare juvat, ſcripturam de tabernaculo, tanquam ſummi regis habitaculo & palatio loqui ſolitam. Nam vocatur non raro אהל העדת *tabernaculum teſtimonii*, quod Deus ibi majeſtatis & præſentiæ ſuæ teſtimonium exhiberet; ſacerdotes in tabernaculo miniſtrantes [f] *ad* Deum *accedere* cenſebantur; qui in ſanctuario apparebant, [g] *coram Deo ap-* Tabernaculum.

a *Hoſ.* 13. 9, 10, 11. b *Pſal.* 11. 4. & 95. 3. c *Exod.* 25. 8. d *V. Amos* 7. 13. *Jeſ.* 16. 12. *Ezec.* 28. 18. e *Pſal.* 45. 16. f *Ezec.* 44. 11. g *Pſal.* 42. 2.

SECT. I. *purere*, quæque in eo facta ſunt, *eorum Deo* facta eſſe, dicebantur: ſi cui victimam offerre viſum eſſet, officio illo non niſi coram tabernaculo, utpote Dei habitaculo, fungi [a] tenebatur. Nubes [[b] כבוד & δόξα, dicta] quæ tabernaculum decoravit, præſentiæ & habitationis divinæ ſignum adeo luculentum extitit, quod a magiſtris trito illo שכינה vocabulo paſſim appelletur. Hic itaque non minus appoſita *Nachmanidis* jam laudati verba: עקר החפץ במשכן הוא מקום מנוחת השכינה *fundamentum præcipuum tabernaculi erat, ut locus eſſet quo divinitas quieſceret* aut *habitaret*. E quibus omnibus liquere arbitror, tabernaculum ſacri cujuſdam domicilii vicem præſtitiſſe, quo Deus, Hebræorum rex, inſigni quadam ratione, prout reges terreſtres inter ſubditos ſuos, habitavit. Cum itaque tabernaculum, & poſtea templum, palatii & habitaculi regii vicem obiret; Deus illud in atria ſua varia diſtribui voluit: erat enim extimum [c] τῆς αὐλῆς, medium τὰ ἅγια, & intimum adyti, quod & ſolium gloriæ: nempe, ut ad habitaculi vel palatii regii exemplar expreſſius fieret.

Tabernaculi ſplendor. SECUNDO: lege Moſis inſtitutum eſt, ut tabernaculum ad quæſitiſſimæ pompæ & ſplendoris magnificentiſſimi typos & ideas componeretur: ut illius fabrica auro & cedro plurimo tota ſplenderet intus, & inſtrumentis vaſiſque plurimum aureis [d] inſtrueretur. Quid autem, niſi ut tabernaculum domus cujuſdam regiæ characterem gereret, & omnia in eo Dei muneri & dignitati regiæ convenirent? Antiquiſſimis ex Oriente principibus id moris erat, ut in domibus arte prodiga fabricatis, & [e] aureo plurimum ornatu & ſupellectile inſignibus, habitarent. Hac de re fuſe differentes legat cui vacat, *Dion. Chryſoſt.* Orat. 2. & 49. de *Regno. Pined.* de *reb. Salomon* l. 5. c. 6. & *Briſſon.* de *reg. Perſic.* l. 1. p. 49, 50, 51. Curatum eſt itaque, ut in Dei habitaculo ſplenderent omnia, ne aliter a more & dignitate regia diſcedere videretur.

Vaſa. TERTIO: lege proſpectum eſt, ut tabernaculum ſupellectile & vaſis habitaculo regio conſentaneis inſtrueretur. Senſum meum paulo explicatius exprimunt *Abarbanelis* [f] illa בהיכל היה השלחן והמנורה ומזבח הקטרת כאילו הם כלים לשרת לפני מלך של עולם וגו *In tabernaculo fuere menſa, & candelabrum, & ara ſuffitus, tanquam res ad miniſterium regis mundi apta. Non quod illi (cui laus omnis) harum ulla re opus eſſet, abſit ut ita ſentiamus; ſed ut populi animo penitus inſideret, in mediis Iſraelis caſtris verſatum eſſe Dominum Deum ipſius.* Et quoniam habitaculi ratio ita poſtulavit, cautum eſt etiam, ne menſa [g] illa, panes ſuos, ſcutellas, cochlearia, cantharos, & cyathos deſideraret; aut candelabro lampades ardentes deeſſent, quæ lucem perpetuam Dei habitaculo impertirent. Hinc etiam *ignis*, [h] *jugiter accenſus*, tanquam focus domus ſuæ regiæ, ſuper altare eſſe debuit.

Miniſtri vaſii. QUARTO: ſacerdotes & Levitæ, tanquam ordinis & dignitatis diverſæ famuli, inſtituti ſunt, ut Deo, tanquam regi politico, conſtanti miniſterio inſervirent. Hinc nomen כהנים ſortiti videantur: quamvis enim vox ea ad ſacerdotes notandos adhibeatur, *propria ſua ſignificatione*, obſervante [i] Junio, *latius patet. Significat enim*, ait ille, *miniſtrum in miniſterio honorabili, ut* Job. 12. 19. *Ideo Davidis quoque filiis tribuitur*, 2. Sam. 9. 9. *Sacerdotibus autem deinde attributum eſt, quatenus fuerunt primarii Dei miniſtri*, & illius quaſi ſumptibus ſuſtentati. Hanc vocis illius notationem firmant ea legis verba, [k] *adduc ad me Aaronem fratrem tuum, & filios ejus cum ipſo: e medio filiorum Iſrael*. לכהנו לי *ut ſerviant*, aut (ut Chaldæus habet) לשמשא קדמי *ut miniſtrent coram me.* Neque vero nomen illud ſacerdotibus datum eſt, tantum quod Deo miniſtrarent, ſed quod ei propinqui eſſent, & quaſi interioris admiſſionis famuli. Olim enim vox כהן [1] non tantum *miniſtrandi*, ſed & *accedendi* vel *appropinquandi* notionem habuiſſe putetur: nam filii Davidis, כהנים dicti 2. *Sam.* 8. 18, [l] alibi הראשונים ליד המלך *viri principes ad manum regis* appellantur; quod ſcilicet regis lateri proxime adhærerent, eique a conſiliis eſſent interioribus. Deinde, Sacerdotum nomina (קרובים & הנגשים כהנים) tanquam ἐγγίζοντες, in [m] Scripturis uſurpantur: & הקריב *accedere facere*, eſt *ſacerdotem conſtituere*, Num. 16. 5. Ideo vero ſacerdotes, קרובים *Deo propinqui*, tam frequenter dicebantur, quod iis ſolis ſanctuarium [præſentiæ ſuæ regiæ cameram] adeundi licentia concederetur, & quod ſacris miniſtrantes proxime abeſſent a Sancto Sanctorum, ſummi regis ſolio & interiore habitaculo. Quid autem Deus ordinem ſacrum titulis &

a *Deut.* 12. 11. b *Exod.* 40. 34. c *LXX.* in *Pſal.* 29. 2. d *Exod.* 25. 29, 31, 36, 38. e 1 *Mac.* 11. 58. f Ad *Ex.* 25. 8. *col.* 193. g *Exod.* 25. 29, 30. h *Lev.* 6. 12, 13. i *Not.* in *Geneſ.* 41. 45. k *Exod.* 28. 1. l 1 *Par.* 18. 17. m *V. Exod.* 19. 22. *Lev.* 10. 3. *Ezec.* 42. 13. & 43. 19.

1 Qui plura vult de כהן conſulat *Lexicon Pentaglot.* doctiſſimi *Schindleri*: de literis Orientalibus optime meriti col. 846.

privi-

privilegiis hiſce dignaretur, niſi ut tabernaculum ſuum palatii regii formam præ ſe ferret, & eo magis officio & dignitati ſuæ regiæ conveniret? Nam regum mos & dignitas ampliſſimum famulitium poſtulat, & miniſtros varios, quorum alii his, alii aliis officiis præponantur, alii a regis perſona longius abſint, alii ad illius præſentiam & interiora conſilia recipiantur. Non poſſum ab hac materia diſcedere, quin prius addidero, ſacerdotes vulgares, veſtes decoras & elegantes, ſacerdotem primatium veſtes auro & margaritis illuſtres habuiſſe; nempe, ut habitus ſui ſplendore & elegantia ſervorum regiorum formam & ſpeciem repræſentarent. Sed & ſacerdotes illi, nullo licet præcepto (quod ſcimus) aſtricti, in tabernaculo ſtare ſolebant & [a] excubias agere, ut moribus ſuis ſervos regios exprimerent, & Dei habitaculum ad palatii cujuſdam regii (ubi ſervi regis excubias [b] noctu peragunt) morem & imaginem componeretur? SECT. I.

Quinto: cum habitaculi regii notio & conditio ita poſtularet, lege curatum eſt ut tabernaculum cibo & potu, Dei perſonæ & familiæ regiæ convenientibus, inſtrueretur. Ibi enim menſa ſtetit duodecim panibus inſtructa, vino etiam (ni fallor) non raro perfuſa, ut eo propius accederet ad menſæ convivalis ſimilitudinem, Nam menſa illa [c] cyathos quoſdam ſibi proprios habuit, quibus olim, in menſa ſacra [1] libantes, uſi videantur. Huic conjecturæ locum facit, non tantum ipſe cyathorum uſus, & Græcorum verſio, ſed & Gentilium (a Judæorum ritu raro deflectentium conſuetudo: nam apud eos vinum in menſa ſæpe libatum fuiſſe, ſatis teſtantur *Virgilii* illa: Cibus & potus.

[2] *Dixit, & in menſa laticum libavit honorem.*

Nonnunquam precabantur ethnici, vini aliquid leviter in menſam effundentes. Hujus etiam ritus teſtem affero *Virgilium*,

[3] *In menſam læti libant, Divoſque precantur.*

Sed hoc ego dubitanter dictum velim. Inſtitutum proſequor: non panis tantum & vinum, ſed & caro (e victimarum nempe reliquiis) in tabernaculi uſum abunde parabatur. Nam ſacrificia partim ſuper altare igne abſumpta ſunt, partim a ſacerdotibus comeſta; qui, cum Dei famuli eſſent, par erat ut ejus quaſi ſumptibus alerentur. Quod in altari conſumptum erat, Dei portio ſeu ferculum habebatur, uti liquidum eſt e Cap. 1. *Malac.* v. 12. Ubi altare *Dei menſa*, & ſacrificium ſuper eo *Dei cibus*, appellatur: & ſæpius [d] in lege, & [e] alibi, ſacrificium Dei לחם i. e. *panis* ejus aut *cibus* dicitur. Ut autem convivio cuidam regio reſponderent omnia, præter animalis in ſacrificium oblati carnem, [f] *Mincha* erat aut ferculum (e farina puriſſima cum oleo & thure factum) & libamen vini, tanquam panis & potus, individui carnis Deo in cibum oblatæ comites. Super hæc: [g] lege diſerta cautum eſt, ne cuivis oblationi deeſſet ſal; eo quod cibus nullus niſi ſale conditus bene ſapiat. Huic rationi ſuffragatur *Nachmanides*, qui Deum in quavis oblatione ſalem præcepiſſe dicit, מפני שאינו דרך כבוד להיות לחם השם טפל מבלי מלח i. e. *Quod non eſſet e dignitate cibi Dei, ut inſipidus eſſet, ſine ſale.* Quoniam autem ſalis hic mentio inciderit, a re præſenti non erit alienum obſervare, ſalem non tantum Dei menſæ [altari] ſed & ſacerdotum menſæ in ſanctuario, ſemper adfuiſſe. Scriptura panum duodecim tantum impoſitorum diſerte meminit: at [h] *Villalpandus* & [i] *Fortunatus Scacchus* ſalem etiam in menſa ſacra locum inveniſſe, e [k] vaſis ejus lege memoratis haud abſurde colligunt. Huic opinioni favet [l] *Philo*, qui de ſacra menſa loquens, ἡ δὲ τράπεζα, inquit, τίθεται πρὸς βορρᾶν, ἐφ' ἧς ἄρτοι, καὶ ἅλες· *Menſa autem poſita eſt verſus ſeptentrionem, ſuper quam panes & ſales.* Ubi *Philo* plurali ἅλες utitur, ut duo ſaltem ſalis vaſcula, menſæ cum panibus impoſita denotaret. Hæc autem ſic a Deo comparata ſunt, ut tabernaculum quod ſibi incolendum cepit, habitaculi regii imaginem eo luculentius exprimeret, & Deus inter Iſraelitas, prout rex inter ſubditos ſuos, habitare crederetur.

Sexto: ſolium illud auro conſpicuum, quod Deus ſublimis inſedit, lex in tabernaculi receſſu poni juſſit, ut Deo qua regi politico conveniret. Deus, ad morem regis, tabernaculi ſui interiora præſentia ſua ſpeciali decoravit, cherubinos pro ſella vel throno regio habens, & arcam pro ſcabello. Cherubinos Deo throni regii loco fuiſſe, & Iſraelitas Dei ſeſſionem *ſuper* [aut *inter*] eos officii ſui regii documentum habuiſſe, e Solium aureum.

a *Pſal.* 134. 1, 2. b *Cantic.* 3. 7, 8. c Καὶ τὰς σπονδὰς αὐτῆς, ἐν αἷς σπείσεις LXX. in *Exod.* 25. 29. d *Num.* 28. 2. e *Ezec.* 44. 6, 7. f *Num.* 15. 4, 5. g *Levit.* 2. 13. h In *Ezec.* 41. T. 2. l. 4. c. 37. i *Myroth.* P. 2. c. 41. k *Exod.* 25. 29. l *Lib.* 3. de *Vit. Moſ.* p. 669. D

1 Apud *MS. Oxonienſem*, *soluntur*
2 *Æneid.* l. 1. v. 740.
3 *Æneid.* l. 8. v. 279.

SECT. I.

variis ſcripturæ locis prompte colligendum eſt. Primo, e Pſalmiſtæ verbis, [a] *Dominus rex eſt, contremiſcant populi, ſedet in Cherubim, contremiſcat terra:* nam inde liquet Pſalmiſtam, dominatus ſui regii gloriam Deo tribuentem, ſeſſionem *in Cherubim*, tanquam thronum regium, dominatus illius argumentum habuiſſe. Huc etiam ſpectare videntur Pſalmiſtæ verba, [b] *Deus regnavit ſuper gentes, Deus ſedit ſuper thronum ſanctitatis ſuæ*, h. e. thronum in Sancto Sanctorum poſitum. Eo etiam alluſum, ad *Hebr. 8. 1. Talem habemus pontificem qui conſedit in dextera* τῷ Θρόνῳ τῆς μεγαλωσύνης *ſolii majeſtatis*, prout ſcil. Aaronidæ apud arcam Dei ſtabant, quæ כסא כבוד *ſolium gloriæ* ab Hebræis vocabatur. Ad hunc etiam thronum alludi, *Apoc. 4.* ſuſpicari ſas eſt, quod apertum ſit, omnia de throno illo Apocalyptico dicta throno in [c] tabernaculi adytis conſtituto adamuſſim convenire. Cum autem thronus ille, tabernaculi & templi pars primaria fuerit; inde factum eſt quod templum *throni* nomine non ſemel inſignitum reperiamus. *Jeſ. 6. 1. Vidi Dominum ſedentem ſuper thronum excelſum & elevatum, & fimbriæ ejus replebant templum*, Jerem. 17. 12. *Solium gloriæ altitudinis, a principio, locus ſanctuarii noſtri.* Et Ezec. 43. 7. *Locus ſolii mei & locus veſtigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Iſrael, in perpetuum.* Et Apoc. 16. 17. *Et vox magna prodiit e templo cæli, e throno.* Quid autem thronus ille in tabernaculo, prout & templo, conſtitutum eſt, niſi quod regii cujuſdam domicilii rationem haberet, & Deus apud Hebræos regis politici vicem præſtaret, adeoque, regum antiquorum ritu, throno aureo inſideret?

Oraculum.

Septimo: hæc regiminis divini forma, oraculo in tabernaculi adytis conſtituto, & reſponſis inde datis, cauſam dediſſe cenſeatur. Si enim de temporum antiquiorum moribus e ſequiorum temporum uſu conjecturam faciamus, ſummi orientis principes tentoria ſua, atria, ſive conclavia, habebant, quorum receſſibus plurimum obtecti ſedebant; inde vero ſe ſubditis exhibere, iiſque reſponſa, velut oracula, dare, quandoque dignabantur. Cum autem hæc tentoria regia in tholum ſurgerent, & aurea eſſent vel auro magnificentius exornata, Χρύσεοι οὐρανίσκοι, *aurei cæluli* dicebantur; prout e *Plutarcho*, *Athenæo*, & *Heſychio*, nos docet, magnum rei literariæ lumen, [d] *Seldenus* noſter. Cum etiam inde reſponſa, pro oraculis habita, darent Orientis reges, tentoria illa σκηναὶ χρηματιστικαὶ vocabantur. Nam obſervante eodem [e] *Seldeno*, *Ptolemæi Evergetis cælum* ſeu tentorium magnificum, ἐπιφανὴς καὶ χρηματιστικὴ σκηνή, *illuſtre & oraculare tentorium* Polybio appellatur. Cum itaque Orientis ſummi reges tentoria ſua aurea vel aurata haberent, & inde reſponſa regia, pro oraculis habita, non raro darent; a vero non plane abſonum eſt, Deum ideo דביר *oraculum* & ſedem ſuam in tentorii ſui deaurati receſſu poſuiſſe, & inde populo ſuo reſponſa reddidiſſe, ut illius σκηνὴ χρηματιστικὴ regum antiquorum tentoriis magnificis reſponderet, & ſua omnia perſonæ quam ſuſtinuit regiæ quadrarent & conſentirent.

Alia legis inſtituta ex hoc regimine fluentia ſuperaddi poſſent: ea vero, ne ſermo modum excedat, prætermittam; & clauſulæ loco, [f] *Rabbi Schem Tob*, quæ multa paucis compingunt, ſubjungam verba: השם יתברך צוה לעשות בית כבית מלך ובבית מלך ימצאו כל אלו הדברים אשר אמרנו אנשים שישמרו את היכלו וגו Hæc, & quæ deinde ſequuntur, ſic latinitate donavit [g] auctor mihi dum vixit amiciſſimus: *Deus, cui laus, talem ſibi domum condi juſſit, qualis eſſe ſolet domus regia. In domo regia, hæc omnia, quæ diximus, reperiuntur. Alii ſcilicet, qui cuſtodiant palatium ejus; Alii qui fungantur officiis ad regiam dignitatem pertinentibus, qui epulas inſtruant, aliaque faciant regi neceſſaria. Alii denique qui voce quotidie fidibusque canant. Eſt etiam in domo regia locus ad cibos apparandos conſtitutus. Item locus ubi odoramenta adolentur. Eſt etiam menſa in domo ejus, itemque conclave ipſi proprium, quo nemo pervenit, niſi qui ei ſecundus eſt, quoſque in maxime charis habet. Eundem ad modum voluit Deus, ut hæc omnia ſua in domo ineſſent, ne qua in re terrarum regibus concederet. Eſt enim ille rex magnus, ut his quidem rebus non indigeat. Verum hinc facile elucet ratio victus familiaris ſacerdotibus & Levitis dati, utpote quem rex quiſque miniſtris ſuis ſuppeditare ſolet. Atque hæc omnia eo ſpectabant, ut intelligeret vulgus, regem, nempe Dominum exercituum, inter nos verſatum eſſe.* Nonnulli forſan hæc, & alia quæ dixi modo, luſus tantum ingenii in re ſacra laſcivientis habituri ſunt; quod iis incredibile videatur, Deum in inſtitutis ejus, regum ethnicorum mores imitari, vel habitaculum ſuum ad palatii terreſtris modulum componere voluiſſe. Cum autem Deus regis politici nomen & officium ſumere non dedignatus ſit, fidei & ra-

a *Pſal.* 99. 1. b *Pſal.* 47. 8. c *V. Cl. Med.* in *Apoc.* 4. d *De jur. nat. & gent. l.* 2. *c.* 8. *p.* 236. e *Pag.* 237. *id.* f *Ad Mor. Neb. P.* 3. *c.* 45. g *Outram. l.* 1. *de Sacrif. c.* 3.

tioni

tinni conſenrit, Deum ea omnia ſtatuere & agere voluiſſe, quæ a ſe regis nomen & officium exigere videbantur. Et certe, niſi hæc, & alia nonnulla, legis inſtiruta, ab origine jam dicta promanaſſe cenſeantur; cauſa haud mihi in promptu eſt, cur Deus tanto cum apparatu, & ritu regii moris æmulo, ſe colendum exhiberet. SECT. II.

Nemo hic expectet, ut per inſtiruta legis omnia diſcurrerem, quæ ſanctionem & originem ſuam Deo qua regi politico debuerunt; cum id mihi negotii ſolum dederim ut eorum inſtitutorum ſontes aperirem, quæ cum Dei cultu & populi Judaici religione cognatione propinqua jungebantur.

S E C T. II.

De Legis inſtitutis, Deum, ut regem cœleſtem, ſpectantibus.

UT inſtitutorum Moſaicorum rationes diſtincte percipiamus, Deus (uti dictum eſt) non tantum ut rex *politicus*, ſed ut *cœleſtis*, ſpectari debet. Eo nempe collineare videntur pleraque, tabernaculum præcipue ſpectantia, *Moſis* inſtituta, ut Iſraelitæ Deum ſuum qua regem, & regem ſuum qua Deum ſuſpicerent & adorarent. Rei hujuſce *veritatem* primo, deinde *rationem*, oſtendere conabor.

Rei veritas evinci poteſt (1°.) Ex inſtitutorum eorum forma, tam varia & ambigua, quod Jehovæ tanquam Deo ſimul & regi convenirent, eumque nomine & reſpectu utroque cultum indicarent. Nam tabernaculi vaſa, quatenus ex auro ſacta, Deo qua regi; quatenus victimis & libaminibus offerendis apta & accommodata, ei qua Deo; convenire videbantur. Panes duodecim in menſa poſiti, *regem Iſraelis* decebant maxime; panes autem intacti & a tabernaculi tantum miniſtris comeſti, Deum [cibis haud indigentem] denotabant. Tabernaculum magnificum aureo apparatu ſplendidum, ſummo regi; tabernaculum unctum & cherubinis decoratum, ſoli Deo incolæ conveniebat. Sacerdotes, qua pulchre veſtiri & tabernaculi miniſteriis intenti, Jehovæ qua regi; quatenus autem τῶν ἁγίων λειτουργοὶ & officiis tantum ſacris occupati, Jehovæ qua *Deo Iſraelis*, conſentanei videbantur. Lampades ante thronum ardentes, quatenus habitaculo cuivis neceſſariæ, Jehovæ qua regi; qua ſeptem, eidem qua Deo, congruebant; cum ſeptem planetas, aut *ſeptem ſpiritus coram Dei throno*, ſignificarent. Caro, panis, & vinum oblatum, ſignum erant, Iſraelitas Deum qua regem; ſed caro, panis, & vinum altari dicatum, eos regem qua Deum, venerari. Thronus aureus Deo qua regi convenit; thronus e cherubinis, angelorum figuris, conſtans, regem cœleſtem ſonat. Duæ tabulæ, quatenus legibus inſcriptæ & ſub throno poſitæ, indicio erant Iſraelitas Deum qua regem; quatenus in arca cum manna poſitæ, eos eundem qua regem cœleſtem, colere denotarunt. Tabernaculum nulla non arte decoratum, & in partes varias tributum, regem aliquem eximium habitaculi tam auguſti [a] incolam indicavit: at tabernaculum ornamentis & inſtrumentis peculiaribus inſtructum, non regem aliquem humano ſanguine prognatum, ſed cœleſtem, ſed ipſum Deum, in eo habitantem, docuit. Tabernaculi menſa aurea duodecim panibus inſtructa, *regem Iſraelis*; at ara aurata non longe remota, *Deum Iſraelis*, in eo cultum ſignificavit.

(2°.) E nomine tabernaculo tributo pateat, Deum ſub lege non tantum ut regem civilem, ſed ut regem cœleſtem, coli & ſpectari debuiſſe. Cum enim Deus de tabernaculo ſabricando legem ferret, inquit, [b] *& faciant mihi* מקדש *ut habitem inter eos:* hoc autem vocabulum notionem duplicem, *palatii* nempe vel *ſanctuarii* aut loci ad ritus ſacros ſeparati, continet. Significatus prioris exemlum præbet *Ezechiel*, cap. 28. 18. ubi de rege Tyri loquens, inquit חללת מקדשיך *prophanaſti ſanctuaria* vel *palatia tua*. Aſſentit *R. Kimchi* & vocem per ארמונך *palatium tuum* interpretatur. Et illud [c] *Ieſaiæ* de Deo O. M. dictum, והיה למקדש idem *Kimchius* ita παραφράζει, הוא ארמון ומקום משגב שישגב אדם בו *ille* erit ut *palatium & locus editior in quo homo exaltari ſolet*. Se ſibi ſimilem præſtitit etiam, מקדש per ארמון *palatium* [d] explicans, in [e] *Amoſi* illa, *in Bethel ne adjeceris prophetare*, כי מקדש מלך *quia palatium regis* eſt. Occurrunt etiam textus haud pauci, quibus vox ea pro loco in uſus ſacros deſtinato [*ſanctuario*] uſurpatur: nam hoc ſenſu ſumpta, ſæpe Dei tabernaculum & templum denotat. Semel etiam nomen מקדש, hoc ſenſu captum, idolio tributum legimus, nempe *Jeſ.* 16. 12. Ubi ſic Propheta de *Moab*, ובא אל מקדשו להתפלל *& ibit in ſanctuarium*

a V. *Grot.* in S. *Mat.* 27. *v.* 51. *&* D. *Outram* de *ſacrif.* p. 21. b *Exod.* 25. 8. c Cap. 8. 14.
d In *Rad.* קדש. e Cap. 7. 13.

SECT. III. *ſuum ut oret:* ubi Græci אל מקדשו reddunt εἰς τὰ χειροποίητα αὐτῆς, Vulgatus *ad ſancta ſua*, Chaldæus לבית טעותיה *in domum idololatriæ ſuæ.* Quid autem tabernaculo nomen inditum eſt, palatium ſimul & ſanctuarium aut templum denotans, niſi quod ita factum eſſet ut palatii ſimul & templi ſimilitudinem exprimeret; & ita conſtituta eſſent omnia, ut Jehovam qua regem & qua Deum in eo colendum indicaret? Niſi Deus hac de cauſa tabernaculo nomen מקדש impoſuerit, tenuem meam conjiciendi facultatem præterit, cur hoc ſenſus duplicis & incerti vocabulum uſurparet, cum præſertim tot eſſent alia vocabula, [אהל ,משכן ,סכה ,אהל מועד aut שבת ª] ad Tabernaculum exprimendum magis apta, & frequentius uſurpata.

Eo me jam vocat rerum ordo, ut rationem oſtendam cur Jehovah Dei ſimul & regis nomine rituque coli voluerit, & tabernaculi ritus & inſtrumenta ſic inſtituerit, ut eum regem quidem, ſed cœleſtem, & longe ſupra regum vulgarium conditionem poſitum, indicarent. Quantum itaque conjectura capio, Deus ita coli voluit, (1°.) Ut nonnihil indulgeret mori temporum, quibus Ægyptii aliique non tantum Deos ſuos ut reges, ſed reges ſuos beneficos, ut Deos, adorare ſolebant. Cultus hujuſce teſtem oculatum audiamus, *Diod. Siculum:* [b] Δοκοῦσιν οἱ Αἰγύπτιοι, inquit ille, τοὺς ἑαυτῶν βασιλεῖς προσκυνεῖν τε, καὶ τιμᾶν, ὡς πρὸς ἀλήθειαν ὄντας Θεούς — Τὰς βουλομένας τε καὶ δυναμένας [τὰ μεγάλα] εὐεργετεῖν, ἡγούμενοι θείας μετέχειν φύσεως. Deus itaque hac in re nil præter ſeculi morem ſtatuiſſe videatur. (2°.) Ut Iſraelitæ ſerio intelligerent, ſe non *Molecho* jam [regi alicui terreſtri mortuoque] ſed regi cœleſti, ſupra vim fati poſito, cultum exhibituros; adeoque Gentium *Molechos* & *Baales*, Deos mortuos & infra ipſam cultorum ſuorum conditionem poſitos, contemnere diſcerent & ſugillare. (3°.) Ut hac ratione, non minus Dei majeſtati quam populi infirmitati conſuleretur. Cum enim Deo viſum eſſet, ad regis politici nomen & officium ſe demittere, ut populi rudioris infirmitati conſultum iret; æquum erat ut tabernaculi ritus & inſtituta quædam, cum rege multo majorem indicarent, quo Dei honori proſpectum eſſet, nec per demiſſionem illam cultus ſibi debiti jacturam pateretur. Ut compendium faciam: ita curata ſunt omnia circa tabernaculum, ut Deus ſemper rege major, cum ſeipſo minor, appareret.

JAM dicta rationem ſuggerunt, cur numen cœleſte *Deus* & *rex*, eodem in commate, in vet. Teſt. tam frequenter appelletur; viz. *Jeſ. 43. 15. Zech. 14. 17. Malac. 1. 14. Pſal. 5. 2.* & *20. 9.* & *44. 6.* & *68. 24.* & *89. 18. 95. 3.* & *98. 6.* & alibi paſſim; quod nempe lex Jehovam, ut Deum ſimul & regem, colendum proponeret, & tabernaculum, præcipuus cultus divini locus, tot potentiæ ſuæ στρατηγικῆς ſimul καὶ βασιλικῆς (uti loquitur *Philo*) ſymbola præberet & argumenta.

SECT. III.

De Legis inſtitutis Deum ut Dominum Exercituum, aut regem militantem, ſpectantibus.

TERTIO: Deus ſpectari poteſt, ut rex in caſtris agens, & exercitus Iſraelitici in deſertis oberrantis dux & imperator. Multa autem per *Moſem* inſtituta ſunt, quod Deo quatenus exercitus illius duci convenirent, ad quorum nonnulla jam digitum intendemus.

NAM (1°.) Tabernaculum inſtitutum eſt, quo, tanquam in tentorio militari, ſummus ille dux & imperator, regum militantium ritu, reſideret, & omnia ad militiam ſpectantia procuraret. Si enim exercitus alio transferendus eſſet, tentorium diſſolvebatur, & iterum erigebatur, ubi dux ille tentoria figenda, columnæ quieſcentis ſigno docuiſſet. Ex hoc tabernaculo, quo ordine caſtra metanda eſſent, quibus hoſtibus occurrendum, quando bellum declinandum, populus admonebatur. Qua ratione hi vel illi puniendi, qui obſequium ſummo duci debitum detrectarunt, e tabernaculo decernebatur. Hinc forte cauſa perenda, cur tabernaculum *Salomonis* pacifici temporibus evaneſceret, & locum templo cederet; quod nempe pacatus ille rerum ſtatus, tunc temporis obtinens, cum tabernaculo, belli ſacri monimento, male conveniret. Ut autem Scriptura (quod obiter noto) convenienter ad uſum tabernaculi militarem loqueretur, non raro vocibus utitur a militia & uſu bellico mutuatis. Nam populi cœtus integer,

a *Quod LXX.* κατοικητήριον vertunt *Exod. 15. 17.* b *Bibl. Hiſt. l. 1. p. 81. B*

ª יהוה

[a] צבאותיהוה *Exercitus Domini* vocatur: Angelus ille qui ſe [b] *Joſhuæ* videndum præbuit, ſe *principem* aut *ducem exercitus Domini veniſſe* dicit: Levitæ, tabernaculi miniſterio dicati, *ingredi* [c] dicuntur לצבא *ad exercitum*, vel (uti vertunt LXX) λειτουργεῖν Hiſce congruunt Jeſaiæ verba, *Cap. 40. 2. Loquimini ad cor Jeruſalem, & clamate ad eam* כי מלאה צבאה *quod completa eſt* [d] *militia ejus*; hæc enim plerique ad ſacerdotii *Levitici* miniſterium referenda ſentiunt: eodem forte ſpectat locus ille [*] *Danielis*, ubi ſacræ ſacerdotum turmæ, צבא השמים *Exercitus cæleſtis* audiunt, & Deus שר-הצבא *Princeps* vel *Dominus exercitus*, ſub cujus quaſi ſignis militiæ ſuæ munera exercebant. Nam textus *Antiochum* ſpectare creditur, qui [e] juge ſacrificium ceſſare fecit, ſanctuarium polluit, & ſacerdotes eos interfecit qui partibus ejus adverſi videbantur. Sed in callem redeamus. SECT. III.

(2°.) UT omnia Dei perſonæ militari reſponderent, ſtatutum eſt, ut populi cœtus exercitus ſpeciem haberet, & in quatuor agmina ſeu vexilla, ſignis aut figuris cuique propriis diſtincta, partiretur. Unumquodque vexillum aut agmen tres tribus continebat, & primariæ tribus ſignum præferebat. Hæc quatuor magna vexilla dicuntur דגלי, מחנה [*] *Vexilla caſtrenſia*, τάγματα παρεμβολῆς Græcæ, Romanorum aquilis analoga, legionum ſingularum ſignis. LXX ſigna hæc δυνάμεις vertunt, & ideo forte יהוה צבאות κύριον δυνάμεων interpretantur.

(3°.) UT regis militantis morem & formam ſervaret Deus, præceptum eſt ut caſtris metandis omnia ex lege rituque militari peragerentur. Quantum enim ex hiſtoricis & antiquis rei bellicæ magiſtris intelligere liceat, in caſtris ordinandis lex olim obtinuit, ut primo ſummi ducis tentorium figeretur: deinde, ut cuſtodes tentorii ſummi ducis, *excubitores* appellati, per gyrum ſtatuerentur: & tandem reliqui milites, per turmas & vexilla diſpoſiti, circumcirca caſtra metarentur. Iſraelitas leges haſce militares in caſtris metandis & mutandis obſervaſſe, non facile dubitandum eſt. Cum enim *proficiſcendum eſſet*, [f] Levitæ tabernaculum diſſolvere, eum caſtramentandum, erigere tenebantur. Tabernaculo erecto, Levitarum erat [g] *per illius gyrum tentoria figere* & quaſi excubias agere. Reliquus Hebræorum exercitus, in quatuor agmina ſeu vexilla tributus, in tabernaculi circuitu tentoria collocabant. Nam ad Orientem vexillum *Judæ*, ad Occidentem *Ephraimi*, ad Auſtrum *Reubenis*, ad Septentrionem *Danis*, cum ſociis tribubus diſponebatur. Quid autem *Moſes* Iſraelitas eo quem dixi ordine collocari voluit, niſi ut omnia, ad uſitatum caſtrametationis modulum conformata, Dei loco & poteſtati imperatoriæ magis apte convenirent?

(4°.) STATUTUM eſt ut arca cherubinis inſtructa [Dei vehiculum & præſentiæ ſuæ pignus] ſemper [h] præcederet, cum Iſraelitæ prodirent ad bellum gerendum aut regiones hoſtiles occupandum. Cum enim Deus rei bellicæ præeſſet, decori ratio poſtulavit, ut arca (quæ Dei vicem tenuit) in primo agmine ſiſteretur, & ipſe, veluti dux & imperator, exercitum in prælium ducere videretur. Milites enim prælium inituri ducem ſuum ſequi ſolent, & ab eo non minus exemplum quam diſciplinam petere: conſentaneum itaque fuit, ut milites & reliqui cum hoſtibus congreſſuri, Deum exercitus Iſraelitici ducem & imperatorem, more copiarum militarium, ſequerentur.

(5°.) VERISIMILE eſt *Moſem* inſtituiſſe varias illas cherubinorum formas, quibus Dei vehiculum ornabatur, quod ei, qua totius exercitus Iſraelitici duci, maxime convenirent. Nam quadruplex illa cherubinorum forma vel facies apud [*] *Ezechielem*, opinari ſuadeat, cherubinos Moſaicos faciem quadruplicem [nempe leonis, bovis, hominis, & aquilæ] habuiſſe. Referunt autem [i] Hebræi, ex antiqua majorum traditione quatuor illa vexilla caſtrenſia modo memorata, formis hiſce cherubicis inſignita fuiſſe; & vexillum *Judæ* figuram leonis, *Ephraimi* bovis, *Reubenis* hominis, & *Danis* aquilæ figuram geſſiſſe. Probabile eſt itaque, Deum cherubinis quadruplicem horum animalium formam habentibus vehi voluiſſe, ut ipſa currus aut vehiculi ſui forma doceret, ſe regem & ducem eſſe quatuor cohortum ſeu caſtrorum Iſraelis. Hæc conjectura [k] *Medo* noſtrati placuit, nam *quemadmodum*, inquit, *principum quadrigæ dominorum ſuorum fulgent inſignibus, ita cherubini ſignis Jehovæ, regis & ducis tetrarchiarum Iſraelis.* Sed alius eſt hac de re dicendi locus.

(6°.) PROBABILE eſt, ideo ſtatutum fuiſſe ut tabernaculum templum eſſet, & arca [præcipuum exercitus Iſraelitici ſignum caſtrenſe] in eo, tanquam ædicula ſacra,

a *Exod. 12. 41.* b *Joſh. 5. 14, 15.* c *Numer. 4. 3.* d *Non malitia, uti apud Vulgatum hodie corrupte legitur.* [*] *Cap. 8. 10, 11.* e *V. Joſeph. de Bel. Jud. l. 1. c. 1. pag. 958.* [*] *Numer. 2. 17.* f *Num. 1. 51.* g *V. 53.* h *Vid. Num. 10. 33. Pſal. 68. 7.* [*] *Cap. 1. 10.* i *V. Grot. ad Num. 10. 15. & Clar. Med. in Apoc. p. 916.* k *Ub. ſup. p. 917.*

SECT. III.

poneretur, quod Deus jam belli præſes eſſet & in caſtris ageret. Tabernaculum templi locum occupaſſe, *Joſephi* teſtimonio confirmarur: [a] ἐκ τοιαύτης ὕλης κατεσκεύαζε τὴν σκηνὴν [1] ἡ δ' ἦν μεταφερομένη καὶ συμπεριοστοῦντος ναῦ διαφέρειν· *Hujuſmodi erat materia tabernaculi, ut nihil ab ambulatorio & portatili templo differret.* Conſentit *Philo*, de Iſraeliris, hæc, inrer alia, verba faciens; [b] ἐπεὶ δ' ἔτι κατὰ τὴν ἐρήμην ἐπλάζοντο, τοῦ μήπω παγίως ἱδρυθῆναι ἥρμοττε φορητὸν ἔχειν ἱερὸν, &c. *Quoniam autem adhuc in deſerto errabant, nullam certam ſedem habentibus conveniebat templum ambulatorium, ut tam in itinere quam in caſtris ſacra facerent.* In tabernaculi vel templi hujus receſſu, tanquam ædicula ſacra, ponebant arcam, quam ſignum caſtrenſe dixi; quod Iſraelitæ militantes ad eam confluerent, præcuntem ſequcrentur, [c] eam belli ſpem primam exiſtimarent, eam caſtris poſitis loco maxime conſpicuo collocarent, eamque ſingulari veneratione proſequerentur. Hæc autem ex antiquo caſtrorum more fluxiſſe me perſuaſum habeo, quod in Romanorum caſtrametationibus eorum veſtigia ſubobſcura deprehendi poſſint. Nam veterum fide firmatum eſt, eos in caſtris habuiſſe tabernaculum, non ſolum *prætorium* duci proprium, ſed & *ſacrum*, veluti ſacellum aut ædiculam, quo ſignum caſtrenſe, nempe aquilam, cuſtodire ſolebant & venerari. *Herodianus* [d] τὸν ναὸν τοῦ στρατοπέδου, *templum caſtrorum* memorat: hoc idem clarius teſtarur *Alex. ab Alexandro*, dicens, [e] *more ſervatum* erat, *ut in principiis caſtrorum, aut juxta tabernaculum ducis, templum* ſive *ædiculam ſimili exemplo milites conſtruant;* juxta *quam ſigna & aquilam venerarentur & ſervarent; unde cum opus eſſet, extra caſtra adduci poſſent.* Hæc *Alexandri* verba citat [f] *Fortunatus Scacchus*, & ſtatim ſubjungit, *hanc omnem ædiculæ rationem Gentes ab inſtitutis divinis hauſerunt, & quæ Deus in caſtris Iſraeliticis tutelæ ac religionis cauſa decreverat, idololatræ æmulari non ſunt veriti. In ſtationibus* aurem *Dei tabernaculum atque caſtra imitabantur, ut ſub ſpecie religionis populum ille perimeret leo, qui ſemper rugit: circumiens, & quærens quem devoret.* Hanc autem viri docti conjecturam erroris tantum ſpecioſi laudem mereri cenſeo: ſi enim Romani, æmulatinne quadam ducti, mores hoſce militares ex inſtitutis Moſaicis accepiſſent; veriſimile eſt eos, arcam, cherubinos, tubas argenteas, & res alias in caſtris Iſraeliticis uſitatas, imitari voluiſſe. Et ſi *leo ille rugiens* quicquam prædæ, *ſub religionis Judaicæ ſpecie*, caprare ſtuduiſſet; curaſſet proculdubio, ut mulro plura Judæorum inſtituta in ſervorum ſuorum mores inducerentur. Mihi itaque veritati magis affine videtur, genres antiquas, militari gloria celebres, duo tabernacula, *civile* ſcilicet & *ſacrum*, perpetuos caſtrorum comites, habuiſſe. Horum primo, totius exercirus dux & imperator reſidebar; [g] alrero Deos, ſignum caſtrenſe, & ſiqua alia ſacratioris notæ, colere ſolebant & circumſerre. Deus itaque, ut imperatoris formam ſervaret, & res ad morem caſtrorum adminiſtraret, ſibi tabernaculum ſabricari, & arcam, aliaque κειμήλια ſacratiora in eo collocari juſſit. In hoc equidem a caſtrorum uſu receſſit Deus, quod unum tantum, non duplex, tabernaculum conſtitui juſſerit: cum enim ipſe idem Deus eſſet & imperator, par erat ut eadem fabrica tentotii ſimul & ſacelli vel ædiculæ ſacræ vice fungeretur.

Capitis concluſio.

E ſuperius adductis elucet, nonnulla legis inſtituta Deum ut regem politicum, alia ut regem cœleſtem, alia ut regem militantem, reſpexiſſe; eumque, hoc vel illo modo ſpectatum, auctorem habuiſſe: ſpeciatim vero, tabernaculum, quatenus *palatium* erat, Deo ut regi politico; quatenus *templum portatile* vel ſacellum, Deo ut regi cœleſti; quatenus *tentorium*, Deo ut regi militanti vel Domino exercituum, reſpondiſſe & originem ſuam debuiſſe. Hic non περίεργως aut prorſus importune quæri poſſet, unde [2] Decimarum ſolurio fluxerit; & an Deus, ut rex mere politicus, cœleſtis, vel ut militaris, earum ſolutionem inſtituerit? Cum autem hæc obſcura quæſtio ſermonem prolixum poſtulet, eam in locum paulo commodiorem differre viſum eſt; ne rerum ordinem hic nimis obſcuret & interpellet.

a *Antiq. Jud. l. 3. c. 6. p. 106. 35.* b *De Vit. Moſ. l. 3. ſub init.* c. *1 Sam. 4. 5.* d *l. 5. §. 23. p. 200.* e *Lib. 2. Gen. dier. cap. 12. p. 90.* f *Myrothec. P. 2. c. 33. col. 449. B* g *V. Quæ dicta ſunt lib. 3. Diſſert. 1.*

1 In *Sambuci Exemplar.* ᾗ δ' ἦν -- Juxta *Lection. Vatican.* ᾗ περιοστοῦντος
2 De *ſolutione Decimarum*, vid. Lib. 3. cap. 10.

CAP.

CAP. VI.

CAP. VI.

Hæc ad Objectionem antea dictam ſolvendam accommodantur.

RATIONIBUS bene firmis eviciſſe videar, primævum Hebræorum regimen theocraticum fuiſſe, & regimen illud leges & ritus nonnullos inſtituendi occaſionem attuliſſe. Ultimum inſtituti mei membrum poſtulat, ut hæc omnia ad objectionis, in Diſſertationis hujus exordio propoſitæ, ſolutionem accommodarem. Eam autem (ne forte lectori exciderit) iiſdem pene verbis repetitam dabo: " in hujus libri limine dictum eſt, Moſis leges & ritus inſtitutos fuiſſe, ut idololatriæ remedium præſtarent, " & Iſraelitas ab illa ſeculi peſte puros & intactos conſervarent; cum tamen a Moſe " multa ſancita fuerint, tantum quod oeconomiæ & regiminis tunc inſtituti ratio ita poſtularent. Huic autem objectioni, triplici reſponſo, e ſupra dictis oriundo, cumulare ſatisfiat. Nam, Objectio proponitur, Et Triplici reſponſo ſolvitur.

PRIMO: leges & inſtituta Moſaica, quibus hoc regimen occaſionem dedit, pauca fuere, collata cum iis quæ idololatriæ abolitionem pro ſcopo præcipuo habuerunt. Si enim inſtituta ritualia tabernaculi fabricam & miniſterium ſpectantia excipiamus, cuivis obvium eſt obſervare, pleraque alia idololatriæ prorſus adverſa fuiſſe, & e pravo ſeculi more, magis quam ſacræ illius politiæ natura, dimanaſſe.

SECUNDO: inſtituta illa ritualia quæ theocratiæ natura poſtulaſſe videtur, ad idololatriam abolendam erant apprime accommodata. Cum enim regiminis illius regii τὸ πρέπον exigeret, ut tabernaculum, tanquam ſummi regis portatile domicilium, strueretur, & ut illud tentorii regii pompam & ſplendorem imitaretur; ſplendor ille procuidubio populi rudioris oculos attraxit, & eorum animos ſumma religionis ſuæ admiratione defixos tenuit. Nec facile fieri potuit ut Iſraelitæ, cultus divini pompa & ſplendore perſtricti, ad idololatriam deficerent; aut cultum ethnicum divino præferrent, licet oculos duces in religione ſequerentur.

TERTIO: ipſa illa theocratia ideo inprimis inſtituta eſt, ut medium extraordinarium eſſet, quo Deus ad idololatriam extirpandam uteretur. Sic enim invaluit ille ſeculi Moſaici morbus, idololatria, quod remediis omnibus [ordinariis, extraordinariis] expugnandus eſſet. Optime autem inſerviit hæc imperii forma, ad Iſraelitas a gentium moribus & idolis cohibendos: Nam,

(1°.) CUM Jehova non Dei tantum, ſed & regis nomine, ſe colendum exhibuerit, aperte ſignificavit, obſequium cultumque omnem ſibi uni debitum: adeoque nec regi alicui terreſtri cultum divinum, nec *Molecho* regis nomen aut honorem, eſſe tribuendum. Sub novo Teſtamento, nomen *regis* & *Domini* Chriſto ſignanter tribuitur, ut omnes, Diis & Dominis ethnicorum ad crucem, aut potius inferos amandatis, [a] *unum Deum*, patrem omnium, & *unum Dominum*, Jeſum Chriſtum, venerari diſcerent: nec abhorret a vero, Deum, ſub vet. Teſtamento, regis & Domini titulum ſibi ſumere voluiſſe; ut Iſraelitæ gentium Deos, [tanquam *Elohim*, *Baalim*, & *Molechos*, tantum λεγομένους] inſuper haberent, & ei ſoli potentiam & imperium attribuerent.

(2°.) CUM Deus ipſe gubernacula teneret, evenire vix potuit, ut Iſraelitæ Gentilibus quaſi felicioribus inviderent, aut fortunæ lætioris expectatio eos ad defectionem a Deo cultuque ſuo ſollicitaret. Nam Deo rerum præſide, iis nec conſilium nec auxilium, ad pacis aut belli negotia, deeſſe potuit. Hoc vel ipſe rerum eventus indicat: compertum eſt enim, *Judicibus*, Dei vicariis, rem in bello ſemper feliciter proceſſiſſe; cum autem Dei jugum & imperium rejeciſſent Iſraelitæ, teſtatur hiſtoria ſacra eos in prælio frequenter inferiores diſceſſiſſe, & omnia ſtatim in pejus inclinaſſe.

(3°.) CUM Deus officio tituloque regis uteretur, omnes idololatræ, *rebelles*, & cultus extraneus, [b] *rebellio* [præcepti quinti æque ac ſecundi violatio] non immerito habebatur. Et veriſimile eſt, Iſraelitas, e meliore ſaltem luto fictos, cultum extraneum fugere voluiſſe, ne rebellionis ſimul & idololatriæ reatum contraherent, & regem ſummum utriusque ſuæ tabulæ violatæ vindicem ſeveriſſimum experirentur.

(4°.) DEO regnante, locus nullus erat magiſtratibus impiis, & poteſtatem nullis limitibus clauſam exercentibus. Nullis enim Dei vicem gerere conceſſum erat, niſi Spiritu ſuo afflatis, & ad ejus legem & voluntatem totam judiciorum rationem

a 1 *Cor.* 8. 5, 6. b *Jos.* 22. 16, 19, & 29.

CAP. VI. attemperantibus. Ideo ſub regibus omnia in deterius ibant, quod illi, regum ethnicorum ritu, poteſtatem arbitrariam affectarent, & [a] οὐ τοῖς νόμοις μόνον, [ἀλλὰ] καὶ τῶν νόμων ἄρχειν, *non juxta leges modo, ſed & in leges, dominari* vellent.

(5°.) Dei regimen idololatriæ non parum obſtitit, quatenus ipſe, jure regio uſus, [b] leges tulit de idololatris morte mulctandis, utpote rebellibus & majeſtatis imminutæ manifeſtis. Inter leges eas locum haud obſcurum tenet lex ea, qua præcepit Deus, ut, civitatis alicujus incolis idololatriæ compertis, homines & beſtias omnes interficerent Iſraelitæ, [c] civitatem ipſam cum bonis omnibus in cineres redigerent, nec urbem illam unquam inſtaurarent. E legibus hiſce perperam colligitur, quod nobis etiam in idololatras & hæreticos ferro & flamma ſævire liceat: nam manifeſtum eſt omnibus, niſi quos [d] ζῆλος πικρὸς occæcavit, Iſraelitas leges illas a Deo accepiſſe, non quatenus *Jehovah*, ſed quatenus *Jehovah Stator* eſſet, & inter eos, inſtar regis politici, modo viſibili & externo verſaretur.

E jam dictis liquido diſcitur, in theocratia momenta maxima fuiſſe ad idololatriam extirpandam; ideoque par eſſe, ut inſtituta legis omnia quibus hæc imperii forma cauſam præbuit, huic uſui, mediate ſaltem, inſerviiſſe cenſeantur.

a *Plutarc.* in *Flamin.* p. 282. b *Deut.* 13. 6, 7, 8, 9. & 17. 2, 3, 4, 5. c *Deut.* 13. 16.
d *Jacob.* 3. 14.

DISSER-

DISSERTATIO

DE

RATIONE LEGIS USURAM PROHIBENTIS.

PRÆFATIO.

CUM in eo jam verſetur cura ſtudiumque meum, ut leges Moſaicas cum theocratia cnnjunctas explicem, earumque rationes inveſtigem, non erat a re præſenti devium, legis uſuram inhibentis cauſam indagare, cum lex hæc a Deo præcipue qua rege politico ſancita fuerit, nec multi legis illius mentem & ſcopum attigiſſe videantur. Hoc non ſine ratione dixiſſe videar: ſiquis enim ad legem Moſaicam paulo diligentius advertat animum, legem lucrum [a] fœnebre prohibentem inter leges politicas, & a Deo qua rege civili datas (leges nempe de ſervis, pignoribus, hæreditate redimenda, ſpicilegio, domo Levitica reſtituenda, & hujuſmodi) reperturus eſt.

Lex autem quæ pecuniam, cibum, aut quidvis aliud, fœnori locare vetat, verbis hiſce perſpicuis enunciatur, [b] *non fœnerabis fratri tuo fœnus pecuniæ, fœnus cibi, fœnus cujuſcunque rei, quæ fœnori dari ſolet. Extraneo fœnerabis, fratri tuo non fœnerabis* Quo vero ſermo meus, de lege quæ tot ſcrupulis anſam fecit, eo clarior eat; quæ jam dicenda ſunt hoc ordine digerentur.

Primo: mentem ſenſumque legis jam dictæ conabor interpretari.

Secundo: rationes aſſignabo, cur lex ea, quæſtum omnem uſura factum prohibens, Iſraelitis imponebatur.

Tertio: cauſas inveſtigabo, cur lege permiſſum erat, in commercio cum alienigena fœnus exercere.

Quarto: dubiis aliquot, cum argumento præſenti conjunctis, brevi ſatisfaciam,

CAP. I.

Legis verba ſingulatim explicantur, & illius intentio genuina ratione confirmatur.

UT pars prima provinciæ ſuſceptæ felicius expediatur, opportunum erit, verbis hujus præcepti ſingulis penſiculatius immorari, & ſenſum ejus genuinum, juxta vocum ſeriem explicare. A primis itaque modo dictæ verbis exordium faciendum eſt. Legis de uſura verba explicantur, & illius intentio confirmatur.

לא תשיך *Non fœnerabis.* Sic voces eas interpretandas arbitror, cohærentia textus & verſionum omnium conſenſu veritatem interpretationis hujus aſtruentibus. Nec immerito: nam radicem נשך unde תשיך oritur, *momordit, admordit*, proprie & primario denotare, non dubitandum eſt: eam autem *figurate, fœneratus eſt, alterius ſubſtantiam arroſit, ſignificare*, [illegible] doctorum conſenſu ratum eſt. Et cum hac ſignificatione bene convenit uſus & natura fœnoris: nam pecunla fœnori data rem domeſticam exaugere videtur, & proximi falcultates veluti morſu quodam imminuere.

a *Exod.* 22. 25, 26, 27. *Levit.* 23. 13, 35, 36, 39. *Ezech.* 18. 7, 8. b *Deut.* 23. 19, 20.

CAP. I.

Cum ſignificatus hujuſce ratione & origine non male quadrant ea [a] *Plauti* verba: *habet argentum; jam admordere hunc mihi lubet*, i. e. aliquid ab eo fœnoris loco capere. Hæc vocis hujus originatio nonnullis eo magis allubeſcit, eo quod uſuram tantum voracem & plane Judaicam notare, adeoque fœneratoribus rimam ad elabendum relinquere videatur. At ſpes nullas habent homines iſti, ſi tales habent: aliis enim in locis, non נשך ſolummodo, ſed מרבית תרבית id eſt, non fœnus ſed fœnuſculum omne penitus interdicta reperiantur.

לאחיך *fratri tuo.* Vocis hujuſce ſenſus, haud adeo certus, aliquid inter interpretes diſſidii peperit. Nam *fratris* nomine, nonnulli Judæum tantum pauperem & ad anguſtias redactum intelligendum contendunt, ut lex hæc eos ſaltem qui a ditioribus tantum fœnus expectant minime conſtringere cenſeatur. Atque hanc opinionem niti ſentiunt locis iis parallelis, quibus a *fratre* tantum *paupere* fœnus exigere prohibetur: *Exod.* nempe 22. 25. *Si pecuniam des mutuam pauperi alicui e populo meo, non eris ei ſicut fœnerator, non pones uſuram ſuper eum*, Levit 25. 35, 36. *Cum attenuatus fuerit frater tuus, —— ne accipias ab eo uſuram & incrementum.* Sic etiam *Ezechiel* exponit *Moſen*. Cap. 18. 17. ubi juſtum hoc donavit charactere; *a paupere retraxit manum ſuam*, נשך ותרבית *uſuram & augmentum non accepit.* Loca illa Judæum, paupertatis onere gravatum, fœnoris onere liberare videntur, ne mordax uſura miſeras iniquioris fortunæ reliquias devoraret.

Utcunque viſum eſt aliis, hic fratris nomine quemvis Iſraelitam, divitem an pauperem nihil intereſt, intelligendum eſſe; Deumque Judæis omnibus ab ullo, ſanguinis communione ſibi conjuncto, fœnus accipere vetuiſſe. Cum enim vox *frater*, hic ſaltem ſola veniat; & vox nulla, pauperem ſonans, illius ſenſum ſtrictiorem reddat, æquum eſt, ut ea cujuſcunque ſortis & conditionis Iſraelitam notare cenſeatur. Deinde, cum lex hæc poſtrema ſit inter leges quibus fœnoris exercitium interdictum eſt, multo conſultius eſt ut ea leges primo datas, quam ut illæ legem hanc poſteriorem, explicare & interpretari cenſeantur. Ad hanc ſententiam firmandam non parum momenti habent etiam ea [b] *Grotii* verba: *cum fratribus* hic *opponantur extranei, certum eſt non hos aut illos, ſed omnes intelligi.* Nec ſcriptura tantum, ſed & ratio ſenſus hujuſce veritatem extra dubium ſtatuit: ſi enim lege hac homines tantum paupertate preſſi ab uſuræ ſolutione liberentur, neceſſe erat, ut multis conſcientiæ ſcrupulis, & diſputationi potius quam charitati materiam adminiſtraret. Nam obſervante [c] Salomone multi *ſunt qui ſe pauperes oſtendunt, quibus divitiæ multæ:* adeo ut ſæpe non exigui negotii & ingenii res eſſet pauperem a divite diſtinguere & ſeparare. Non pauci ſunt etiam, licet fortunæ tenuioris homines, qui fœnori ſaltem leviori ferendo pares eſſe poſſunt: adeo ut dubio locus eſſe poſſet, an hujuſmodi pauperes legis hujoſce beneficio gaudere debeant, ſi de pauperibus tantum intelligendæ. Sunt etiam alii pauperes, quibus res tam anguſta domi eſt, ut mendicorum potius quam pauperum claſſe ponendi videantur. Talis *Neſtor* apud [d] *Martialem*, qui, cum ſumma rei familiaris inopia laboraret, locum tamen inter pauperes affectavit. Hujus vanitatem redarguit poeta, dicens:

Non eſt paupertas, Neſtor, habere nihil.

Nil opus erat ut lex iſtiuſmodi pauperes ab uſura præſtanda liberaret, cum fortuna triſtior ipſam ſummam capitalem ſolvendi potentiam iis denegaſſet.

נשך כסף נשך אכל *uſura pecuniæ, uſura cibi.* Lex huic affinitate proxime conjuncta nobis occurrit *Levit.* 25. 37. *Argentum non dabis ei* (fratri tuo pauperi) בנשך *ad uſuram*, ובמרבית *& ad incrementum non dabis ei cibum tuum.* Quem locum ſic vertunt Græci: τὸ ἀργύριόν σου οὐ δώσεις αὐτῷ [1] ἐπὶ τόκῳ, [2] καὶ ἐπὶ πλεονασμῷ οὐ δώσεις αὐτῷ τὰ βρώματά σου Hoc eſt, triticum, fruges, panes, oleum, vinum, vel quævis alia, bibenda vel comedenda. Judæos antiquos ſenſum tam latum huic legi tribuiſſe, [e] *Joſephi* verba cauſam opinandi non levem præbent: Δανείζειν δὲ Ἑβραίων ἐπὶ τόκοις ἐξέστω μηδενὶ μήτε βρωτὸν μήτε ποτόν. *Ne liceat fœnori dare Hebræo alicui, ne eſculenta quidem aut potulenta.* Huic autem legi locum fecit, *partim* terræ ſanctæ penuria: nam omnia vitæ commoda, præter aurum & argentum, Hebræorum genti ſuppeditavit; ideoque multi fœnus in cibis exercebant, quod ſcilicet aurum & argentum haud adeo inter

a In *Pſeudol.* Act. 4. Scen. 7. b *Annot.* ad *Luc.* 6. 35. c *Prov.* 13. 7. d Lib. 11. Ep. 32.
e *Antiq. Jud.* l. 4. c. 8. p. 169. 15.

1 Juxta *Editionem* Complutens. ἐν τόκῳ
2 *Cod. Alexandr.* καὶ πλεονασμὸν οὐ.

Hebræ-

Hebræos abundarent. Huic autem legi cauſam *præcipue* dedit ſordidus & ipſo ſilice durior Hebræorum animus, qui panes aliquot, aut alia quævis ad vitam ſuſtentandam neceſſaria, niſi lucro fœnebri conducti, fratribus inedia perituris accommodare noluerunt. Ingenio tam triſti fuiſſe Judæos antiquiores, non tantum lex hæc (malis moribus orta proculdubio) ſed & hiſtoria [a] *Nehemiæ*, teſtimonium nimis amplum & apertum perhibent: & ævi citerioris Judæos haud paucos, hac in re, majorum ſuorum ingenia & mores exprimere ſolitos, e [b] *Philone* diſcimus uſurarios eos e gente ſua cum bile & ſtomacho memorante, qui, οὐκ ἔχοντες ἀργύριον, τροφὰς δανείζουσιν *pecunia carentes, cibos dant mutuo, ut recipiant cum fœnore.*

Cap. I.

Usura *cujuſque rei quæ fænori datur.* Ut ea legis hujuſce clauſula penitus intelligatur, monendum eſt obiter, multos olim res etiam in agro natas, liquidas aridaſque, fœnori locare ſolitos; decem forte panes aut menſuras pro ſeptem aut octo commodatis, uſuræ nomine recipientes. Hoc uſuræ genus ætatibus mundi ſimplicioribus in uſu frequens erat, cum ſcilicet homines ad victum tantum vitamque neceſſaria quærerent, & uſus auri vel argenti ad commercia commodius exercenda non multum invaluiſſet. Et veriſimile eſt, Iſraelitas, niſi lege cohibitos, ejuſmodi fœnus in mores admittere voluiſſe; cum ditiores ex iis æs triplex circa pectus plerunque gererent, & pauperes ex iis frumentum & alia, quæ neceſſitas vitæ poſtulavit, ſtragulis, veſtibus & ſimilibus aliis pignori datis, quandoque mutuari cogerentur.

לנכרי *Extraneo ad uſuram dabis.* Hic voce לנכרי τὸν ἀλλότριον *alienigenam*, hominem ſanguine gentili procreatum; verbo, Syrum, Ægyptium, vel alium quemvis a repub. Iſraelis alienum, intelligendum arbitror. Ita vocem intelligo, non tantum quod ἀλλότριος, *peregrinus, extraneus*, hunc ſenſum in [c] Scriptura plerunque præbeat; ſed quod hic ſenſus e lege illa cognata non parum firmitatis hauriat. Ibi *Moſes*, de debitis agens in anno remiſſionis non exigendis, [d] *creditor omnis*, inquit, *qui proximo ſuo quid mutuo dedit, remittet illud; non exiget id a proximo vel fratre ſuo:* את הנכרי *alienigenam arctabis* (vel ab extraneo exiges) *at quod tibi fuerit cum fratre tuo, manus tua remittet.* Extra dubium eſt autem, *peregrinum* & *fratrem*, hac in lege, conditionis & originis plane diſſimilis homines indicare; Deum etiam officia charitatis erga *fratrem* (hoc eſt, hominem ejuſdem & ſanguinis & fidei communione junctum) exigere, quæ erga gentilem aut extraneum exerceri minime poſtulavit. Non me latet, [1] *Ambroſium*, & alios illius veſtigiis inſiſtentes, vocem *alienigenam* tantum de ſeptem gentibus illis interpretari, quas Deus internecioni devoviſſet; dicentes nil mirum eſſe, ſi eos uſura premere licuerit, quos licuit perdere: at *legis gravitati* minime *conveniebat in eos fænus permittere, quos plane interfici oportebat*; uti [e] *Grotius* conſulto monet.

Sed *fratri tuo minime fænerabis.* Fratris nomine, non pauper tantum Iſraelita, ſed quivis e gente ſancta, nec ullus alius, intelligendus eſt. Vocem illam eo ſenſu capiendam indicat lex [f] ea parallela, qua, loco *fratris*, quivis *in populo Dei pauper*, tanquam locutio ſynonyma, ſubſtituitur. Lex enim his verbis concepta legitur: *ſi argentum tuum mutuo dederis ulli e populo meo pauperi tecum, non pones uſuram ſuper eum.* Hanc eſſe genuinam vocis hujus intentionem, non *Exodi* tantum ſed & [g] *Levitici* verba doceant: in iis enim cuivis Iſraelitæ interdictum eſt de uſura, hac addita ratione, *ut tecum vivat frater tuus.* Senſum tam late patentem huic voci eo ſecutius aſſeramus, quod *Joſephi*, *Philonis*, *Clementis Alexandrini*, & Judæorum omnium, teſtimoniis aperte confirmetur. *Joſephi* teſtimonium his verbis exhibetur: [2] Δανείζειν δὲ Ἑβραίων ἐπὶ τόκοις ἐξέστω μηδενί, —— οὐ γὰρ δίκαιον προσοδεύεσθαι τοῦ ὁμοφύλου τὰς τύχας. *Nemini Hebræorum fænerari liceat: neque enim juſtum eſt, e mala contribulis alicujus fortuna quæſtum facere.* Sic & [h] Philo Judæus hanc legem explicat: ἀπαγορεύει τοίνυν ἀδελφῷ δανείζειν, ἀδελφὸν ὀνομάζων, οὐ μόνον τὸν ἐκ τῶν αὐτῶν φύντα γονέων, ἀλλὰ καὶ ὃς ἂν ἀστὸς, ἢ ὁμόφυλος ᾖ. *Vetat igitur fratri fænerari, fratrem nominans non ſolum ex iiſdem natum parentibus, verum etiam quemcunque civem tribulemve.* [i] *Clemens Alexandrinus* hic noſter eſt, niſi quod *fratris* nomine venire putet, *non eum tantum qui ex iiſdem natus eſt pa-*

a Cap. 5. a verſ. 1°. ad 12. b Libr. de *Charit.* p. 702. B c *Deut.* 17. 15. 2 *Sam.* 7. 13. *Exod.* 23. 9. d *Deut.* 15. 2, 3. e *Annot.* ad *Luc.* c. 6. 35. f *Exod.* 22. 25. g *Levit.* 25. 36. h Lib. de *Charit.* p. 701. E i *Stromat.* l. 2. p. 473.

1 Vid. *Libr.* de *Tobia*, cap. 14. 15. T. 1. col. 606. &c. *Eraſmus* quidem *aliique* negant, *S. Ambroſium* Librum illum de *Tobia* ſcripſiſſe: quanto autem in errore verſantur, vid. *Admonitionem Monac. Benedictin.* in *Librum*, col. 588.

2 Vid. *Joſeph.* paulo ante laudatum — τοῦ ὁμοφύλου Ita ſe habent *Lectiones Bigotii*, *Exemplar Sambuci*, *Lectiones Vaticana*, & *Veteres interpretes*: atque ita legerat *Salmaſius* de *Trapezit. Fœnore*, p. 683. in *Editis*, τοῖς ὁμοφύλοις. *Hudſon.* in loc.

CAP. II. *rentibus*, [illegible] *ſed & eum qui popularis eſt, qui paria ſentit, ejuſdem verbi particeps eſt*: adeo ut huic voci ſenſum paulo latiorem tribuere videatur. Judæos quod attinet, ſatis innoteſcit, eos conſanguineos & gregales ſuos uſura nunquam oneraſſe: adeo ut clarum ſit, eos, hac in lege *fratrum* nomine, Judæos ad unum omnes, divites æque ac pauperes, intelligendos exiſtimaſſe.

לא תשיך vox illa recurrens anſam mihi præbet illius ſenſum paulo clarius explicandi. Hoc effectum dabo verbis [a] *Sixti Medices*, de fœnore Judæorum differentis: *ſcire juvat* quod *verbi ipſius radix*, nempe נשך *ſignificet uſuram accipere*, vel *ad uſuram accommodare*, *ſicut communiter hactenus interpretatum eſt. Veruntamen annis proximis, ab eruditiſſimo antiſtite* Philippo Archinto *Romæ vicario, nonnulli Hebræorum Rabyni peritiſſimi, ſub juramento requiſiti, declaraverunt verbum ipſum* נשך *paſſivum eſſe & tranſitivum, atque ita interpretandum, non fœneraberis a fratre tuo, ſed ab alieno.* Tandem autem auctor hic a ſententia Judæorum ſtare videtur, in hæc verba deſinens; hæc, *quamvis quibuſdam non arrideant, univerſaliter tamen apud Hebræos leguntur & comprobantur.* Horum veritatem non parum confirmant [b] *Seldeni* illa: *ita vocem, accipiunt magiſtri, perinde ac ſi paſſive etiam dictum eſſet, non mordeberis a fratre tuo per uſuram; unde & Gloſſa ibi ordinaria,* אזהרה ללוה שלא יתן רבית למלוה *interdictum eſt quo cavetur ne is qui mutuo accipit, uſuram ſeu incrementum det mutuo danti.* Judæos etiam longe antiquiores ſenſum tam latum huic legi tribuiſſe, cauſam opinandi non levem præbet *Jeremiah*: nam, ſeipſum a peccato uſurario protſus immunem probaturus, ſe nec fœnori dediſſe nec fœnus accepiſſe, dicit: [c] *non fœneravi*, inquit, *ipſe, nec fœneravit mihi quiſpiam.* Unde pateat, Hebræos, pietatis alicujus nomine commendatos, ab uſuræ vel ſpecie omni ſemper abhorruiſſe, eam (inter ſuos) dare vel [d] accipere vetitum exiſtimantes.

CAP. II.

Rationes aſſignantur, cur lege cautum eſt ne quis Iſraelita fratres aut concives ejus uſuris oneraret.

LEGEM qua fœnus interdictum eſt, ob rationes haud leves aut paucas inſtitutam, inde promptum eſt intelligere, quod eam [e] toties in ſcriptura repetitam, eamque [f] promiſſionibus omnigenis cohoneſtatam, reperiamus. Utcunque ſi ad auctorum ſcripta qui circa rem uſurariam calamos exercuere diligentius attendamus, proclive erit hæc duo de iis obſervare. Primo, eos plerunque vel nullam vel plane falſam fœnoris interdicti rationem aſſignare. Se nempe provinciam ſuſceptam egregia cum laude ornaſſe ſentiunt, ſi uſuras & uſurarios probris & conviciis omnibus onerarint; eas, cum *S. Hieronymo*, *latrocinia*; cum *S. Auguſtino*, *homicidia*; vel cum *Bernardo*, *furta*; appellantes: in ipſos autem uſurarios, tanquam mordaces, humanitatis expertes, & reipublicæ peſtes, cum hominum vulgo, debacchantes. Secundo: hoc etiam de ſcriptoribus illis haud iniquum eſt obſervare, quod ſcilicet eorum nonnulli legis hujuſce rationes aliquas in medium proferre ſatagant; eas autem e ſuo plerunque cerebro petitas, vix ullas e ſcriptura, ſenſu ſano intellecta, depromptas, inveniamus.

Ne hæc aut illa culpa meipſum redarguat, convicia & dictata omnia ad bilis acrioris homines amandabo, & rationes varias, e ſcriptis plerunque ſacris hauſtas, aſſignabo, cur lege proviſum eſt ut Iſraelitæ omnes a fœnoris onere liberati viverent, & ipſi nullum inter ſe fœnus agitarent. Ex iis enim rationibus nonnullæ fuerunt a *parte Dei*, quædam a *parte populi Judaici*, quædam a *parte regiminis* illius cui ſuberant Iſraelitæ, quædam a *parte terræ* quam incolebant, aliæ a *parte religionis* illius quam Judæi profitebantur, aliæ denique a *parte legum* aliarum quæ Judæis imponebantur, aſſignari poſſunt, cur populus Iſraeliticus ea lege tenebatur.

a Lib. 2. de *fœner. Jud.* c. 3. fol. 22. b De *Jur. Nat. & Gent.* l. 6. cap. 9. p. 714. c *Jer.* 15. 16. d *Joſue.* 24. 2. e *Exod.* 22. 25. *Levit.* 25. 36, 37. *Deut.* 23. 19, 20. f *Pſal.* 15. 5. *Deut.* 23. 20.

SECT. I.

Rationes legis uſurariæ a parte Dei.

CAUSÆ non leves erant a parte Dei, cur lege cautum erat, ne quis Iſraelita fratres & contribules ejus uſura premeret, ſed omnes ab *Ægypto* liberati vitam ab uſuris exemptam agerent. Nam

Rationes legis uſurariæ a parte Dei. Prima.

PRIMO: Quivis Iſraelita, legi huic obedientiam præſtans, ſe Domini ſupremi quaſi feudatarium agnoſcebat; & ſe prædia, vineas, aliaque vitæ commoda quibus gaudebat omnia, benignitati divinæ debere, practice profitebatur. Huic rationi veritatis ſpeciem haud obſcuram conciliant ea legis verba: [a] *argentum tuum non dabis ei* (fratri tuo) *ad uſuram, nec dabis ei cibum tuum ad incrementum: ego* ſum *Dominus Deus veſter, qui eduxi vos e terra Ægypti, ut darem vobis terram Canaan.* Quaſi dixerat, "ego feci ut e ſervis liberi, e pauperibus divites evaderetis: vobis itaque præceptum "volo, ut ſervos meos, conſanguineos veſtros, in beneficii tam egregii partem vocetis, eorum neceſſitatibus amice ſubvenientes, eoſque ab uſuræ ſolutione liberantes. "Nam ſi legi tam benigne vos morigeros præſtetis, benignitatis & miſericordiæ divinæ conformis, documentum exhibebitis, adeoque me (Deum omnis miſericordiæ) "terræ tam frugiferæ Dominum ſupremum, & bonorum veſtrorum omnium largitorem, agnoſcetis. Nec ſane ſignum luculentius edere poterant Iſraelitæ, quo conſtare poſſet, ſe Jehovam patronum ipſorum munificum agnoſcere & profiteri, quam ſervos ejus omnibus humanitatis officiis proſequendo; & eorum inediæ gratis ſuccurrendo, illius gratia qui [b] [illegible], gratis etiam ſibi ipſis *præbuiſſet*. Ideoque Judæi qui fratribus ſuis uſuras impoſuere, Jehovæ prorſus immemores fuiſſe [a] dicuntur; h. e. Illius, non præcepta tantum, ſed & beneficia, oblivioni tradidiſſe.

Secunda.

SECUNDO: lege vetitum eſt, pecuniam aut cibum mercede pacta commodare, ut Iſraelitæ ſpem & fiduciam in Deo, legis hujus auctore, frequentius exercerent. Cum enim pecunias ſuas, ſæpe ſine pignore, ſemper ſine pretio, pauperi credere tenerentur; opus erat ut ſpem & fidem in Deo ſolo ponerent, ab eo uno charitatis tam generoſæ præmium, & rei ſuæ familiaris incrementum, animis erectis expectantes: aliter enim ad legem tam incommodam, & rebus eorum domeſticis adverſam, violandam ſæpius inducerentur. Quid enim Judæi fratri ſuo paupertate preſſo, nullo pignore, nullo pretio ducti, pecunias mutuo darent, niſi quod ſpem in Deo, tanquam juſſore & fide-juſſore, collocarent; & certo ſcirent, apud eum tanti beneficii gratiam minime perituram? Judæos antiquiores, hac ſpe & fiducia fretos, legem uſurariam ſancte coluiſſe, ſatis e [d] *Joſephi* verbis intelligitur; *æquum* eſt gratis *neceſſitatibus proximi ſubvenire*, [καὶ] [illegible] *& in lucro ponere vices quas Deus mutuum danti, pro humanitate illa, repoſiturus eſt.* Judæi, humanitatem tam ſingularem exercentes, Deum gratiam illam relaturum ſecuri credidere, quod ſancte promiſerat ſe beneficium illud pauperi præſtitum benedictione ſua ſpeciali repenſaturum: *Deuter.* 23. 19, 20. *Fratri tuo non dabis ad uſuram: -- ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omnibus quibus manum tuam admovebis.*

Tertia.

TERTIO: lex ea de uſuris ab Iſraelita non exigendis inſtituta eſt, ut legis tam peculiaris obſervatio, Judæos omnes Deo eximio, & excellentis naturæ ſingulari a Diis aliis quibuſcunque ſeparato, devotos eſſe teſtaretur. Cum enim exteræ gentes ὁμοφύλους ſuos & ejuſdem Dei cultores uſuris onerarent, & Dii gentium homines lege tam benigna minime dignarentur; Judæi vero fratres ſuos omnes, ſacrorum eorundem cultores, ab uſuris immunes eſſe paterentur; inde ſe *gentem peculiarem*, & Dei naturæ plane ſingularis cultui devotam, clare teſtabantur. Ratio hæc innui videtur [e] legis modo citatæ verbis: *non dabis ei pecuniam tuam ad uſuram.* ——*Nam ego ſum Dominus Deus veſter, qui eduxi vos e terra Ægypti,* ——*ut eſſem vobis Deus;* q. d. "vos, nulla "tanti beneficii mercede requiſita, pecuniam & cibum veſtrum fratri cuique commodare volo; ut hac ratione vos Deum miſericordem, liberatorem veſtrum ex Ægypto "*Jehovam* nempe, venerari, eumque vobis in exemplum proponere, luculenter indicetis. Hoc enim [illegible] eſt, & a gentium omnium, Dei alieni ritibus addictarum moribus alienum. Gentiles enim, Deos aureos & argenteos adorantes, &

a *Levit.* 25. 37, 38. b 1 *Tim.* 6. 7. c *Ezec.* 22. 12. d *Lib.* 4. *Antiq. Cap. ult.* p. 169 a. e *Levit.* 25. 37, 38.

SECT. II. "affectus habentes Deorum ſuorum naturæ conſentaneos, aurum & argentum quo- "cunque modo, fœnore præcipue voraci, corradere ſolent, fratrum ſuorum pauperum "rationibus minime conſulentes. Vos autem ſortem ipſam quandoque, ſortis vero pretium ſemper, remittentes, miſericordiæ Divinæ ſimilis exemplum editis; & aperte docetis, vos redemptorem veſtrum ex Ægypto, *miſericordiæ patrem*, colere ſimul & imitari. Neque novum aut mirum alicui videri poteſt, ideo Judæis præceptum fuiſſe, ut fratres eorum omnes, pauperes inprimis, ab uſura liberarent; ut miſericordiæ talis exercitium miſericordiam divinam in ipſorum ex Ægypto liberatione elucentem, ſæpius in animum revocarent, eamque recenti memoria retinerent. Nam leges alias, miſericordiam poſtulantes, inſtituit Deus, ut earum obſervatio beneficio redemptionis ex Ægypto quaſi vicem rependeret, ejuſque memoriam ſæpe refricaret. De aſſertionis hujuſce veritate nemo dubitabit, ſi loca ſequentia conſultum iveris; *Deut*. 24. 17, 18. *Numer*. 15. 39, 40, 41. *Deut*. 5. 15. *Levit*. 25. 42, 54, 55. *Deut*. 24. 21, 22. Ad hæc loca digitum tantum intendo, brevitatis ergo.

SECT. II.

Rationes legis a parte gentis Iſraeliticæ.

Rationes legis uſurariæ a parte gentis Iſraeliticæ. SECUNDO: proclive eſt alias rationes, a gentis Iſraeliticæ genio & conditione deſumptas, aſſignare, cur noluit legiſlator ſummus ut Iſraelitæ fœnus inter ſe ipſos agitarent. Nam,

Primo. PRIMO: populus Iſraelis, cui lex illa tradebatur, non e convenarum colluvie conſtabat, ſed ad unum eundemque patrem originem ſuam referebat. Una nempe capitum paucorum familia, a *Jacobo* propagata, genti illi numeroſæ principium dedit: adeo ut Iſraelitæ fratres eſſent, & non fidei tantum ſed & ſanguinis ejuſdem communione ſibi mutuo jungerentur. Cum itaque Iſraelitæ grandior tantum familia fuerit, ſanguinis fraterni vinculo copulati; lege præceptum eſt ut pecuniam ſibi mutuo gratis accommodarent, & aliis officiis charitatis conjunctioni tam propinquæ conſectaneis ſe mutuo proſequerentur. Deum hac de cauſa Judæos lege uſuraria devinxiſſe, pateat e *Deuter*. 23. 20. ubi LXX ſic interpretantur; τῷ ἀλλοτρίῳ ἐκτοκιεῖς, τῷ [1] δὲ ἀδελφῷ σου οὐκ ἐκτοκιεῖς. Locus huic affinis extat *Levit*. 25. 36. *Nihil ab eo fœneris accipies aut incrementi, -- ut frater tuus tecum vivat.* Ratio hæc eo minus iniqua videri debet, quod mutuum gratuitum, inter parentes & affines, aliarum gentium uſu moreque probaretur. *Apud Græcos* equidem *& Romanos* (obſervante [a] *Salmaſio*) -- *inter amicos ipſos non alius* erat *mos mutui dandi, niſi gratuiti; nedum inter parentes & cognatos*; unde & *Grammatici* χρῆσαι ἐπὶ φίλων, dici obſervant δανεῖσαι ἐπὶ ἀλλοτρίων.

Secundo. SECUNDO: Iſraelitæ populus [b] Deo ſacer erant a gentibus aliis peculiari ratione diſcretus, Deo in [c] peculium & hæreditatem ſeparatus, eique multis nominibus devinctus & mancipatus. Nempe populus erant a Deo ipſo in lucem editus, utpote ab *Abrahamo*, jam effœto ſene, miraculoſe prognatus: populus quem in ſolitudine miraculorum ſerie fovit, & ab hoſtibus eorum ſalvum præſtitit: quem terra promiſſa donavit, ibique lege, ſacrorum ritu, & favore ſingulari, a gentium colluvie diviſit & ſeparavit. Cum itaque Deus Iſraelitas ſibi in gentem peculiarem aſſeruiſſet, eos tot tantiſque beneficiis cumulaſſet, eoſque ſtudio & affectu plane ſingulari proſecutus fuiſſet; par erat & eorum dignitati conſentaneum, ut privilegiis etiam honorificis & plane ſingularibus a gentium exterarum grege diſcernentur. Inter privilegia vero, Judæorum genti propria, numerari debent, reſtitutio veſtis pignori datæ, redemtio fratris peregrino venditi, anni Jubilæi & anni remiſſionis, in gratiam Iſraelitæ pauperis, inſtitutio, racematio in vindemia & meſſe minime facienda, ſed pauperi relinquenda; aliaque nonnulla, quæ a Deo, in populi peculiariter electi gratiam, conſtituta ſunt. Hiſce non immerito accenſendum eſt, mutuum gratuitum accipiendi privilegium; cuivis Iſraelitæ conceſſum, quod peculii divini pars eſſet, & originem a *Jacobo* traheret. Hanc cauſam aſſignat ipſe Deus, cur fœnus ab Iſraelita poſtulari noluit; dicens, [d] *ſi pecuniam dederis ulli, qui eſt e populo meo, -- non eris ei ſicut fœne-*

a Lib. de Uſur. cap. 20. p. 606. b Deut. 14. 2. c Deut. 9. 29. d Exod. 22. 25.

1 Juxta Edit. Ald. & Complut. τῷ δὲ.

rator.

rator. Eadem pene ratio redditur, cur Deus noluit, ut Iſraelitæ pauperes duram aut perpetuam ſervirent ſervitutem; [a] *ſunt*, inquit, *ſervi mei*, non homines e ſervorum vulgo, *quos ego eduxi ex Ægypto*. Deus autem gentem illam privilegiis hiſce cohoneſtavit, non quod προσωποληψία, vel affectus alicujus privati ſtudium, in illius natura locum invenirent; ſed quod Iſraelitæ ſoli a patribus (*Abrahamo*, *Iſaaco*, *& Jacobo*) cultus divini maxime ſtudioſis, ortum ducerent, & illi ſoli Diis & ſacris alienis nuncium remittere viderentur. Adeo ut qui Judæo quid fœnoris dedit, ſe Dei veri ſervum cultumque nullius æſtimare teſtabatur: qui vero Judæo pecuniam aut cibum gratis accommodabat, eum honeſte tractabat & cum diſcrimine; facto illo ſe ſervi cultuſque divini fautorem indicabat, ſeque, ad idololatriam eradicandam, Dei cooperarium profitebatur.

SECT. II.

TERTIO: Iſraelitæ plerunque pauperes erant, & re non adeo lauta vel ampla fruebantur. Neceſſe eſt enim, ut ipſa terra Judæorum parva cenſeatur, cum vix dimidiam Angliæ partem magnitudine ſuperaverit; multo minor autem ſi reſpectus ad incolarum numerum habeatur. Terram ipſam quod attinet, ea inter Tribus duodecim, pro ratione familiarum ad Tribum quamque ſpectantium, dividebatur. In quavis autem familia, majori natu dupla tantum terræ portione gaudere licuit; & neceſſe fuit ut illa terræ portio, temporis alicujus decurſu, valde minueretur; præcipue ſi inter multos hæredis liberos & nepotes divideretur. Adeo ut illud *Poeta* de paucis e genere Judaico dici poſſet, -- *Tenet culti jugera multa ſoli*. Neque erant Iſraelitæ veteres nummis magis quam agris divites: cum ipſa terra Judææ aurum aut argentum (illa malorum irritamenta) minime ſuppeditaret, nec portus haberet navibus aut mercaturæ commodos. Sed ſi demus aliquos e Judæis, divites agris, pecuniis, aut pecudibus, evaſiſſe; certum eſt eos pauperes plerunque fuiſſe, & gentem illam e piſcatoribus, agricolis, artificibus, paſtoribus, & hujuſmodi ſortis tenuioribus hominibus, præcipue conſtitiſſe. Nec minus extra dubium eſt, hujuſmodi loci humiliores homines nummis mutuatis, iiſque nullo fœnore gravatis, nonnunquam indiguiſſe. Cum itaque pauci in Judæa divitiis abundarent, multi vero cum extrema paupertate conflictari cogerentur; lege cautum eſt, ne quis Iſraelita fœnore, eoque a fratribus impoſito, premeretur. Deum ea de cauſa legem illam inſtituiſſe, eamque veluti limitem, fœneratoriis Hebræorum animis oppoſuiſſe, e *Levitico* & *Exodo* non difficulter intelligendum eſt, ſic enim ſe habent verba legis in [b] *Levitico*: *ſi fratris tui facultates imminuta fuerint*, [1] *& ipſe ad inopiam ceciderit*, *ei manum auxiliarem porriges*. —— *Nihil ab eo fœnoris accipies aut incrementi*. Sic autem in [c] *Exodo*: *ſi pecuniam tuam mutuo dederis ulli e populo meo qui pauper eſt tecum*, *non eris illi tanquam fœnerator*. Legiſlatori durum videbatur, ut ille qui ne ſortem ipſam ſolvere norat, ſortis etiam mutuatæ pretium præſtare cogeretur.

Tertia.

QUARTO: Judæi, a prima gentis origine, fuere [d] carnales admodum, bonorum tantum temporalium ſenſum guſtumque retinentes; adeoque a lege cultuque patrio facile dimovendi, ſi quid votis eorum adverſi contingeret, aut rei familiaris anguſtia vel alio quovis incommodo premerentur. Deus itaque, ne quid inſtabile & carnale gentis illius ingenium irritaret, vitam longam, corpus integrum, rerum omnium affluentiam, & alia hujus vitæ commoda, promiſit iis, modo legibus ejus fidem & obſequium conſtans exhiberent. Neque promiſſa tantum, ſed & præcepta Legis, ita comparata erant omnia, ut humi jacentem erigerent, inopi ſuccurrerent, ei paupertatis extremæ metum adimerent, eiſque fidem certam facerent, ſe nuſquam gentium conditiones vivendi feliciores experturos. Ad fidem illam firmandam magnum proculdubio momentum habuit, quod probe norant Iſraelitæ, ſe in patria ſua non reges tantum, ſed & leges, miſericordes habituros, ſeque leges eas (ut alia jam taceam) de pecunia ſine fœnore mutuanda, & pignore pauperis ante ſolis occaſum reſtituendo, nullibi niſi in Iſraele reperturos. Deum hac de cauſa fœnoris uſum Iſraelitis inhibuiſſe, verba legis haud obſcure docent, quæ [e] *Vulgata* auctor ſic interpretatur: [2] *ne accipias uſuram ab eo* (fratre tuo) *nec amplius quam dediſti*: (*time Deum tuum*:) *ut frater tuus vivat apud te*. Hæc autem verba non eo ſenſu capienda ſunt, quaſi

Quarta.

a *Levit*. 25. 42, 55. b Cap. 25. 35, 36. c Cap. 22. 25. d *Numer*. 11. 4, 5. *Jerem*. 44. 16, 17, 18. *Hoſ*. 2. 5, 12. e *Levit*. 25. 36.

1 *Et ipſe ad inopiam ceciderit*. Hebraica elegantia ita ſonat, *& vacillaverit manus ejus tecum*. *Et manum* &c. Ita Hebr. *obſirmabis eum*.

2 Juxta Edit. SIXTI V. & CLEM. VIII. – *uſuras* – *non amp*. – *vivere poſſit*.

Sect. III. fortunæ tenuioris Iſraelita ſtatim periturus eſſet, ſi ab eo fœnus ordinarium exigeretur; ſed quod abiturus eſſet, & vitam inter gentes exteras acturus; ſpe fretus, miſericordiæ citius apud ethnicos, quam Iſraelitas uſurarios inveniendæ. Ne quis itaque huic malo locus ſupereſſet, inter alias leges, auctoris ſumme miſericordis naturam referentes, Hebræorum genti datas, præceptum eſt, ut pauperum neceſſitatibus pecunia gratuito credita ſubveniatur, nec eorum fortunæ tenuiores mordacis uſuræ dentibus atterantur. Quivis itaque Judæus, cui ſalis aliquid, intra limites reip. legibus tam humanis inſtructæ facile contineret; & ſibi facile perſuaderet, ſe aurea cum æneis permutaturum, ſi cœlum cultumque patrium deſereret, & molliores vivendi conditiones inter ethnicos quam Iſraelitas expectaret.

S E C T. III.

Rationes a parte regiminis & politiæ Hebræorum.

Rationes legis uſurariæ a parte regiminis & politiæ Hebræorum. Prima.

HÆ ſunt rationes a parte populi Judaici: quædam etiam a parte politiæ vel regiminis illius, cui ſuberant Iſraelitæ, reddi poſſunt, cur lex ea, Judæos inter ſe fœnus exercere vetans, iis imponebatur.

Harum autem prima ſit hæc: lex ea non parum dignitatis & honoris illi regimini conciliavit. Nihil enim regimini alicui plus dignitatis & honoris affert, aut arctius ei devincit ſubditorum animos, quam illius benignitas & cura ſingularis ut ſubditi perhumaniter habeantur, & oneribus quæ vexant aliorum humeros exempti vivant. Ad eam remp. tanquam ad *Eutopiam* quandam confugiunt homines, qua leges miſericordiam ſpirant, & eo præcipue collimare videntur, ut [a] *ſolvant vincula iniquitatis, onera graviora tollant, oppreſſos liberent, & omne jugum rumpant.* Hanc legem, qua uſura omnis e medio tollitur, hunc ſcopum habuiſſe, non tantum legis materia, ſed & verba, docent; *ſi frater tuus ad inopiam redactus ſit, ne accipias uſuram ab eo vel incrementum, ut frater tuus tecum vivat;* h. e. ut habeat unde vitam ſuſtentet & hilarius agat, nec inopia propria & fœneratoris inclementia ſimul oneratus, patriæ ſuæ finibus excedere cogatur. Hoc & alia clementiæ documenta in Lege Judæorum frequentia fuſe commendat [b] *Philo*, ut inde legi & politiæ ſuæ gratiam & honorem apud exteros conciliaret. Nec proculdubio fruſtra fuit, cum *Memnon* apud [c] *Photium*, *Timotheum Heracleæ* principem cum honore memoret, quod *de ſuo* debitorum *nomina creditoribus expediverit, & pecunias* πρὸς τὰς ἐμπορίας καὶ τὸν ἄλλον βίον τόκων ἄνευ, *ad negotiationes & alios vitæ uſus, inopia laboranti, ſine fœnore ſuppeditaverit.*

Secunda. Secundo: lex uſuraria non dignitatem tantum ſed etiam firmitatem, politiæ Judaicæ conciliavit. Nam, interdicto fœnore, curatum eſt ne ditiorum facultates in immenſum excreſcerent, unde luxus & morum corruptela; vel cenſus tenuioris homines ad extremam egeſtatem pervenirent; unde non raro ſeditiones & motus civiles oriuntur. Dudum obſervavit [d] *Bodinus*, imperiorum everſiones nullam cauſam certius afferre, *quam nimia paucorum opes, & multitudinis inopia non ferenda.* Ne itaque ruina imperii Iſraelitici e cauſa prima, paucorum ſcilicet opulentia, naſceretur; lege decretum eſt, ut primogeniti portione tantum dupla gauderent, ut prædia divendita anno quoque quinquageſimo ad proximos gentiles reverterentur, ut annus quiſque ſeptimus ære alieno gravatum liberaret, & ut Iſraelita ditior fratri pauperi pecuniam gratis commodaret. Ne vero cauſa ſecunda (*multitudinis inopia*) tam felicis imperii ruinam accelerarer, lege non una, fœnoris inprimis interdictione, proſpectum eſt. Nam, ſi [e] *Bodinus* recte judicet, *nulla eſt tenuium ſublevandorum via compendioſior, quam omne genus fœnoris inter cives prohibere.* Sed ſubit animum dubitare, Politicorum filios regulam illam pro generali & inconcuſſa non ſemper habituros.

Tertia. Tertio: imperii Judaici felicitas legem illam uſurariam poſtulaſſe videatur. *Illud* enim *pro certo tenendum* inquit [f] *Verulamius, florere rempublicam inprimis, cum pecuniæ diſpergantur, non coacerventur.* Nec minus pro certo habendum, quod fœnus interdictum in cauſa erit, ne nummi in paucorum manibus coacervati deliteſcant, ſed in mercaturam aut agriculturam impenſi diſpergantur. Deinde, lege illa proviſum eſt, ut Iſraelitæ nec ad ſummam opulentiam aſſurgerent, nec infimam inopiam laberentur. Norat enim ſummus legiſlator populum illum fortunæ nec altioris nec hu-

a *Jeſ.* 58. 6. b Lib. de *Charit.* p. 704. 705. c In *Biblioth. Memnon.* c. 4. col. 707. d De *Republ.* lib. 5. c. 2. p. 524. e *Ibid.* p. 528. f *Sermon. fidel.* cap. 39. col. 1206.

milioris

milioris extrema pati potuiſſe; eoſque ad mores quos opes aut inopia ferre ſolet, certo ruituros, & in hac vel illa fortuna conſtitutos, regimini ſuo feliciſſimo ruinam allaturos. Deus itaque, lege hac, res Hebræorum ita temperaſſe videtur, ut conditionem inter hæc extrema mediam obtinerent, & gens eſſet ad votum *Aguri* felix; nec divitias habens, nec paupertatem. Prout enim alia lege curatum eſt, ne quis dives agris evaderet; ſic & hac, ne dives eſſet *poſitis in fœnere nummis.* SECT. IV.

QUARTO: lex uſuram prohibens, cum regiminis illius forma cui ſuberant Iſraelitæ, maximè conveniebat: prout enim illius politiæ *materia*, ſubditi ſcilicet Iſraelitæ, *ſanctus populus* & *regnum ſacerdotum* audiebat; ſic & illius *forma* plane ſingularis erat, & a quavis alia peculiari ratione diſcernebatur. Erat enim *Theocratia:* Deus ipſe præfecturam tenuit, ad illius arbitrium rerum ſumma rediit, ipſe leges tulit, & omnia regni ardua reſponſo extra ordinem dato determinavit. Non erat autem e dignitate populi tam ſancti, & regimini tam ſacro ſubditi, ut illi opibus coacervandis inhiarent, & eandem πλεονεξίαν & lucri guſtum, quem gentes profanæ, proderent & exercerent. Par erat, ut conditionis inferioris homines (afflicti, peregrini, conſanguinei, ad inopiam præcipue redacti) charitatem magis obviam & liberalem inter Iſraelitas, quam inter alias gentes nihil divini præ ſe ferentes, experirentur. Conſentaneum etiam erat, ut cœleſtis ille rerum Judaicarum moderator populum ſibi ſubditum ab immodico lucri mundani ſtudio cohiberet, & eorum cupiditates corporeas intra limites arctos & honeſtos coerceret. Præterea: cum Deus ipſe rem Judaicam adminiſtraret, & eorum politiam lege a ſeipſo data temperaret; nil mirum ſi leges aliquas in codice ſuo plane ſingulares, & a gentium aliarum uſu recedentes inveniamus. Ipſa Dei ſanctitas & ſapientia ſingularis leges aliquas formæ peculiaris, & hominem minime ſonantes, expectare docent. Et proinde, leges illæ in Dei tantum pandectis inveniendæ ſunt, nempe, de veſtibus pignori datis, quibus de pecunia concredita cavebant debitores, ante Solis occaſum reſtituendis; de debitis, Iſraelitæ cuivis, anno ſeptimo remittendis; de reverſione prædiorum venditorum ad dominos priores, anno Jubilæo; de vineis & agris, anno ſabbatico, ſine cultura relinquendis; de ſervis, pecunia licet emptis, ſine [a] pretio dimittendis, iiſque dono aliquo liberali feriendis; quibus accenſeri poteſt, lex ea quæ nos in præſens exercet, de pecuniis abſque fœnere pauperi commodandis. Hæ leges originem divinam ſatis ipſæ produnt: & illi regimini ſacro conſentaneæ ſunt, quo primum ſanctionem & originem acceperunt. Politiæ humanitus inſtitutæ & adminiſtratæ, leges alias, alios mores, exigunt. Quarta.

SECT. IV.

RATIONES *legis hujus a parte terræ quam incolebant Iſraelitæ.*

QUARTO: aliæ legis hujuſce rationes erant a parte regionis aut terræ quam incolebant Iſraelitæ. Nam, Rationes legis uſurariæ a parte terræ Iſraeliticæ.

PRIMO: regio illa procul a mari diſſita fuit, adeoque paſturæ vel agriculturæ tantum idonea & accommodata. Atque inde factum, ut Hebræi, terræ ſuæ genio obſecuti, ad rem ruſticam vitamque paſtoralem animos appellerent, & ne centeſimus quiſque vitam mercatoriam ageret. Hic [b] *Joſephum* veritatis hujuſce teſtem advoco: Ἡμᾶς τοίνυν, ὅτε χώραν οἰκοῦμεν παράλιον, ὅτ' ἐμπορίαις χαίρομεν, οὐδὲ ταῖς πρὸς ἄλλους διὰ τούτων ἐπιμιξίαις· ἀλλ' εἰσὶν μὲν ἡμῶν αἱ πόλεις μακρὰν ἀπὸ θαλάσσης [1] ἀνῳκισμένης χώραν δὲ ἀγαθὴν νεμόμενοι ταύτην ἐκπονοῦμεν. *Nos autem neque terram maritimam incolimus, neque commerciis & ob ea externorum conſuetudine delectamur; ſunt autem urbes noſtræ a mari remotæ: uberem itaque terram ſortiti, eam diligenter excolimus.* [c] Strabo etiam Judæam procul a mari ſitam aſſerit, eam μεσόγαιαν *mediterraneam* nuncupans. Cum itaque terra eo ſitu gauderet, & is eſſet rerum Judaicarum locus; lex non ſine ratione fœnus inter Iſraelitas, regionis illius incolas, agitari vetuit. Nam in terra, nec mercatura nec exterorum uſu delectata, neceſſe fuit ut pecunia rarior eſſet, populus lucrum e re præcipue pecuaria quæreret, & ovibus, bobus, & agri cultura, ſeipſos exerceret. Nec mi-

a *Deut.* 15. 12, 13, 14. b Lib. 1. contra *Apion. p.* 1335. 25. c *Geogr.* lib. 16. p. 1035.

1 Antea ἀνῳκισμένας Apud *Budæum* ἀνῳκ. & MS. *Cantabrigienſem*, olim e Bibliotheca reverendi admodum *Johannis Epiſcopi Elienſis.* Divitem hunc rei literariæ theſaurum, *Academia Cantabrigienſis*, auguſtiſſimi Regis noſtri GEORGII munificentiæ acceptum refert; erga *literas* & *Academiam* eximii ejus ſtudii perpetuum monumentum.

Sect. IV.

nus neceſſe fuit, ut ea rerum ſuarum conditio fœnus omne Judæis oneroſum redderet, brevi ſacultates eorum exhauriret, & agricolis otia longa faceret. Deinde, cum agricolæ & paſtoris labor improbus in orbem redeat, & inde non hominum vulgus tantum ſed [a] rex ipſe, ſuſtenteretur; beneſactores hoſce communes uſura premere, damnoſum & odioſum non immerito videretur. Exteros aliquos eadem ſententia fuiſſe [b] *Grotius* obſervavit: *nam & aliorum populorum legibus* (inquit) *odioſiſſimum eſt fœnus quod in agricolas exercetur.*

Secunda. Secundo: terra quam incolebant Iſraelitæ, gratis data fuit: eorum nec pecunia, nec ſanguine, nec labore, comparata; ſed Deo tantum auſpice parta, & illius benignitati debita. Hanc veritatem Deus eorum animis frequenter ingerit, præcipue *Joſh.* 24. 12, 13. *Ego miſi crabronem ante vos, & expulit eos a facie veſtra, duos nempe reges Amoræorum;* ſed *non gladio tuo, nec arcu tuo: dedique vobis terram in qua non laboraſtis* vos, *& urbes quas non ædificaſtis vos: vineas & oliveta quæ non plantaſtis vos, comedetis.* Ea quæ habebant omnia Dei benignitati accepta referre debuerunt. Erat itaque, non legi tantum, ſed & rationi, conſentaneum, ut illi qui argentum, cibum, vinum, oleum, omnia, gratis acceperant; aliquid in Deum, ejuſque ſervos, egenos inprimis, gratis erogarent. Nihil erat cur uſuram pecuniæ creditæ ſeverius exigerent illi, qui ſummam capitalem miſericordiæ Domini ſupremi integre debuerunt. Hoc in animos Hebræorum Deus ipſe revocat, cum legem fœnus omne prohibentem dederat; dicens, [c] *argentum tuum non dabis ei* (fratri tuo) *ad uſuram, nec dabis ei cibum tuum ad incrementum:* nam *ego Dominus Deus veſter, qui eduxi vos e terra Ægypti, ut darem vobis terram Canaan.* Quaſi dixerat, "cum ego Dominus Deus veſter, & ex infima & ſervili paupertate, vos in conditionem amplam & honeſtam aſſeruerim; eum etiam terram uberem, & fructus inde provenientes, ex mera gratia vobis ipſe dederim; grave vobis aut iniquum videri nequit, me præcepiſſe, tantum ut hujuſce copiæ portiuncolam quandoque fratri negotianti gratuito commodetis. Vos [d] δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε, ſaltem ſervis meis ad inopiam redactis; ut hoc ſigno vos me Dominum & redemptorem veſtrum agnoſcere, teſtatum faciatis. Argumento conſimili Deus [e] alibi utitur, ut populum Iſraeliticum ad ſingularia quædam officia charitatis, in fratres eorum pauperes, arcte devinciret.

Tertia. Tertio: terra *Iſraelis* haud magna vel ampla fuit, ſi præſertim comparatio inter terram & incolarum numerum inſtituatur. Magna cenſeri nequit, quæ ne tertiam *Angliæ* partem magnitudine ſuperaſſe dicitur. Cum autem terra illa parvula, [ἔθνος πολυανθρωπότατον] τῶν ἁπανταχῇ πάντων (uti loquitur [f] *Philo*) gentem populoſiſſimam, *quotquot ubique ſunt, omnium aleret;* neceſſe fuit ut agricolis & paſtoribus abundaret, qui terram illam parvulam ea arte & induſtria colerent, ut multitudini tam ingenti ſuſtentandæ par eſſe poſſet. Nulli vero probabile videri poteſt, tot homines agriculturæ & vitæ paſtorali ſeipſos addicere voluiſſe, niſi lex publica nummos aut cibos fœnore collocare vetuiſſet. Proculdubio pauperes laborem tam gravem & ſæpe fallacem, qualis eſt agricultura, nunquam ſubire voluiſſent, niſi nummis omni fœnore liberatis circa prædia ſua negotiari licuiſſet: neque divites operam & pecuniam eorum vinetis & agris colendis impendere voluiſſent, ſi quæſtum uſura facere, & vitam alieno tantum labore ſuſtentare, potuiſſent. Dubitari nequit, homines agriculturam, & artes alias non ſine labore proſequendas, omiſſuros aut remiſſe curaturos, ſi lucro per uſuram faciendo ad otium & ignaviam allicerentur. Cum autem Deus Iſraelitas in terra tam exigua collocaſſet, eoſque Paradiſo illi colendæ deſtinaſſet; noluit eos deſidioſæ illi nundinationi ſeipſos addicere, quæ ab agrorum cultura eos avertiſſet, majus & expeditius compendium uſura comparandum captaturos. Atque hæc omnia cauſam ſuggerant, cur [g] *David*, [h] *Hezekiah*, aliique reges Hebræorum, faſtigio ſuo regio non indignum duxerint, ovium boumque greges numeroſos alere. Nempe lex Dei quæſtum facere, nummis fœnore poſitis omnino vetuiſſet: & probe norant ſe, greges illos alendo, magnum populo tam numeroſo commodum allaturos; in terra præſertim quæ intra limites arctos adeo coercebatur.

Quarta. Quarto: tam feliciter actum eſt cum Iſraelitis, terram promiſſam incolentibus, ut eorum pars maxima magnam pecuniæ vim, ad mercaturam exercendam aut terras coemendas, minime deſiderarent. Non *ad mercaturam exercendam:* erat enim *Canaan*,

a *Eccleſ.* 5. 9. b Not. in *Luc.* 6. 35. c *Levit.* 25. 37, 38. d *Mat.* 10. 8. e *Levit.* 25. 53, 54, 55. *Deuter.* 15. 14, 15. *Deuter.* 24. 21, 22. f Lib. de *Charit.* pag. 699. C g 1 *Chron.* 27. 29, 30, 31. h 2 *Chron.* 32. 29.

Terra

SECT. V.

Terra ſuis contenta bonis, non indiga mercis. Eam enim ſic Dei quaſi penicillo deſcriptam legimus: [a] *Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam, terram rivorum, aquarum & fontium; -- Terram tritici, hordei, ac vinearum,* in qua *ficus & malogranata & oliveta* naſcuntur; *terram olei & mellis. Ubi abſque* ulla *penuria comedes panem, &* rerum *omnium* abundantia perfrueris: *cujus lapides ferrum* ſunt, *& e montibus ejus* æris metalla ſodiuntur. Characteris hujuſce veritas inde magis elucet, quod, ſi quando rex ipſe mercatorem ageret, naves ejus nihil ad uſum vitæ neceſſarium, ſed [b] *aurum & argentum, dentes elephantinos, ſimias & pavos* (mera vanitatis inſtrumenta) domum reportarent. Laboris itaque ſupervacanei foret ingentem pecuniæ ſummam fœnore corradere, ut inde quæſtum mercatorium facerent Iſraelitæ. Nec iis minus inutilis erat *ad terras coemendas*: terra ſcilicet inter Tribus & familias eorum æqualiter & integre dividebatur; nec cuiquam fundos proprios & [c] paternos vendere, vel vicinos emere (ſupta annum Jubilæum) lege concedebatur. Patet itaque gentis illius partem potiorem nummis fœnore collectis indigere minime potuiſſe, nec inde boni quicquam ad eos rediturum, niſi ut nummos in arca contemplari poſſent. Quod ſpectat ad inferioris loci & fortunæ viros; illi pars minima fuere gentis Iſraeliticæ, & eorum ſuſtentationi liberali legibus charitatem ſpirantibus abunde proſpectum eſt; adeo ut nil opus eſſet iis, ad rem familiarem augendam, verſuram facere.

SECT. V.

Rationes legis uſurariæ a parte religionis quam Iſraelitæ profitebantur.

Rationes legis uſurariæ a parte religionis Iſraeliticæ.

QUINTO: rationes a parte religionis quam Iſraelitæ præ ſe ferebant, excogitari poſſunt, cur Deus quicquam ſub uſuris Iſraelitæ commodare, vetuiſſe cenſeatur. Nam,

Prima.

PRIMO: lex hæc ad religionis Judaicæ puritatem & ſimplicitatem conſervandam non parum conferebat. Nam hac ratione cautum eſt, ne Judæi nummos, uſum non adeo magnum in Judæa præſtantes, abſque modo & menſura coacervarent. Norat ſummus legiſlator, uſuram cum contribuli permiſſam brevi divitias allaturam, eaſque Dei contemptum, luxum, ſuperbiam, pauperum odium, cum exteris commercium, morum externorum ſtudium, aliaque mala non levia, certo parituras. [d] *Lycurgus*, hæc & alia ſimilia revolvens animo, uſum auri & argenti a repub. ſua prorſus abdicavit, unde mercatoribus exteris præcluſit aditum, qui plerunque res ad luxum facientes, & mores a regimine conſtituto diſſentientes, advehunt.

Secunda.

SECUNDO: Deus Iſraelitas inter ſe fœnus agitare vetuit, non tantum ut religionem puram & illibatam conſervaret, ſed ut ei dignitatem & honorem apud exteros conciliaret. Cum enim ἔλεος *miſericordia* (notante [e] *Philone*) ἀναγκαιότατον ſit, καὶ συγγενέστατον λογικῇ ψυχῇ πάθος, *affectus maxime neceſſarius & cognatus animæ rationali*; neceſſe eſt, ut ea religio, quæ miſericordiam & humanitatem maxime ſpirare, & alias omnes charitate ſuperare videtur, hominum affectus & ſtudia ſibi maxime devinciret. Hanc laudem olim religio Judaica ſibi merito vindicavit, quæ tot egregiis humanitatis & charitatis inſtitutis abundavit, ut (iis recenſitis) exclamet [f] *Philo: eant nunc ſycophantæ, & inhumanitatem objiciant genti noſtræ,* τοὺς δὲ νόμους, ὡς ἄμικτα καὶ ἀκοινώνητα παραγγέλλοντας αἰτιάσθωσαν, *leges etiam noſtras, ut morem quendam inſociabilem enunciantes, probris afficiant; cum ab his vel pecudes clementer tractentur, homines autem a tenera ætate præceptis aſſueſcant manſuetudinem docentibus plane ſingularem.* Inter leges autem religionis Judaicæ, quæ clementiam erga pauperem præſtare docent, & proinde gratiam & dignitatem ei conciliant apud omnes humaniores, lex ea prælucet, quæ pauperem Iſraelitam uſuris onerare prohibet. Nam lex ea charitatem, vel prima fronte conſpicuam, præ ſe fert, ei gratuitam negotiandi licentiam afferens, eique [g] *manuum ſuarum laborem comedendi* facultatem tribuens.

Tertia.

TERTIO: lex ea non parum religioni Judaicæ miniſtrabat, quatenus illius obſervatio ſignum haud obſcurum eſſet, Iſraelitas Jehovam pro Deo habere, eique ſoli cultum exhibere. Hoc e legis ipſius verbis non difficulter intelligendum eſt: [h] *nihil fœnoris accipies ab eo*, fratre tuo, *ſed time Deum, ut frater tuus vivat tecum. Non dabis ei*

a *Deuter.* 8.7, 8, 9. b 1 *Reg.* 10.22. c 1 *Reg.* 21.3, 4. d *V. Plutarc.* in *Lycurg.* p. 44, 56, 58. e Lib. de *Charit.* pag. 711. D f *Ub. ſupr.* A. g *Pſal.* 128.2. h *Levit.* 25.36, 37, 38.

Sect. VI. *pecuniam tuam ad uſuram.* —— *Ego* ſum *Dominus Deus veſter, qui eduxi vos ex Ægypto, — ut eſſem vobis Deus.* Quaſi dictum fuiſſet, “ ipſe vos ab Ægypti lateribus & idolis brachio potente liberavi, & in terram patribus veſtris promiſſam eduxi vos, terram uberem, & Ægyptum ipſam cœli benignitate & rerum abundantia longe ſuperantem; ut Diis alienis abdicatis mihi uni cultum & reverentiam tribueretis. Vos itaque lege devinctos intelligatis, pecuoiam cibumque veſtrum fratribus veſtris gratuito commodare, ſortis pretium ab iis neutiquam exigentes; ut vos me Dominum veſtrum munificum agnoſcere, ut Deum veſtrum revereri, & legibus meis obſequium deferre, luculenter indicetis. Nec ſane ſignum luculentius edi potuit, quo Iſraelitæ ſe hæc omnia præſtare, teſtatum facerent. Nam Iſraelitæ miſericordiam illam eximiam, eamque in ſolos Iſraelitas exetcentes, ſe Dei filios & ſervos, eoque nomine quo tales, honore & chatitate ſingulati proſequi clate profitebantur; ſeque Jehovam ſolum, qui miſericordiæ tam egregiæ ſpecimen ediderat, imitari, eique cultum omnem & obſequium deferre, qui legem illam, clementem quidem ſed oneroſam, iis impoſuerat. Ex adverſo, qui legi huic obedientiam præſtare recuſavit, redemptionem ex Ægypto Dei manu peractam in dubium vocare, mandatum inſuper primum, præcipuum fidei cultusque Judaici fundamentum, nullius æſtimare cenſebatur. Atque inde factum, quod fœneratores inter idololatras, aliosque nigrioris notæ peccatores, a [a] propheta numerentur.

Quarta. Quarto: lex ea quæ Judæo fœnerare prohibet, virtutes & officia quædam religioni Judaicæ propria, materiam & occaſionem exercendi præbuit. Nam (1°.) Judæi, pecuniam ſine fœnore mutuam dantes, timoris erga Deum, legis illius auctorem, exemplum haud obſcurum ediderunt. Hoc ex ipſius præcepti verbis intelligendum: *nihil fænoris accipies ab eo*, fratre tuo, *ſed time Deum.* Nullo nempe teſtimonio magis aperto conſtare potuit, Iſraelitas Deum ex animo [b] revereri, quam lucro omni fœnebri nuncium remittendo, ne legem ab eo ſancitam violarent. (2°.) Obſervatio legis illius oneroſæ ſignum non minus apertum erat charitatis illius fraternæ, qua quis Iſraelitas omnes amplectebatur. Hoc etiam e legis ejusdem verbis haud obſcure colligendum eſt: *nihil fænoris accipies — ut frater tuus vivat apud te.* Quaſi dixerat: “ ne fratris, attenuati præcipue, facultates uſura mordaci minuas, ut ille non vivat modo, ſed apud te vivat ille, qui tibi ſanguine fraterno conjunctus eſt, & forſan aliter, fortunis exhauſtus, periturus eſt, aut in terras a Dei cultu alienas abiturus, ut conditiones vivendi meliores experiatur. Adeo ut, ſi fratri tuo vicino pecunia gratuito commodata negotiari licuerit, multum inde commodi ad illius corpus & animam redituram eſt, & tu charitatis eximiæ ſpecimen in utriusque vitam editurus es. (3°.) Lex ea ſpem omnem in Deo reponendi, & illius fidei ſe ſuaque omnia committendi cauſam præbuit Iſraelitis. Sic enim Deus legem ſancivit, qua fœnus accipere prohibetur: [c] *fratri tuo absque uſura commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni* opere tuo, *in terra quam ingredieris poſſidendam.* Q. d. “ Tibi forte durum videatur pecunias fratri tuo commodare, ut ille negotietur, quæſtum faciat, & rem ſuam ampliorem reddat; cum tibi ipſi, pecuniæ commodatæ poſſeſſori, vetitum ſit, quicquam ſupra ſortem ipſam, pretii ſeu mercedis nomine, petere vel expectare. Deus enim, qui legem tulit, obſequium tuum benedictione tam ampla remunerabit, ut certo percipias eum uſuram pecuniæ fratri gratis accommodatæ cum fœnore reddidiſſe. Huic itaque legi libens obſequaris, benedictionis divinæ ſecutus, & fiduciam tuam in legislatoris fide & benignitate collocans.”

SECT. VI.

Rationes a parte legum aliarum ad Hebræorum politiam pertinentium.

Rationes legis uſurariæ a parte legum aliarum, Hebræorum politiam ſpectantium.

Sexto: cauſæ quædam erant a parte legum aliarum ad remp. ſpectantium, cur præceptum eſt ut Iſraelitæ omnes ab uſuris immunitate fruerentur. Ea nempe gentis Iſraeliticæ conditio & ingenium erant, ut leges eas ſibi dari poſtularent, quæ perimpleri vel effectum debitum ſortiri vix poterant, niſi Deus legem aliam iis affinem, mutuum nempe fœneratitium inhibentem tradidiſſet. Nam,

(1°.) Leges politicæ Judæorum eo collimaſſe videntur, ut res agrariæ ſimul & nummariæ (qua licuit) æqualiter inter tribus & familias eorum dividerentur. Ut enim Iſraelitæ rem agrariam cum æqualitate quadam poſſiderent, *Moſes* hanc legem

a *Exod.* 18. 12, 13. & cap. 22. 10, 11, 12.

b *Pſal.* 15. 4, 5.

c *Deut.* 23. 20.

ſtatuit,

Digitized by Google

ſtatuit, in terræ diviſione curatius obſervandam: [a] *poſſeſſiones terra* eorum (Cananæorum) *ſortito ſecundum familias veſtras dividetis, & pluribus multiplicabitis eorum hæreditatem, & paucioribus minuetis.* Ex hac lege liquidum eſt, *Moſen* inſtituiſſe, ut tribus aut familiæ numero potiores, terræ portione majore, pauciores minore fruerentur. Terræ vero diviſione ex eo præſcripto facta, clarum eſt, tribus, in regni naſcentis exordio, pene pares extitiſſe, nec unam alia multo ditiorem dici potuiſſe. Quamvis autem, in origine gentis, terræ poſſeſſiones æquales eſſent; res in eo velut æquilibrio manere non poterant, cum multi proculdubio, rerum domeſticarum incurioſi, adeoque lapſu temporis ad inopiam redacti, portiones eorum divendi, & ad alias familias tranſire paterentur. Deus itaque, ut huic malo naſcenti remedium adhiberet, anno quoque quinquageſimo licentiam dedit Iſraelitis hæreditates avitas adeundi, quas olim, inopia propria vel ære alieno preſſi, vendidiſſent. Lege curatum eſt etiam, ut nemo, familia ſancta propagatus, uſuram ſolveret, ſi forte pecuniam mutuo ſumere cogeretur; ne debitor ad inopiam cito perveniret, & creditoris opes in immenſum excreſcerent, & eo citius aliorum fundos, pretio redemptos, ſibi ipſi compararet. SECT. VI.

LEGES Hebræorum non minus curaſſe videntur, ut res nummariæ portionibus (qua fas erat) æqualibus inter familias Iſraeliticas dividerentur. Lege nempe ſancitum eſt, ut anno ſeptimo, pecuniæ debitæ, licet minime ſolutæ, creditorum tabulis expungerentur; ut etiam uſu pecuniæ Judæo commodatæ nil fœnoris aut mercedis nomine ſolveretur.

REBUS Hebræorum ita comparatis, fieri vix potuit, ut Iſraelita quiſpiam agris aut nummis ditior evaderet, quam cum regni firmitate vel morum integritate ſtare poſſet. Nam regnum illud hoſtibus & rerum novarum ſtudioſis abundare ſolet, in quo cives plurimi poſſeſſionibus avitis orbati, & ad quadram alienam redacti, vivunt. Ut res ad compendium redeat: norat ſummus legiſlator, Iſraelitas nec opulentiam nec inopiam ferre potuiſſe, eoſque ad mores quos hæc vel illa fortuna docere ſolet, certo ruituros, niſi conditionem inter fortunæ extremam iis aſſignaſſet. Hoc itaque exemplum reipublicæ bene conſtitutæ, *Lycurgus* ob oculos ejus in rep. ſua adminiſtranda poſuiſſe creditur. Cum enim ibi pauperes ubique jacerent, opes autem ad paucos redundarent, adeoque magnam inter ſuos rerum inæqualitatem obſervaret, ut, [b] *faſtum, invidiam, luxum, avaritiam*, ϗ πλοῦτον ϗ πενίαν, *opulentiam* & *paupertatem, antiquiores & aſperiores illos reip. morbos*, exterminaret; civibus auctor erat, ut poſſeſſiones in medium conferrent, de integro partirent, & omnes compari inter ſe & æquabili fortuna contenti viverent; primas virtuti deferentes, & nullam imparitatem inter ſe ducentes aliam, niſi quam turpitudinis macula vel virtutis decus definiret.

SECUNDO: lex alia, fœnori non minus adverſa, condebatur, qua populus Iſraeliticus, anno quoque ſeptimo, terram incultam relinquere, debita inſuper omnia gratuito remittere tenebatur. Nam pluſquam ſimile eſt vero, populum illum σκληροκάρδιον legem illam ægre ſervare voluiſſe, niſi lex alia eos ab uſura inter ſeipſos facienda cohibuiſſet. Si enim pecuniam fœnore locare licuiſſet, lex ea, de debitis anno ſeptimo remittendis adeoque de nummis mutuo datis & eorum fructu omni perdendis, multis quandoque gravis & ægre ferenda videretur. Ditiores, & Mammoni magis quam Deo devoti, annum iſtum Sabbaticum, ut rationi diſſonum, & rei ſuæ familiari damnoſum, rejicere voluiſſent; ſi anno illo, pro pecuniis ad negotiationem ruſticam neceſſariis, uſuram ſolverent, quo nihil a prædiis eorum incultis commodi reportarent. Si Judæis inter ſe fœnerari licuiſſet, multi proculdubio, ſpe lucri majoris inducti, prædia ſua (anno ſeptimo quovis infructuoſa) vendere, & nummos inde receptos in fœnore ponere, conſultius exiſtimarent, & ad artem uſurariam magis quam rem agrariam evigilarent. Secunda.

TERTIO: aliæ leges hunc ſcopum habuerunt, ut ſcilicet omnes Iſraelitæ liberaliter, & cum dignitate quadam origini ſuæ conſentanea tractarentur; ideoque hoc ante alia curaſſe videntur, ut nemo ex iis cum paupertate illa, quæ homines *ridiculos facit*, conflictari cogeretur. Nam primo, lege ratum erat, ut annus quiſque ſeptimus, annus ἀφέσεως eſſet, quo ſinguli ære alieno depreſſi, debitorum onere gratuito levarentur. Deinde, lex in pauperum gratiam annum Jubilæum ordinavit, quo licuit egenis rura paterna, ob æs alienum vendita, debito licet non perſoluto, recuperare. Annus etiam ſabbaticus inſtitutus eſt, ut quiete & refrigerio donaret pauperem; frugibus quas terra ſponte proferebat ad uſum pauperis & peregrini ſeparatis. Annus decima- Tertia.

a *Numer.* 33. 54. b *Plutarc.* in *Vit. Lycurg.* pag. 44. A

CAP. III. tionis pauperi & peregrino refrigerium attulit, quum anno illo Judæi decimas ſecundas in uſum pauperum ſeponere tenerentur. His accedant leges illæ, modo memoratæ, de ſervis Hebræis cum diſcrimine recipiendis, pignoribus reſtituendis, hæreditate redimenda, ſpicilegio, & aliæ; quæ Judæos ad fratres eorum pauperes humaniter & cum charitate quadam honorifica recipiendos devinxerunt. Cum itaque clarum ſit, tot leges miſericordiam & charitatem egregiam in pauperes exercendam pro ſcopo habuiſſe, rationi quadrat, ut legem etiam fœnerare prohibentem eodem collimaſſe cenſeamus, ut ſcilicet Iſraelitæ perhumaniter & prout Dei filios & ſervos decebat, haberentur. Hoc & eo minus ægre creditur quod lex hæc, fœnoris exercitium prohibens in legum earum ſocietate [a] reperiatur, quæ charitatem & miſericordiam erga cenſus tenuioris Iſraelitas, pro fine & ſcopo habuerunt. Et ſane conveniens erat, ut leges illæ omnes vinculo quaſi fraterno connecterentur, quod multum cognati haberent, & ad earum obſervationem provehendam operam quaſi mutuam conferrent. Si quis enim fratri ſuo anni ſabbatici & Jubilæi beneficia libens concederet, veriſimile eſt, eum hanc legem facile concoquere, & pauperi pecuniam fœnore liberatam commndare voluiſſe: & ſi quis ſummæ capitalis uſuram, anno forte quarto vel quinto debitam, remiſiſſet, veriſimile eſt, eum, charitatis officiis aſſuetum, ſortem etiam ipſam anno ſeptimo non gravate remiſſurum.

Quarta. QUARTO: ni ſalli contingat, lex uſuraria, eique cognatæ modo recenſitæ, & earum omnium obſervatio, charitatis altioris in genus humanum olim exercendæ, *προθεωρίαι* quædam erant & *προγυμνάσματα*; & *παιδαγωγίαν* quandam ad ſtatus Evangelici perfectionem inſinuandam & indueendam continebant. Charitas Evangelica Judaicam multis paraſangis [b] anteceſſit: non enim in fratres tantum, ſed etiam a rep. Iſraelis alienos, imo nobis inimicos, exerceri debet: non debita tantum leviora, ſed offenſas etiam graviores, indies licet & ſæpe repetitas, remittendas indicat: Evangelium inſuper commodare docet, *καὶ μηδὲν ἀπελπίζων*· at Iſraelita quivis fratri quidem pecuniam gratuitam commodavit, ſed ſpe fretus, Deum benedictione ſpeciali charitatem ejus compenſaturum. Non expectandum autem erat, ut Judæi, multo minus Gentiles, tam repente prodirent Chriſtiani, & charitatem tam altam & mere Chriſtianam exercerent, niſi in legibus quas dixi perimplendis diutius verſati fuiſſent, & charitatis officiis quæ religio Judaica docebat, tanquam præludiis quibusdam, fuiſſent exercitati. Hue faciunt illa *Tertulliani*: [c] Lex *quorundam tunc fidem paulatim ad perfectum diſciplinæ Chriſtianæ nitorem, primis quibuſque præceptis balbutientis adhuc benignitatis informabat.*

CAP. III.

Rationes aſſignantur, cur lege permiſſum erat, alienigenas, eoſque ſolos, uſuris onerare.

Rationes quare permiſſum erat Judæis, alienigenas uſuris onerare.

DOCENDUM eſt proximo, cur uſuræ Judæis inter ſeipſos interdictæ, cum *ἀλλοφύλοις* permiſſæ fuerint. Ea quidem ſententia ſunt multi, nec obſcuri viri, fœnus omne juri naturali contrarium eſſe, & quod de Gentili fœnerando apud *Moſen* habetur, permiſſionem *facti*, non *juris*, exiſtimandum. Deus, inquiunt, permiſit quidem ut fœnus ab alienigenis exigeretur, tantum quod norat Hebræos, olim, uti & hodie, fœnoris exercitio pertinacius addictos; adeoque conſentaneum fuiſſe, ut aliquid hac in patre populi pertinacis ingenio concederetur. Sentiunt itaque fœnus cum extraneis agitatum, eidem origini cui divortium populi, nempe *σκληροκαρδίᾳ*, tribuendum eſſe. Cum auctoribus hiſce ſentire nequeo, non tantum quod fruſtra dicatur quod nuſquam legitur; ſed quod *frater* & *alienigena* ſe mutuo, quaſi ſrontibus adverſis, [d] hic intueantur: adeo ut inde conſtet, Deum, cum hanc legem traderet, non ad Hebræorum pertinaciam aut avaritiam, ſed dignitatem, aliaſque circumſtantias ei genti proprias, reſpectum habuiſſe.

ALIÆ itaque rationes exquirendæ ſunt, cur Iſraelitæ fœnoris onus extraneis, non autem indigenis, permittebatur, ſunt autem hujuſmodi:

Prima. PRIMO: Gentiles & alienigenæ, commercia cum Iſraelitis exercentes, uſuram ab iis expectabant, & eos, arte quavis iniquiore, facultatibus ſuis emungebant; erat itaque rationi conſentaneum, ut ab iis fœnus exigerent Iſraelitæ, ne charitas eorum ſibi

a Vid. *Levit*. 25. 6, 10, 35, 36, 39. b *Luc*. 6. 35. c Libr. 4. adverſ. *Marcion*, p. 430. A d *Deut*. 23 19.

fraudi foret, ut lex iniquam negotiandi conditionem iis imponere videretur. Rationem hanc verbis [a] *Bodini* paulo clarius exprimo: *noluit legiſlator* uſum fœnoris *inter peregrinos* Iſraelitis prohibere, *ne civium opes peregrinorum fraudibus, quibus imperari non poteſt, exhauriantur.* CAP. III.

Secundo: Deo viſum eſt, Iſraelitas tanquam populum peculiarem tractare, & privilegia multa, Gentili negata, iis indulgere: nulli itaque mirum videri poteſt, Deum curaſſe, ut Iſraelita uſuræ neſcius in patria viveret, liceret autem a Gentili pecuniæ mutuatæ mercedem petere. Privilegiorum vero, quæ genti Judaicæ propria fuere, mentio frequens occurrit in Scriptura ſacra: Judæi nempe debita fratribus eorum obæratis anno quoque ſeptimo remittere tenebantur: permiſſum eſt autem [b] alienigenam ad pecuniæ mutuo datæ ſolutionem devincire. [c] Annus Jubilæus ſervo cuique pauperi, e Judæorum genere, libertatem attulit; quivis autem ſervus, e gentium grege ſumptus, ſervitutem perpetuam (niſi ſoluto redemptionis pretio) ſervire debuit. Hæc, & alia, ſingularis humanitatis & amoris exempla, lex in Iſraelitas omnes, eosque ſolos edi poſtulavit, ut Iſraelitæ legi & patriæ ſuæ affectibus eo tenacioribus adhærerent, & gens ſancta a profana lato diſcrimine diſcerneretur. Secunda.

Tertio: diſcriminis hujusce cauſa non levis erat peculiaris illa vitæ ratio, qua Judæi a gentibus e vicinia dividebantur. Agriculturæ nempe ſtudebant Iſraelitæ, vel vitam agebant paſtoralem: agricolas autem vel paſtores fœnore ferire, reip. damnoſum, adeoque gentibus aliis odioſum, plerumque videbatur. Gentes autem vicinæ (*Canaanitæ, Sidonii, Tyrii, Ægyptii, maris rubri accolæ*, alii) [d] mercatores erant, & inde quæſtum non exiguum faciebant. Ideoque par erat, ut inter eos fœnori licentia concederetur; cum præſertim ſponte venirent in Judæam, & illuc vix quicquam ad uſum vitæ neceſſarium apportarent. Tertia.

Quarto: Deus uſuram apud extraneos, non autem Iſraelitas, exerceri permiſit; Quarta. ut oſtenderet hanc legem ad ſolam [e] terram promiſſam, & populi ſui πολιτείαν, pertinere; ſeque nihil in commerciorum ratione, vel gentium aliarum legibus, immutare ſtatuiſſe. Ut rationis hujusce momenta bene percipiantur, id lectorem ἐν παρόδῳ moneri velim; nempe gentes antiquiores, argentum, frumentum, vinum, oleum, & alia neceſſaria, fœnori dari conſueviſſe. Sic ævi priſci mores habuiſſe, e *Moſis* legibus innoteſcat, quibus hujusmodi fœnoris uſus interdictus eſt. Eas autem gentes inprimis quæ mercaturam exercebant, uſuras omnigenas in moribus habuiſſe, multis veterum teſtimoniis evinci poſſet. Iis autem in præſenti non opus eſſe cenſeo, cum [g] *mercaturam & fœnerationem eadem initia habuiſſe conſtat, quia ſine iſta vix illa conſiſtit.* Cum itaque multorum dierum & populorum uſus fœnerationem non minus quam mercaturam confirmaſſet; Deus, legem daturus, nihil iis adverſum tradidit; ſed utrosque negotiandi modos, juxta morem ab antiquo receptum, exerceri permiſit, niſi quod uſuram reſtrinxerit ad extraneos, ea inter Iſraelitas tantum interdicta.

Quinto: Deus indigenas & alienigenas, hac in re, diverſimode tractari voluit, forſan ut Iſraelitas inter ſeipſos arctiore charitatis nexu devinciret; alienigenas autem ab Hebræorum conſortio, commercio, & regione, longius amoveret. Cum enim ex hominibus illis quibuscum nobis uſus aliquis intercedit, alii fraternam quandam apud nos humanitatem & miſericordiam experiantur, & manu quaſi molli tractari ſoleant; alii vero modo tam diſſimili tractentur, quaſi ex eodem communi luto & ſanguine non conſtarent; ita finxit Natura mortalium genus, ut illi quidem nos animitus ament, & in ipſo quaſi ſinu ferant, hi vero non minus odio nos habeant, & ſocietatem noſtram averſentur. Ratio vero ſuadebat, ut Iſraelitæ ſanctiore quodam fœdere & intimiore amicitia ſibi mutuo jungerentur; non tantum quod eadem ſacra colerent, & ſanguinem eundem participarent, ſed quod Iſraelitæ (cum gentibus collati) manus hominum non magna eſſet, & gentes omnes in eorum perniciem, junctis animis viribusque, conſpirarent. Nec minus rationi conſentaneum erat, ut Deus hac arte peregrinos ab Hebræorum cœlo & uſu familiari removeret; cum pronum eſſet Iſraelitis a gentium conſuetudine contagium haurire, & ab hominum peregrinorum ſocietate & amore, ad mores etiam ritusque peregrinos tranſire. Quinta.

Sexto: lex hæc, qua Iſraelitæ a fœnore ſolvendo liberantur, cum tota lege conſenſum colit, quæ multa alia ſingularis humanitatis exempla in Iſraelitas omnes, eos- Sexta.

a De Repub. lib. 5. c. 2. pag. 528. B. b *Deuter.* 15. 2, 3. c *Levit.* 25. 40, 46. d *Hoſ.* 12, 7. e *Deut.* 23. 20. f. *Deuter.* 23. 19, 20. *Levit.* 25. 36. g V. *Salmas.* libr. *de fœnor. Trapezit.* pag. 210.

CAP. IV. que ſolos, edi poſtulavit. Id [a] *Grotio* obſervatum eſt, & hiſce verbis occaſionem dedit: *Deus Hebræis inter ſe non ea tantum præcepta* voluit, *quæ ſunt hominibus omnibus inter ſe communia, & quæ ſtricta juris ratione debentur, ſed multa etiam propioris cujuſdam neceſſitudinis ac charitatis officia; ut in lege de ſervis, pignoribus, de ſpicilegio, aliiſque multis, videre eſt.* Atque inde factum, ut Judæi quævis officia lege præcepta fidei ſuæ conſortibus prompto præſtarent, ethnicis autem officia illa quæ communis humanitatis ratio poſtulavit, negare non dubitarent. Hunc zelum charitate vacuum ſic exponit [b] *Satyriſta*, de Judæis agens,

Judaicum ediſcunt, & ſervant, ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes:
Non monſtrare vias, eadem niſi ſacra colenti;
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.

Neque hic ſibi terminum poſuit cæcus Hebræorum zelus, qui odio non minore peregrinos, quam domeſticos ſuos amore, proſequebantur. [c] *Tacitus* itaque Judæos hoc inurit charactere, *apud ipſos, fides obſtinata, miſericordia in promptu; adverſus omnes alios hoſtile odium.* Interea vero Judæi turpiter aberrarunt a ſcopo legum earum quæ charitatem & humanitatem plane ſingularem in contribules ſuos exercendam poſtularunt. Nam leges illæ non eo conſilio datæ ſunt, ut *adverſus omnes alios odium hoſtile* profiterentur; ſed ut Iſraelitæ, *Dei peculium, gens ſancta & Deo uni ſeparata*, modo peculiari & dignitati ſuæ conveniente tractarentur. Par erat, ut gens Deo dilecta & ſegregata prærogativis quibusdam gauderet; nec pari ſorte cum aliis mundi gentibus, a rep. Iſraelis alienis, uterentur. Quivis autem obedientiam præſtans legibus iis quæ populo ſancto charitatem & honorem eximium exhibere poſtularunt, eo ipſo ſe Dei veri ſacris addictum profitebatur, & nullum de illius ſinceritate dubitandi locum relinquere cenſebatur.

Septimo. SEPTIMO: hanc etiam rationem nonnulli reddunt, cur advenam, non autem inquilinum, licuit uſuris onerare; nempe, inquiunt, [d] advena vel peregrinus *opes extraneas* habuit, *id eſt, non pertinentes ad terram promiſſam, quam non licebat* uſura *premere.* Deinde peregrinus ἔμπορος *erat, propter commercia in Judæam veniens, non autem pauper. Alia erat ratio Judæi, maxime pauperis & egeni.* Sed has rationes propono tantum, fata ſua pro captu lectoris habituras.

CAP. IV.

DUBIIS *aliquot de re uſuraria ſatisfactum eſt.*

Dubia quædam de re uſuraria. RATIONES, maxima veri ſpecie commendatas, jam videar aſſignaſſe, cur lege curatum eſt, ut Iſraelitæ, non autem extranei, pecuniam nullo fœnore gravem mutuari poſſent. In hoc autem argumento moram longiorem feci, ut huic legi lucem clariorem afferrem, & ſcrupulos eos eximerem, qui, tanquam ſpectra tenebris apparentia, nonnullorum domos interiores turbare ſolent. Eo me jam ducit ordinis mihi præſcripti ſeries, ut dubiis aliquot ſatisfaciam, quibus auctorum nonnullorum auctoritas, & argumenti totius obſcuritas, occaſionem adminiſtrarunt.

Primum. E DUBIIS illis hoc primum eſto: an lex ea qua uſuris interdictum eſt, legibus Hebræorum politicis, moralibus, an ritualibus, annumeranda ſit? Huic dubio inde facta eſt anſa, quod lex ea nonnunquam in politicarum, quandoque moralium, nonnunquam ritualium legum ſocietate vel numero reperiatur. Eam legibus ad ſpecialem terræ ſanctæ politiam accenſeri, cuivis conſtabit *Levitici* caput vigeſimum quintum perlegenti: lex etiam de fœnore vitando inter jura moralia a [e] *Moſe*, [f] *Pſalmiſta*, & [g] *Ezechiele* numeratur: eam etiam inter [h] rituales locum obtinere pateat, quod una cum lege de ſabbato colendo, & fœminæ menſtruatæ ſocietate vitanda, memoretur. Dum hæc omnia mecum perpendo, mihi facile perſuadeo, legem uſurariam, & politicam, & moralem, & ritualem, ætate ſaltem prophetica, cenſeri potuiſſe *Politicam*, quatenus a Deo, ſummo regni præſide, & eo ſeculo rebus Judaicis firmandis accommodatam:

a *Annot.* ad S. *Luc.* 6. 35. b *Juvenal. Satyr.* 14. v. 101. c *Hiſt.* lib. 5. d Vid. *Rivet. Explicat. Decalog.* pag. 1429. e *Levit.* 25. 36. f *Pſal.* 15. 2, 3, 4, 5. g *Ezec.* 18. 7, 8. h *Deut.* 22. 8, 10, 12. & Cap. 18. 6, 8.

moralem,

moralem, quatenus legis illius obſervatio, timoris erga Deum & charitatis erga fratrem exemplum non obſcurum præbuit: & *ritualem*, quatenus illius obſervatio profani cultus obſtaculum eſſet, & religionis Judaicæ teſtimonium. Hæc omnia lucis & fidei non parum hauriant ab iis quæ ſuperius adducta ſunt, cum id operam darem, ut illius præcepti rationes paulo luculentius innoteſcerent. Si quis hæc omoia perpendat bene, facile percipiat eos a vero multum aberrare, qoi legem de fœnore vitando ſua oatura moralem exiſtimant, & humanum genus obligare. CAP. IV.

Dubium ſecundum hoc eſt, an Chriſtiani lege Moſaica de fœnore non exercendo hodieque teneantur. [a] Superius adducta clare probant, Deum leges fœnora prohibentes, ob rationes e peculiari gentis Judaicæ conditione & ingenio profluentes, inſtituiſſe; adeoque leges eas vim nullam in Chriſtianos, ſub alio cœlo natos, & aliis vivendi conditionibus aſſuetos, obtinere poſſe. Utcunque viri, nec pauci nec ſpernendi, (Patres, Coocilia, Canoniſtæ, Doctores, & claſſis inferioris auctores) rationes omnes in fœnoris patrocinium adductas nil penſi habuerunt, & io uſuram omnem (imo licet a magiſtratu præſcriptam & temperatam) acerbius invecti ſunt, & eos qui pecuniam fœnori locant invidia & contumelia onerarunt, eoſque ſacramenti privatione merito mulctandos judicarunt. Et hac in re hominum præjudicia ſic eos tranſverſos egerunt, quod, obſervanre [b] *Salmaſio*, negotiatio uſuraria *ſeculis omnibus* odioſa fuerit, quamvis ea ſit *qua nulla adhuc ſecula, nulla fere gentes, carere potuerunt.* Si ab bominibus hiſce rationem quæras, qua zelus, ne dicam furor iſte, ſuffulciatur; ſtatim *Moſis* leges, Prophetarum dicta, veterum quorundam teſtimonia, pecuniæ ſterilitatem, uſuræ voracitatem, & ejuſmodi cramben ſæpe recoctam, ingerunt: & mirantur, ſi tibi frontis aliqoid ſuperſit, quod Hectorcis illis argumeotis ex adverſo ſtatoas. Ut abſolvam paucis: multi quidem contra fœnoris iniquitatem, & fœoeratorum injuſtitiam, vociferantur; horum autem doctrina & zelo, nihil auctoritate majore vel ratione minore ſuffulrum mihi videre vel audire contigit. Nolo iraque bominum eorum ratiunculis occurrere vel reſpondere, ne ſupra meritum eas æſtimare, forſan etiam [c] *in linea aliena* de rebus ad manum meam *paratis gloriari*, videar. *Salmaſius* enim, in boc dicendi campo, ſe tam ſedulum & circumſpectum præſtitit operarium, ut nec meſſem ſequentibus nec ſpicilegium reliquiſſe videatur. Lector mecum forte judicabit, ſi operæ nonnibil in libris ejus, *de uſuris, de fænore trapezitico, & de mutuo*, perlegendis impendere dignetur. Ne itaque lectori grave ſit, ad auctorem illum, præcellenter eruditum, amandari; cum præſertim otium mihi gratum faciat, & nolim libens præſentis inſtituti limites nimis tranſilire. Secundum.

Dubium cui locum tertium aſſigno, ſit hoc: an Judæi lege de fœnore fugiendo, ad uſque Meſſiæ ſeculum obſtricti fuerint. Huic dubio cauſam præbent eorum mores, cum e Captivitate non ita pridem rediiſſent. Hiſtoria nempe ſacra teſtatur, eos, recens e Captivitate redoces, a fratribos ſuis uſuram exegiſſe. Eos criminis hujuſce reos peragunt illa [d] *Nebemia* verba: *uſuram exigitis, unuſquiſque a fratre ſuo —— Non* eſt *bonum quod facitis vos: nonne in timore Dei noſtri ambulare debetis propter opprobrium gentium, inimicorum noſtrorum? Ego etiam,* & *fratres mei, & ſervi mei,* [1] *commodavimus eis argentum & frumentum* gratuito: *quaſo remittamus uſuram banc.* At res eſt omni probabilitate deſtituta, magnates & nobiles Hebræorum uſuram a fratribus eorum, ſumma licet egeſtate preſſis, exigere voluiſſe; niſi legem uſurariam a *Moſe* datam vim priſtinam amiſiſſe crediſſent. Quamvis autem Hebræorum nobiles, in ea rerum ſuarum anguſtia, io hanc ſententiam forſan inclioarent; eos *male facere* dicit *Nebemiah*, & non obſcure ſignificat, eos legem violare, fœnus a *fratribus* ſuis exigentes. Et credibile eſt, Deum legem illam, ad expirantis oeconomiæ Judaicæ tempora duraturam, inſtituiſſe; quod apertum ſit, illius obſervatiooem, reip. tranquillitati, religionis incremento, & pauperum ſolamini, provehendo miniſtraſſe. Nam ætate *Nebemiæ*, cum nobiles inferioris loci viros uſuris exhaurirent; multi liberos ſuos venum expoſuerunt, alias inedia perituros; alii ſolom vertere coacti ſunt, & alii ſeipſos in [e] ſervitutem tradiderunt. Ut expediam paucis: omnia peſſum ivernnt, & captivi nuperi querelis impleverunt omnia. Salus itaque publica poſtulavit, ut lex ea vim primævam Tertium.

[a] Vid. *Rivet. Explic. Decalog.* p. 1425. [b] Lib. de *Uſur.* in *Præfat.* [c] 2 *Cor.* 10. 16. [d] Cap. 5. 7, 9, 10. [e] *Nehem.* 5. 1, 2, 3, 4, 5.

[1] *Commodavimus eis* —— gratuito. נשים בהם potius [illegible] *vel mutuo dedimus eis.* Verſio quidem *Anglicana* (unde [illegible]) reddit, *might exact.* Ibi enim *Nebemias* in memoriam illis revocat *crimen uſuræ*, additque *quaſo remittamus uſuram hanc.*

CAP. IV. retineret; ut rebus Hebræorum ſuccurreret, alias in locum non minus infelicem ſæpe redituris.

Quartum. Dubium proximo ſolvendum ſit hujusmodi: an ratio fœnoris interdicti, quæ reddi ſolet, quid ſani contineat ſolidique. Nam lex ea de fœnore vitando lata eſt (uti placet aliquibus) *ut legi illi forenſi ſerviret, de reditu nempe fundorum ad proprios dominos in Jubilæo, quæ omnino fruſtranea futura —— eſſet, ſi per antecedaneas uſuras indulti iſtius emolumentum prævertere Judæis integrum fuiſſet.* Nonnulli rationem eandem, diſſimili verborum forma veſtitam, ſic ſentiunt explicandam: *Judæi non poterant poſſeſſiones ſuas in perpetuum alienare per venditionem; ſed emptor uſum —— fructum tantum percipiebat, uſque ad annum Jubilæum, quo* [a] *bonum immobile reſtitui debuit poſſeſſori. At ſi licuiſſet Iſraelitæ uſuras a fratre pro mutuo accipere, eluſa fuiſſet vis legis illius, quia nunquam emiſſet unus ab alio poſſeſſionem, ſed potius cenſum annuum accepiſſet ſine labore, cum ſciviſſet proximo eſſe reſtituendam poſſeſſionem certo tempore.* Hæ ſunt rationes illæ quas nonnulli (nec cordolium inde patior) aliis omnibus anteponunt; quamvis earum momenta mihi nondum licuerit perſentiſcere. Nam lex anni Jubilæi non eo conſilio data eſt, ut hujus aut illius hominis privati (debitoris aut creditoris) rationibus inde conſuleretur; ſed ut, fundis omnibus ad primos poſſeſſores eo anno revertentibus, gens Judaica in perpetuum duraret, Deus in terram ipſius propriam peculiare dominium exerceret, & multas familias inedia perituras benignitatis divinæ ſenſu ſibi devinciret. His accedat, quod ea lege curatum ſit, ne filii, ad ſedes avitas reſtituti, pœnas patrum ſuorum ſtultitiæ debitas in æternum luerent. Ad rationum earum vanitatem arguendam, multa alia ſubjungi poſſent; ſi fas eſſet latius expatiari, quam argumenti præſentis anguſtiæ facile patientur.

Quintum. Dubium quintum & ultimum ſic exprimo: cur Deus legis hujus obſervatores inter homines pietate clariores numerat, & in eos ſe bona præcipua collaturum prolixe pollicetur: ex adverſo, fœnori deditos inter peccatores claſſis primæ recenſet, iisque mala graviora comminatur? Dubii hujusce partem utramque ratam firmamque faciunt *Moſis* & Prophetarum teſtimonia: illius partem primam *Moſis* teſtimonio firmatam legimus, *Deut.* 23. 20. *Fratri tuo abſque fœnore*, id quod indiget, *commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus in in omni* opere tuo, *in terra ad quam ingredieris poſſidendam.* Qui pecuniam ſuam non exponit fœnori, Tabernaculi divini incola cenſetur a [b] *Pſalmiſta*, & ab eo inter pios juſtosque numeratur. Et qui pecuniam non dedit in uſuram, juſtus cenſetur [c] ab *Ezechiele*, & ab eo in aliorum juſtorum albo ſcribitur. Partem hujus dubii ſecundam non minus extra dubium ſtatuunt ejuſdem [d] *Prophetæ* verba, a lectore, cum animus otiumque ferant, facile conſulenda. Nihil eſt autem cur hoc lectori mirabile videatur, cum lex uſuris adverſa cardo ille fuerit, quo Judæorum religio, politia, ſalus, duratio, verterentur; cum etiam lex ea fuerit in qua ſola leges regni, morales, forenſes, & rituales, tanquam lineæ in centro, concurrerent & conſpirarent. Nullum ea de re dubitandi locum relinquunt rationes illæ plurimæ legis hujusce, de quibus, Capite ſecundo, ſatis copioſe dixiſſe videar.

a *Levit.* 25. 10, 15. b *Pſal.* 15. 1, 2, 3, 4, 5. c *Cap.* 18. 5, 6, 7, 8. d *Cap.* 18. 10, 11, 12, 13.

LIBER SECUNDUS,

IN QUO DE

LEGIBUS HEBRÆORUM,

RITUALIBUS QUÆ

ZABIORUM

AUT IDOLOLATRARUM

ORIENTALIUM

Moribus opponebantur, ſuſe diſſeritur.

Ad ejus Calcem, ob affinitatem Argumenti, adjiciuntur

DISSERTATIONES

DUÆ:

UNA,

In locum illum vexatiſſimum, *Act.* 15. 20.

— *Ut abſtineant a pollutionibus idolorum, & a Fornicatione, & a Suffocato, & a Sanguine.*

Multarum legum Moſaicarum *Rationes & Cauſæ mihi innotuerunt, ex cognitione fidei, rituum, & cultus ZABIORUM;* Maimon. Mor. Nebhoc. P. 3. c. 29.

ALTERA,

In *Diſtichon* illud *Martialis:*

Ecce negas juraſque mihi per TEMPLA TONANTIS:
Non credo: jura, Verpe per ANCHIALUM.

Lib. II. *Epigr.* 95.

Digitized by Google

PRÆFATIO

Qua generalia quædam de ZABIIS,

ET

LIBRI SECUNDI

Methodo, præmittuntur.

ZABIORUM mentionem apud *Maimonidem* & ſcriptores Arabicos frequenter injectam reperiamus: cum laboret annalium Græcorum & Romanorum fides, ut *Zabios* vel fuiſſe credamus. Hinc in varias ſententias diſceditur ab eruditis, de obſcura Zabiorum gente differentibus: [a] *Salmaſius*, huic obſcuro populo facem præferens, *Zabæi*, inquit, aut *Zabii fuere populi Meſopotamiæ, quos cum Chaldæis junctim nominat Maimonides in More Nebochim:* &, paucis interpoſitis, *Oportet omnino Zabios iſtos* צביים, *partem fuiſſe Chaldæorum vel ſectam, ut plures fuere*, docente *Plinio*, lib. 6. c. 26. *R. Schem Tob*, Maimonidis interpres haud obſcurus, Zabios אומות הצאבה [b] *gentes Tſabæ* reddidit, quaſi non tam ſectam quam gentem longe lateque diffuſam titulo illo deſignari crederet. Cl. [c] *Bochartus ethnicos apud Arabes & Chaldæos* hoc nomine cenſendos aſſerit. [d] *Hottingerus* aliique Zabios illos eosdem fuiſſe ſentiunt cum *Sabiis* aut *Sabæis*, quorum nomen haud multum abludit a Zabiorum nomine. Ipſe, nomine illo (ſenſu latiori ſumpto) veteres idololatras omnes, *Chaldæos* inprimis, *Arabes*, *Nabathæos*, *Charanæos*, & *Sabæos*, intelligendos opinor, opinionis meæ rationem ſtatim redditurus.

CUM horum itaque Zabiorum ritus plerique cum idololatria & magia proxime jungebantur, & *Moſis* ætate paſſim increbeſcebant; Deo viſum eſt Legem tradere, cujus præcepta plurima [affirmativa, cumprimis autem negativa,] rituum Zabiorum ἀντίθετα continerent; ne mores conſimiles idololatriæ contagionem inter Iſraelitas tandem importarent. In hoc itaque libro, id mihi negotium impono, ut leges eas ſingulatim exequar, quas Deus tuliſſe videtur, ut populum ſuum a Zabiorum ritu & ſuperſtitione longe removeret.

PRINCIPIO quidem hanc penſi mei partem ne ſummis tactam digitis præterire ſtatui, quod auctores extent qui in hoc argumento non vulgari cum laude verſati fuerint. Ex iis *Maimonides*, quo nemo in leges Zabiiſmo repugnantes majori ſtudio vel feliciori fato incubuit, ante alios memorari debet. Ei nempe libros quosdam Arabice ſcriptos, Zabiorum ritus & dogmata referentes, videre contigit, unde legibus haud paucis (quæ doctis antea crucem fixerunt) lucis non parum attulit. Et procul-dubio Legis interpretes in tenebris ſæpenumero palpitaſſent, ſi *ductor* ille *dubitantium* lux iis non præiſſet. Quanto in errore & quam tetra caligine verſati ſunt antea Legis interpretes, nimis indicant illæ frivolæ legum Moſaicarum rationes ab interpretibus *Maimonide* antiquioribus aſſignari ſolitæ. [e] *Hottingerus* etiam ſe hujuſmodi libros Arabicos ſui juris habuiſſe, & uſu frequente triviſſe, dicit; unde & ipſe leges aliquot a *Maimonide* prætermiſſas haud infeliciter illuſtravit. Sunt & auctores alii qui circa leges quas jam aggredior explicandas, ſparſim atque obiter, nec ſine laude laborarunt.

SED, re mecum deliberatius expenſa, conſultius viſum eſt hanc provinciam aggredi: quamvis enim auctores eos de hoc argumento bene meruiſſe, & mihi in locis obſcuris

a *Diatrib. de annis climacter.* in Præfat. b In *Mor. Neb.* P. 3. c. 29. c De *Anim. ſacr.* P. 2. l. 6. c. 7. d *Hiſt. Orient.* l. 1. c. 8. pag. 170. e *Hiſt. Orient.* l. 1. cap. 8.

hærenti quandoque præluxiſſe, non diffitendum ſit; auſim tamen aſſerere, neminem adhue, integre, ſatis ſolide, vel pro earum dignitate, leges tractaſſe quæ Zabiis antiquis opponuntur. Opus itaque ſtudioſis, ſaltem rudioribus, haud ingratum me facturum opinatus ſum, ſi ſparſos aliorum labores in unum contraherem, eorum ſententias (veritatem nonnunquam dimidiatam referentes) ad examen revocarem, recte dicta novis argumentis aſtruerem, & leges, quæ aliorum aciem aut diligentiam effugerunt, in luce paulo clariore collocarem. Interpretes autem leges aliquas in obſcuro reliquiſſe, & a veritatis tramite quandoque deflexiſſe, proclivius eſt opinari; quod, leges eas explicantes, ad eos tantum (quos dixi) Zabiorum libros attendiſſe videantur. At vero nemo cautus & cordatus ſibi facile perſuadebit, libros eos ceremonias omnes inter Zabios ætate *Moſis* uſitatas memoriæ tradidiſſe. Multæ proculdubio in aliis Orientalium monumentis, nobis adhuc ignotæ, ſparſim latitant antiquorum Zabiorum ceremoniæ, olim (uti ſperamus) in lucem producendæ: multas etiam colligere licet e Græcorum ſcriptis, qui ritus ſuos ex Oriente plurimum traduxerunt.

Generalibus hiſce diutius inſiſtere non licet: ad provinciam itaque ſuſceptam propius accedimus, in id toto conatu jam incumbentes, ut inſtitutis Moſaicis quibus Zabiorum ritus occaſionem fecere, lucem afferamus. Ut autem præſens negotium methodice peragatur, hos cancellos inſtituto ſermoni ſtatuemus;

Primo: nonnulla de Zabiis ipſis, eorum nempe nomine, antiquitate, libris, & ritibus, præmittemus.

Secundo: oſtenſuri ſumus, Deum multas leges eorum præcipue ritibus & dogmatis oppoſuiſſe.

Tertio: cur Deus tot leges eorum ritibus oppoſitas inſtituerit.

Quarto: quæ leges quibus Zabiorum ritibus & inſtitutis opponuntur.

Ordinis hujuſce lineas & limites nobis proponimus obſervandas, ne alias in hoc tam late patente dicendi campo, vagari magis quam progredi videamur.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS,

IN QUO DE

LEGIBUS HEBRÆORUM

QUIBUS

ZABIORUM

RITUS occaſionem dedere, fuſe diſſeritur.

CAP. I.

Quo προπαιδευτικὰ quædam de Zabiis continentur.

PRIUSQUAM ad munus præcipuum me accingam, nonnulla de Zabiorum nomine, antiquitate, libris, & ritibus, præmittenda cenſui; ut lector in hiſce literis hoſpes jam dicenda facilius aſſequatur.

SECT. I.

De eorum nomine.

CIRCA nomen ejuſque rationem, docti varias in partes abiere. Zabios equidem illos, de quibus Maimonidi tam frequens ſermo, primos fuiſſe ſuperſtitionis magiſtros; gentem etiam, antiquitatis, ſcientiæ, & imperii, gloria florentiſſimam, in confeſſo ponitur; de nominis autem imponendi cauſa, & gente nomine illo præcipue notata, docti non unum idemque ſentiunt. Ego varias eorum ſententias, quas audire contigit, in medium feram, & eam quæ veritati maxime cognata videtur, firmare conabor. De nominis ratione ſententiæ quinque.

1°. PRIMO itaque *Shareſtanii*, non ignobilis apud Arabes auctoris, opinionem lectori judicandam profero, quam traditam accipiat Cl. [a] *Pocockii* verbis: *Shareſtanius* nominis originem arceſſit *a* צבא *Tzaba, quod eſt* amare, propendere, deſiderare, *mutuata e* Syrorum *lingua ſignificatione, a quibus forſan* Zabii *cum nomine ſuo in* Arabiam *tranſiere.* Nil opus eſt ut in hac ſententia ſubruenda laborarem, cum nullo fundamento ſuffulciatur.

2°. SECUNDO: Zabii cœli exercitum & ſydera colebant, tanquam numina, mentibuſque divinis animata; ideoque nonnulli Sectam illam a præcipuo cultus ſui objecto nomen hauſiſſe ſentiunt. Huic opinioni favere videtur [b] auctor rerum Orientalium

a *Not. in ſpecim. Hiſt. Arab.* pag. 138.

b *Pocock. Ub. ſup.* p. 139.

ſcientia

Sect. I. ſciéntia præſtantiſſimus: de Zabiis enim loquens, *ſi*, inquit, *eorum inſtituta perpenderis, non longe petitum videbitur, ſi a voce Hebr.* Saba *exercitum denotante, dictos putemus, quaſi* צבא השמים Exercitus cœleſtis *cultores*. Sed hanc conjecturam eo minus felicier factam cenſeo, quod cultus ille Zabiis cum aliis omnibus idololatris antiquis communis eſſet, nec probabile ſit eos ſolos ab exercitus cœleſtis cultu nomen accepiſſe.

3°. Tertio: ſibi perſuadent alii, nomen hoc ad linguam Arabicam, tanquam fontem primum, referendum eſſe, & a צבא *Tſaba, exivit, deflexit, a religione ad religionem tranſiit*, originem derivare. Atque hæc ſententia [a] *Bidavium* præcipue patronum habet, celebrem Alcorani interpretem, qui Zabins id nomen ſortitos aſſerit, quod e verorum cultorum cœtu exiverint, & a Deo ad idola, a veritate ad mendacium, deflexerint. Huic opinioni confirmandæ inſervit, quod (teſte [b] *Ebuol Athil*) Mohammedes צאבי *Sabius* dictus ſit, eo quod religionem *Koraiſoidarum* Iſlamiſmo commutavit; & *Chriſtiani Balſarenſes*, qui vulgo *S. Johannis* vocantur, hodieque *Sabbi* appellentur; *quod nomen*, inquit, [c] *Huetius, antiquarum religionum perduellibus & transfugis*, παραβάταις, ἀποστάταις, *tribui ſolet*.

4°. Quarto: *Hottingerus* aliique hanc etymologiam Arabicam inter [d] *ineptias* numerant, & Zabios illos eoſdem fuiſſe ſentiunt cum *Sabiis* aut *Sabais*, qui a Sabio *Sethi* filio, vel potius a *Saba* [*Chuſi* filio, *Chami* nepote,] primo Arabiæ felicis incola, genus & nomen habuere. In eandem ſententiam multi forſan pedibus irent, niſi quod ſcrupulum injiceret diverſa ſcribendi & pronunciandi ratio. *Zabios eſſe Sabaos non puto*, inquit [e] *Caſaubonus, quia Hebr.* סבאים *per* ס *non* צ *aut* ז effertur. Deinde, ſententia hæc eo minus amica veritati cenſeatur, quod *Setho* filium tribuat, nullibi in Scriptura memoratum; quod etiam ipſe *Chuſi* filius, non *Saba* vel *Zaba*, ſed [f] *Seba*, appelletur; & quod Sabæorum natio non adeo [g] magnam Arabiæ partem occuparent, & (ſi eorum familias aut res geſtas ſpectemus) amplo illo charactere Zabiis tributo minores videantur: nam Zabiorum natio *Secta erat quæ fere totum terrarum orbem implevit*, niſi [h] *Maimonidi* fidem abnuamus. Sat ſcio viros doctos nodis hiſce cuneos aliquos adaptare ſtuduiſſe: quod enim vox illi *Zabii* modo a *Sabiis* diverſo efferatur, *e Mohammedis contigit ignorantia*, inquit [i] *Hottingerus, qui, ubi Sabæorum in Alkorano meminit, pro* ס *aut* ש *ſcribit* צ *ut ita nuſquam non mendax & vanus etymologus deprehenderetur*. Nec juſta cauſa eſt, cur *Sabæi Maimonidis* characteri, ſatis amplo licet, impares haberentur; cum [k] *Bochartus* & [l] *Waltonus* multis teſtimoniis probatum dederint, eos gentibus aliis, corporis ſtatura, dignitate, numero, potentia, & imperii amplitudine, antiquitus præcelluiſſe. Atque inde forſan apud [1] *Poëtam* pro tota Arabum gente veniunt, cum ait:

Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabæi.

Hæc autem omnia jam dictorum aciem non retundunt: non enim veriſimiliter affirmatur, Mohammedem literarum adeo rudem fuiſſe, ut *Sabii* literis ei voci propriis exprimere neſciret, cum Arabum filii ſummæ elegantiæ laudem illius *Alcorano* tribuant. Nec unquam legimus Sabæos tam late pomœria ſua diffudiſſe, vel ita præ gentibus aliis inclaruiſſe, ut nominis illius ambitu, Chaldæi, Nabathæi, aliique Zabiiſmi profeſſores, includerentur.

Præcipua. Non immerito itaque *Scaligero* ſententia diverſa placuit, qui, literis ad *Caſaubonum* datis, de nominis hujuſce ratione ſic animi ſui ſenſum exprimit; [m] *De Zabiis, ſcito eſſe Chaldæos*, צביים *Arab.* צבין Tzabin, *a vento Apeliote ſic dictos*: *quaſi dicas* Orientales. Hæc opinio multis, haud facile refellendis, innititur argumentis:

Nam (1°.) Ritus eos omnes, inter Zabiorum ceremonias a *Maimonide* recenſitos, & Iſraelitis interdictos, magnum olim ſuperſtitionis Chaldaicæ partem fuiſſe, communi doctorum & hiſtoricorum fide confirmatum eſt. Non itaque ſine cauſa creditur, *Zabios*, aut *Chaldæos* fuiſſe, aut inſignem eorum ſectam & proſapiam.

(2°.) Chaldæi coloniis, victoriis aut ſaltem ritibus & myſteriis ſuis, olim impleverunt omnia. Hoc etiam Zabiorum genti convenit, ſi in re tam antiqua ratio aliqua teſtimonii *Maimonidis* habeatur.

(3°.) Idem [n] auctor teſtatum dedit, *Abrahamum educatum fuiſſe in religione Zabio-*

a *Ap. Hottinger. Hiſt. Orient.* l. 1. c. 8. p. 170. b *Ap. Cl. Pocock. Ub. ſup.* c *Demonſt. Evang. Prop.* 4. c. 4. §. 2. d *Ub. ſupr.* e *Epiſt.* 247. f *Geneſ.* 10.7. g *V. Salmaſ. a Plin. Exercit.* p. 497. & 500. h *Mor. Neb.* P. 3. c. 29. i *Cap. ſam laud.* p. 170. k *Geogr Sacr.* l. 2. c. 26. l *Prolegom. in Bibl. Polyglot.* 14. §. 1. p. 93. m *Epiſt.* pag. 482. n *Comment. in Avod. Zar.* c. 4. §. 7.

1 Virgil. Æneid. 8. 706.

rum

rum, eorumque ſacris; innuit autem Scriptura, Abrahamum primum inter Chaldæos hauſiſſe ſpiritum, & eorum religionibus primitus initiatum. Hinc aperte conficitur, *Zabios & Chaldæos* nomine quidem differre multum, re parum. Sect. II.

(4°.) Scriptores Arabici, quibus de hac ſecta tam frequens ſermo, nomen iis & & originem Chaldæam non raro tribuunt. Nam *Achmedus*, ab [a] *Hottingero* non ſemel memoratus, hunc titulum fecit libro ſuo de Zabiorum religione, פי אמר מראהב אלכראניה אלכלדאניין אלמערופיזבאלצאבה, *de negotio rituum Charanæorum, Chaldæorum, qui Zabæorum nomine vulgo noti ſunt.* Refert etiam ex Arabum fide [b] *Golius* in *Harran* [in vicinia Chaldæorum ſita] *primarium ipſis* fuiſſe *tribunal & delubrum, in editiore colle; ita ut gentile nomen* חראני Haranita, *ſæpe uſurpari ſoleat pro* צאבי Sabius ſeu Sabita, *qui eſt ſtellarum cultor; & urbs ipſa* מרינת אלצאבית Urbs Sectæ Sabaicæ, ſive אלצאבת Sabarum *dicatur.* Conſentit *Gregorius* [c] *Abul--Pharajius*, qui per interpretem ita loquitur: *illud quod apud nos conſtat de Secta Zabiorum eſt, profeſſionem eorum eandem prorſus eſſe cum Chaldæorum antiquorum profeſſione.*

(5°.) [d] Abarbanel, *librum de agricultura* laudans, inter alios Zabiorum libros a *Maimonide* memoratum, eum appellat ספר הצאבה & כפר הצבה, hoc eſt, *librum Orientalem;* nominis origine ab Arabum *Tſeba*, ventum Apelioten ſignificante, ſine dubio derivata. Quanti hoc argumentum habuit doctiſſimus [e] *Huetius*, e verbis ejus intelligere licet: *certiſſimam eam eſſe quam damus* nominis [Zabii] originationem [a Tſeba ductam] *oſtendit libri hujus de agricultura titulus, quem citat Abrabaniel: nam hunc Sabiorum fœtum eſſe docet Moſes Ben Maimon.*

His argumentis inductus, *Scaligeri* ſententiam veritati maxime conſentaneam eſſe judicarem, niſi quod Zabiorum nomine *ſolos* Chaldæos intelligendos aſſerit. Sententia (ſi quid ipſe judico) cum veritate maxime conjuncta, hæc eſt: Zabiorum nomine, Chaldæos inprimis, Ægyptios etiam, Nabatæos, Charanæos, Syros, alios Chaldæorum dogmatis & ritibus addictos, cenſendos eſſe. In hanc ſententiam concedo, quod Zabiiſmi fermentum ſe longe lateque diffunderet, eoque gentes ad ſolem orientem ſitas plurimum inficeret, & quod e legibus quæ Zabiis adverſæ creduntur, aliæ Chaldæorum, aliæ Ægyptiorum, aliæ Nabatæorum, moribus opponerentur. Adeo ut *Zabius* eodem ſenſu veniret apud Arabes Mohammedis legi deditos, quo *Ægyptius* hodie apud Europæos, & *Chaldæus* olim apud Aſiaticos: prout enim Europæi & Aſiatici, nominibus illis, non tantum Ægyptios & Chaldæos natos, ſed quoſvis fatidicos & genethliacos [Ægyptiaci vel Chaldaici moris & artis æmulos] deſignabant; ita & Arabes Mohammedani non ad Chaldæos tantum, ſed & quoſvis, eorum moribus & dogmatis imbutos, indicandos, nomine *Zabiorum* uſi videantur.

SECT. II.

De Zabiorum origine & antiquitate.

RATIONES alias in ſinu habeo, cur *Zabiorum* nomen ſenſu tam laxo capiendum arbitror: ne vero ſermo prolixior de nomine illo lectori tædium pariat, ad eorum originem & antiquitatem indagandam ſe convertat oratio. Rem hanc eo digniorem exiſtimo cui nonnihil impendam operæ, quod plane mirum videri poſſit, *Zabios* ſcriptoribus Arabicis ſæpiuſcule memoratos eſſe; cum tamen auctores alii gentem illam ne mentione quidem dignati fuerint. Quin & hujus Sectæ principium tanta caligine circumfunditur, quod in hoc argumento quot auctores tot ſententiæ, quot ſententiæ tot errores, inveniantur; aliis, a *Chaldæis;* aliis, a ſeculi Mohammedici *philoſophis;* aliis, a *Nachore; Zabiis* ipſis, inde a *Noacho*, vel ipſo *Setho* Adami filio; aliis, a *Zerdaſt*, claro illo gentium *Zoroaſtre;* religionis hujus originem petentibus. Ex hoc errorum labyrintho, triplicis aſſertionis filo lectorem expediamus. Hæc de re. Theſes tres.

Prima ſit hæc, Zabiorum religio, ſimpliciter & quaſi materialiter ſpectata, a Chaldæis & Babyloniis antiquis originem duxiſſe, & multis annis Abrahami natales anteverti ſſe cenſeatur. Nam [f] *Abulfeda* Zabiiſmum appellat *religionem antiquiſſimam:* & [g] *Saidus Batricides*, religionis motumque *Zabiorum* originem ætati *Nachoris*, avi *Abrahami*, tribuit: refert etiam [h] *Ben--Maimon, Abrahamum* in hujus Sectæ dogmatis & ce-

a *Hiſt. laud.* p. 165. b Not. in *Alfrg.* p. 251. c *Hiſt. Dynaſt. D.* 9. p. 184. d *Comment.* in *Exod.* 2. e *Demonſt. Evang.* Prop. 4. c. 4. ſ. 2. f *Ap. Pocock.* lib. *ſup. laud.* p. 145. g *Ap. Seld. de ar. nat. &c.* p. 211. h *Mor. Neb. P.* 3. c. 29.

Sect. II. remoniis eductum fuiſſe, dum in Chaldæa moram traheret. Hiſce fides accedat, quod ſi præcipuam Zabianæ religionis materiam ſpectemus, eam Chaldæorum veterum religioni maxime conſentaneam eſſe facile percipiamus. Nam Chaldæorum veterum religio circa ſolem, lunam, ſydera, tellurem, forſan & eorum ſymbola, verſabatur; (angelorum cultus temporum multo recentiorum Εὕρημα videatur) quin &, [a] *mundum æternum eſſe*, *aſtra* etiam *& orbes eſſe Deos*, pro duobus religionis ſuæ fundamentis habebantur. Ex erroribus & moribus illis paſſim propagatis factum arbitror; quod hiſtoria creationis angelos prætermittat; cœlum autem & terram, ſolem, lunam, & ſydera, a Deo creata verbis conceptis aſſerat; ut ſcilicet errores jam dictos tacite redargueret, & idololatriam ſæculi, una cum radicibus ejus, e medio tolleret. Zabios etiam, *ſolem*, *lunam*, & *ſydera* coluiſſe, res per ſe probabilis eſt, & auctorum omnium de hac Secta ſcribentium teſtimoniis abunde confirmata. Ut omnia paucis comprehendam: cuivis præcipua Zabiorum dogmata moreſque propius intuenti pateat, Zabiiſmum [materialiter ſpectatum] eundem eſſe quem *Græci patres* ἑλληνισμὸν appellant, cujus etiam incunabula a *Seruchi* temporibus arceſſit [b] *Epiphanius*. His ad amuſſim quadrat quod a *Batricide* & *Elmacino*, [c] ſcriptoribus Arabicis, conſtanter affirmatur, nempe Zabios ætate *Serugi* caput extuliſſe.

2°. (2°.) Zabiorum natio & religio formaliter ſpectata, vel quatenus a Sectis aliis, doctrinis & ritibus quibusdam ſibi peculiaribus, diſtincta, ſub ſeneſcentis Judaiſmi tempora cœpiſſe videatur. Quantum autem e libris huic Sectæ tributis, & ſcriptis Arabicis [a *Maimonide*, *Golio*, *Pocockio*, *Hottingero*, aliiſque, citatis] eorum doctrinam, morem, cultumque referentibus, intelligere licet, Zabiorum religio temporibus illis conſtabat e materiis variis & vix ulla cognatione cohærentibus. Nam aſtrologiam, magiam, cultumque ſyderum, a Chaldæis; nonnulla patriarcharum nomina, purgandi ritus, & hiſtorias aliquas Scripturæ fabularum fæcibus inquinatas, a Judæis; nonnulla de dæmonibus & angelis, a *Gnoſticis* & *Cabbaliſtis*; allegorias denique & dogmata fanatica a *Platonicis* & *Pythagoreis*, niſi mea me fallat conjectura, mutuati ſunt. Quamvis autem Zabiorum ſuperſtitio e quatuor iſtis elementis [*Chaldaiſmo*, *Judaiſmo*, *Gnoſticiſmo*, *& Platoniſmo*] conflata fuerit; *Chaldaiſmum* aut *Ethniciſmum* in ea dominatum fuiſſe, & partem præcipuam feciſſe, non facile dubitandum eſt. Neque mirum videri debet, quod in hæreſin illam, tanquam in navis ſentinam, pleraque ſectarum aliarum deliria & nugamenta confluxiſſe dixerim. Nam per ea quæ dixi tempora, gentes prope omnes, antiquos religionum limites dimovendi, & ſacra omnia miſcendi, pruritu & libidine ferebantur. Eccleſiæ Judaicæ doctores, ethniciſmi ritus haud paucos ad uſum ſacrum convertere, & cum Judaiſmo conciliare ſtuduere: Pſeudo-Apoſtoli Platoniſmo & Phariſaiſmo fidei Chriſtianæ ſimplicitatem adulterarunt; *Manes* religionem e magia & aliquibus Chriſtianiſmi dogmatis commixtam condidit: e Gentilium grege nonnulli, circumciſione, abſtinentia a carne ſuilla, purgandi ritibus, & aliis Judaiſmi tincturis, ethniciſmo colorem inducere laborarunt. Cum itaque temporis illius genius homines ad religionis commiſcendas inclinaret; facile creditur, religionem e variis conflatam, in Arabia ſaltem, (ab ingenii tam diſcrepantis incolis occupata) plene tunc temporis obtinuiſſe.

3°. (3°.) Veriſimile eſt, gentem & religionem hanc, nominaliter ſpectatam, [h. e. quatenus nomine Zabiorum notam] recentem eſſe admodum, nec Mohammedis tempora ſuperare. Nulla enim hujuſce gentis, in Græco vel Romano aliquo [d] auctore, paulo antiquiore, occurrit mentio: nec facile (opinor) in libro aliquo ante ſeculum *Alcorani* ſcripto, Gentiles aliquos eo nomine notatos inveniamus. Hoc & eo probabilius exiſtimetur, quod [e] *Abu Joſeph Aſchæus* librum hoc titulo (ſi interpreteris) donatum ſcripſit, *de ritibus aut religione Charanæorum, qui* Noſtro Tempore *dicti ſunt Zabæi*. E quibus pronum eſt inferre, hanc appellationem non niſi vigente *Mohammediſmo*, in communi loquendi uſu poſitam fuiſſe. Gentium ritus a Rabbinis antiquioribus dicti ſunt *viæ Amorrhæorum*: at (ſi bene conjicio) viæ *Zabiorum* aut *Zabaiſtarum*, ab Arabibus & aliis *Alcorani* ſtudio ductis primo dicebantur. Conjecturæ meæ nonnihil præſidii præbet hiſtoriola cujus meminit *Muhammed Ben Iſaac*, *peculiari de Zabæorum ritibus* libro *Arabico*, non ſemel apud [f] *Hottingerum* cum laude memorato. Ea vero, in compendium redacta, ſic ſe habet: *Mamon*, princeps quidem Ara-

a *V. Maim. ub. ſup.* b *Reſponſ. ad Epiſt. Acacii. & Paul.* III. c *Ap. Hottinger. Theſaur. Philolog.* pag. 53. d *Invenio apud Rambam. multam mentionem cujusdam populi, cujus alibi* mentionem *non lego*; Zabios vel Zabæos *vocat*; Caſaub. Epiſt, 247. p. 127. e *Ap. Hottinger. Hiſt. Orient.* p. 165. f *Ub. ſup.* p. 168.

bicus,

-bicus, Romam bello aggredi ſtatuit: ei in Romanorum regiones concedenti, ſe obvios præbuerunt Charanæi quidam; quibus omnibus mortem interminatus eſt, niſi, ante reditum ejus, Islamiſmum amplexi eſſent, aut aliam aliquam religionem cujus Deus in libro ſuo [uti vocabat Alcoranum] mentionem facit. Illi vero rem totam cum ſene quodam ſapientia præcellente communicarunt, qui hoc eis conſilium præbuiſſe dicitur; *ſi Mamon de itinere ſuo reverſus fuerit, ſignificate ei,* nos Zabæi ſumus, *quod nomen eſt religionis cujus Deus in* [a] *Alcorano* [1] *meminit: hanc vobis religionem eligite, atque ſic ab eo liberabimini.* Fato autem contigit, ut in hoc itinere ſuo moreretur in Addun: *atque ſic*, inquit Muhammed ille, *nomen hoc, ab eo tempore, ſibi vindicarunt: neque enim ante, in Harran & circumjacentibus locis, populus erat nomine Zabiorum notus.* Ex hac hiſtoriola, quanquam ſabula furſao, cum ratione colligo, Muhammedum illum alioſque ſcriptores Arabicos ſe perſuaſus habuiſſe, Zabiorum nomen novum plane & heſternum fuiſſe, eique alcoranum occaſionem & originem tribuiſſe. SECT. III.

Hæc anſam opinandi præbent, auctores Arabicos hoc nomen ex Alcorano mutuum ſumpſiſſe, & Mohammedem primum Zabiorum nomen uſurpaſſe, ut Chaldæos, Arabes vulgares, alioſque Gentiliſmi ſtudioſos, a Chriſtianis & Moſelmanis ſuis eo titulo diſtingueret & ſepararet. Si quis hic a me quæreret, cur auctor Alcorani, Mohammedes, id nominis Chaldæis aliiſque Gentiliſmum profeſſis impoſuerit? modeſtæ conjecturæ veniam præfatus, rationem duplicem aſſignarem:

(1°.) Probabilitate non caret, Mohammedem nomen illud, inter alia non pauca, a Judæis habuiſſe, qui e Scripturis illud accepiſſe, & uſu frequente triviſſe, videantur. Si enim ad uſum Scripturarum attendamus, promptum eſt obſervatu, Syros, Perſas, Chaldæos, Arabes, alioſque ſuperſtitionis aut magiæ nomine celebres, *Orientales* & *Orientis filios* frequenter appellatos. Cum res hæc tam clara ſit & vulgo nota, ſufficiat ad pauca tantum Scripturæ loca digitum intendiſſe: *Jeſ.* 11. 14. *Et ſpoliabunt* בני קדם *filios Orientis*, i. e. Syros & Chaldæos: *Jeſ.* 19. 11. *Filius ſapientum ego, filius* מלכי קדם *regum Orientis*, ubi ſapientia floruit. Horum locorum affines arbitror, *Jer.* 49. 28. 1 *Reg.* 4. 30. *Ezec.* 25. 4. Eodem titulo & [b] Arabes occurrunt intelligendi, *Judic.* 6. 3. *Job.* 1. 3. *Geneſ.* 25. 6. forſan & *Mat.* 2. 1. Ideo vero populi illi, *Orientalium* nomine, tanquam proprio & peculiari, in ſcripturis innoteſcunt, vel quod eorum aliqui [c] Judæis, & alii Ægyptiis, ad Orientem ſiti fuerint; vel quod Oriens idololatriæ & artibus curioſis initium dederit. Non eſt itaque rationi diſſonum, Mohammedem קדמונים & בני קדם a Judæis, more ſcripturæ loquentibus, accepiſſe, & in vocem ſynonymam צבין *Tſabin* aut Zabios, i. e. *Orientales*, tranſtuliſſe.

(2°.) Chaldæa regio erat Arabiæ ad orientem contermina: cum itaque צביים ab Arabica voce, ventum *Apeliotem* indicante, derivetur; *Mohammedes* Arabs hoc nomine Chaldæos, & alios eorum dogmatis & moribus imbutos, non ſine ratione deſignaſſe videatur. Neque novum eſt, apud alias gentes, ut *Chaldæorum* nomen ad alios etiam transferatur, qui ſe ſapientiæ Chaldaicæ ſpecie venditant.

SECT. III.

De Zabiorum libris.

Ad tertiam penſi noſtri partem, libros nempe Zabiis attributos, jam ſtylum promovemus. Olim enim ſcripta ψευδεπίγραφα paſſim in vulgus edebantur, Zabiorum dogmata rituſque referentia, quorum [d] unum *Hermeti*, aliud *Ariſtoteli*, *Setho* aliud, aliud *Abrahamo*, aliud aliis auctoribus, aſcribebatur: nempe ut eorum auctores genuini, tantorum virorum auctoritate muniti, cum ſplendore & privilegio quodam mentirentur; & credula turba Zabiorum nugamenta, virorum tam illuſtrium nomine fucata, propenſis affectibus amplecterentur. Horum librorum auctores.

Hi libri [[e] *Maimonidis* αὐτόπτα teſtimonio nitor] hiſtorias nugaces, & *Alcorani* fabulis affines, de patribus antiquis, *Adamo*, *Setho*, *Noacho*, *Abrahamo*, continebant; do- Materia.

a *V. Alcoran. Sur.* 2. b *V. Prolegom.* in *Bibl. Polyglot.* 14. §. 1. c *V. Pocock.* not. in *ſpecim. Arab.* pag. 34. d *V. Hottinger. Hiſt. Orient.* p. 176. & *Cl. Pocock.* not. in *ſpecim. hiſt. Arab.* pag. 138. e *Mor. Nebhoc.* P. 3. c. 29.

1 In *Sura* illa. verſ. 61. mentio facta eſt de *Sabaitis*, quos *Gelaleddinus* in *commentariis ſuis*, vocat, *ſpecies Judæorum aut Chriſtianorum.* *Sabaita* illi vocantur etiam *Chriſtiani Joannis, quia maxime faciunt baptiſmum S. Joannis, & abominantur circumciſionem, atque etiam Abrahamum, quia fuit circumciſus.* Vid. *Lud. Marraccium* in loc. p. 33.

SECT. III. mata de dæmonibus, idolis, & ſtellis; ceremonias in vineis & agris colendis obſervandas; cultus inſuper actus, idololatris illis Orientis, eorumque vicinis, in uſu ſolenni poſitos. Adeo ut in ancipiti ſit, an primos horum librorum natales a Judæis quibuſdam, Gentiliſmo; an Chaldæis, Græcis, aut Arabibus, Judaiſmo; leviter tinctis, arceſſere debeamus. Nam ſi verus aliquis & in cute Judæus hos libros compoſuerit, unde factum eſt, quod in iis tot merum ethniciſmum & Magiæ fæces olentia reperiantur? ſi Gentilis aliquis, quid libros illos Patrum nominibus inſcribit, & ethniciſmum quaſi perſonatum in ſcenam profert? ſed noſtra non multum refert, eorum librorum auctores indagine curioſa proſequi.

Antiquitas. CONJICEREM autem (ſi res tam obſcura conjecturam pateretur) eos ſub expirantis Judaiſmi tempora primitus in lucem irrepſiſſe. Nam, ſub ætatem illam, artium magicarum & opinionum infamium magiſtri libros haud paucos, illuſtrium virorum nomina præferentes, in vulgus emiſere; quorum alii Judæorum, alii Gentilium, alii Hæreticorum, ingeniis male feriatis originem debuere. Nam *Adæ revelatio*, *Sethi libri ſeptem*, *Enochi liber*, *Apocalypſis Abrahami*, *Patriarcharum duodecim teſtamentum*, *Noachi volumen Æthiopicum*, *Bileami* & *Salomonis* ſcripta, *Vita Moſis*, & alii conſimiles libri, paſſim a Patribus memorati, Judæos auctores habuiſſe videntur. Gentiles etiam fraudibus iiſdem, ad ludendum populum, utebantur: nam *Plutarchus*, *Clem. Alexandrinus*, *Patritius*, *Simlerus*, aliique, librorum multorum meminerunt, quos ethnici *Mercurio Ægyptio* tribuerunt; ut eorum ritus & myſteria, libris illis contenta, fidem & auctoritatem a nominis illius claritate mutuari poſſent. [a] Multa inſuper *Sibyllarum* & *Zoroaſtris* nomine fucata, e Gentilium officinis in mundum prodierunt. Hæretici veteres etiam, ut ipſorum deliriis & arcanis nugis honorem quærerent, libros, auctorum illuſtrium nomina præferentes, in vulgus emiſerunt. Refert enim [b] *Epiphanius*, Gnoſticos *Evangelium Evæ*, ſine pudore, jactitaſſe; quin & [c] Evangelium, *Philippi* (ſancti Chriſti diſcipuli) nomine circumtuliſſe. Pagina 89, dicit eos ſub *Sethi* nomine libros complures obtruſiſſe, quin & *Adami revelationes*, & *alia Evangelia*, Diſcipulorum nomine conſcripſiſſe. Hac de re plura dicere, ſupervacaneum facit amplum illud *Franciſci* [d] *Patritii* teſtimonium; *in more* fuit olim, *ut ſi cui libro auctoritatem accedere cuperent, vel Dei alicujus* [*ut Ægyptii Mercurii*] *vel hominis alicujus inſignis nomine ornarent; reverentia ſcilicet quadam, vel etiam quod vendibiliorem eo nomine ſperarent fore, vel quod fœtui proprio, alieni nominis quam ſui inſignibus, gratiam majorem conſequi ſperarent ac immortalitatem.* Veriſimile eſt itaque, Zabios antiquos tum primum fœtus ſuos deformes, *Hermetis*, *Abrahami*, vel *Sethi* nomine decoratos, evulgaſſe, cum artium infamium profeſſores hac fallendi ratione paſſim uterentur. Sed quocunque demum ſeculo Zabiorum libri ſcripti fuerint, id pro certo habendum, Arabes non ante ſeculum ſeptimum aut octavum eos in linguam Arabicam tranſtuliſſe. Nam primi poſt Mohammedem duces, libros ubique locorum incendio tradiderunt; & ita ſe geſſerunt, quaſi bellum non minus humanitati quam hominibus indixiſſent. Quin & ſeculi ſequentis Arabes, artium & literarum omnium adeo rudes erant, ut id inprimis curaſſe putentur, ne *prophetam* ſuum *illiteratum* (uti vulgo audiit Mohammedes) ſcientia ſuperarent. Inde venit quod ſcriptorum Arabicorum hodie vix quiſpiam annis octingentis antiquior inveniatur. Horum omnium veritatem extra dubium ſtatuunt, [e] *Gregorius Abulfarajius* hiſtoricus Arabicus, [f] *Hottingerus* & [g] *Pocockius* noſter, in Arabum ſcriptis verſatiſſimi. Cum autem, ſub ea quæ dixi tempora, barbariem ſuam exuerent Arabes, & artium omnium, etiam curioſarum, ſtudio incredibili incenderentur; veriſimile eſt, eruditos aliquos ea Zabiorum monumenta in Arabum linguam (ubique tunc temporis, una cum eorum gladio, invaleſcentem) traduxiſſe. Cum enim literarum ſtudia colerent Arabes, teſtatur [h] *Erpenius* eos *in ſermonem ſuum tranſtuliſſe nobiliores omnes veterum Ægyptiorum, Perſarum, Chaldæorum, Græcorum, & Latinorum libros.* Sed hanc conjecturam multo firmiorem reddit apertum *Maimonidis* teſtimonium: poſtquam enim varios *Zabiorum* libros [i] enumeraſſet, inquit, *hi omnes* ſunt *libri de rebus idololatricis tractantes, & in linguam Arabicam tranſlati: nec dubium* eſt, *quin exigua pars* ſint *illorum qui non amplius extant.*

Tituli. IN libris autem de *Zabiorum* religione, *Maimonidi* memoratis, duo locum primarium obtinent: primus eſt, qui העבודה הנבטית *Cultus*, ſive *de cultu Nabathæorum*, in-

a *V. Henric. Urſin. Exercitat. de Zoroaſt. Hermet. & Sanchoniath.* b Lib. 1. Tom. 2. *adverſ. Hæreſ.* p. 84. c Pag. 95. d *Diſcuſ. Peripatet.* Tom. 1. lib. 3. pag. 29. e *Dynaſt* 9. p. 101. f *Analect. Hiſt. Theol. Diſſert.* 6. g Not. in *ſpecim. laudat.* p. 153. 156, 157. h *Orat. de ling. Arab.* p. 53. i *Ub. ſupr.* P. 3. c. 29.

ſcriptus

ſcriptus eſt. Hic veteri verſione, qua uſus eſt Aquinas aliique, liber de *agricultura Ægyptiorum* redditur; atque inde factum, quod interpretes illi leges Moſaicas explicantes, toties de moribus Ægypti loquerentur. At reddendus eſt potius *cultus* aut religio *Nabathæa* ſeu *Nabathæorum*, gentis Arabicæ, Judææ vicinæ, a *Nabaioth*, [a] primogenito Ishmaelis filio, propagatæ: adeo ut liber ille de Nabathæorum cultu ritibuſque, juxta Zabiorum diſciplinam & uſum digeſtis, intelligatur. Secundus notæ præcipue liber, inſcriptus eſt *liber Iſaaci Zabii*, *de Zabiorum gente & moribus*, quem toties citat *Ben-Maimon*, *quique extat adhuc* (ſi [b] *Scaligero* credimus) *in manibus Arabum Mohammedanorum*. Hæc de libris hiſce dicta, lectori, vel ſaltem inſtituto præſenti, ſatisfaciant. SECT. IV.

SECT. IV.

De Zabiorum ritibus & ceremoniis.

CUM Dei veri, reſponſis & operibus illuſtribus olim patefacti, notitia de rebus pene tota periiſſet, & diabolus Dei nomen & honorem ubique gentium ſibi vindicaſſet; varii generis ritus inſtituit, quibus cultores ſui [Zabiorum natio] divinitatem ejus mentitam agnoſcerent, eique cultum exhiberent.

Ex iis, alii magis craſſi fuerunt & aperti; quorum nempe ſcopus & intentio, ſine interprete aliquo, cuivis innotuerunt. In hunc cenſum referendi ſunt ritus e filo quaſi craſſiore contexti, quales ſunt, incurvatio in templis idolo conſecratis, fœminarum in *Veneris* honorem publicatio, ſacrorum peracto partibus nudatis quas honeſtas tegi jubet, Juramentum per Baalem, idolothytorum participatio, ſtatuæ alicujus ad cultum erectio & dedicatio, honor religioſus imagini præſtitus, infantum Molocho immolatio, ſacrum coram idolo factum, & conſimiles alii, quorum uſu Zabii ſe dæmonis cultui devotos eſſe palam & aperte profitebantur. In horum rituum cenſum (ne quis erret) artes iſtæ, præſtigiatorum, augurum, ariolorum, & ſimilium, [c] lege vetitæ, & cum ipſo cultu Zabiano conjunctiſſimæ, venire debent.

Præter ritus hoſce craſſiores & cuivis intellectu faciles, diabolus (qui magno ſemper artificio rem ſuam geſſit) alios inſtituit magis ſubtiles, &, ſi ſpeciem externam ſpectes, ab omni malitia & impuritate alienos. Hujus ſortis erant, tonſura orbicularis, geſtatio veſtis e lana & lino contextæ, coctio hœdi in lacte matris, eſus ſanguinis, aliique ejuſdem monetæ, quos in ſequentibus ab antiquitatis rubigine vindicamus.

Primi generis ritus erant ſua natura mali, hi inſtituto tantum & compacto tales. Erant enim actus quidam ſolennes, a Dæmone vel Myſtis ejus inſtituti, quibus vicinæ gentes cultum Diis ſuis fictitiis exhibebant, eorum potentiam, eminentiam, aut præſcientiam agnoſcebant, ſocietatem cum iis colebant, animi Diis illis addicti documentum edebant, aut eorum opem tacite & quaſi compacto implorabant. Exemplo uno & altero res tota paulo clarior evadat: eo ſeculo (quod alibi probamus) generis diverſi ſemina ſulcis iiſdem mandare ſolebant idololatræ, a Dæmone vel ſacerdotibus ejus perſuaſi ſe fauſtis auſpiciis ſementem facturos, modo ritu illo anomalo uterentur. Infantes inſuper, ab utero recentes, per flammam ultro citroque agitarunt, falſo perſuaſi ſe ritu illo liberos ſuos in boni alicujus Genii clientelam tradere, & a morte prœmatura vindicare.

Si vero captus mei linea ad *Satanæ profunda* pertingere poſſet, conjicerem, Diabolum ritus illos, & eorum affines alios, inſtituiſſe; ut, ſi forte populus a ritibus aperte magicis & idololatricis abhorreret, ritibus hiſce, magna utilitatis & innocentiæ ſpecie commendatis, uteretur, eumque inſtitutis ſuis ſemper præſentem, imprudens adoraret. In id enim totis viribus incubuit male ſagax dæmon, ut Deum cultu ſuo fraudaret, & fiduciam, timorem, & reverentiam, ei debitam, in ſemetipſum derivaret. Eum ad finem hac arte viam præmunivit: ſi populus ſtomacho eſſet delicato, & ritus (quos dixi) craſſiores, Dæmonis characterem in ipſa quaſi fronte gerentes, repudiaret; alios inſtituit, ſumma in cute ſpectatos, nullam idololatriæ vel magiæ ſpeciem præferentes. Cum autem ritus & illi Diabolum auctorem haberent, iiſque, tanquam tot ſacramentis a ſeipſo ſancitis, ſe præſentem exhiberet; qui ritibus illis utebatur, Diabolo

a *Geneſ.* 25. 13. b *Epiſt. ad Iſaac. Caſaub.* p. 482. c *Deut.* 18. 10, 11.

CAP. II. SECT. I.

cultum tribuere, & illius opem (tacite licet, & per ſigna quædam) implorare, merito cenſebatur.

Deus interim, non tantum ritus eos craſſiores, quibus homines ſe Dæmonis cultui devotos aperte declarabant, ſed & ritus ſubtiliores, quibus nonnunquam imprudentes, & per interpretationem tantum, idololatriam exercebant, legibus ſuis abrogavit. Eos autem inhibuit Deus, * ne ritus illi, ſpecie tenus innocui, craſſioribus aditum aperirent: * ne Diabolus gentis ſanctæ cultu vel imaginario frueretur: * ne ritus illi ſcandalum præberent vulgo, cui pronum eſt facta aliorum dubia in partem pejorem interpretari: * ne Judæi, rituum ſimilium communione gentibus conciliati, iis uſu tandem & conſuetudine contagioſa conjungerentur: * præcipue vero, ne quicquam vel ſecreti commercii cum Diabolo, horum rituum auctore & præſide, habere, vel illius opem, nutu vel ſigno aliquo, petere, viderentur.

Ne vero hæc omnia veri tantum ſpecie dealbata putentur, ea teſtimoniis & aliis argumentis extra dubitationis aleam ſtatuere conabor.

CAP. II.

Deum leges haud paucas Zabiorum moribus & dogmatis oppoſitas inſtituiſſe.

JUDÆORUM legiſlatorem cultus vitæque rationem a gentium more rituque *diverſam* inſtituiſſe, cuivis, in Judæorum & gentium ritibus vel tantillum verſato, ſatis innoteſcit. Ea mihi provincia jam data eſt, ut probem, Deum leges & ritus non tantum a gentium inſtitutis *diverſas*, ſed & multas iis prorſus *adverſas*, & ſtudioſe oppoſitas, Iſraelitas impoſuiſſe.

SECT. I.

Probatur teſtimoniis & aliis argumentis.

Probatur teſtimoniis. CUM ſententia hæc cujusvis vel mediocriter in literis verſati ſuffragio confirmetur, ad illius veritatem aſſerendam pauca tantum producam argumenta; ne dum lectorum rudiorum ſatisfactioni ſtudeam, res ſæpe decantata lectori paulo doctiori faſtidium pariat.

Divinis. Inter plurima vero, quibus hæc ſententia munitur, argumenta, primas haud immerito Scripturæ teſtimonio deferamus. Ea ſatis aperte oobiſcum facit, *Levit.* 18. 3. 4. ubi hæc ſunt verba: *ſecundum opus terra Ægypti in qua habitaſtis, non facietis: & ſecundum opus terra Canaan, quo ego adduco vos, non facietis: -- & ſtatuta mea ſervabitis ad ambulandum in eis.* Quibus verbis non tantum innuit Deus, gentium earum [id eſt, veterum Zabiorum] ritus Iſraelitis interdictos eſſe, ſed ritus & leges a ſeipſo datas, eorum ritibus & inſtitutis adverſiſſimas; nec poſſibile eſſe, ut quiſpiam in Dei & ſeculi viis, magis quam in ſemitis duabus in diverſum tendentibus, ſimul ambularent. Idem confirmat Cap. 3. *Eſther. com.* 8. Ubi *Haman* ſic regem alloquitur, ut ei gentem Judaicam inviſam redderet; *eſt populus quidam diſperſus inter populos in omnibus provinciis regni tui,* [a] *& eorum leges diverſæ ſuut ab omni populo, & regis leges ipſi nou ſervant.* Quibus verbis *Joſephus*, Hamanis hiſtoriam recolens, ſic vicem *Commentarii* [b] præſtat; Ἔθνος [ἐστί] τι πονηρὸν, — ἄμικτον, ἀσύμφυλον, οὔτε θρησκείαν τὴν αὐτὴν τοῖς ἄλλοις ἔχον, οὔτε νόμοις χρώμενον ὁμοίοις, ἐχθρὸν δὲ καὶ τοῖς ἔθεσι, καὶ τοῖς ἐπιτηδεύμασι, τῷ σῷ λαῷ καὶ ἅπασιν ἀνθρώποις· *Eſt gens quadam, maligna, -- ſegrex, inſociabilis; neque religionem cum aliis communem habens, neque legibus uteus ſimilibus, ſed & moribus & inſtitutis pugnans cum tuo populo, & cum toto mortalium genere.*

Humanis. Duobus his e ſcriptis θεοπνεύστοις, e ſcriptis humanis alia ſubjungam teſtimonia. Horum primum præbeat [c] *Diodorus Siculus*: [1] ille vero, poſtquam fabulam de imagine viri aſino inſidentis, & in Sancto Sanctorum ab *Antiocho* reperta, tradidiſſet; continuo addit, τοῦτο μὲν ὑπέλαβε Μωσέως εἶναι, τοῦ κτίσαντος τὰ Ἱεροσόλυμα, καὶ συστησαμένου τὸ ἔθνος· πρὸς δὲ τούτοις, νομοθετήσαντος τὰ μισάνθρωπα παράνομα ἔθη τοῖς Ἰουδαίοις, &c. *Hoc ſimulacrum puta-*

a Οἱ δὲ νόμοι αὐτῶν ἔξαλλοι παρὰ πάντα τὰ ἔθνη· LXX. in loc. b *Antiq.* lib. 11. c. 6. p. 491. 10.
c *Ap. Phot.* in *Biblioth.* l. 34. col. 1150. 50.

1 Vid. *Diodor. Sic. Eclog.* 1. ex *Libr.* 34. p. 902.

bat

bat Moſis *eſſe*, *qui Hieroſolymam condidit*, *gentem fundavit*, *quin & leges Judæis tulis a gentium aliarum moribus alienas*, *& omni genti odioſas*. *Ipſe vero* (quod addit) *aliarum gentium odium inducere conatus*, ἐφιλοτιμήθη καταλῦσαι τὰ νόμιμα, *id operam dedis*, *ut hominum aliorum leges & conſuetudines aboleret*. Suffragio non multum abſimili mea verba confirmat [a] *Manetho*, qui de *Moſe* loquens, & legibus ab ipſo datis, νομοθετήσας, inquit, καὶ ἄλλα πλεῖστα, μάλιστα τοῖς Αἰγυπτίοις ἐθισμοῖς ἐναντιούμενα· *Cum plurima ſanxiſſet alia*, *Ægyptiorum præcipue moribus adverſantia*, &c. Veritatis hujuſce ſeoſum habuiſſe videtur [b] *Strabo*, cum dicit; *Moſes*, *unus e ſacerdotibus Ægyptiis*, δυσχεραίνων τὰ καθεστῶτα, *eorum inſtituta* religioſa *moleſte ferens*, *inde commigravit*: deinde multis inſtantiis oſtendit, *Moſem* ſacrorum ritus, Ægypti moribus frontem obverſam habentes, inſtituiſſe. Hinc itaque [c] *Celſus* cavillandi anſam arripit, dicens Judæos, Αἰγυπτίους τῷ γένει τυγχάνοντας, καταλελοιπέναι τὴν Αἴγυπτον, στασιάσαντας πρὸς τὸ κοινὸν τῶν Αἰγυπτίων, καὶ τὸ ἐν Αἰγύπτῳ σύνηθες περὶ τὰς θρησκείας ὑπερφρονήσαντας· *Ab Ægyptiis oriundos*, *Ægyptum per ſeditionem deſeruiſſe*, *contemptis publicis Ægyptiorum ceremoniis*. Teſtium meorum agmen claudat *Tacitus*, qui de *Moſe* & Judæis verba faciens, hæc habet, [d] *Moſes*, *ut ſibi in poſterum* Judæorum *gentem firmaret*, *novos ritus contrarioſque cæteris mortalibus indidit*. *Profana* illis *omnia*, *quæ apud nos ſacra*. *Rurſum conceſſa apud illos*, *quæ nobis inceſta*. Et nonnullis interjectis, Judæos *gentem* vocat, *ſuperſtitioni obnoxiam*, *religionibus adverſam*.

Ne vero ſententia noſtra teſtimoniis ſolummodo ſuffulta cenſeatur, quinque ſubjungam argumenta, quibus appareat, Deum leges & ritus ſuos ethnicorum moribus, ut plurimum, oppoſuiſſe.

Horum primum petitur a contemptu atque odio illo quo gentes omnes unam Judæorum gentem cultumque proſequebantur. Quid enim gentes omnes, cætera diviſæ maxime, in Judæorum odio conſpirarent, niſi quod ſacra plane contraria colerent, & religionem in Deorum & humani generis opprobrium inſtituiſſe viderentur? Antitheſin illam inter Judæorum & gentilium ſacra, ῥίζαν πικρίας fuiſſe, amaros odii & injuriæ mutuæ fructus proferentem, res per ſe [e] credibilis eſt, & veterum dictis abunde confirmatur. Cum *Artaxerxes* edictum de gente Judaica radicitus extirpanda promulgaret, [f] eos appellat (ἔθνος) τοῖς νόμοις ἀντίθετον πρὸς πᾶν ἔθνος gentem *ab omni alia gente legibus moribuſque diſſentientem*: & ſtatim, ἔθνος ἐν ἀντιπαραγωγῇ παντὶ διὰ παντὸς ἀνθρώπῳ κείμενον, *gentem in eo poſitam*, *ut omni homini ſemper adverſetur*. Inde factum eſt, ut rex ille a Judæis adeo totus abhorreret, ut eos, veluti ἔθνος δυσμενὲς καὶ τοῖς νόμοις ἀλλόκοτον (uti eos appellat [g] Haman) *gentem humano generi inimicam & legibus perverſam*, internecione delendam judicaret. *Joſephus* etiam, cauſam reddens cur Ægyptii cumprimis & Judæi tam infenſi & infeſti ſibi mutuo fuerint, ἡ ὑπεναντιότης, [*] inquit, σφόδρ' αὐτοῖς ἐνεποίησεν ἔχθραν· Sacrorum *contrarietas tam graves inter eos inimicitias conſtavit*. Eidem cauſæ tribuendum cenſet [h] *Philo*, quod vix ulla *Moſis* mentio vel memoria in Gentilium ſcriptis inveniri queat; Αὐτὸν δὲ ὅς τις ἦν ἐπ' ἀληθείας ἴσασιν ὀλίγοι, διὰ φθόνον ἴσως, ἢ τὸ ἐν ἐνίοις ἐναντίον τῶν διατεταγμένων ὑπὸ τῶν κατὰ τὰς πόλεις νομοθετῶν ἐναντίωσιν, &c. *Ipſe autem quis fuerit*, *haud multi ſatis norunt*: *Græcis ſcriptoribus non dignatis eum memoria*, *propter invidiam*, *aut propter inſtitutorum ſuorum ab aliis civitatibus in quamplurimis diſcrepantiam*. Et [i] alibi, *Judæorum nationem pupillo ſimilem dicit*, *ſi cum cæteris conferatur*: *nam illa*, inquit, *quoties in calamitates incidunt*, *propter morum ſocietatem & communionem*, *mutuis commerciis adjuvantur*; *huic autem genti*, *ſi forte laboranti*, *nemo fert opem*, *eo quod moribus utatur ſelectis & diſſimilibus*. Hic [k] *Taciti* verba, cum inſtituto præſenti conjunctiſſima, præterire nequeo: ille vero de templo, & urbe Hieroſolymitana, ſummo opere & arte munitis, loquens, *prævideránt*, inquit, *conditores ex diverſitate morum crebra bella*: *inde cuncta*, *quaſi adverſus longum obſidium*.

Secundo: hoc etiam argumento eſſe poſſit, multa legis inſtituta plane ſingularia fuiſſe, & gentium aliarum conſuetudini repugnaſſe, quod Judæi nullis præceptis aut

a *Ap. Joſeph. l.* 1. *cont. Ap. p.* 1353. 15. b *Geogr.* lib. 16. p. 1104. A c *Ap. Orig. cont. Celſ.* l. 3. p. 114. d *Hiſt.* lib. 5. *ſub. init.* e Ἐξ οὗ γὰρ ἀλλήλοις ἀντεκρούσαν, φθόνον μόνον αἰτίαν ἂν ἔχοι. *Philoſtrat.* l. 1. *de Vit. Sophiſt.* in *Æſchin.* p. 507. f *Eſther. Apocr.* c. 13. 4, 5. g *Ap. Joſeph. Antiq.* l. 11. p. 491. 40. * Lib. 1. *Contr. Ap.* p. 1351. 35. h *De Vit. Moſ.* l. 1. p. 603. A i Lib. de *Creat. princ.* p. 727. A k *Hiſtor.* lib. 5. p. 118.

1 Ita ſe habent *editi*: *MSS.* [illegible]

2 Juxta *MS. Alex.* ἀντίθετον· *Editionem veterem*, ἀντιδικοῦν. *Vid. Boſ. in loc.*

 conſiliis,

SECT. I. conſiliis, præmiis aut illectamentis nullis, imo vix multorum ſeculorum malis & miſeriis, ad eorum obſervationem induci poterant. Quænam enim contumaciæ tam invictæ ratio reddi poteſt, niſi quod lex divina nova quædam & a ſeculi more diſcrepantia præciperet, nec quicquam gravius iis, quam cultum a gentium omnium moribus diſſidentem præſtare videretur? Erant ſcilicet Iſraelitæ rituum, quos uſus ſeculi ferebat, ad aras uſque tenaciſſimi; & quicquid inſtitutis longo uſu ſacris contrarium erat, odio pertinaci proſequebantur. Hoc imprimis in lege ſtomachum eorum commovebat, quod ἐπίξενά τινα, nulliuſque gentis uſu commendata, in morem & cultum inducere videbatur. Ne hæc e meo tantum ſenſu prompſiſſe videar, adſcribam [a] Prophetæ verba, ad rem præſentem opportuna; *ſcripſi eis magnalia legis meæ*, καὶ ὡς ἀλλότρια [1] ἐλογίσθησαν, *& tanquam peregrina reputata ſunt;* i. e. eo nomine repulſa ſunt & in odium tracta, quod inſolita & a gentium exterarum uſu diſſita crederentur. Et veriſimile eſt, Iſraelitas inſtituta illa *peregrina* pertinacia majore repudiaſſe, quod certo ſcirent, ſe ritibus & inſtitutis illis anomalis, humani generis odia & ſcommata in gentem ſuam converſuros. Et rem ſic eveniſſe, liquet e textus [b] illius obſcuri verbis, quem *Grotius* ſic optime interpretatur: *annon hæreditas mea mihi* dicta, *eſt avis* quædam *diſcolor*, & *annon* propterea *aves aliæ circumquaque ei adverſabantur?* Nempe alluſum videtur ad avium morem, quæ, ſiqua [c] avis peregrini coloris advenerit, in eam facto agmine feruntur; juxta [2] *Virgilii* illud.

TERTIO: non eſt ad conſequendum facile, cur Deus tot minutis & (in ſe) nullius momenti ritibus inſiſteret, eoſque ſub capitis pœna quandoque prohiberet; niſi quod inter Zabios obtinerent, & cultus profani ſpeciem gererent. Quid enim tam ſerio cautum eſt, ne quis extremitatem barbæ diſſecaret, aut hœdum in lacte matris coqueret, aut capitis pilos in orbem tonderet; ne quis aut ſanguinem ederet, aut fructum annis ab arboris plantatione primis provenientem manducaret? Quid, inquam, Deus leges tam curioſas, & (ſic prima facie videntur) arbitrarias, inſtitueret; niſi quod leges illæ cum Zabiorum moribus adverſa quaſi fronte pugnarent, & ritus legibus illis interdicti, cultus idololatrici ſigna, vel fœderis cum Diabolo initi pignora, tunc temporis haberentur? Pugnat enim cum ſapientiæ & bonitatis divinæ notitia, mentibus humanis naturaliter inſita, Deum onera ſupervacua (leges aut ritus nulli uſui ſervientes) Iſraelitis ſuis imponere voluiſſe. Huic argumento momenti nonnihil addit effatum illud [d] *Guilielmi Pariſienſis: ſcito generaliter, quod in mandatis* Legis *quæ apertam videntur habere abſurditatem, & nullam ſecundum literam utilitatem, intenditur elongatio ab idololatria.*

QUARTO: id etiam ſententiæ noſtræ fidem firmat, quod ethnici ſolos Hebræorum ritus rejicerent, eoſque conviciis & maledictis omnibus onerarent. Si omnis ævi memorias perluſtremus, facile reperiamus, gentes omnes, quanquam Diis & ſacris diverſis addictas, communionem inter ſeipſas & amicitiam coluiſſe, nec unquam bella ſacra vel diſſidia religioſa habuiſſe. Gens una non magis alterius numina & ſacra, quam bona & mercimonia, repudiavit. Sola Judæorum inſtituta rejicere ſolebant, & ipſam gentem, tanquam humanitatis expertem, conviciorum plauſtro conſpurcare. [e] *Tacitus* de Judæis agens, eorum *inſtituta*, *ſiniſtra*, *fœda*; & (eorum gratia) *gentem* ipſam, *teterrimam* appellavit. [f] *Diodorus Siculus* [3] ritus eorum vocat μισάνθρωπα παράνομα ἔθη, *conſuetudines odioſas & gentium legibus adverſas.* [g] *Apollonius* & *Lyſimachus* *Moſem*, ὡς γόητα καὶ ἀπατεῶνα, *quaſi magum & impoſtorem* habuerunt; & leges ejus, κακίας, καὶ οὐδεμιᾶς ἀρετῆς, διδασκάλους, *malitiæ quidem*, *nullius autem virtutis*, *doctrices*, aſſeruerunt. Et cum Romani ſacra alia peregrina civitate donarent, & ipſos gentium victarum deos amplecti non erubeſcerent; in Judæos eorumque ritus hoſtili ſemper animo fuerunt, & non minus a Judæorum religione, quam *Judæorum* [h] *religio a majorum ſuorum inſtitutis*, abhorruerunt. Hæc autem omnia argumento ſatis evidenti eſſe poſſunt, ethnicos & Hebræos ſacra διάφορα coluiſſe.

QUINTO: Deum cultus vitæque rationem Zabiorum moribus adverſam ſtatuiſſe, probat ipſa loci ſolitudo quo primum leges & ritus Moſaici tradebantur. Nam *Moſes*

a *Hoſ.* 8. 12. b *Jerem.* 12. 9. c *Candida venit avis, nigris inviſa columbis.* Virg. Georg. lib. 2. d Lib. de *Legib.* cap. 4. p. 33. B. e *Hiſtor.* lib. 5. p. 115. & 117. f *Ub. ſupr.* g *Ap. Joſeph.* l. 2. *contr. Apion.* p. 1374. 35. h *V. Cicer. Orat.* pro *Flacco.*

1 In *MS. Cardinal. Barberini*, ἐλογίσθη.
2 Verſ. 320. *Nigris — columbis*, male quidem leguntur, pro *longis — colubris.*
3 Vid. *Eclog.* 1. ex *Libr.* 34. p. 902.

&

& *Aaron* iter tridui in ſolitudinem faciendi licentiam poſtularunt, ut Dei ſacra ritu legitimo exequerentur; nec tamen Ægyptios, ſacris plane contrariis addictos, exacerbarent. Rem totam *Philonis Judæi* verbis ſic dilucide narratam accipiamus: [a] *aiebant ſolitudine opus eſſe ad ſacra patria peragenda, non ad modum eundem quo gentium aliarum ceremonia celebranda;* ἀλλὰ τρόπῳ καὶ νόμῳ διαφέροντι τῶν κοινῶν, διὰ τὰς τῶν ἐθῶν ἐξαιρέτους ἰδιότητας. *Sed more rituque ab uſu communi abhorrente, propter ſelectas legum ſuarum ſingularitates, ideoque ſeceſſum requirentes, ne vel offendant alios, vel oculis exterorum, parum faventium ſpectaculo, profanentur.* Multa jam dictis affinia ſubjungi poſſent: ſed ab hoc argumento recedendum eſt, ne in re clara plus æquo morari videamur. SECT. II.

SECT. II.

Reſpondetur adverſæ partis argumentis.

QUANQUAM veritas hæc, præſidiis hiſce munita, facile contemnat oppugnantium impetus; adverſæ partis argumenta refellere conabor, ne ulli provinciæ meæ parti defuiſſe videar.

HORUM primum ſic ſe habet: ſi tot leges Moſaicæ gentium ritibus opponantur, & earum rationes (quod vult *Maimonides*) a Zabiorum ſuperſtitione petendæ ſint; neceſſe eſt, ut leges illæ literaliter exponantur, & in iis locus vix ullus ſenſui alicui myſtico relinquatur. Hoc telo contra ſententiam noſtram pugnat eruditus [b] *Heideggerus*, cujus hæc ſunt verba; *Maimonidis rationes præceptorum ceremonialium, antiquitatis ceruſſa incruſtatas, tanto a fide remotiores ducimus, quanto magis a ſpiritualis negotio* τῷ [illegible] τῶν μελλόντων *diſcedunt, id quod ſubinde fieri conſtat; ut cautos eſſe oporteat, ne illorum inſidiis illaqueati, a ſimplicitatis & intentionis divinæ tramite exorbitemus.* Ob. 1a.

MULTIS equidem olim & hodie perſuaſa eſt hæc opinio, leges eas ubique myſteriis gravidas, & in iis arcana latere, quæ profanis oculis patere non debent. Hinc varii ſenſus myſtici pro vario lectorum captu, legibus iiſdem affinguntur, & ea quæ de cepis dicuntur, ad allia non raro transferentur. Nos, extrema vitare cupientes, rem totam *Theſibus* hiſce dnabus expediemus: Solvitur.

PRIMO: legi cuique Moſaicæ ſenſus literalis aſſerendus eſt, iſque primo diligenter inveſtigandus. Niſi enim leges illæ ſenſu quem verba præ ſe ferunt intelligantur, multa ſequentur abſurda, quorum nonnulla, verbis ab [c] auctore jam laudato mutuatis, enumerabo. "Horum primum eſt, quod ipſe legiſlator barbarus fuiſſet, & ipſa lex barbara, cum a populo illo non intelligerentur. Præcepta illa, juxta literam intellecta, etiam rudibus & indoctis, erant facillime cognoſcibilia, propter notitiam idololatriæ, & ſuperſtitioſarum conſuetudinum gentis Ægyptiæ, & aliarum gentium populo Hebræo vicinarum. Ac ſi non habuiſſent literalem ſenſum ſive intelligentiam, populi rudioris intellectum omnino ſuperaſſent. Quid autem ſtultius ſentiri poteſt de propheta ſapientiſſimo, quam ea locutum fuiſſe populo, & ſervare mandaſſe, quæ populus non intelligeret? quid erat hoc quam populo illudere, ipſumque irridere? *Porro:* cum *Moſes* dux & doctor populo illi datus fuerit, qualiter implebat doctoris officium, cum legem ipſam ad populum ferebat, eumque docere debebat, eis *autem* non exponeret & ediſſereret? Quid aliud erat hoc, quam populum in errorem inducere? *Nam* proponere mandatorum literam, *ſenſum* literalem non habentem, & hoc ipſum populo non exponere; nihil aliud eſt, quam populum in intelligentiam literalem, ubi ipſa omoino non eſt, inducere, vel rudem & indoctum populum, ad intentionem *inveſtigandum*, literali velamine abſconditam & adumbratam, cogere? *Deinde, ſi Moſis* inrelligibiliter loqui nolebat, mirabiliter abutebatur ſermone ſeu loquela, in hujuſmodi *legibus ſenſu myſtico capiendis.* Sermo ſiquidem interpres animi eſt: ſermo autem ejus, quantum ad hoc, non erat interpres animi ſui, ſed magis abſconditor & celator. *Præterea, ſi præcepta legis intelligentiam literalem non habuerint, mirum eſt* tot & *tantos* doctores leges populum in iſto errore *reliquiſſe* (de alio intellectu, quam de literali, populum omnino non admonentes) -- *&* populum errorem iſtum non deprehendiſſe, *ſed* tam diu velut hæreditarium tenuiſſe, & ad poſteros *tranſmiſiſſe.*" Viſum eſt, hoe teſtimonium lectori integrum exhibere; quod facile ſperavi, rationis acumen, illius prolixitatem abunde compenſaturum.

SECUNOO: legum Moſaicarum ſenſus literalis haud impedit, quo minus intelle-

a De Vit. Moſ. p. 615. E b Lib. de libert. a leg. cibar. c. 6. §. 6. c Guil. Pariſ. de leg. c. 15. p. 45.

CAP. III. SECT. I.

ctus myſticus & allegoricus earum ſaltem nonnullis attribuatur. In eo ſcilicet elucet ſumma legislatoris ſapientia: quod ita Moſis ritus & leges ordinarit & inſtituerit, ut rudiori vulgo cultus & obedientiæ materiam præſtarent, & imaginem Meſſiæ, veris lineamentis expreſſam, oculis acutioribus intuendam exhiberent. Myſteria quædam ſacratiora obſcuris rituum legalium involucris velavit & cuſtodivit ſummus legislator, ne vulgi tractatione contaminata ſordeſcerent, & nimis aperta rerum evangelicarum revelatio, Meſſiæ olim venturi provinciam præoccuparet. Cui animus eſt plura de legis ſenſu myſtico intelligere, [a] *Ludovicum Capellum*, legat, & (niſi quod rectius norit) quæ a nobis libro ſuperiori diſſeruntur.

Ez 2ª. SECUNDO: objiciet forte non-nemo, quod ipſe mecum pugnare videar, cum in hoc capite dixerim, Deum multa præcepta Zabiorum moribus oppoſuiſſe, ſuperiori vero, Zabios gentem nuperam fuiſſe, & Orbi, multis poſt Moſem ſeculis, innotuiſſe.

SED hæc objectio nulli moram aut ſcrupulum injicere poteſt, qui jam dicta diligenter expenderit. Dixi nempe Zabios, *nominaliter* ſpectatos, vel quatenus eo nomine vulgo notos, gentem nuperam fuiſſe, & vix Alcoranum ætate ſuperaſſe; *realiter* vero Moſi συγχρόνους fuiſſe, cum veterem Chaldaiſmi fabulam agerent ſub novo Zabiorum ſchemate, & a Chaldæis, Nabathæis, & aliis antiqui nominis idololatris, titulo ſolo diſcernerentur. Meminerit etiam lector, me doctrinam de Zabiis tantum conjecturæ probabilis vice propoſuiſſe.

CAP. III.

Cur Deus tot leges & ritus eorum moribus oppoſitas inſtituerit.

CUIVIS, rerum ſolummodo ſpecies intuenti, mirum videri poſſit, cur Deus populum ſuum tot actibus adiaphoris abſtinere juſſerit; cur nempe, veſtem e lana & lino confectam gerere, diverſi generis animalia ſimul ad aratrum cogere, apud ſanguinem effuſum edere, caput in rotundum tondere, & alia hiſce cognata, prohibuerit. Quid enim actus illi, (per ſe, nec boni nec mali,) meruere, ut legum materia fierent, & in illicitis haberentur? Actus hujuſmodi tam longe abſunt ab omni boni vel mali ſpecie, quod inde nonnulli Moſem convitiandi anſam arripuerint, quaſi leges nugaces & arbitrarias Iſraelitis impoſuerit. Ut itaque calumniæ huic anſam præſcindam omnem & lectorem (ſi forſan hærentem aut errantem) ad veri tramitem manuducam, ad quæſtionem propoſitam, primo negative, dein & poſitive, reſpondebo.

SECT. I.

Reſpondetur primo, Negative.

AD quæſtionem præſentem; primo negative reſpondebo, ut erroribus occurram, quibus ἀντιθέσεις inter Judæorum & Gentilium ritus, & Moſis ἀκρίβεια circa res prorſus indifferenres, occaſionem præbuere: dico itaque,

PRIMO: Deus non ea de cauſa tot leges Zabiorum moribus adverſas dedit, quod contradicendi ſtudio duceretur, & id unice curaret, ut populus ejus gentibus aliis diſſimilis eſſet, & ab iis non minus more quam nomine disjungeretur. Id in limine monere, conſultum habui; quod opinio, inſita penitus & vetuſta, apud Judæos & Chriſtianos haud paucos obtinuerit. Deum nempe ritus quam plurimos eo nomine vetuiſſe, quod uſus gentium eos recepiſſet; & leges eo tantum collimaſſe, ut gens ei devota diverſitate noſceretur, & a gentium aliarum moribus, non impiis tantum ſed & indifferentibus, abſtineret. Hanc opinionem [b] Maimonidi placuiſſe conſtat: nam, inquit, *cum dictum eſt*, non ambulabitis in ſtatutis gentium, *&*, cave ne poſt eas illaqueeris; *utrumque eodem ſpectat: nimirum, ne quis in re quapiam iis aſſimiletur, ſed diſſimilis ſit; atque id ex habitu & actibus eluceat*; ſic & [c] alibi in eandem ſententiam loquitur; *quia idololatræ tum temporis altaria ſua e lapidibus caſis ædificarunt, ideo interdixit, ne aſſimilemur iis; &, ut omnibus modis id vitemus, præcepit altare fieri ex terra.* Neque hac in re, *a ſociorum ſuorum grege deflexit* Rambam: nam Phariſæi, eodem [d] legis præce-

a *Exercit. ad obſcuriora Zohar. loc. inter Commentar.* p. 305. b *De Idololat.* c. 11. §. 1, 2. c *Mor. Neb.* P. 3. c. 45. d *Levit.* 18. 3.

pto

to ducti, a moribus quibusvis peregrinotum, maxime Romanorum, ſeipſos alienaſſe pethibentur. Neque Judæis tantum, ſed & Chriſtianis, hanc ſenrentiam arriſiſſe, probant [a] *Seldeni* verba, de ritibus modo dictis fuſe diſſerentis; *ideo hos actus aiunt Iſraelitis prohibitos, quia ſolenniores erant antea idololatris, ſive Cananæis, ſive vicinis; & quoniam, tametſi extra* culpam *fierent, prope nimis nihilominus ad idololatriam ejusve ritus accedebant.* Sed, horum doctorum pace, ſatis cauſæ eſt, cut iis hoc aſſerenribus non aſſentiamur: tantum enim abſuit, ut Deus ritus ab uſu ſeculi toto genere diſſidentes inſtitueret, & moribus ibique receptis contradicere ſtuderet; quod [b] jam cettum ratumque ſit, eum gentium ſacra non pauca leviter mutata retinuiſſe, & a Dæmonis, ad nominis ſui cultum, tranſtuliſſe. Neque res tam clara ſatis apertos *Maimonidis* oculos effugere potuit: poſtquam enim Deum leges aliquot, ethnicorum moribus adverſiſſimas, tuliſſe dixerat; conrinuo [c] addir, *de oblatione autem vini perplexus* ſum *in hodiernum uſque diem, cur illud offerri voluerit* Deus? *nam idololatræ quoque illud offerre ſolent.* Sed & aliis exemplis bene multis opinionis hujuſce ſalſitas evinci poteſt: nam templa, ſacrificia, purificationes, novilunia, ſacerdotes, conventus ſolennes, & feſta, in idololattarum ſacris locum habuiſſe, & in Dei legem cultumque tranſiiſſe, alibi probaturi ſumus, argumentis rem hanc extra omnem dubirationis aleam poſituris. Hæc autem omnia Deus vetuiſſet proculdubio, ſi leges ethnieotum motibus adverſas ideo tradidiſſet, ne populus Iſraeliticus ulla ſacrorum ſocietate vel motum ſimilitudine gentibus exteris conjungeretur. Haud opus eſt aliis argumentis ad opinionis hujuſce vanitatem redarguendam, cum præſertim viro cordato ne veriſimile quidem videri poſſit, Deum O. M. quicquam gentium aliarum uſu receptum, ex mero arbitrio & contradicendi ſtudio, rejicere voluiſſe. Noluit proculdubio Deus, ut populus ejus [d] *omnibus hominibus* ſtudioſe *adverſaretur*, aut morosum *Chinenſium* ingenium ſaperet, quibus omnia perverſa placent, quique mores exteros abſurdos exiſtimant, tantum quod gentibus aliis decori videantur.

(2°.) Rationi non minus adverſum eſt, Moſem leges & ritus ejus aliarum gentium motibus oppoſuiſſe, ex eatum odio, vel partes ſuas firmandi ſtudio. Apud ethnicos olim (rerum Judaicarum cauſas ineptis conjecturis venari ſolitos) pro certo creditum eſt, Moſem, gentium aliarum odio ductum, leges cum eatum motibus adverſa quaſi fronte pugnantes inſtiruiſſe. Ea ſententia fuir [e] *Diodorus Siculus*, qui *Moſis* rirus μισάνθρωπα ἔθη & *Lyſimachus*, qui leges ejus μισανθρωπίας διδασκάλους *malitiæ magiſtras* appellavit. Alii Moſem ſtaruta genrium mori tam diſſona tuliſſe crediderunt, ut mobile vulgus fœdere & affectu firmiore devinciret. Hoc ſomnium *Tacito* vigilanti placuit: [f] *Moſes*, ait ille, *quo ſibi in poſterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque cæteris mortalibus* intulit. Et ſtatim poſtea, Judæorum *instituta ſiniſtra* (ſic vocar) *ipſa pravitate valuiſſe* dicit. Non licet opiniones haſce, ne veritatis ſpecie ſucatas, operoſe refellere; ne lectoris ingenium in dubium vocare, vel ineptias ethnicas alicujus habere, videar.

(3°.) Cum ratione maxime pugnat, leges modo dictas e mera Dei voluntate & imperio abſoluto profluxiſſe. Legum nonnullarum peregrinitas haud ſatis apta noſtris moribus, & earum (ut noſtræ tes nunc habent) abſurditas & inutilitas, in cauſa ſæpe fuerunt, quod multi ſibi perſuaſerint, eas a Deo traditas, rantum ut poteſtatem arbitrariam & mere deſpoticam in Iſraelitas, a ſervitute nupera redemptos, exerceret. Multis e Judæorum gente adeo perſuaſa eſt olim hæc opinio, quod, ſub initia regni Saracenici, ad philoſophiam ethnicam defectionem fecerint, quod iis leges haud paucæ protſus inutiles & ſupervacaneæ videtentur. Hic iterum *Guilielmum Pariſienſem*, ſatis idoneum credendi auctotem, teſtem advoco: ille veto, de Judæis agens, ſub ea tempora a Dei legibus apoſtatis, [g] *dedit*, inquit, *occaſionem non levem apoſtaſia hujusmodi ea qua videtur multorum mandatorum abſurditas, vel inutilitas. Dum enim apparent in eis abſurditas & inutilitas, nulla autem præceptionis aut inhibitionis ratio, nulla obſervantiarum ratio; non eſt mirum ſi ab eis receditur, & ſi tanquam onera ſupervacua projiciuntur.* Neque Judæi tantum, ſed & Chriſtiani plurimi, leges haſce protſus inutiles, ἀλόγους, & meri imperii ſoboles, habuerunt; atque inde totam Scripturam rejiciendi, vel ſummum legislatorem, tanquam minus conſultum & benignum, conviciandi, anſam artipuerunt. At nihil remotius a pietate & prudentia, quam Dei legibus abſurditatis notam affigere, tantum quod a motibus ævi noſtri diſſideant; aut eas ſummi

a *De jur. nat. & gent.* l. 2. c. 7. p. 210. b V. Lib. 3. *per tot.* c *Ub. ſup.* Cap. 46. d 1 *Theſ.* 2. 15.
e *Ub. ſup.* f *Hiſt.* lib. 5. p. 115. g *Ub. ſup.* pag. 23, 24.

SECT. II. imperii jure latas aſſerere, tantum quod earum rationes ipſi non aſſequamur. In hac antiquitatis caligine, non datur cuivis antiquiorum temporum ritus intelligere, qui plerisque *Moſis* inſtitutis occaſionem præbuere. Sed hæc opinio digna eſt, quæ Satyris potius quam argumentis explodatur.

SECT. II.

Reſpondetur Poſitive.

Legum earum aſſignatur.

E Zabiorum moribus lege vetitis, erant haud pauci per ſe mali, quorum exempla nonnulla (ne quis errori ſit locus) ante paginas aliquot in medium protuli. Cur Deus moribus iſtis multas leges oppoſuerit, ſupervacaneum eſt quærere, cum clare pateat, eos cum naturæ divinæ rectitudine ἀντικρὺς pugnaſſe, & a gentis Judaicæ ſanctitate prorſus abhorruiſſe. Præter mores jam dictos, lex alios inhibuit, ſua natura nec bonos nec malos; quales erant, orbicularis tonſura capitis, hædi comeſtio lacte matris cocti, aliique furfuris ejusdem, [a] ſupra recenſiti. Lectori vix ultra legis Moſaicæ ſuperficiem penetranti mirum videri ſolet, quod Deus tot leges circa res (in ſe) prorſus indifferentes dederit, & (ſi fas dicere) tam curioſus in minutiis fuerit. Auctores nonnulli, a doctrina clari, leges de minimis hiſce curaſſe ſentiunt, ut Iſraelitæ Gentilibus ne minima rituum ſimilium communione jungerentur, ſed ab iis ſemper diſcederent; & in re quavis minuta diſcreparent. Cum autem hæc, & cauſæ jam dictæ, tam facile vanitatis & erroris arguantur, neceſſe eſt ut hanc inter Hebræorum leges & Zabiorum ritus pugnam ad cauſas multo graviores referam. Ne lectorem multis teneam: duplex cauſa [GENERALIS & SPECIALIS] aſſignari poteſt, cur Deus tot leges adiaphoris hiſce Zabiorum ritibus oppoſuerit.

Cauſa generalis.

CAUSA GENERALIS eadem erat quæ legum omnium, nempe ut idololatriæ peſtem a Judæorum finibus averterent, & Zabiiſmo ſe paſſim diffundenti, tanquam repagula quædam objicerentur. Huic autem uſui variis rationibus ſerviiſſe putentur: nempe,

PRIMO: quatenus impedimento fuerunt, qun minus Iſraelitæ gentium exterarum ſocietate & conſortio familiariter uterentur. Habet motum ſimilitudo ἑλκυστικόν τι, & homines, ritibus communibus conciliati, affectu & conſuetudine facile conjunguntur: e contra, qui ſtudiis contrariis feruntur, & inſtitutis e diametro oppoſitis cultum peragunt, odio plurimum capitali diſſident, & ab omni uſu familiari, tanquam angue & peſte, abhorrere ſolent. Peculiares & a ſeculi moribus alienas Hebræorum leges & ritus hunc effectum habuiſſe conſtat: nam Gentiles Judæos, tanquam gentem fanaticam & *Deorum contumelia inſignem*, averſabantur, & omnem cum Judæo conſuetudinem gravem & oneroſam exiſtimabant: ex adverſo, Judæi vicem reddere ſolebant, & infenſos non minus Geotilium perſonis quam moribus gerebant animos. A re præſenti non abludit [b] *Apoſtoli* dictum, *inimicitiam*, *legem nempe mandatorum in dogmatis*, *in carne abolens:* hoc eſt, ritus Judaicos, a gentium uſu maxime disjunctos, adeoque perpetua litis atque odii ſemina, de medio tollens. Cum autem contraria cultus vitæque ratio, odii ſemen eſſet, &, tanquam paries intergerinus, Judæos & Gentes a mutuo congreſſu & commercio cohiberet; fieri vix potuit, ut Gentes ſuperſtitionis ſuæ ſcabiem Judæis affricarent.

SECUNDO: leges Moſaicæ, quatenus Sectæ illius pernicioſæ moribus adverſæ, plurimum ad idololatriam abolendam profuerunt, quatenus Iſraelitas ſtatus & relationis ſuæ planæ ſingularis admonuerunt. Propheta, de Judæa loquens, [c] inquit, *defluxit terra, defluxit orbis:* fuit enim terra illa velut orbis quidam proprius, ſecretus ab inſtitutis aliarum gentium. Vix autem aſſequi licet, cur Deus gentem illam a cæteris mundi gentibus, ritu diſſimili, diſcerni voluit; niſi ut hac ratione ſe Deo eximio & ſingulari ſeparatos intelligerent, & cultus vitæque ratio, ſibi ipſis propria & peculiaris, ſeparationis illius memoriam ſæpe renovaret. Deum actus aliquos, per ſe nec bonos nec malos, hac de cauſa vetuiſſe, probabilius exiſtimetur, quod legem illam, *non facietis calvitiem inter oculos veſtros propter mortuos*, hac ſola ratione ſancitam, dederit; [d] *quoniam populus ſanctus es Domino Deo tuo, & te elegit Dominus, ut ſis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus quæ* ſunt *ſuper terram.* Permagni ad pietatem intererat,

[a] V. Pag. 283. [b] *Ephes.* 2. 15. [c] *Jes.* 24. 4. [d] *Deut.* 14. 1, 2.

ut

ut illa Judæorum prærogativa & conditio peculiaris iis frequenter in memoriam re- SECT. II.
digeretur.

TERTIO: quatenus leges Zabiorum mores inhibentes, primos ad idololatriam aditus obſtruxerunt, eamque in herba quaſi prima perdiderunt. Nam, [a] obſervante Maimonide, *gentium ritus*, *lege probibiti*, *idololatriam poſt ſe trahebant*, &c, quamvis extra cultum fierent, rimam primo, tandem & portam, ad culrum idololatricum aperiebant. Si enim, ex. gr. Deus curem incidendi, comam in orbem tondendi, vel ritus conſimiles idololatricos exercendi, libertatem conceſſiſſet; liberras illa tandem in licentiam exiiſſet, & Iſraelitæ proculdubio a ceremoniis illis ad idololatriam & magiam fuiſſent prolapſuri. Si comam in luctu funebri, Zabiorum ritu, rondere licuiſſet, eo forſan impietatis proceſſiſſent, ut tandem Diis Manibus ſacra peragerent; aut, amicis orbati, gentium exterarum riru, ſeſe in luctum immodicum effunderent. Non ſtat ubi incipit vulgi ſuperſtitio, ſed e parvis, nonnunquam & licitis initiis, magnum incrementum capit.

QUARTO: præcepta Zabiorum mori contraria, idololatriæ obſtaculo fuerunt, quatenus omnem tanti ſceleris ſpeciem de medio ſuſtulerunt. Si enim Judæi ritus aliquos e mediis Magorum eorum myſteriis deſumpros uſurpaſſenr, ſuſpicione ſe oneraſſent, quaſi in Zabiiſmum & ipſi propendetent, & Dæmnnes colerent quorum ceremoniis utebantur. Hinc etiam infirmis ſcandalum datum fuiſſer, & omnes ritibus illis inſamibus addicti, exemplo forſan perperam inrellecto, plebeculam incautam ad cultum extraneum provocaſſent. Leges iraque, ritus cum idololattia vel magia conjunctns inhibentes, idololarriæ paſſim graſſanti viam obſtruebant, quatenus eo ſpectarent omnes, ut illius ſpeciem & memoriam omnem abolerent.

QUINTO: non minus idololatriæ obſtabant leges Zabiorum ritibus nppoſitæ, quatenus ritus illi cum idololatria tunc temporis intime conjungerentur. Nam ritus eos, idololatriæ cauſas aut effectus, ſigna vel inſtrumenta fuiſſe, ſatis e jam dictis, & ſuo loco dicendis, manifeſte patear. Cum itaque rirus lege vetere prohibiti idololatriæ tam arcto nexu cohærerent, eamque, modo licer non uno, promoverent; cuivis obvium eſt, legem, quatenus ritibus illis contravenirer, ad idololarriam arcendam non parum profuiſſe. Si Moſes illa Zabiorum inſtituta, Magiæ & idololatriæ tanta affinitate juncta, toleraſſer; fieri non potuit, quin populus Iſraeliticus, in peſſima quæque proclivis, in maximorum ſcelerum licentiam ſolvererur.

Eo me jam ducit ordinis mihi præſcripti filium, ut cauſam SPECIALEM expediam, cur Deus tot ritus & actus, nulla ptavitate vel maliria norabiles, (ſi κατ' ὄψιν judicemus) lege lata prohibuerit. Dico itaque, cauſam rriplicem, unam ex parte Dei ipſius, alteram ex parte populi, tertiam ex parte rituum ipſorum, aſſignati poſſe. Specialis, triplex:

RATIO ex parte Dei hæc eſt: cum Deus unam Hebræorum gentem ſibi deſponſaſſet, pro marito vel Deo zelore ſe geſſit, modis nmnibus cavens ne ſponſa ſua fidem conjugalem adulterio ſpirituali [id eſt, idololatria] violarer. Deum olim Hebræorum gentem ſponſæ loco habuiſſe, fidem faciunt aperta prophetarum teſtimonia: *Hoſ.* 2. 2. *Contendite cum matre veſtra*, *contendite: quoniam illa non* eſt *uxor mea*, *& ego non* ſum *maritus ejus:* & verſ. 19. *Deſponſabo te mihi in perpetuum: deſponſabo te mihi in juſtitia*, *in judicio*, &c. Jeſ. 50, 1. *Sic dixit Dominus*, [b] *ubi eſt iſte libellus repudii matris veſtræ*, *quo dimiſi eam?* Jerem. 3. 14. *Convertimini filii rebelles*, *dixit Dominus*, כי אנכי בעלתי בכם *quia ego maritus ſum inter vos*. Neque Deus maritus tantum, ſed & maritus [ſeu Deus] zelotypus erat, & ſic in mandato ſecundo, & alibi multoties, appellarur. Prnut iraque mariro zelanti, ſeu de uxoris fide ſolliciro non ſufficit, ut uxor ejus adulterium decliner, niſi & omnem adulterii ſpeciem, ſuſpicionem, & occaſionem ſugiat; ſic & Deo Zelori non ſaris erat, Dei cujuſvis alterius cultum & ritus impurioris exercitium, prohibere, ſed & omnem cultus profani ſpeciem & occaſionem, actus eriam omnes quos uſus erhnicus infames aut magiæ ſuſpectos reddidiſſet. Nempe [c] præceptum eſt Iſraeliris, ut *deſtruerent aras Chananæorum*, *& confringerent ſtatuas eorum*, ne iſtæ ſtatuæ vel aræ cultus prophani monimenta vel irriramenta manerenr, & ne gentium idola, ubi ſtatuas & aras habebanr, coli viderentur. Simili de cauſa Deus idololatras in terra filiorum Iſrael habirare noluit, ne ſcilicet eorum convictus, colloquium aut exemplum, populi mores corrumperet, eoſque ad fidem matrimonialem adulterio ſpirituali violandam induceret. Ad hæc: vetitum eſt Iſraelitis, in rotundum tondere, lucum in altaris vicinia ſerere, quidpiam ex idolo in domum inferre, nec iis integrum erat veſtem ex lana & lino contextam induere; quod ſcilicet hæc Una ex parte Dei.

a *Mor. Nebvp.* 3. c. 37. b *V. Jer.* 3. 8. c *Exod.* 23. 24.

SECT. II.

omnia, e conſuetudine & lege Zabiorum profluentia, Zabiiſmi ſpeciem gererent, & Dei zelotypi ſponſam fidei læſæ ſuſpectam redderent. Huic rationi pondus addit *Guilielmi Pariſienſis* teſtimonium: poſtquam enim nonnulla, per ſe ἀδιάφορα lege vetita, recenſuiſſet, *eum*, [a] inquit, *interrogatus fueris*, unde factum eſt *ut prohiberentur hac omnia? confidenter reſpondere poſſis, quia zelus Domini exercituum hoc fecit, quo nihil ad adulterium pertinens in ſponſa ſua voluit ſuſtinere.* Hoc teſtimonium firmat ratio: nam leges multæ de rebus adiaphoris, Iſraelitis impoſitæ, gentes alias non obligabant; quod illæ non tam uxores eſſent, quam ancillæ, quarum fidem & affectum Deus non tanti habuit, quanti gentis Iſraeliticæ, quam fœdere & connubio ſtabili ſibi conjunxiſſet. Genti illi, utpote ſponſæ ſuæ, non tantum idololatria, ſed omnibus ejus ſpeciebus, actibus, & occaſionibus, interdixit; more mariti zelotypia ducti, qui non tantum adulterium uxori prohibet, ſed omnem nutum, tactum, colloquium, & ſignum, animo ſuſpicaci videt, & ægro fert animo ut quiſpiam ad eam appropinquet.

Altera ex parte populi.

SECUNDO: ratio non levis ex parte populi reddi poteſt, cur Deus eos a nonnullis Zabiorum ritibus, ſua licet natura licitis, abſtinere juſſit. Nempe, populus ille Diis Ægyptiis nuncium remiſiſſe, & fœdere ſolenni ſe Deo vero devinxiſſe, videbatur: at hiſtoria ſacra ſatis indicat, eos Deo tantum [b] *blanditos* fuiſſe; ore quidem Deum, corde vero Deos Ægypti ferentes, & Ægypti ritus ſacrilegos adhuc anhelantes. Cum Ægypto nuper exiiſſent, vituli cultu & aliis experimentis compertum eſt, idololatriæ ſcintillas in eorum animis adhuc vivere, quavis occaſione oblata, in magnum incendium erupturas. Probe novit, qui ſcripturam vel a limine ſalutavit, Iſraelitas in religione leves & lubricos fuiſſe, dubia vice inter Jehovam & Baalem fluctuantes. Cum itaque ſummus legislator populum illum ſic animatum videret, eos a multis actibus, nulla morali turpitudine notatis, abſtinere juſſit. Curavit, non tantum ut populus, in idololatriam propenſior, ab ea præceptis generalibus arceretur, ſed etiam a rebus & ritibus qui cum idololatria proxime conjungebantur. Horum nempe rituum uſus idololatriam in animos tam leves & verſatiles facile revocare poſſet, eoſque ad cultum profanum propellere, quo ſemper curſu proclivi ferebantur. Deinde, ſi Deus ritibus iſtis infamibus veniam indulſiſſet, proculdubio populus Iſraeliticus in gentium mores paulatim abiiſſet, & tandem rima illa malis ingentibus aditum aperuiſſet. Hic itaque non ſine honore memorandi veniunt eccleſiæ Chriſtianæ Patres, quod, ad exemplum divinum compoſiti, gentes nuper converſas, & ſemipaganas adhuc, a moribus quibuſdam ethniciſmi fæces olentibus cohibuerint. Cum enim inter Chriſtianos haud ita pridem converſos (more ab initiis ethniciſmi propagato) receptum eſſet, in noviluniis ignes feſtivos ante ædes accendere, per eorum flammas tranſilire, ædium limina coronis & ramis exornare, vinum & fercula mortuorum ſepulchris, inferre, preces juxta fluvios aut arbores antiquiores concipere; eccleſiæ Patres hos & alios ejuſdem proſapiæ ritus inhibuere, quod cultus ethnici memoriam ingererent, ad cultum antiquum tacite ſollicitarent, & infirmis ſcandalum præberent, quaſi Chriſtiani ritibus illis addicti, Chriſtum & Baalem conjungerent, & eos intervallo non adeo magno diſſitos exiſtimarent.

Tertia ex parte rituum ipſorum.

TERTIO: ratio ex parte rituum ipſorum hæc erat: longa gentium conſuetudine factum eſt, ut ex iis plerique arcte cum idololatria cohærerent, eique ut *cauſa* vel *effectus*, *ſigna* vel *inſtrumenta*, proxime conjungerentur.

(1°.) E ritibus modo dictis, multi cultus extranei *cauſa* fuerunt, nempe quatenus illius invitamenta eſſent, aut peſtiferum aliquod unde cultus ille pullularet, dogma firmare viderentur: v. gr. Plantatio luci in altaris vicinia, idololatriæ invitamentum fuit, quatenus loci umbra & amœnitas plebem pellexit, & lucifugis quibuſdam Zabiorum ritibus exercendis occaſionem dedit. Mos ille, מצבה στήλη, cippum vel columnam erigendi [c] prohibetur, eo quod uſu receptum eſſet, ad hujuſmodi columnas conventus agere, adeoque cultus ethnici ſpeciem præberet & occaſionem. Mos etiam animalium aut ſyderum formas imaginibus exprimendi, licet ſua natura licitus, Iſraelitis interdicebatur; eo quod eorum animis conceptum craſſum & naturæ divinæ minime conſentaneum ingerere poſſent, eoſque a Dei veri ad idoli cultum avocare. Hæc & alia leviora, ad mali alicujus cautionem legibus interdicta, cauſam dediſſe videntur dicto illi quod apud [d] *Joſephum* ipſi *Moſi* tributum legimus; Δεῖ μηδὲν ὅλως τοιοῦτον συγκεχωρημένον, ἐξ οὗ κατὰ μίμησιν παρατροπή τις τῶν κατὰ τὴν πολιτείαν ἔσοιτο, &c. *Cavendum eſt, ne quid ejuſmodi permittatur, ex cujus imitatione mores publici depravari poſſent: quapropter ne levia quidem leges diſſimulant.*

a Lib. *de legib.* c. 14. p. 44. E b *Pſal.* 78. 36. c *Deut.* 16. 22. d *Antiq. Judaic.* lib. 4. c. 8. p. 165. 5.

(2°.)

(2°.) E Zabiorum moribus lege lata vetitis, alii cultus illiciti fructus & *effectus* habeantur. Nam corporis vulnere frequente dehoneſtatio, raſura capitis & barbæ, laceratio veſtis, ritus erant, e cultu *mortuorum* oriundi; & Gentiles, in inferiis & ſacris aliis in *mortuorum* honorem præſtitis, hujuſmodi ritibus, utpote funebribus & cultui ſuo conſentaneis, utebantur. Cum etiam, *Moſis* ævo, multa paſſim ſimulacra fabricarent homines, quod multos Deos, eoſque materiales & ipſis oculis uſurpandos, exiſtimarent; Deus ulla ſculptilia fieri vetuit, ut Hebræi eo longius ἀπὸ τῆς πολυθείας arcerentur, & Deum a viſu ſenſuque noſtro longe remotum eſſe monerentur. Si Deus imagines (errorum, quos dixi, ſoboles) inter Hebræos toleraſſet, erroribus ipſis anſam dediſſe videretur. Cap. IV.

(3°.) E Zabiorum ritibus nonnulli *ſigna* quædam erant a Dæmone inſtituta, quibus ei cultum præſtabant, aut tacite præſentiam & auxilium ejus implorabant. E ritibus illis, ſufficiat in præſenti tres aut quatuor ſummis digitis attigiſſe. Inter Zabios (quod alibi probamus) mos ab antiquo viguit, ſtigmata quædam corporibus ſuis inurere, ut ſigno illo ſe huic aut illi numini fictitio devotos eſſe teſtarentur. Inde cauſa data legi illi, *Levit.* 19. 28. *Non facietis puncta*, vel ſtigmata, *in carne veſtra*. Lege cautum eſt etiam, ne quis coram imagine procumberet, aut ſelpſum incurvaret, eo quod actus ille cultus idololatrici ſignum eſſet, & idololatriæ patrocinium præbere crederetur. Addo inſuper, interdictum eſſe, ſanguinem animalis alicujus in agris effundere, quamvis ad eſum ſolommodo mactaretur; tantum quod effuſio illa cultus aut honoris τοῖς שדים [Dæmonibus ab agro nomen ſortitis] præſtiti, ſignum tunc temporis haberetur. Hoc ſecure concludendum e verbis quæ proxime ſequuntur legem qua ritus ille prohibetur; [a] *& non offerent ultra, ſacrificia ſua* [1] *Dæmonibus poſt quos fornicantur*. Hos, & alios ejuſdem proſapiæ, ritus inhibuit Deus, ne mobili vulgo ſcandalum darent, & affinitate ſua cultus antiqui memoriam renovarent.

(4°.) E ritibus lege vetitis, alii *inſtrumenta* fuerunt ad idololatriam aut magiam exercendam & propagandam inſervientia. Hujuſmodi ſunt, altarium multorum extructio, imaginum conſecratio, reſiduarum ſacrificii partium in craſtinum reſervatio, picturati lapidis erectio, auri vel argenti idolo ſacrati ſurreptio vel circumgeſtatio; nonnulli inſuper alii, qui malis ingeniis aditum aperire poſſent. Hinc Judæi, legis analogiam obſervantes, figuram quamvis olim pro Deo cultam, Gentilium victimas, oblationes, inſtrumenta & vaſa ſacrificialia [veluti polubrum, ſimpulum, aram, menſam] [b] *&* univerſum apparatum *cultus* profani *gratia* factum, in illicitis habuerunt.

E jam dictis evidens evadit, ritus lege vetitos & cultum profanum arcto inter ſe nexu devincta fuiſſe, & Deum tot leges ritibus illis e regione poſuiſſe, ut Iſraelitas a Gentium ſuperſtitionibus cohiberet, & Zabiiſmi late propagati licentiam coerceret. Huc apprime faciunt verba *R.* [c] *Bechai*, in quæ ſatis auſpicato deſinamus: כי כן דרך התורה לאסור הדברים שהם לעבודה זרה ותצוה עלינו לעשות ההפך כדי לעקור שורש עבודה זרה מן העולם *Ita* eſt *mos Legis, prohibere res in gratiam cultus idololatrici* factas; *& juſſit nos facere contrarium, ut ſic radicem idololatriæ de mundo tolleret*. Nihil eſt itaque, cur *Moſi*, leges de rebus hiſce minutis ferenti, μικρολογίαν aut λεπτολογίαν objiciat quiſpiam.

CAP. IV.

De legibus, quæ Zabiorum moribus opponuntur, ſigillatim agitur, & primo de lege Paſchatis, ejuſque circumſtantiis.

SUPEREST jam, ut præcipua penſi mei defungar parte, & leges eas ſingulatim exequar, quas Deus, ad ſeculi ſuperſtitionem coercendam, & Zabiorum ceremonias abolendas, dedit. Ut autem ad leges eas aditus eo facilior aperiatur, monendum eſt ἐν παρόδῳ, legem Moſaicam duobus modis, VERBALITER & REALITER, Zabiorum placitis & inſtitutis adverſatam fuiſſe.

PRIMO, VERBALITER & explicite, nempe quatenus eorum ritus idololatricos verbis apertis populo prohibebat. Hoc autem factum eſt verbis, quandoque generalibus, nempe, *Levit.* 18. 3. *Secundum opus terræ Ægypti in qua habitaſtis, non facietis: & ſecundum opus terræ Canaan, ad quam ego adduco vos, non facietis, & in ſtatutis eorum non ambulabitis:* Et Levit. 20. 23. *Ne ambuletis in ſtatutis gentis quam ego emitto a*

a *Levit.* 17. 7. b *V. Selden.* de *jur. Nat. & Gent.* l. 2. p. 215. c *Comment.* in *Lev.* c. 23. v. 19.
1 שערים *hircis*, vid. pag. 144. not. 1.

SECT. I. *facie veſtra*, &c. aliis etiam in locis, hiſce ſenſus affinitate conjunctiſſimis. Ne vero generalia illa minus pungerent, *Moſes* multas leges edidit, quibus hic & ille Zabiorum ritus ſpeciatim & expreſſe prohibetur.

Secundo: lex Moſaica, Realiter & implicite, Zabiorum ritus & dogmata prohibebat. Legis, non verba tantum, ſed res & ſacra, Zabiiſmo repugnabant. Lex enim non ſolum vetuit, quæ apud ethnicos ſacra & religioni propria, ſed & aliqua præcepit, quæ apud eos dira & nefaſta, habebantur. Deus non ſatis habuit, antiquæ ſuperſtitionis ritus & exempla ſimpliciter prohibere, ſed Hebræorum genti præcepit ut plane contrarium facerent. [a] *Tacitus* itaque veri limites haud multum tranſgreditur, cum, de rebus Judæorum agens, hæc habet: *Moſes, quo ſibi gentem firmaret, novos ritus contrarioſque cæteris mortalibus indidit. Profana* illis *omnia, quæ apud nos ſacra. Rurſum conceſſa apud illos, quæ nobis inceſta.* Ideo vero Deus *ritus* tam *contrarios* Hebræorum genti tradidit, ut illi ſe gentium ſacris bellum indicere, numinis cujuſvis fictitii reverentiam excutere, & mentitam cultus ethnici ſanctitatem ludibrio habere, non verbis tantum ſed & factis indicarent.

Cum jam ſatis declaratum ſit, quomodo lex Moſaica Zabiorum ritus inhibuerit, in rem præſentem veniam, & leges eas in lucem proferre conabor, quæ Zabianæ religionis abolendæ gratia tradebantur. Inter eas autem primo nobis occurrit lex de Paſchate, & ceremoniis in illius celebratione ſolenniter obſervandis. Inde itaque nobis auſpicari placet, de cæteris legibus juxta νομοθεσίας Moſaicæ ſeriem atque ordinem ſermonem habituri.

SECT. I.

Harum prima erat, *quod agno maſculo ſolenniter mactato celebrari deberet.*

LEGIS Paſchalis pars ea cui lumen accendere jam ſtudeo, verbis hiſce traditur: [b] *in decima hujus menſis accipient ſinguli agnum per domum patrum,* —— *agnus maſculus, anniculus erit vobis,* —— Deum legem hanc Ægypti dogmatis & moribus adverſam poſuiſſe, non inani ductus conjectura cenſeo. Sic enim Ægypti more comparatum erat, ut, inter animalia *ſacrorum* titulo donata, arietem honore præcipuo colerent; vel quod ſymbolum fœcunditatis eſſet, vel quod arieti cœleſti, affinitate quadam propiore, conjungi crederetur. Ejuſdem inſaniæ exemplum tandem ad Afros & Græcos tranſiit: quod enim illi Jovem ſub Ammonis nomine & arietis forma colerent, Ægyptiis imputandum eſt, qui dementiæ huic initium & auctoritatem quandam tribuerunt. Hoc itaque remedio uſus eſt Deus, ne ſuperſtitionis ejuſdem ſcabies Iſraelitas ureret; agnum illum maſculum, quem Ægyptii inter numina ſua præcipua coluerunt, ſolenniter mactari, & ædium poſtes agni ſanguine aſpergi juſſit: nam inde facile cognoſcerent Iſraelitæ, arieti nihil ineſſe divinitatis, &, animal illud tam contumelioſe tractando, ſe non minus ab Ægypti ſuperſtitione quam ſervitute receſſuros, indicarent.

Deum ea de cauſa, nempe ut ſuperſtitioni Ægyptiacæ ſe adverſum ſiſteret, hanc legem ſtatuiſſe, multa me perſuaſum faciunt;

(1°.) Animalis in paſchate mactandi ſpecies: hoc autem agnus eſſe debuit aut hœdus, uti e *Joſiæ* paſchate colligimus, qui [c] *largitus eſt populo de grege agnos & hædos pro oblationibus paſchalibus:* nempe ſecundum legis verba, *Exod.* 12. 5. Ubi Moſes, de paſchate agens, inquit, *integer* שה· *maſculus anniculus, erit vobis, quem capietis ex ovibus & capris.* Nam Hebræum שה *Seh*, vox eſt utriſque communis, & a ſenioribus, nunc per κριὸν & πρόβατον *arietem & ovem*, nunc χίμαρον *hædum*, redditur. Agnus autem in paſchate communior victima fuiſſe videtur, neque hœdus mactatus niſi cum agnos deſiderarent. Huc faciunt illa [d] *Theodoriti*; ἵνα ὁ μὲν πρόβατον ἔχων, θύσῃ τοῦτο, ὁ δὲ σπανίζων προβάτου, τὸν ἔριφον· *Ut qui ovem habet, eam immolet; & qui ove caret, hædum.* Haud facile eſt autem rationem magis ſpecioſam excogitare, cur præceptum ſit Iſraelitis, ut oves tantum & hœdos (oves autem præcipue) in ſolennitate paſchatis uſurparent; quam quod Ægyptii ab utriſque, ovibus autem præcipue, religioſe temperarent; & Deus Hebræorum ſaluti proſpiceret, qui, propter longam & individuam cum Ægyptiis ſocietatem, profanos eorum mores altius imbibiſſent. Verum ne vi-

a Pag. 115. b *Exod.* 12. 3, 5. c 2 *Paral.* 35. 7. d In *Exod.* *Quæſ.* 24. T. I. p. 90. B

dear

dear hnc mihi dari velle ſine probatione, teſtes haud obſcuros appello, qui ſuperſtitionem Ægyptiam circa oves & hædos inprimis occupatam aſſerunt. Ex iis, ſic Ægypti religionem perſtringit *Juvenalis*, *Satyr.* 15. 11. SECT. I.

——Lanatis animalibus abſtinet omnis
Menſa: nefas illic fœtam jugulare capellæ.

E duabus autem ſpeciebus, ovis animal ſacratius fuiſſe, & Ægypti ſuperſtitionem magis quam hœdus exercuiſſe videatur: nam [a] *Strabo* negat ovem alibi in Ægypto, quam in *Nitriote Nomo*, immolatam fuiſſe; & *Plutarchus*, varias auctorum ſententias referens, cur Ægypti ſacerdotes non laneis ſed lineis veſtibus uterentur; [b] inquir, οἱ δὲ τῶν ἱερέων, ὥσπερ τῶν κρεῶν, σεβόμενοι τὸ πρόβατον, ἀπέχεσθαι λέγουσιν *Nonnulli eos a lanis, ut & carnibus ovium, cultus & religionis cauſa, abſtinere dicunt.* Hic etiam nobis aliquid præſidii præbet *Jonathan paraphraſtes*, qui ſic reddit [c] ea *Moſis* verba, *non expedit ita facere, quia abominationem Ægyptiorum immolaremus Deo noſtro*, &c. [1] אמריא דהינון טעוותהון דמצראי וגו *Agni, cum ſiat Ægyptiorum idola, ex iis ſumeremus quod offerremus Domino Deo noſtro.* Sed ſi teſtes illi tacuiſſent, facile credi poſſet. Ægyptios ovem præcipua religione coluiſſe, qui vitulini cultus exemplum præbebant Iſraelitis; ſi quid fidei *Patribus* hic ὁμοθύμως tribuendum cenſeamus.

(2°.) HUC etiam inclinat animum, animalis in paſchate mactandi ſexus. Nam agnus eſſe debuit aut hœdus, maſculus, quo nihil ethnicorum, Ægyptiorum præcipue, dogmatis aut inſtitutis adverſius inſtitui potuit. Quantum inſtitutio illa Gentilium dogmatis & inſtitutis adverſabatur, inde conſtat, quod eorum plerique generis fœminini victimas plus apud Deos valere crederent; eaſque, cum ſacra maſcula parum prodeſſent, tanquam hoſtias ſuccidaneas, immolarent. Aſſertionis hujuſce fundum do [d] *Servium*, in illa *Virgilii* verba [—— Et cæſa jungebant fœdera porca] ſic diſſerentem; *in omnibus ſacris, fœminini generis plus valent victima: denique ſi per marem litare non poſſent, ſuccidanea dabatur fœmina: ſi autem per fœminam non litaſſent, ſuccidanea adhiberi non poterat.* Ægyptiorum vero ſuperſtitioni hæc paſchatis circumſtantia magis ex profeſſo opponi putetur, cum veriſimile ſit eos arietem jam olim pro Deo, vel Dei ſymbolo, coluiſſe. Nam Ægyptii originem a *Chamo*, & Ægyptus nomen a *Miſraim*, *Chami* filio, habuere; quorum ille *Hammon* dictus eſt, hic Μνεῦι vel *Oſyris*, & ille in [e] ariete, hic in tauro, cultus. Atque inde natum videtur, quod in *Zodiaci* ſignis, aries primum locum, taurus ſecundum teneat; Ægyptiis ſcilicet ita ordinantibus, qui Chaldæos in Aſtrologiæ ſtudio proxime ſequebantur. Ptolemæus itaque *Petoſyrin* Ægyptium τὸν ἀρχαῖον ſignanter appellat, quod nullum, aſtrologiæ nomine clarum, antiquiorem norat. Non itaque ſine cauſa creditur, Deum, in Deorum Ægyptiacorum contemptum, [f] arietem & bovem, in ſolenni paſchatis feſto, immolari voluiſſe. Ita [3] *Tacitum* crediſiſſe, probant verba illa, de Judæis dicta; *caſo ariete, velut in contumeliam* Hammonis: *bos quoque immolatur, quem Ægyptii* Apin vocant.

(3°.) SUADET etiam nonnihil, agni paſchalis ſeparatio ſolennis, die menſis [g] decimo, ut decimo quarto mactaretur. Quid enim agnum, tanto tempore antequam mactaretur, ſeponi voluit Deus, niſi ut Iſraelitæ omnem erga animal illud affectum ſuperſtitioſum deponere diſcerent, & ſe, non impetu aliquo temerario, ſed, conſulto & ſubducta ratione, vanitatibus Ægypti renunciare, & animal apud Ægyptios ſacratiſſimum mactare teſtarentur? Cl. [h] *Bochartus* præparationis hujuſce cauſas longe alias ex Hebræorum ſcriptis attulit, *viz.* 1. Ne in ipſo diſceſſu, ſi eo uſque hanc curam diſtuliſſent, negotiorum turba obruti id oblivioni traderent. 2 Ut accuratius obſervarent, an forte defectus aliquis in agno eſſet, 3. Ut ex agni aſpectu occaſionem haberent inter ſe colloquendi de ſua ex Ægypto redemptione. 4. Ut ſe mature accingerent ad feſtum futurum celebrandum. Haſce Judæorum rationes fuſe refutarem, ſi vel nugas agerem vel de captu lectoris dubitarem. Illud impendio probabilius eſt quod antea diximus, Deum nempe agnum paſchalem per quatriduі ſpacium ſeparari voluiſſe, ut Iſraelitæ animal illud non minore cum ſolennitate mactare, quam Ægyptii colere, viderentur; & ut animi Deo & inſtitutis ejus firmiter adhærentis clarum præberent argumentum.

a Παρὰ μόνοις τούτοις θύεται ἐν Αἰγύπτῳ πρόβατον. Lib. 17. p. 1155. C b Lib. *de Iſid.* p. 352. D
c *Exod.* 8. 26. d In *Æneid.* l. 8. col. 1347. e *Stat. tortis cornibus Ammon.* Lucan. l. 9. v. 514.
f 2 *Paral.* 35. 7, 13. & *Deut.* 16. 2. g *Exod.* 12. 3, 6. h *De animal ſacr.* P. 1. l. 2. col. 583.

1 Vid. *Polyglot. Walton.* Tom. 4. p. 116. verſ. 22.
2 *Rabbinis* ſolenne eſt, uti voce illa מעוּת *idolo* ſive *errore*, cum de *Chriſto* loquuntur; ita ſe habet *R. Sal. Jarch.* Jeſ. 9. 6. לא בא אותו טעות *non venit iſtud idolum* juxta *Edit. Venetam.*
3. Vid. *Hiſtor.* Lib. 5. P. 115.

SECT. I.

gumentum. Aliam rationem, noſtræ propinquam & cognatam, attulit [a] *R. Abraham Seba*, cur Deus agnum paſchalem die decimo ſeparari, & decimo quarto mactari juſſerit: eam vero, utpote ſpecioſam admodum, ab Ægypti moribus petitam, & libri cujuſdam perantiqui *de cultu Ægyptiorum* auctoritate ſuffultam, ſilentio præterire nequeo. Ipſum itaque auctorem, ſenſum ſuum verbis propriis ſic exprimentem, audiamus: על זאת הכוונה בעצמה צוה לעשות העבודה הזאת במילוי הירח: עת תוקף שמחתם והקרבתם למזל טלה — ואז צוה לשוחטו ולצלותו ולשרוף את הנותר וגו׳ *Propter hanc ipſiſſimam cauſam juſſit* Deus *ut cultum illum* paſchalem *celebrarent in plenilunio, quod* ſcil. *tempus eſſet quo maxime lætarentur illi*, Ægyptii, *& ſacrificarent planetæ arieti.* -- *Et tum juſſit eum*, agnum maſculum, *mactare*, *aſſare*, *&* ejus *reliquias comburere.* Et ſtatim poſtea, וכן הוא היום שהמצריים (inquit) בעשור לחדש מתחילין לעבוד עבודת הטלה — ולקרא דרור לכל עבד ולכל מלאכה וגו׳ *Inſuper, die menſis decimo, ipſo illo die quo Ægyptii incipiebant celebrare cultum* [b] *arietis, & prædicare libertatem ſervis omnique operi, & ſacrificare arieti, & imagini ejus carnali* (agno maſculo) *cultum exhibere*, &c. *placuit Deo, ut ritus illos coerceret, præcipere, ut illo ipſo tempore ſumerent agnum, eumque alligarent pedibus lecti, usque ad diem mactationis*, &c. Hanc, aut rationem quam dedi antea, cæteris omnibus præferendam arbitror, quod nullam veri ſpeciem ferat, Deum feſti *ſolius* paſchalis victimam tanto antea tempore ſeparari voluiſſe, niſi cultus arietis, aut alius aliquis ſuperſtitioſus Ægypti ritus, præcepto tam ſingulari occaſionem præbuiſſet.

(4°.) DEUS ea animalia quæ veteres Ægyptii maximi fecerunt, in lege ſua ſtudioſe viliſacere, & maxima cum contumelia tractare, videatur. Cum enim Ægyptii vaccam *Iſidi* ſacram, & cultu Divino proſequendam, exiſtimarent; Deus vaccam extra caſtra, tanquam animal evitandum, comburi [c] juſſit, & aquam luſtralem ex illius cineribus, ad populi immunditias eluendas, confici. Cum etiam Ægyptii eo dementiæ deveniſſent, ut hircis ſacrificarent, Deo placuit ut ſacrificia pro peccato ex hircino plurimum genere acciperentur, & hircus, convitiis & maledictis onuſtus, piaculi loco in deſertum dimitteretur. Cum etiam Ægyptii vitulum, tanquam *Apidis* aut ferttilitatis ſymbolum, ſingulari ſtudio colerent; pronum eſt obſervare, Deum, ad ſacrificia pleraque [pro peccato præcipue] vitulum ſepoſuiſſe. Ægyptii arietem etiam, tanquam *Hammonis* ſymbolum & cognatam arietis cœleſtis imaginem, præ cæteris animalibus ſacris, in honore habuere: ideoque par eſt credere, Deum (pro more ſuo) animal illud contumelia aliqua ſingulari afficere voluiſſe. Quid autem in animalis illius contemptum & contumeliam magis cedere potuerit, quam quod Deus illud mactari, ſanguinem ejus ſuper poſtes aſpergi, aſſari, & partes ejus reſiduas comburi, juſſerit?

(5°.) HUIC conjecturæ firmandæ accedat, odium illud capitale quo Ægyptii præcipue Judæorum geutem inſectabantur. Hoc e *Philone* cognoſcere licet: cum enim Agrippa, rex Judæorum, Romani Cæſaris gratiam iniiſſet, & ad Alexandriæ portum, ad ſuos rediturus appuliſſet; [d] *Ægyptii*, inquit, *rumpebantur invidia*, καὶ διὰ τὴν παλαιὰν καὶ τρόπον τινὰ γεγενημένην πρὸς Ἰουδαίους ἀπέχθειαν, &c. *& ob inveteratam & pene hæreditariam cum Judæis ſimultatem, ægre ferebant, extitiſſe Judæorum regem quempiam, haud aliter quam ſi ipſi avito regno exturbarentur ſinguli.* Alia odii hujuſce hoſtilis teſtimonia [e] alibi ex antiquis produxi, quæ jam tacitus prætereo, ne aurium faſtidia irritarem. Difficile eſt autem odii hujus inveterati & pene nativi fontem & radicem recludere, niſi dicamus, ſacra plane diverſa ſimultates illas antiquitus proruliſſe, eaſque una cum ſanguine Ægyptiorum ad ſeros eorum nepotes tranſiiſſe. Probe norant, Iſraelitas non tantum ab eorum ſacris diſceſſiſſe, ſed ea ſtatutis plane contrariis quaſi ſugillaſſe, & eorum Diis omnibus bellum apertum denunciaſſe. Manſit proculdubio alta mente repoſitus, *in caſo ariete contemtus Hammonis*, ſpretique injuria tauri, tot vitulis altari dicatis maniſeſta. Hinc, inter gentes illas, inimicitias tam fatales olim exarſiſſe, & ad ipſa *Philonis* tempora duraſſe, res per ſe credibilis eſt, & e [f] *Manethonis* Ægyptii verbis facile colligenda. Nam ille, *Moſi* & ſequacibus ejus odium & invidiam conflare ſtudens, ait *Moſem* (*ſacerdotis Heliopolitani* titulo velatum) *legem iis poſuiſſe, ut neque Deos adorarent*, μήτε τῶν μάλιστα ἐν Αἰγύπτῳ θρησκευομένων ἱερῶν ζώων ἀπέχεσθαι μηδενός, πάντα τε θύειν καὶ ἀναλοῦν· *neque ab animalibus, quæ præcipue ſacra apud Ægyptios erant, ſe penitus abſtinerent, ſed omnia ſacrificarent & abſumerent.* E quibus apparet, Manethonem & alios Ægyprios, eo præcipue nomine Judæos inviſos habuiſſe, quod *animalia* quæ vocabant *ſacra* contemnerent, & eorum divinitatem non tam verbis quam dentibus refutarent.

a In *Tzeror. Hammor. fol.* 70. col. 4. b *Quod eo die ſol ſignum illud ingrediatur.* c *Num.* 19. 3, 17.
d Lib. *in Flac.* p. 969. B e *V.* Pag. 284. f *Ap. Joſeph. cont. Apion.* l. 1. pag. 1353. 15.

(6°.)

(6°.) Huic opinioni non leve momentum afferunt circumſtantiæ illæ plane peculiares, in paſchatis primi celebratione, ſolenniter obſervandæ. Nam (1°.) Sanguis agni, non in populum, ſed ſuperliminare & anteriores ædium poſtes, aſpergi debuit. Quid autem Deus tam curatè præciperet ut paſchalis victimæ ſanguis, non ſolum in poſtes ſed ſuperliminare, non interiorem aliquam, ſed maxime apertam & expoſitam ædium partem ſpargeretur; niſi ut agnum illum in infimum animalium ordinem ſtudioſe deprimeret, & quod Ægyptii maxime colebant, Iſraelitæ ſe plane contemnere, palam & aperte declararent? Rem ita ſe habere atque ego cenſeo, *Maimonidi* perquam probabile videbatur; poſtquam enim dixiſſet, idololatras antiquos jumentorum mactationem abominatos fuiſſe, & tres illas animalium ſpecies, arietes, hircos & boves, in honore præcipuo habuiſſe; ſubjungit, [a] *hoc fine præcepit nobis* Deus, *in die paſchatis mactare agnum, ejusque ſanguine anteriorem ædium noſtrarum partem aſpergere; tum ut nos a pernicioſis iſtis opinionibus purgemus, tum ut contrarium illarum profiteamur, hominibusque perſuadeamus, actionem illam quam illi mortiferam judicabant, a morte liberare; ſicut dicitur*, [b] tranſiliet Dominus juxta oſtium, neque permittet vaſtatorem ingredi domos veſtras ad perdendum. (2°.) Paſchatis agnus eo ipſo tempore mactari debuit, quo in procinctu jam ſtabant, ut in Deſertum abirent, & Ægypto valedicerent. Quid autem Deus agnum eo temporis articulo mactari voluit; niſi ut in ipſos Ægypti Deos; quos populi ſui dentibus tradidit, vindictam exerceret; ut Iſraelitæ Ægypti ſervituti ſimul & idololatriæ valedicerent; & experti cognoſcerent agnum plus commodi mactatoribus quam cultoribus ejus allaturum? Præterea, cum Deus agnum, in ipſo quaſi conſpectu Ægyptiorum, immolari juſſit, [c] *Moſem* ab eorum metu liberavit, & ſummæ ſuæ potentiæ documentum dedit, qua Ægyptios, tam aperto Deorum ſuorum contemtu & injuria laceſſitos, a vindicta refrænavit. Tertia Paſchatis circumſtantia, quæ nobis argumentum præbet, ea eſt, quod agnus ille, non ſolum in Ægypto, ſed & terra promiſſa, a familiarum patribus offerebatur. Moris hujusce fidem indubitatam nobis aſtruit [d] *Philo*; hæc, inter alia, de Paſchatis feſto referens; οὐχ ὁ μὲν ἰδιώτης προσάγει τῷ βωμῷ τὰ ἱερεῖα, θύουσι δ' οἱ ἱερεῖς, ἀλλὰ νόμου προστάξει σύμπαν τὸ ἔθνος ἱερᾶται, &c. *Non homines e vulgo victimas adducunt ad altare, ut mactent ſacerdotes; ſed jubente lege tota gens ſacrificat*, ſeu ſacerdotii munere fungitur, *dum pro ſe quisque hoſtiam ſuam & adducit & mactat.* Quid autem paſchatis agnus, præter morem aliorum ſacrorum, a parte cujusque familiæ (non a ſacerdote) mactaretur, niſi quod ſolennitas illa non minus ſuperſtitionis quam ſervitutis Ægyptiacæ monimentum eſſet; & æquum eſſet; ut quisque (facto illo) ſuperſtitionibus Ægypti renunciaret, cum redemptionis ab Ægypti ſervitute memoriam celebraret?

Si hæc omnia trutina non prorſus iniqua perpendantur, parum dubito quin ſententia noſtra fide non indigna videatur.

Superest jam ut quatuor objectionibus occurramus, quibus nonnulli (ſi quid prævidere datum eſt) opinionem noſtram refellere ſtudebunt. 4 Objectionibus occurritur.

Harum prima hujusmodi eſt: e doctorum ordine non pauci ſentiunt, ζωολατρείαν apud Ægyptios; ævo ſaltem Moſaico, minime viguiſſe. Nec facile credi poteſt, Ægyptios ad ultimam illam ſuperſtitionis & inſaniæ lineam, ſeculis illis antiquioribus, pervenire potuiſſe. Ideoque ruat neceſſe eſt, ſententia quam ipſe aſtrun, cum fundamento tantum arenoſo innixa videatur. 1°.

Nonnullos, doctorum titulo digniſſimos, huic opinioni favere, minime diſſitendum eſt. Mulrs vero me tenent, quo minus in eandem ſententiam tranſeam: nempe, (1°.) Locus ille modo citatus, *Exod.* 8. 26. Ubi *Pharaoni*, in Ægypto ſacrificari jubenti, ſic reſpondet *Moſes*; *non expedit ita facere, quia abominationem Ægyptiorum immolaremus Deo noſtro, &c. Et, ſi abominationem Ægyptiorum immolaremus, nonne illi nos lapidarent?* Quaſi dixiſſet, "nos boves, oves, & capras, quas Ægyptii co-"lunt, immolare debemus, quod illis abominabile eſſet, eosque ad furorem provo-"caret. Sic locum hunc, non ſine fiducia aliqua, interpretamur, *Onkeloſi*, *Jonathanis*, *Syri*, & *S. Hieronymi*, exemplo & auctoritate confirmati. Eorum paraphraſin integram lectori dabit *Cl.* [e] *Bochartus*, auctor non difficulter adeundus. (2°.) Hiſtoria ſacra: nam inde liquido conſtet, Iſraelitas, Ægypto nuper egreſſos, [f] hircos & [g] vitulum ſacrificio coluiſſe. Eos autem, hac in re, ad ritus Ægypti quibus diu aſſueverant, eorum mores direxiſſe, veterum conſenſu & rei ipſius probabilitate ſatis confir- Diluitur.

a *Mor. Neb.* P. 3. c. 46. b *Exod.* 12. 23. c *Exod.* 8. 28. d *De Vita Mos.* lib. 3. p. 686. e *De animal. ſac.* l. 2. col. 644. f *Lev.* 17. 7. g *Exod.* 32. 8.

SECT. I. matut. Iſraelitas quidem vitulum aureum, non ad idoli alicujus *Ægyptiaci*, ſed Cherubi ſacri, Aaroni in monte viſi, exemplar efformaſſe, a nonnullis dicitur quidem, ſed (ſi libere promam quod ſentio) a nemine probatur. Sed hac de re non eſt quod multum laboremus, cum Iſraelitas hircos in Ægypto, vel deſerto, coluiſſe, textus modo laudati verbis aperte confirmetur. (3°.) Teſtimonium [a] auctoris Apocryphi, qui diſerte dicit, antiquos Ægyptios, *mutos ſerpentes*, καὶ [i] θηρία εὐτελῆ *& animalia vilia coluiſſe*. Et [b] alibi, eos *pro Diis habuiſſe* τὰ καὶ ἐν ζώοις τῶν ἐχθρῶν ἄτιμα, *illa etiam e brutis, quæ ab inimicis ſuis* (nempe Hebræis) *contemptui habebantur*; in quorum nempe ſacris quotidianis bruta illa, non Deorum, ſed ſacrificiorum tantum, locum obtinebant. (4°.) Perantiqua Judæorum traditio, quæ nonnulla veritatis rudera continere videatur. [c] Nempe dicunt illi, ſingulos Iſraelitas, cum in Ægypto viverent, agnum habuiſſe die decimo lectorum ſpondæ alligatum; & rogantibus Ægyptiis, quorſum id fieret, reſpondiſſe, ſe in Dei honorem die decimo quarto mactaturos; hoc autem Ægyptios male habuiſſe, quod arietis ſignum eo menſe colerent. (5°.) Sacri codicis uſus & conſuetudo: in eo nempe ſæpe cautum eſt, ne Iſraelitæ ad Ægypti ſemitas deflecterent, ne in Ægyptum deſcenderent, aut iis quicquam commercii cum Ægyptiis intercederet. Inde vero facile colligendum eſt, nihil Ægypti moribus & inſtitutis corruptius & a vera ſapientia remotius fuiſſe, vel ſeculis illis antiquiſſimis. (6°.) *Manethonis* Ægyptii, *Jonathanis* paraphraſtis, & *Joſephi*, teſtimonia: *Manethon* a me facit, hæc de Solymitis quibusdam, Moſi συγχρόνου, memoriæ [d] tradens; *non ſolum civitates & vicos concremarunt, ſacrilegia facientes, & Deorum idola devaſtantes*, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀδύτοις ὀπτανίοις τῶν σεβαστευομένων ἱερῶν ζώων διετέλουν *Sed & ipſis culinis eorum, ſacris animalibus utentes*, ea crudeliter abſumpſerunt. His aperte fatetur Manethon, cultum animalium, ætate Moſis, apud Ægyptios invaluiſſe. Superſtitioni huic antiquitatem paulo majorem tribuit Jonathan, qui verba illa ([e] *Quia id Ægyptiis eſt abominatio*) ſic interpretatur, *quia beſtias, quas Ægyptii colunt, Judæi comedunt*. *Joſephus* cultus hujus originem ab ipſis gentis illius incunabulis arceſſendam cenſuit: poſtquam enim dixiſſet, Ægyptios *ipſa bruta arbitrari Deos*; [f] addit, eos, *a rerum ſuarum exordio, peſſima de Diis opinari ſolitos*. His omnibus addi poteſt, vix poſſibile eſſe, legum quarundam Moſaicarum rationem ſatis ſolidam expedire, niſi demus animalium cultum, in Ægypti mores, ante Moſis tempora, receptum fuiſſe.

2°. SECUNDO: objiciet forte non-nemo, ceremoniarum paſchalium apparatum alio collimaſſe: nempe, ut memoriam liberationis ab Ægypti ſervitute & plagis in Ægyptios inflictis ſubinde renovarent Iſraelitæ. Quilibet enim feſti paſchalis ritus ita comparatus eſt, ut inſignem aliquam ſervitutis aut redemptionis illius circumſtantiam ad eorum memoriam revocaret. Hoc multis evinci poſſet, ſi rebus conſortum pueris probe notis immorari liceret.

MINIME negandum eſt, Iſraelitas, cum ritus paſchales agerent, liberationis ſuæ, ab Ægypti plagis & ſervitute, memoriam coluiſſe. Si quis veritatem tam apertam in dubium vocaret, temeritatem ejus vel ipſum paſchatis nomen abunde redargueret. At, ſi rituum Paſchalium momenta omnia bene penſitemus, facile percipiamus, Deum non ea ſola de cauſa ritus illos inſtituiſſe, ut ſervitutis aut redemptionis Ægyptiacæ imaginem exhiberent, & Iſraelitæ utriusque memoriam firme retinerent. Si enim hoc ſolum in conſilio habuiſſet Deus, cum ritus paſchatis inſtitueret; nil opus erat ut agnum, eumque maſculum, anniculum, quatridui ſpacio a grege ſeparatum, tandem aſſandum, & integre comedendum, poſtularet. Quælibet alia victima (hircus, vitulus, ovis) paucioribus circumſtantiis immolata, monimenti vice fungi poſſet, & agni paſchalis partes perimplere.

3°. TERTIO: inſtabit forſan aliquis, quod ſententiam meam veri diſſimilem reddat ratio illa myſtica, quam novi Teſtamenti ſcriptores, aliique, cuivis pene paſchatis circumſtantiæ accommodare videntur. Quantum enim e ſcriptoribus illis conjicere licet, victima paſchalis, agnus, maſculus, integer, die decimo ſepoſitus, mactatus, aliisque circumſtantiis notabilis, eſſe debuit; ut in agno paſchali, aliquid in Chriſto, paſchate noſtro, conſpicuum depingeretur, & ob oculos Hebræorum poneretur. Nam Chriſtum ſæpius *agnum* vocant, [g] *agnum occiſum*, agnum ἄμωμον καὶ ἄσπιλον, *ſanctum*, [h] *ſegregatum*

a *Sap. Salomon.* c. 11. v. 15. b *Cap.* 12. 24. c *V. Bochart. de Anim. ſac.* P. 1. col. 583.
d *Ap. Joſeph. contr. Apion.* l. 1. p. 1354. 15. e *Geneſ.* 43. 32. f Κακῶς ἐξ ἀρχῆς ἀνθρώπων δοξάζειν περὶ Θεῶν. Lib. 1. *contr. Apion.* p. 1351. 40. g 1 *Pet.* 1. 19. *Apoc.* 5. 6. h *Hebr.* 7. 26.

i Θηρία, non legitur, ſed κνώδαλα juxta MS. *Alex.* (male autem) κνώδαλα.

a pec-

a peccatoribus, partum [a] *maſculum:* & obſervatu non indignum eſt Chriſtum illa ipſa die, nempe [b] decima menſis *Niſan*, veniſſe Hieroſolymam, qua Deus agnum in Ægypto ſeponi juſſit. Multa alia ſimilitudinis exempla inter agnum Dei & agnum paſchatis obſervarunt [c] *Bochartus*, [d] *Huetius*, aliique, qui in hoc dicendi campo ſeipſos exercuerunt. SECT. I.

SAT ſcio ſententiam hanc in multorum animos alte deſcendiſſe, nempe pleraſque legis, paſchatis præcipue, ceremonias, velut evangelii proludia & rerum cœleſtium σκιαγραφίας, a Deo inſtitutas. Huic ſententiæ & ipſe magis faverem, ſi validiore argumento quam conjectura tenuique ſimilitudine niteretur. Non diffitendum eſt, multa legis & paſchatis inſtituta fuiſſe, quibus multa in vita & morte Chriſti, tanquam parallela reſponderunt: at perperam inde colligitur, Deum omnia feſtum paſchale ſpectantia, ea præcipue de cauſa ſtatuiſſe, ut imaginem quandam rerum in Chriſto futurarum exhiberent. Nam certum eſt, Judæos antiquiores ultra rituum corticem & ſuperficiem ad ſenſa (ſi quæ laterent) myſtica minime penetrare potuiſſe. Nec minus in aperto eſt, multa paſchatis inſtituta, ad Chriſtum, niſi collo obtorto, trahi non poſſe. Nam, lege permittente, non agnus tantum, ſed & hœdus, victimæ paſchalis locum non raro occupavit: quamvis autem Chriſtus ſub *agni* nomine quandoque proponatur, illum ne ſemel quidem in ſcripturis *hœdi* nomine notari videas. Et (ut alia jam taceam) quid eſt in Chriſti vita vel morte quod in agno aſſato depingi vel adumbrari potuit? ne multis morer: in eo elucet ſummi legiſlatoris ſapientia, quod, feſtum paſchatis, quo nihil celebrius habuit Hebræorum cultus tam variis ceremoniis obſervari voluit, ut tempus præteritum, præſens, & futurum, ſimul reſpicere videretur. Præteritum, quatenus liberationis ab Ægypti plagis & oneribus memoriam ſæpius inſtauraret: præſens, quatenus illius ritus & inſtituta Zabiorum moribus tunc paſſim obtinentibus ἐκ διαμέτρου opponerentur: futurum, quatenus in aliquibus feſti illius inſtitutis, ſchema vel imago quædam paſchatis noſtri ([e] Chriſti ſcilicet) olim offerendi, ob oculos Judæorum ſagaciorum contemplanda poneretur.

QUARTO: alii forſan objicient, haud ullos e doctorum claſſe reperiri, quibus hæc ſententia placuit, aut qui eam calculo ſuo dignati ſunt. Quivis itaque, eam non minus falſam quam novam eſſe non injuria ſuſpicetur. 4°.

UT huic objectioni cumulate ſatisfaciam, eam Judæorum ſimul & Chriſtianorum teſtimoniis munitam dabo. Jam dicta firmantur teſtimoniis.

HORUM primum nobis ſuppeditat *Menaſ. Ben Iſrael*, his verbis: [f] *R. Levi Ben Gerſon vult Iſraelitas, mactato ariete & ſanguine ejus poſtibus allito, certiſſimo ſigno oſtendiſſe, ſe penitus ex animis ejeciſſe pravam Ægyptiorum opinionem, arietem adorare ſolitorum: quando non ſolum mactarent eum, verum & ſanguine ejus poſtibus allito, palam illud teſtarentur.* Quibus ſubjungit, hanc ſententiam non tantum *R. Levi*, ſed & *Iſaaco Abarbaneli*, & antiquis ſapientibus placuiſſe. Lev. R. Gerſon.

EJUSDEM valoris teſtimonium nobis præbet auctor *Chronic. Orientalis*, quod Latio donavit *Abraham Ecchellenſis:* nam auctor ille, diem ſepoſiti & mactati Paſchatis enarrans, [g] *erat*, inquit, *dies iſte quo Sol ingreſſus eſt primum ſignum Arietis, — eratque dies ille ſolennis ac celeberrimus apud Ægyptios: atque ideo præceperat Deus, ut immolarentur animalia quæ colebant* illi, *& aſpergeretur ſanguis eorum ſuper portas filiorum Iſrael.* Auctoris Chron. Orient.

CUM auctoribus illis facere videtur [h] *R. Bechai*, qui præcepto, de agno paſchali mactando & ſanguine ſuo in poſtes aſpergendo lucem allaturus, hæc habet, פירש הרמבם בטעם המצוה הזאת בעבור שמזל טלה בחדש ניסן בכחו הגדול כי הוא מזל הצומח לכן צוה לשחוט טלה לאכול אותו להודיע שלא וכו *Scripſit Maimonides, in ratione hujus præcepti, quod propterea quod planeta* Aries *in menſe* Niſan *maxime valeret, & hic planeta fructus germinare faceret; ideo juſſit* Deus *mactare arietem & illum comedere, ut indicarent nos non egreſſos eſſe propter virtutem* ejus, *ſed decretum Dei. At*, inquit, *ſecundum opinionem doctorum, id factum fuit, quia Ægyptii colebant eum.* R. Bechai.

HIS accedat teſtimonium *R. Abraham Seba*, Judæi qui circa annum Chriſti 1510. floruit. Ille, inter alia aliqua e fide libri cujuſdam *de cultu Ægyptiorum* memorata uſu veniſſe [i] refert, ut Ægyptii menſes ſuos juxta idolorum ſuorum nomina appellarent, eoſque a plenilunio ad plenilunium numerarent: & tandem hæc addit inſtituto præſenti apprime cohærentia, ומתחילין מנין החדשים מעת הכנס השמש בראש מזל טלה והוא החדש R. Abr. Seba.

a *Apoc.* 12. 5. b *Jo.* 12. 1, 12. c *De Animal. ſac.* P. 1. col. 613. 614. d *Demonſt. Evang.* Prop. 9. Cap. 170. §. 8. e 1. *Cor.* 5. 7 f *In Conciliat.* p. 123. g *Pag.* 7. h *R. Bechai in Exod.* 12. fol. 80. col. 1. i *Comment. in Legem.* fol. 70. col. 4.

Sect. II. שכלו חג להם ועושין לו כבוד בעבודתם מכל חדשיהם וגו *Incipiebant autem illi numerare menſes* ſuos *ab eo tempore, quo Sol ingrediebatur in initium planetæ* Arietis, *atque is menſis totus feſta ſolennitate celebrabatur, & illi magnum honorem exhibebant, in cultu ſuo, præ omnibus reliquis menſibus. Deo itaque viſum eſt mundare Iſraelitas, eoſque longe removere a ſtatutis gentium, & factus eſt menſis hic iis principium menſium. Quaſi dixiſſet, illi menſem incipiunt a plenilunio, cum Luna eſt in robore ſuo, vos autem menſem incipietis a nativitate ejus. Illi etiam parcunt opibus* (i. e. pecudibus) *ſuis, & ideo non comedunt carnem arietis, vos autem ſumite illum ad mactandum eum, & aſſate illum, & comedite carnem ejus, & reliquum comburite. Illi ſuffitum offerunt ei, & ſaltant coram eo; vos vero ſanguinem ejus ponite in limine ut videatur, aſſate carnem ejus, ut omnes olfaciant*, &c.

Guil. Pariſienſis. Hæc abunde probant, opinionem hanc gentis recutitæ magiſtris antiquioribus arriſiſſe. Chriſtianos etiam nonnullos eam in animos admiſiſſe, docet [a] *Guilielmus*, ante annos pene quingentos epiſcopus *Pariſienſis*. Ille ritus paſchatis pluribus perſecutus, hæc habet: *in hoc quod agnum in ipſa Ægypto immolari juſſi ſunt* Iſraelitæ, *& ſanguinem ejus linire ſuper liminaria domorum ſuarum, & utrumque poſtem; -- ab idololatria Ægyptiorum juſſi ſunt recedere, & contrarium cultum ſuſcipere. Ægyptii enim arietem colebant, & (propter hoc) comeſtionem arietis aut agni mortiferam ſibi putabant*, & *ſanguinem ejuſdem peſtiferum: admiranda igitur prudentia, in his liberati ſunt filii Iſrael, & ritui divino quodammodo initiati; ut ſimul & a ſervitute Ægyptia eriperentur, & a ſervitute nefanda idololatria liberarentur, ſalutiferamque experirentur comeſtionem agni, & ejuſdem ſanguinem a morte protegentem.*

Steuchi Eugubini. Testium meorum agmen claudat [b] *Steuchus Eugubinus*: ille locum illum obſcurum, *exercuit ultionem in Deos Ægyptiorum*, illuſtrare ſtudens, *dicunt*, inquit, *nonnulli hoc ad cornigerum Hammonem pertinere, quem Ægyptii honore præcipue venerabantur;* & *ad* ejus *divinitatem infringendam Deum Hebræis agnum* maſculum [ſymbolum ejus] *comedere juſſiſſe, ut commonſtraret, eum non eſſe Deum quem Hebræi abſumerent.*

Si lector hæc omnia perpendat accurate; non ægre credet, Deum agnum maſculum in paſchate mactari voluiſſe, ut Ægypti ſuperſtitionibus occurreret, & caveret, ne εἰδωλολατρείας inſania populi ſui mores & mentes inficerentur.

SECT. II.

Circumſtantia ſecunda, *ne quid ex agno paſchali crudum ederetur.*

CIRCUMSTANTIA ſecunda in feriis paſchalibus obſervanda; his verbis apud [c] *Moſem* traditur, אל תאכלו ממנו נא *non comedetis ex eo*, agno nempe paſchali, *crudum* quid. In legis hujuſce ſenſu ſimul & ratione perveſtiganda, interpretes plerique, multum quidem, ſed incaſſum, laborarunt. Nos id jam ſedulo agemus, ut utraque magis in apertum proferantur.

De ſenſu legis tres ſententiæ. Ut ad rationem legis aditum patefaciam, a verbis ejus auſpicari debeo. Inter ea, vox illa, נא principatum tenet. Eſt autem vox ea, una ἐκ τῶν ἅπαξ λεγομένων, ideoque de vocis illius intellectu non adeo inter doctos convenit.

1°. Nam *Oleaſtrius* hanc vocem, *fractum & diſſectum* reddit; tanquam a verbo נוא quod *frangere & diſſecare* ſonat: eo quod longe abſit a veri ſpecie, Deum crudæ carnis eſum populo ſuo prohibuiſſe; ac ſi leonibus ὠμοφάγοις affines eſſent; & animalium carnes adhuc palpitantes & a vita calentes edere voluiſſent. Hac ratione perſuaſi, ita & doctores quidam [d] anonymi e circumciſo grege judicarunt. Quantum itaque capio, ſentiunt auctores illi, Deum agnum integrum aſſari & comedi præcepiſſe, non per partes diſſecari, ut fit in iis quæ coctione præparantur. Hanc autem interpretationem, utpote nec veterum auctoritate, nec veritatis ſpecie decoratam, rejicere non dubitemus. Quis enim, niſi ſanæ mentis expers, ſibi perſuadere poteſt, Deum *Moſi* dixiſſe, *non comedetis agnum diſſectum?* quamvis enim agnus integer aſſari poteſt, comedi tamen niſi diſſectus aut diviſus non poteſt.

2°. Multi alii, e circumciſa ſimul & baptizata gente, vocem נא non carnem plane crudam, ſed ſemicrudam, & non tam aſſam quam uſtulatam, notare arbitrantur. Ita ferebat opinio [e] *Maimonidis*, cui נא eſt הבשר שהתחיל בו מעשה האור ונצלה מעט ואינו ראוי לאכילת אדם וגו *Caro quam ignis incepit afficere, quaque, utcunque toſta, nondum ta-*

a Lib. *Laudat.* p. 33. D. b *Annot. in Num.* 33. 4. c *Exod.* 12. 9. d *Ap. Aben — Ezr. in loc.* e *In Paſc.* c. 8. §. 6. Fol. 284. col. 2.

men

men ad hominis eſum eſt idonea. Salomo quoque & *Kimchius*, referente *Bocharto*, explicant, *quod non eſt toſtum aut coctum* כל צרכו *quantum ſatis eſt.* Eidem ſententiæ ſtudet auctor ille celeberrimus, qui *rem hanc e lingua Arabica certiorem* [a] dicit qua נא vel ני *Ni* carnem tantum ſemicrudam notare, ex *Aben-Ezra*, *Golio*, *Camo*, *Avicenna*, aliisque, ſe ratum & indubitatum feciſſe ſentit: unde tandem in hæc verba concludit: [b] *Deus itaque non* ſimpliciter *prohibet*, *ne comedatur agnus omnino crudus, quod etiam Judæi, nullo vetante, facturi non erant; ſed, ne comedatur ſemi-coctus, & ſolum* מהבהב uſtulatus, *ut hic habet Hieroſolymitana verſio. Nempe*, inquit, *coquorum incuria ſæpe accidit, at non* tam *perfecta ſit coctio: -- quandoque etiam caro ſemi-cocta comeditur, per immoderatam helluonum ingluviem, quæ nullas patitur moras. Et fuere qui dapes prope crudas eripuerint, non ſolum ex popinis, ſed etiam ex locis ſacris.* Hoc de filiis *Eli* teſtatur hiſtoria ſacra, 1 *Sam.* 2. 13. de aliis Poeta: Sect. II.

Eſt etiam e mediis victima rapta focis.

Hunc autem, & alios opinionis illius patronos, a vero vocis hujusce ſenſu & legis ſcopo deviaſſe, mihi facile perſuadeo. Non eſt enim vel ſimile vero, Hebræorum gentem ventrem ingenii tam exigui largitorem habuiſſe, ut a carne ſemi-cocta (præſertim agnina) niſi lege aliqua prohibiti, temperare nollent. Proculdubio, ſi vel ſanitati propriæ vel honori convivii ſacri conſuluiſſent, agnum bene coctum (non uſtulatum tantum, & fœdam ſui ſpeciem præbentem) ſponte ſua menſis curaſſent apponendum. Sed & ea proculdubio religio Judæos tenuit, ut nollent, helluonum aut atheorum ritu, ſacra e mediis quaſi focis rapere, vel quicquam feſti paſchalis dignitati minime conveniens perpetrare. Quid itaque Deus Iſraelitis legem traderet, quam duo forſan aut nemo unquam violarent?

Mihi itaque conſultius viſum eſt, vocis hujusce ſenſum, non tantum a noſtris *Anglicanis*, ſed & antiquis interpretibus, receptum retinere, eamque de carne plane cruda, nec ignem omnino experta, interpretari. Sic enim Chaldæus hanc legem explicat, לא תיכלון מנה כד חי *non comedetis de eo adhuc vivo* vel *crudo:* & illius veſtigiis inſiſtit interpres *Syriacus*. Senſum eundem confirmat *Græcorum* verſio, Οὐκ ἔδεσθε [1] ἀπ' αὐτῶν ὠμόν· *Non comedetis de eis*, carnibus, *crudum:* nam vox ὠμὸς cibum aut fructum crudum, & qui nullam a calore externo mutationem paſſus eſt, apud Græcos indicat. *Homerum* teſtem appello, *Odyſſ.* μ.

——Κρέα δ' ἀμφ' ὀβελοῖς ἐμεμύκει [2]
Ὀπταλέα τε καὶ ὠμά.——

Ubi κρέα ὀπταλέα τε καὶ ὠμά, *carnes aſſaque & cruda*, ſibi invicem opponuntur, prout & ὀπτὸς & ὠμὸς ἰχθὺς, apud *Athenæum*, lib. 8. & ἑφθὰ ac ὠμὰ ᾠά, lib 13. Hinc etiam pateat, vocem נא non carnem tantum uſtulatam, ſed crudam denotare, quod, in ipſa hac lege, נא rei *cocta in aquis* & *aſſa ad ignem* opponatur. Nec fidem hiſce derogat linguæ Arabicæ uſus quo ſententia *Bocharti* nititur: in ea enim, auctore [c] *Schindlero*, vox *nei* non tantum *ſemicoctum*, ſed plane *crudum* denotat: atque eo ſenſu verſionis Arabicæ interpres latinus hanc vocem [d] tranſtulit. His addi poteſt, quod hæc interpretatio loco quem præ manibus habemus eo magis conveniat quod ratio aliqua reddi poſſit, cur Deus crudum, vix ulla vero cur ſemicrudum prohibuerit.

Si vero in tantis tenebris hiſcere liceret, dicerem, Deum carnem crudam a paſchatis ritibus præcepto ſpeciali removiſſe, quod uſus carnis diſcerptæ & ſanguine recenti horridæ, in Dæmonis feſtis & ritibus fœderalibus plurimum olim invaluerat. Gentium religionem, ipſa pene Natura reclamante, ritum illum horridum invexiſſe, e [e] *Julio Firmico* diſcimus, qui pompam, in Bacchi honorem celebratam, ſic nobis deſcriptam dedit: *illic inter ebrias puellas, & vinolentos ſenes, cum -- ſcelerum pompa præcederet, alter nigro amictu teter, alter oſtenſo angue terribilis, alter cruentus ore, dum viva pecoris membra diſcerpit*, &c. E quibus verbis, lux effulget *Euripidi* in [3] *Bacchis*, cum ait, στεφάνωσιν τε δρακόντων στεφάνοις, quibus ſtatim addit, ὠμοφάγον χάριν Ethnicos ritu illo immani feſta ſua ſolenniora non raro celebraſſe, [f] *Plutarchi* teſtimonio confirmatur: ἑορτὰς δὲ καὶ θυσίας, ὥσπερ ἡμέρας ἀποφράδας καὶ σκυθρωπὰς, ἐν αἷς ὠμοφαγίαι καὶ

Uſus carnis crudæ vetitus in paſchate:

a *De animal. ſac.* P. 1. col. 594. b Pag. 595. lin. 20. c *Lexic. Pentagl.* in voc. נא d *V. Bibl. Polyglot.* in *Exod.* 12. 9. e *De error. profan. relig.* p. 10. f Lib. de *Orac. Defect.*

1 Juxta *Editionem Aldinam* ἐπ' αὐτῷ.
2 Vers. 395. Juxta *H. Steph.* ἐμέμυκεν, male autem; *Barnes* in loc.
3 Vers. 101, 139.

 διαſ-

SECT. II. διασπασμοί, &c. Θεῶν οὐδενί, δαιμόνων δὲ [1] πονηρῶν, ἀποτροπῆς ἕνεκα, φήσαιμ' ἂν ἐπιτελεῖσθαι, &c. *Feſta vero & ſacrificia, ceu dies nefaſtos & horribiles, in quibus caro cruda comeditur, & diſtractiones corporum* fiunt, &c. *nulli Deorum conſecrari dixerim, ſed malis Dæmonibus avertendis peragi.* Hujusmodi ſolennia, inquit [a] *Petrus Caſtellanus*, Ὠμοφάγια, Latioe *crudivora*, *appellata* ſunt, *quod Myſtæ furentes &* numine *pleni*, *quo præſentius numen oſtentarent*, *anguibus redimiti*, *crudas carnes ore dilaniarent.* Atque inde factum quod Bacchus, in cujus honorem ſacra illa ferina plurimum peragebant, Ὠμηστὴς Διόνυσος *crudivorus Bacchus*, quaſi oomine peculiari, diceretur. Hic autem ritus inhumanus (ne quis erret) intra Bacchi ſolennia ſe minime continuit, ſed & aliorum Deorum ceremoniis novum horrorem & fœditatem addidit. Hinc [b] *Arnobii* illa, *caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus diſſipatis.* Et in gentium antiquarum moribus radices tam altas egit, quod ad extrema Gentiliſmi tempora duraverit, ſi quis hac in re [c] *Benjamini Tudelenſi* fidendum putet. Ille, de idololatris quibusdam orientalibus verba faciens, *hi*, inquit, *neque panem edunt, neque vinum bibunt; ſed crudis animalium tam immundorum quam mundorum carnibus veſcuntur, iisdemque vel recentibus & adhuc ſanguine vivo palpitantibus, vel etiam aridioribus, verum incoctis: rapta etiam ex animantibus viventibus membra devorant.*

Et quare. NE itaque (ut ad priora redeam) Iſraelitæ titum illum, ad ſolos barbaros ablegandum, æmularentur, aut paſcha Domini quicquam Dæmonum menſis & myſteriis nimis affine retineret; lege diſerta cautum eſt, ne paſcha celebrantes crudum comederent, immani illi Cyclopi ſimiles, de quo apud [2] *Poetam* Achæmenides,

—— Vidi, atro cum membra fluentia tabo
Manderet, & tepidi tremerent ſub dentibus artus.

In hanc ſententiam pedibus item, ſi nihil me moveret aliud quam quod legis hujusce rationem ſpecioſam admodum reddere doceat; & quod ratio hæc (utpote a ſeculi ſuperſtitione petita) aptiſſime cohæreat cum iis quæ dixi antea, de ratione legis agnum maſculum poſtulantis. Sed alias majoris momenti rationes in promptu habeo, quæ animum meum huic ſententiæ devioctum tenet.

Ratio probatur. HARUM prima ſit hæc: fide omni caret, Iſraelitas crudum comedere, vel Deum illius eſum vetare voluiſſe, niſi ſeculi ſuperſtitio motem illum inhumanum induxiſſet. Nam [d] *arbitrati ſunt mortales*, ὅτι μὲν ἀνθρώπῳ κατὰ φύσιν τὸ σαρκοφαγεῖν, παρὰ φύσιν δὲ τὸ ὠμοφαγεῖν, *eſſe homini e natura, carnibus veſci, præter naturam vero cruda devorare.* Hunc eſſe mortalium ſenſum, inde conſtet, quod gens nulla, quicquam cum literis aut bonis moribus commercii habens, vel fando audita eſt, quæ a carnibus crudis & ſanguine manantibus non abhorruetir. Quid itaque Deus crudæ carnis eſum (ſatis a natura prohibitum) lege lata prohiberet, niſi quod in nefanda gentium myſteria crudas dapes induxiſſet ſuperſtitio, quæ infaotum cædes, membrorum dilacerationes, actus turpes, ſanguinis uſum, & titus alios naturæ humanæ adverſiſſimos, excogitavit?

SECUNDO: certum eſt, ſi quid certi de ſeculis tam antiquis habeamus, hunc ritum barbarum diu ante Legem datam in Orientalium ceremoniis locum inveniſſe. Hanc rem eo longius ab omni dubitatione remotam cenſeo, quod Deus eſu ſanguinis (a quo tamen natura refugit) Iſraelitis ſub capitis pœna interdiceret. Nam illius interdicti rationem ex Orientalium libtis & moribus affert [e] *Maimonides*, eamque fuiſſe ait, *quoniam ita olim gentium reges, etiam idololatriæ cauſa, de more faciebant: nempe animali viventi abſcindebant membrum aliquod, atque illud ſanguine perfuſum comedebant.* Summam etiam ritus hujuſce eruenti vetuſtatem aſtruunt *Theodoreti* verba, de illius origine in hunc modum diſſerentis: [f] dæmones *qui olim, ut ſceleſtiſſimi, cæde miſerorum hominum gaudebant*, ἐπειδὴ βδελυττομένους εἶδον τοὺς ἀνθρώπους τὴν ἀνδροφονίαν ἐκείνην, καὶ μεμφομένους τὴν αὐτοῖς ἀξίωσιν, καὶ παυσαμένους τῆς μιαρᾶς, τὰς διαμαστιγώσεις καὶ ὠμοφαγίας, καὶ τὰς ἄλλας ἐπενόησαν τελετάς. *Poſtquam ſenſerunt, homines hujusmodi cædes abominari, quas illi appetebant, ab iisque abſtinere; flagellationes, crudorum eſus, aliosque hujusmodi ritus, commenti ſunt.* Hinc facili conjectura aſſequamur, ritum hunc in vetuſtiorum numero merito collocandum, cum in locum ἀνδροφονίας illius ſuperſtitioſæ venerit, quæ inter gentes antiquas, humanitate aut literatura aliqua notabiles, haud adeo diu duraſſe videatur. Cum itaque crudæ dapes in gentium feſtis & ſacrificiis ritu vetuſtiſſimo

a *Syntag.* de *Feſt. Græcor.* p. 83. b *Cont. Gent.* lib. 5. p. 169. c *Itinerar.* p. 87. *edit. Ar. Mont.*
d *Porphyr.* de *abſtin.* l. 1. p. 13. e *Mor. Neb.* P. 3. c. 48. f T. 4. *Serm.* 10. *de Oraculis.* p. 625. C

1 Vid. *Plut.* p. 417. C ubi legitur φαύλων Ita legit *Euſeb. Præp. Evang.* l. 5. p. 185. C — *ἐπιτ.* apud *Plut.* τελεῖν. & *Euſeb.* τελεῖσθαι. 2 *Vergil. Æn.* 3. 626.

obti-

obtinuerint, & Deus cæteris ſeculi ritibus cruentis [ſanguinis eſui, infantum immolationi, & ejuſmodi] legem aliquam oppoſuerit; non eſt difficile creditu, Deum crudi eſum in paſchate vetuiſſe, ne quid feſto ſuo ineſſet quod ritus tam barbari imaginem repræſentaret, aut cultus ethnici memoriam, ſimilitudine aliqua renovaret. SECT. II.

TERTIO: ſi hæc ratio obtineat, promptum erit inſtituta alia ſacro paſchali propria explicare, & eorum rationem ſpecioſam & cohærentem reddere. Nam,

(1°.) HINC conſtet cur agnus paſchalis [a] una in domo, nulla parte foras educta, comedi debuerit. Legis enim illius cauſam haud aliam facile ſtatuerim, quam quod myſtæ (quos dixi) crudivori carnes ſuas crudas in aperto devorarent, eaſque ad modum [b] pompæ circumgeſtarent. Inde vero conjecturam facere eſt, Deum carnes ullas domibus efferri vetuiſſe, ne Judæi inſaniæ & ſuperſtitionis illius, in Bacchi ſolennibus uſitatæ, exemplum imitari vel probare viderentur.

(2°.) RATIONE noſtra conceſſa, ſtatim conſtabit cur Deus de agno integro, nullo [c] oſſe fracto, comedendo mandatum dederit. Nam Bacchantes illi, in furorem quendam acti, animalis carnes ore cruento dilaniare, & illius membra divellere ſolebant, ut eo magis præſens numen pectoribus ſuis inſidere crederetur. Fidei meæ obſidem hac in re [d] *Poetam* [1] dabo ſic ritus Bacchicos enarrantem;

Pars e divulſo jactabant membra juvenco:
Pars ſeſe tortis ſerpentibus incingebant.

Ceremonias illas inſanas paulo luculentius effert [e] *Clemens Alexandrinus*, cum ait, Διόνυσον [2] Μαινόλην ὀργιάζουσι Βάκχοι, ὠμοφαγίᾳ τὴν ἱερομανίαν ἄγοντες, καὶ τελίσκουσι τὰς κρεανομίας τῶν φόνων, ἀνεστεμμένοι τοῖς ὄφεσιν, &c. *Dionyſium Menolen orgiis Bacchoi celebrant, crudarum carnium eſu ſacram agentes inſaniam, & cæſarum carnium divulſionem peragunt, coronati ſerpentibus*, &c. Ne itaque ſancta ſolennitas quicquam cum Bacchi orgiis commune habere, vel Iſraelitæ gentium mores æmulati, viderentur; lege cautum eſt, ne carnes crudas in paſchate comedant, aut, agni oſſibus fractis, illius diviſionem peragant. Arbitrantur equidem nonnulli, mandatum illud typicam Chriſti prophetiam continere, & ideo datum ut agnus paſchalis imaginem eo magis expreſſam Chriſti, ne oſſe quidem fracto crucifixi, gereret. Sed nil opus eſt ut ad prophetias haſce typicas confugiamus, cum rei hujuſce prophetiam magis diſertam in [f] Pſalmis habeamus.

(3°.) SI ratio noſtra valeat, cauſam ſuggeret, cur Deus eſum crudi vel ſemi cocti nullibi, niſi in lege de paſchate, verbis diſertis prohibuerit. In aliis feſtis aut epulis ſacrificalibus, ſi Judæi partem ovis oblatæ ſanguine fluentem menſis admoviſſent, legem nullam, ſano ſenſu acceptam, violaſſent. Ideoque haud facile divinare licet, cur Deus hac lege, Judæorum, paſcha celebrantium, conſcientias oneraret; niſi quod feſtum illud Diis & ſacris Ægypti omnibus de induſtria oppoſuerit.

HÆC itaque ratio fidem vel eo nomine mereri videtur, quod ritus in paſchate celebrando obſervandos, alias obſcuros & implicatos, apertos & omni nodo expeditos reddat.

RESTAT jam ut ſententiam meam ab adverſantium injuriis aſſeram. Quantum autem conjecturis auguror, illi quatuor inprimis objectionibus cauſam meam, aggredientur. Objectionibus quatuor fit ſatis.

PRIMA ſic ſe habet: aliæ legis hujuſce rationes, magis in propinquo & parato, reddi poſſunt; nec opus eſt, ut rationes e longinquo, (ſeculi tam antiqui ſuperſtitione) petitas adſeramus. Nempe, multo facilius creditur, Deum ideo carnes crudas in paſchate vetuiſſe, ut nihil agerent Iſraelitæ, quod a decoro vel feſti celeberrimi dignitate diſſideret. [g] Τὸ [γὰρ] πρόσφατον καὶ ὠμὸν, οὐδὲ τὴν ὄψιν ἔχει καθαρὰν καὶ ἀμίαντον, ἀλλὰ εἰδεχθῆ καὶ ἑλκώδη· *Recens* enim *& cruda caro, neque aſpectum habet purum & labis expertem, ſed aeformem viſuique adverſum & ulceroſum.* Nec fide caret, legi huic μυστικὸν Obj. 1°.

a *Exod.* 12. 46. b *V. Pet. Caſtel. de feſtis.* p. 83. & 85. c *Exod.* 12. 46. d *Catul. in nupt. Pelei & Thetid.* e *Admonit. ad gent.* p. 11. 15. f *Pſal.* 34. 20. g *Plutarc. Qu. Rom.* p. 290. A

1 Carmen 62. verſ. 157.

2 Juxta *MS. Collegii Novi Oxon.* Μαινόλην, mendoſe autem: vid. doctiſſimum *Epiſcopum Oxon.* in loc — In *Euſeb. Præp. Evangel.* lib. 2. p. 62. C & *MS. Colleg. D. Joan. Baptiſt. Oxon.* legitur Βάκχοις — In *Margine MS. Joan. Ἀγύρτην.* — κρεανομίας. pro κρεανομίαν, *Euſeb. Joan.* — τῶν φόνων] τῶν φόρων *Euſeb.* At in *variis lectionibus Montacutii* legimus φόνων· φονῶν *Joan.* *Arnobius* tamen lib. 5. legiſſe viſus eſt τῶν ὄφεων. hœdos enim reddidit: quod etiam ait *Vigerus*, magis placet: nam & illud, κρεανομία φόνων, admodum inſolens; & hœdis optime cum illis Bacchi ſacris convenit: ita ſe habet *Vigerus* in *Euſeb. Præp. Evang.* & *Epiſcopus Oxon.* in *Clem.* — *Deſiderius Heraldus* idem ſentit cum *Vigero*, viz. τῶν ἐρίφων legendum. Vid. ejus *Animadverſion. ad Arnob.* lib. 5. p. 209.

SECT. II. ſ** aliquid ſubeſſe, eamque ſancitam, ut agnus paſchalis *agnum* illum *Dei*, qui ignem iræ divinæ plene ſubiit, eo perfectius adumbraret.

Sol. NON multum abnun, Deum, cum carnes crudas a ſolennitate paſchali removeret, feſti ſui honori proſpexiſſe, & curaſſe ne delicati homines a feſto & ſacrificio ſuo prorſus [a] abhorrerent. At minlme probabile eſt, Deum ea de cauſa carnes crudas aut ſemi coctas a paſchate cohibuiſſe: tunc enim Iſraelitis, cum & feſta ſua alia celebrarent, eandem legem ſervandam tradidiſſer. Quin & Iſraelltæ proculdubio, ut paſchatis hnnori conſultum eſſet, a crudis omnibus, nulla licet lege prohibente, temperaſſent. Nihilo probabilius habeo, quod alii de myſterio aliquo Chriſtum ſpectante, ſub agni hene cocti typo latitante, garrire ſolent. Quis enim, qui cum ſacris ludere neſcit, ſibi perſuadere poteſt, Deum agnum igne aſſari præcepiſſe, tantum ut Chriſtum, nlim ignem iræ divinæ ſubiturum, in ſymbolo & imagine repræſentaret? Quonam ſcripta ſacra trahere non liceat, ſi hujuſmodi violentis allegoriis & conjecturis arbitrariis indulgeamus? Quibus ineptiis (ne dicam, blaſphemiis,) portam aperiemus, ſi cuivis, ad libitum temerariæ mentis, Dei ritus exponendi licentia concedatur; aut quævis allegoria, tenui ſimilitudine ſuffulta, pro legis divinæ ſenſu & ratione habeatur?

Obj. 2a. SECUNDO: dicet forte non-nemo, me vim vocis נא perperam interpretatum fuiſſe, adeoque ædificii me fundamentum in ſabulo poſuiſſe. Nam vocem illam, nnn *crudum* ſed *ſemicoctum*, hac ln lege notare, vel inde conſtet, quod res ſit omni fide major, Iſraelitas crudum comedere, & ritum ſanitati ſuæ & ipſi pene humanitati repugnantem exercere voluiſſe.

Sol. AT, ſi quis hac de cauſa interpretationem noſtram, tot argumentis munitam, erroris arguat; animum advertat ad varios illos gentium ritus, lege vetitos [infantum immolationem, ſanguinis ex animali profluentis eſum, corporis ſciſſuram, & hujuſmodi alios] ab Iſraelitis uſurpatos, qui tamen ab humana natura longius aberant. Apud idololatras antiquos, quo magis aliquid naturæ adverſari, eo magis religioni convenire videbatur. Sed ſi demus, Iſraelitas animos a crudorum eſu naturaliter averſos habuiſſe, & naturam in iis ſuperſtitionem ſuperare voluiſſe; lex tamen, crudas dapes a paſchate removens, uſui eſſet, quatenus inde diſcerent Iſraelitæ, quantum Deus a barbaris & ridiculis ethoicorum moribus, ſub religionis obtentu introductis, abhorreret.

3a. TERTIO: Sed mihi obſtare videtur (dicent forte nonnulli) quod hæc ὠμοφάγια in Romanotum *Bacchanalibus* forſan & Græcorum *Dionyſiis* locum invenerint: nuſquam autem legamus, Ægyptios antiquos eo veſaniæ proceſſiſſe, ut vivas animalium carnes & viſcera, cultus aut religionis nomine, dilaniarent. Neque veri vel ſpeciem præ ſe ſert, Ægyptios, arietem, aut hircum, (quibus nil carius aut ſanctius habebant) tam inhumane tractare voluiſſe; cum [b] *Manetho* Ægyptius eo præcipue nomine *Solymitas* (i. e. Iſraelitas) in odium apud omnes trahat, quod ἱερὰ ζῶα, *ſacra* (quæ vocat) *animalia*, diſcerperent, & ſtomachn latranti ſacrificarent. Non eſt itaque veriſimile, Deum crudorum eſum in paſchate vetuiſſe, ut leges ejus inſulſis Ægypti moribus opponeret, & Iſraelitas ſuos ab eorum inſana ſuperſtitione cohiberet.

AC neque hæc objectio me valde moratur: nam fidem facit [c] *Herodotus*, Bacchanalia in Ægypto nata fuiſſe, & inde *Melampum* Bacchi pompam in Græciam intuliſſe. [d] *Plutarchus* eotum originem Ægypto imputat, & *Iſidem* eſſe Græcorum *Cererem*, *Oſiridem* vero *Bacchum*, Ægyptlnrum etiam Παμύλια cum Græcorum *Dionyſiis* convenire, multis evincit argumentis. Conſentit [g] *Nonnus*, qui Bacchum Διόνυσον Αἰγύπτιον appellavit. Non eſt itaque a fide alienum, Ægyptios hunc, inter alios Oſiridis aut Bacchi ritus, diu ante legem datam, in mnte habuiſſe. Nec coojecturæ meæ fidem minuit, quod Ægyptii quædam animalia religione peculiari colerent, cum enrum carnes crudas, non in conviviis, ſed myſteriis eorum devorarent. Sed ſi Ægyptii nihil tam barbaræ ſuperſtitioni ſimile vel affine in moribus ſuis habuiſſent, pleræque gentes aliæ [ſi vera narrantur ab hiſtoricis] eorum ſacra titu tam ferino celebrarunt. Lege itaque non minus aliis gentibus quam Ægyptiis oppoſita, cautum erat, ne quid in Dei ſactis ad ritus tam inſani ſimilitudinem ageretur.

4a. QUARTO: id etiam in contrarium dici poteſt, quod ſententia mea totius anti-

a 1 *Sam.* 2. 17. b *Ap. Joſeph. Ub. ſupr.* p. 1354. 15. c Lib. 2. c. 49. d Lib. *de Iſid. & Oſir.* p. 355. & 362.

g Vid. *Nonni Dionyſiaca*, & *Heinſii* exercit. ad *Nonni* in *Johannem Metaphraſ.* p. 123.

quitatis

quitatis fidei renitatur, cum Bacchum ejuſque cultum *Moſis* temporibus antiquiorem aſſerere videatur. Ideoque conſultius eſt, crudæ carnis in ſacris eſum inter eos ritus numerare, quos ævi multo recentioris barbaries excogitavit. SECT. III.

RESPONDEO: ſi Baccho & myſteriis ejus tantam vetuſtatem tribuerim, non eſt quod factum mutem; cum auctor apocryphus, de ſacris *Liberi Patris* agens, ea vocet *τὰ διὰ λόγω, ſacra quæ ſemper*, i. e. a [a] remotiſſima rerum memoria, in Oriente duraverant. Ita cenſeo, & hoc adductus argumento, quod antiqui *Bacchum*, eundem cum *Oſiride* ſtatuant, quo nihil antiquius & celebrius novit gentium religio vel hiſtoria. Sed nihil eſt, cur a me ſollicitam & operoſam hujus rei probationem quiſpiam exigat; cum in confeſſo ſit, ſanguinis & crudæ carnis eſum in antiquiſſimis ethnicorum ceremoniis locum habuiſſe; nec facile ſit rationem probabiliorem aſſignare, cur Deus, in paſchate crudis veſci, prohibuerit, niſi ut omnem ritus tam barbari & plane profani ſpeciem a feſto ſuo removeret.

SECT. III.

Circumſtantia tertia, *ut agnus paſchalis, non coctus aqua, ſed aſſus igne, comederetur.*

RES notabilis & mira videri poſſit, Deum hujuſmodi minutiis immoratum fuiſſe, & non tantum agni coctionem, ſed & ipſum coquendi modum, præſcripſiſſe: quaſi Judæi rerum omnium adeo rudes eſſent, ut nec ſalubre nec ſapidum, quid corpori vel palato gratum eſſet, niſi lege moniti, ſatis aſſequerentur; aut quaſi Deus, ut gens effrænata parere diſceret, eos ritibus quibuſdam pro mero arbitrio ſancitis aſtringi vellet. Hanc forte de legis hujuſce ratione conjecturam facient, qui rerum Moſaicarum ſuperficies intuentur, & quidvis effutire ſolent, ne quicquam neſcire videantur. Abſit autem ut abjecte adeo de Deo & populo ſuo ſentiamus, ut Deum dominandi cauſa, vel ut Iſraelitas artem convivandi doceret, hanc legem ſtatuiſſe diceremus. Ne lectorem diutius ſuſpenſum teneam, veriſimile eſt ritum aliquem, in Ægypti vel gentis alicujus vicinæ religionibus antiquitus obſervatum, huic etiam præcepto cauſam & originem dediſſe. Ne ad hanc ſententiam temere acceſſiſſe videar, a primo legis hujuſce membro, ([b] *non coques*, [1] agnum ſcilicet aut hœdum paſchalem, *in aqua*) exordium ſumam.

DEUS agni vel hœdi paſchalis coctionem in aqua, ni fallat conjectura, vetuit; ut mori apud Ægyptios aut Syros ſolenniter obſervato ſe adverſum ſiſteret, &, ut dogmata illa, quibus tanquam radicibus innitebatur, funditus extirparet. Apud eos autem in morem ſolennem abiit, quandoque victimarum ſuarum carnes tantum elixare, quandoque agnum vel hœdum, ſed in lacte, coquere. Aſſertionis meæ prioris fundamentum in [c] *Philochori* teſtimonio ponitur: *Ἀθηναῖοι — ταῖς Ὥραις θύοντες, ἐκ ὀπτῶσιν, ἀλλ' ἕψουσι τὰ κρέα, παραιτέμενοι τὰς Θεὰς ἀπείργειν τὰ* [2] *περιττωδῆ καύματα καὶ τὰς αὐχμάς· Athenienſes, Horis rem divinam facientes, carnes elixant, non aſſant, Deas precantes, ut ſqualores & calamitoſos æſtus arceant*, Horas illas, [d] *Horum* (haud ignobilem Ægypti Deum) proxima cognatione attigiſſe, & inde, cum Diis & aliis Ægypti ſacris, ad Athenienſes tranſiiſſe, nemo, literis humanioribus vel leviter tinctus, facile dubitaverit. Ægyptios etiam, aut alios e veteri Zabiorum grege, גדי *agnum* vel *hædum*, animo ſuperſtitioſo coquere ſolitos, ſatis ex ipſa lege, morem illum non ſemel prohibente, cognoſcatur.

Ratio legis agnum in aqua coquere prohibentis.

CUM itaque carnes aqua coctæ, in nonnullis veterum Zabiorum ſacrificiis aut ceremoniis magicis, partes præcipuas obtinerent; non plane temerarium eſt opinari, Deum agni ſacri carnes elixari vetuiſſe, ut Iſraelitæ ſeipſum ritu contrario colerent, & ut, paſchali ſolennitati vacantes, ſignum luculentius ederent, ſe in Jehovæ, non *Horarum* vel Dæmonis alicujus honorem feſtum illud celebrare. In hanc ſententiam, hiſce rationibus inductus, inclinat animus;

a *V. Grot.* in lib. 3. *Maccab.* p. 794. 50. b *Exod.* 12. 9. c *Apud Athenæum* l. 14. col. 656. A. d *Sol Ægyptius Horus dicebatur*, teſte Macrob. Sat. l. 1. c. 21.

1 *Non coques* &c. *Particularia* hujus præcepti, quæ Judæi פרטים *Peratim* vocant, nobis ſuppeditat *Talmud* in *Tractatu* פסחים *Peſachim*: & *Maimonides* in קרבן פסח *Korban Peſach*

2 *περιττωδῆ καύματα, æſtus difficiles toleratu.* Vid. Iſ. *Caſaubon. Animad.* in *Athenæum*, lib. 11. cap. 7. col. 796. 10. & lib. 14. c. 20. col. 999. 30.

SECT. III.

(1°.) Judæi, a prima usque paſchatis inſtituti memoria, agnum paſchalem aſſandi, non elixandi, morem ſanctum ſemper & intemeratum retinuerunt. Quamvis oves & boves (ad majorem ſolennitatem, in paſchate, immolatos) aqua coquerent; apertum eſt, eos agnum Paſchalem, non elixatum ſed aſſatum, more perpetuo, comediſſe. Huic mori teſtimonium perhibet hiſtoria ſacra, 2 Paral. 35. 13. *Et paſcha igne coxerunt,* במשפט *juxta morem: reliqua vero ſacrificia elixarunt in lebetibus, & cacabis, & ollis.* Ibi enim ſacrificia, quorum carnes elixare moris erat, a paſchate igne cocto, ſtudioſe diſtinguuntur. Quid autem Judæi, in coquendis feſti illius cibis & ſacrificiis, diſcrimen illud minutulum tam præciſe ſemper obſervarent; niſi quod probe ſcirent, ſolenne illud, ad agnoſcendum Jehovam, magnum ex Ægypto redemptorem, inſtitutum fuiſſe, ideoque ceremoniis illis peragendum quibus feſtum Jehovæ, a numinis alicujus fictitii ſolennitate clare diſcerneretur? Norant illam paſchatis circumſtantiam, rem quidem minutam, ſed rei maximæ indicium, ideoque in ſecula ſolenniter obſervandam.

(2°.) Lex hæc de paſchate ita quaſi de induſtria comparata eſt, ut ritui, quem dixi, Zabiorum, ex oppoſito reſpondere cenſeatur. Illi enim hœdum in lacte elixare ſolebant: Deus autem hœdum aut agnum, paſchatis vice oblatum, ne aqua quidem coqui voluit; ne hœdus in honorem ſuum oblatus ſpeciem aut umbellam aliquam hœdi in uſum magicum elixati retinere videretur. Deinde, veriſimile eſt, Zabios, ritum illum magicum peracturos, hœdum quandoque, frequentius autem agnum, adhibuiſſe. Nam [a] LXX, ubicunque occurrit lex illa, hœdi coctionem prohibens, vocem גדי per [f] ἄρνα, *agnum* transferunt, quamvis aliis omnibus ſcripturæ locis verbum illud per ἔριφον interpretentur. Et vox illa שה ad agnum paſchalem notandum uſurpata, tum *hœdum*, tum *agnum* ſonat, quamvis certum ſit Iſraelitas agnum frequentius & libentius in paſchate obtuliſſe.

(3°.) Niſi ratio noſtra fidem inveniat, haud facile eſt vel conjectura percipere, quid rei tam exiguæ vacaret Deus, ut agni paſchalis coctionem in aqua tam ſerio prohiberet. Nam certum eſt, ſacrificia pleraque pacifica (in quorum cenſum agnum paſchalem referamus) non aſſa ſed [b] elixa Deo & populo placuiſſe; & præceptum diſertum ſacerdotibus datum [c] extat, ut agno maſculo, in eorum conſecrationem immolato, non aſſo ſed elixo veſcerentur. Quid itaque Deus lege tam diſerta caveret, ne agnus paſchalis in aqua coqueretur, niſi ut ſuperſtitioni alicui (forſan Ægyptiacæ) ſe opponeret, & omnem illius umbellam a ſolennitate paſchali, in liberationis ex Ægypto memoriam inſtituta, removeret?

(4°.) Lex agni coctionem in lacte prohibens, legi de primitiis, in feſto paſchatis offerendis, non [d] ſemel conjuncta reperiatur. Cum itaque lege tam ſolicite curatum eſt, ne, tempore præcipue paſchatis, agnum in lacte coquerent Iſraelitæ; non abſurde creditur, Deum agni paſchalis in aqua coctionem ideo vetuiſſe, ne ritus illius ſuperſtitioſi veſtigium vel imago in paſchate deprehenderetur.

His inductus argumentis, hanc rationem probabilium numero collocandam ſentio: *probabilium* caute dixi, quod in rebus antiquitatis caligine circumductis, anceps admodum judicandi ratio ſit. Sat ſcio nonnullos hujus interdicti rationes alias excogitaſſe, quarum momenta, de ſecundo legis hujuſce membro dicturi, penſitabimus.

Cur Deus agnum aſſari voluit,

Quo vero legis hujuſce partem alteram penitius intelligamus, conſentaneum eſt, ut duabus quæſtionibus reſpondeamus, (1°.) Cur Deus agnum aſſari. (2°.) Cur *igne* aſſari juſſerit?

Rationes falſæ:

Primo: cur Deus agnum paſchalem aſſari juſſerit? Hic in omnes partes ſe verſant interpretes, ut ſe liberent impeditos; ſed conatu irrito: ab iis enim cauſæ quidem plurimæ, ſed falſæ fictæque, legis hujus afferuntur. Nam,

(1°.) Nonnulli præceptum hoc Iſraelitis datum ſentiunt, quod carnes aſſæ robuſtiora reddant corpora, quibus illi, longum iter in deſertum jam ſuſcepturi, cumprimis indigebant. At vero, an carnes aſſæ, ad corporis vires firmandas, plus quam elixæ, valeant, in incerto poſitum eſt. Refert enim [e] *Athenæus*, plurimos olim exiſtimaſſe, *τὸν μὲν ἑφθὸν πολλὴν παρέχεσθαι ὠφέλειαν, τὸν δὲ ὀπτὸν οὐ μόνον τὴν ὠμότητα παραφέρειν, ἀλλὰ καὶ — σκληρὰ μαλάττειν δύναμιν* &c. i. e. Aſſationem minus utilitatis corpori

a Οὐχ ἑψήσεις ἄρνα ἐν γάλακτι μητρὸς αὐτοῦ. *Exod.* 23. 19. 34. 26. *Deut.* 14. 21. b *V.* 2. *Paral.* 35. 13. *Ezech.* 46. 20, 24. c *Levit.* 8. 31, 32. d *Exod.* 23. 9. & 34. 26. e *Deipnoſoph.* l. 14. p. 656.

f *Exod.* 23. 19. Apud *Symmachi Verſionem* legitur ἔριφον.

præbere:

præbere, elixationem vero non ſolum quod crudum eſt adimere, ſed etiam mollire, ali- SECT.
mentumque blandius coquere, ac minore cum periculo: quibus auctor ille ſtatim addit, III.
[1] τὰ ὀπτὰ τῶν ἑφθῶν ὠμότερα καὶ ξηρότερα, *aſſa elixis crudiora* [2] ſunt, *& ſicciora.* Neque vero, ſi aſſa majore ad corpora firmanda virtute pollere concedamus; veriſimile eſt, agnum aſſum, ſemel in anno comeſtum, multum roboris Hebræis itinerantibus præſtare potuiſſe.

(2°.) Nonnulli hunc tantum coquendi modum inſtitutum ſentiunt, quod a perpetuo regum & heroum antiquorum uſu honorem & religionem quandam contraxiſſet. Nam *Homerus*, lauta heroum ſuorum convivia referens, aſſas tantum, nec aliter conditas carnes, menſis appoſitas fuiſſe memorat: hoc, ceu priſcæ frugalitatis exemplum, obſervavit [a] *Plato*, cum ait, [Ὅμηρος] ἐν ταῖς τῶν Ἡρώων ἑστιάσεσιν οὔτε ἰχθύσιν αὐτοὺς ἑστιᾷ, — οὔτε ἑφθοῖς κρέασιν, ἀλλὰ μόνον ὀπτοῖς Homerus, *ad Heroum convivia, non piſces adducit, — neque elixas carnes, ſed tantum aſſas.* Hiſce & [b] *Servius* calculum dedit, ad *Æneid.* l. 1. ubi omnem carnis elixæ temporibus heroicis uſum ſuſtulir. At ſi quid veri aut ſolidi huic rationi ineſſet, lex curaſſet proculdubio, ut aliarum victimarum carnes non aqua ſed igne coquerentur. At Deum plane contrarium ſtatuiſſe, cuivis notum eſt qui ſacram ſcripturam a primo (quod aiunt) limine ſalutavit. Nam [c] propheta de locis ad ſacra elixanda ſepoſitis mentionem facit, & filii [d] *Eli* carnes ad aſſandum importune poſtularunt, quaſi frequens uſus delicatis hominibus carnis elixæ faſtidium attuliſſet. Sed & procul a vero eſt, quod nonnulli pro certo & conceſſo ſumunt, ſecula ſcilicet heroica in ipſorum conviviis nullum fere locum elixis præbuiſſe. Nam [e] *Joan. Wovverus*, auctor in veterum ſcriptis verſatiſſimus, teſtimoniis utrinque penſitatis, ad eorum ſententiam accedit, qui veteres & aqua cibos ſuos quandoque paraſſe arbitrantur. Auctoris verba ſunt hæc, *manifeſtum eſt heroes apud poetas, elixas & aſſas carnes comedere.*

(3°.) Ideo etiam Deus hanc legem tuliſſe creditur, ut ille coquendi modus, qua feſtinatione opus eſſet, indicaret, quod caro celerius aſſari quam elixari queat. Nam carnis aſſatio ſolo igne peragitur, cujus miniſterium expeditiſſimum; nec veru deeſſe poteſt, ubi igni ſtruendo materia ſuppetit: contra vero, operoſa eſt vaſorum adminiſtratio, quibus ad elixandum indigemus. Hæc itaque ratio [f] Judæis placuit, qui hoc præceptum ſibi datum ſcribunt, שאכילת הצלי יורה על החפזון שיצאו ממצרים וגו׳ *quod eſus aſſati feſtinationem ſignificet, qua egreſſi ſunt ex Ægypto; unde non licuit moram trahere ut agnum coquere potuiſſent in lebete.* At & illa ratio, ſpecioſa licet, ingenium magis ſapit, quam judicium: Deus enim, ſignis aliis, magis evidentibus, paſcha cito, citiſſime, comedendum, & Ægypto, mora omni præciſa, exeundum eſſe, docuiſſet. Nec ulla credendi cauſa eſt, vaſis jam paratis, elixationem moram multo majorem, quam aſſatio, Iſraelitis properantibus afferre potuiſſe.

(4°.) Bochartus, aliique, hic myſterii aliquid ſubeſſe ſuſpicantur, & legem de agno aſſando ideo datam ſentiunt, ut *ira divina ardorem* exprimeret *in peccatores merito accenſa, nam cum igne paſſim* [g] *confertur ira Dei ardor in impios; quo eum torreri oportuit, qui peccatorum ſe vadem præſtiterat, ut pœnas pateretur ab illis commeritas. Hinc graves illa querela,* Pſal. 22. 15, 16. *Cor meum cera inſtar eſt, liqueſcit in viſceribus meis. Aruit ut teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis.* Hæc ille, de animal. ſac. P. 1. l. 2. col. 615. Hiſce refellendis nil opus eſſe cenſeo diutius immorari, cum gratis dicantur & ex eorum numero ſint, quæ minore cum moleſtia dicere quis poteſt, quam ullus vel probare vel redarguere. Si cui tamen arrideat ratio illa allegorica, e ſolo ſcriptoris ingenio petita, ſuo fruatur ſenſu; modo nil ſequius de me ſentiat, qui (ut aperte agam) ſenſis hiſce myſticis aurem difficilem præbere ſoleo, niſi Scripturæ teſtimonium, aut evidens ratio, ad eorum veritatem aſſerendam adduci poſſit. E quocunque pene Pentateuchi loco, quivis, cui jecur allegoricum, plurima hujuſmodi myſteria queat extundere.

(5°.) Alii ſe perſuaſos habent, Deum ob feſti paſchalis dignitatem, & populi

a Lib. 3. de *Rep.* p. 210. b *Heroicis temporibus carne non veſcebantur elixa.* Col. 429. c *Exec.* 46. 20. 23, 24. d 1 *Sam.* 2. 15. e *Polymath.* c. 10. p. 70. f *Ap. Hottinger. de jur. Hebr. leg.* 13. p. 23. g *Jerem.* 4. 4. *Thren.* 1. 13. & 2. 4.

1 *Ariſtoteles* e contra ſentit, ξηρότερα τὰ ὀπτὰ τῶν ἑφθῶν *Meteorolog.* l. 4. vid. *Caſaubon.* in *Athenæum*, col. 933. 40.

2 *Non eſt jumendum ex hoc loco* (inquit *Marſilius Cagnatus*) *piſces apud Heroas — in uſu ciborum non fuiſſe. Probabile eſt tamdiu eos piſcibus caruiſſe, quamdiu cum Trojanis bellum geſſerunt — propterea quod nec idonea ad piſcandum inſtrumenta tenebant, nec dabatur otium ad piſcandum* &c. *Domi vero ſecus exiſtimandum: namque idem Homerus Odyſſ.* 12. vers. 331. & 19. 113. piſcium meminit, &c. *Vid. Var. Obſerv.* Lib. 3 Cap. 19.

SECT. III. Iſraelitici honorem, agnum, non elixando, ſed aſſando coctum, comedi præcepiſſe. Ita viſum Judæis, quos [a] verbis ipſorum propriis ſenſum ſuum efferentes audiamus: והוי שנצטוינו לאכלו רק צלי לפי שכן דרך בני סלכום ושרים לאכול בשר צלי שהוא מאכל טוב וגו *Propterea præciſe juſſi ſumus edere carnem aſſam, hac enim eſt conſuetudo filiorum regum & principum, qui carne aſſa, tanquam cibo electo & ſapido, fruuntur: reliqua vero fax, exigua carnis portione, quam forte aſſequatur manus eorum, non contenta, elixam edit ad farciendum ventrem.* Ita quidem dicunt Judæi, qui legem hanc, prout & alias non paucas, non tantum Minerva, ſed Muſis omnibus invitis, explicare ſolent. Si enim Deus, Judæorum honori & dignitati conſulens, iis hanc legem poſuiſſet; veriſimile eſt, eum, non tantum carnes agninas, ſed bovinas, & vitulinas, aqua coctas, in paſchate feſtiſque aliis, prohibere voluiſſe.

(6°.) VISUM eſt aliis, Deum hac in lege vix quicquam curaſſe, niſi ut inſtituta ſua (qua licuit) ad morem vulgo receptum accommodaret. Nam & olim uſus obtinuit, ut bubulæ, aliæque ſiccioris temperamenti carnes, elixarentur, ut nonnihil humeſcerent; humidæ vero (ut agnorum, & porcellorum carnes) aſſarentur, ut redundans humor vi ſiccæ coctionis abſumeretur. At & hæc ratio pede male firmo ſtare videtur: non enim neceſſe erat, ut Deus id lege ſolenni prohiberet, quod raro factum erat; nec veriſimile eſt, Iſraelitas, præter hominum morem, agnorum carnibus elixis, die præſertim lætitiæ & religioni dicata, veſci voluiſſe.

CUM itaque rationes illæ omnes, ad ſtateram vocatæ, levitatem ſuam tam facile prodant; opinari cogimur, Deum Iſraelitas ad agnum aſſandum devinxiſſe; ut leges ejus, & mores gentium, quaſi frontibus adverſis concurrerent; nec feſto ſuo quicquam ineſſet, quod ritus alicujus magici, in Zabiorum feſtis aut ceremoniis uſitati, vel umbram gereret. Certe conſentaneum eſt credere, legem hanc e conſilio optimo fluxiſſe, cum agni paſchalis aſſationem tam [b] frequenter inculcatam & ſolenniter obſervatam, in ſcriptura reperiamus. Nec ab inſtituto præſenti alienum eſt, [c] *Eſdra* apocryphi, de Joſiæ paſchate loquentis, teſtimonium; Καὶ ὤπτησαν τὸ Πάσχα πυρὶ, ὡς καθήκει, &c. *Et aſſaverunt paſcha igne, prout oportebat; & ſacrificia* pacifica *coxerunt in aeneis & ollis.* Quid autem ritum illum tam ſolenniter & conſtanter obſervarent Iſraelitæ, cum feriæ paſchales agerentur; niſi quod ritus ille cumprimis Ægypti dogmatis adverſaretur, & gentis illius animos ab Ægypti ſacris alienos, præ cæteris feſti ceremoniis, indicaret? In hac ſententia eo magis confirmatus ſum, quod [d] *Manetho* Ægyptius nihil moleſtius & acerbius accepiſſe videtur, quam quod Iſraelitæ (quos *Solymitas* appellat) *animalia ſacra* [ἐν] ὀπτανίοις abſumerent, i. e. locis ubi igne torrebantur: quaſi facto illo, ipſum odii ſui virus in Ægypti Deos evomere vellent; & id agerent, ut, agni aſſati odore ſe late diffundente, contemptum Deorum Ægyptiacorum, cum triumpho & oſtentatione quadam, vel non præſentibus, indicarent.

Cur agnus *igne* aſſandus.

ID negotii jam reſtat, ut quæſtioni ſecundæ ſatisfiat; cur nempe Deus agnum *igne* aſſari juberet, & ipſum aſſandi modum tam præciſe definiret? Si itaque in re tam obſcura meas interponam conjecturas, Deus hiſce de cauſis, ipſum agni parandi modum tam curate determinavit;

(1°.) NE, ſi cuique fas eſſet agnum pro libitu ſuo aſſare, morum diverſitas ordinem & concinnitatem feſti violaret. Nam agnus ille, non ſolum igne aperto, ſed & clibano, vaſe fuſili, ſartagine, vel furno calefacto ſuſpenſus, aſſari poſſet. Nec a veriſimili abhorret, uſum carnis ad ſolem aſſæ, in Ægypto (regione ſolis calore torrefacta) ſeculis antiquioribus obtinuiſſe. Memorat enim [e] *Heliodorus*, juvenem in vicina Æthiopia ἰχθύσι πρὸς ἥλιον ὀπτωμένοις, *piſcibus ad ſolem aſſis* enutritum. Feſti vero ſacratiſſimi ſolennitas exegit, ut cibi paſchales majore cum conſenſu & morum uniformitate, quam carnes ad famem ſolummodo ſedandam paratæ, coquerentur.

(2°.) VERISIMILE eſt, Deum legem de agno *igne* aſſando ſtatuiſſe, ut ritus alicujus in Zabiorum feſtis uſitati ſpeciem omnem a paſchate ſuo removeret. Huic conjecturæ anſam præbent [f] *Plutarchi* verba, Διὰ τί τοῖς Θεσμοφορίοις αἱ τῶν [1] Ἐρετριέων γυναῖκες, οὐ πρὸς πῦρ, ἀλλὰ πρὸς ἥλιον, ὀπτῶσι τὰ κρέα; *cur ſacris Theſmophoriis Eretrienſium mulieres, non ad ignem carnes, ſed ad ſolem aſſant?* Refert etiam [g] *Herodotus* de Perſis antiquis, quod in feſtis quibuſdam idololatricis, *carnibus in fornaci toſtis* veſcerentur.

a *Ap. Hottinger. de jur. Hebr.* p. 23. *ub. ſupr.* b *Exod.* 12. 8, 9. *Deut.* 16. 7. 2. *Par.* 35. 13. c Cap. 1. com. 12. d Apud *Joſeph. ub. ſupr.* p. 1354. 15. e *Æthiopic.* lib. 1. p. 10. f *Quæſt. Græc.* p. 298. 3. g Lib. 1. c. 133.

1 Juxta *MS. Pauli Petavii in ſenatu Pariſienſi Conſiliarii regii*, Ἐρετριέων [illegible]

rentur. Summam itaque veri ſpeciem præ ſe fert, Zabios antiquos peculiarem aliquem (cujus memoria jam periit) carnes aſſandi modum in myſteriis ſuis obſervaſſe; & Deum legem illam, de agno paſchali *ad ignem* aſſando, eorum ſuperſtitioni oppoſuiſſe. SECT. IV.

(3°.) Ideo forſan agni paſchalis coctionem igne ſolo peragi præcepit Deus, quod minus operoſa eſſet, adeoque Iſraelitarum vitæ, in caſtris & deſertis tranſigendæ, maxime conveniret. Notat [1] *Plato* alimenta ſolo igne cocta, μάλιστα στρατιώταις εὔπορα *militibus maxime parabilia*, quod iis plerumque deſint vaſa ad elixandum neceſſaria. Priſci itaque, bello occupati, carnibus ad ignem coctis plurimum veſcebantur; quod ipſa facilitas, hanc cibos parandi rationem maxime commendaret.

(4°.) Hic aſſandi modus maxime purus & ſimplex erat, omnibus etiam (præſentibus & abſentibus) maxime apertus & manifeſtus. Purus & ſimplex erat, quod carnes ad ignem coctæ, nec a fumo, nec cinere, nec aqua, nec vaſe, quicquam impuritatis, mixturæ, vel ingrati odoris, haurire poſſint. Nec minus apertus & manifeſtus, quod agnus igne aſſus odorem late ſpargeret, ſe naribus etiam proderet, & vel cæcis appareret. Erat itaque hæc aſſandi ratio, naturæ legis & intentioni paſchatis apprime conſentanea. Lex enim puritatem tota ſpiravit, & ſacri paſchalis intentio non poſtrema fuit, ut Iſraelitæ, ritus ejus obſervantes, ſe Deo liberatori devotos eſſe, & Ægypti ſuperſtitioni nuncium remittere, non verbis tantum ſed & factis apertis indicarent.

Id unum jam ſupereſt, nempe ut lectorem moneam, me non eo animo hæc dixiſſe omnia, ut ei legem figam, ſed ut ſymbolum meum, ad legem hanc obſcuriorem illuſtrandam, afferam.

SECT. IV.

Circumſtantia quarta, *ut Iſraelitæ agni capite, cum pedibus ejus & inteſtinis, veſcerentur.*

Deus non ſolum corporis truncum, ſed & agni caput, cum cruribus & inteſtinis, aſſari & vorari jubet, *Exod.* 12. 9. Nihil in paſchate ſuo ἀπόβλητον eſſe permittebatur. Legis hujuſce rationem, indaginem eo penitiorem mereri cenſeo, quod nuſquam alibi legamus, Deum animalis immolati inteſtina comedere præcepiſſe. Ne itaque lectorem diutius in ancipiti teneam, rationes duas, quanquam non ex æquo probabiles, aſſignabo, cur Deus præceptum ſpeciale, de partibus hiſce comedendis, Hebræorum genti dedit. Hujus circumſtantiæ ratio.

1°. Primo: ut ritui alicui idololatrico, tunc temporis in more poſito, directe & aperte contradiceret. Si enim veteres Orientalium ritus, quantum per temporum intervalla liceat, intueamur; facile obſervemus, animalis immolati interiora eorum ſuperſtitionem plurimum occupaſſe. Eorum enim ſacerdotes oculis curioſis victimarum viſcera perluſtrarunt, ut inde futurorum ſcientiam aſſequerentur. Et, ſi [a] *Arnobio* credimus, in *Omophagiis*, in Bacchi honorem inſtitutis, (*ut ſe plenos Dei numine ac majeſtate* docerent) *caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus* diſſiparunt. Cum etiam ſeſta alia in Bacchi honorem celebrarent ethnici, mos erat ut animalium ſacrificatorum viſcera manducarent. Atque hinc forſan lucem accipiant [b] auctoris *Apocryphi* verba; *ducebantur* Judæi, *cum amara neceſſitate, in die natalis regis* ἐπὶ σπλαγχνισμὸν, quaſi *ad viſcerationem* dicas; vel quod viſceribus ea ſacra fierent, vel epulæ ad viſcerationes ea ſequerentur. Nec in Bacchi tantum, ſed & aliorum Deorum, ceremoniis, usque eo invaluit tandem extorum uſus, ut [c] *Origines* dicere non dubitarit, ἡμᾶς δὲ, ἐὰν ἐπὶ βρώμασι καὶ πόμασι, τῷ συνεστιᾶσθαι δαίμοσι τρόπον ἄλλον οὐκ ἴσμεν, &c. *Nos certe, quantum ad cibum ac potum attinet, neſcimus alium modum veſcendi cum Dæmonibus, quam ſi quis in turba edat victimarum exta, & bibat vinum libatum Dæmonibus.* Et ſimili forſan de cauſa, Deus agni paſchalis inteſtina, non comedi tantum, ſed & aſſari, juſſit; nempe ut populum eo longius arceret a ritu in Gentilium quorundam myſteriis uſitato. Nam [d] *Alexander Sardus*, veterum Gentilium inſtituta referens, inquit, *aris hoſtiæ viſcera*

a *Contra Gent.* l. 5. p. 169. b *Mac.* l. 2. c. 6. v. 7. c Lib. 8. *Cont. Cels.* p. 397.
d *De Gentium ritib.* l. 3. c. 15. p. 215.

1 De Rep. ub. ſupr.

 imponuntur,

Sect. IV. *imponuntur*, *aſſanturque: arietis tamen exta aquis coquuntur*. Cum horum rituum ethnicorum mentio inciderit, hanc interponam conjecturam a præſenti inſtituto non prorſus alienam. Deus forſan agnum integrum, & minime in partes diſſectum, aſſari voluit, ut paſchatis ritus gentium ceremoniis contrarii eſſent, & ipſe eorum uſus Judæos moneret ſe gentem peculiarem eſſe, & a mundi gentibus ſeparatam. Nam, eodem [a] *Sardo* teſte, immolata apud gentes hoſtia, *viſcera ſupra prunas pro jentaculo aſſa parantur: reliqua membra conciſa torrentur verubus, & edunt ſedentes qui ſacrificio interfuerint.*

2ª. Secundo: maxima cum probabilitate creditur, Deum agni caput, cum cruribus & inteſtinis, edere præcepiſſe, ut agnum integrum, nulla parte reſidua, comedendum indicaret. Nam, hac in lege, mentio facta eſt tantum de partibus agni vilioribus, & quas menſa ſua dignari non ſolent, qui rebus utuntur lautioribus. Quaſi dixiſſet legislator: "nihil in feſto meo, beneficii maximi monimento, vile cuivis aut rejecta-"neum videatur. Ovium quidem aliarum, capita, crura, & inteſtina, ad canes, aut "homines fortunæ tenuioris, amandetis; quælibet autem cœnæ meæ portiuncula pretio "& honore quo decet habeatur. Deinde, poſt hanc, proxima ſuccedit lex ea, *ne relinquite quicquam ex eo uſque ad mane*, eique in Hebræo particula conjunctiva nectitur. Hujus autem connexionis, ecquid, oro, cauſæ eſt, niſi ut conſtaret legem utramque eodem ſpectare; & id unum voluiſſe Deum, ne canibus crura, vel pauperibus caput & inteſtina traderent; ſed agno integro, nulla parte præ faſtidio relicta, veſcerentur?

Legis hujuſce ratione in lucem prolata, id unum nos in præſenti ſollicitat, nempe ut probemus Deum ideo agnum cum cruribus & inteſtinis (i. e. integrum) comedi præcepiſſe, ut ſuperſtitionem omnem, circa fragmenta victimarum exerceri ſolitam, inhiberet. Hoc autem tribus argumentis evinci poteſt:

Primo: certum eſt, idololatras antiquiores reſiduas ſacrificii partes ad uſum ſuperſtitioſum ſepoſuiſſe. Hoc e [b] *Baruchi* verbis haud obſcure colligendum: *hoſtias idolorum vendunt ſacerdotes ipſorum, & abutuntur*, (nempe ad res turpes) *ſimiliter & mulieres* decerpentes, *ſale condiunt quæ abſumere non poſſunt*. Moris erat, apud [c] Græcos præcipue, ut qui Deorum templa adirent, inde libi fruſtulum, unguenti aliquid, aut hujusmodi, boni ominis cauſa, domum reportarent; firmiter perſuaſi, ſanitati multum conducere illud quicquid eſſet quod e loco ſacro abſtuliſſent: unde & decermini illi nomen ὑγίεια *ſanitas* impoſuerunt. Teſtatur etiam [d] *Herodotus*, Perſas antiquos, reſiduas victimæ partes ad ceremonias quaſdam uſurpaſſe. Fallor itaque, vel ea ratione Deus legem illam de agno paſchali exedendo dedit, ne ſi pars aliqua tam ſancti convivii ſupereſſet, nefandæ idololatriæ & magiæ materiam adminiſtraret.

Secundo: lex ea, *ne relinquerent quicquam uſque ad mane*, cum lege alia, ritum ethnicum prohibente, non ſemel conjuncta venit. Nam juſſit Deus, *ne ſanguis ſacrificii* ſui *una cum pane fermentato offeratur*, & *ne ſacrificium feſti paſchatis uſque ad mane relinquatur*, *Exod.* 34. 25. & *Exod.* 23. 18. *Quo in textu*, inquit Bochartus, *ad gentium e vicinia ritum aliquem magicum alludi puto, cujus in tanta vetuſtate veſtigia non ſupereſſe, quis miretur, cum e profanis ſcriptoribus nullum habeamus ſuperſtitem qui Moſe non ſit poſterior multis ſeculis.* Sed ritus illius memoriam non e rebus omnino periiſſe, e Zabiorum monumentis teſtatur *Maimonides*. Nam ideo Deus mel & panem fermentatum a ſacris ſuis abeſſe juſſit, *quia*, [e] inquit, *idololatræ non niſi panem fermentatum offerebant*, & *in oblationibus ſuis res dulces eligebant*, *ſacrificia melle inungentes*. Hoc itaque mandatum, de quo nunc agitur, e ſocio ſuo cognoſcamus; & facile colligamus hoc etiam a Deo traditum, ut mori alicui Zabiano obviam iret; & caveret, ne pars aliqua feſti ſui ſacratiſſimi in uſum ſuperſtitioſum & profanum cederet.

Tertio: Deus leges & ritus paſchales nuſquam repetit ([f] ſæpe vero repetit) quin legem de partibus omnibus agni comedendis ingerit; quandoque etiam; cum leges alias ad paſcha ſpectantes prætermittit. Quid autem Deus legem hanc toties repetitam daret, niſi ut ritui alicui magico vel idololatrico aditum intercluderet? Proculdubio, Deus rem tam levem (ita ſeculo noſtro videtur) leviter & in tranſitu tantum attigiſſet, niſi quod illius obſervatio ſuperſtitionis occaſionem tolleret, & omnem cultus profani ſpeciem a feſto ſuo removeret.

a *Ib.* p. 209. b Cap. 6. 28. c *V. Iſaac. Caſaub. animadv. in Athen.* l. 3. c. 30. d Lib. 1. c. 132.
e *Mor. Neb.* P. 3. c. 46. f *Exod.* 12. 9. 23. 18. 34. 25.

SECT.

S E C T. V.

Jam dictis generalia quædam ſubnectuntur.

HÆC ea ſunt, quæ (ſi quid in me ſit judicii) maxima cum veritatis ſpecie, ad ſolvenda legum paſchalium ænigmata, dicenda ſunt. Quæ ſane omnia legum earum intentioni conſentanea eſſe, eo facilius a me impetro, ut cenſeam, quod apte adeo inter ſe conveniant, nec quicquam violentum, hiulcum, & male cohærens, in ſermonis totius contextu deprehendi poſſit. Quo vero nova aliqua momenta jam dictis afferam, nec vel moroſo alicui lectori dubitandi aut cavillandi anſam præbeam; generalia quædam ſubjungam teſtimonia, unde conſtet, non me ſolum exiſtimaſſe, Deum leges quas dixi paſchales ad Ægypti ritus oppugnandos inſtituiſſe.

Horum primum *Jonathanis* eſto paraphraſis, qui [a] locum illum [*Et vocavit Moſes omnes ſeniores Iſrael, & dixit ad eos, accipite vobis agnum.* &c.] in hunc modum παραφράζει, נגודו ידיכון מטעוות מצראי וסבו לכון מן בני ענא וגו *Subtrahite manus veſtras ab idolis Ægyptiorum, & tollite vobis de filiis ovium ſecundum familias veſtras, & mactate agnum paſchalem.* E quibus pronum eſt inferre, *Jonathanem* paſchatis inſtituta gentium ritibus e diametro contraria cenſuiſſe, & feſti illius obſervationem idololatriæ renunciatæ documentum habuiſſe. Nec opinione falſa ducebatur: nam inde factum (quod obiter moneo) ut [b] pii reges, cum populum apoſtatam ad veri numinis cultum revocare ſtuderent, collapſos paſchatis ritus inſtaurarent, & populum ad ſacrum præcipue paſchale celebrandum, utpote maxime luculentum idololatriæ repudiatæ teſtimonium, ſerio hortarentur.

Eandem ſententiam totis ulnis amplectitur [c] *Heinſius*, qui de Paſchate loquens, aſſerit, *nullum feſtum magis a ſceleſtis paganorum ritibus eſſe alienum*, & quod *proprie adverſus* eorum *ſuperſtitiones & idola inſtitutum ſit. Unde*, inquit, *in* paſchatis *inſtitutione, a Deo dicitur*, Καὶ ἐν πᾶσι τοῖς Θεοῖς τῶν Αἰγυπτίων ποιήσω τὴν ἐκδίκησιν Judicium ſane exercuit Deus in *Hammonem*, cum, in illius opprobrium, arietem in paſchate mactari voluit; in *Apidem* aut *Oſiridem*, cum bovem, in Dei illius contumeliam, cædi juſſit; in *Bacchum*, cum carnes crudas, in numinis illius crudivori dedecus, in feſto vetuit; in *Horum*, cum in illius contemptum, carnem paſchalem aſſari, non elixari, juſſit. Patet itaque, feſto paſchali nihil a Diis & ritibus Ægypti magis averſum inſtitui potuiſſe.

C A P. V.

Lex de altari terreo extruendo.

MONET jam legis ordo, ut de præcepto illo quod [d] *Exodi* vigeſimo nobis occurrit, pauca diceremus. Legis autem verba ſic ſe habent: *altare terreum facies mihi, & immolabis ſuper illud holocauſta tua*, &c. *In omni loco quo memorari faciam nomen meum, veniam ad te & benedicam tibi.* E cujus præcepti verbis dubia duo oriuntur, quæ lectorem remorari poſſint: ea vero paucis expediemus, ut ad illius rationem reddendam, viam eo paratiorem adornemus. (1°.) Quodnam altare ſit, de quo Deus, hoc in loco, ſermonem facit. (2°.) Quonam ſenſu accipienda ſit phraſis illa, ubicunque *nomen meum memorari fecero.* Legis ſenſus.

(1°.) Quodnam altare ſit de quo Deus hoc in loco ſermonem facit? Dubio huic inde cauſa data eſt, quod nullibi memoriæ proditum ſit, Iſraelitas hoc præceptum executioni mandaſſe. Nam certum eſt, duo illa altaria, *Moſis* & *Salomonis*, [quorum unum ſuffitus, alterum holocauſti, dicebatur] nullam cum altari hac in lege præſcripto, cognationem habuiſſe: nec uſquam legimus, quod Iſraelitæ, in *Shiloh*, *Nob*, *Gibeon*, aut alibi, ſacra facientes, altari e terra aut lapidibus tantum conflato uterentur. At multum aberrat a legis hujus intentione, qui Iſraelitas hac de cauſa reprehenſione dignos judicat: cum lex hæc de iis tantum altaribus intelligenda ſit, quæ ob cauſam extraordinariam ad tempus aliquod ſtruebantur. Talibus, [e] *Moſes*, *Joſhua*, *Gideon*, *Samuel*, *Elias*, aliique, extra ordinem, uſi videantur. Senſum tam latum non minus textui

a *Exod.* 12. 21. b 2 *Reg.* 23. 20, 21, 23. 2 *Par.* 3. 1, 5. c *Ariſtarc. ſac.* c. 4. p. 122.
d *Exod.* 20. 24. e *Exod.* 24. 4.

CAP. V. quam veritati conſentaneum eſſe, dubitari nequeat; quamvis textum ad ea præcipue tempora reſpectum habere cenſeam, quibus Iſraelitæ in deſerto oberrarunt; ubi mutatæ ſubinde ſedes, iis altaria nova ſtruendi neceſſitatem attulerunt. Huic opinioni verba illa, *in omni loco*, &c. ſpeciem & firmitatem præbent.

Dubium proximo ſolvendum, hujuſmodi eſt: quo ſenſu capienda ſit illa loquendi formula, בכל המקום אשר אזכיר את שמי *In omni loco quo memorari faciam nomen meum.* Ut filo eo minus errante in perplexum & latentem adhuc horum verborum ſenſum perducamur, ſciendum eſt, vocem illam זכר non tantum *recordandi* & *reminiſcendi*, ſed colendi, officium ſacrum præſtandi, & (in *Hiphil* inprimis) *celebrandi*, ſignificatum antiquitus habuiſſe: quanquam & antiquiſſimam illam vocis notationem ſolus e lexicographis obſervavit [a] auctor ille, cui *Lexicographi* omnes palmam deferunt.

Hunc ſignificatum huic voci aſſerunt nonnulla Scripturæ loca haud oſcitanter prætereunda: nempe *Ieſai.* 66. 3. *Qui offert oblationem*, ac ſi offerret *ſanguinem porci*, מזכיר *qui memorat*, i. e. offert aut adolet, *thus*, ac ſi *benediceret idolo.* Amos. 6. 10. *Quia non* ulli להזכיר *ad commemorandum*, i. e. colendum vel [b] orandum, *in nomine Dei.* Eo ſenſu occurrit, 1 *Paral.* 16. 4. ubi Levitæ conſtituti dicuntur להזכיר *ad* [c] *celebrandum, & ad laudandum, & ad gratias agendas.* Huc apprime faciunt viri non vulgariter eruditi verba, in *Levit.* 2. 2. ubi אזכרתה, ejuſdem familiæ vocem, ſimili ſenſu capiendum docet. Sed præſtat ipſa [d] auctoris verba adſcribere; *pugillum iſtum quem ſacerdos de Mincha tollebat adolendum Domino*, nonnulli אזכרתה *dictum volunt, quod in memoriam referret Deo vel offerentem vel Mincham cujus pars erat. Nos ſic dictum putamus, quod -- ad cultum & commemorationem ſive celebrationem nominis divini pertineret:* nam *reliqua pars non in cultum, ſed in uſum ſacerdotum, cedebat. Sic* v. 9. Et tollet ſacerdos de *Mincha* את אזכרתה i. e. *eam ejus partem quæ commemorationi nominis divini eſt dicata. Similiter* c. 24. 7. *thus quod panibus propoſitionis imponi jubetur, dicitur fore panibus* לאזכרה in celebrationem Dei, *additurque explicationis gratia,* אשה ליהוה, ignitum Domino, *quia panes ipſi cedebant ſacerdotibus, at thus illud adolebatur Deo, in laudem nominis* ſui.

Nec Hebræi ſolummodo, ſed & veteres *Pœni*, quorum lingua Hebraicæ cognata, ſenſu eodem vocem זכר uſurparunt. Hac de re teſtimonium præbeat *Hanno Carthaginenſis*, apud [e] *Plautum;* ubi, de *Diis Calydoniorum tutelaribus* loquens, [1] *vos veneror*, inquit, *qui* זכור את אישי מקומם זאת *memoria*, [i. e. cultus, [illegible], celebratio, adoratio, [illegible]] *apud viros hujus loci eſtis.* Sic enim verba illa, ſcribarum ruditate mutilata, in priſtinum nitorem & integritatem reponenda cenſuit doctiſſimus [f] *Petitus.* Eodem ſenſu & propheta *Ieſaias*, ejuſdem radicis vocem uſurpavit, Cap. 57. 8. *Eſt poſt oſtium, &* retro *poſtem poſuiſti* זכרונך *memoriale tuum.* Id eſt, explicante [g] *Menochio*, *idolum Dei tui, ut illud quaſi tutelare ſimulacrum, tam ingrediens domum quam foras progrediens, adorares, felicemque & fauſtum ingreſſum & egreſſum -- ab eo poſceres.* Sed redeo quo vocat inſtitutum.

Vox hæc eundem apud Arabes etiam ſenſum & notationem obtinet: nam דכר quod ejuſdem eſt radicis & ſignificationis cum אזכרה peculiari quadam & abſoluta ſignificatione deootare *celebrationem* ſeu *cultum Dei*, ſive interna ſive externa commemoratione fiat, nobis teſtatum & teſtimoniis Arabicis firmatum dedit auctor modo memoratus, ad quem curioſus amandamus. Si hæc opinio ſtet firma, eorum ſententiæ ſuppetias ferat, qui *ſacer*, a זכר *memoria* vel *cultu* derivandum ſentiunt.

Hunc autem vocis ſenſum, in textu quem præ manibus habeo, præferendum cenſeo, eo quod captu facilis ſit, & loco apprime conſentaneus. Adeo ut verba illa, *in omni loco quo poſuero memoriam nominis mei* quaſi hoc ſenſu tradita intelligamus; *ubicunque meipſum colendum & celebrandum cum honore nomini debitum exhibuero.* Hunc ſenſum LXX ratum faciunt, qui ſic locum interpretantur, ἂν ἐπονομάσω τὸ ὄνομά μου ἐκεῖ *Ubicunque nominari* vel invocari *fecero nomen meum illic.* Et tunc, tum Dei nomen [i. e. attributa, ſapientiæ, potentiæ, bonitatis & miſericordiæ] debitæ commemoratur, cum gratiarum actione, invocatione, oblatione, aliiſque ſacris officiis pie

a *Lexic. Polyglot. voc.* זכר b *Targ.* הוו מצלן *erant orantes.* c *Non, prout nos, To record and to praiſe.* d *Lud. de Dieu* in *Lev.* 2. 2. e *In Pœnul.* Act. 5. ſc. 1. f *Miſcel.* lib. 2. c. 1. g *De Rep. Hebr.* l. 4. c. 1. §. 11.

1 *Vos veneror:* eſt interpretatio *Seldeni* qui vocem illam *Plauti*, *Uthalonim*, ita reddit, נא את עליונים *obſecro ſuperos. Vid. D. Syr. Prolegom.* c. 2. *Petitus* videtur felicius intelligere *Uthalonim.* נט עליונים *inclinate O Dii.*

publi-

publiceque præſtitis, agnoſcitur, colitur & celebratur. His autem plus æquo forſan immoramur.

Cum jam ſenſum verborum teneamus, proximum eſt, ut, quantum conjectura aſſequi datum eſt, legis hujuſce rationes aſſignemus. Ratio.

Harum prima hujuſmodi eſt, altaria illa terrea, vel *e ceſpite viridi* conflata, Iſraelitarum itinerantium & militantium conditioni maxime conveniebant. Olim enim, obſervante [a] *Grotio*, in more erat *iter facientibus*, *aras* illas *ſubitarias* e viridi ceſpite ſtruere; & qui in caſtris agebant aris illis ceſpititiis tam frequenter utebantur, quod aræ illæ [b] *Marti* ſacræ & pene propriæ fuiſſe videantur. Quid autem, niſi quod horum altarium materia paratu facilis eſſet, & eorum forma rudis & impolita; adeo ut facili opera & mora omni præciſa ſtruerentur? Hisce conſonum *Lucani* illud, lib. 9. v. 988.

Erexit ſubitas congeſtu ceſpitis aras.

Atque hæc ratio eo ſolidior habeatur, quod verbis proxime ſequentibus ſatis apte conjungatur, *in omni loco quo poſuero nominis mei memoriam, veniam ad te, &c.* Quaſi dixiſſet Deus, "vos in deſerto diu vitam agetis duram, ſedem nullam religioni ſtabi-"lem habituri: altaria itaque tumultuario opere ſtructa, & ad præſentem ſolummodo "neceſſitatem accommodata, vobis comparetis: ego vos benedictione mea proſequar, quamvis peregrinantium ritu, aras tantum terreas, incultas, & inſtabiles habeatis.

Secundo: Deus aras haſce terreas & cito ruituras in deſerto poſtulavit, ne altaria ſacra, modo opere ſtabili & eleganti conſtructa ſuſpicioni locum facerent, Deum, inſtar numinum ethnicorum, loco alicui affixum eſſe; & ibi ſolummodo influentias ejus benigniores præbere, ubi altaribus ſacriſque fixis & ſolennibus colebatur. Ad hanc rationem, periodo ſequente, tanquam filo quodam, deducamur; *in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei, veniam ad te & benedicam tibi.* Quaſi dixiſſet Deus, "nolo ego altaria aliqua, ad ritum ethnicorum, e marmore aut metallo conflata, & in "ævum duratura: ne me forſan Θεὸν quendam ἐγχώριον, regionis aut loci alicujus genium "tutelarem, & provinciæ meæ alligatum, crederetis; & opem meam, niſi ad ſolennem "cultus mei locum vos conferatis, fruſtra implorandam. Ne cui talis obrepat opinio, "altaria, ad uſum potius quam pompam accommodata, in deſerto agentes mihi ex"truatis: nam, ubiubi ſitis, me vobis præſentem exhibiturus ſum, & hoſtias veſtras, "quamvis in altari terreo & inculto oblatas, gratas & acceptas habiturus. Ethnicos ſententiam de numinibus ſuis plane contrariam tenuiſſe, eaque loco & muneri alicui ſingulari devinxiſſe, ſi e re præſenti foret, multis teſtimoniis evinci poſſet. [c] *Hanno* Carthaginienſis, rebus adverſis vexatus, ad loci Deos ſe confert, eoſque ſupplici prece veneratur. Inde venit, ut veteres idololatræ [d] tot altaria quot numina, & tot numina quot civitates, numerarent. Nonnullos eandem de Deo Iſraelis opinionem olim imbibiſſe, eumque Θεὸν quendam ἐγχώριον exiſtimaſſe, ſatis elucet ex [e] hiſtoria ſacra. Deus itaque, ut opinioni huic occurreret, de hujuſmodi aris erigendis mandatum dedit, quarum forma rudis & materia debilis indicarent eas, non tam religione quam neceſſitate ſuadente ſtructas, & omniſi officiis quibuſdam cultus peractis duraturas.

Tertio: hujuſmodi aræ, e viſi materia conflatæ, argumento eſſent, cultum multa cum pompa & ſplendido ceremoniarum apparatu, peractum, Deo non multum arridere. Deus populi ingenium penitus perſpectum habuit, & bene novit eos religionis patriarchalis ſimplicitatem faſtidire, cultum autem multa cum pompa & negotio præſtitum impenſe deſiderare. Nam Ægyptii, aliique e gentilium grege, ut Deorum ſimul & hominum gratiam aucupari poſſent; id inprimis curarunt, ut eorum templa, altaria, idola, vaſa religioni inſervientia, & ſacra alia, ornatu magnifico effulgerent; nec quicquam prius in votis habuerunt Iſraelitæ, quam ut eorum ſacra cultu & elegantia pari, ſi non & majori, inſignirentur. Deus itaque, ut remedium jam tum naſcenti malo mature idoneum provideret, hanc legem ritualem, primam ante omnes, tradidit, ut ſibi ara, non marmore, auro, vel alio quovis metallo ſplendida, ſed ex humili ceſpite conflata, strueretur. Deum ea de cauſa hanc legem condidiſſe, verba proxime præcedentia cauſam opinandi præbent; *non facietis mecum Deos argenteos, & Deos aureos non facietis vobis*: Quaſi dixiſſet, "gentium numinibus & eorum ſervis, ſimulacra tota

[a] In Exod. 20. 24. [b] *Aram ceſpite virente Marti Deo faciunt*, Apul. de Aur. Aſin. l. 7. p. 216. [c] *Apud Plaut. loc. ſup. laudat.* [d] 2 Reg. 18. 34. Jer. 2. 28. & 11. 13. [e] 1 Reg. 20. 23. 2 Reg. 17. 27.

" auro & argento præfulgentia, cultusque tanto ſplendori congruenter peractus, ante " alia placent: ſciatis autem, me altari terreo, cultuque ſancto & ſimplici, magis quam " arte vel elegantia quæſitiſſima, delectari.

Quarto: ideo forſan Deus mandatum de altari terreo erigendo dedit, ne in altum ſurgeret, & gentium Excelſis affinitate nimia jungeretur. Nam altare e debili ceſpite conſtructum, mole ſua rueret, modo verticem ejus in altum evexiſſent. Ægyptii quidem, montibus deſtituti, aris altiſſime e terra elevatis ad ſacra obeunda utebantur; quod ſe perſuaſos haberent, Deos ſacra ſua, jam cœlo propiora, facilius percipere, & preces ſuas citius audire, potuiſſe. Syros & alios eidem inſulſæ ſuperſtitioni affines fuiſſe, e frequenti *Excelſorum* in Scriptura mentione ſatis intelligitur. Deus itaque de ara e terra vel ceſpite facienda legem tulit, ut aram ſublimi vertice ſydera minitantem erigendi facultatem adimeret Iſraelitis; ne ſuperſtitionis Ægyptiacæ memoriam ſimilitudine aliqua revocaret, & ne altaria in ſublime ſurgentia darent anſam opinandi, Deum Iſraelis preces & victimas, niſi cœlo propius admotas, percipere minime potuiſſe. Conjecturæ meæ robur afferunt verba proxima, *in omni loco quo poſuero nominis mei memoriam, veniam ad te*, &c. Quaſi dixiſſet Deus, "non opus eſt altari multis gradi" bus in cœlum elevato, ut eo propius a cœlo abſis, cum ſacra facias: ego enim ad te " veniam, & ſacris tuis omnibus, licet a cœlo remotioribus, me præſentem exhibebo.

Quinto: altaria e terra vel ceſpite conſtructa temporum antiquiorum uſui & ſimplicitati magis conſentanea fuiſſe videantur. Cum enim patriarchæ ſedem & locum ſubinde mutarent, rationi conſonum eſt, eos βωμοὺς αὐτοσχεδίους, (uti loquitur *Iamblichus*) *altaria tumultuaria*, e ceſpitibus aut lapidibus quos caſus daret, extruxiſſe. Nec veriſimile eſt, temporum illorum ſimplicitatem pati voluiſſe, ut ſuperbis templorum faſtigiis & elatis altarium capitibus cultum ſuum decorarent. Vulgo receptum eſt, menſas & toros e ceſpitibus confectos, antiquitatis ſimplicitati ruſticæ placuiſſe; quod deſignat [z] *Tibullus* hoc verſu,

Ceſpitibus menſas, ceſpitibusque torum.

Nec facile dubitari poteſt, quin veteres eadem ſimplicitate ruſtica res ſacras, qua vitæ quotidianæ negotia, adminiſtrarent. Verbis meis plenam fidem facit teſtimonium [a] *Tertulliani*, de rudioribus imperii Romani ſeculis ita diſſerentis; *etſi a Numa concepta eſt curioſitas ſuperſtitioſa, nondum tamen aut ſimulacris, aut templis, res divina apud Romanos conſtabat. Frugi religio, & pauperes ritus, & nulla Capitolia certantia cœlo; ſed* [b] *temeraria de ceſpite altaria, & vaſa adhuc Samia, & nidor exilis, & Deus ipſe nuſquam.* Gentes antiquiores e viridi gramine ſive ceſpitibus aras excitare ſolitas, multis aliis teſtimoniis indicavit [c] *Cluverius*, auctor laude non vulgari dignus: & ſtatim poſtea, de aris e materia tam vili conflatis agens, *ipſe*, [d] inquit, *Jehovah hujuſmodi ſibi erigere aram Moſen juſſit*, Exod. 20. v. 24. *Ab Adamo igitur prima hujuſmodi ararum origo, quam poſtea repetiit Noachus, arcam egreſſus.* Cum itaque temporum uſus illa *de ceſpite altaria* plurimum commendaret, Deus altare terreum confici juſſit; ut cultus antiqui ſimplicitatem ſibi maxime gratam indicaret, & Iſraelitas a cultu illo rituali, in quem, ex incolatus Ægyptiaci memoria, totis affectibus ſtudiiſque ferebantur, tacite avocaret.

Sexto: Deus altare e terra factum ſibi dicari voluit, ut eo majorem ſanctitatem & religionem ei conciliaret. Legem hanc ea præcipue ratione datam fuiſſe, ut credam, non levibus adducor argumentis:

(1°.) Deus, hoc in loco, non מזבח ארץ altare e terra quavis ordinaria, hominum & beſtiarum pedibus trita & profanata, ſed מזבח ארמה altare e terra vera, virginea, & ab aratro intacta, poſtulavit. Nam vox ארמה non terram ſimpliciter, ſed *terram rubram* & intemeratam, indicat. Teſtem appello [e] *Procopium*, qui, hanc vocem explicans, Ἀδάμα, inquit, σημαίνει τὴν γῆν τὴν παρθένον, ἀφ' ἧς ὁ Ἀδὰμ ἐπλάσθη. *Significat terram virgineam, e qua formatus eſt Adam.* Conſentit *Heſychius*, qui totum illud, (Ἀδάμα, παρθενικὴ γῆ.) a *Procopio* forte, vel [*] *Joſepho* mutuatus eſt. Ideo vero *Procopius* & *Heſychius*, *Adamah*, *terram virgineam* vocant; vel quod terra [f] pura ruborem quendam virgineum ferre, vel vocem eam *terram* nec pede nec aratro tactam notare, crederent. Quid autem Deus, altare ſuum e materia tam pura & quaſi *virginea* fieri voluit,

a *Apologet.* c. 25. p. 25. B   b i. e. *Subitaria & uſui tantum accommoda.*   c *German. antiq.* lib. 1. c. 35.
d Pag. 293.   e *Comment. in Iſai.* 15. 9. p. 228.   * *Quem vid. Antiq.* lib. 1. c. 1. p. 5. 20.   f ארמה ab [illegible]אדם rubuit dicta eſt, *quod terra vera & intacta rubeat.* Schindler. Lex. col. 25.

z Lib. 2. Eleg. 5. v. 100.

niſi

niſi ut illud eo ſanctius haberent Iſraelitæ, eique dignitatem & reverentiam eo majorem exhiberent? CAP. VI.

(2°.) E Judæis & Chriſtianis haud pauci, מזבח ארמה de altari e ceſpite vivo aut viridi ſtruendo interpretantur. Ipſa vero ceſpitis viriditas indicavit, eum nullo pede tactum, aut, uſu aliquo vulgari, nativa ſua puritate ſpoliatum.

(3°.) Versu ſequente, res tota in Hebræorum arbitrio ponitur, altare e terra, aut e lapidibus impolitis conſtructum, Deo dedicare vellent. Conſtabit autem ex iis quæ Capite proximo dicturi ſumus, Deum ideo lapides impolitos lævigatis omnibus prævoſuiſſe, quod illi nativa quadam puritate donati eſſent, nec a manibus artificum pollutionem contraxiſſent.

(4°.) Gentes antiquæ, natura vel traditione doctæ, naturalia omnia, rudia licet & impolita, ſanctiora & Diis ſuis gratiora, crediderunt. Hæc aſſertio fidem apud lectorem habitura eſt, ſi jam dicenda merito ſuo pendere non gravetur.

C A P. VI.

Præceptum de Altari e lapidibus aſperis extruendo.

CUM Iſraelitæ in ſolitudinem jam abituri eſſent, & in locis forte petroſis aut ſabuloſis ceſpitem viridem haud facile reperturi; Deus legem aliam tulit, qua populo altare e lapidibus impolitis ædificandi poteſtatem fecit. Legis verba ſunt hæc: [*] *ſi altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud e ſectis lapidibus: ſi enim levaveris cultrum ſuper eo,* [1] *polluetur.* Apparet autem e rerum Judaicarum commentariis, eos hanc legem, nullo non ævo, ſancte coluiſſe. Hiſtoria ſacra, *Joſhua* geſta referens, ait, eum [a] *altare Deo* ædificaſſe *e lapidibus integris, ſuper quos nemo ferrum elevaſſet.* Huic affinitate proxima jungebatur altare præ foribus templi poſitum: nam [b] *Hecatæus*, inter alia templi Judaici miranda, refert, quod ibi Βωμὸς ſit, [2] ἐκ ἐκ τμητῶν, ἀλλ' ἐκ τῶν ἀργῶν, λίθων συγκείμενος *non e ſectis, ſed* integris & *impolitis lapidibus coagmentatus.* Cum autem hoc altare ab *Hecatæo* deſcriptum utpote pollutum, a Juda Maccabæo dirutum eſſet, [c] ἔλαβον [3] λίθους ὁλοκλήρους κατὰ τὸν νόμον, *acceperunt lapides integros juxta legem, & ſtruxerunt altare novum, ſecundum prius.* Altaris hujuſce formam, *Herodis* altare reddidit: teſtem hic appello *Philonem*, qui altare prope veſtibulum templi ſitum, ἐκ λίθων λογάδων ἀτμήτων, *e ſaxis collectitiis impolitis*, extructum [d] aſſerit. Utcunque, clara hæc & plane ἀναμφίλεκτα teſtimonia, *Petrus* [e] *Cunæus* pro levi habet: nam, de *Philone* loquens, *illud*, inquit, *non ſine errore dixit*, — *aram* nempe *ſub dio* poſitam, — *conſtructam* lapidibus integris impolitiſque *fuiſſe, ex legis edicto.* Quibus, poſt pauca, ſubjungit, *quod in libro primo Maccabæorum*, cap. 4. *dicitur*, acceptis lapidibus integris ſecundum legem, ædificatum eſſe altare novum ad formam ejus, quod fuerat prius, *oppido leve eſt. Nos enim eum auctorem, quiſquis fuit, non magis veremur erroris reum facere, quam Philonem Judæum.* Si tantæ fiduciæ cauſam quæris, ex ipſis intellige *Cunæi* verbis: ara, *lignea ut ſit, atque ære obducatur, numinis placitum eſt in Exodi capite* 27. *quod & Moſes exequitur mox in capite* 38. *& diu poſt maximus rex Salomo, cum templum conderet, non neglexit*, 1. Reg. 8. 64. *Quod* itaque *de ara e ceſpite aut ſaxis facienda edicitur in Exodi* 20. *id ad ea tempora pertinet, cum populus ſacer* in deſerto circumerraret, &c. Miror autem virum tam doctum & acutum exiſtimaſſe, tam clari nominis auctores, ratione tam debili falſi convinci potuiſſe; cum præſertim eorum dictis varia *Joſephi* teſtimonia, a [f] *Scaligero* collecta, novam fidem afferant. Ne longum faciam: aræ ſummitas ære, latera ligno tecta ſunt, intus autem lapides impoliti ponebantur. Hoc & auctor ille poſtea fateri cogitur, dicens, [g] *ſcio ego, qua tempeſtate templum ſecundum ſtetit, aram* ſub dio poſitam *e lapidibus* rudibus factam *fuiſſe.* His de legis hujuſce ſenſu prælibatis, me jam ad illius rationem inveſtigandam confero.

[*] *Exod.* 20. 25. [a] *Joſh.* 8. 31. [b] *Ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων* *Ap. Euſeb. Præp. Ev.* l. 9. c. 4. p. 408. B [c] 1 *Mac.* 4. 47. [d] Lib. *περὶ θυόντων* p. 850. B [e] *De Repub. Hebr.* l. 2. c. 5. [f] In *Fragment.* p. 24. [g] *Cun. ub. ſupr.*

[1] *Hebr.* *polluerıs id.*
[2] Apud *Euſeb.* legitur *ἀτμήτων* — ἀλλ' ἐκ τῶν, deſunt *Euſeb.* — *&c.* exſtant apud *Joſeph. contr. Apion.* l. 1. p. 1349. 5. Vid. etiam *Vigeri not.* in *Euſeb.* p. 39.
[3] Juxta *Cod. Alexandr.* ἔλαβον.

SECT. I.

SECT. I.

Legis rationes vulgo data rejiciuntur.

DEUM legem hanc in remedium idololatriæ (morbi temporum antiquiorum epidemici) ſtatuiſſe, fatentur interpretes pene omnes; quanquam circa ſpecialem legis cauſam varias in partes dividantur. Nam;

PRIMO: ſentiunt aliqui, Deum hujuſmodi altaria impolita fieri præcepiſſe, ne Iſraelitæ, Gentilium ritu, figuras aut imagines in altari ſuo ſculperent, quæ poſtea ſuperſtitioni materiam adminiſtrarent. Hanc legis illius cauſam probavit *Abarbanel*, eruditis ſuis in *Exodum* commentariis, ubi ait, *ratio iſtius præcepti eſt*, שלא יבואו ישראל לעשות באבנים צורות *ne* Iſraelitæ *eo devenirent, ut in lapidibus formarent imagines.* Huic etiam rationi favere videntur *Onkelos* & *Jonathan*: nam Onkelos *lapides* hoſce *ſectos* per פסילן (quæ frequentius res ſculptas & figuratas notat) & Jonathan *ſectos* illos חציבן *ſculptos* reddit, unde vox Chaldæa מחצבין *ſculptilia* derivatur. Rationem hanc eo firmiorem arbitrantur, quod optime cum commate 23 cohærere videatur; nam totam periodum in hunc ſenſum interpretantur: "voluntati meæ repugnat, ut ethnicorum "ritu, Deorum aureorum aut argenteorum imagines faciatis: ideoque ceſpitem viri"dem aut lapides aſperos & impolitos in altaris mei ſtructuram ſumite, ne forſan "imagines in altari ſculpantur, quæ rudibus & ad idololatriam proclivibus, lapſus in "ſuperſtitionem occaſionem offerant. Sed rationem hanc ſubtilitate magis quam veritate commendatam arbitror: nam lex ea de altari e ſaxis rudibus extruendo, non tantum in deſerto, ſed in ipſa templi vicinia ſancte obſervata eſt; quamvis ipſa loci ſanctitas, & perpetua ſacerdotum frequentia, omnem ſculpturæ alicujus metum (modo lapides lævigati fuiſſent) longe removerent. Deinde, ſi Deus ad ſculpturam impediendam, altare ſuum e lapidibus aſperis & a ferro intactis conſtare voluit; unde factum eſt, quod Salomon [a] *ſectos* & æqualis figuræ lapides ad templum extruendum adhibuerit?

SECUNDO: alii Deum hanc legem dediſſe ſentiunt, ut altaria omnia extra ordinem facta, laberentur per ſe, vel ab aliis in ſolitudine deſtruerentur. Non eſt enim veriſimile, altaria opere tumultuario erecta, & e materia tam rudi vel debili conflata, ut moles potius temere congeſtæ quam altaria viderentur, diu durare potuiſſe. Ex adverſo, altaria e conciſo vel affabre dolato lapide conſtructa diutiſſime proculdubio permanſiſſent, utpote materia tam ſtabili firmata, vel elegantiæ ſuæ nomine conſervata. Si autem altaria illa diutius perſtitiſſent, Gentibus locorum illorum idololatriæ, aut Iſraelitis forſan ſchiſmatis, occaſionem præbuiſſent; unaquaque tribu aram deligente, ubi viri aliqui ſibi gratiores olim ſacrificaſſent. Hanc rationem calculo ſuo cohoneſtavit *Theodoritus*, [b] *quia* Iſraelitæ *quadraginta annos permanſerunt in deſerto, continenter abeuntes & loca mutantes*, ideo *vetat e lapidibus fabrefactis altaria conſtrui:* ἵνα μὴ [illegible] τὴν γῆν τὴν ἐπηγγελμένην ἀναλαβόντες, ἐν [illegible] οἱ [illegible] δαιμόνων θυσίας ἐπιτελέσωσι, &c. *Ne, cum hi terram promiſſam obtinuiſſent, vicini in aris illis Dæmonum ſacrificia celebrarent. Idcirco præcepit, ex terra, vel e lapidibus, quales natura produxit*, altaria *conſtrui. Nam utrumque facile diſſolvitur.* Sed & hæc ratio ad ſtateram vocata, levitatem prodit. Nam certum eſt altaria prout & alia ædificia, e lapidibus licet impolitis conſtructa, ſtatum & formam ſuam ad ſera ſecula retinere potuiſſe. Nec minus extra dubium eſt altare præ foribus templi ſitum, (ubi nulla ſchiſmatis aut ſuperſtitionis occaſio dari potuit) [c] e lapidibus rudibus & ferro intactis conſtitiſſe.

TERTIO: aliam rationem excogitavit *Maimonides*, quam ipſis auctoris verbis, Latinitate donatis, accipiamus: [d] *quia idololatræ tunc temporis altaria ſua ex lapidibus caſis ædificarunt, ideo interdixit, ne aſſimilemur ipſis: &, ut modis omnibus id vitemus, præcepit altare fieri ex terra; — & ſi quidem abſque lapidibus fieri non poſſit, ut lapides in forma ſua naturali maneant, neque cædantur vel dolentur.* Huic rationi color aliquis hinc accedat, quod certum ſit idololatras veteres altaria ſolennia de metallis & politis marmoribus extruxiſſe. Inde cauſa data *Poetæ* verbis.

Marmoreas ſtant fulva canum ſimulacra per aras.

a 1 Reg. 5 17. b Quæſt. 44. in Exod. T. 1. p. 100. A c 1 Mac. 4. 47. d Mor. Neb. P. 3. c. 45.

Hanc

Hunc morem aſſerit etiam *D.* [a] *Thomæ* teſtimonium, *Gentiles idolis conſtruebant altaria ornata & ſublimia.* Gentes hunc morem ab antiquo tenuiſſe, e Diodoro Siculo ſatis intelligitur, qui regis *Oſimandua* monumentum deſcribens, hæc inter alia lite is [b] conſignavit; Κατὰ δὲ μέσον τὸν περίστυλον, ὑπαίθριον βωμὸν κατεσκευάσθαι, τοῦ καλλίστου λίθου, τῇ τε χειρουργίᾳ διάφορον, καὶ τῷ μεγέθει θαυμαστόν· *In medio periſtylio ara ſub dio, ex lapide pulcherrimo, conſtructa erat, artificio manuum excellens, & magnitudine admiranda.* Sed & ea ratio male firma eſt, & certo lectoris creduli fidem fallet: ſi enim Deus ideo ſolummodo lapides ſectos ab altari ſuo ablegaſſet; *ne Judæi idololatris aſſimilarentur;* templa, ſacerdotes, victimas, ipſa etiam altaria, & hujuſmodi alia inter gentes uſitata, vetuiſſet. SECT. I.

QUARTO: perſuaſum eſt aliis, Deum altare ſuum formam tam incultam & neglectam gerere voluiſſe, ut ipſa formæ ἰδιότης illud Deo alicui peculiari, non vulgari cuivis ethnicorum numini, dicatum eſſe ſignificaret. Nam certum eſt, Iſraelitas, in idololatriam lapſos, altare a Deo præſcriptum, & ſacra alia ſibi, ipſis propria, ſimul repudiaſſe; & altaria gentium marmorea aut lateritia, rituſque alios apud ethnicos in uſu poſitos, pari ſtudio & affectu recepiſſe. *Ahazum*, cum a Dei cultu deficeret, aram ad [c] altaris Damaſceni modulum extruxiſſe legimus: Judæos etiam apoſtatas aras a legis præſcripto deflectentes erexiſſe, e loco illo prophetæ diſcimus, quem [d] auctor illuſtris ſic ex Hebræo vertendum cenſuit; *neque polluetis* ultra *nomen meum ſanctum per munera & marmora veſtra:* h. e. infit ille, *nomen meum* haud *injuſte uſurpabitis, offerendo oblationes non legitimas in aris iſtis marmoreis, exemplo gentium fabricatis.* Ieſaias etiam Iſraelitis id probro vertit, quod, in ſignum animi a Deo & lege alieni, [e] *altaribus* [1] *lateritiis*, ethnicorum ritu, nonnunquam uterentur. Hæc equidem ratio mihi non parum arrideret, niſi quod e jam dictis & poſtea diſcendis innoteſcat, ethnicos non tantum altaria concinna & ad unguem expolita, ſed etiam rudia & inculta, nec tantum e marmore & metallo, ſed ceſpite & lapide aſpero, conſtructa habuiſſe.

QUINTO: viſum eſt aliis, Deum altare ſuum ex aſpero rudique lapide conſtare voluiſſe, ne forſan inſculpto nomine, vel imagine, vel inſignibus, Dei alicujus fictitii, pollueretur. Gentes inſcriptione aliqua altaria ſua diſtinguere & ſacrare ſolitas, aperte teſtatur altare [f] *Deo ignoto* inſcriptum & conſecratum. Alia moris illius antiquiſſimi exempla, e [g] *Seldeno*, [h] *Sauberto*, [i] *Reineſio*, petant curioſi. Hoc itaque [2] *Laertius* in *Epimenide*, tanquam inſolitum & mirandum, refert, νῦν ἔτι εὑρεῖν κατὰ τοὺς δήμους τῶν Ἀθηναίων βωμοὺς ἀνωνύμους· *Nunc altaria* non pauca *apud Athenienſes, ſine nomine* Dei alicujus inſcripto *reperire eſt.* Nonnunquam aræ lapides, Dei, cui ſacra fuit, inſignia inſculpta habuere: nam auctor nuperus, de æde quadam, Baccho Romæ dicata, loquens, uvas (falſo illi numini gratas & amicas) in aræ ſuæ marmore cælatas, inventas aſſerit. Altaria vero lapidibus incultis horrida & inæqualia, impedimento fuiſſent, quo minus idoli alicujus inſignia vel titulus inſcribi potuiſſent. At neque ratio illa quicquam præter ſpeciem habet: nam *Joſhuah* aram e lapidibus integris & impolitis ædificavit, quam tamen, oraculo monitus, non uno nomine inſcripſit, ſed multis [k] literis, Dei legem, aut ſaltem decalogum, exprimentibus.

SEXTO: Judæi, opinione a majoribus eorum propagata, ſe perſuaſos habent, Deum lapides ferro cæſos in altaris ſui fabrica vetuiſſe, quod ferrum, ad lapides cædendos uſurpatum, eos puritate ſua privaret, & loco omni in tam ſacra ſtructura prorſus indignos redderet. Ita *Jonathanem* & auctorem *Targ. Hieroſolymitani* judicaſſe, cuivis patebit eorum paraphraſes in hanc legem conſulenti. Atque hæc opinio tam magnis auctoribus tandem invaluit, ut altaris lapides leviſſimo ferri tactu pollutos exiſtimarent. *Magiſtrorum* enim [l] decreto cautum eſt, *ut qui dealbant altare*, לא ילבנוהו בכלי שיהיה בו ברזל וגו *non dealbarent inſtrumento in quo ferrum, ne forte ferro attingant lapidem.* *Joſephum* ſuperſtitionis hujuſce fermento tactum, ſuſpicari licet: cum enim de altari ab Herode renovato loqueretur, id laudi [m] vertit, quod ἄνευ σιδήρου κατεσκευάσθη, καὶ οὐδέποτε [3] ἔψαυσεν αὐτοῦ σίδηρος· *Sine ferro parata eſſet, & ferrum illud nunquam tetigiſſet.* Quid autem de *Joſepho* loquor, cum LXX ſeniores in eodem errore verſati videantur?

a 1ª. 2. *Qu.* 102. *Art.* 4. p. 185. b *Biblioth. Hiſt.* l. 1. p. 45. C c 2 *Reg.* 16. 10. d *Grot. annotat.* ad *Ezec.* 20. 39. e *Iſ.* 65. 3. f *Act.* 17. 23. g *De Synedr.* l. 3. p. 269, 270. h Lib. *de ſacrific.* cap. 15. i *Inſcript. antiq. Syntag. Claſ.* 1. k *Joſ.* 8. 31, 32. l *Ap. Hottinger. de jur. Hebr.* p. 53. m *De Bel. Judaic.* l. 5. c 5. p. 1228. 35.

1 על הלבנים *ſuper lateribus.*
2 Vid. p. 20. C
3 Apud. *Lectiones Bigotii & Voſſii*, ἔψαυεν.

SECT. II. Suſpicioni huic locum aperit *Joſhua* caput 8. com. 31. quod illi ſic Græce reddiderunt; ——— Θυσιαστήριον ¹ λίθων ὁλοκλήρων, ἐφ' οὓς οὐκ ἐπεβλήθη σίδηρος. Quid enim vocem ברזל non per *ſecurim* aut [a] σιδήριον, ² ſed σίδηρος *ferrum*, interpretantur, niſi ut huic opinioni tunc temporis invaleſcenti velificarent?

Ad hanc autem opinionem (ni fallat conjectura) Judæi veteres, legis [b] illius verbis, perperam intellectis, adducebantur; *ædificabis altare Domiuo Deo tuo, e lapidibus integris*, לא תניף עליהם ברזל *Non levabis ſuper eos ferrum:* inde colligunt ipſum ferrum, veluti metallum præ cæteris impurum, a lapidibus altaris longe removendum. Quo vero ſubtilius delirare cenſeantur, ſibi præceptum [c] dicunt, *ne quid in altari fabricent, inſtrumentis ad perditionem deſtinatis*, שהוי ברזל שכירת ומוכן תמיד לשפוך דם *cujusmodi eſt ferrum quod cadit, & ſemper paratum eſt ad effundendum ſanguinem.*

At facile appareat, Judæos Muſis & Gratiis omnibus iratis & averſis hanc legem interpretatos fuiſſe, ſi textus [d] illius plane gemini & paralleli verba perpendamus; כי חרבך *ſi gladium* (cultrum, malleum,) *tuum levaveris ſuper eo*, altari, *polluetur.* Nam inde conſtat, non *ferrum* ſimpliciter, ſed cultrum, ſecurim, ³ ἐγχειρίδιον, (uti LXX) nec ſecurim, niſi ad ſecandum elevatam, altare contaminare. Deinde, ſi vel tactus ferri altare pollueret, altaris polluti reum ſe fecit *Joſhua*, qui ⁴ *ſtylo ferreo* ad [e] legis verba lapidibus altaris inſcribenda utebatur. Ne vero, prolixa refutatione, Judæorum ſententiam alicujus æſtimaſſe videar, ad eam refellendam ſola ſubjungam *Theodoriti* [f] verba: Ὅτι σιδήρῳ ἐχρῶντο οἱ τὰ ξύλα τῆς σκηνῆς τεκταινόμενοι, &c. *Nemo, credo, negabit, quin uterentur ferro qui tabernaculi ligna concinnabant, qui aurum itidem, argentum, aut æs fabrefaciebant. Quod & ſacerdotes gladiorum auxilio victimas immolabant, excoriabant, & dividebant, hoc quoque arbitror extra controverſiam eſſe. Cum itaque ferrum non pollueret hæc omnia, quo pacto lapides ſectos contaminaret?* Rationi tam claræ non obſtat locus [g] ille Deuteronomii, *ædificabis altare e lapidibus integris ——— non levabis ſuper eos ferrum:* nam Hebræorum ברזל (uti & Græcorum [h] σίδηρος, & Latinorum *ferrum*) non ſolum metallum ipſum, ſed gladium, cultrum, & quodvis inſtrumentum e ferro factum, ſignificat. Hic itaque non ſine laude memorandi veniunt interpretes *Anglicani*, ſic legem eam transferentes, *Thou ſhalt build an altar unto the Lord thy God: an altar of ſtones: thou ſhalt not lift up any iron tool upon them.* Sed (ne quid diſſimulem) judicium eorum nonnihil deſtituit illos, cum parallelum [i] *Joſhuæ* locum in hæc verba verterint; *An altar of vvhole ſtones, over vvhich no man hath lift up any iron.* Utinam ſe ſui ſimiles præſtitiſſent, & hic etiam vocem ברזל verbis iisdem reddidiſſent!

SECT. II.

Præcepti cauſa genuina proponitur.

De legis hujusce rationibus fictis, & ex interpretum ingenio depromptis, egi hactenus. Proximum eſt, ut illius rationem genuinam, in obſcuro latitantem adhuc, in medium proferam. Ea vero ſe ultro nobis offeret, ſi, miſſis conjecturis propriis, aures dociles & purgatas ipſis præcepti verbis præbeamus; *ſi enim levaveris cultrum ſuper eo, pollues illud.* Quaſi dixiſſet Deus, " in animum tuum hæc forſan " aſcendet cogitatio, lapidum, quos natura parit aut caſus offert, ſcabritiem & angu-" los inæquales, oculis ingratos eſſe, & altaris mei fabricam ornatu omni ſpoliare: " nec decere, ut rem tam deformem & labore vix ullo conſtantem Deo tuo conſe-" crares. Ideoque forſan *cultrum tuum* ad lapides lævigandos, & gratiam aliquam " operi tam facto conciliandam, adhibebis. At cave facias: nam ſi lapides illi cul-" trum ſubeant, & illotas artificum manus experiantur; altaris puritas & religio pe-" ribit tota, & illud molem tantum lapideam, non aram, habiturus ſum. Dubitare quis potis eſt, an is ſit horum verborum intellectus? Ex his itaque ſecure colligo, Deum lapides ſectos & inſtrumento artificis expolitos in altari ſuo vetuiſſe, quod

a *Uti redditur* 2 *Reg.* 6. 5. b *Deut.* 27. 5, 6. c *V. Hottinger. ub. ſupr.* d *Exod.* 20. 25. e *Joſ.* 8. 32. f *Quæſt.* 44. in *Exod.* T. 1. p. 99. D g Cap. 27. 5, 6. h *V. Stephan. Lexic.* in *voc.* σίδηρ. i *Joſh.* 8. 31.

1 Juxta *Editionem Aldin.* ἐκ λίθων — *Complut.* ὁλοκλήρων — *Ald. & Complut.* ἐπεβλήθη ἐπ' αὐτοὺς σιδ.

2 *Complut.* τὸ σίδηρον.

3 *Aquila & Symmachus* vertunt, μάχαιραν· *Theodotion* ῥομφαίαν.

4 De *ſtylo ferreo* non mentio facta eſt: dicitur tantum, ויכתב *& ſcripſit.*

lectio

ſectio omnis eos puritate ſua nativa ſpollaret, eoſque ad uſum tam ſacrum prorſus ineptos redderet. Ita nempe (ſit verbo venia) judicavit ſummus legislator, qui norat optime res omnes veris pretiis æſtimare. SECT. II.

Ut huic rationi lucem paulo majorem afferam, duabus hiſce quæſtinnibus brevi reſpondendum eſt: (1°.) Cur lapides impoliti Deo grati eſſent, lapides autem ſecti altare ſuum contaminare cenſebantur? (2°.) Cur Deus lapides ſectos in altaris ſui ſtructura prohiberet, cum tamen templum e lapide cæſo conſtrueretur?

Primo: cur lapides impoliti Deo grati erant, lapides autem ſecti & lævigati altare ſuum *polluere* cenſebantur? Reſpondeo: lapides impoliti, ſtatum ſuum nativum & integrum retinentes, puritate quadam nativa donati, & altaris ſanctitati maxime conſentanei, videantur; lapides autem multo opere cæſi & elaborati, tractando ſordeſcunt, & humanum quiddam contrahunt, a fabricæ tam ſacræ religione prorſus alienum. Hanc rationem eo ſolidiorem habeamus, quod verſu præcedente præcipiat Deus, ut altare ſuum terra pura & ab aratro intacta; hic autem, ut lapide rudi & a ferro intacto, strueretur: quid autem, niſi quod utraque materia, integra ſit & quaſi virginea adeoque puritate quadam analogica pariter donari videatur? Dictis hiſce non leve pondus addunt *Joſephi* verba, qui Moſem Iſraelitas ſic alloquentem introducit,[a] *urbs ſacra ſit una in regione Cananæa, & templum in ea ſit unum, & altare unum ex lapidibus non politis, ſed collectitiis conſtructum; qui inducti tectorio,* ἐπιχρισθεὶς τε ὅλον, καὶ [1] καθάρειν πρὸς τὴν ὄψιν, *decoram & mundam ſpeciem præ ſe ferant.* His autem verbis, *Joſephus* lapidibus impolitis & caſu oblatis munditiem altaris ſanctitati convenientem tribuere cenſeatur. Sed quid ego *Joſephi* verbis immoror, cum gentes antiquiores [naturæ quodam inſtinctu monitæ, vel opinione ductæ a majoribus accepta] res naturales, nullo artificio adhibito adulteratas, numini gratiores & uſibus ſacris aptiores exiſtimarent? Altaria enim & ethnici e lapidibus, naturæ ſolius manu formatis, Diis ſuis antiquitus erexerunt. Hoc [b] *Arriano* recte aſſeri, qui, *urbis Trapezuntis* memoranda referens, οἱ βωμοὶ, inquit, ἀνεστᾶσιν ἤδη, λίθου μέντοι γε τοῦ τραχέος, &c. *Stant ibi adhuc aræ, quanquam ex aſpero & impolito lapide, quo fit ut literæ illis inciſæ minus ſint notæ atque illuſtres.* In quem locum hæc olim annotavit [c] Gulielmus Stuckius: *ut Deus altarium, quæ ſibi fieri juſſerat, non modo formam, ſed etiam materiam, quam diligentiſſime Judæis praſcripſit; ſic ethnici quoque,* κακοζηλίᾳ *quadam, in aris ſuis efficiendis formam & materiam ſuperſtitioſa quadam curioſitate obſervarunt.* Sed mihi ſimilius videtur, non κακοζηλίαν inutilem, ſed morem a communibus humani generis patribus propagatum, aut quendam rationis inſtinctum, in cauſa fuiſſe, quod gentes antiquiores aſpero & impolito lapide, in altaribus ſuis extruendis, uterentur. Nam ſeculis antiquioribus in legem abiit, ut pleraque Deorum ſymbola & inſignia, rudia eſſent, & ornatu omni deſtituta. Ἐν Ἰκάρῳ, [2] (quod refert [d] *Clemens*) τῆς Ἀρτέμιδος τὸ ἄγαλμα, ξύλον ἦν οὐκ εἰργασμένον· *Apud Icarios, Dianæ ſimulacrum lignum erat non laboratum.* Εἰκόνα Ἡλίου ἀνέργαστον, *ſimulachrum Solis inelaboratum,* memorat [e] *Herodianus:* [3] Bacchi ſtatua erat *lapis niger &* ἀτύπωτος *informis*, ut e [f] *Suida* diſcimus: pro ſymbolo *Martis* (aut fallor) [g] *Arabes informem lapidem* coluerunt. His affinia [h] *Pauſaniæ* verba: Τὰ δὲ ἔτι παλαιότερα καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι, τιμὰς Θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι· *Apud Græcos inſtituto veteri receptum erat, Deorum honores lapidibus rudibus, imaginum loco, exhibere.* Cum Germanis antiquis non multo aliter comparatum fuiſſe, ſcribit [i] *Tacitus:* poſtquam enim eorum *lucos & nemora* retigiſſet, *his* [4] inquit, *ſimulacra Deorum addita, id eſt, ſtatuæ e ſtipitibus rudibus & impolito robore.* Sic itaque *Lucanus* utraque deſcribit, in obſidione *Maſſiliæ;*

Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo:
Arboribus ſuus horror ineſt: tum plurima nigris
Fontibus unda cadit, ſimulacraque miſta Deorum
Arte carent, cæſiſque extant informia truncis.

a *Antiq. Jud.* l. 4. c. 8. p. 161. 30. b In *Peripl.* p. 1. c In *Schol. ſuis* pag. 72. d *Clem. Alex. in Protrep.* p. 40. 20. e Lib. 5. p. 182. f in Θευσάρης. g *Arnob.* lib. 6. p. 196. h In *Achaic.* l. 7. p. 579. i Lib. *de German. morib.*

1 Apud *Codicem Henneberg. aut Schleuſing. & Exemplar Busbeq.* legitur, Καθαρεῖ· alterum ut Ἀγλαιότερον probante *Bernardo, Hudſon.* in loc.

2 Apud *MS. Colleg. Nov. Oxon.* Ἰκαρίῳ.

3 *Suidas* loquitur de *ſtatua Martis.* *Bochartus* autem erroris arguit *Suidam*, qui Θευσάρης vertit Θεὸς Ἄρης *quem dicit in Arabia Petræa maxime coli.* Rectius enim legitur Δουσάρης, phraſi *Arabica*, quamvis voce *ſemi-Syra*, דו אלשרי *Du-ſſara*, *Dominus ſolutionis*, i. e. Λυαῖος, Λυσιμέριμνος. & *Dominus libertatis* i. e. Liber Pater, & *Dominus expreſſionis uvarum* i. e. Ληναῖος &c. Vid. *Bochart. Phaleg.* L. 2. c. 19. col. 111.

4. Ita ſe habet *Tacitus*: *lucos ac nemora conſecrant, Deorumque nominibus appellant ſecretum illud, quod ſola reverentia vident.* p. 127.

SECT. II. Hic forſan a vero & a propoſito non multum aberrarem, ſi lapides illos ingentes in planitie *Sariſburienſi* congeſtos, vulgo *Stoue-heng* dictos, ad horum informium ſymbolorum claſſem accenſerem. Sunt enim lapides ab omni arte & elegantia tam longe remoti, quod ruſticitatis & * ruditatis affectatæ ſpeciem ferant; nec mihi deſunt alia argumenta, qoibus (ſi digredi fas eſſet) hanc conjecturam a lectorum ſannis facile vindicare poſſem.

Objectioni Hic occurrendum objectioni tacitæ, ex eo ortæ, quod lapidum & ſtatuarum tam rudium in ſacris uſus & origo, non hominum opinioni ſed temporum antiquiorum ruditati tribuenda videantur. Ea erat opinione *Dio Chryſoſtomus*, qui *Sermone* 12. hæc habet, Πολλοὶ τῶν βαρβάρων, πενίᾳ τε καὶ ἀπορίᾳ τέχνης, ὄρη θεοὺς ἐπονομάζουσι, καὶ δένδρα ἀργὰ, καὶ ἀσήμους λίθους· *Multi e barbaris, ex artis penuria & defectu, montes Deos vocant, & arbores impolitas, & informes lapides.*

Occurritur. Dionem autem hic a veritate deviaſſe, ſat probat mandatum ſecundum, unde conſtet, homines omnium animalium & rerum imagines formandi artem, ante Moſis tempora, calluiſſe. Sed & Romani plerique, ſub ea tempora quibus ad ſummum ingenii ſimul & imperii faſtigium pervenerant, naturalia omnia, rudia licet & informia, ſanctiora & numinibus gratiora crediidiſſe cenſeantur. Nam *Juvenalis* eorum temeritatem mordaci caſtigat Satyra, qui ſpeluncas & fontes quoſdam, olim Deæ Ægeriæ ſacras, quæ cultu ſuo nativo caſtius nitere cenſebantur, ornatu artificioſo pollutas & profanas reddidiſſent. Ipſa *Satyriſtæ* [a] verba audiamus:

In vallem Ægeriæ deſcendimus, & ſpeluncas
Diſſimiles veris. Quanto præſtantius eſſet
Numen aquæ, viridi ſi margine clauderet undas
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum!

Hoc eſt, "luſtravimus Ægeriæ ſpeluncas, artis laſciviam jam paſſas, & priſcis illis omnino diſſimiles quas ipſa naturæ manus excavaſſet. Fontis & ſpeluncæ ſanctitas, propter numinis oblectati præſentiam, longe præſtantior eſſet, ſi ruditatem nativam retinerent; & herba iſthic oriri, & fontales undas extremitate virente circumſepire ſolita, etiamnum remaneret; & marmora, ibi conſtructa nuper & expolita, lapidem ſcabrum & olim forma neglecta pulchriorem non polluerent, & religione ſua nativa non ſpoliarent.

Cum itaque communi gentium antiquiorum fide receptum fuerit, religionem, majorem cum natura, quam arte, conſenſum colere, reſque omnes (ad inſtar Adami) puritatem & innocentiam quandam in ſtatu ſuo integro retinere: non ſine ratione credimus, eandem ſententiam apud Hebræos antiquiores invaluiſſe, & Deum lapides ſectos, tanquam puritatis nativæ jacturam paſſos, ab altari vel menſa ſua ſanctiſſima removiſſe. His omnibus (ne qoid ſcrupuli maneat) addi poſſit, quod antiqui Judæorum magiſtri, legem de panibus fermentatis a ſolennitate Paſchali removendis, a fonte conſimili fluxiſſe ſenſerint. Nam [b] *Philo*, legis illius rationem redditurus, Λέγεται, inquit, τοῖς ἐξηγηταῖς ἱερῶν γραμμάτων, ὅτι ἡ μὲν ἄζυμος τροφὴ, δώρημα φύσεώς ἐστιν· ἡ δ' ἐζυμωμένη, τέχνης ἔργον· *Ab eloquiorum ſacrorum interpretibus dicitur, cibum non fermentatum, naturæ munuſculum eſſe; fermentatum vero, artis opificium.*

Quæstio ſecunda hæc erat: cur Deus lapides ſectos in altaris ſui fabrica prohibuerit, cum tamen templum e lapidibus curate dolatis conſtrueretur? Quantum in re ab ætate noſtra tanto temporis intervallo ſubmota percipere datum eſt, Deus altaris tantum lapides ferro ſecari vel politi vetuit;

(1°.) Ut ei ſanctitatem & honorem plane ſingularem vindicaret. Erat enim templum, regis ſummi domus tantum; altare vero, [c] *menſæ Domini* titulo & officio decoratum eſt: nec officii ſui dignitas & religio ferre potuit, ut vulgariter haberetur. Curant equidem ſervi regis, ne palatium ejus cœno & ſordibus inficiatur; at curam præcipuam adhibent, ne Domini ſui menſa polluta ſit, aut quicquam, niſi decoram & puram ſpeciem ferat, oculis ejus obverſetur.

(2°.) Legibus ritibuſque aliis bene multis curatum eſt, ne templi ſanctitas & religio læderentur: at vix ulla alia lege rituve proſpectum eſt, ut altare reverenter & cum diſcrimine tractaretur. Ideoque Iſraelitæ legem hanc, non tantum in deſerto, ſed etiam in terra Chananæa, non ſolum cum altaris lapides oculis paterent, ſed cum

* *Intra foſſam ingentia & rudia ſaxa eriguntur*. &c. Cambden. de Stone-heng. Britan. p. 119. a *Sat.* 3. verſ. 17, &c. b Lib. *de Septenar.* & *feſt.* p. 1191. D c *Malac.* 1. 12.

ære

æte vel ligno tegerentur, ſancte & ſolenniter obſervarunt. Cum enim altare lapidibus, nec ferro tactis, nec ullo uſu vulgari contaminatis, extrueretur; nemo tam cæcus aut craſſus eſſe potuit, quin facile perciperet, altaris fabricam ab aliis ſtructuris religione peculiari ſeparatam eſſe, eamque animo tantum puro & ad ſummam reverentiam compoſito adeundam. CAP. VII.

(3°.) Deus ſaxa dolata templo, lapides non niſi rudes altari dedit; ut tacitus indicaret, altare ſtructuram templo diviniorem, & hoc a populi ruditate, illud a religione patriarchali, ſanctionem & originem accepiſſe. Hæc lucem accipiant a *Porphyrii* verbis, quibus rationem reddit cur imagines antiquæ, manu licet rudiori factæ, novis tam facile præferantur: [a] (Ἀγάλματα ἀρχαῖα) καίπερ ἁπλῶς πεποιημένα, θεῖα νομίζεσθαι· τὰ δὲ καινὰ περιέργως εἰργασμένα, θαυμάζεσθαι μὲν, Θεοῦ δὲ δόξαν ἧττον ἔχειν. Imagines antiquæ, *etſi parum accurate facta, Deum tamen ſpirare exiſtimantur: nova vero, etſi curioſius elaborata, admirationem quidem, ſed minorem Divinitatis opinionem, obtinent.*

CAP. VII.

Lex, affinitate proxima, de juvencula in valle aſpera decervicanda, obiter explicatur.

LEGEM illam cujus explicationi opera jam impendenda eſt, auctor *Vulgata* ſic Latinam fecit, [b] *& ſeniores civitatis illius tollent vitulam de armento*, &c. *& ducent eam ad vallem aſperam atque ſaxoſam, qua nunquam arata eſt, nec ſementem recepit: & cadent in ea cervices vitula.* Hanc autem legem ſuperiori affinitate propinquam dixi, quod ea lapides tantum rudes & incultos in altaris ſtructura ferat; hæc etiam juvencam in valle tantum rudi vel inculta mactare poſtulet. Circa legis hujus mentem & ſcopum hærent interpretes præter eos ſolns qui nunquam hærent, allegoriarum ſcilicet architecti, qui nodos legis hujus, & aliarum omnium, udo (quod aiunt) digito expedire ſolent. Allegoriam enim aut ſenſum myſticum in parato ſemper habent, e proprio plerunque cerebro depromptum, ad legis cujusque nodum ſolvendum & ritui vel membro concinne (uti videtur) accommodatum. Ad moris hujuſce veritatem aſtruendam, ipſa lex hæc & illius interpretes argumenta vel exempla nonnulla nimis apta nobis adminiſtrent. Siquis enim curioſus interroget, cur Deus vitulam cædi juſſit quæ nec *jugum traxit*, nec *terram ſcidit vomere?* [c] Toſtatus e veſtigio respondebit; *iſta fiebant, quia tales vitula ferociores* erant, & *ad ſignandum homicidii ferocitatem* aptiores. Si quæret iterum, cur *vitula ad vallem aſperam duci* debuit? in expedito reſponſum eſt, ut ſignetur crudelitas, vel aſperitas occiſoris. Si quæſitor inſtet quærens, cur lex *vitula cervicem cadi* poſtular? Reſpondebit, *ut ſignetur, quod decapitari deberet homicida, & qui celat homicidium.* Si quis rationem peteret, cur Deus *vitulam qua non traxit jugum, decollari* voluit? acumine pari reſpondebit [d] *Bonfrerius*, hæc circumſtantia forſan inſtituta eſt, *ad indicandum, eum qui homicidium perpetravit, hominem eſſe profligatiſſima impietatis, & absque jugo -- ſiquidem*, inquit ille *vitula hac cadenda non occiſi hominis typum gerebat, -- ſed potius homicida.* Si quis aliam quæſtionem ingereret, cur Deus *vitulam in valle*, eaque *aſpera atque ſaxoſa, cædi* juſſit? eam non abſimili reſponſo ſolvendam judicabit: *ratio*, inquit, *hujus rei erat myſtica quadam loci ſignificatio, flagitio conveniens: nam locus depreſſius indicabat vilem & depreſſum animum ejus, qui ſe ira & vindicta cupiditate ſic abripi ſinebat, ut tam barbarum facinus animo deſignaret: locus aſper, durus & incultus, ejusdem animum crudelem, juſtitia cateriſque virtutibus vacuum.*

Non eſt operæ pretium dictatis tam craſſis & fundo nullo ſuffultis irriſui exponendis immorari. Ea proculdubio naſo ſuſpendet lector, cui naſi aliquid. Alium itaque legis hujusce finem & ſenſum, tum legis Moſaicæ dignitate & ſimplicitate magis conjunctum, inveſtigare conabor. Ut autem hoc negotium eo clarius & ſelicius exequar, ſermonem meum de hac lege faciendum intra limites hoſce continebo. (1°.) Rationem, ſaltem ſpecioſam, aſſignabo, cur lex iſta virulam *in valle* mactare præcipit? (2°.) Cauſam reddam, cur præceptum eſt ut ſanguis ejus *in valle aſpera* effunderetur? (3°.) Cur circa vitulam illam, ceremoniæ quædam plane ſingulares

a *De Abſtin.* lib. 2 ſect. 18.
b *Deut.* 21. 3, 4.
c *Comment.* in *Deut.* 21. Quæſt. 1. p. 190.
d *Comment.* in *Deut.* 21. p. 988.

CAP. VII.

obſervari debuerunt? Legis hujus obſcuræ mentem aperiam, ſi tribus hiſce quæſtionibus brevi ſatisfaciam.

Quare vitula in valle mactanda.

Primo: cur lex iſta vitulam *in valle* mactare præcipit? Quæſtio illa nec *inepta* nec *indocta* videri poteſt, eo quod ritus hic a gentium ſimul & Judæorum uſu ſacrificali tam diverſus aberat. Nam vel pueris innoteſcit, gentes antiquiores in excelſis, in ſcrobibus, in altaribus collis alicujus verticem occupantibus res divinas obire ſolitas: legem etiam poſtulaſſe, ut Hebræi, non in valle, ſed ad altare, e legis præſcripto factum, res ſacras agerent. At nuſquam præceptum eſt antea, ut animalis ſacri ſanguis in vallibus aut locis humilioribus effunderetur, & ritus ille Judæis & ethnicis novus & a more ſacrorum alienus haud immerito videatur. Sed ne res iſta in ſermonem longiorem protrahatur, rationes quatuor aſſignabo, cur Deus hac occaſione data, hunc offerendi modum & locum plane ſingularem præcepiſſe cenſeatur.

(1°.) Eventus plane ſingularis & inopinatus huic vitulæ cædendæ occaſionem dedit. Cum enim quis in agris inventus eſſet, fato non ſuo mortuus, & civitatis proximæ ſeniores ſe homicidam ignorare ſancte profiterentur; tunc vitulam modo dictam *in vallem* adducere, & ibi ſanguinem ejus, ad criminis tam tetri maculam eluendam, effundere tenebantur. Cum enim civitatis hujuſce ſeniores a Dei altari magno plerunque terrarum intervallo disjuncti viverent; cum etiam lege vetitum eſſet in excelſis quid ſacri facere, & in ſcrobem animalis alicujus ſanguinem effundere merum ethniciſmum ſaperet; conſultum, ne dicam neceſſum, erat, ut vitula in vallem duceretur, cum occaſio tam triſtis ſanguinis ſui piacularis effuſionem poſtularet.

(2°.) Lege ſtatutum eſt, ut vitula illa in valle cæderetur, ut opinionibus male ſanis occurreret quibus eo ſeculo Judæi & ethnici animos addixiſſent. Judæi nempe credidiſſe videntur, nulla ſacra Deo gratiora quam quæ in excelſis offerebantur; & ea religionis officia Deum facilius & certius obſervaturum, quæ locis cœlo propioribus peragebantur. Haud abſimilis inſania Gentilium animos occupavit, qui Jehovam, [a] *montium* quidem, non autem *vallium Deum* eſſe, pro certo habuerunt. Ut itaque Deus horum & illorum ſententiam tacite redargueret, præceptum eſt ut vitula illa piacularis nec ad altare, nec ad excelſum, duceretur; ſed in valle mactaretur, ut illius ſanguis in valle licet effuſus, Deum terræ Judaicæ humano ſanguine pollutæ propitium redderet, eamque a ſanguinis humani reatu liberaret.

(3°.) Deus vitulam illam in valle mactari voluit, forſan ut dogmati illi, tunc temporis invaleſcenti, *de Diis ſuperis & inferis*, ſe adverſum ſiſteret. Deos quoſdam ſuperos, & eos in montibus, & ſymbolis altitudine ſingulari conſpicuis, adorandos eſſe, gentes inter fidei cultuſque ſui principia poſuerunt. Eorum etiam theologi Deos inferos, vallium præſides, & humiliore quodam cultu propitiandos, aſſeruerunt. Huic autem fidei morique gentium aperte repugnavit Hebræorum ratio, qui legis ſuæ juſſu vel permiſſu, eidem Jehovæ, nunc in monte, nunc in valle, ſacra præſtiterunt; adeoque morem cum illo gentium dogmate prorſus [illegible] ſatis clare docuerunt.

(4°.) Par erat ut vitula illa ritu plane ſingulari tractaretur, quod oblatio naturæ plane ſingularis eſſet, & ab aliis omnibus lege præſcriptis longe diſcreparet. Niſi enim quid me fallat, vitula illa, in vallem deferenda, non piaculi tantum, ſed etiam juramenti, virtutem continuit, & vicem præſtitit. Qui enim vitulam decervicabant, ſtatis precibus (offerentium ritu) utebantur, ut Deum ſibi, nullius peccati conſciis, propitium experirentur; & tacite, in hæc verba jurare cenſebantur; "prout nos vitulam "cædimus, & ſanguinem ejus in valla petroſa fundimus; ita nos feriat Deus, & ſangui-"nem noſtrum pro re vili habeat, ſi homicidium fecimus ipſi vel homicidæ commu-"nicavimus. Gentes nempe veteres id in more habebant, ut, ipſorum verbis aut fœderibus fidem firmiorem facturi animal aliquod ferirent aut medium dividerent, in ſeipſos idem aut pejus malum imprecantes, ſi fidem fallerent, aut quid falſi dicerent. Romanis in uſu erat, ut ipſorum verba ratam fidem invenirent, beſtiam aliquam occidere, ſerio precantes, [b] *ut ſic ipſi occiderentur, ſi fidem jam fallerent, aut falſi aliquid enunciarent.* [c] *Chaldæi*, fidem verbis ſuis facturi, inter medias animalis occiſi partes tranſire ſolebant, & ritu illo ſibi ipſis modo vanis & mendacibus idem fatum imprecari cenſebantur.

Hæ ritus hujuſce rationes mihi maxime ſalivam movent, quod per ſe probabiles ſint & præcipuo legis Moſaicæ fini & mori maxime conſentaneæ.

Vallis qualitates quænam.

Secundo: vallis hujuſce qualitates, lege præſcriptæ, jam illuſtrandæ ſunt, & ea-

a 1 Reg. 20. 28. b *Liv. Hiſt. Rom.* lib. 21. c *Jer.* 34. 18. 19.

rum

rum rationes, qua licet inveſtigandæ. Sunr autem illæ duæ. (1°.) vallis eſſe debuir aſpera & inculta: (2°.) vallis quæ numquam arata fuerat, nec ſementem receperat. CAP. VII.

(1°.) Lege ſtatutum eſt, ur eſſet נחל איתן *vallis aſpera*, inculta, formam nativam retinens, quæque ad ſpeciem horridam & ſalebroſam exuendam nullo unquam labore vel arte cogebatur. Huic ſenſui *Chaldæus* teſtimonium perhibet, voces Hebræas לנחל ביר [1] *ad vallem incultam* rranſſerens. Eidem ſententiæ LXX ſtuduere, voces eas per εἰς φάραγγα τραχεῖαν exponentes. Vox autem τραχεῖαν, *aſperam*, *ſalebroſam*, *horridam*, *incultam*, ſonat; eique λεῖος lævis, glaber, opponi ſolet. Quantum autem probabili conjectura conſequi valeo, Deus duabus de cauſis vitulam illam luſtralem in valle rudi & culturæ prorſus experte cædi voluit.

Primo: vallis inculta, & nativa tantum forma & ornatu commendata, Dei ſolius opus erat, & nihil humani præ ſe ſerebat; adeoque ſacris uſibus aptior haud immerito cenſebatur. Hujuſmodi vallis inculta quidem erat, ſed inracta; nec pollutionis aliquid ab hominum manibus aut ingeniis hauſerat. Hæc ratio eo ſolidior habeatur, quod in gentium antiquiorum religionibus uſu frequens eſſet, res eas numini dedicare, quæ nullius artificis manum ſubiiſſenr, ſed quicquid formæ vel ornatus habuerunt, a manu rantum naturæ formantis accepiſſent. Hoc teſtimoniis bene multis, capite ſuperiori, probatum dedi.

Secundo: vallis illa qua vitula piacularis occidi debuir, altaris cujuſdam ſubitarii vicem & uſum præſtitit: cum itaque lege præceptum eſſet, ut altare e terra virginea, vel lapide rudi & aſpero, ſtrueretur; par erar, ut etiam vallis illa formam rudem & incultam gereret; & ita parata eſſet, ut altaris materiam & formam imitari videretur.

(2°.) Lex iſta vallem non *aſperam* tantum, ſed & aratri vel ligonis neſciam & immunem, poſtulavit, Hic autem circa legis intentionem in varias opiniones diſceſſum eſt. Pleriſque perſuaſum eſt, Moſem verbis hiſce ſequentibus (*quæ nunquam arata eſt, nec ſementem accepit*) vocem præcedentem, paulo alias obſcuriorem, explicare voluiſſe. [2] *Joſephus* olim hoc in animum induxit ſuum, ſic legem reſerens, εἰς φάραγγα καὶ ἀνεπιτήδειον ἀρότρῳ καὶ φυτοῖς χωρίον, *in vallem & agrum aratro & plantationi inutilem.* [a] *Maimonides* alia omnia cogitavit, ſic legem intelligens, *quaſi locus ille, in quo vitula decervicabatur, nec coli, nec conſeri, potuit in æternum.* At ſententias illas a genuina legis intentione devias eſſe, me perſuaſum ſacir vocum Hebræorum ſenſus apertus & indubitatus. Lex enim, non vallem tantum, eamque rudem & incultam in præſens, ſed & olim aratri & ſementis immunem, poſtulavit, ut vitula illa ſatis honeſte & decore mactaretur. Ideo vero præceptum eſt, ur virula luſtralis in valle nunquam arata vel ſata mactaretur, ut illius quaſi primitiæ religioni ſacræ eſſent, nec quid Dei cultui ſeponerenr, quod olim homini ſervierat, adeoque dignitatis ſuæ primævæ jacturam fecerat.

Superest jam ut de vitulæ modo dictæ qualitaribus, lege requiſitis, ſermonem breviuſculum habeamus. Erant autem iſtæ duæ: (1°.) Virula eſſe debuir quæ nihil operis homini præſtiriſſet. & (2°.) Quæ jugum nunquam ſubiiſſet. Vitulæ qualitates.

Duæ rationes hujus inſtituti reddi poſſunt (1°.) Erat ex decoro, ut nihil uſu humano pollutum Dei cultui dedicarent.

(2°.) In temporum antiquiorum uſus abierat, ut hujuſmodi vitulis in jugibus oblatis Deo & ſacris ejus honorem conciliarent. Religio & ſacra eviluiſſenr ſi in uſum religioſum animalia labore trita & ſenio macilenra, ſeponere licuiſſet. Veriſimile eſt itaque ritum hunc ex anterioribus hominum moribus deſumptum fuiſſe, nec quid hac in re præſcriptum niſi quod a multis ſeculis ad Moſis uſque tempora conſuetudo recepiſſet.

a *Mor. Neb.* p. 3. c. 40.

1 לנחל ביר eſt interpretatio *Onkelos. Jonathan Ben Uziel*, Hebraica vertit לחקיל בייר *in agrum deſertum.*
2 Vid. *Antiq. Jud.* l. 4. p. 164. 5.

CAP. VIII. SECT. I.

CAP. VIII.

Præceptum, quo cautum eſt, ne ad altare gradibus adſcenderetur.

LEGES altaris ſacri materiam præſcribentes jam expoſuimus. Sermo noſter ad legem proximam, formam altaris ſpectantem, jam dirigendus eſt. Ea vero his verbis effertur, [a] ***non aſcendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo*** [vel nuditas] ***tua ſuper eo.*** Nos hujus præcepti ſenſum primo, deinde rationem, e mediis antiquitatis tenebris eruere conabimur.

SECT. I.

Genuinus præcepti ſenſus enarratur.

HUJUS præcepti ſenſus multum negotii faceſſit interpretibus, eo quod altarium omnium [Moſis, Rubenitarum, Salomonis, Ezechielis, & Herodis] altitudo tanta eſſet, ut altari ulli, niſi gradibus inſtructo nemo commode miniſtrare potuerit. Altare *Moſis* [b] baſibus minime caruiſſe, & ad quinque cubitorum altitudinem ſurrexiſſe, ratione non levi ductus arbitratur *Villalpandus*: ideoque gradibus opus erat, quibus ad illius apicem aſcenderetur. *Rubenitas* & Gaditas altare tam ſublime conſtruxiſſe, ut ad verticem ejus nemo, niſi graduum adminiculo, pervenire potuerit, inde ſuſpicari licet, qund a *Vulgato* interprete, altare [c] ***infinitæ magnitudinis*** appelletur. [d] Auctnr modo laudatus altare *Salomonis*, una eum baſibus ſumptum, duodecim cubitos altum fuiſſe opinatur: ideoque neceſſe erat, ut ad illius ſummitatem gradatim conſcenderent, cum multis cubitis altitudinem humanæ ſtaturæ ſuperaret. *Ezechielis* altare *gradus* habuiſſe, procul omni controverſia ſtatuunt [e] expreſſa prophetæ verba illi מעלות tribuentia. *Herodis* altare multo altius in aera ſurgebat, ſi Joſepho credimus: [f] ille enim de ara ſibi viſa loquens, ὁ βωμὸς, inquit, πεντεκαίδεκα μὲν ὕψος ἦν πηχῶν· ***Altare quindecim cubito altum erat.***

NE rot exempla, legi (prima fronte) repugnantia, interpretes ad anguſtias redigerent, varia ſibi effugia excogitarunt: nam

(1°.) DICUNT aliqui, legem hanc temporariam fuiſſe, & peregrinationi tantum in deſertis accommodatam; cum nempe fœminalium uſus nondum io mores inductus eſſet, & ſacerdotes, orientalium ritu, veſte rantum talari aut femorali, eujus laciniæ facile attolli & divelli poſſent, uterentur. At hoe effugium interpretibus præcludic *fœminalium uſus*, in ipſo [g] deſerto, ſtatim poſt præſcriptam altaris fabricam, inſtitutus; & *altaris* in deſerto *forma*, gradibus nonnullis annexis fabricati: nam Aaron, ſacris peractis, ***ab altari*** [h] ***deſcendiſſe*** dicitur, *Levit.* 9. 22.

(2°.) SENTIUNT [1] *Abulenſis*, [2] *Ribera*, aliique, Judæos terram in circuitu altaris uniformiter in altum ſuſtuliſſe; adeo ut, ſacerdotibus ad altaris verticem non per gradus ſed tramitem acclivem aſcendentibus, omnis verenda denudandi metus & occaſio tolleretur. Huie opinioni *Joſephus* anſam dediſſe putetur, qui de ara 15 cubitis alta loquens, [i] ***a meridie aſcenſum ad eam clementer arduum patuiſſe*** dicir. At neque hic cuneus nodum expedit: quamvis enim Judæi forte recentiores per tramitem acclivem ad altaris apicem ambularent, Scriptura tamen & gentium aliarum uſus opinari ſuadent, eos, ſeculis antiquioribus, per gradus aſcendiſſe. Cum enim *Ezechiel* altaris ſui formam deſcriptam daret, ומעלתהו [k] inquit, ***& gradus ejus ad orientem reſpiciebant:*** ibi vero Propheta, de gradibus altaris, tanquam appendicibus ſeculo illo uſitatis, & ſilentio minime prætereundis, loqui videatur. Quamvis enim, in ſingulari numero, vox ea non raro pro loeo aliquo [l] acclivi ſurſum aſcendente uſurpetur; in numero multitudinis, gradus ſigoificat qui numerari poſſunt, eamque LXX per ἀναβαθμοὶ, κλίμακες, & κλιμακτῆρες, pene ſemper interpretantur.

a *Exod.* 20. 26. b *Ezr.* 3. 3. c *Joſh.* 22. 10. d *Villalpand.* in *Eze.* T. 2. P. 2. p. 402. e *Ezec.* 43. 17. f *De Bel. Jud.* l. 5. c. 5. p. 1228. 35. g *V. Exod.* c. 27. & c. 28. h Κατέβη [ὁ Ἀαρὼν] *LXX. in loc.* vid. & *Eccl.* c. 50. 11. i *Ub. ſup.* & lib. 4. Antiq. c. 8. k Cap. 43. 17. l *Joſh.* 10. 10. & c. 18. 17.

1 Vid. *Toſtatum Abulens.* in *Exod.* 20. p. 332.
2 De *Templo* &c. Lib. 2. Cap. 20.

(3°.) S.

(3°.) S.[a] *Auguſtinus*, [b] *Hugo Cardinalis*, & eorum ſequaces opinantur, Deum gtadus perpetuos, altari immobilitet adhærentes, hoc in loco vetuiſſe; ſacerdotem vero factis operantem, ſcabellum, pontem, aut fabricam aliquam ligneam, pedibus ſuppoſitum habuiſſe. Sic etiam *Jonathan* exiſtimavit, qui legis hujuſce paraphraſten his verbis agit; *non aſcendetis per gradus ad altare meum, ſed per pontes.* Sed neque ſolutionem hanc aſſis unius æſtimandam cenſeo: quamvis enim lex Moſis minima quæque altare ſpectantia reſetat, altum tamen de hujusmodi ponte, ſcabello, vel fabtica lignea, ſilentium ubique tepetiamus. Sed & opus etat ſcalis aut gradibus, quibus ſacerdos ad ſcabelli vel pontis illius apicem aſcenderet; unde & populus inferior illius vetenda coſpicere poſſet, ſi præſertim ventus paulo vehementior veſtis ſuæ lacinias elevaret. SECT. I.

(4°.) JUDÆI, cum nodum ſolvere neſciant, ſecare ſatagunt, & legem hanc, non de gradibus altatis, ſed ipſius ſacerdotis, exponendam aſſerunt. Nam verba in hanc ſenrentiam interpretari ſolent: [c] *ne conſcendat ſacerdos altare grandibus aut feſtinis gradibus, ne detegatur turpitudo ſua; ſed* בנחת ביראה *lente & cum timore.* At hanc ſententiam hoc unum vanitatis arguit, quod vox illa מעלות per toram Scripturam, de ſcalis aut gradibus manentibus & ſtructuræ alicui affixis uſurpetur; h. e. gradus, non greſſus, denotet.

(5°.) *Fortunatus Scacchus* aliam rationem iniit, ut hæc diſſona Scripturæ loca ad concordiam redigeret. Nempe [d] aſſerit, altare *ſuper ſubſtructiones* aut fabricas e ligno factas, tanquam baſes, elevatum fuiſſe; gradus etiam habuiſſe, ſed eos non ad ipſum alrare, ſed ad baſes aut ſubſtructiones eas pettinuiſſe: adeo ut ipſum altare vix ttium cubitotum altirudinem excederet, & ſacerdotes, ſacra facturi, pet gradus quidem ad ſummam ſubſtructionem (non autem ad ipſum altate) pervenire vel aſcendere dicerentur. Hanc hypotheſin auctori non parum placuiſſe colligo, quod, de legis hujuſce nodis & obſcutis agens, hæ difficultates, [e] inquit, *quæ ſcriptorum animum tot ſæculis* contorſerunt, *me judice*, *jam facillime* ſolvuntur. Hunc autem cerebri *Scacchiani* fœtum amplecti neſcio, quod e verbis apertum ſit, hanc legem de gradibus altaris ipſius, iiſque ſupet quibus partes inhoneſtæ facile tevelati poſſent, intelligendam eſſe. Plura ad *Scacchi* ſententiam evertendam, non addo, quod imbecilli conjecturæ ſolius tibicine nitatur.

QUÆ jam dixi luculenter oſtendunt, interpretes pletoſque a legis hujuſce ſenſu abertare, eamque luce paulo majote quam ei hactenus allata eſt, indigere. Erit itaque, uti ſpeto, paratior veniæ locus, ſi & ipſe verbis tam obſcuris illuſtrandis, aliquid impendam operæ. Ne lectorem verbis detineam, mihi plane perſuadeo, Deum non eo animo hanc legem tradidiſſe, ut gradus omnes, ſed gradus multos, altos pompæ non uſui deſervientes, in altatis ſui ſtructuta prohiberet. Noluit ſcilicet, ut Iſraelitæ, Gentilium (Ægyptiorum præcipue) ritu, in excelſis ſactificarent, i. e. altaribus ad quorum verticem non niſi gradibus altis operoſe ſcandebatur. Ut ad opinionis hujuſce ptobationem inoffenſe progtediar, viam, Theſi duplici præmiſſa, ſternendam arbitror: Auctoris ſententia

PRIMA ſit hæc: gentium antiquiorum uſu receptum erat, altaribus uti ſublimibus, ad res divinas eo majore cum ſolennitate peragendas. Ita morem habuiſſe, e multis Scripturæ locis clate percipiamus: nam populus [f] *in excelſis* ſacrificate, & incenſum offerre, dicitur: quæ altaria vocantur, *Exod.* 34. 13. loco parallelo, *Num.* 33. 52. [g] excelſa appellantur: & Deus multis in locis eorum *excelſa* tollere, perdere, deſtruere, & devaſtate, comminatur, *Lev.* 26. 30. *Ezech.* 6. 3. *Hos.* 10. 8. *Amos.* 7. 9. quæ ſane loca intelligi nequeunt de montibus & collibus (nunquam loco movendis aut diſſipandis) ſed altaribus, quæ ſublimi vertice cœlum minitari videbantur. Atque inde venit, quod *altare*, non apud Latinos tantum, ſed & Hebræos, nomen ab *altitudine* ſortiatur. Nam במה *altitudo* ad altare notandum uſurpatur, *Jerem.* 48. 35. *Exeindam omnem* במה מעלה *offerentem* in *Excelſo*; ubi *Targum* habet מקריב קורבן על במתא *offerentem munus ſuper altari:* Et Ezech. 16. 16. *Accipiebas de veſtibus tuis, & faciebas tibi* במות טלאות *Excelſa maculoſa*, i. e. aras, appenſis veſtibus diverſicoloribus ornatas, tibi confeciſti. Hinc & LXX vocem במות, nunc βωμοὶ, nunc ὑψηλὰ, interpretari ſolent.

a *Quæſt.* 113. in *Exod.* T. 3. P. 1. col. 456. b In *Exod.* 20. 26. c *Hottinger. de jur. Hebr.* p. 54. d *Myroth.* P. 2. cap. 63. col. 621. e Ib. f 1 Reg. 22. 43. 2 *Par.* 28. 25. g Vid. & 2 Reg. 23. 8. 9. 15. 20.

SECT. I. SECUNDO: gentes antiquæ, quo facilius altaria tali ſublimitate conſpicua ſcanderent, ea gradibus amplis inſtructa faciebant. Hoc ratio doceat, & ipſa legis verba, המעלות *gradus amplos* in altari prohibentia: non eſt enim rationi conſenraneum, legem quiequam, niſi io uſu poſitum, prohibere voluiſſe. In horum excelſorum numerum turris Babylonica forte referenda eſt, quæ [a] ſeptuaginta gradus habuiſſe, & altaris viecem quandoque geſſiſſe, creditur. Verum utut iſta ſe habeant, aut valde fallot, aut ampliſſima illa Pyramis Ægyptia, quæ etiamnum ſupereſt & tot ſeeulorum injurias ſuperavit, locum præcipuum inter gentium *excelſa*, vel altaria gradata, antiquirus occupavit. Nam illius figura quadratam altarium antiquorum formam proxime repræſentat, & alia omnia in gentium altaribus uſitata, in Dei autem altari vetita, in pyramidis illius fabrica reperiuntur. *Conſtat* enim *e ſaxis dolatis decentiſſime coagmentatis: -- gradus in ea ab imo ad verticem plus minus ducenti & quinquaginta numerantur:* -- & *gradus illi altiores ſunt, quam ut a ſcaudentibus ſine magno negotio poſſint ſuperari.* [b] Hæc e *Bellonii*, teſtis oculati ſimul & curioſi, fide refero. Huic etiam conjecturæ adjumento eſt, quod pyramis illa non in aeurum ſed planiriem, altaris latitudine paulo ampliorem, deſinat. Hujus rei teſtem etiam αὐτόπτην adduco, principem *Radzivilum*, qui pyramidis hujuſee miranda [c] referens, illius, inquit, *ſummitatem aſceudi, ubi planities eſt quadrata, ſpatium decem cubitorum in qualibet parte complectens.* Quid autem pyramidis hujus artifices tot cubitorum latirudinem illius ſummitati tribuerent, niſi ut ſatis amplus eſſet ſacra faciendi locus, & ſacerdotes, una cum altari forſan antiquitus ibi poſito, commodius continetet? Hic forſan oſcitantiæ notam ſubiturus eſſem, ſi *Herodoti* [d] verba prætermitterem, qui pyramidem hanc, ante annos bis mille, curioſe perluſtravit: ἐποιήθη δὲ αὕτη ἡ πυραμὶς ἀναβαθμῶν τρόπον, τὰς μετεξέτεροι κρόσσας, οἱ δὲ βωμίδας ὀνομάζουσι· *Fait autem extructa hac pyramis in ſpeciem graduum, quos nonnulli ſcalas, quidam autem arulas, vocant.* Quæ verba cauſam non levem ſuſpicandi ferunt, ſaxa grandiora, non graduum ſolummodn, ſed & altarium, uſum olim præbuiſſe; ideoque pyramidis auctores ea in altarium figuras effinxiſſe. His omnibus aceedat [e] *Kircheri* teſtimonium, qui rebus Ægypti perveſtigandis ætatem trivit: *cam Ægyptus humilis eſſet, & montibus careret, loco montiam adinvenerunt Excelſa illa Pyramidum & Obeliſcorum, quos proprio nomine appellabant*, Deorum columnas *ſeu* aras, *ad quas per gradus aſcendebatur.* His, poſt pauca, ſubjungit; *ſed ne ſoli conjectura inſtare videamur, audiamus Abenephiam id manifeſtis verbis, cum de Obeliſcis loquitar, oſtendentem;* ſtatuerunt ſacerdotes Ægypti lapides excelſos in figuram coni ſeu pyramidis faſtigioſæ, —— & nominabant eos, *altaria Deoram ſuorum.* Neque his obſtant quæ *Bellonius*, de *pyramidibus* agens, lectori [f] tradidit: *altera pyramis*, quæ *magnitudine ſecunda* eſt, nullis gradibus *foris* prominentibus eſt inſtructa, eam ob rem *ſcaudi non poteſt: prima faſtigium in planitiem deſinit, duos paſſus in diametro patentem, in qaa quinquaginta homines conſiſtere queant, hac autem in caſpidem deſinit, minus capacem qaam at homo in ea ſtare poſſit.* Hoc etiam de aliis Ægypti pyramidibus, quæ hodieque ſuperſunt, affirmari poruit. At lubens concedo, pyramides illas, areis aut gradibus exrernis deſtirutas & in mucronem turbinatas, ad corpotum ſolummodo conditorum ſepulturam deſtinatas: pyramidem autem cæteris ampliorem, de qua ſermonem inſtituimus, altare, vel forſan aram ſepulchralem, ſuiſſe contendo, aliaſque io formam conſimilem olim ſabricatas, quæ temporis injuria corruetunt. Ex earum numero non paucas olim extitiſſe, ſatis e *Lucani* verbis intelligitur,

Votaqae pyramidam celſas ſolvantur ad aras.

Quamvis autem hæe de pyramidibus Ægypti dicta pro falſis & fictis habeantur, non eſt cur ipſum ſententiæ noſtræ fundamentum ſallax & infirmum exiſtimetur. Nam qui ſacta vel modico tinctu imbibit, probe novit, ethnicorum במות id eſt, *excelſa*, vel altaria gradibus altis aſcendenda, ſæpius in Scriptura memorari.

CUM itaque genres antiquiores, rationibus male ſanis motæ, altaria ſublimia & multis inſtructa gradibus erigere ſolcrent, Deus hanc legem mori tam inſulſo objicere, & altaria vertice plus æquo ſublimi inſignia hic taeite prohibete, videatur. Ad hanc ſententiam accedo, non pœnitendis adductus argumentis: nam,

(1°.) LEX hæc, ſi propius aſpiciamus, eautelæ tantum loco, hic inducta videatur. Apparet enim e verbis proxime præcedentibus, iotentionem Dei primariam fuiſſe, ut

a *V. Buxtorf. Diſſert. de ling. Hebr. confuſ.* §. 47. b *Lib. de Admirab. oper. Antiq.* cap. 3. c *Jeroſolymit. Peregrinat.* pag. 162. d Lib. 2. cap. 125. e *In Oedip. ſynt.* 4. c. 12. T. 1. p. 309. f *Obſervat.* lib. 2. cap. 43.

ejus

ejus altare e terra vel ceſpite viridi ſtrueretur: ſi enim e materia tam debili conſtaret, fieri vix potuit, ut in ſublime ſurgeret, aut gradibus altis ad aſcenſum indigeret. Cum autem altare e lapidibus (ſi magis allubeſceret) extruendi licentiam poſtea conceſſiſſet, tum primum hanc legem tulit, *non aſcendes per gradus ad altare meum*. Quaſi dixiſſet ſummus legiſlator: "quamvis altare terreum mihi gratius accedat, non plane recu- "ſo quin & lapides in illius ſtructura quandoque uſurpentur. Caveas autem, ne la- "pides illi in molem tam ſublimem aſſurgant, ut ad illius apicem, nemo niſi per gradus "altiores adire poſſit. Habeat altare meum firmitatem lapidis, ſemper tamen retineat "humilitatem terræ. SECT. I.

(2°.) DEUS, populi ſui *excelſis* addictiſſimi vanitatem & protervitam (per prophetam) arguens, ad hanc ipſam legem, tanquam *excelſis* inſigniter violatam, digitum intendere cenſeatur: [a] *dixi ad eos, quid* eſt הבמה excelſum *quo itis vos? Et vocatum eſt nomen ejus* במה excelſum *usque ad hanc diem*. Nam hunc locum in hanc ſententiam exponendum arbitror: "in lege altare gradatum prohibente, ſatis aperte declaravi, ni- "hil eximii eſſe in altari multis gradibus elevato; & me altare terreum, aut e lapide "rudi factum altari more gentilium ſtructo longe anteponere; & ut hæc animis veſtris "altius inſigantur, altare meum, ea in lege, non במה ſed מזבח appellavi. Attamen "ethnicorum uſus ita vos tranſverſos egit, quod, altari & templo meo relictis, ad *ex- "celſa* vos conferatis, & adhuc vocabulum במה a profanis gentibus deſumptum, in "ſermone frequentius uſurpetis. Eo magis arridet hæc interpretatio, quod ſenſum efficiat pungentem, & ſatis apte cohærentem.

(3°.) MAGISTRI omnes qui re Judaica vigente floruerunt, opinionem meam de legis hujus intentione ſenſuque probaſſe videantur. Ex iis enim qui a legis origine propius aberant, altaria verticem plus æquo attollentia ſtudioſe devitarunt: nam Moſis altare, una cum baſi ſumptum, non niſi quinque, Salomonis autem non niſi duodecim cubitorum, altitudinem habuiſſe, probavit [b] *Villalpandus*, qui etiam altitudinis hujusce cauſas, a ſacrificiorum fine & tabernaculi templique proportione peritas, aſſignavit. Judæi etiam qui ſub excuntis Judaiſmi tempora vixerunt, non minus altarium gradus, quam eorum majores nimiam altitudinem, inviſos habuere. Iis enim *ad altare aſcenſum fuiſſe*, καὶ οὐ βαθμίδων, *non per gradus, ſed terram leniter acclivem*, e [c] *Joſepho* diſcimus. Non facile eſt autem rationem comminiſci, cur Hebræi veteres ab altarium ſublimium & multis gradibus inſtructorum uſu tam caute ſemper abſtinuerint, etiam cum ſacerdotes tecti femoralibus altari miniſtrarent; niſi quod ſe perſuaſos haberent, Deum legem hanc non tantum moribus immodeſtis, ſed & ethnicorum ſuperſtitionibus oppoſuiſſe. Illi ſcilicet *excelſa*, difficili niſu ſcandenda, ſtruere ſolebant, & pro certo credebant, ſe altaribus illis elatis & ad pompam factis, Deorum ſuorum gratiam inituros.

(4°.) DEUS, hoc in loco, id ex deſtinato agit, ut leges, gentium dogmatis & moribus, circa materiam & formam altarium verſatis, adverſas inſtitueret. Ut hujus argumenti momenta percipiantur, rem totam, exordio altiuſcule facto, brevi repetam. Cum gentes antiquæ *Baalim* & *Elohim*, Deos inferos & ſuperos, (ordinis & nominis diverſi Deos) adorarent; non ritus tantum, ſed & locos habebant diverſos, altiores & depreſſiores, quibus, pro vario Deorum ordine & indole, cultum peragebant. [d] Diis ſuperis, in locis altioribus, & altaribus lapide plerumque dolato ſtructis; inferis autem & Diis Manibus in ſcrobe & locis humilibus, ipſi numinum eorum ordini convenientibus, immolabant. Gentes, eo numinum & locorum diſcrimine ſervato, cultum præſtitiſſe, res notior eſt quam ut multis teſtimoniis ad fidem præſtandam indigeamus. Unum itaque *Porphyrium*, hac in re teſtem diſertum & locupletem, audiamus: [e] ὡς τοῖς μὲν ὀλυμπίοις θεοῖς ναούς τε καὶ ἕδη καὶ βωμοὺς ἱδρύσαντο, χθονίοις δὲ καὶ ἥρωσιν ἐσχάρας, ὑποχθονίοις δὲ βόθρους καὶ μέγαρα, &c. *Ut Diis cœleſtibus templa, delubra, atque altaria ſtatuebant, terreſtribus vero & heroibus aras, ſubterraneis autem ſcrobes & ædiculas; ita mundo antra & ſpecus*, &c. Ne itaque altare Deo ſacrum, ad altarium ethnicorum exemplar tam prope accederet, ut inde color & ſpecies aliqua ſuperſtitioni quæreretur; de illius materia & forma externa hic lege ſpeciali proviſum eſt. Deus enim, non ſcrobem aut aram depreſſam & focario ſimilem, ſed altare, vel molem ſacram paulo evectiorem, ſibi dicari voluit; verſ. 24. Ne vero Deus (ad morem numinum ethnicorum) ara marmorea & multa arte congeſta, ſibi placere crederetur, hic lege curatum eſt, ut e viridi cæſpite vel

a *Ezech.* 20. 29. b Tom. 2. Part. 2. in *Ezech.* p. 401. c *Antiq.* lib. 4. c. 8. p. 161. 35.
d *Ararum altitudines ita ſunt explicandæ, ut Jovi omnibusque cœleſtibus, quam excelſiſſimæ conſtituantur; Veſtæ, Terræ, Marique, humiles collocentur.* Vitruv. l. 4. c. 8. e *De antr. Nymphar.* p. 254.

SECT. I. naturali lapide ſtrueretut; verſ. 25. Hæc eo me ducunt, ut cenſeam, verba ſequentia eo præcipue collimare, ut ethnicorum βωμοὺς [altaria multis gradibus in altum ſurgentia] prohiberent. Cum enim id jam ageret Deus, ut eas altaris extruendi formas tolleret, quæ mori vel dogmati alicui ſuperſtitioſo anſam præbeant; inſtituto ſuo conſentaneum eſt, ut eum *excelſa*, vel altaria non niſi multis gradibus aſcendenda, hoc in loco vetuiſſe cenſeamus.

(5°.) Mos legis eſt, idololatriæ ſigna & adminicula clariora prohibere. Excelſa vero præcipua ſuperſtitionis indicia & adminicula fuiſſe, conſtet, quod *excelſorum* nomen, in ſacro ſermone peſſime audiat, & non niſi ſemel ad laudem uſurpetur; nempe 1 *Reg.* 3. 4. ubi de *excelſo Gibeon*, ad quod Salomon aſcendit, occurrit mentio. Ideoque æquum eſt exiſtimare, Deum altaria excelſa conficiendi poteſtatem, alicubi in lege, populo ſuo denegaſſe. Quid enim alia pleraque cultus idololatrici ſigna & adminicula, nullibi vero excelſa (illa Deo & piis omnibus exoſa nomina) prohiberet? Ubinam autem in toto pentateucho, niſi in lege quam præ manibus habemus, interdictum eſt, *excelſa*, (vel altaria multis gradibus aſcendenda) ſabricare? Deus *excelſa* quidem indirecte vetuit, cum ſacra omnia coram tabernaculo vel templo fieri juſſit: niſi autem hac in lege vetita ſuerint, ipſe nullum pentateuchi locum aſſignare valeo, ubi *excelſa*, per ſe, directe, & aperte prohibentur.

(6°.) Ipsa ratio huic legi addita (*ne reveletur turpitudo tua ſuper illud*) argumento eſt, Deum, altare tantum titu ethnico factum, id eſt, gradibus altis & amplis inſtructum, hac in lege vetuiſſe. Tunc enim metus cauſa ſubeſſe poſſet, ne ſacerdotes ad altaris verticem contendentes nuditatem ſuam inſerne adſtantibus aſpiciendam præberent, ſi gradus nimis alti vel ampli eſſent; unde pedes explicare & paſſus magnos facere, aut veſtium ſuarum lacinias vento liberiori exponere, cogerentur. Gradus pauci, humiles, & facili opera ſcandendi, nullam ſpectaculo alicui inhoneſto & caſtis oculis ingrato cauſam aut occaſionem præbere poterant.

His intellectis, tenebræ his verbis offuſæ protinus evaneſcunt, & expeditæ ſunt difficultates ſupradictæ, quæ miſere hactenus interpretes excruciarunt. Nam facile largiamur, *Moſis*, *Salomonis* & *Ezechielis* altare, gradus aliquot habuiſſe; ſacerdotes etiam antiquiores ad altare pet gradus nonnullos aſcendiſſe, nihil interim contra legis hujuſce διάνοιαν ſenſumque genuinum committentes. Nam lex hæc altare tantum prohibet, ad cujus apicem gradibus altis, & non niſi cruribus operoſe divaricatis, aſcendebatur. Atque ita legem hanc interpretandam cenſuit *Pineda*, cujus [1] verba ſubjungam, ne quis opinionem meam, tanquam novam & nullius eruditi calculo donatam, explodendam cenſeat. *Bama*, inquit [a] ille, *proprie* eſt *altare valde excelſum*, *ad quod per gradus aſcendebatur*, *quale forte prohibetur a Deo*, Exod. 20. 26. Non aſcendes per gradus ad altare meum, *& forte quale etiam templum deſcribitur* Junonis *a Poeta*, *Æneid.* 1.

——Donis, opulentum & numine Divæ,
Ærea cui gradibus ſurgebant limina, ——

Object. Hæc omnia ſatis evincunt, altaria nomini ſuo reſpondentia, h. e. altis gradibus inſtructa, verbis hiſce prohiberi. Utcunque duabus objectionibus occurrendum cenſeo ut ſi quis adhuc ſuperſit ſcrupulus auſeratur.

Harum prima ſit hæc: ipſa verbotum obſcuritas hane legem de *excelſis*, aut aris in ſublime ſtructis, interpretari vetat. Nam ſi ſummo legislatori viſum fuiſſet, *excelſa*, verbis hiſce prohibere; veriſimile eſt, eum multo apertius agere, & *excelſa*, nominatim & directe, (non *gradus* ſolummodo) prohibere voluiſſe.

Sed hic nodus facile ſolvendus: quantum enim legislatoris optimi conſilia modeſta conjectura percipiamus, excelſa diſerte prohibere noluit; ne, ſi lex ejus a conſuetudine paſſim recepta tam aperte diſſentiret, populum, inter mores & cultus exteros educatum, & excelſa ſemper impenſius expetentem, irritatet. Quanto ſtudio populus excelſa proſequebatur, iode diſcere liceat, quod multi teges, quamvis in Dei rebus optime eſſent animati, ab excelſis auſerendis abſtinerent; nempe, ne res ad ſeditionem rediret, ſi contra malum tam late ptopagatum, conſuetudine inveterata confirmatum, & pertinaci gentis affectu retentum, niterentur. Deinde, gradus altaris, pluſquam celſitudo ejus, offendiculo erant, cum lex ea traderetur; quod ſacerdotum, gradus eos

a *De rebus Salomon.* l. 7. cap. 10. §. 4.

1 *Verba* ſunt *Vatabli* in *Ezech.* 20. 39. ad quæ *Pineda* provocat.

aſcen-

aſcendentium, turpitudo facile revelari poſſet, cum (ſeculo illo) [a] togis aut tunicis tantum demiſſis altari miniſtrarent. SECT. I.

Secundo: forte & hoc ſcrupulo nos urgebunt aliqui, quod, invita veritate, pyramides Ægyptias inter *excelſa* numeraſſe videar; cum docti hactenus eas pro regum ſepulchris aut faſtus Ægyptiaci monumentis habuerint, & excelſi conſimilis, forma pyramidali conſtructi, veſtigium, in hiſtoria reperiri nequeat. Ideoque, non eſt vel ſimile vero, Deum hanc legem ſtatuiſſe, ut *excelſa* prohiberet, & altarium Ægyptiacorum memoriam inter Iſraelitas aboleret.

Sed & hic ſcrupulus opera non adeo moleſta tolli poſſit: e pyramidibus enim Ægyptiis, aliquas altarium vicem habuiſſe, non ratinne ſolum, ſed & auctoritate doctorum, eviciſſe videar. Et ampliorem jam dictis fidem addit ipſa pyramidis hodieque ſuperſtitis miraculoſa pene magnificentia. Nam facile credi non poteſt, Ægyptios opus hoc, inter attis antiquæ miracula recenſitum, moliri voluiſſe, niſi Deorum cultus eos animaſſet & extimulaſſet: & is erat ævi priſci genius, quod, ſi quid illuſtrius & glorioſius excogitari potuit, id Deo tam frequenter dedicarent, ut opus aliquod religioni ſactum fuiſſe vel inde colligamus, ſi naturæ vires nonnihil excedere, & magicum quiddam ſpirare, videatur. Nec vero cnnſonum eſt, quod adverſarius nobis ulterius objicit; cum excelſa, figuram pyramidalem exprimentia, & multis ornata gradibus, ethnicíſmo vigente, frequentia fuiſſe cenſeantur. Huic aſſertioni fidem, & toti argumento lucem afferunt, quæ habet *Thomas Gage* noſtras, libro illo cui titulum fecit, *A new Survey of the Weſt Indies;* quo fuſe memorat ritus illos quibus Indi occidentales, ſub primum Hiſpanorum adventum numina ſua coluerunt. Inter alia vero, templi cujusdam meminit, quod, inter cætera civitatis *Mexicanæ* templa, tanquam Eccleſia quædam Cathedtalis, eminebat, quod & loco ſatis amplo & quadrato ſitum aſſerit. "In quadri hujus autem medio (addit [b] ille) ſtetit mons quidam e "terra & ſaxo coagmentatus, quadratus etiam, ulnas quinquaginra in qualibet parte "latus, ad modum pyramidis Ægyptiæ in altum extructus, niſi quod illius faſtigium "non in cuſpidem deſineret, ſed planitiem decem ulnas patentem. In latere Occi-"dentali [N. B.] gradus erant centum & quatuordecim, qui, cum multi eſſent, alti, "& e lapide pulchro fabrefacti, ſpectaculum non injucundum præbuere. Nemo vero "niſi ſtupore quodam defixus, ſacerdotes, quosdam deſcendentes, alios aſcendentes "& ſacrorum partes aut homines immolandos manibus geſtantes, intueri potuit. Hic ſacrotum conſenſus indicio eſt, veteris Gentiliſmi ritus haud paucos inter *Indos* Illos occidentales obtinuiſſe; quod inde veniſſe puterur, quod olim commercii aliquid inter *Mexicanos* ſaltem, & gentes aliquas viciniores interceſſerit; aut quod diabolus, ſibi conſtans, eoſdem ritus & inſtituta Mexicanis, quos & Ægyptiis aliiſque gentibus obſervandos, dederit. Non eſt enim credibile, tot gentes, magno terrarum intervallo diſſitas, in iisdem ritibus fortuito conſentire potuiſſe.

Priusquam ab hac hiſtoriola diſcedam, obſervare juvet, altaris hujus Mexicani gradus *in latere occidentali* conſtitutos fuiſſe; ut ſacerdos, rem ſacram facturus, adverſum ſolem intueri poſſet: at altaris Moſaici & Salomonici gradus ad orientem ſpectaſſe cenſeantur, adeo ut ſacerdotis, ſacra peracturi, vultus ad occidentem verteretur, hec factum, in Solis honorem, facere videretur. Huic aſſertioni fundum præbet [c] 43. cap. *Ezechielis*, ubi *ad orientem ſpectaſſe* dicuntur gradus in altari prophetico, cujus forma (ni fallat *Villalpandus*) ad altaris Salomonici exemplar plurimum dirigebatur. Quid autem veteres Hebræi, nulla licet lege adſtricti, altaris ſui gradus ad orientem ædificarent; niſi ut caverent, ne altare ſuum *excelſi* profani formam gereret, nec ſacerdotis altari miniſtrantis vultus ad Solem orientem converteretur? Hinc etiam, non ſine ſumma probabilitate colligo, veteres Hebræos exiſtimaſſe, Deum altare multis gradibus & nimia celſitudine notabile, hac in lege vetuiſſe, ut ipſius altare ſuum a ſuperſtitioſæ altaris gentilitii forma diſcreparet. Quid enim Hebræi (cum, hac in re, ſui juris eſſent) altaris ſui gradus verſus orientem ponerent, niſi quod legem hanc ſuperſtitioſis ethnicorum moribus, in altarium ſuorum ſtructura ſervatis, opponi crederent, & legis hujus non tantum ſenſum, ſed ſcopum & analogiam, religioſe obſervandum exiſtimarent?

a *V. ſect. proximam.* b Cap. 12. pag. 51. c Verſ. 17.

Oooo SECT.

SECT. II.

SECT. II.

De ratione legis hujus, expreſſa ſimul & implicita.

Ratio expreſſa.

CUM jam legis hujuſce ſenſum capiamus, id nobis incumbit oneris, ut primo rationem ejus *expreſſam* aſſignemus: apertum eſt autem, eam his verbis contineri, אשר לא תגלה ערותך עליו *ut non detegatur turpitudo tua ſuper illud.* Ut autem rationis verbis hiſce contentæ momenta percipiamus, ipſa verba, quo ſe nobis offerunt ordine, primo percurremus.

אשר לא תגלה *ut non detegatur.* Hæc verba ſenſu activo vel paſſivo intelligi poſſunt, adeo ut inter interpretes nondum conveniat, an hac lege, contra caſum, an crimen & voluntariam inhoneſtatem, proviſum ſit. [a] *Villalpandus* ſenſum verborum activum præferendum cenſuit: nam, in tranſitu, de hoc loco verba faciens, hic, inquit, *non gradus fieri prohibentur, ſed eorum aſcenſus in eum finem perverſiſſimum*, ut, *cum immanes publicæ honeſtatis hoſtes* nefandas aſinorum hoſtias abſolviſſent, — *&*, *e mortuis imaginibus turpitudinem, non ſatis ad libidinem* populum excitaſſent; *vivo exemplo propoſito ſuper ipſo altari, verbis &* geſtis *populum ad omnem turpitudinis actum* excitarent. *Quæ omnia inhoneſta ſcelera atque turpiſſima, honeſtiſſima dicendi ratione inhibuit Dominus dicens*, non aſcendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua ſuper eo. *Nam & eo pervenit impiorum hominum licentia, ut ipſum Dei* [b] *templum & altare non vererentur prædictis abominationibus complere.* Hæc autem *Villalpandi* ſententia, [c] *Fortunati Scacchi* verbis abunde refutatur: "huic *opinioni* omnino revera adhæſiſſem, niſi deſideraretur aliquod antiquorum poetarum aut ſcriptorum teſtimonium, quo "probaretur conſueviſſe ſacerdotes gentiles in ſacris Priapi, [ſuper altare] verenda de"nudare. Nam quamvis *Villalpandus* ſatis prolixe ſacra gentilium, libidini atque for"nicationi fuiſſe conjuncta oſtenderit; nullibi tamen probat ſacerdotum verenda, ab eiſ"dem ſuper altare aperiri ſolita, ut ad libidinem aſtantes provocarentur: nam hoc pro"bato, ſtatuti divini ſenſus revera pateret. *Scacchus* itaque cum aliis, hac in re a *Villalpando* diſſidet, & Deum hæc verba, non ad crimen, ſed caſum, præcavendum, dixiſſe ſentit. Nam facile fieri potuit, ut ſacerdos in altum aſcendens, nuditatem ſuam populo inferiori ſpectandam præberet; ſi ventus paulo vehementior tunicæ demiſſæ lacinias attolleret, aut cruribus nimis explicatis fœminalia ſua rumperentur, aut ſacerdos, ad res ſacras attentus, ex incuria forte laberetur.

ערותך Hac voce partes quibus viri ſumus *præcipue* denotari non facile dubitandum eſt. At vero non abſimile eſt, vocem eam hic ſenſu paulo laxiori capiendam eſſe, ita ut partes inhoneſtis vicinæ [femora, crura, nates] in ea contineantur. Nam pudoris intereſt, ne partes illæ detegantur, & turpe viſum eſt, partes illas ignobiles in homine ſacro propalari. Inde Flaminicis, ſive ſacerdotiſſis Dialibus, *ſcalas aſcendere plus tribus gradibus religioſum erat*, auctore [d] Gellio; *ne ulla pars pedum crurumve ſubter conſpiceretur*, ut habet *Servius* ad *Æneid.* 4. Et *Julius Cæſar*, cum ſtrictis pugionibus undique ſe peti cerneret, toga caput [e] obvolvit, & manu ſiniſtra ſinum ad ima crura deduxit, ut, inferiore corporis parte celata honeſtius caderet.

עליו: hic etiam animi pendent interpretes, ſenſum nunc hunc, nunc illum, huic voci tribuentes. Nam aliqui vocem eam, *apud* aut *juxta illud*, interpretantur: quaſi ſenſus eſſet, "noli altare multis gradibus aſcendendum ſtruere, ne altare ritu ethnico "extructum, populo turpitudinem ſuam in altaris ipſius vicinia detegendi, & ſacra mea, "gentium more ſtupris polluendi, occaſionem præbeat. Nam excelſa & ſtupra, nexu quaſi perpetuo, conjuncta fuiſſe, e nonnullis Scripturæ locis haud obſcure colligo; viz. 2. *Par.* 21. 11. *Et fecit* Jehoram *excelſa in montibus Jehudæ, & fornicari fecit habitatores Jeruſalem.* *Ezec.* 20. 29, 30. *Quid eſt excelſum ad quod vos itis? & vocatum eſt nomen ejus* Bamah, *uſque ad hanc diem. Propterea, hac dicit Dominus Deus, certe in via patrum veſtrorum polluimini, & fornicamini*, &c. *Ezec.* 16. 16. *Et ſumpſiſti de veſtimentis tuis, & feciſti tibi* excelſa *multicoloria, & fornicata es ſuper eis.* Salomon, eodem tempore, vagis amoribus indulſiſſe, & excelſa ſtruxiſſe, dicitur, 1. *Reg.* 11. 7, 8. Atque inde venit forſan, quod [f] גבך quod nos *excelſum tuum* reddimus, LXX per πορνεῖόν σε

a In *Exec.* c. 43. tom. 2. Part. 2. p. 401. Col. 620. E
b 2 *Mac.* c. 6. v. 3, 4, 5.
c *Myroth.* P. 2. cap. 63.
d *Noct.* lib. 10. cap. 15.
e *Suet. in Jul. Caſ.* c. 82.
f *Ezec.* 16. 39.

lupanar

lupanar tuum interpretentur: quod ſcilicet excelſum locus eſſet, ubi gentes cultum & libidinem pariter exercereot. Interpretum tamen pars porior vocem עליו *ſuper illud* reddendum cenſuit: & verſionem illam, LXX, *Chaldæus*, & *Syriacæ* verſionis auctor, comprobarunt. Et ſane verſio hæc ſemetipſam probat, quod verbis præcedentibus, gradus altos prohibentibus, magis convenire & cohærere videatur. SECT. II.

VERAORUM ſenſu, qua licuit, explicato, expediendum eſt proximo, cur tam ſedulo curatum ſit, ne ſacrorum miniſtri, munera ſua peragentes, nuditatem ſuam revelarent? Nonne ſatis erat, quod ipſa natura partes obſcœnas tegere docuiſſet? Quantum conjecturis aſſequi licet, ita legis præſcripto cautum eſt,

(1°.) UT eo magis ſacerdotum honori & reverentiæ conſuleretur. Sic enim vir doctus, apud Cl. *Bochartum*, hanc legem explicat; [a] *in oriente, veſtes talares Judæis in uſu erant, quas ita ſubduci, ut corpus videretur, ignominioſum habebatur. Quapropter gradibus ad altare aſcendere vetitum, ne, ſublatis pedibus, lacinia & ala veſtis attollerentur, adeoque femora conſpicerentur.* Exod. 20. 26. *Ne ergo, ſi ventus alam attollat, alterius nuditatem quis augeat, veſtemque amplius ſubducat, hic interdicitur:* alioqui, *ignominiæ illata nomine, quicunque id fecerit, mulctam ſoluturus.* Hanc legem ea de cauſa datam fuiſſe, probabilius habeatur, quod *nuditas* & *detectio nuditatis*, ad maximam ignominiam & contumeliam illatam exprimendam, in ſacris literis uſurpetur. *Ezr.* 4. 14. וערות [b] *& nuditatem regis non convenit nobis videre:* quæ verba, ad textus mentem, ſic reddit verſio Anglicana, *and it vvas not meet for us to ſe the Kings dishonour.* Ieſai. 20. 4. *Et rex Aſſur ducet Ægyptios captivos, diſcalceatos, & diſcoopertos nate,* ערות מצרים *ad nuditatem Ægypti:* ubi *Targum*, וגלן ערוה קלן *& revelatos nuditate ignominiæ*, i. e. *in ignominiam.* Lam. 1. 8. *Omnes qui glorificabant eam, ſpreverunt eam quia viderunt nuditatem ejus.* Nahum. 3. 5, 6. *Revelabo fimbrias tuas in facie tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam Et faciam ut projiciant abominanda ſuper te, & vilipendant te, & ponam te tanquam ſtercus.* Cum itaque detectio nuditatis olim tam probroſum haberetur, credere par eſt, Deum hac lege ſacerdotum honori & reverentiæ proſpexiſſe. Norat ſummus Deus ſacra ſua omnia in contemptum abitura, ſi populus quicquam turpe & indecorum in ſacerdote miniſtrante deprehenderet. Inde leges quamplurimæ, ad ſacerdotum honorem integrum & illæſum conſervandum tradebantur.

(2°.) HAC lege cavetur, ne ſacerdotis altari miniſtrandis pudenda detegerentur, ut Deus omnem cultus idololatrici ſpeciem a ſacris ejus longe removeret. Notum eſt enim, ſpiritus immundos ritus ſuos ad ipſorum imaginem conformari, & miſturis impuris agi, voluiſſe. Hoc ſatis e Scripturis innoteſcat, ubi carnalem impuritatem cum ſpirituali abominatione non raro conjunctam reperiamus. Principes itaque a pietate commendati utramque ſimul ſuſtulerunt. Exemplo ſit *Aſa*. 1. *Reg.* 15. 12. qui ſimul & הקדשים ſive *ſcorta maſcula*, & הגללים *idola*, [1] τετελεσμένους καὶ βδελύγματα (uti habent LXX) ſuſtuliſſe memoratur. Idem diſcere licet e ſcriptis [c] *Apochryphis*, ubi μιασμὸς, γενέσεως ἐναλλαγὴ, γάμων ἀταξία, μοιχεία καὶ ἀσέλγεια, inter mala præcipua e cultu idololatrico oriunda recenſentur. Hanc veritatem firmant Gentilium mores, apud auctorem hiſtoriæ Macchabaicæ memorati, *l.* 2. *cap.* 6. *com.* 4. Ibi enim Dei templum cultu idololatrico polluiſſe dicuntur, & ἀσωτία καὶ κῶμοι, *luxus & impura comeſſationes*, tanquam præcipua cultus illius indicia, memorantur. Hujuſmodi ἀσωτίας καὶ ἀσελγείας io cauſa erant, quod gentilium religiones ἀθέμιτοι εἰδωλολατρείαι ab [d] *Apoſtolo* nuncupentur. Ne itaque cultus divious vel minima affinitate aut ſimilitudine cultui ethnico conjungi videretur, Deus inhoneſtas ſacerdotum ſuorum partes tegi voluit, & quicquid vel fortuitæ earum retectioni occaſionem præbuit, e medio ſuſtulit. Hanc conjecturam promovet, quod Deus omnia alia in Gentilium cultu recepta, immodeſtiæ alicujus ſpeciem præſerentia, ab altaribus ejus procul amandaverit. Nullis enim fœminis (quod apud ethnicos uſitatum) altari ſuo miniſtrandi licentiam dedit: lucos nullos juxta altare ſuum plantari voluit, quorum obſcuritate gentes, ad libidinem ſecure explendam, poſt peracta ſacra, utebantur: ſacerdotes ſuos non niſi femoralibus indutos ſacris ſuis operari permiſit, cum diaboli myſtæ ritus ſuos non raro veſtibus exutis agerent. E quibus promptum eſt intelligere, Deum hanc legem ſtatuiſſe, ut omnem cultus idololatrici ſpeciem a ſacris ſuis abigeret, & ut caſta honeſtaque cultus ſui facies eum in *ſancti Iſraelis* honorem peractum indicaret.

a *De animal. ſac.* P. 1. lib. 2. col. 676. b בזיון *contemptum.* Targ. c *Sap. Salom.* c. 14. 26.
d 1 *Pet.* 4. 3.

1 Ita ſe habet *Editio Complutenſis; Exemplar autem Vatican.* τοὺς τελεστὰς καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα.

SECT. II.

(3°.) Nonnullis viſum eſt Deum caviſſe, ne ſacerdos natura aperta ſacris inſerviret, ut populum ſuum ab impuro *Pehoris* cultu longe removeret. Si enim magiſtrorum fidei ſtandum ſit, *Pehoris* cultus vel eo ſolo peragi potuit, ſi quis, vel in privatis ædibus, vel in templo, coram illius imagine pudenda & nates denudaret. [a] ita nempe in *Gemara* pronunciarunt, הפוער עצמו לבעל פעור זו היא עבירתו *ſi quis denudet ſeipſum coram idolo Pehoris, is eſt ejus cultus.* Conſentit *Jonathan*, qui hiſtoriam cultus in *Pehoris* hoaorem præſtiti, ita [b] παραφράζει, *& inceperunt populus profanare ſanctitatem ſuam, & aperire corpora ſua idolo Peor.* Ritum illum obſcœnum huic cautelæ occaſionem feciſſe, judicavit *Maimonides*, cujus hæc ſunt [c] verba: *Jam pridem noſti pervulgatam rationem cultus Pehoris illis temporibus, quæ conſiſtebat* בגלוי הערוה *in retectione turpitudinis. Ideo præcepit* Deus *ſacerdotibus, ut facerent femoralia ad tegendam carnis turpitudinem, cultus ſui tempore: item ut non aſcenderet* ſacerdos *ad altare*, quamvis jam tectus, *per gradus; ne detegatur*, inquit, *turpitudo tua ad illud. Maimonidis* ſententiam non tantum probavit [d] *L'Empereur*, ſed *manifeſtam* aſſerit *Prophetæ verba legenti*, Hoſ. 9. 10. *Ipſi venerunt ad idolum Pehoris, & ſeparaverunt ſe ad pudorem*, & *fuerunt abominationes prout amaverunt.* In eandem ſententiam concurrunt *Rivetus*, *A Lapide*, aliique. Utcunque [e] *Seldenus* hæc omnia de obſcœnis Peorem colendi ritibus *conſtanter* negat: *liræ, liræ ſunt*, inquit, *Rabbinicæ, & gerræ germanæ:* & idolum illud, virum principem inter divos relatum eſſe contendit, & a monte Peor in Moabitarum regione nominatum. Ibi autem, ſi *Seldeno* credimus, non ritibus illis impuris & vix illæſo pudore reculendis, quos Rabbini ſomniant, eum coluerunt, ſed inferiis, quæ, in defunctorum honorem, de more peragebantur. Hoc docent *Pſalmiſtæ* verba, [f] *& adjuncti ſunt Baal-Peor, & comederunt ſacrificia mortuorum.* Neque Peoris ceremoniæ, modo tam putidæ fuerint, in cauſa eſſe poterant, cur Deus gradus ab altari, & omnem pudenda detegendi occaſionem tulerit: nam probabilitate caret, ſacerdotes Aaronicos pietatem & modeſtiam adeo omnem abjurare potuiſſe, ut partes eas quas ipſa natura ſecretas fecit, populo ſpectandas exhibere vellent, niſi Deus hac in lege nuditatem detegere vetuiſſet. Hæc & alia, ad *Seldeni* ſententiam ſtatuminandam, adduci poſſunt: cum autem *Peoris* [aut *Priapi*] ſtatua, partibus illis apertis, perpetuo ſteterit; cum etiam clarum ſit, non populum tantum ſed & ſacerdotes ſe fœdiſſimis gentium ceremoniis addixiſſe; cum etiam [g] *Maimonides Peorum* ritu tam fœdo cultum aſſeruerit; ſatius eſt, rem totam in medio relinquere, quam ſententiam tam ſpecioſam & tot magnis nominibus cohoneſtatam omnino repudiare.

(4°.) Ideo lege ſpeciali proviſum eſt, ne ſacerdotis nuditas in ipſo ſuo miniſterio videretur, ne ſpectaculo tam impuro, ſacrorum puritas, gravitas, aut religio, læderetur. A ſacrorum puritate prorſus abhorrebat, ut ſacerdotis nuditas inter media ſacra pareret, & adſtantium libido, igne quaſi ab altari ſumpto, incenderetur. Nec minus a ſacrorum gravitate alienum erat, ut ſacerdotis, officio fungentis, pudenda coram populo detegerentur: nam incredibile eſt homines, ingenii præſertim levioris, ſpectatum admiſſos, riſum tenere, & a rebus ſeriis in ludum jocumque vertendis abſtinere voluiſſe. Quam longe ſpectaculum tam obſcœnum & impurum aberat a ſacrorum religione & reverentia, ſeculis præſertim antiquioribus, ſatis e *Martiale* diſcitur, cum enim aruſpex quidam Tuſcus, more gentium, [h] toga tantum demiſſa velatus, rem divinam faceret, & id ei eveniret, ad quod, in ſacerdotibus ejus, præcavendum, Deus hanc legem tulit; ſic aruſpici petulanter illudit [i] *Martialis:*

Ipſe ſuper virides aras luctantia pronus,
Dum reſecat cultro colla, premitque manu;
Ingens iratis apparuit [k] *hernia ſacris.*

Quibus, poetæ licentia uſus, ipſa *ſacra irata* refert, quod ſpectaculum tam fœdum eorum reverentiam & religionem non parum violaſſet.

Ratio implicita.

Hactenus de legis hujuſce ratione verbis diſertis *expreſſa* diſſeruimus: id unum jam reſtat, ut rationem illius *implicitam* (ſic vocare liceat) paucis abſolvamus. Eo enim conſilio, quamvis non omnibus pateat, Deus hanc legem tradidit, ne altare ſuum [modo multis gradibus extructum] excelſa gentium æmulari, & ipſe Gentilium

a V. L'Empereur in Middoth, c. 3. p. 358. b Paraph. in Num. 25. 1, 2. c Mor. Neb. P. 3. c. 45.
d In Middoth. p. 358. e De Diis Syr. Synt. 1. c. 5. f Pſal. 106. 28. g De Idololat. c. 3. § 2.
h V. Jul. Nigron. Diſſert. de Caliga c. 2. § 36. i Lib. 3. Epigr. 24. k Hernia, vel morbus in ſcroto (quod vult Celſ. l. 7. de remed. c. 18.) vel ipſum ſcrotum, ut alii ſentiunt.

dogma-

dogmatis adblandiri, videretur. Nam ea fides gentium veterum animos occupavit, eſſe nempe Deos ſuperos & inferos, iiſque altaria celſiora, his autem aras humiles, conſecrandas. Hoc e *Scholiaſte* diſcimus, *Euripidis* [[a] βωμοὺς ἐσχάρας] ſic explicante; βωμός ἐστιν, ὁ εἰς ὕψος ἀνῳκοδομημένος, καὶ ἀναβάσεις ἔχων, ἐν ᾧ θύουσι τοῖς ἐπουρανίοις Θεοῖς i. e. βωμὸς *altare eſt in altum ædificatum, & gradus habens, quo Diis cœleſtibus ſacra faciunt:* Ἐσχάρα δὲ, ὁ ἐπὶ τῆς γῆς βόθρος, τάξιν ἔχουσα, ἄνευ ἀναβάσεως, ἔνθα σφαγιάζουσι τοῖς κάτω ἐρχομένοις i. e. Ἐσχάρα, *ſcrobs aut fovea eſt, in terræ ſummitate facta, figuram certam habens, ſine gradu tamen, ubi Diis ab infra venientibus mactant hoſtias.* Ideo vero Gentiles Diis ſuperis aras ſublimes, inferis autem depreſſas, conſecrarunt; partim ut aræ ſuæ variis Deorum ſuorum naturis & provinciis convenirent, præcipue vero quod loca Diis quos colebant propiora, victimis & precibus offerendis aptiſſima judicarent. Cum itaque excelſorum uſus merum oleret ethniciſmum, & dogmatum craſſiſſimorum ſoboles eſſet; credi par eſt, Deum excelſum vel altare gradibus altis inſtructum hac in lege prohibuiſſe, ne ſuperſtitioſis ethnicorum placitis colorem dare, vel mores Ægyptios probare videretur. Sciat autem lector, me rationem hanc conjecturæ tantum probabilis loco propoſuiſſe.

CAP. IX. SECT. I.

CAP. IX.

Lex hœdi coctionem in lacte matris prohibens.

E Toto legum ritualium numero, legem vix ullam reperire poſſumus, quam Deus frequentius inculcavit, aut homines a ſenſu genuino magis detorſerunt. Nam legem illam ter minimum in ſacro codice repetitam inveniamus, viz. *Exod.* 23. 19. & 34. 26. & *Deut.* 14. 21. & homines eam torſerunt adeo, quod, [b] *Bocharto* teſte, *vix ulla* ſit *lex in toto — Pentateucho, de cujus ſenſu minus conſtat*, quanquam verbis facilibus & apertis promulgetur. Ipſe varias interpretum ſententias de verborum ſenſu miſſas faciam, cum Cl. *Bochartus* eas diligenter enumeraverit, & more ſuo, i. e. erudite, refutaverit. Me quod attinet, id ſolum hac lege cautum arbitror, quod verba Hebræa præ ſe ferunt, ne ſcilicet hœdus, aut agnus, in lacte materno coqueretur. Voces eas [*aut agnus*] conſultus interpoſui, quod Hebræum גדי hœdum ſimul & agnum notet, & quod LXX, ubicunque occurrit lex hœdi coctionem prohibens, vocem גדי per [c] ἄρνα, *agnum* transferant, quamvis in aliis omnibus Scripturæ locis vocabulum illud per ἔριφον interpretentur. Præterea, *Philo*, legis hujuſce cauſam redditurus, hæc habet, inſtituto præſenti conſentanea; [d] *In tanta* ciborum *copia*, *hædum agnumve in materno lacte coquere, nihil aliud quam immanitatis indicium fuerit.* His accedat, quod ethnici, ritus quoſdam magicos exercentes, agnos ſimul & hœdos, præ cæteris animalibus, lacte materno coquere ſolerent; hanc autem ethnicorum conſuetudinem huic legi cauſam dediſſe, me perſuaſum faciunt argumenta ſtatim producenda.

SECT. I.

Rationes hujus præcepti ſæpe reddita rejiciuntur.

INTERPRETES aliqui non minus circa legis hujuſce rationem, quam alii circa ſenſum, in partes abiere, nam,

(1°.) Sentiunt aliqui, Deum lacte matris hœdum coquere vetuiſſe, quod actio illa ſummæ immanitatis ſpeciem præ ſe ferat. Hæc ſententia [e] *Philoni* placuit, qui conſilium legislatoris hanc legem ſtatuentis explicans, ὑπέλαβεν, inquit, δεινὸν τὴν τροφὴν ζῶντος, ἥδυσμα γενέσθαι καὶ καρύκευμα ἀναιρεθέντος. *Judicavit valde iniquum, id quod viventi animali cibus fuerat, in condimentum occiſi vertere.* Et ſtatim poſtea dicit, hœdum in lacte matris coquere, χαλεπὴν ἐπιδείκνυσθαι τρόπων ἀνημερότητα, *immitem quandam*

a In *Phœniſ.* v. 281. b *De animal. ſac.* Lib. 2. col. 635. c οὐκ ἑψήσεις ἄρνα ἐν γάλακτι μητρὸς αὐτοῦ *Exod.* 23. 19. 34. 26. *Deut.* 14. 21. d Τῶν ἀρνῶν ἢ ἐρίφων γάλακτι μητρῴῳ κρέα συνέψοντα, &c. *Phil.* lib. de *humanit.* p. 711. D e Lib. de *Charit.* p. 711. C

I *Symmachus* vertit, גדי ἔριφον *Exod.* 23. 19.

SECT. I. *ingenii perverſitatem oſtendere, miſericordiam, affectum neceſſarium & cognatum naturæ rationali, prorſus ablegantem.* Huic opinioni ſubſcribunt, [a] *Aben-Ezra, Iſaacus Arama*, & alii nonnulli e Judæorum gente. Sic etiam *Simeon de Muis* huic ſententiæ ſuffragatur: [b] *ſtuduit ſemper Deus omni ratione Iſraelitas ſuos ad clementiam & manſuetudinem, etiam erga bruta animantia, erudire;* ut eo *magis ad manſuetudinem erga homines informarentur. Nam quorſum, quæſo, ſpectat lex illa*, Levit. 22. 28. Bovem autem vel pecus, ipſum & filium ejus, non mactabitis die una? *& quorſum illa altera*, Deut. 22. 6. Si ambulans per viam, in arbore vel in terra nidum avis inveneris, & matrem pullis *aut* ovis deſuper incubantem, non accipies eam cum filiis, *niſi ut docerentur Iſraelitæ, fugiendam eſſe omnem crudelitatem, colendam vero manſuetudinem? Haud alia profecto ejus legis qua cavetur, ne hœdus in lacte matris ſuæ coquatur, videtur eſſe ratio. Quis enim vel paulum humanior eat inficias, crudelitatis aliquam ſaltem ſpeciem habere, ſi lac maternum nutricationi a natura datum in uſum adeo diverſum convertatur, conſumendoque fœtui adhibeatur?* At hæc omnia rhetorem magis quam logicum decent: nihil enim immanitatis in hœdum jam occiſum exercetur, quod in lacte matris coquitur, cum animal occiſum nullo ſenſu tangatur, quacunque ratione carnes illius elixentur. Deinde, ſi Deus hanc legem ſtatuiſſet, quod ille coquendi modus immanitatis umbram ſerat, proculdubio non hœdum ſolummodo, ſed vitulum, & quemvis tenellum, lacte matris coquere vetuiſſet. Leges allatæ multum a propoſito alienæ ſunt: nam avem jam pullis incubantem, & pecus orbatum vitulo, reſpiciunt, quæ, cum in vivis ſint, crudelitatis & miſericordiæ quadantenus capacia videantur. Mihi etiam ſuſpicari ſubit, Deum legem illam de ave pullis incubante, ad ſuperſtitionem aliquam cavendam, tradidiſſe. Nam veriſimile non eſt, Deum legem illam ad humanitatem & miſericordiam docendam ſtatuiſſe, cum avis dimiſſa dolore majori ob pullos amiſſos afficiatur, quam ſi una cum pullis capta fuiſſet, & eandem cum iis fortunam ſubiiſſet. Sed hac de re quid mihi videtur, alibi magis aptus erit enarrandi locus.

(2°.) Sentiunt *Abarbanel* & aſſeclæ ſui, conſuetudinem, in nonnullis veterum idololatrarum ſolennitatibus uſitatam, huic præcepto cauſam præbuiſſe. Ipſum [c] auctorem ſic ſenſum proprium exprimentem audiamus: היותר נראה בזה הוא שהיה ממעשה עובדי עבודת אלילים בזמן קבוציהם לעשות כן ר״ל לבשל הגדיים בחלב בזמן אסיפת התבואות לחשבם שבזה יתרצו לאלהיהם *Probabilius videtur, legem hanc ortam eſſe e more quorundam cultui idololatrico deditorum, qui cum ſeſe congregarent, ita facere conſueverunt; hœdum nempe lacte matris coxerunt, tempore quo fructus ſuos colligebant, perſuaſi ſe ritu illo Deorum ſuorum gratiam ſibi conciliare.* Ad hanc autem ſententiam firmandam allegat *Abarbanel* Hiſpanorum *Meſta*, feſtum ruſticum quod paſtores bis quotannis, ætate ſua, hœdis & lacte celebraſſe refert. Si itaque *Abarbanelem* audiamus, Deus hœdum lacte matris coctum vetuit, ne Iſraelitæ conventus ſuos ſolennes, gentium ritu, agerent; nec cibo, quem uſus idololatris pene proprium fecerat, ſe contaminarent. In hanc ſententiam & ipſe concederem, niſi me retraherent emphatica legis verba: nam in omnibus locis ubi legis hujus occurrit mentio, eam his ipſis verbis [*non coques hœdum*, &c.] traditam reperiamus. Quis autem vel probabiliter dixerit, cur Deus, hanc legem ferens, hiſce tantum verbis uteretur, ſi ſolam hœdi ita parati *comeſtionem* prohibere voluiſſet? Eſt cur credatur, aliquid ſuperſtitioſi in ipſa *coctione* latuiſſe, cum eam toties diſerte vetitam reperiamus: non ſolet enim ſummus Deus ῥῆμα aliquod ἀργὸν & emphaſi quadam carens, in lege præſertim tradenda, uſurpare.

(3°.) Persuasum eſt aliis Deum, hac in lege, non tam comeſtionem, quam coctionem hœdi in lacte materno, ad uſum magicum, vetuiſſe. Nam Zabios antiquos hœdum ita paratum ad uſum magicum adhibuiſſe refert vetus *Karaita* anonymus, cujus verba de *MS.* Hebræo expreſſa, ſic ſonant: *mos erat inter veteres ethnicos, cum fructus omnes collegiſſent, coquere hœdum in lacte matris ſuæ, & deinde,* דרך בשפה *ratione magica, lacte illo aſpergere arbores, agros, hortos, & pomaria: fore credentes, ut hoc modo feraciora in annum ſequentem redderentur.* Ritus hujuſce notitiam debemus Reip. noſtræ literariæ [d] civi præſtantiſſimo, qui primus *Karaitæ* illius teſtimonium in lucem protulit: nam antea [e] *Maimonides* aliique, ſpe inveniendi moris illius inter gentes antiquas, ſatis operæ oleique perdidiſſent. Quamvis autem e ritus hujuſce cognitione multum lucis huic legi affulgere non diffitendum ſit, eos tamen errare cenſeo, qui Zabios hœ-

a *Comment.* in Exod. 23. b *Var. Sacr.* col. 2651. c *Comment.* in Exod. 23. 19. *Fol.* 183. col. 1. d *Cudworth.* lib. de ver. notion. cœn. domini. p. 96. e *Mor. Neb.* P. 3. c. 48.

dum

dum ſolum in lacte materno, idque lactis tantum magice ſpargendi cauſa, coxiſſe dicunt. Opinionis hujuſce rationem, materia paulo magis invitante, redditurus ſum. SECT. II.

(4°.) [a] Maimonides aliique ſentiunt, Deum hœdum lacte matris coctum interdixiſſe, quod *cibus craſſiſſimus ſit, nimiamque repletionem generet.* Tantum autem abeſt ut ratio illa quicquam ſpecioſi habeat, quod apud Arabes pro certo receptum ſit, carnem nullam hœdo lactente teneriorem eſſe, aut exactius nutrimentum præbere; ideoque facile credi poteſt, carnem illam novas delicias & mollitiem a lacte matris haurire, unde palato ſimul & ſtomacho gratior accederet & accommodatior. Sic opinandi cauſam præbet, non ratio tantum, ſed & [b] *Aben-Ezra* teſtimonium: והנה גם הישמעאלים כורים כי אם יבושל הגדי בחלב אמו שהתולדת שוה או הוא יותר ערב i.e. *Aſſerunt etiam Iſmaelitæ, hœdum lacte matris elixum, longe eſſe ſuaviorem propter æqualitatem temperamenti.* His addo, quod, ſiquid ratio illa phyſica valuiſſet, proculdubio legiſlator hœdum, non lacte matris ſolummodo, ſed quovis lacte decoctum, vetuiſſet.

SECT. II.

Genuina legis ratio traditur.

Hicusque aliorum ſententiæ ſtylum meum occupatum tenuere. Proximum eſt, ut ſententiam proferam quæ mihi ſaltem propius ad verum accedere videtur. Quantum itaque mihi percipere datum eſt, Deus hanc legem ſtatuit, ut ritum magicum & idololatricum, eumque non ſimplicem ſed multiplicem, inhiberet. Videntur enim veteres idololatræ non tantum hœdum lacte matris coxiſſe, ſed eum Diis ſuis, rei ruſticæ præſidibus, obtuliſſe, partes aliquas hœdi lactiſque commiſtas comediſſe, tandem etiam lacte illo agros & arbores ſuos (forte cum fruges collegiſſent) in ſpem fertilitatis eo majoris, aſperſiſſe. Ne temere ad hanc ſententiam acceſſiſſe videar, hæc quatuor, quantum argumenti fert obſcuritas, aſſerere & firmare cônabor:

(1°.) Deum, hac in lege, Zabiorum ritum aliquem magicum & idololatricum vetuiſſe.

(2°.) Hœdi immolationem & comeſtionem ritus illius partem haud exiguam extitiſſe.

(3°.) Zabios reſidua lactis ita cocti parte arbores & agros eorum aſperſiſſe, ad fertilitatem inducendam,

(4°.) Ritum illum, præcipue poſt collectionem frugum, uſitatum fuiſſe.

Primo: Deum, hac in lege, Zabiorum veterum ritum aliquem magicum & idololatricum vetuiſſe. In hanc autem ſententiam variæ rationes animum meum induxerunt: Ritum ethnicum hic vetitum eſſe, probatur.

(1°.) Legem hanc, præceptis ritus idololatricos prohibentibus [c] non ſemel conjunctam reperiamus. Cum enim Deus Iſraelitas ad tria feſta quotannis agenda cohortatus eſſet, hæc quatuor iis præſcribit obſervanda: (1°.) Ne ſanguinem ſacrificii ſui offerrent una cum pane fermentato. (2°.) Ne adeps ſacrificii ſui in craſtinum ſervaretur. (3°.) Ut primitiæ in Dei ſolius domum afferrentur. (4°.) Ne hœdus in lacte matris ſuæ coqueretur. Ex iis autem præceptis, Deum tria priora ſuperſtitioſis gentium moribus oppoſuiſſe, alibi ſatis eviciſſe videar. Cum itaque lex ea, de hœdo lacte matris cocto, hujuſmodi præceptis ſemel iterumque conjuncta veniat; inde conjicere licet, Deum eam etiam contra gentium morem aliquem ſuperſtitioſum direxiſſe: nihil enim probabilitatis habet, Deum leges haſce bis conjungere voluiſſe, niſi quod eodem pene collimarent, & ritus propinquos & eadem quaſi ſtirpe prognatos prohiberent.

(2°.) Si legis materiam ſpectemus, nihil in ea vetitum eſt, niſi quod meram magiam olet & idololatriam. Quid enim more receptum erat, ut hœdus præcipue ritu tam ſolenni coqueretur, niſi quod animal magicum eſſet, & locum præcipuum in dæmonum ceremoniis obtineret? Alios enim, ex idololatris antiquis, hircis, aut dæmonibus hirci formam gerentibus, immolaſſe, ſatis e [d] ſcripturis intelligitur: alios etiam hircinæ carnis eſum vetuiſſe, e Zabiorum ſcriptis ſibi viſis nos docet [e] *Maimonides*: a-

[a] *Mor. Neb.* Ibid. [b] *Comment.* in *Exod.* 23. 19. [c] *V. Exod.* 23. 17, 18, 19. & 34. 23, 24, 25, 26. [d] *Levit.* 17. 7. [e] *Ub. ſup.* P. 3. cap. 46.

libros integros, in hanc legem ediderunt. *Maimonides* viginti octo paragraphis hanc prohibitionem explicare conatus eſt, *qui tamen*, inquit Bochartus, *hoc argumentum Hebræorum omnium breviſſime* [a] *tranſcurrit*. Et tantum abeſt, ut Judæi contra legis hujus literam peccent, quod carnem ullam lacte coctam edere religioſum habeant. Quin & eo ſtultitiæ deventum eſt hodie, quod vaſa duplicia, altera ad carnes, altera ad cibos lactarios, coquendos comparent: cultros duos, unum ad carnem, alterum ad caſeum, ſcindendum deſerant. Duo etiam in menſa ſalina habere ſolent, ne carnes & lacticinia uno eodemque ſale condiantur: duo etiam pro utriſque mantilia, notis aut literis diſtinctis inſcripta, ne ab incautis permiſceantur. Legis hujuſce zelo ducti multa ſimilia faciunt, quæ [b] *Paulus Fagius*, [c] *Buxtorfius*, [d] *Leo Modena*, [e] *Bochartus*, alii literis & memoriæ tradiderunt. Unde factum eſt autem, quod tota Judæorum natio prohibitionem illam, tam ſancte, ne dicam ſuperſtitioſe, ſemper obſervarint, & illius violationem inter piacula graviora recenſuerunt; niſi quod hœdus lacte materno coctus, cibus fuerit uſu magico & idololatrico olim contaminatus; ideoque antiquiores Judæi (quibus hoc perſpectum) traditiones illas excogitarint, quibus, tanquam tot ſepibus, eorum poſteros a legis illius tranſgreſſione cohiberent? SECT. II.

(5°.) HANC ſententiam probant nominis clarioris Judæi, *Maimonides, Abarbanel, Nic. de Lyra, Karaita* ille anonymus, quorum teſtimonia accepimus, aut ſtatim accipiemus. In hanc etiam ſententiam a Chriſtianis recentioribus frequentius itum eſt. Loco omnium, [f] auctorem jam laudatum, in hanc legem ſic diſſerentem, audiamus: *certum eſt hoc referri ad ritum aliquem idololatricum ethnicorum: qui aliter ſentiunt, legem non interpretantur, ſed eludunt*. Et paucis interjectis, *hædus*, inquit, *coquendus erat in lacte caprino, & quod amplius eſt, etiam in lacte matris ſuæ. Prima verba ſenſum intricatum præ ſe ferunt, poſteriora plane adeo magica ſunt, ut omni alii interpretationi viam occludant*.

SECUNDO: ut ſententia mea firmiore ſtet pede, probandum incumbit, hœdi immolationem & comeſtionem partem haud exiguam fuiſſe ritus hac lege interdicti. Huic autem aſſertioni argumenta ſequentia magnam probabilitatis ſpeciem conciliabunt.

(1°.) AUCTORES antiqui pene omnes, coctionis nomine, hœdi etiam comeſtionem hic interdictam arbitrantur. *Onkelos* enim, non tam legis verba quam ſenſum ſpectans, ſic textum explicat, לא תיכלון בשר בחלב *non comedetis carnem cum lacte*. Eum ſequitur *Arabs Erpenianus*. Et utrique forte præceſſit hæc paraphraſis Hieroſolymitana, *vobis, o domus Iſrael, licitum non eſt coquere, nec edere, carnem & lac ſimul commixta:* Jonathan iiſdem fere verbis ad textum exponendum utitur. Ab hiſce non multum receſſit *Symmachus*, ſic legis ſenſum referens, οὐ συνυάσεις ἔριφον διὰ γάλακτος μητρὸς αὐτοῦ, *non condies hædum lacte matris ſuæ:* Συνυάζειν enim *condire* ſignificat, cum de cibis agitur. Atque hunc ſenſum Judæorum majores unanimi conſenſu recepiſſe & confirmaſſe videantur: nam apud Judæos hodiernos ſumma cum religione cautum eſt, ne carnem cum lacte comederent aut commiſcerent: nec promptum eſt opinari, totam *Curtorum* ſectam, opinionem aut morem aliquem, ſine majorum ſuorum conſenſu & traditione, amplexari velle. Niſi itaque lex illa, hœdi lacte materno cocti comeſtionem prohibuerit, credendum eſt non ſolum totam Hebræorum gentem a præcipua legis hujuſce intentione deflexiſſe, ſed & eorum majores (quorum proculdubio veſtigiis inſiſtunt) nil ſani & ſolidi de illius ſcopo & ſenſu tenuiſſe.

(2°.) ASSERTIONIS noſtræ fidem firmat, quod legem hanc repetitam inveniamus, non tantum ubi de feſtis anniverſariis, ſed ubi de cibis illicitis, occurrit mentio. Nam, *Deuter*. 14. 19, 21. (ubi de cibis immundis agitur) poſt vetitam morticinii comeſtionem, additur, *non coques hædum in lacte matris ſuæ*. Ad quam legem, *Maimonides* reſpiciens, [g] ait, בשר בחלב אסור לבשלו ואסור לאכלו מן התורה *Carnem in lacte coquere, vetitum eſt: & comedere etiam, lége vetitum*. Cum autem de cibis tantum ageretur, Deus (hanc legem interſerens) de re plane aliena & nulla vicinitate ad argumentum ſuum pertinente verba feciſſet, niſi gentibus in more fuiſſet, ut hœdo lacte matris cocto veſcerentur. Non eſt autem facile dictu (quod obiter moneo)

a *De animal. ſac. P.* 1. *l.* 2. *c.* 12. *col.* 639. 20. b In *Exod.* 23. 10. c *Synag. Jud. c.* 26. d *De rit. Jud. P.* 2. *c.* 7. e *De animal. ſac. col.* 639. f *Jo. Gregor. Not. & obſerv. in aliquot ſcript. loc. cap.* 19. g *cib. vetit. cap.* 9.

SECT. II.

cut Deus cibum mundum, & palato tam gratum, una eum eibis immundis & illicitis, recenſeret; niſi quod hœdus ita coctus & comeſtus myſteriorum magicorum pars magna eſſet, adeoque magnam ſpeciem præberet fœderis & ſocietatis eumdæmone initæ, cujus feſtis & eeremoniis eibus ille facet & peculiaris habebatut.

(3°.) Aliquid etiam firmitatis nanciſcatur npinio noſtra e loco illo *Jeſaiæ*, cujus ſenſus genuinus interptetes pleroſque omnes effugiſſe videtur. Locus extat, *Cap. 66. 17. Qui mundant ſe in hortis, — & [1] in liminibus, comedentes carnem porcinam, & abominationem, & murem.* Hic autem per שקץ *abominationem*, hœdum lacte matris coctum intelligendum ſentio. Ratio mihi ita ſentiendi multiplex eſt: (1°.) Vox hæc inter duo animalia, ſuem & murem, in eeremoniis magicis plurimum uſitata, collocatur: eam itaque de hœdo lacte cocto, in ceremoniis magicis frequenti, non ſine probabili ratione video interptetari. (2°.) Hœdus [vel [a] hircus] vivus, dæmonis ſimulactum; hœdus lacte coctus, dæmonis eibus; antiquitus habebatur: ideoque nullum animal occurrit, eui emphaticum illud *abominationis* nomen potiori jure tribuatur. (3°.) Locus ille parallelus, *Jeſai. 65. 3, 4.* non parum confirmat ſenſum cui ipſe ſtudeo: [b] *qui immolant in hortis, ---- qui comedunt ſuillam*, ופרק פגלים [a], *& jus carnium vetitarum eſt in vaſis ſuis.* Eo enim in loco, viee vocabuli שקץ *abominationem* denotantis, additur, *juſculum rerum abominabilium*, vel *carnium vetitarum. Juſculum* autem *carnium vetitarum*, de lacte quo hœdi illi magici coquebantur, probabiliter exponatur. (4°.) Impii illi, quos perſtringit propheta, *juſculum* ſuum in vaſis aſſervatunt, & הגנות locos arboribus conſitos, ad ſuperſtitionem ſuam exercendam elegerunt: quæ non abhorrent a Zabiorum moribus, qui lac quo hœdus eoquebatur in vaſis ſetvarunr, ad arbotes aſpergendas, ut eo magis fructuoſæ redderentur. (5°.) Ad conjecturam meam confirmandam, paragraphus ille, ſupra memoratus, in *Codice Samaritano* huic legi addirus, nnnnihil momenti afferat. Ita enim ſe habet, *ne coquas hœdum*, &c. *nam qui hoc facit*, כזבח שכח *eſt ut qui ſacrificat* שכח *quod irritat Deum Jacobi.* Ubi genuinus illius vocabuli ſenſus apud eruditos in controverſo eſt: credit [c] *Bochartus*, שכח ibi pro כחש poſitum & *macrum* denotate: opinatur doctiſſimus [d] *Hottingerus* hanc vocem reſpectum habere ad legem, *Lev. 19. 9. Cum meſſueris meſſem tuam, & oblitus fueris manipulum*, &c. Nam hujuſmodi manipulum oblivione relictum *Rabbini* שכחה appellare ſolent: quemadmodum itaque is qui manipulum oblivione relictum reciperet, & primitiarum loco Deo offerret, non ſolum Dei mandatum tranſgrederetur, ſed ipſum quaſi ludificando laceſſeret; ita, inquit, non minori, juxta Codieem Samaritanum, ſe obſtringit occcatn, qui hœdum in lacte matris coquit. Apud me, multo probabilius eſt, vocem שכח *rem abominandam* hic denotare: quamvis enim lexicographi noſtri hujuſmodi ſignificatum huic voci abnuant, paraphraſtes tamen *Chaldæus* eum agnoſcere videtur, *Jeſa. 23. 16.* ubi *urbs* נשכחה *oblivioni tradita*, Tatgum אתרחקת *abominabilis facta eſt*, interptetatur. Sed nonnullis forſan hæc a ſcopo noſtro paulo remotiora videantur:

(4°.) Apud gentes antiquas in religionis patte habebatur, Diis ſuis ſacrificium offerre, & reſiduas aliquas ſacrificii partes una comedere, cum præſertim beneficium aliquod ſingulare impenſius expeterent aut expectarent. Nempe perſuaſum habebant, ſe hac ratione Deos ſuos propitios reddere, & eorum gratiam demereri poſſe. Sed & hac eeremonia fœdus cum Diis ſuis initum tenovabant, ſocietatem quandam cum iis colebant, ſe etiam Deorum potentiam & benignitatem fide eerta complecti, & Diis ſuis fide & affectu propenſo adhærere, teſtabantur. Suadet itaque moris olim recepti ratio, ut credamus veteres Zabios hœdum illum Diis ſuis obtuliſſe, deinde partes aliquas hœdi lactiſque commiſtas comediſſe; ut ritu illo ſe fœdus & ſocietatem intimam cum Diis ſuis, a quibus fertilitatis beneficium expectabant, inire profiterentur. Nullo enim documento tam luculento conſtare potuit, ſe Deos (quos agrorum præſides habuit deluſa Gentilitas) invocare, & ſpem eertam de eorum benigna in arbores & agros influentia concipere; qoam quod agri & arbores, ipſo juſculo quo hœdus, animal Diis illis ſacrum & oblatum, in ſpem majoris fertilitatis, aſpergerentur.

(5°.) Nonnulli venerandi nominis auctores mecum ſunt in hac ſententia, &

a *Levit. 17. 7.* b *V. Exac. 4. 14.* c *De animal. ſac. P. 1. l. 2. col. 634.* d *Exercit. Anti-Morin. c. 70.*

1 *In limin.* בתוך *In medio.*

a Varia quidem eſt lectio in *Codd. Hebraeis*; ſi פרק legimus, quod ita ſe habet in textu; vox illa ſibi vult *frag*men, *fruſtum*: ſi autem juxta קרי viz. *lectionem Maſorethicam* ponatur מרק proprie denotat *jus* פגלים *carnium* vel *rerum abominandarum*.

non

non lac tantum, ſed & hœdum eo lacte coctum, uſui alicui ſuperſtitioſo inſerviiſſe ſentiunt. [a] *Thomas Aquinas* imprimis, de hac lege diſſerens, *dici poteſt*, inquit, *quod Gentiles in ſolennitatibus idolorum, taliter carnes hœdi decoquebant, ad immolandum vel ad comedendum.* Aſſerit etiam *Maimonides*, in libro *More*, *quod Gentiles colebant Deum camporum, ut daret eis multas ſegetes, & alios fructus, &, ut eum placarent, ſacrificabant*, inquit, *hœdum lacte* materno *coctum, quia illud ſacrificium erat* ei *gratiſſimum.* Hæc equidem e [b] *Toſtati* fide me narrare fateor: nondum enim hujuſmodi teſtimonium in libro laudato me inveniſſe memini. *Maimonidem* tamen tale aliquid aſſeruiſſe, eo minus dubitandum ſentio, quod & [1] *Bechai* auctor ſit docere *Rambam*, in more fuiſſe apud cultores idolorum, ut, feſtos dies agentes, carne veſcerentur in lacte cocta, idque ſuis in templis, & eam ob rem carnem lacte coctam interdici. *Maimonidi* hac in re accedit *Nic. de* [c] *Lyra*, qui dicit, *eam legis hujuſce cauſam eſſe poſſe, quia* aliqui *Gentiles* coquebant *hœdos in lacte matris ſuæ, in ſacrificiis Deorum ſuorum.* SECT. II.

(6°.) NEMO paulo cordatior hoc in animum inducere poteſt, hœdum lacte coctum plane rejectaneum fuiſſe, & ideo ſolum elixatum, ut ſaporis aut virtutis aliquid lacti impertiret. Ideoque in *Karaita* jam laudato, non tam fidem requiro quam diligentiam, qui hœdi coquendi ritum apud ethnicos uſitatum, vere quidem & aperte, non autem integre & perfecte, narraſſe cenſeatur.

TERTIO: meæ partes jam ſunt, oſtendere, Zabios partem lactis, quo hœdus coquebatur, ad agros aut arbores ſuas aſpergendos adhibuiſſe, ut eo feraciores anno ſequente redderentur. Poſt tot ſeculorum decurſum, lectori paulo æquiori ſatis eſſe poſſet, aſſertionem hanc uno *Karaita* illius, jam ſæpe memorati, teſtimonio confirmare. Cum autem de auctoris illius antiquitate nondum conſtet, ei ſubjungam, non adeo decantatum, *R. Menachem* teſtimonium. Ille vero, legem hanc [d] illuſtrare ſtudens, hæc habet: שמעתי שהיו מבשלין בשר בחלב ובפרט הגדיים וטלאים ובשהיו נוטעין האילנות היו מקטרין בעשן אותו זרע ומוריקין שם מהחלב והיה ממהר ונו i. e. *Audivi quod* ethnicis mos eſſet, *elixare carnem cum lacte, præcipue vero carnem hœdorum & agnorum* [N. B.] *& quando plantabant arbores, ſuffitum faciebant fumo ſeminis* arboris, *& infundebant ibi lac, & ſic edebant fructus multos, & citius maturos.* &c. Teſtibus hiſce duobus fidem eo facilius adhibeamus, quod [2] *Maimonides*, ex *Avoda Henbattith*, alium Zabiorum ritum, huic affinitate proximum, memoret: *putrefaciebant quædam* (in libro illo recenſita) *obſervato Sole in hoc vel illo gradu. Magica quædam peragebant, perſuadentes ſibi, arbore hoc modo aſperſa, fructus citius matureſcere.* Eo mihi pronior in hæc verba fides, quod Zabii veteres ritus idololatricos cum agricultura ſemper conjunxerint, & homines perſuaſos tenuerint, agros & arbores fructus ubertim edituras, ſi tali cultu vel ceremonia magica uterentur. Præterea, ne conjicere quidem licet, cur hœdum lacte materno coqueret quiſpiam, niſi ſerio perſuaſus lac caprinum, ſi præſertim hœdi (animalis magici) ſucco imbutum, vi magna pollere, ad agrorum & arborum ubertatem provehendam. Huc ſpectant [e] *Jonathanis* verba, legem in hunc ſenſum interpretantis; *popule mi, domus Iſrael, non poteſtis coquere nec comedere carnem & lac permixta ſimul, ne iraſcatur furor meus, & coquam proventum veſtrum, frumentum & paleam ſimul:* h. e. ne ritus ille, in ſpem proventus uberioris obtinendi peractus, vobis fraudi ſit, &, fertilitatis majoris loco, ſolum ſterilius & infœcundius habeatis. Fatetur etiam *Toſtatus*, gentes antiquas hunc ritum, fertilitatis inducendæ cauſa, celebraſſe; cum dicit, Deum hæc verba (quaſi promiſſionis loco) proxime poſt legem de primitiis ſolvendis, addidiſſe. Sic enim legis hujus & illius mentem explicandam cenſuit: [f] *date mihi primitias & decimas & non coquatis hœdum in lacte matris ſuæ*: nam tanta erit frugum [g] copia, quod ritus ille non erit neceſſarius.

QUARTO: Zabios antiquos ritum hac lege vetitum, ſtatim atque fruges collegiſſent, uſurpare ſolitos, pro veriſimili habeatur. Cum de ritu denſis oblivionis tenebris operto & quaſi ſepulto jam ſermonem habeam, conſultum eſt, rem hanc inter

a *Prim. ſecund.* Q. 102. *Art.* 6. *p.* 190. b In *Exod* 23. *Qu.* 36. *p.* 438. F c *Lyra* in *Exod.* 23.
d In צדה לדרך *fol.* 81. *col.* 2. e *Paraphraſ.* in *Exod.* 23. 19. f In *Exod.* 23. *Quæſt.* 36. *p.* 418.
g *Malac.* 3. 10.

1 Vid. *Bechai* in *Exod.* 23. 19. Fol. 103. col. 2.
2 Vid. *Mor. Neb.* Part. 3. Cap. 37. Fol. 165. Col. 1.

S E C T. III. SECT. III.

Objecta removentur.

SCRIPTURA ſimul & tatione ſatis evictum autumo, Deum hanc legem Zabiorum ſuperſtitioni ex adverſo ſtatuiſſe. Utcunque nonnulli, ſecuri quid Scriptura vel ratio contra ferat, opinioni contrariæ favent, & nonnulla nobis objiciunt, quæ forſan lectoribus incautis anſam dubitandi præbeant.

PRIMO itaque dici poſſit, totam Hebræorum gentem opinioni noſtræ refragari. Sa- Obj. 1ª.
tis enim ex eorum moribus innoteſcat, eos opinari, Deum, non hœdi ſolius, ſed cujuſvis carnis lacte coctæ, comeſtionem; & non minus miſturam omnem in cibis, quam alibi in veſtibus & ſeminibus, hac in lege vetuiſſe. Atque inde venit, quod omnem lactis cum carne miſtionem, vel apparentem, anxia ſuperſtitione devitare ſoliti ſint.

RESPONDEO. Ita quidem Hebræorum mores habere, minime diffitendum eſt: de Sol.
eorum vero moribus aut ſententiis hac in re non eſt quod multum laboremus, cum conſtet, eos humanioris literaturæ plurimum ἀμυήτους eſſe, & ſummam ſanctimoniæ in ritibus (quos itaque ad immenſum augent) collocare ſolitos. Deinde (ut morum eorum ſontem detegam) veriſimile eſt, antiquiores Hebræos probe tenuiſſe, quam exoſum eſſet Deo, & magicis Gentilium moribus affine, hœdi carnem lacte materno coctam edere; ideoque carnem omnem quovis lacte elixatam vetuiſſe, & alias traditiones, tanquam leges προφυλακτικὰς, huic præcepto adjunxiſſe, ut populum eo longius ab illius tranſgreſſione removerent. Nil mirum itaque, ſi temporis lapſu traditiones illæ in legis ipſius locum & ſenſum tranſierint, & ſequiores Judæi crediderint ea omnia lege hac vetita eſſe, quæ majores eorum, tanquam ſepimenta quædam, ad legem a violatione conſervandam, pie excogitaſſent. Non celabo lectorem, *Abarbanelem* cauſam longe aliam aſſignare, cur Judæi legem hanc ſenſu tam laxo capiant, eamque carnis omnis, cum quovis lacte vel caſeo, comeſtionem prohibere ſentiant; [a] nempe כי אכילת הבשר עם הגבינה או עם החלב היא ממנהג עובדי ע״א *quod eſus carnis cum caſeo, vel cum lacte, ex idololatria conſuetudine ortus ſit*. Hæc ratio forſan apud credulam Judæorum turbam inveniet fidem: ea vero nulli cordato placere poteſt, cum mos ille, caſeum cum carne comedendi, non tantum inter idololatras, ſed gentes prope omnes, obtinuerit.

SECUNDO: in adverſum dici poteſt, qnod *Maimonidis*, *Abarbanelis*, *R. Mena-* Obj. 2ª.
chem, & *Karaita* illius anonymi, teſtimonia, momenti nullius haberi debeant; cum multis ſeculis Moſe poſteriores ſint, auctorem nullum ſatis idoneum fidei ſuæ vadem proferant, & quod nulla moris hujuſce veſtigia, in Græcæ vel Romanæ idololatriæ hiſtoria, deprehendi poſſint. Hac ratione motus, [b] *Simeon de Muis*, hanc legem explicans, eorum teſtimonia nullius æſtimanda cenſuit. *Uterque ſane, & Rambam & Abarbanel*, ait ille, *ſatis ſe mihi probarent, ſi morem illum probarent, de quo nihil uſquam legitur, quod ſciam.*

RESPONDEO; apud me etiam auctorum illorum teſtimonia fidem non niſi timidam & vacillantem invenirent, niſi quod rationibus haud paucis, iiſque e ſcriptura plurimum depromptis, confirmentur. His addi poteſt, nullam rationem conſtare, unde legem hanc ab atheorum cavillis vindicemus, niſi hujuſmodi ritum magicum inter idololatras antiquiores obtinuiſſe, & huic legi cauſam dediſſe, concedamus. Id autem veritati plane adverſatur, quod ne evanida quidem moris hujus veſtigia, in idololatriæ Græcæ vel Romanæ monimentis, invenire liceat. Satis enim e ſcriptis ethnicis evinci poteſt, lac & hœdos, nunc diviſim nunc conjunctim oblata, locum nobilem in Gentilium ceremoniis inveniſſe. Nam *Sylvanum*, agrorum & ſylvarum numen, oblato lacte, *Faunum* etiam hœdo, propitiare ſolebant. Erat & [c] lac inter ſacrificia quibus *Panem*, Deum paſtorum, colebant, & in ambarvalibus *Cereri* offerebatur. In *Bacchi* etiam ſacrificiis, lac & hœdum locum inveniſſe, vel pueri norunt. *Eſt etiam ratio*, inquit auctor [d] ille laudatiſſimus, *cur capra & lac caprinum magni fierent in cultu ethnico: nam ipſe Jupiter lac caprinum ſuxit. Exprimitur itaque, in reverſa numiſmatis argentei*

a *Comment.* in *Exod.* 34. 26. Fol. 220. col. 1. b *Var. ſacr.* col. 2652. c *Verum & Diis lacte ruſtici multæque gentes ſupplicant.* Plin. in Præfat. ad Veſpaſ. p. 4. d *Joh. Gregor. Not. & Obſerv. c.* 19. *p.* 96.

Digitized by Google

Valeriani, parvulus Deus ſuper capella, cornu tenens, cum inſcriptione, Jovi creſcenti. Vereor autem ne hæc a re præſente paulo remotiora cenſeantur: addam itaque [a] *Ovidii* diſtichon, quo Deam *Palem*, rei ruſticæ præſidem, in ſpem meſſis amplioris propitiare docet. Diſtichon illud *Carolus Neapolis* ſic nobis emendatum exhibet:

Adde dapes mulctramque ſuas, dapibuſque refectus
Silvicolam tepido lacte precare Palem.

Hæc verba non obſcure docent, Romanos, in hujus Deæ ſacris, a ritu hac lege memorato non longe abiiſſe; ſed dapes [aut carnes] aliquas cum lacte conjunxiſſe, partem aliquam comediſſe, & lacte tepido [in agros forſan aut arbores aſperſo] Deam illam propitiare ſtuduiſſe. Sed ab inſtituto præſenti propius abeſt, quod refert [b] auctor *Anglicanus*, libro non ita pridem edito, quo *Guineam* nobis deſcriptam dedit. Ait enim, incolis in more eſſe, agris jam cultis, hirco vel hœdo elixato, una cum vino palmarum, ſe mutuo ſolenniter invitare, dein circa agros, in honorem *Fateſſi* vel Dei ſui, canere, ut proſpere ſementem faciant. Quamvis itaque hœdum lacte matris coctum fuiſſe, & in idololatriæ recentioris myſteriis uſurpatum, nullo ſatis expreſſo teſtimonio probari poſſit; ritus illius antiquiſſimi λείψανα quædam in gentilium recentiorum ſcriptis & moribus inveniamus, & e ſuperſtitioſo illo (quem dixi) lactis & hœdi uſu probabiliter colligamus, hœdum ita paratum, in gentium antiquiorum myſteriis, locum haud obſcurum habuiſſe.

E jam dictis conſtare arbitror, hœdi in lacte matris coctionem, ritum fuiſſe dæmonum myſteriis peculiarem, & Deum ea de cauſa carnem ita coctam vetuiſſe, ne Iſraelitæ ſui cultus aut menſæ dæmonum participes haberentur.

C A P. X.

De Gentium altaribus, ſtatuis, & lucis, amovendis.

MAIMONIDES, libros quoſdam memorans, Arabum lingua [1] ſcriptos, *Zabiorum* ritus & ſacra referentes; [c] *ex iis*, inquit, *multi non extant, ſed temporis longitudine perierunt. Illi vero qui etiamnum inter nos extant, maximam partem operum Zabiorum complectuntur. --- Hæc ſunt, extructio templorum, --- altarium erectio, --- figurarum ſuper montes excelſos poſitio, lucorum ſive arborum quarundam reverentia, ſtatuarum erectio, & alia, quæ ex iſtiuſmodi libris* peti poſſunt. Hæc autem opera Zabiis aſcripta, credibiliora cenſeantur; quod inter *Canaanæorum, Amorhæorum*, & aliarum gentium, opera prophana, altarium, figurarum, ſtatuarum, imaginum, lucorum, delubrorum erectiones, lege memoratæ ſæpius & interdictæ reperiantur. Nuſquam autem clarius aut expreſſius inhibentur, quam ea in lege quæ inter præcepta, Zabiorum moribus oppoſita, proximum ſibi locum vendicat, & his verbis enunciatur: *Exod. 34. 13. Aras eorum diruetis, ſtatuas eorum confringetis, & lucos eorum ſuccidetis.* Ut autem huic legi lux clarior effulgeat, rationes inveſtigandæ ſunt & illuſtrandæ, cur Deus hæc omnia juſſit amoliri: cum primis autem altaria, quæ in uſum ſacrum ſeponi poſſent.

Præcepti rationes: HUJUS autem præcepti variæ rationes aſſignari poſſunt: quædam a parte Dei, nonnullæ a parte populi Iſraelitici, quædam a parte legis Moſaicæ, quædam a parte ſeculi quo lex illa ferebatur, quædam denique a parte altarium ipſorum quæ deſtrui debuerunt.

A parte Dei. RATIONES quæ Deum ipſum reſpiciunt ſermoni meo principium dabunt. Sunt autem hæ duæ, e verſu hanc legem ſequente non difficulter intelligendæ: *non coles enim Deum alterum, quia Dominus, cui nomen zelotes, Deus zelotes* eſt *ipſe.* Quibus verbis duæ legis hujuſce rationes aſſignantur.

(1°.) DEUS, ſolus coli voluit, nec quenquam alium in cultus ſui ſocietatem venire permiſit. Cum autem gentium altaria, ſtatuæ, & luci profani cultus objecta eſſent aut inſtrumenta; ſi Deus ea ſtare permiſiſſet, Iſraelitas ad hujuſmodi cultus exercitium allicere poſſent. Ea nempe cultus prophani μνημόσυνα fuere, cum eo proxime jungebantur, eique miniſterium ſemper præbebant & apologiam. Niſi enim Deus

a *Faſtor. lib. 4. verſ. 742.* b *Anonym. Deſcript. Guin. pag. 14.* c *Mor. Neb. P. 3. Cap. 29. Fol. 158. Col. 2.*

1 *Maimonides* loquitur de Libris *Zabiorum* in linguam Arabicam *translatis*.

hæc

hæc e medio rolli præcepiſſet, ea una cum cultu cui miniſtrabant, probare, vel ſaltem tolerare, videretur.

CAP. X.

(2°.) DEUS zelotypus erat, & gentis Iſraeliticæ fidem ſuſpectam habebat, cui, tanquam ſponſæ ſuæ, fœdere conjugali jungebatur. Deum pro gentis illius marito ſe geſſiſſe, & ab ea fidem conjugalem expectaſſe, frequenti Scripturæ teſtimonio confirmatur. Hac de re nulli dubio locus erit apud eum qui ſequentia perpendet Scripturæ teſtimonia; *Jerem.* 2. 2. *Jeſ.* 50. 1. & 54. 5. *Hoſ.* 2. 7. *Jer.* 3. 1, & 20. & cap. 31, 32. *Ezec.* 16. 38. ur alia mittam in præſens, non facile numeranda. Cum autem gens ea conjugii fidem adulterio ſpirituali, i. e. [a] idololatria, non raro violaſſet; Deus zelotypia quadam affici viſus eſt, &, ad inſtar mariti de uxoris ſuæ fide ſolliciti, omnia adulterii ſpiritualis irritamenta, monumenta, objecta, occaſiones etiam omnes, e medio ſuſtulit. Ea de cauſa, gentium altaria, ſtatuas, imagines, lucos, aliave cultus proſani *μνημόσυνα*, tolerare noluit; ne Deos & ritus ethnicos in memoriam revocarent, & lubriaam genris Iſraeliticæ fidem ſollicitarent.

SECUNDO: rationes quædam erant a parte gentis Iſraeliticæ, cur altaria, aliaque prophano cultui ſervientia, deſtructioni devovebantur.

A parte gentis Iſraeliticæ.

NAM (1°.) Inſtrumenta illa idololatrica non parum valuerunt ad populum illum lubricum & impotentem ſeducendum, & moribus ethnicis inficiendum. Erant enim inſtrumenta, non tantum multorum annorum uſu, & aliarum gentium exemplo, ſed gratia quadam ſingulari, commendata. Eorum ſcilicer altaria, magnificentia; ſtatuæ, celſirudine; imagines pulchrirudine & ſplendore; luci, amœnitate; populum illum, nondum conſilio confirmatum, facile tranſverſum agere poſſent, & a ſimpliciore Dei veri cultu detorquere. Atque ea de cauſa, ni ſallor, lex ea, de monumentis illis ethnicis amoliendis non tantum [b] tribus vicibus a Moſe data & ſancita fuerit; ſed populus, [c] angelo cælitus emiſſo, acriter reprehenſus, quod ei legi ſe ſemper immorigerum præbuiſſet. Ea ſcilicet omnia non tantum Deorum & ſacrorum ethnicorum memnriam reſricabant, ſed ad populum a Deo ad idola ſeducendum ſacta & quaſi nata videbantur.

(2°.) VERISIMILE eſt, populum Iſraeliticum, ad idola propenſiſſimum, Deo nunquam fideliter adhærere voluiſſe, modo hæc idnlolatrici monumenta præſto ſemper, & quaſi præ ſoribus, habuiſſent. Tunc enim in ſacili fuiſſet idololatria, & materia ingenii tam proſani populo nunquam defuiſſet. Si omnia plena ſuiſſent altarium, lucorum & ſtatuarum; nil opus eſſet occaſionem peccandi quærere, quæ ubique Incorum offerebatur. Neque ſacile eſt creditu, populum dlis & ſacris alienis addictiſſimum, occaſione tam frequenter oblata, naturæ ſuæ ſimul & occaſioni deeſſe potuiſſe.

TERTIO: rationes aliquot a parte legis Moſaicæ reddi poſſunr cur lege curatum eſt, ut altaria gentium, æque ac ipſæ genres, Canaanæam incolentium, deſtruerentur.

A parte Legis Moſaicæ.

NAM (1°.) Lege ſæpius innoteſcit, Deum tantum unum eſſe, & ſacra omnia in illius honorem peragenda. Erat iraque legi conſenraneum, ut unum rantum altare, uni Deo ſacrum, in terra Iſraelitica ſtare permitterentur. Dii varii intet Gentiles cultum invenerunt, eorum itaque altaria non minus frequentia, quam cumuli in agris, fuiſſe [d] perhibentur.

(2°.) LEGE præceptum eſt, ut ſacra omnia a Judæis uno tantum in loco perficerentur. Varia itaque altaria, licer ad cultum Dei veri ſtructa, non minus quam varia templa, cum lege pugnare cenſeantur. Huic rationi vim & pondus addunt ea ſcripturæ loca, *Deuter.* 12. 3, 4, 5. 2 *Paral.* 32. 12.

(3°.) LEGIS analogia poſtulavit, olim uſui proſano ſervientia, pro proſanis & a miniſterio aliquo ſacro rejiciendis, haberentur. Sacerdotes qui a miniſterio aliquo proſano pollutionem contraxerant, a cultu Dei ſeparari debuerunt. *2 Reg.* 23. 9, 24. *Ezec.* 44. 13. Lapides etiam altaris, ab ethnicis polluti, rejecti ſunt a Maccabæis, & lapides tantum rudes in altaris ſtructura uſurpati. *1 Maccab.* 4. 45, 46. Atque inde forte petenda eſt ratio, cur [e] viri ſancti, rem ſacram extra ordinem ſacturi, altari aliquo veteri, a gentibus relicto, nunquam uterentur; quamvis ethnici ſacrificia ſua ſuper Dei altare offerre nunquam dubitarent.

(4°.) LEGE veritum eſt Iſraelitis, ulla fœdera cum gentibus inire, vel pacto aliquo (religioſo vel civili) cum iis conſociari: eorum itaque altaria dirui voluit, ne

a *Hoſ.* 1. 2. & cap. 22. *Jer.* 3. 20. b *Exod.* 34. 13. *Deut.* 7. 5. & 12. 3. c *Judic.* 2. 2. d *Hoſ.* 12. 11. e *Vid. Exod.* 24. 4. *Joſh.* 8. 30. *Judic.* 6. 24. 1. *Sam.* 7. 17. 2 *Sam.* 24. 25. 1 *Reg.* 18. 32.

CAP. X.

ullam legis hujuſce violandæ occaſionem adminiſtrarent. Deum ea de cauſa altarium ethnicorum deſtructionem præcepiſſe, pateat e variis Scripturæ locis: *Exod. 34. 12, 13, 14, 15. Deut. 7. 2, 5. Judic. 2. 2.* Ut rationis hujuſce momenta clare percipiantur, monendum eſt obiter, altaria [a] duobus modis fœderi ineundo miniſtraſſe: vel enim altaris tactu fidem fœderis ratam firmamque faciebant, vel fœderis cooſortes ablati ſacri participes ſacti ſunt, & victimam eandem una comedendo fidem mutuo datam confirmabant. Si itaque gentium altaria deſtruerentur, nullus locus fœderi alicui relictus erat; non eſt enim veriſimile, gentes ad Hebræorum aras fœderis feriendi cauſa ſe conferre voluiſſe, nec poſſibile erat Hebræos aras ethnicas adire, cum e medio tollerentur. Si autem aras eorum non diruiſſent, occaſiones fœderis cum gentibus ineundi frequenter adminiſtraſſent.

A parte ſeculi.

Quarto: aliæ legis hujuſce rationes a ſeculo illo peti poſſunt, quo lex ea ferebatur. Nam,

(1°.) Seculo illo, altaris, numini alicui conſecrati, erectio, cultus ejus recepti & invaleſcentis; deſtructio vero, cultus ſui rejecti & abdicati, ſignum & pignus habebatur. Cum enim Iſraelitæ Deo ejuſque ſacris nuncium remitterent, illius altaria [b] ſubvertere & *Baalis* erigere, perhibentur, *1 Reg. 16. 30, 31, 32. 2 Paral. 28, 24, 25. 1 Reg. 18. 30.* Ex adverſo, cum Dei cultus & ſacra paſſim obtinerent, Iſraelitæ ſtatim ad *Baalis* & aliorum idolorum altaria diruenda manus admoverunt. Huic obſervationi ſcriptura frequens teſtimonium perhibet: *Jud. 6. 25, 28. 1 Reg. 18. 30, 32. & c. 19. 10. 2. Reg. 11. 18. & c. 23. 12, 15. 2 Chronic. 14. 3 & 13. & c. 23. 17. & c. 30. 14. & 33, 15. & 34. 4, 7.* Cum itaque altaris everſio, cultus idololatrici repudiati ſignum haberetur, par erat ut altaria omnia idololatriæ miniſtrantia ſubverterentur ne infirmis offendiculo eſſent, eaque cultus idololatrici probati vel tolerati ſigna exiſtimarent.

(2°.) Seculo illo Deus terram Canaaniticam ſibi ipſi vindicaverat, terram illam *ſuam* jure quaſi peculiari dixerat, ibique regnum ipſe ſuum, gentem & legem fixerat. Ideoque par erat, ut altaria omnia dæmoni dicata ea in terra ſubverterentur, nec ulla monumenta cultus profani in *terra* tam ſancta remanerent. Cumque diabolus ubique terrarum coleretur, non erat e ſummi numinis dignitate ut partem aut ſortem aliquam ea in terra quam Deus ſibi propriam fecerat obtineret, vel ulla divinitatis ſuæ affectatæ veſtigia in Dei quaſi conſpectu comparerent.

(3°.) Eo ſeculo vetera delubra, altaria, ſimulacra, ſtatuæ, aliaque cultus inſtrumenta, ſanctitatis aliquid ab uſu ſuo primævo traxiſſe cenſebantur: & quamvis altaria illa nullo tunc igne vel thure calefierent, & delubra vel ſtatuæ illæ non eo loco & pretio quo olim haberentur; aliquid honoris iis deberi credebant ingenii ſimplicioris homines, & ab omni cultu iis exhibendo ægre temperabant. Si itaque lege permiſſum eſſet, ut hæc omnia permanerent, non temere creditur, ea ſuperſtitioni, ſi non & idololatriæ anſam & materiam præbere voluiſſe.

A parte altarium ipſorum.

Quinto: cauſæ quædam, ab ipſis gentium altaribus petitæ, huic legi poſſunt aſſignari. Nam,

(1°.) Gentium altaria peculiari materia vel forma ab altaribus Dei cultui ſervientibus diſcernebantur. Dei [c] altaria e terra pura vel rudi lapide confecta fuiſſe, cuivis innoteſcit, at altaria gentibus in uſu, e polito marmore, vel tegulis, aut lateribus, plerunque fabricata ſunt.

Nec minus forma differebant: nam altaria profana ſæpe figuram pyramidalem gerebant, quandoque in altitudinem multis gradibus ſcandendam aſcendebant. Ut paucis omnia colligam, ea diſcrepantia, quantum ad formam, inter Judæorum & ethnicorum aras interceſſit, ut [d] Ahaz formam altaris Damaſceno ſimillimam ſibi fabricarit, cum a Dei lege cultuque diſceſſum meditaretur: & [e] Iſraelitæ cis Jordanem habitantes, altare divino ſimillimum ſibi fieri curarent, cum probare vellent ſe cum fratribus ſuis amice convenire. Cum itaque hæc duo altaria tantum ab invicem diſſentirent, & materia ſimul & forma plerumque diſcreparent; ſi gentium altaria non deſtruerent, ſed ſemper ob oculos populi infirmi verſarentur; gentium Deos, ritus, imagines, aliaque omnia ad cultum alienum ſpectantia, in memoriam revocare poſſent, & invidioſam comparationem inter cultum gentium & Hebræorum introducere.

a *1 Reg. 8. 31. Vid. Exod. 17. 15.* b *Quo defunctus eſt die, lapidata ſunt templa ſubverſa Deorum aræ, Lares —— in publicum abjecti* &c. Sueton. in Calig. Cap. 5. c *Deut. 27. 6. Joſ. 65. 3. Kircher. Oedip. Æg.* Tom. 1. Cap. 12. p. 308. d *2 Reg. 16. 10.* e *Joſh. 22. 23, 28.*

(2°.)

(2°.) Altaria illa varia, modo cultui vero ſepoſita, ſchiſmatis & partium ſtudiis inter Iſraelitas occaſionem adminiſtrarent. Cauſa[a] parvula magnis motibus & incendiis anſam dare potuit, inter homines præſertim rudes, ſuſpicaces, & infimos; dum quiſque proprium altare magnifacit, & aliis omnibus anteponit. CAP. XI. Sect. I.

(3°.) Hujusmodi altaria, licet uſibus factis deſtinata Dei honorem & cultus ſui reverentiam promovere non poterant. Non erant enim rite purgata & conſecrata, uti legis analogia, mos gentis, & religionis Judaicæ puritas, omnino poſtularunt. Juxta mecum judicabit lector, ſi loca ſequentia ſerio peoſitaverit; *Exod. 29. 37, 44. Exod. 40. 10. Lev. 8. 11. Num. 7. 84. 2 Paral. 19. 18. Ezech. 43. 22, 26.*

(4°.) Verisimile eſt altaria peregrina, modo ſtare permiſſa, multos, e rudiore ſaltem plebe, ad cultum peregrinum allicere voluiſſe. Nam altaribus illis vix quicquam defuit, quod animos præcipue molliores ineſcare poſſet. Erant enim plerumque in excelſis poſita, majeſtate quadam commendata, lucis amænis circundata, pannis verſicoloribus exornata, columnis altitudine conſpicuis grata, delubris in vicinia ſtructis veneranda. Filii itaque gentis illius, non templorum, ſed *altarium*, *recordari* dicuntur, *Jerem. 17. 2.*

Cum tot rationes hujus præcepti reddi poſſint, ſe pie & prudenter geſſere Judæi veteres, qui legis hujuſce perimplendæ zelo ſtudioque ſingulari flagraſſe videantur. Hoc ex hiſtoria ſacra licet intelligere, *2 Reg. 11. 18. & c. 23. 15. 2 Paralip. 34. 4, 7.* Judæorum zelus hac in parte ſic inclaruit, ut ethnicorum obſervationem fugere non potuerit. Hoc conſtat ex teſtimoniis [1] *Hecatæi* & [2] *Charemonis*, apud *Grot.* in *Deuter. 7. 5.*

CAP. XI.

Lex mellis oblationem prohibens.

JUDÆI mel & panes fermentatos, ſacerdotibus ſuis, [b] nomine primitiarum, afferre tenebantur: ea vero afferre in altari adolenda, diſertis verbis interdictum legimus, *Lev. 2. 11. Omnis oblatio* [3] *quæ offertur Domino, abſque fermento fiet: nec quicquam fermenti vel mellis* [4] *adolebitur Domino*, in ullo *ſacrificio.*

SECT. I.

Aliorum rationes ad ſtateram vocantur.

IN legis hujuſce ratione perquirenda, veteres & moderni, ſedulam quidem, ſed (ſi dicere fas eſt) inanem ſumpſerunt operam. Noſtrum erit primo, varias hujus præcepti rationes quas aſſignarunt alii, ad rationis trutinam examinare.

Harum autem prima *Plutarchi* eſt, qui Judæorum ſacra mellis expertia fuiſſe dicit, quod eos Bacchum colere, mellis etiam admiſtione vinum vitiari, crederet. Nam, de Judæis ſermonem inſtituens, ἔτι τοίνυν, [c] inquit, μέλι μὲν οὐ προσφέρουσι ταῖς ἱερουργίαις, ὅτι δοκεῖ φθείρειν τὸν οἶνον κεραννύμενον· *Nunc etiam mel in ſacrificiis non offerunt, quia vinum admixtum videtur corrumpere;* vetiti ſcil. ne Bacchum irritarent, vinum mixtura mellis inficientes. Hanc autem rationem ineptiæ craſſiſſimæ inſimulant ipſa Romanorum ſacta, qui *mellea dona*, tanquam Baccho gratiſſima, ei obtulerunt. Hoc docent *Ovidii* illa: Rat. 1a.

> [d] *Liba Deo fiunt, ſuccis quia dulcibus ille*
> *Gaudet, & a Baccho mella reperta ferunt.*

Eandem ſententiam vanitatis arguunt recepti mores ſeculi quo *Plutarchus* ipſe vixit: in eo enim, & antea, uſus increbuit, ut liquores maxime gratos e vino & melle commiſtis conficerent. Audiamus [e] *Horatium*,

a *Jacob. 3. 5.* b *Lev. 2. 11. 2 Par. 31. 5.* c *Sympoſ. l. 4. Qu. 5. p. 672. B* d *Faſtor. l. 3. verſ. 735.* e *Serm. lib. 2. Ecl. 4.*

1 Vid. *Joſeph.* contr. *Apion.* lib. 1. pag. 1348. 30.

2 *Grotius* quidem ad *Charemonem* provocat; ſed illa quæ in medium fert, viz. θεῶν τε ναοὺς καὶ βωμοὺς, οἷς ἂν περιτύχωσιν (apud *Grot.* περιτυχ.) ἀνατρέπειν· ſunt verba *Lyſimachi.* Vid. *Joſeph.* ub. ſupr. pag. 1359. 40.

3 אשר תקריבו *quam offeretis.*

4 תקטירו *adolebitis,*

SECT. II.

Aufidius forti miſcebat mella Falerno
Mendoſe quoniam vacuis committere venis,
Nil niſi lene decet ——

& [a] *Martialem*:

Tam bene rara ſuo miſcentur cinnama nardo,
Maſſica Theſeis quam bene vina favis.

Imo *Plutarchus* ipſe οἰνόμελι *mulſum*, i.e. vinum melle commiſtum, inter ἡδέα liquores ſaporis gratiſſimi, recenſuit, *Sympoſiac.* l. 8. Qu. 9. p. 733. E

2ª. Secunda ratio *Maimonidis* eſt, cujus conjectutæ pleræque plus ſalis habent quam aliorum Judæorum, circa legum cauſas inſipide plerumque delirantium. Sentit autem ille, caviſſe Deum, ne melle in ſacris ejus uterentur, quod [b] *idololatra res dulces ad oblationes ſuas eligerent, eaſque melle inungere ſolerent.* Illius opinioni ſuffragatur [c] *Bochartus*, dicens, *Deum ob id ipſum, quod in Dæmonum ſacris mellis uſus pene perpetuus fuerit, pro impuro illud habuiſſe, & in ſuis ſacrificiis offerri noluiſſe.* Atque hæc opinio doctorum plurimotum calculos reportavit: & ego ſane ad eorum ſententiam lubens accederem, niſi quod incredibile videatur, Deum Opt. Max. quicquam in lege cultuque ſuo, ex mero contradictionis ſtudio inſtituiſſe. Deinde, ſi Deus ideo ſolummodo ſibi ſacra melle fieri prohibuiſſet, quod mel in gentium ceremoniis locum inveniſſet; pari ratione, & thus, & ſal, & oleum, inter verita poſuiſſet, quæ, ab ultima cultus ethnici memoria, in gentilium ſacris uſurpata reperiamus.

3ª. Tertia ratio eorum eſt, qui allegoriis toti ſtudent, & Deum mellis uſum in ſacrificiis, ad morale aliquid innuendum, vetuiſſe ſentiunt. Opinatur [d] *Theodoritus*, hac in lege, διὰ τοῦ μέλιτος τὴν ἡδονὴν ἀπαγορεύεσθαι, *mellis nomine voluptatem prohiberi.* [e] *S. Hieronymus* mel in ſacrificiis prohiberi dicit, quia *nihil voluptuoſum, nihil tantum ſuave, apud Deum placet*, nihil *niſi quod in ſe habet mordacis aliquid veritatis.* Hæc, & quæ ſunt hujus farinæ alia, e Patrum aut Judæorum ſcriptis petita, apud [f] *Bochartum*, [g] *Hottingerum*, alios inveniamus. At nobis non licet eſſe tam acutis, qui id jam agimus, ut legis ſenſum & rationem, juxta nativam verborum ſignificationem, aperiamus. Qui allegoriis hujuſmodi frequenter indulgent, a legis ſcopo non raro deflectunt, & faciunt ut intelligendo, nihil ſani intelligant. Hoc aperte probant allegoriæ illæ, quas Pattes & Hebræorum magiſtri, legis hujuſce rationem reddituti, excogitarunt. Quis enim, cui mens non læva, ſibi perſuadere poreſt, Deum legem hanc ad molles tantum & voluptuoſos tacite perſtringendos tradidiſſe, & nihil minus quam quod verba præ ſe ferunt, in ea prohibuiſſe? Proculdubio, ſi Deus, ſub mellis typo, voluptatem & homines gulæ deditos perſtringere voluiſſet; fermentum, utpote rem acrem & vitæ ſeverioris indicem, hac ipſa in lege minime vetuiſſet. Sed ſatis audivimus homines hic ingenio tantum & conjecturis indulgentes.

S E C T. II.

Veræ legis cauſæ producuntur.

SUFFICIAT tres haſce rationes falſas leviter attigiſſe: alias jam ſubjungam cauſas quæ mihi magis ſolidæ videntur, & imas legis hujuſce radices aperire. Harum prima hujuſmodi eſt:

(1°.) Deus ab altari ſuo mellis uſum ablegavit, ne ad inſtar numinum ethnicorum deliciis capi, & offerentium munera, tantum quod dulcia & palatis adblandientia, acceptare crederetur. Apertum eſt, veteres idololatras mellea dona obtuliſſe, quod ea non minus Deorum quam hominum palatis gratiora judicarent. Nam, docente [h] *Maimonide*, non tantum *in oblationibus ſuis res dulces eligebant, ſed victimas ſuas melle inungebant.* Hinc & inde ſatis intelligitur, quod ex ingenti Deorum ethnicorum numero, vix ullus eſſet cui melle non libarent, & qui oblato melle non gaudere crederetur. Nam Judæi Diis omnibus, ſine diſcrimine aliquo, *ſimilam, oleum*, & *mel, in odorem ſuavitatis, obtuliſſe* dicuntur, *Ezec. 16.18, 19.* Et [i] *Pauſanias*, poſtquam aras ad minimum quinquaginta in Jovis Olympii templo [quaſdam Diis variis, quaſdam omnibus, erectas] recenſuiſſet, ἑκάστω δὲ ἅπαξ τῶ μηνὸς, inquit, θύουσιν ἐπὶ πάντων Ηλεῖοι τῶν καταλεγ-

a *Lib. 4. Epigram. 11.* b *Mor. Neb. P. 3. c. 46.* c *De animal. ſac. P. 2. Lib. 4. Col. 510. 60.*
d In *Levit. 118.* B e *Epiſt. 23. ad Euſtochium. Tom. 4. Part. 2. col. 60.* f *Ub. ſupr. col. 528.*
g *De jur. Hebr. pag. 166, 167.* h *Mor. Neb. ub. ſupr.* i In *Eliac. prior. p. 415.*

μένων

SECT. II.

μένων βωμῶν· θύουσι δὲ ἀρχαῖόν τινα τρόπον· λιβανωτὸν γὰρ ὁμοῦ πυροῖς μεμαγμένοις μέλιτι θυμιῶσιν ἐπὶ ¹ τῶν βωμῶν· *Semel quolibet menſe, ad omnes quas recenſuimus aras, Elei ſacra faciunt, vetuſto quodam ritu, thura, & melle ſubactum triticum, adolentes.* Perſas etiam deſcribit [a] *Strabo*, in omnibus ſacrificiis, ἀποσπένδοντες ἔλαιον ὁμοῦ γάλακτι καὶ μέλιτι κεκραμένον, *libantes oleum cum lacte & melle mixtum.* Proinde auctor hymni in *Mercurium*, mel vocat

² —— Θεῶν ἡδεῖαν ἐδωδήν·

Deorum ſuavem cibum. Et mus in *Batrachomyomachia*, delicias ſuas ranæ cum jactantia referens, *non me fugit*, inquit, *panis ter-piſtus, non placenta ſeſamo condita*, &c.

³ Οὐ χρηστὸν μελίτωμα, τὸ καὶ μάκαρες ποθέουσι·

Non optimum ex melle dulciarium, quod etiam Dii deſiderant. Et *Sophocles* (quod obſervat [b] *Porphyrius*) διαγράφων τὴν θεοφιλῆ θυσίαν, *ſacrificium Diis acceptum depingens*, inter alia aliqua, *ſacro* inquit, *inerat*, τὸ ποικιλώτατον ξανθῆς μελίσσης κηρόπλαστον ὄργανον, *opus multiforme quod e ceris ſtruxit flavens apis*, i. e. mellis ſavus. Cum itaque μελίσπονδα (uti [c] dicebantur) in deorum omnium ceremoniis locum obtinerent, eoſque voluptate non exigua afficere crederentur; veriſimile eſt Deum ea de cauſa mellis uſum in altari vetuiſſe, ne mores & ingenium Deorum ethnicorum ſapere, vel hominum dona potius quam corda ſpectare, videretur. Huic conjecturæ inde pondus additur, quod Deus, hac in lege fermenti ſimul & mellis in ſacris uſu Judæis interdicat: hoc autem factum videtur, ne quis abſurde ſomniaret, Deum (more hominum aut Deorum ethnicorum) panem ſibi oblatum eo majoris æſtimare, quod gratam quandam a fermento acrimoniam, aut a melle dulcedinem derivaſſet.

(2°.) Ideo forſan Deus mellis favum in altare ſuum venire noluit, quod ſacrorum ritus Moſis ætate receptos emendare ſtuderet, & ad ſimplicitatem primævam revocare. Nam, ſub Moſis tempora, diaboli & ſacerdotum ſuorum technis ita comparatum erat, ut ſacrificandi religio multum a ſimplicitate Patriarchali degeneraret, & rituum noviter inductorum farragine laboraret. Gentes, primæva altarium forma repudiata, altaribus in altum ſurgentibus, aut ſcrobibus locisque depreſſioribus, ad ſacra facienda, utebantur. Cibus ſacer, igne olim aſſatus aut aqua ſola coctus, non placuit; ſed hœdum lacte matris coctum, ſuperſtitione quadam curioſa & delicata, in religionem invexiſſent. Patriarchæ, e brutis animalibus, ovem, bovem, & caprum ſolummodo, altaribus ſuis dignabantur: poſteri vero, una cum aliis numinibus, & alia ſacrificia [ſuem, canem, equum, & hujuſmodi] excogitarunt. Antiqui vinum, oleum aut aquam vino commixtam, libare ſolebant; at pragmatica gentium ſuperſtitio liquores novos, eoſque ſæpe ridicule confuſos, invenit, quibus altaria perfunderentur. Sic enim ſibi libare docet dæmonis reſponſum, cujus [d] *Euſebius, e Porphyrio*, meminit.

> Οἶνον καὶ γάλα βάλλε, καὶ ὕδατος ἀγλαὸν εἶδος
> *Vinum, lacque ſimul fundens, lymphamque nitentem.*

Sic etiam *Silius Italicus*, lib. 13. libamen ethnicum nobis deſcriptum dedit,

> *Inde tibi Alecto, tibi nunquam læta Megæra,*
> *Corpora lanigerum procumbunt lecta bidentum,*
> *Fundunt mella ſuper Bacchique & lactis honorem.*

Patres antiqui *Mincham*, e farina oleo tantum ſubacta factam, obtuliſſe videntur; mel autem & fermentum additamenta apocrypha, a Diabolo [tanquam ſacrorum ſuorum characteres] inſtituta cenſeantur: & ea de cauſa (ſi recte conjicio) [e] lex Dei *Minchæ* materiam tam minutim deſcribit, ne ſi quid hominum ingeniis reliquiſſet, mellis aut fermenti aliquid (a Diabolo nuper excogitati) forſan admiſcerent.

(3°.) Ideo Deus mellea dona repudiavit, forte quod, inter gentes aliquas, mellis libatio diis inferis & heroibus fato functis pene propria & peculiaris haberetur. Solebant enim in inferiis, quandoque mel & aquam, quandoque mel, lac, & vinum commiſta, libare, quam etiam miſtionem [f] χοὴν appellabant. Sic ⁴ *Euripides* inferias deſcribit:

> Μελίκρατ' ἄφες, γάλακτος, οἰνωπόν τ' ἄχνην·
> *Sumpto melle, lacte, & vini flore.*

a *Geogr. l.* 15. *p.* 1065. B b *De abſtin. l.* 2. §. 19. c *V. Plutarc. Sympoſ. l.* 4. *Qu.* 5. d *Præparat. Evang. l.* 4. *c.* 20. e *Levit.* 2. 4, 5, 6. f Χοή, ἡ τῶν νεκρῶν σπονδή· *Heſyc. in voc.*

1 *Sylburgius* rectius legit τῶν βωμῶν·
2 Verſ. 559. 3 V. 39. 4 *Oreſt. v.* 115.

SECT. II.

Et apud *Æſchylum Atoſſa* ſic loquens inducitur,

[a] *Hanc viam emenſa ſum,*
—— Παιδὸς πατρὶ πρευμενεῖς χοὰς
Φέρουσ', ἅπερ νεκροῖσι μειλικτήρια.
—— *Filii patri placantia libamina*
Ferens, quæ ſunt *mortuorum delinifica.*

Et poſtquam *libamina* illa, e lacte, melle, aqua fontana, & vino, conſtare dixiſſet, tandem in hæc verba deſinit;

Ἀλλ', ὦ φίλοι, χοαῖσι ταῖσδε νερτέρων
Ὕμνους ἐπευφημεῖτε, τόν τε δαίμονα
Δαρεῖον ἀνακαλεῖσθε, γαπότους δ' ἐγὼ
Τιμὰς προπέμψω τάσδε νερτέροις Θεοῖς·
Sed, o amici, ad has inferias
Hymnos accinite, divumque
Darium revocate; ego vero terra epotandos
Hoſce præmittam honores inferis diis.

Anus illa apud [b] *Heliodorum*, filii ſui exequias agens, mel in foſſam funebrem infudiſſe dicitur. In hanc rem multa alia veterum teſtimonia afferre poſſem, ſi quid e [c] *Bulengeri*, [d] *Bocharti*, aut e *Stanleii* noſtri, penu ſuffurari vellem. Ex hoc frequenti mellis in mortuorum & inferorum ſactis uſu prodiit quod μειλίγματα *placationes* [1] Orpheo dicantur, [f] μειλίχιοι Θεοὶ Dii infernales, mortuorum animæ μέλισσαι, & [2] *Theocrito* Μελιτώδης inferorum Dea: inde venit etiam quod μελισπονδεῖν *mel in mortuorum ſacris fundere* ſignificet. Cur autem mellis uſus inter inferias & libationes pro mortuis tam frequens fuerit, e verbis [g] *Porphyrii* diſcimus, Πεποίηνται τὸ μέλι καὶ θανάτου σύμβολον· διὸ καὶ μέλιτος σπονδὰς τοῖς χθονίοις ἔθυον· *Mortis ſymbolum mel fecerunt: ideoque libamen mellis Diis terreſtribus ſacrificabant.*

An illa *Porphyrii* ratio quicquam præter ſpeciem habeat, nil attinet in præſens curioſius examinare. Id interim pro certo habeatur, idololatras antiquos diis ſuperis mel *quandoque* ſacrificaſſe, inferis autem & mortuis heroibus mel *ſemper* obtuliſſe. Cum itaque gentium uſus mel mortis ſymbolum, & libamen *mortuis* proprium, ſtatuiſſet, ei locum omnino nullum in ritibus ejus conceſſit Deus; ut Iſraelitæ, ſacra agentes, non minus factis quam verbis ſe *Deum viventem* colere teſtarentur. Sed & ideo forſan mel a Dei ſacris omnino prohibebatur, ne e re in inferiis & mortuorum libationibus uſurpata, cultus profani occaſio naſceretur. Mellis enim in ſacris uſus, cultum τῶν Baalim vel heroum mortuorum (cui Iſraelitæ aſſueverant) ad memoriam redigere poſſet; & Iſraelitæ forſan a cultu Dei viventis ad cultum mortuorum, modo libatione conſimili peractum, facile & ſine ſenſu laberentur. His accedat, quod decori ratio vetuit, ne quid Dei ſacris ineſſet, quod diis inferis pene proprium, & diabolo jure quaſi peculiari vindicatum, eſſe videbatur. Si enim Moſis inſtituta propius conſideremus, facile obſervemus, Deum ritus & inſtrumenta multa in deorum ſuperiorum cultu olim uſurpata, ad cultum ſuum tranſtuliſſe; ritus autem & inſtrumenta deorum inferiorum cultui peculiaria prohibuiſſe, & a cultu ſuo longe removiſſe.

(5°.) Mellis uſum a ſacris arcebat Deus, ut *mincha* & victima [panis & cibus ejus] altari, *menſæ ſuæ*, pura & ſincera apponerentur. Non erat e majeſtate Dei, ut ei bellaria offerrent, aut victimas melle inunctas; ſed purum tritici florem, & carnes ſaporem tantum nativum retinentes. Cibaria dulcedinem aſcititiam nacta pueris delicatulis gratiora veniunt, cibus autem & potus naturali tantum dulcedine commendata, palato virili magis convenire ſolent. Hæc ratio eo ſolidior exiſtimetur, quod Deus, hac ipſa in lege, fermentum etiam ſibi offerri prohibuerit. Quaſi dixiſſet, "nolo ego cibum acore vel dulcedine aliqua quæſita adulteratum: nihil menſæ "meæ vel ſordidum vel delicatum apponatis: altare meum e lapidibus conſtat rudi"bus & formam ſolummodo nativam retinentibus, & oblationes quæro ſinceras & "ſapore tantum nativo commendatas. Ad hunc legis illius ſcopum & mentem al-

a *In Perſ. verſ. 611.* b *Æthiopic. l. 6. p. 292.* c *Adverſ. Magos. l. 2. c. 9.* d *De animal. P. 2. col. 530.* e *Not.* in *Æſchyl. p. 770.* f *V. Meinſ.* in *Sil. Ital. l. 13.* g *De antr. Nymphar. p. 262.*

1 In principio *Hymn.*
2 *Idyl. 15.* verſ. 94.

ludit

ludit fortaſſe gentium doctor, cum jubet ut feſtum ἐν ἀζύμοις εἰλικρινείας [a] *in azymis ſinceritatis* celebremus. CAP. XII.

Cum jam legis hujuſce rationes in lucem protulerim, ſupereſt ut duabus objectionibus brevi ſatisfaciam. 2. Objectiones ſolv.

Earum prima e verbis *Theophraſti* petitur, de Judæis Syriam incolentibus, & ſacrorum ſuorum ritibus, talia [b] referentis: οὐκ ἑστιώμενοι τῶν τυθέντων, ὁλοκαυτοῦντες δὲ ταῦτα νυκτὸς, καὶ κατ' αὐτῶν πολὺ μέλι καὶ οἶνον λείβοντες, &c. *Non victimas epulantur, ſed eas integras per noctem comburentes, multo melle & vino iis ſuperfuſo, ſacrificium ocyus conſumunt, ne qui omnia videt, facinus hoc intueatur.* Ipſum itaque ſermonis noſtri fundamentum vitioſum eſt, ſi Judæorum ſacra melle perfunderentur.

Theophrasto, talia de Judaico ſacrificandi ritu referenti, mendacis notam inurere non dubitemus: cum *Plutarchus* aperte dicat Judæos *ſacra mellis expertia* ſemper obtuliſſe, & Judæorum religio vetet credere, eos legem mel in oblationibus aperte prohibentem violare voluiſſe. Deinde cum *Theophraſtus* in Judæos iniquior eſſet (quod e verbis ejus apparet) nil mirum eſt eum mendacio tam ſplendido, gentis illius famam obſcurare ſtuduiſſe.

Secundo: id etiam jam dictis opponi poteſt, quod e [c] ſeptimo *Levitici* conſtet, Deum panes fermentatos offerendi licentiam Judæis conceſſiſſe, quamvis hac in lege ſacra omnia ἄζυμα eſſe poſtulaverit: quidni itaque credamus, Deum Judæos ad eam etiam legis hujuſce partem obſervandam, quæ ſacrum mellis uſum prohibet, minus arcte devinxiſſe?

Hanc etiam objectionem promptum eſt diluere: nam Deus, in ſolis ſacrificiis pacificis & euchariſticis, panis fermentati oblationem, ſpeciali de cauſa, toleravit. Cum enim hujuſmodi ſacrificia, ad ſocietatem & amicitiam quandam inter Deum & offerentes conciliandam & indicandam, inſtituta fuerint; Deus panem, maxime in uſu poſitum, altari [i. e. menſæ ſuæ] apponi voluit, ut Iſraelitis ſuis familiariter uti, eorum pane quotidiano gaudere, & inter eos non tam regis quam amici cujusdam ordinarii perſonam ſuſtinere, videretur.

CAP. XII.

De lege qua cultus τῶν *Seirim interdictus eſt.*

LEX ea cujus intentio & occaſio jam inveſtiganda eſt, verbis hiſce promulgatur, [d] *nec offerent amplius ſacrificia ſua* לשעירים *poſt quos ipſi fornicantur.* Legis hujus explicatiooem cum inſtituto præſenti conjunctam arbitror, quod hæc etiam e malis Ægyptiorum & aliorum ethnicorum moribus nata videatur. Nam Ægyptii, referente [e] *Diodoro* non modo τὸν τράγον ἀπεθέωσαν, *hircum inter Deos retulerunt*, ſed in ejus cultum tanto furore ferebantur, ut oporteret τοὺς ἱερεῖς τοὺς παραλαμβάνοντας πατρικὰς ἱερωσύνας κατ' Αἴγυπτον, τούτῳ τῷ θεῷ πρῶτον μυεῖσθαι, *ſacerdotes qui paterna ſacerdotia per Ægyptum ſuſcipiebant, huic Deo primum initiari.* [f] *Maimonide* teſte צביים id eſt, ethnici ex Atabum & Chaldæorum ſchola, dæmones hircorum formam gerere, & hircina ſpecie ſe cultoribus ſuis conſpicuos exhibere, ſolitos exiſtimabant. Dii gentium complures alii (ut *Pan Mendeſius*, *Faunorum*, & *Satyrorum* genus omne) hircina ſpecie, vel hircinæ ſimillima, colebantur. Ut autem huic legi parum adhuc (ne dicam perperam) intellectæ, lucem clariorem afferam; conſentaneum eſt; ut de illius, *materia*, *forma*, & *ratione*, ſermonem diſtinctum habeam.

a *1 Cor. 5. 8.* b *Ap. Porphyr. de abſtin. l. 2. §. 26.* c V. 13. d *Levit. 17. 7.* e *Bibliothec. lib. 1. pag. 78, 79.* f *Mor. Neb. P. 3. c. 46.*

SECT. I.

De legis materia principali.

UT legis hujuſce *materia* penitius intelligatur, oſtendendum eſt primo, quid hic voce שעירים Secundo, qui voce זנים *fornicantes*, denotari cenſeatur. Anſam dubitandi ſatis amplam præbent opiniones illæ variæ in quas itum eſt ab interpretibus voces illas explicantibus, & ſignificata illa varia quæ vocum earum ambitu contineri videntur.

Vox שעירם explicatur. Theſ. 1ª.

A voce שעירם exordium ducam, & litem totam de illius intentione ſenſuque *theſibus* hiſce quinque dirimere conabor.

Prima ſit hæc : *vox* שעירם *hic late ſumi, & eo nomine animalia illa omnia prohiberi cenſeantur, quibuſcum Iſraelitæ* fornicari *ſolebant in Ægypto*. In hanc ſententiam, non una ratione motus, inclinat animus : nam primo, vox שעיר non hircum ſolum, ſed quidvis villoſum & pilis obductum, denotat. Satis ſit, rem tam claram & in triviis notam uno exemplo confirmare : *Geneſ.* 27. 11. *Et dixit Jacobus — matri ſuæ, — frater meus* eſt איש שעיר *vir piloſus, & ego* ſum *vir lævis*. Cum autem ſignificatio illa, non hircis tantum, ſed & aliis piloſis animalibus (bobus, lupis, canibus, ſimiis, cynocephalis, aliis) convenire poſſit ; æquum eſt, ut ea omnia vocis hujus ambitu comprehenſa cenſeantur. Deinde, cum facile ſit creditu, Iſraelitas, ad motum Ægyptiorum, hæc etiam animalia piloſa, æque ac hircos & vitulos impenſe coluiſſe ; rationi convenit, ut hac voce cultum animalium eorum omnium interdictum exiſtimemus, quibus populus Iſraeliticus ad *fornicationem* ſpiritualem, id eſt, idololatriam, abutebatur. Huic theſi fidei nonnihil accedat etiam ab *Aquilæ* teſtimonio, qui שעירים [1] τριχιῶντα, uti *Arias Montanus, piloſos*, reddidit. Nam inde conſtat, eum exiſtimaſſe vocem illam, non unam aliquam animalium ſpeciem, ſed quamvis, pilis horridam aut obductam, denotare.

Secunda.

Thesis ſecunda ſit hujuſmodi, *nomine* שעירים *hirci* proprie dicti *animalia paſſim in campis & deſertis obvia, præcipue hac in lege videntur intelligendi*. Illi nempe quod pellem pilis aſperam & deformem habeant, שעירים κατ' ἐξοχὴν, appellantur ; & in Scriptura, plusquam quinquaginta vicibus eo nomine donati veniunt. Iſraelitas etiam cum *piloſis* hiſce præcipue *fornicatos* fuiſſe in Ægypto dubitari nequit, cum id e [a] lege præſenti ſatis intelligatur ; cum etiam hircos, præ piloſis aliis, ſacros haberent & impenſe colerent Ægyptii, *Mendeſii* præcipue, quibuscum Iſraelitæ uſu maxime familiari jungebantur. Huic mori fidem indubitatam faciunt antiquorum teſtimonia. [b] *Maximus Tyrius*, de Ægyptiis agens, τιμῶσιν, inquit, Ἰνδοὶ βοῦν καὶ ὄρνιν καὶ τράγον, *bovem illi colunt, avem & hircum*. [c] *Herodotus de Mendeſiis* Ægyptiis ſpeciatim loquens, σέβονται δὲ, inquit, πάντας τὰς αἶγας οἱ Μενδήσιοι, καὶ μᾶλλον τὰς ἔρσενας τῶν θηλέων. *Omnes autem capras Mendeſii colunt, ſed mares plus quam fœminas.* Res ea firmior evadat concordi [d] *Strabonis* [2] teſtimonio, Μένδης, ὅπου τὸν Πᾶνα τιμῶσι καὶ τῶν ζώων τράγον, *Mendes, ubi Panem colunt, & hircum animal*. Et poſtea, αἶγα δὲ καὶ τράγον τιμῶσι Μενδήσιοι, *capram autem & hircum colunt Mendeſii*. Ex ea religione factum eſt, ut eorum *Nomo* & *Oppido* primario nomen Μένδης, Ægyptiace hircum notans, imponeretur. Si quis rem hanc tribus hiſce teſtibus non ſatis firmatam cenſeat, [e] *Bochartum* adeat qui plura veterum teſtimonia congeſſit, & morem pene confirmavit. Cum itaque cultus hircini peſtis inter Ægyptios, *Mendeſios* imprimis tam late diffunderetur ; eam Iſraelitis etiam infeciſſe non facile dubitandum eſt ; cum præſertim e [f] ſcriptura pateat, eos cultus vitulini contagionem in Ægypto contraxiſſe, & aliis ſuperſtitionis ſpeciebus, incolatus Ægyptiaci tempore, mores ſuos corrupiſſe.

Tertia.

Thesin tertiam ſic exprimo : *nomen* שעירם *hac in lege notare putetur animalium omnium (quamvis hircorum inprimis) imagines, quibus Ægyptii tanquam ſuperſtitionis objectis & inſtrumentis utebantur.* Nam Ægyptii beſtiis ſimul & earum imaginibus ad idololatriam abutebantur. Moſis hujuſce teſtem habeo [g] *Lucianum*, dum ſic loquitur de Ægyptiis : ipſorum delubra *forinſecus* quidem pulcherrima ſunt & maxima, ἔνδον

a *Levit* 17. 7. b *Differt.* 38. pag. 396. c *In Euterp.* cap. 46. d *Geogr.* lib. 17. e *De Animal. ſacr.* P. 1. *lib.* 2. *c.* 53. & *P.* 2. *Lib.* 6. *cap.* 7. f *Exod.* 32. 8. g Εἰκον. p. 592. C

1 *Jeſ.* 13. 21.

2 Vid. *pag.* 1154. A 1167 B

δὲ

δι᾽ ἣν ζητῆς τὸν Θεὸν, ἢ πίθηκός ἐστιν, ἢ ἶβις, ἢ τράγος, ἢ αἴλουρος. *Caterum, ſi Deum intus requiſieris, aut ſimiam* invenies, *aut ciconiam, aut hircum, aut felem.* Hæc autem animalia de eorum tantum ſimulacris interpretari docent [a] *Bocharti* illa; "*panem* pingebant SECT. I.
" Ægyptii τραγοπρόσωπον καὶ τραγοσκελῆ, *caprina facie hircinisque cruribus.* Ita habetur in
" *Herodoto.* Et *Jupiter Thebanus* erat κριοπρόσωπος, *arietina facie.* Latrator *Anubis*
" canina. *Bubaſtis* ſive *Diana* feli erat ſimilis, quem ΒΟΥΒΑΣΤΟΝ Ægyptii appella-
" bant. *Luciani* teſtimonio fidem & lucem paulo majorem ferunt [b] *Diodori* verba, *quæ*, Latine reddita, ſic ſonant; *ſacerdotes in Ægypto, Panas & Satyros, hirci naturam imitantes, in templis dedicant.*

Hæc omnia magis extra dubium ſtatuit hiſtoria [c] *Jeroboami*, qui ſacerdotes conſtituiſſe dicitur, לבמות ולשעירים ולעגלים אשר עשה *Excelſis & hircis & vitulis quos fecit.* Hoc enim in loco, voce שעירים non hircos vivos, multo minus dæmones, intelligendos eſſe, ſed hircorum ſimulacra, ſuadent ipſa verba Textus, quo *Jeroboamus* שעירים æque ac עגלם *feciſſe* dicitur, quod de dæmonibus affirmari nequit. Atque hunc ſenſum loci paulo gratiorem reddit ſeniorum verſio, qui ſic textum reddunt: καὶ κατέστησεν ἑαυτῷ ἱερεῖς τῶν ὑψηλῶν, καὶ τοῖς εἰδώλοις, καὶ τοῖς ματαίοις, καὶ [1] τοῖς μόσχοις, ἃ ἐποίησεν Ἱεροβοάμ. Unde clarum eſt, LXX vocem שעירים non per τράγους aut δαιμονίους, ſed, εἰδώλοις & ματαίοις tranſtuliſſe. A re præſenti non erit alienum obſervare, LXX ſic etiam שעירים hac ipſa in lege reddidiſſe, in hunc ſenſum verba transferentes: Καὶ οὐ θύσουσιν [2] ἔτι τὰς θυσίας αὐτῶν τοῖς ματαίοις Hæc autem verſio indicio ſatis claro eſt, interpretes illos exiſtimaſſe, non hircos vivos, ſed fabrefactos, aut alia quævis idola, numina, vel ſimulacra (quæ ματαίων nomine cenſeri [d] ſolent in Scriptura) hic intelligendos. Hæc nempe per ſe μάταια fuerunt & majoris ματαιότητος argumenta; juxta illud *Apoſtoli ad Rom.* 1.21. ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν qui *v.* 23. *mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum,* &c. Hæc dicens Apoſtolus, Ægyptios inprimis ob oculos habuiſſe creditur, qui hujusmodi numina θηριόμορφα in templis & compitis frequentia collocarunt; & hujusmodi *Deorum monſtra* fabrefacere, in parte ſapientiæ non poſtrema habuerunt.

Thesis quarta ſit hæc: *non ſine ratione creditur ab interpretum ſenatu, vocem* שעירים *hic dæmones denotare, & eorum etiam cultum hac in lege prohiberi.* [a] In hanc ſententiam magno numero concurrunt interpretes antiqui ſimul & recentiores. Inter antiquos, *Chaldæus*, *Syrus*, *Samaritanus*, *Arabs* uterque, *S. Hieronymus*, & Hebræorum doctores, primo memorandi, qui vocem hanc de Dæmoniis interpretantur. In horum cenſum & *Aquila* venire debet (ſi *Procopio* credimus) cum שעורים τριχιῶντας reddidit; nam τριχιῶντες (eo exponente) ſunt *dæmonum genus ſylveſtre & tenebroſum.* *Procopii* verba ſunt, τούτους δὲ φασι τριχιῶντας Ἀκύλας ὀνόμασε, δηλῶν κάθυλον, καὶ σκοτιζόμενον δαίμονα. Huic interpretationi non pauci e recentioribus etiam aſtipulantur: nam, ut interpretes *Anglicanos* jam taceam, [e] *Arias Montanus*, *Pagninus*, [f] *Schindlerus*, alii, שעירים per *dæmones* expoſuere. Quarta.

Neque hæc interpretatio ratione minus quam auctoritate ſe tueri poteſt. Nam, (1°.) Moſes id criminis impingit Hebræorum populo, *Deuter.* 32.17. quod τοῖς שרים *olim ſacrificarint*, hoc eſt, ἔθυσαν δαιμονίοις, ut Græci textum reddiderunt. At niſi שעירים hac in lege de שרים *dæmonibus* interpretari liceat, nusquam antea in *Pentateucho* memoratur, Iſraelitas dæmoniis ſacrificaſſe. Si vero vel ipſos dæmones oblatis ſacris coluiſſent, non facile eſt creditu, Moſem crimen tam tetrum tacite præterire voluiſſe; cum præſertim alios eorum mores idololatricos ſæpe recoleret & memoriæ proderet. (2°.) Hæc interpretatio cohærentiæ Textus multo accommodatior eſſe videatur. Cum enim verſu præcedente curatum eſſet, ut animalia omnia ad cibum deſtinata coram ipſo tabernaculo mactanda ducerentur, & ut ſanguis eorum in altare Domini ſpargeretur; continuo additur, *& non offerent amplius* eorum ſacrificia להשעירים Hæc autem verba hunc ſenſum præ ſe ferre, dubitari nequit; cum Ægypti
" moribus adſuetiores eſſetis, vobis olim in more erat animalia in campis aut deſertis

a De *Animal. ſacr.* P. 1. lib. 2. col. 642. 30. b *Biblioth.* lib. 1. pag. 79. c 2 *Paral.* 11. 15. d 1 *Reg.* 16. 13. 2 *Par.* 11. 15. *Act.* 14. 15. *Jer.* 2. 5. & 8. 19. e In *Lev.* 17.7. f In voce שעיר *Lexic. Pent.*

1 Juxta *Editionem Complutens.* ταῖς δαμάλεσιν.
2 *MS. Alexandr.* ἐπὶ ταῖς θύραις αὐτῶν.
3 *Bochart. de animal. ſacr.* P. 1. L. 2. col. 643.

SECT. I. "occidere, & ibi [a] ſanguinem eorum nullo pulvere coopertum relinquere. Hæc eo "conſilio facta ſunt, ut ritibus illis vos cultum τοῖς שרים præſtare, iiſque pabulum ex-"hibere, eorum etiam gratiam & ſocietatem ambire, quos vulgo creditis locos de-"ſertos incolere, teſtatum faceretis. In poſterum itaque vos devioctos eſſe volo, "animalia omnia præ foribus tabernaculi mactare, eorum etiam ſanguinem in altari "ſpargere; ut inde cultus ille dæmonum exterminetur, & clarum ſit, vos mihi, non "impuris illis deſerti incolis, ea conſecrare, nec ulla moris aut dogmatis illius Ægy-"ptiaci λόγων retinere. (3°.) Dæmones olim hircina ſpecie ſibi maxime placuere, & ea ſpecie ſe cultoribus ſuis conſpiciendos non raro præbuere, ſi veterum monumenta quid fidei mereantur in hac re. [b] *Maimonides* enim non paucos e Zabiorum gente fuiſſe refert, *qui dæmones colebant, eoſque formam hircorum habere exiſtimabant.* Cum eorum ſeoteotia conſenſum colit [c] *Jamblichi* dictum, τράγου τι φάσμα ἐρᾷ Σιμωνίδου· *Hirci ſpectrum quoddam*, id eſt, dæmon aliquis hirci ſpeciem ferens, *deperit Simonidem.* Atque hinc veterum theologia, de *Pane*, *Fauno*, *Sylvano*, *Satyris*, *Silenis*, *Ægypanibus*, aliiſque diiš gentium capripedibus, ortum traxiſſe videtur, e more nempe dæmonum, hircorum ſpecie cultoribus ſuis olim apparendi. Ideoque diabolus antiquum obtinet, cum hircina plerunque forma ſagarum conciliabulis & nocturnis miniſteriis ſe præſentem exhibet: in cujus rei fidem, [d] *Bodinus*, *Detrius*, *Remigius*, alii multa teſtimonia congeſſerunt. Neque id moris Hebræos latuit: [1] *Kimchius* enim non ſemel ſcribit, שעירים appellari dæmones לפי שהם נראים כדמות השעירים למאמינים בם *quia credentibus in ſe, hircorum ſpecie ſe conſpiciendos offerunt.* Hoc ipſum occurrit in *Aben-Ezra* ſuper [e] hunc Levitici locum commentariis. Cum itaque dæmones olim hircina ſpecie ſibi maxime placerent & ſæpiſſime formam *ſatyrorum* aut hircorum gererent; conſentaneum eſt opinari, eos etiam, שעירים nomen tandem obtinuiſſe, & Deum eorum etiam cultum hac in lege vetuiſſe. (4°.) Hæc omnia vim non ſpernendam hauriant e ſcriptura ſacra, qua vox שעירים ad dæmones ſignificandos non ſemel uſurpatur. Nam, obſervante clari oominis [2] auctore, *ad dæmones referunt Græci, Chaldæus, Syrus, Arabs, quod habetur Jeſai. 13. 21. de Babylonis futura deſolatione;* ושעירים *& piloſi ſaltabunt ibi: Jeſai. 34. 14.* de deſertis Idumææ, ושעיר *& piloſus ad ſocium ſuum clamabit*, id eſt, inquit ille, dæmon ad dæmonem, quorum ullulatus *Arabice* vocantur אלהדהדת *Alhadhada*, Si lectorem, hujus argumenti ſatietas nondum ceperit, ad [f] *Bochartum* & [g] *Doughteium* ſe amandari patiatur, ut mihi liceat ſtylum ad *theſin* quintam promovere.

Quinta. Ea vero ſic ſe habet: *Seirim, hac in lege, non hircos tantum, aut dæmones hirciformes, ſed & ulla gentium idola, vel deos novos & fictitios originis Ægyptiæ notare cenſeatur.* Nam LXX vocem שעירים hic loci per ματαίοις interpretantur, vocabulum ad idola deoſque gentium omnes exprimendos * indifferenter uſurpatum: nonnunquam [h] vocem eandem per δαιμόνια reddunt, cum tamen vox illa non ad dæmones tantum, aut ſemideos (heroas fato functos) ſed Deos ullos promiſcue ſignificandos, a Græcis adhiberi ſoleat. Hoc prior obſervavit, & exemplis non paucis confirmavit [i] *Hammondus* noſter, auctor multis nominibus orbi literato commendatus. Pateat autem, *Septuaginta* nonſine judicio vocem שעירים ita tranſtuliſſe; eo quod Ægyptii, ſolem quidem in bove, lunam in vacca, Mercurium in cane, ſydus in ariete; ſed *vanitates*, i. e. Deos eorum, pene omnes in hirco, venerati ſunt. Hoc fuſius oſteodam, cum occaſio ſe dabit magis opportuna.

Interea temporis, quæſtioni ſecundæ ſatisfacere conabor, quid nempe *voce* זנים *fornicantes* hac in lege deootari cenſeatur? Huic autem quæſtioni duplici reſpooſo ſatisfiat:

(1°.) Eorum ſenteotia non plane temeraria videtur & a ſcopo devia, qui vocem hanc de *fornicatione* craſſa & corporali interpretantur. Hæc ſententia [k] *Bocharto* placuit, auctori ad ſluporem erudito: nam, legem quam præ manibus habemus memorans, inquir, *haud dubie* fornicandi *verbum, ut paſſim, ad idololatriam refertur. Ita tamen, ut ſimul alludat ad* Ægyptiorum *libidines impuriſſimas, horreſco referens. In parte hircini cultus id fuit, quod quædam mulieres, tanquam religione addictæ, ſacris ſcilicet*

a *Vid. Maimon. Mor. Neb. P. 3. cap. 46.* b *Mor. Neb. P. 3. c. 46.* c Apud *Photii Biblioth.* col. 237.
d *De Dæmonolatr.* e *Levit. 17. 7.* f *De Animal. ſac.* P. 1. col. 641. & P. 2. col. 829.
g *Analect. ſacr.* P. 1. *Excurſ. 154.* * Vid. quæ dicta ſunt ad *Theſ.* . h Vid. LXX. in *Jeſai. 13. 21.*
i *Annot. in Pſal. 96. a* k *De Animal. ſac.* P. 1. col. 642.

1 Vid. *Kimchi Libr. Radic.* in voce שער
2 *Bochart.* paulo poſt laudat.

hircis

hircis fœde ſe ſubmittebant. In ritus hujuſce propudioſi fidem, ***Pindari*, *Strabonis*, *Æliani*, & *Herodoti***, teſtimonia profert; quibus & [a] *Plutarchus* addi potuit, qui fœditatem illam, non pro oſtento, ſed ſacro frequentique animalis illius ſalaciſſimi cultu, accipit. Ritum illum propudioſum anſam dediſſe cenſeo legi illi, [b] ***non ſtabit mulier coram beſtia aliqua*, *ut coeat*** cum ea. Nam lex hæc inter alias cum Zabiorum moribus ex adverſo pugnantes invenitur; & incredibile eſt, mulieres, non modeſtiam tantum, ſed ipſam pene naturam humanam uſque adeo exuere potuiſſe, ut beſtiam, imo hircum, animal olidum & pilis horridum, ad coitum allicerent; niſi religio id mali ſuaſiſſet & mentem pene omnem earum pectoribus excuſſiſſet. SECT. II.

Horum omnium fidem labefactare videatur plane contrarium [c] *Plutarchi* teſtimonium: ὁ Μενδήσιος ἐν Αἰγύπτῳ τράγος λέγεται πολλαῖς καὶ καλαῖς συνειργνύμενος γυναιξὶν, οὐκ ἄγαν μίγνυσθαι πρόθυμος, ἀλλὰ πρὸς τὰς αἶγας ἐπτοημένος μᾶλλον. *Mendeſius in Ægypto caper fertur incluſus cum multis & formoſis mulieribus, non ad coitum proclivis, ſed capras potius deſiderare.* Utcunque שעירים ſeu dæmones libidinoſos, hircorum formas induentes incuborum aut ſuccuborum partes impleviſſe, & homines cum iis libidinem præſtigioſam exercuiſſe, non facile dubitandum eſt; cum præſertim hujusmodi fœditas cum animalis tam ſalacis cultu tam bene conveniat, & hujuſmodi mixturæ diabolicæ frequente magorum & ſagarum experientia & confeſſione abunde confirmentur. Hæc omnia diſerto *S. Patris* teſtimonio munienda cenſui, ne a nonnullis tanquam meræ fabulæ cachinnis tantum effuſis excipiantur. Sic itaque [d] *S. Auguſtinus* teſtimonio ſuo jam dicta comprobat: *quoniam creberrima fama eſt, multique ſe expertos, vel ab eis qui experti eſſent, de quorum fide dubitandum non eſt, audiſſe confirmant*, Sylvanos *&* Faunos, *quos vulgo* incubos *vocant*, *improbos ſæpe extitiſſe mulieribus*, *& earum appetiſſe ac peregiſſe concubitum*, *& quoſdam dæmones quos* Duſios *Galli nuncupant*, *hanc aſſidue immunditiam & tentare & efficere*, *plures taleſque aſſeverant*, *ut hoc negare impudentia videatur.* Quoniam autem a nonnullis eo impudentiæ proceſſum eſt, invito licet *S. Auguſtino*, ut hæc omnia vel negent, vel in dubium vocent; reſponſum ſecundum jam addo, de cujus veritate nemo (quod ſciam) dubitavit.

Est autem hujusmodi: plerique vocem זנים *fornicantes* de fornicatione ſpirituali, de idololatria ſcilicet, intelligendam arbitrantur. Iſraelitas fornicationis (hoc ſenſu ſumptæ) ſe reos in Ægypto peregiſſe, teſtimonio *Joſhua* & *Ezechielis* extra dubium ponitur: [e] *Joſhua*, ſic populum alloquentis; *auferte deos quibus ſervierunt patres veſtri in Meſopotamia & Ægypto*: *Ezechielis* etiam, de ſororibus duabus iſta referentis; *ſcortatæ ſunt in Ægypto, in adoleſcentia ſua ſcortatæ ſunt*, Cap. 23. 3. & iterum, v. 8. *Scortationes ſuas ab Ægypto* allatas *non dereliquit.* Ideo vero gentis illius idololatria *ſcortationis* prout etiam *rebellionis*, nomine ſæpe notabatur; eo quod Deum pro marito, ſimul & domino ſeu rege politico, accepiſſent, & cum eo fœdus maritale ſimul & politicum iniiſſent. Fœderis hujus ea lex & conditio præcipua fuit, ut Ægypti *Baale*, & *Molecho* prorſus abdicato, Deum unum pro *Baale* id eſt, marito & domino ſuo, haberent, ejusque ſolius leges & ritus in æternum obſervarent. Cum itaque ad *Baalem*, *Molechum*, vel alia quævis idola, deflexerunt Iſraelitæ; fidem marito & regi ſuo ſupremo datam fallebant, adeoque fornicationis & rebellionis reatum contrahere merito dicebantur.

Atque hæc ea ſunt quæ cum legis hujuſce materia & ſcopo maxime convenire judicavi.

SECT. II.

De legis forma paucis agitur.

Ut rato ordine procedat oratio, ad legis hujuſce formam, proximo deveniendum eſt. *Formæ* vero nomine, verborum omnium ſimul ſumtorum ſenſum & intentionem intelligi volo. Hac de re litis aliquid inter doctos agitatum video, cum nonnulli ſenſum *præcepti*, alii *promiſſi*, alii vero *conſilii*, Textui integre ſumto tribuant.

Primo: interpretum pars potior verbis hiſce formam *præcepti*, nempe negativi, tribuere ſolent, eaque in hunc ſenſum interpretari. "Non pauci e gente licet Iſrae- Forma legis.

a In Gryllo p. 989. Tom. 7. col. 406, 407. b Levit. 18. 23, 24. c Ub. ſupr. d De Civit. Dei. lib. 15. c. 23. e Joſ. 24. 14. Hoſ. 2. 16.

SECT. III. “liticæ, more apud Ægyptios alioſque recepto, pecudes ad eſum deſtinatas in apertis campis aut deſertis occidere ſolent, & earum ſanguinem relinquere nullo pulvere coopertum. Se nempe perſuaſos habent, genios quoſdam aut dæmones hirciformes locos hoſce deſertos incolere, ſanguinem ſic effuſum lambere; iiſque ſe videndos, conſulendos, & familiariter utendos, exhibere, qui hoc ritu cultum illis & obſequium præſtant, pabulum miniſtrant, & ſavorem ambiunt. In poſterum autem Iſraelitas ea lege teneri volo, ut morem tam profanum ad Ægyptios ablegent, & pecudes omnes ad oſtium tabernaculi mactandas ferant; ut hoc ritu ſe Jehovæ tabernaculi mundique Domino non hircis aut dæmonibus τραγομόρφοις, rem ſacram facere teſtatum faciant.

Secundo: a quibuſdam, huic Textui vis & ſenſus *promiſſi* datur, eumque ſic intelligunt, quaſi ſummus legiſlator his verbis ſenſum ſuum tradidiſſet; “ſi præceptum meum, de ſacrificio quovis præ tabernaculi foribus offerendo, inſuper habeatis, & illud, ethnicorum ritu, paſſim in campis & deſertis offeratis; ſacrum in honorem שׂעירים peractum cenſebitur, dæmonum nempe qui locos deſertos incolunt, ſacro cuivis oblato ſe præſentes exhibent, & pecudis cujusque mactatæ ſanguinem ligurire ſolent. At ſi ſacrum faciendum ad tabernaculi fores, juxta legis jam datæ præſcriptum, afferatur; pro ſacro Jehovæ Cherubinos incolenti oblato habebitur, non autem *Seirim*, loco tam ſancto penitus excluſis, & ab eo prorſus abhorrentibus.

Tertio: alii vim & ſenſum *conſilii* textui præſenti dandam exiſtimant, eumque in hanc ſententiam interpretantur; cum opinio paſſim invaluerit, dæmones hirciformes in campis aliiſque locis ab hominum frequentia ſejunctis maxime commorari, & beſtia quævis in hujusmodi locis mactata, donum locorum eorum præſidibus oblatum vulgo cenſeatur; vobis auctor ſum, ut quodvis animal ad oſtium tabernaculi mactetur, ſancte promittens me pecudem quamvis, eo ritu mactatam, quamvis ad eſcam ſolummodo deſtinatam, ſacrificii loco habiturum, eamque mihi, non dæmoni, datam æſtimabo.

His ea de textus hujuſce forma ſenſuque prælibatis, lectori integrum ſit de eo ſententiam ferre; quamvis (uti mea fert ſententia) ſenſus primus facile præferendus eſt.

SECT. III.

Ratio legis inveſtigatur.

Ratio legis. ORDO mihi præſcriptus & incœpti mei ratio jam poſtulant; ut proximo, legis hujuſce rationibus inveſtigandis & illuſtrandis operæ nonnihil impendatur. Hæ vero non indignæ videntur quibus indagandis incumbamus, quod res ſit haud adeo prompte intelligenda cur Deus contra cultum שׂעירים legem tam diſertam tradederet. Si enim vocem illam de hircis animalibus interpretemur, certum eſt Iſraelitas vitulos etiam & arietes, ad morem Ægypti, coluiſſe; quid itaque Deus cultum *hircorum* ſolummodo diſerte prohiberet? Si nomine שׂעירים cultus idolorum aut imaginum interdictus eſt, quid lex hæc iterum ingeſta eſt, cum Deus cultum tam craſſum præcepto ſecundo tam aperte vetuiſſet? Si voce שׂעירים dæmones aut gentium numina vel heroes intelligendi veniant, lex hæc ſuperflua videri poſſit; cum præcepto primo ſatis cautum ſit, ne Dii alieni in ejuſdem cultus ſocietatem cum Jehovah admitterentur. Ut hunc nodum expediam, varias legis hujuſce rationes aſſignandas arbitror; nonnullas *ex parte Dei*, nonnullas *ex parte dæmonis*, *ex parte populi* quaſdam, alias etiam *ex parte cultus ipſius hic interdicti*.

A parte Dei. Primo: rationes *a parte Dei*, duæ ſcilicet, aſſignari poſſunt, cur lex ad cultum hircorum exterminandum, tam diſerta ferebatur.

(1°.) Τραγολατρεία, præ aliis omnibus idololatriæ ſpeciebus, præcellentem Dei majeſtatem læſit, & illius cultum omnem (qua licuit) e medio ſuſtulit. Nam ſi rem propius inſpiciamus, facile percipiamus, cultum hic vetitum, non hircorum ſolummodo, ſed etiam *dæmonum*, *imaginum capriformium*, *Satyrorum*, *Syderum*, *Mendis* & *Nibis*, cultum, in ſe uno continuiſſe. *Dæmonum*, qui formas hircorum, cum ſe publice colendos exhibebant, ſibi tam frequenter inducebant; ut antiqui voce שׂעירים ad hircos ſimul & dæmones notandos uterentur. Hoc *Maimonidi* dudum obſervatum eſt, & e non-

nonnullis Scripturæ locis, [a] ſupra citatis, abunde confirmatum: *imaginum capri ſormium*, nam Ægyptios & Iſraelitas hujuſce ſortis imagines in templis ſuis habuiſſe, easque divinis honoribus affeciſſe, ſatis e ſuperius adductis eluceſcit; nec facile dubitandum eſt, imagines illas, earumque cultum, originem debuiſſe zelo & honori quibus hircos ipſos (animalia prototypa) proſequebantur: *ſatyrorum*, erant enim ſatyri [b] numina ſilveſtria, in ſcriptis ethnicis ſæpe memorata, hircos præcipue referentia, & nomen ſuum a voce qua Moſes hic utitur, unius literæ mutatione derivantia: *ſyderum, ſolis* autem *præcipue*, quæ in hirco, tanquam ſymbolo & hieroglyphico, colebantur; nam hirci & capræ, [c] propter egregiam qua pollent fœcunditatem, prolificæ ſolis virtuti parallelam, cornua etiam, radioſam & igneam ſolis naturam aliquatenus exprimentia; ſolis ectypa & ſimulacra quædam in Ægypto cenſebantur: *Mendis* inſuper cultum continuit, quem Ægyptii fœcunditatis præſidem unicum ſtatuerunt, cujus etiam vim divinam in hirco, animalium fœcundiſſimo, ſymbolice venerati ſunt. Sapientes denique Nilotici numen ſuum [d] Νεῖλον, quod fœcunditati præeſſe credebatur, hirco ſeu capite hircino exprimebant; eique ſub hirco, veluti fœcunditatis eximiæ Symbolo, cultum tribuebant. Cum itaque cultus τῶν *Seirim* idololatriam multifariam contineret, & Deum contumeliis & injuriis vix exprimendis oneraret; æquum & neceſſarium erat, ut Deus legem ſpecialem traderet, quæ cultum tam peſtiferum e rebus exterminaret. SECT. III.

(2°.) Novit ſummus legislator cultum hircinum hominum animis cultu vitulino altius inhæſurum, eumque religioni & eccleſiæ ſuæ (ni maturius occurreret) plus damni & impedimenti creaturum, ſuperſtitione quavis alia tunc temporis invaleſcente. Quamvis enim hodie cultus hircinus a ſtudiis & affectibus noſtris abhorreat maxime, & nullibi, niſi forſan in nocturnis ſagarum conventibus, inveniri poſſit; olim cultus nullus frequentior, nec ullus hominum ſtudia ſibi tam facile devinxit, aut iis, ſapientiæ, religionis, conſuetudinis, & voluptatis, nomine gratior acceſſit & commendatior *ſapientiæ*: quod Ægypti ſapientes locum præcipuum inter figuras eorum hieroglyphicas hirco darent, eoque ad res ſacras repræſentandas frequenter uterentur. *Religionis:* quod Ægyptii, Mendeſii præcipue, ſanctitatem ſingularem hirco tribuerent, & in eo (quod dixi) non tam Deum, quam Deorum turmam colerent. *Conſuetudinis:* cum enim *Mendeſii* hircum animal ſacratius haberent, eumque cultu & honore divino proſequerentur; cum etiam Iſraelitæ plerique in Nomo *Mendeſio* viverent, & *Mendeſiorum* præcipue moribus ſe ipſos accommodarent; non eſt difficile creditu, conſuetudinem hujusmodi cultum non parum commendaſſe, & Iſraelitas, more dominorum ſuorum, hircos etiam impenſe coluiſſe. *Voluptatis* denique nomine cultus nullus populo gratior acceſſit & commendatior. Cum enim hircus ob fœcunditatem ſingularem & γεννητικὸν μέρος (quod alibi doceo) præcipue coleretur, dæmones etiam ſatyrique ſalaces in animali illo tanquam ſymbolo repræſentarentur; proculdubio libidines & ſtupra omnifaria cultus illius pars magna fuerunt, eique maxime conſentanea cenſebantur. Cum itaque cultus hircinus tot nominibus populo gratus adveniret, & metus cauſa ſubeſſet ne peſtis illa tandem gentis totius affectibus ſe inſinuaret; Dei ſapientiæ & bonitati conſentaneum erat, ut legem daret, quæ populum ſuum non tantum ab idolorum omnium, ſeu (ſpeciatim) hircorum, cultu cohiberet: aliter forſan actum fuiſſet de cauſa cultuque Dei, & hircus mali non minoris hominibus, quam ſerpens olim, inſtrumentum extitiſſet.

Secundo: rationes aliæ reddi poſſunt, *ex parte diaboli*, cur ſpecialiter cautum erat, ne hircos oblatis ſacris honorarent. Nam, A parte diaboli.

(1°.) In ſacrificiis quæ τοῖς *Seirim*, aut hircis, offerebant, dii ſilveſtres aut agreſtes (i. e. dæmones) ex ipſa ſacrificantium intentione perpetuo colebantur. Cum equidem vitulos, vaccas, arietes, aut alia quævis animalia, ſacris ceremoniis honorarent; cultum illum in honorem *Oſiridis, Iſidis*, ſolis, lunæ, ſyderum, aut herois alicujus, præſtare cenſebantur: cum autem τοῖς *Seirim* aut hircis ſacrificarent, dæmones ipſos in ſymbolis aut perſonis eorum ſemper adorare credebantur. Scriptura quidem, Gentiles ſacra ſua dæmonibus, iisque ſolis, obtuliſſe, diſerte dicit; cum tamen illi, ſacra facientes, idola, corpora cœleſtia, vel heroes ſuos, in animis habuiſſe, & de dæmonibus ſacrificio colendis ne cogitaſſe, videantur. [e] Scriptura vero (quod dixi) Gentiles ſacrificii dæmonibus tantum oblati reos agit, eo quod cultus illius ethnici diabolus auctor & finis eſſet, eumque Deus aperte vetaret & deteſtaretur. Cultus autem hircinus dæmonem pro objecto (mediato vel immediato) ſemper habebat, & ad eum unum, non tan-

a V. Sect. 1. Theſ. 4. b V. Voſſ. de Idolol. lib. 9. c. 43. c Kircher. Obeliſc. Pamph. p. 279. d Kircher. ub. ſup. pag. 276. e 1 Cor. 10. 20.

SECT. III. tum ex interpretatinne Dei, ſed & intentione cultus ipſius, perpetuo dirigebatur. Cum enim ſacrificia τῶν *Seirim* offerebantur, diabolus forma hircinam referente cultoribus ſuis ſe conſpicuum exhibebar; vel in hirco, tanquam ſymbolo ſuo, latere & repræſentari cenſebatur. Cum itaque τραγολατρείᾳ cultus Deo præſtiti ne ſpeciem quidem retineret, ſed eum aperte rejiceret & *coram ipſa facie ſua ſemper irritaret*; cauſa non levis erat, cur Deus populum ſanctum ab hircorum cultu lege ſpeciali cohiberet.

(2°.) Dæmnnes olim, qui inter ſuos verſari volebant, hircorum plerumque forma videri geſticbant, maxime cum ſe publice colendos exhibebant. Hoc prior obſervavit [a] *Nicolaus Remigius*, & obſervationem ſuam rationibus & exemplis aliquot ratam firmamque fecit, in hæc verba tandem concludens argumentum; *Ægipanes Satyri, Fauni, Sileni, aliaque Deorum ruſticorum turba, quos Gentilitas errore vano deluſa coluit, membris hircinis deformes ſe ſemper viſendos præbuerunt.* Hæc omnia probabilitatis ſpeciem paulo majorem e Scripturis hauriant, in quibus vocem שעירים ad hircos ſimul & dæmones ſignificandos uſurpari, non ſemel obſervatum eſt: hoc autem ortum videtur ex uſu dæmonum, hircorum ſpecies aſſumentium, præcipue cum ſe cultoribus ſuis conſpicuos exhibuerunt. Hiſce firmitatis aliquid acceder etiam, ſi duos illos Scripturæ locos, veluti parallelos, ſtatuamus; *Levit.* 17. 7. *& non ſacrificabunt amplius* ſacrificia ſua לשעירים *Deuter.* 32. 17. ſacrificabant לשדים qui *non* ſunt *Deus.*

Textus illos affinitate proxima conjungi, & לשדים voci לשעירים ex adverſo reſpondere, eamque interpretari, non facile dubitandum eſt, cum præſertim, *Jeſai* 13. 21. pro ושעירים *Targum* ושדין habeat. שדים autem *dæmones* denotare, interpretum omnium ſuffragio confirmatum eſt, opinione vocis illius origini maxime conſentanea. Nam vox hæc originem duxiſſe creditur a שוד *vaſtavit, devaſtavit*, eo quod dæmones illi in locis vaſtis & deſertis habitarent. Sed illi forte ſcopum propius attingunt, qui ab obſoleto שדה *nocuit* vocis hujuſce natales arceſſunt; cum præſertim conſentiat *Arabum* lingua, qua [b] שרא *nocuit, malefecit*, etiamnum in uſu reperiatur; & Hebræi veteres שדים illos, præcipue ne nocerent, ſacrificiis honoraſſe videantur. Cum autem שדים *dæmones* ſignificaret, haud prnmptum eſt rationem excogitare, cur olim שדים tanquam vocabulo ſynonymo, ad שעירים interpretandum uterentur, niſi quod dæmones hircina forma frequenter apparerent; tum vero præcipue, cum ſacrificii cultum eſſent recepturi. Cum itaque dæmones tam frequenter hircorum ſpecie ſe colendos præberent, opus erat lege quæ ſacra τῶν שעירים oblata prohiberet; ne prout *Abrahamus* angelos, formis humanis apparentes, hoſpitio excepit; ſic & Iſraelitæ dæmones hircorum ſpeciem mentientes acciperent, eoſque ſacrificiis incauti colerent.

A parte populi Iſraelitici.

Tertio: rationes quædam ex parte populi Iſraelitici reddi poſſunt, cur cultus hircorum ſpecialiter interdictus eſt. Nam,

(1°.) Israelitæ non pauci cultus hircini venenum altius imbiberant, & in eum præcipue cæco & præcipiti zelo ferebantur. Hoc e verbis legis hujuſce liquido ſatis intelligitur, *non offerent amplius ſacrificia ſua hircis, poſt quos fornicati ſunt & fornicantur;* nil vetat enim quo minus participium זנים cum reſpectu ad tempus præſens & præteritum interpretemur. Hoc etiam intelligi datur ex hiſtoria [c] *Jeroboami* qui שעירים ועגלים *hircos & vitulos*, eorum ſcilicet imagines, *feciſſe* dicitur; nempe populo ut placerent quas inſtituiſſet ceremoniæ. Hinc etiam aſſertio mea vim & fidem accipiat, quod Iſraelitæ plerique in inferioris [d] Ægypti partibus, *Nomo* præcipue *Mendeſio*, viverent, ubi maximus honos hircis habebatur; ideoque fieri vix potuit quin eandem, quam & domini ſui, τραγολατρείας inſaniam inſanirent Iſraelitæ; ea præſertim ætate, qua omnium oculi in Ægyptios, *Mendeſios* imprimis, tanquam religionis antiſtites, & ſapientiæ magiſtros convertebantur. Cum itaque ſic Ægypti, Nomi præcipue Mendeſii more comparatum eſſet, ut hircis inprimis honor divinus aſcriberetur; cum etiam moribus Ægyptiis uſu longo aſſueti eſſent Iſraelitæ, & eorum admiratio gentis illius animos pene dementaret; interdicto ſpeciali opus erat, quod populum illum ab hircorum cultu cohiberet.

(2°.) Cultus hircinus gentem Iſraeliticam, ad gloriam & decus natam, maxime vilem, ridiculam, & bonis omnibus exoſam, reddidit. Nam cultu illo [e] *gloriam ſuam*

[a] Dæmonolatr. Lib. I. cap. 3. [b] Vid. *Caſtell. Lexicon. Heptaglot.* col. 3695. [c] 2 *Paral.* 11. 15. [d] *Marſham. Can. Chron.* p. 446. [e] *Pſal.* 106. 20.

muta-

mutaverunt, non tantum *in ſimilitudinem vituli qui fœnum comedit*, ſed hirci animalis oculis naribusque male grati, & in libidinem projectiſſimi. Neque cultus ille, minus ratione originis quam objecti ſui, merito ridiculus erat & contemptui habitus. Sic enim cultus illius originem refert[a] *Diodorus Siculus: hircum autem deificarunt* Mendeſii, *ut apud Græcos Priapum coli dicunt*, διὰ τὸ γεννητικὸν μέρος, *propter genitalem partem;* h. e. eo quod cæteris animalibus membroſius, ſalacius, & fœcundius haberetur. Cum itaque cultus ille tam ineptus eſſet, & omnes ſacris hircinis addictns cachinnis exponeret; Deus eum diſerte vetuit, utpote cultum a nominis Iſraelirici dignirate prorſus alienum. Deum eo conſilio hanc legem ſanxiſſe veriſimilius habeatur, quod & alias leges, gentium moribus oppoſitas Iſraelitis dederit, quod mores vetiri ab eorum [b] ſanctitate prorſus abhorterent, & id ageret Deus ut eorum honorem integrum & illæſum conſervaret. SECT. III.

QUARTO: aliæ rationes *ex parte cultus ipſius* aſſignari poſſunt, cur cultus hircorum (nnn autem vitulorum, aut arietum) ſpecialiter interdictus eſt. Nam, A parte cultus ipſius.

(1°.) CULTUS hircorum cultum plerunque vitulorum ſecum traxit, cum inter eos non parum cognationis intercederet. Huic aſſertioni colorem præbet hiſtoria [c] *Jeroboami*, qui עגלים *vitulos* una cum שעירים *hircis feciſſe* dicitur. Nec abſimile eſt vero, *Jeroboamum*, ex Ægypto reducem, ſe & cultum ſuum ad mores Ægyptiorum adornaſſe, qui hircum ſoli ſacratum, uti & vitulum lunæ, coluerunt. Aſſerrionis hujuſce fides *Theodoriti* præcipue teſtimonio nititur: ille nempe, poſtquam de *luna* ſermonem habuiſſet, [d] addit, ταύτῃ δὲ τὸν Ἄπιν, τὸν βοῦν δὴ λέγω, Αἰγύπτιοι τρέφουσι· τὸν δὲ Μένδην τῷ ἡλίῳ· i.e. *Huic autem*, Lunæ ſcilicet, *Apin, quem bovem ipſe dico, Ægyptii nutriunt; ſoli vero hircum, quem illi* Mendem *vocant*. Hanc lectionem præfero, eo quod ratione, & codicum manuſcriprorum fide (ſi [e] auctori nupero credimus) ſe facile tueri poſſit; quanquam exemplaria paſſim obvia Μηνῖν, non Μένδην, legere, diſſimulari non debeat. Ideo vero *Jeroboamus*, unde nrtus eſt ſermo, *hircos* & *vitulos feciſſe* dicirur, ut religionis ſuæ ſabula toti genti gratinr accederet & commendatior. Eorum nempe nonnullis inter Memphitas & Heliopolitanos colloeari contigir, qui ſolem ſub ſpecie bovis adorabant: pleriſque vero inter Mendeſios, a quibus ſol ſub hirci forma & ſpecie colebatur: *Jeroboamus* itaque, ut partis utriusque gratiam iniret, *hircos* ſimul & *vitulos feciſſe* dieitur; quamvis *hircos* primo, forte quod populi pars pntior, aur eorum majores, inter *Mendeſios* τραγολάτραι olim habitarent, ideoque capros veneratione præcipua proſequerentur. Ideo vero capri ſoli ſacri erant, & ſol in iis ſymbolice colebatur; quod cornua longiuſcula & pilos promiſſos habeant, qui radios ſolares referunt; juxta illud *Ovidii*, —— *Rutilis veniens Aurora capillis.*

(2°.) Τραγολατρεία, hitcis, phyſice vel ſymbolice ſpectatis, fœcunditatis omnigenæ laudem tribuere cenſebatur. Cum enim hircus animalibus aliis membroſius, ſalacius, & fœcunditatis nomine commendatius, adeoque fœcunditatis ſymbolum maxime proprium, haberetur; cum etiam Dii omnes, fœcunditatis præſides & auctores habiti, (*Pan*, *Mendes*, *Oſiris*, alii) in animali illo ſymbolice repræſentarentur; eo res rediit, ut fœcunditatis omnis gloria, non Deo, ſed hircis, hujuſmodi cultu tribueretur. Horum omnium veritatem *Suidas* aſtruit, ad vocem Μένδης hæc habens; Οὕτω καλοῦσι τὸν Πᾶνα Αἰγύπτιοι, ὡς τραγοπρόσωπον· τῷ καὶ τὸν τράγον τῇ αὐτῶν διαλέκτῳ οὕτω καλοῦσι· καὶ τιμῶσιν αὐτὸν, ὡς ἀνακείμενον τῇ γονίμῳ δυνάμει· -- ὀχευτικὸν γὰρ τὸ ζῶον. i. e. *Ægyptii ſic Pana vocant, utpote caprino vultu præditum, quod etiam ſua lingua hircum* Menden *vocent. Venerantur autem eum, quaſi ſeminalis virtutis præſidem: -- eſt enim ſalax animal.* Cum itaque ſuperſtitionis tam peſtiferæ memoria recens Hebræorum animis adhuc inhæreret, Deus ſeipſum fœcunditatis originem declaravit, inſignem prolis ubertatem promittens Iſraelitis, modo ſeipſum, non *Pana* vel hircos, adorarent; *non erit*, [f] inquit, *apud te ſterilis* utriusque ſexus, tam in hominibus, quam in gregibus tuis. Cum etiam [g] feſtivitates illas, (paſcha, pentecoſten, & ſcenopegiam) agitarent, ut Deum ubertatis omnis origenem celebrarent; hircum Deo ſaerificare tenebantur; ut [h] animal illud divinitate ſua mentita ſpoliatent, ſeque nullam ubertatis ſuæ partem animali illi miſello debere, tacite profirerentur. Et ne quis adhuc ſupetſtitioni tam craſſæ locus relinquererut, cultus hircotum lege ſpeciali vetitus eſt, ut quivis τραγολάτρης intelligeret, ſe peccatum graviſſimum admiſſurum, & legis illius violatæ pœnas certo ſubiturum.

a *Biblioth.* lib. 1. pag. 78. C b *V. Exod.* 19. 5, 6. *Levit.* 20. 24, 25. *Deut.* 14. 1, 2. c 2 *Par.* 11. 15. d *Serm.* 3. *de Angelis*, &c. p. 514. A e *Stephan. le Moyn. Not. in Var. Sacr.* pag. 636. f *Exod.* 23. 26. *Deut.* 7. 12, 13, 14. g *Trium principalium feſtorum ſacrificia hirci fuerunt.* h *Maim. Mor. Neb.* P. 3. cap. 46.

SECT. IV.

SECT. IV.

Argumenta modo dictis oppoſita diluuntur.

Argumenta contra ſenſum legis.

UNUM jam ſupereſt, ut ſcilicet argumentis contra ſenſum & rationem legis hujuſce pugnantibus, brevi ſatisfaciam.

PRIMO itaque, contra ſenſum legis modo dictum hoc pugnatur argumento: fidem omnem excedit, Iſraelitas eo inſaniæ pervenire potuiſſe, ut hircis, animalium fœdiſſimis, rem ſacram facerent; multo minus, ut eos animalibus ſacris & honore præcipuo colendis annumerarent, aut ab eorum eſu, veluti ſcelere notæ nigrioris, abſtinerent.

RESPONDEO: eſt equidem τραγολατρεία a moribus quibus utimur hodie tam diſſona & aliena, ut nobis non tantum idololatria, ſed & inſania, poſt natos homines craſſiſſima, facile videatur. At Ægyptios antiquiores hujuſmndi cultum in prima religionis & ſapientiæ parte poſuiſſe, pateat e multis veterum teſtimoniis, congeſtis a [a] *Kirchero*, [b] *Voſſio*, [c] *Bocharto*, [d] *Marſhamo*, & aliis, ad quorum ſcripta digitum ſufficiat intendiſſe. Hirci vero & eorum cultus Ægyptiorum animis altius inhærebant, numinum ſuorum formas & mores aptiſſime referre, & Dii ſui in hircis, tanquam ſymbolis expreſſis & imaginibus pene ſpirantibus, coli viderentur. Cum autem Ægyptii cultum hujuſmodi ſymbolicum per annos aliquot hircis exhibuiſſent, cultus ille paulatim in proprium degeneravit, & inferioris Ægypti partes pleraſque tandem occupavit. Cum itaque cultus hircini peſtis in Ægypto late graſſaretur, eum & Iſraelitas tandem infeciſſe non facile dubitaodum eſt; cum præſertim e [e] Scriptura pateat, eos cultus vitulini contagionem inter Ægyptios hauſiſſe, & aliis Ægypti ſuperſtitionibus mores eorum corrupiſſe. Sed Scriptura magis aperta cultus hujus, inter Iſraelitas iovaleſcentis, attente legenti præbebit teſtimonia. Nam, obſervante [f] *Maimonide*, Lege juſtum eſt, ut *omnia ſacrificia pro peccato, tum privati alicujus hominis, tum eccleſiæ totius, trium nempe Feſtorum principalium, Noviluniorum, Diei expiationum, & idololatriæ, hirci eſſent*. His autem hæc prudens addit auctor ille, non e vulgo Judæorum; *ejus rei cauſa hæc mihi videtur eſſe, quod maximum peccatum, & graviſſima ipſorum rebellio tunc temporis erat, quod hircis ſacrificarent.* Quænam enim cauſa, rationi magis conſentanea, reddi poteſt, cur præceptum ſit, hircum toties, eumque pro peccato, ſacrificare; niſi quod in hirco frequentius peccaſſent Iſraelitæ, eumque in Ægypto animal ſacrum & vix tangendum habuiſſent; & ut (numen Ægyptiorum ſæpe jugulantes, & *Deo Iſraelitis* offerentes) illud contemnere diſcerent, & ſymbolicam Ægypti ſapientiam nullius æſtimare? His accedat, quod hiſtoria ſacra teſtetur, [g] Jeroboamum imagines hirciformes fabricaſſe, ſacerdotes etiam qui in earum honorem munia ſacra præſtarent, ordinaſſe; at ne veri quidem ſpeciem præ ſe fert, Jeroboamum hæc inſtituere voluiſſe, niſi ut cultum hircis viventibus, imaginum earum exemplaribus exhiberet, & animos populi ſibi conciliaret, qui in cultum hircinum zelo præcipiti ferebantur. Sed ſi Scriptura tacuiſſet, ipſa ratione docente ſciri poſſet, cultum hircinum Iſraelitis antiquioribus arriſiſſe, eo quod cultus ille, vel alius aliquis non minus impurum ſpiritum repræſentans, inter alias gentes obtineret. Certum eſt enim Ægyptios hircum, non tam fœcunditatis ſymbolum, quam libidinis effrœnis exemplar & numen tutelare, coluiſſe; & libidinem omnigenam in ſacris ejus exercuiſſe. Hoc non obſcure colligitur e verbis [h] *Theodoriti*; Αἰγύπτιοι δὲ τοσοῦτον ταῖς αἰσχραῖς ἐδουλώθησαν ἡδοναῖς, ὡς καὶ τὸν τράγον, διὰ τὴν περὶ τὰς μίξεις μανίαν, ὀνομάσαι θεόν. *Ægyptii vero ſic obſcœnis voluptatibus ſervierunt, ut etiam hircum quod ad inſaniam pene ſalax ſit, Deum nuncuparint.* Eadem impura ſtirpe prognati ſunt dii illi capriformes, *Priapus*, *Pan*, *Silvani*, *Satyri*, quibus Græci Romanique divinos honores dicarunt, & quorum ritus ipſa lupanaria fœditate ſuperarunt. Cum itaque cultus hic impurus tam late diffunderetur, eum Iſraelitas etiam non leviter infeciſſe, dubitari nequit; cum certum ſit eos a gentium Ægyptiorum præcipue, veſtigiis raro diſceſſiſſe; *Peorem*, Priapum illum Iſraeliticum, impenſe coluiſſe; & libidinis illecebras, non minus Iſraelitas quam alias gentes, ad hujuſmodi cultum exercendum extimulaſſe.

a *Oed. Ægypt.* Tom. I. cap. 20. b De *Orig. Idol.* lib. 3. cap. 74. c De *Animal. ſacr.* P. I. l. 2. cap. 53. d *Can. Chronic.* pag. 64. 65. e *Exod.* 32. 8. f *Mor. Neb.* P. 3. cap. 46. g 2 *Par.* 11. 15. h *Serm.* 3. *de Angelis*, &c. Tom. 4. p. 521. C

SECT. IV.

Secundo: legis hujuſce ſenſus modo dictus urgetur adverſa doctorum ſententia, qui vocem שעירים de *dæmonibus* in [a] Levitico vel Chronico ſacro, minime patientur; eoque minus quod nulla conſtet ratio, cur dæmones olim formis hircorum frequentius apparuiſſe cenſeantur.

Respondeo: e ſuperius adductis liquido videre eſt, vocem illam *hircos* & *dæmones* in Scriptura denotare, adeoque hunc vel illum vocabuli ſenſum ſemper præferendum eſſe, qui, calculis bene ſubductis, textus ſcopo generali videtur aptior & accommodatior. Cum itaque conſtet Ægyptios, & Iſraelitas eorum exemplo ductos, hircos proprie & dæmones (in iis) ſymbolice coluiſſe; cum etiam [b] veterum conſenſu ratum ſit, dæmones apparentes hircorum ſpeciem frequentius induiſſe, conſultum videtur, vocem שעירים (hac ſaltem in lege) de hircis ſimul & dæmonibus interpretari. Variæ vero rationes aſſignari ſolent, cur dæmones olim hircina plerumque forma ſe colendos exhibuerunt, quas, utpote a re præſenti (& veritate forſan) alienas, tacite prætermitto. Si vero res tam obſcura conjecturam pateretur, dicerem dæmones hircorum ſpecie cultoribus ſuis ſe videndos obtuliſſe; ut illi crimen nullius apologiæ capax perpetrarent, adeoque reatu graviore involverentur. Hircorum enim obtutus atrox, frons cornibus aſpera, barba promiſſa & inculta, villi temere pendentes, ſuccincta crura, gravis odor, totusque adeo corporis habitus ad fœditatem & deformitatem compoſitus; hominem (cui mentis aliquid) citius ad horrorem, odium, aut contemptum, quam cultum aut venerationem provocarent. Adeo ut neceſſe eſſet, ut crimen primæ magnitudinis admitterent illi, qui vel hirco vel diabolo, formam hircinam aſſumenti, cultum exhiberent.

Argumenta contra rationem legis.

Argumentis *contra ſenſum* legis hujuſce modo redditum allatis reſponſo dedimus: & expecter lector, ne argumenta *contra rationem* legis militantia diſſimulemus, ſed reſponſiones aptas iis apponamus. Horum autem

Primum hujuſmodi eſt: ratio legis a me reddita petitur ab Ægyptiorum, hircos eximie colentium, moribus; quibus Iſraelitæ, ex uſu longo, ſeipſos corruperant, quibus etiam *Moſes* hanc legem, inter alias, oppoſuerat. Cum autem ea quæ de moribus Ægyptiorum dicta ſunt, hiſtoricorum, *Moſis* ætate multo recentiorum, nitantur teſtimoniis; ſuadet ratio, ut hac in re, fidem nullam vel timidam admodum & vacillantem, iis habeamus.

Sed hoc argumento non multum premimur: cum enim Scripturæ ſacræ, æque ac hiſtoriæ profanæ, luce compertum ſit, Ægyptios & Iſraelitas hircos veneratione præcipua proſecutos fuiſſe; nihil eſt quod hiſtoricorum eorum, mores Ægypti referentium, fidem ſuſpectam reddat. Cum enim Iſraelitæ [c] *Jeroboamum*, recens ex Ægypto reducem, regno præfeciſſent; ille שעירים *hircos* i. e. imagines hirciformes, *feciſſe*, ſacerdotes etiam qui hircis ejus religioſe miniſtrarent, ordinaſſe dicitur. Et hac ipſa lege curatum eſt, ne Iſraelitæ, ſervitute nupera liberati, [d] *ſacrificarent amplius hircis*; unde clare colligitur, eos olim, ad morem Ægypti proculdubio, ſacris oblatis hircos honoraſſe. Sed ſi Scriptura mores hoſce ſilentio prætеriiſſet, hiſtoricis illis fides tuta ſatis adhiberi poſſet; quod ſatis eluceſcat, eos nihil hac de re memoriæ prodidiſſe, niſi quod ſymbolico gentis Ægyptiacæ genio conſonum eſt, & eandem cum ipſis pene gentis incunabilis originem habuiſſe videatur.

Secundo: non nemo forte mihi ex adverſo dicet, ſcriptores ethnicos appellaſti, ad eos ibis. E ſcriptoribus illis vel unum profectas teſtimonium, unde Ægyptios, Iſraelitas, vel alias gentes, hircis rem divinam feciſſe conſtet. Sæpe quidem legitur, Iſraelitas animalia [e] dæmonibus obtuliſſe; eos autem vel ullas alias gentes, beſtias hirco, vel animali alicui ſacro, dedicaſſe vel immolaſſe, prorſus inauditum eſt. Et ea forte de cauſa, verſionum multarum auctores vocem שעירים hac in lege, non de hircis, ſed dæmonibus, interpretantur.[1]

a *Lev.* 17. 7. 2 *Par.* 11. 15. b *E Zabiis quidam dæmones colebant, & eos exiſtimabant habere formam hircorum: & hæc opinio Moſis ævo longe lateque diffuſa fuit.* Maimon. Mor. Neb. *Lib.* 3. c. 46. c 2 *Par.* 11. 15. d *Lev.* 17. 7. e *Deut.* 32. 17. *Pſal.* 106. 37. *Baruc.* 4. 7.

1 Deſunt nonnulla. Ægyptios autem *hircis rem divinam feciſſe*, *conſtat* ex teſtimoniis *Herodoti*, *Diodori*, *Strabonis*, *Luciani*, & *Maximi Tyrii*, ad quos *Spencer* in *Sectione* prima provocat.

CAP. XIII. SECT. I.

CAP. XIII.

Lex tranſitum per ignem in honorem Molechi *prohibens.*

QUAM proni facilesque fuerint Iſraelitæ ad omne nequitiæ genus; modo gentium vicinarum moribus approbatum, nullo indicio magis luculento conſtare poteſt, quam quod pignora ſua chariſſima non tantum *Molecho* conſecrarent, ſed idolo illi fœdiſſimo non raro comburenda traderent. Ethnicos, & (moribus corruptis) Iſraelitas, ritum hunc immanem ſæpius exercuiſſe, probandi anſam nobis offert lex ea cui lucem proximo ſumus allaturi. Lex ea legitur, *Levit.* 18. 21. his verbis concepta: *de ſemine tuo non dabis* להעביר למלך *ut traducatur ad Molech.* Quo vero diſtinctius & plenius, quæ ad hanc legem ſpectant, animo percipiantur, oſtendendum, (1°.) Quid hic nomine *Molechi* cenſendum eſt. (2°.) Quid eſt *tranſire* vel *traduci* ad Molechum. (3°.) Quænam legis hujus occaſio vel cauſa remota fuit. (4°.) Illius cauſa proxima & immediata breviter exponenda eſt.

SECT. I.

Quid hic nomine Molechi cenſendum ſit.

QUO legis illius ſenſum & rationem felicius aſſequamur, primo nonnulla de *Molecho*, nomine vexatiſſimo, ſtrictim præmittenda ſunt.

In nominis idolo vel dæmoni alicui famoſiori a longinqua vetuſtate tributum fuiſſe, ſatis e Scriptura conſtet: quisnam autem e dæmonibus aut idolis famoſioribus iſte Molech fuerit, nondum inter doctos convenit. Res hæc ſatis amplam conjecturis materiam præbuit, quarum nonnullas ad trutinam noſtram revocabimus:

(1°.) Itaque, opinatur [a] *Seldenus*, [b] *Grotius*, alii, Molochum fuiſſe Saturnum, qui a Phœnicibus horrida illa infantum immolatione in illius honorem peracta potiſſime colebatur. At vero, cum dira illa τεκνοθυσίας ſuperſtitio non tantum apud Phœnices, ſed & [c] gentes pleraſque alias, invaluerit; cum etiam *Moloch* a *Remphan* vel *Chijun* (quem plerique Saturnum eſſe ſtatuunt) aperte diſtinguatur, *Act.* 7. 43. hæc conjectura fulcro haud ſatis firmo niti videatur.

(2°.) [d] Kircherus *Molochum* eſſe *Martem*, eumque aliquando cum *Typhone*, aliquando cum *Mithra* confundi, arbitratus eſt. Hanc conjecturam aſtruere conatur e fide [e] *Commentarii Coptici* in jam dictum caput *Act. Apoſtol.* in quo, planetarum nominibus, ordine hodie retento, recenſitis, planeta, *Martis* locum habens, *Molochi* nomine denotari dicitur. At & hanc conjecturam ſuſpectam habeamus, cum de *Commentarii* illius *Coptici* fide & antiquitate nondum conſtet, & Judæi, more (ni fallor) antiquitus recepto, *Molochi* nomen *Saturno* planetæ tribuant.

(3°.) Arias Montanus *Molochum* eſſe *Mercurium* [f] cenſuit, nempe quod מאלך *Malach* nuncius ſit, & *Mercurius* Deorum nuncius a poetis ſtatuatur. At nec huic conjecturæ inniti poſſumus, cum valde lubricum ſit *Orientis* theologiam e *Græca* vel *Romana* judicare; cum etiam LXX voci *Moloch*, non *nuncii*, ſed *regis*, ſignificatum tribuant, eam [g] quandoque [i] ἄρχοντα vertentes, quandoque βασιλέα. Ad hæc conjecturæ huic non quadrant hujus vocis literæ, quæ non *Malach*, ſed *Moloch* aut *Malcham*, in *Scriptura* dicitur.

(4°.) *S. Cyrillus* hanc ſententiam foviſſe videtur, quod antiqui *Venerem* ſive *Luciferum*, *Molochi* nomine, venerati ſint. Ille enim, de *Molocho* [h] loquens, εἴδωλον vocat, λίθον ἔχον διαφανῆ καὶ ἐξαίρετον, ὡς ἑωσφόρου τύπον, ἐπὶ μετώπου ἄκρου, *ſimulacrum lapidem habens pellucidum ac pretioſum, in modum Luciferi, extrema frontis parte.* At nec ea conjectura lectori rem altius perpendenti placere poteſt: ſi enim concedam *Molochi* ſimulacrum lapidem illum pellucidum in fronte habuiſſe, nil cauſæ eſt cur lapis ille, *Vene-*

a *Syntag.* 1. *de Diis Syr.* c. 6. b *Annot. ad Deut.* 18. 10. c Φοίνικες καὶ Κρῆτες τὸν Κρόνον ἐν ταῖς τεκνοθυσίαις ἱλάσκοντο. *S. Athanaſ. Orat. adv. Gent.* T. 1. p. 24. C d *Oedip. Ægypt. Synt.* 4. c. 15. p. 331. e *V. Ling. Ægypt. reſtitut. ſupplement.* c. 3. p. 527, 528. f In *Amos cap.* 1. g In *Levit.* 18. 21. & 1 *Par.* 20. 2. h *Comment. in Amos* 5. 25. Tom. 3. p. 310. B.

i Ἄρχοντα Levit. 18. 21. *Scholia Cyrilli in loc.* ita ſe habent: τὸ Ἑβραϊκὸν, μολὸχ ἔχει, καὶ οἱ λοιποὶ ἑρμηνευταὶ τοῦτο τεθείκασι, —— 1 Par. 20. 2. Juxta *Exemplar. Vatican.* Μολχὸμ τοῦ βασιλέως.

ris,

ris, magis quam *Solis*, ſymbolum habeatur. Multo juſtius ut *Sol* dicatur *Molochus*, aut cœli princeps, quam ſtella *Veneris*, quæ *Sole* longe inferior, & lucem ſuam *Soli* acceptam debet. SECT. I.

(5°.) Persuasum eſt aliis, peculiare aliquod [a] *Ammonitarum* numen aut idolum, (cujus nomen temporis vetuſtas abolevit) *Molochi* nomine intelligendum; nam *Molech abominatio filiorum Ammon* diſerte appellatur, *1 Reg.* 11. 7. Sed ex eo loco perperam colligitur, *Molochum* idolum fuiſſe ſolis *Ammonitis* proprium; ſed potius varios *Molochos* fuiſſe, qui variis ritibus, & ſub diverſis figuris, pro variis gentium moribus & ingeniis, colebantur. Adeo ut huic loco, *Joſephi* verba affinitate aliqua conjuncta videantur: cum enim narraſſet ille, *Achabum Baali* cultum præſtitiſſe; ne nomen tot gentium numinibus commune lectorem falleret, continuo [b] addit, Οὗτος ὁ Βαὰλ, Τυρίων ἦν Θεὸς· *Iſte Baal Tyriorum Deus erat, quem* Achabus *in gratiam* Ithobalis, *Tyriorum regis, coluit.*

(6°.) Cum *Molech* regium quid, Orientalium linguis pleriſque, ſonet; ſentiunt alii, aliquem inter reges antiquos eximium, & qui ἀντονομαστικῶς מלך *Rex* dici meruit, hoc nomine denotari. Prout *Bel* ſeu *Baal*, nomen regi egregio primitus datum, tandem in uſum vulgarem abiit, omnibus Heroibus fato functis & divinitate donatis inditum; ita, inquiunt, nomen *Molech*, olim ἄρχοντι alicui eximio datum, vulgare tandem factum eſt, & omnibus conceſſum, qui nominis celebritate florebant, & in Deorum ordinem tandem adſcribebantur. Sed vix a me impetro ut huic conjecturæ fidem habeam, cum non ſit probabile, regis tam eximii nomen oblivioni tradi potuiſſe, qui usque eo inclaruit, ut in Deos referretur, & מלך per eminentiam diceretur. Aliæ paſſim occurrunt de *Molecho* conjecturæ, quæ tamen (utpote vix debili ratione ſuffultæ) non ſine temporis & chartæ diſpendio recenſeri poſſunt.

Quantum ipſe judicare poſſum, *Moloch* nomen Diis omnibus commune fuit, quo gentes quandoque dæmonem aut Heroem aliquem famoſiorem, ſæpius autem Solem, in ſymbolo vel ſimulacro aliquo, coluerunt. Multa concurrunt, cur hanc conjecturam faciam: nam Auctoris ſententia.

(1°.) Conjecturam hanc non parum confirmant *Prophetæ* verba, [c] *& ſuſtuliſtis tabernaculum* מלככם *Molochi veſtri:* ubi pronnmen כם nomini *Moloch* affixum indicio eſt, illud non eſſe nomen Deo alicui proprium, ſed multis commune, qui olim, epitheto vel pronomine aliquo nomini addito, ab invicem diſcernebantur. Nonnulli quidem vocem illam מלככם, e ſcribæ alicujus antiqui oſcitantia, in mendo cubare ſuſpicantur, & כ unam in ea πλεονάζειν; adeoque vocem legendam, non מלככם ſed מלכם uti legitur *1 Reg.* 11. 5, & 33: nempe quod LXX, per τοῦ Μολὸχ, *Syrus* & *Arabs* per מלכום *Aquila* & *Theod.* Μελχὸμ, pronomine affixo minime curato, vocem reddant. Utcunque textui ſacro ungues criticos admovere, mihi religio eſt, cum lectionis hodiernæ veritas exemplarium omnium Hebræorum conſenſu probetur; & idem pronomen, τοῦ אלהים & צלמים hic affixum, fidem faciat, illud huic etiam voci [non caſu, ſed] conſilio additum.

(2°.) Hinc etiam opinioni noſtræ fides additur, quod *Moloch*, & *Baal* (nomen Diis omnibus commune) in Scriptura ſacra promiſcue uſurpentur. Cuivis id conſtet, *Jer.* 32. 35. conſulenti, ubi ſic legitur, *& ædificaverunt excelſa Baal, quæ ſunt in valle filii Hinnom*, & *tranſire fecerunt filios ſuos & filias ſuas ipſi Molech.* h. e. eidem *Baali*, qui & *Molochus* (i. e. Dominus & Princeps) dicebatur. Hoc paulo luculentius appareat, ſi duo ejusdem prophetæ loca lectori repræſentemus, ſibi invicem e regione poſita.

Jerem. 19. 5.	*Jerem.* 32. 35.
Et ædificaverunt excelſa Baal, *ad comburendum filios ſuos in igne*, in *holocauſta ipſi* Baal, *quod ego non præcepi, nec locutus ſum*, &c.	*Et ædificaverunt excelſa* Baal, — *ut tranſire facerent filios ſuos & filias ſuas per ignem ipſi* Molech, *quod ego non præcepi eis.*

Loeis hiſce collatis, nemini obſcurum eſſe poteſt, idololatras antiquos numen idem, nunc *Baalis*, nunc *Molechi*, nomine appellare, & illud ſub utroque nomine τεκνοθυσίας ritu placare, ſolitos. Ex uſu illo promiſcuo factum videtur, ut nomina illa quandoque coirent, & ab ethnicis numini ſuo conjunctim tribuerentur. Hoc pro-

a Moloch *eſt idolum quod præcipua religione ab Ammonitis colebatur.* Sanct. in Act. 7. p. 167. b *Antiq. Jud.* l. 9. c. 6. *ſub. fin.* c *Amos* 5. 26.

SECT. I. bat inſcriptio vetus (cujus meminit[a] *Seldenus* noſter) *anno Chriſti 236. Romam traslata, & in hortis*, inquit, *Farneſianis etiamnum viſenda :*

ΑΓΑΙΒΩΛΩ. ΚΑΙ. ΜΑΛΑΧ
ΒΗΛΩ. ΠΑΤΡΩΟΙϹ. ΘΕΟΙϹ.

(3°.) [b] Auctor, literis non ad ſolam ſuperficiem imbutus, huic opinioni his verbis aſtipulatur; *quemadmodum* Baal, *ſive* Bel, *in genere & communiter de Diis omnibus dicitur, qui addito epitheto aliquo ab invicem diſtinguuntur ; ita etiam* מלך *quod eſt* Melech, Molech, Moloch, *nomen* eſt *Diis omnibus commune :* & *ubi peculiariter Deus alicujus gentis aut urbis designabatur, fiebat addito epitheto, petito vel ab ipſa gente ſive urbe, ut* Moloch Ammonitarum, *ubi colebatur, vel aliunde, ut* Adramelech *&* Anamelech.

(4°.) Conjecturæ noſtræ ipſa nominis hujus ratio vel origo firmitatem præbet. Nominis enim *Moloch* origo vel ratio duplex, pro duplici radicis ſuæ notatione, reddi poteſt. Nam primo, vox מלך unde *Molech* & *Milcom* derivantur, *regnavit* ſignificat vel *dominatus eſt*. Cum itaque *Moloch*, inde derivatum, regium faſtigium & potentiam notet, facile credi poteſt, idololatras nomen illud Diis pleriſque tribuiſſe; quod numinibus ſuis, eximia poteſtate valere creditis, apprime convenire videretur, & quod is eſſet diaboli faſtus, ut eum ſibi titulum arrogare, & illius majeſtatem *cujus ſolius eſt regnum & potentia* ad ſeipſum transferre, non dubitaret. Secundo: veriſimile eſt, radicem מלך non tantum *regnavit*, ſed *coluit* & *pro Deo habuit*, antiquitus indigitaſſe. Quamvis enim Lexica hunc ſignificatum vulgo neſciant, certum eſt linguam Æthiopicam, Hebraicæ affinem, ſignificatum illum hodieque retinere. Nam Æthiopibus מלך in *Hiphil* eſt *σέβεσθαι*, uti nos docet auctor[c] ille, literarura orientali præſtantiſſimus. Non *dubito* (inquit ille) *quin inde Hebrais quoque rex* מלך *dicatur, quaſi qui a ſubditis, veluti terrenum aliquod numen, colitur & ſervitur.* Inde etiam originem[d] ducunt Æthiopum מלכות *Divinitas, Act. 19. 27.* אמלך *Deus, Pſ. 3. 2.* & אמלכת *Dii Ethnicorum, Pſ.* 81, 1, 6. Et ſignificatus hujus antiqui veſtigia quædam in literis arcanis deprehendi poſſunt. Nam qui אלהים *Deus Hamath & Arphad*, &c. appellatur, *Jeſ.* 36. 19. loco[e] illo parallelo dicitur מלך *Rex Hamath & Arphad :* & *Amos.* 5. 26. אלהיכם *Deum veſtrum*, nonnulli מלככם *regem* vel *Molochum veſtrum* interpretari ſentiunt. Hujus etiam ſignificatus antiqui monimentum gerere videntur *Adramelech* & *Anamelech*, qui אלהי *Dii Sepharvaim* appellantur, 2 Reg. 17. 31. nam vocem *Adramelech* phraſis illa[f] Philiſthæorum [אלהים אדרים] *Deus magnificus* interpretatur: & quid *Anamelech*, niſi *Deus reſpondens* vel *Jupiter oracularis ?* voce a ענה *reſpondit* & מלך *Rex* vel *Deus* originem derivante. Ejuſdem ſignificatus exemplum & literæ profanæ præbere videantur : cum enim[g] Hercules Μελίκαρθος aut *Melicerta*, i. e. מלך קרתא a Sidoniis Tyriiſve dictus ſit, & eo nomine invocatus ; id nominis ei proculdubio conceſſerunt, non quod *Rex civitatis* ſed ejuſdem *Patronus*, ὁ πολιοῦχος Θεὸς, *Deus tutelaris*, haberetur. Exemplo non abſimili, qui מלך לעיר ספרוים rex *civitatis Cepharvaim* dicitur, 2 Reg. 19. 13. deus *Sepharvaim* appellatur, 2 Reg. 18. 34. His probabile fit, vocem מלך ſeculis antiquioribus, *colendi* ſignificatum habuiſſe, & gentes pleraſque vulgare nomen, *Molech* & *Melcham*, numini ſuo tribuiſſe, quod carum σέβασμα eſſet, cultu divino proſequendum.

(5°.) Nisi Moloch olim nomen Diis multis commune fuerit, ratio in obſcuro eſt, cur uſu tam frequens eſſet, & Orientales idolum ſuum præcipuum Molochi nomine, vel nomine aliquo diverſa flexione ab eadem radice orto, nuncuparent; idolum illud vocabulo, *Malcham, Molech, Melcarthus, Adramelech, Anamelech, Melachbelus*, aut alio conſimili, plerumque deſignantes.

a *De Diis Syr. Synt.* 2. c. 1. b *Sam. Petit. Var. lect.* cap. 1. c *Lud. de Dieu in Exod.* 7. 1.
d *V. Hottinger. Diſſert. de Nominib. Dei Oriental.* p. 298. e *Jeſ.* 37. 12, 13. f 1 *Sam.* 4. 8.
g *V. Fuller. Miſcel.* lib. 3. c. 17.

SECT.

SECT. II.

Quid ſit tranſire per ignem Molecho.

PHRASIS illa, להעביר למלך *ut tranſiret ad Molech*, in examen proximo vocanda eſt, & illius ſenſus diligenter indagandus. De eo vero duæ ſententiæ inter doctos obtinent, quas, una cum momentis ſuis omnibus, lectori proponam perpendendas.

(1°.) Nonnulli, Scripturæ teſtimoniis & gentium antiquarum moribus inducti, העביר *interfectionem* denotare arbitrantur. Inter Scripturæ teſtimonia maxime elucet locus ille *Ezechielis*, cap. 16. 20, 21. Ubi pro eodem ponuntur אכול *conſumere*, & העביר *tranſire facere*, quibus additur & זבח *immolare*. Locus integer ſic ſe habet, *& tuliſti filios tuos, & filias tuas, quos generaſti mihi, & immolaſti eos ad conſumendum: & dediſti eos, ut eos tranſire faceres ad ea.* Atque hæc [1] tria verba in eodem ſignificatu apud eundem prophetam repetiamus, cap. 23. 37, 38, 39. *Jeremiah* etiam hanc vocem ad immolationem notandam uſurpavit, quod facile conſtet ſi hæc duo loca quaſi ἀντιπαρατάκτως oppoſita ſtatuamus.

Jerem. 7. 31.	*Jerem. 32. 35.*
Et ædificaverunt excelſa Tophet --in valle filii Hinnom, לשרף *ad comburendum filios ſuos & filias ſuas in igne, quod ego non præcepi*, &c.	*Et ædificaverunt excelſa* Baal, *--in valle filii Hinnom,* להעביר *ut tranſire facerent filios ſuos & filias ſuas ipſi* Molech, *quod ego non præcepi eis*, &c.

Nemini hæc loca conferenti obſcurum eſſe poteſt, Prophetam vocem העביר ad combuſtionem aut immolationem liberorum ſignificandam uſurpaſſe. Nec Scripturæ tantum teſtimonia, ſed & gentium veterum mores (quibus Hebræorum leges plurimum opponuntur) cauſam oppinandi præbent, vocem העבור ſenſu duriori ſumendam eſſe. Liquet enim e *Scripturis*, [a] aliiſque teſtimoniis, Chananæos, & eorum vicinos, morti dare ſolitos eorum liberos, in honorem idolorum. Ita *Sepharvæos* in honorem *Adramalechi* & *Anamelechi*, liberos ſuos igni comburendos dediſſe teſtatur hiſtoria ſacra, *2 Reg.* 17. 31. Hoc e moribus Chananæorum hauſiſſe videntur; nam [b] *Joſephus* de Achazo loquens, inquit, ἴδιον ὡλοκαύτωσε παῖδα, κατὰ τὰ Χαναναίων ἔθη *filium proprium holocauſtum fecit, ex more Chananæorum.* Moris tam immanis cauſa, eos qui terram promiſſam ante Hebræos tenuere, [c] *Scriptor Sapientiæ* τέκνων φονέας ἀνελεήμονας, *immiſericordes liberorum interfectores* vocat, iiſque τεκνοφόνους τελετὰς *puericidales ceremonias* [d] objicit. Conſuetudinis tam profanæ exemplum Cananæi Iſraelitis præbuiſſe videntur, qui liberos ſuos in holocauſta dæmonibus & idolis obtuliſſe perhibentur, *Pſal.* 106. 37. *Jer.* 19. 5. *2 Reg.* 23. 10.

(2°.) Interpretes alii vocem העביר hic ſenſu molliori ſumi, & per eam *tranſitum* ſolummodo per ignem, aut luſtrationem notari, ſentiunt. Extruebantur ſcil. duæ pyræ (ſi ſententiæ hujuſce patronos audiamus) & puer medius inter pyras tranſiens, vel flammas tranſiliens, non erat exuſtus, ſed luſtratus, expiatus, & ritu illo *Molocho* ſolenniter addictus & conſecratus. Nec deſunt argumenta quæ & huic opinioni præſidium præbeant: nam primo, interpretes antiqui hunc ſenſum vocis hujuſce prætuliſſe videntur; ſic enim *Vulgatæ* auctor hunc locum reddit, *de ſemine tuo non dabis ut conſecretur idolo Molech:* ſic etiam LXX, ἀπὸ τοῦ σπέρματός σου οὐ δώσεις λατρεύειν [2] ἄρχοντι. Quoniam autem dici poſſit, LXX hic lapſos fuiſſe, & (להעביד *ad ſerviendum*, *pro* להעביר *ad tranſiendum* legentes) ita tranſtuliſſe; ad eorum interpretationem attendamus, ubi nullus erroris alicujus ſuſpicioni locus eſt, ubi *Deut.* 18. 10. legem hanc ſic repetitam transferunt; οὐχ εὑρεθήσεται ἐν σοὶ περικαθαίρων τὸν υἱὸν -- ἐν πυρί *Non invenietur in te, qui purgat*, aut luſtrat, *filium ſuum -- in igne.* Secundo: huic interpretationi robur addit lex ea, *Levit.* 20. 2. ſcripta, quam *Jonathan* & *Interpretes Chriſtiani* de liberorum immo-

a *V. Cluver. Antiquit. German.* lib. 1. cap. 35.
b *Antiquit.* l. 9. c. 12.
c Cap. 12. 5.
d Cap. 14. 23.

1 In quibuſdam *Exemplar.* legitur שחט
2 Vid. *Pag. 360. Not. 1.*
3 Juxta *MS. Alexandr.* εὑρήσεται.

 latione

SECT. III.

latione interpretantur: niſi itaque legem hanc de luſtratione, vel mera traductione per flammam luſtralem, intelligamus; neceſſe eſt ut ſummus legiſlator legem plane eandem, poſt commata non adeo multa, dediſſe cenſeatur. Tertio: & teſtibus ſtatim adducendis appareat, morem utrumque [liberos igne luſtrandi, & immolandi] inter idololatras antiquiores plurimum invaluiſſe. Ideoque haud multum a fide alienum eſt, Deum leges duas, hanc luſtrationi præcipue, immolationi [a] aliam, repugnantem tradere voluiſſe. Quarto: liberorum luſtratio vel purgatio igne facta, ſub Moſis tempora, pluſquam immolatio, in morem abiiſſe videatur. Nam (ſi [b] *Grotius* recte judicat) *cum oraculum aliquod vetus juberet pueros tranſire facere per ignem*, diuque verbum illud ambiguum תעביר acceptum eſſet in ſenſu *conſumendi;* natura humana, tantæ immanitati adverſata, interpretationem benigniorem excogitavit, & *Molochum* ſive *Saturnum* contentum eſſe voluit, *traducto corpore flamma*, ut loquitur *Tertullianus*. ubi *Valentini* ritus e paganica ſuperſtitione hauſtos refert. Cum itaque ſerior ætas hoc oraculi temperamentum inveniſſet, æquum eſt opinari, patres liberos eorum multo ſæpius igne luſtrare, quam comburere, voluiſſe; adeoque Deum legem hanc, *traductioni per ignem*, utpote ritui potiſſimum obtinenti, maxime oppoſuiſſe. Sexto: legi de combuſtinne liberorum accipiendæ pœna mortis additur, *viz. Levit*. 20. 2. Cum autem illius pœnæ, neque hic, neque parallelo [c] *Deuteronomii* loco, fiat mentio; non temere colligo, legem hanc de *tranſitu* mitiori (nempe ad luſtrandum) præcipue intelligendam. Septimo: certum eſt, hanc phraſin, *tranſire facere per ignem*, quandoque ſenſum benignum ferre, & merum luſtrandi ritum denotare: nempe [d] 2 Reg. 16.3. ubi de Achazo legitur, quod *filium ſuum* העביר באש *tranſire fecit in igne*, cum tamen certum ſit *Hezekiam*, filium ejus, huic traductioni ſuperſtitem fuiſſe, & in regnum paternum ſucceſſiſſe. Hanc interpretationem multum firmant & illuſtrant [e] *Theodoriti* verba, quibus lectorem fraudare non debeo: *Joſephus quidem dixit*, Achazum *unum e filiis ſuis obtuliſſe holocauſtum* Baali. *Ego autem exiſtimo id quod dicitur, tacite ſignificare genus erroris, quod ad nos uſque pervenit.* Εἶδον γὰρ ἔν τισι πόλεσιν ἅπαξ τοῦ ἔτους ἐν ταῖς πλατείαις ἁπτομένας πυρὰς, καὶ ταύτας τινὰς ὑπεραλλομένους, &c. *Vidi enim in aliquibus civitatibus ſemel in anno accendi rogos in plateis, & trans eos ſaltare aliquos, non ſolum pueros, ſed etiam viros:* τὰ δέ γε βρέφη παρὰ τῶν μητέρων παραφερόμενα διὰ τῆς φλογός *infantes autem per flammam ferri a matribus. Videbatur autem iſtud quædam eſſe expiatio & purgatio. Exiſtimo autem hoc quoque fuiſſe* Achazi *peccatum.*

E jam dictis cuivis appareat, utramque ſententiam fundamentis niti non facile ſubruendis. Conſultum itaque videtur, ſenſum utrumque admittere; cum præſertim infantum immolatio & luſtratio (aut mera traductio per ignem) in gentium veterum ceremoniis non raro jungerentur.

SECT. III.

Legis occaſio vel cauſa remotior explicatur.

PENSI noſtri parti tertiæ manus jam admovenda eſt, & legis hujus occaſio, vel cauſa remotior, in lucem paulo clariorem proferenda. Legis autem cauſa remota [vel occaſio] erat ethnicorum conſuetudo, qui liberorum ſuorum, nunc immolatione vel combuſtione, nunc ſola traductione per ignem, Deos ſuos colere & propitiare ſolebant. Filiorum vivicomburio (quantum facili conjectura colligo) rebus in afflictis plurimum, ad placandos Deos utebantur: at filiorum per ignem traductio, vel ſebruatio, in familiis omnibus, rebus etiam proſpere fluentibus, obtinuiſſe videtur. Ne vero hæc e meo tantum ſenſu hauſta cenſeantur, aſſertionibus hiſce duabus fidem facere conabor.

Gentes liberos ſuos immolaſſe.

PRIMA ſit hæc: gentes antiquiores quandoque liberos ſuos, in Deorum honorem, comburendos & immolandos tradiderunt. Huic aſſertioni firmandæ multa veterum teſtimonia congererem, ſi auctores bene multi provinciam illam non occupaſſent; *Selden*. de *Diis Syr. Syntag*. 1. c. 6. *Grot*. in *Deuteron*. 18. 10. *Dieteric*. *Antiq. Biblic*. p. 215, 216. *Ouzel*. in *Minut. Fel*. p. 291, 292. T. S. *Syntag*. de *Druid. Morib*. cap. 6. & 7. *Voſſius* de *Orig. Idololat*. lib. 2. c. 5. *Johan. Dought. analect. ſac*. P. 1. *Excurſ*. 128. *Elmenhorſt. Comment*. ad *Minut. Fel*. p. 291. *Dionyſ. Voſ*. in *Maimonid*. de

a *Nempe Lev*. 20. 2. b *Annot. ad Deut*. 18. 10. c Cap. 18. 10. d *V. & 2 Reg*. 17. 17.
e *Quæſt*. 47. *in* 4 *Reg*.

Idololat.

SECT. III.

Idololat. c. 6. §. 5. & alii, ad quos, brevitati ſtudentes, lectorem mittemus. E plurimis autem antiquorum teſtimoniis quæ ſcriptores illi coacervant, abunde conſtet, immanis illius ſuperſtitionis rabiem mortalium genus adeo corripuiſſe, quod nullus fere populus eſſet qui τεκνοθυσίας ritum non exerceret, eoque tanquam officio dæmoniis eorum apprime grato, non delectaretur. Ritus tam immanis ortum & incrementum duplici potiſſimum cauſæ tribuendum arbitror.

(1°.) AMBIGUO dæmonis oraculo, ſeculis antiquiſſimis edito, quo ſimplicem plebem להעביר בניהם באש *ut filios ſuos per ignem*, vel *in ignem, tranſire facerent*, devinctam tenuit. Hoc oraculum flexuoſum eſſe, & ad fraudem populo faciendam compoſitum, quibus Hebraice vel mediocriter doctus facile perſentiſcat; nam העביר (quod dixi) ſenſu *conſumendi* & *tranſeundi* ſumi, & באש *in ignem*, vel *per ignem*, denotare, poteſt. Oraculum autem verbis tam perplexis & ambiguis efferebatur, ut liberorum immolationem innueret potius quam aperte præciperet, & populus, cum innocuam (uti viſa eſt) *traductionis* ceremoniam paululum exercuiſſet; ad oraculi juſſa, ſenſu rigidiori capta, perimplenda tandem perduceretur. Si oraculum τεκνοθυσίαν conceptis verbis poſtulaſſet, populus forſan illius divinitatem in dubium vocaſſet, & mandati inſolentia vel immanitate perculſus, diaboli cultum abjuraſſet, adeo ut hoc oraculum affine videatur præcepto ab Apolline *Pelaſgis* dato,

* Καὶ κεφαλὰς Κρονίδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα·

cum enim vox φῶτα & *hominem* & *facem* ſonaret, alii hominem Saturno obtulerunt, alii Pelaſgos defungi poſſe dixerunt, ſi facem mitterent.

(2°.) VERISIMILE eſt, morem illum ſuperſtitioſæ gentium fidei, tanquam uni cauſæ, ortum aut ſaltem incrementum ſuum, debuiſſe. Ea enim opinio gentium veterum fidem tenuiſſe videtur, numina ſacrificiis quæ dignitate & puritate præſtarent, facile propitiari: cum autem infantes cæteris animantibus honore & puritate longe antecellerent, crediſiſſe videntur, ſe Deorum ſuorum gratiam certius inituros, ſi in eorum honorem liberos ſuos morti darent. Hac opinione imbuti idololatræ, infantes dæmonibus ſuis immolabant, cum præſertim maximis rerum difficultatibus premerentur, adeoque Diis ſuis propitiandis operam impenſius darent. Certum eſt [a] *Philonem Byblium* ſævum illum τεκνοθυσίας ritum ex hoc ſolo fonte derivaſſe.

PROBE novi, quamplurimos alia omnia de ritus hujus nefarii fonte ſentire, quaſi ex Abrahami, filium ſuum offerentis, hiſtoria, corrupta & depravata profluxiſſet. Huic autem ſententiæ fidem adhibere neſcio, cum hiſtoria illa, niſi plane mutilata, magna præbeat contra morem illum inhumanum argumenta; & veriſimile ſit multas gentes, liberos ſuos immolare ſolitas, de *Abrahami* exemplo, ne vel fando quicquam audiviſſe.

SECUNDO: veteres idololatræ quandoque moderatius delirabant, & liberos ſuos tantum *per ignem tranſire faciebant*. Ita morem habuiſſe, ſatis e ſuperius adductis eluceſcit, quanquam difficile ſit, in hiſce maximæ vetuſtatis tenebris, modum percipere quo ritus ille peragebatur. Nonnulli tranſitum illum hoc ritu peractum ſentiunt: liberi *Molocho* dicandi, per ſpatium inter duos ingentes ignes intermedium, a ſacerdotibus ethnicis, aut (ad eorum præſcriptum) a parentibus ipſis, ducebantur aut geſtabantur. Magiſtri quidam [b] Judaici exiſtimant, *Chemarim* [ſacrificulos idololatricos] magnum ignem coram Molecho accendiſſe, & patrem filium ſuum per mediam flammam traduxiſſe. *Maimonides* (ni mentem ejus male capiam) exiſtimavit, idololatras infantes ſuos per flammam agitaſſe, & eo præcipue ritu hanc traductionem peregiſſe. Auctoris verba, *Buxtorfio* interprete, ſic ſonant: [c] *videmus obſtetrices, pueros recenter natos faſciis involutos ſumere, ac odoriferis ingrati odoris ſuper ignem poſitis, per fumum inde aſcendentem hinc inde movere: qui ritus ſine dubio ex reliquiis eſt* traductionis per ignem, *neque permittendus*. Me quod ſpectat, eos ut ſequar magis inclinat animus, qui *tranſitum* illum non uno eodemque motu rituque peractum ſentiunt. Ut rem propius tangam, mihi maxime ſe probat [d] *Theodoriti* ratio, qui cenſuit, rogo ſolenniter accenſo, pueros & viros trans eum ſaltare, infantes autem per flammam a patribus ferri vel agitari, ſolitos. Cum *Theodorito* hac in re ſentire placet, quod ſummum conſenſum inter illius verba, & gentium omnium, ritus hujuſce reliquias retinentium, mores, facile percipiamus. Sic enim *Varro*, apud *Scholiaſten Horatii*, ritum tranſeundi per ignem, prout Romæ peractum, nobis deſcriptum dedit; *Palilia tam privata quam*

Quandoque per ignem traduxiſſe.

* Vid. *Fileſaci ſelecta*, l. 1. p. 36. a *Apud Euſeb. Præp. Evang.* l. 4. c. 16. b *V. Hottinger. de jur. Hebr.* p. 307. c *Mor. Nev.* P. 3. c. 37. d Vid. *verba modo citat.*

SECT. IV. *pnblica ſunt apud rnſticos, ut cum fœno conjectis ſtipulis ignem magnum tranſiliant, his Palilibus ſe expiari credentes.* Ex his lucem accipiant [a] *Ovidii* illa, de *Palilibus* agendis dicta.

Moxque per ardentes ſtipulæ crepitantis acervos
Trajicias celeri ſtrenua membra pede.

Deinde Chriſtiani veteres, qui gentiliſmum nondum penitus exuiſſent, in noviluniis ingentes rogos accendere, & flammam tranſilire ſolebant. Hunc rirum memorant & damnant, [1] *Synodus* in *Trnllo*, *Can 65. Chryſoſtomus* in [2] *nativitate S. Johannis*, aliique. Et apud nos *Anglos* etiamnum obtinet, ut cum diem aliquem ſolennem feſtis ignibus celebramus, pueri aliique flammam ſæpius tranſiliant; more forſan a priſcis uſque gentiliſmi temporibus conſervato. His accedat, quod ipſa hæc phraſis [העביר באש *tranſire fecit in ignem*] conjecturam noſtram adjuvet, & probet idololatras ritum illum, non *inter ignes*, ſed *in ignem* aut flammam, tranſeundo peregiſſe.

Nisi jam dicta ſatis aperte probarent, idnlolatras antiquiores liberorum combuſtionem ſimul & eorum traductionem per ignem in moribus habuiſſe, ſubjungi poſſet [b] *Benjamini Tudelenſis* teſtimonium, qui rirum utrumque, in *Chenaraga* [vel *Chingara*] *India Aſiatica* inſula, ſuo ſeculo repertum dicit. Si quis plura deſideret, legi velim quæ in hanc rem ſcripſit [c] *Maimonides*, [d] *Sanctius*, [e] *L'Empereur*, aliique. Cum itaque, vigente gentiliſmo, liberos immolandi & igne luſtrandi conſuetudo paſſim invaleſceret; maxime probabile eſt, morem urrumque huic legi ferendæ nccaſionem ſeu cauſam remotam præbuiſſe. Nam ratio ferre non poteſt, ut credamus, Deum hanc legem dare voluiſſe, niſi ut ritibus tunc ubique obtinentibus obicem poneret, & caveret ne populus ſibi ſacer tam pravæ ſuperſtitionis lue corriperetur.

SECT. IV.

Cauſa legis proxima quanam.

JAM rerum ſeries & promiſſi fides efflagitant, ut in legis hujuſce cauſa propinqua perveſtiganda aliquid operæ cnllocarem. Ut itaque hoc argumentum ſermone diſtincto proſequar, dicendum eſt primo, cur Deus liberotum immolationem ſeu vivicomburium; deinde, cur eorum tranſitum per ignem (ritum, uti videtur, innocuum) prohibuerit.

Liberorum immolatio cur vetita.

Dicendum eſt primo, cur Deus liberorum immolationem ſeu vivi-combutium lege ſpeciali prohibuerit, cum nmnem ſanguinis innoxii effuſionem ſatis in præcepto ſexto vetuiſſe videatur. Quantum itaque prnbabili conjectura colligo, ritus hic, ob rationes ſequentes, Iſraelitis ſpecialiter interdictus eſt.

(1°.) Quod legi naturæ contrarius eſſet, & amori erga liberos, hnminum animis naturaliter inſito, plane repugnaret. Inde *Pſalmiſtes* de Iſraelitis τεκνοθύτας loquens, his verbis peccati illius atrocitatem amplificat, [f] *effnnderunt ſanguinem innocuum*, etiam *ſanguinem filiorum & filiarum ſnarum*, &c. Quaſi dixiſſet, "in idolorum ſuorum "honorem injuſti facti ſunt & inhumani, Dei & Naturæ legem pariter violantes. Atque hac de cauſa ritus iſte non apud Deum ſolum in odium venit, ſed & omnes gentes, quæ ullo humanitatis ſenſu tangebantur. Quam ingrata politioribus Romanis cruenta hæc & inhumana religio fuerit, e [g] *Plinio* diſcimus, ubi ait, *non ſatis æſtimari* poſſe, *quantum Romanis debeatur*, quod *ſuſtulere monſtra*, *in quibus hominem occidere religioſiſſimum erat*. Græcos etiam, quorum animos humanitatis ſtudium aliquantillum tetigit, barbaram τεκνοθυσίας feritatem averſaros fuiſſe, non obſcure colligitur [h] ex *Euripidis* tragœdia, ubi dicitur, *non decere* ἀνθρωποκτονεῖν, ſed βαρβαρῶν. Cum itaque ritus iſte tam injuſtus eſſet, & ulrra gentium feritatem barbarus; par erat, ut Deus eum lege ſpeciali prohiberet; eoque magis, quod nonnulli forſan e præcepto, Abrahamo dato, (perperam intellecto) τεκνοθυσίας illam Deo gratam, [i] & ab eo præceptam, collegiſſe videantur.

a *Faſtor.* lib. 4. v. 781. b *Itinerar.* p. 108. *ex edit. L'Emper.* c *De Idolol.* c. 6. §. 5. d *Comment. in 4 Reg.* 16. 3. e *Not.* in *Benjam. Itiner.* p. 216. f *Pſal.* 106. 38. g *Hiſt. Nat.* l. 30. c. 1. h *Hecub.* v. 261. i *V. Jer.* 7. 31.

1 Vid. *Bevereg. Pandect. Canon.* Tom. 1. p. 234.
2 Sermo iſte *in nativ. S. Joh.* ſuppoſititius habetur.

(2°.)

(2°.) Hæc immolatio ritus erat ſacrilegus, qood ſcilicet liberos a Deo datos, eique ſolenni circumciſionis ritu conſecratos, furto auſerret; & dæmoni, contra fas & jus omne, ſactificaret. Deus Hebræorum liberos, non tantum creationis, ſed & conſecrationis jure tenuit, & pro ſuis haboit; & vel eo nomine indigne tulit, quod filios ſuos idolis immolandos dederint. Hoc e verbis *Propheta* conſtet, [a] *fornieati ſuat eum idolis ſuis, & filios ſuos quos gennerunt mihi, tranſire feceruat eis, ad conſumendum* eos. Nec multum abſimilia leguntur apod Moſem, *Levit*. 20. 3. niſi Græci inrerpreres a loci ſenſu aberrarinr. Sic enim legis verba transferunr, ἀπολῶ αὐτὸν ἐκ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, ὅτι τοῦ σπέρματος αὐτοῦ ἔδωκεν ἄρχοντι, ἵνα μιάνῃ τὰ ἅγιά μου, καὶ βεβηλώσῃ τὸ ὄνομα [1] τῶν ἡγιασμένων μοι. *Perdam* hominem *illam e populo ſao, quod e ſemine ſuo Molocho dederit, ut inqainaret ſancta mea, & prophanaret nomen ſanctificatorum mihi.* Nempe liberi Deo ſaeri, nulln modo magis pollui & profanari potuerunt, quam ſi fœdiſſimo idolo *Molech* igne abſumendi traderentur.

(3°.) Hic ritus, magicus erat, & ad dæmonem de re futura vel arcana conſulendum uſitatus. Ita mihi perſuadeo, quod in locis quibuſdam, cum auguriis, ariolis, divinis, & ejuſmodi artium curioſarum magiſtris, conjunctus inveniatur. Nempe, *Deut*. 18. 10. *Nee inveniatar in te*, מעביר *traaſire faciens filium ſuum -- in igne*, nec *divinans divinationem*, nec *augur*, &c. 2 *Reg*. 17. 17. ſacer hiſtoricus de Iſraelitis loquens, ait, *& tranſire feeeruat filios ſuos & filias ſuas per ignem, & divinarunt divinationes, & aagarabantur*. Et *Manaſſis* res geſtas referens, 2 *Reg*. 21. 6. hæc habet, *tranſire fecit filium ſuum per ignem, & obſervavit tempora, & auguratus eſt, & multiplicavit magos*, &c. Atque hinc factum videtor, quod, poſt legem eam, *ſi qais dederit de ſemine ſuo idolo Molech, morte morietur;* proxima ſuccedat, eique conjungatur, [b] lex *aruſpiees & divinos* conſulendi morem prohibens. Huc ſpectant illa *Taciti*, de *Druidibus* loquentis, verba; [c] *exciſi luci ſævis ſuperſtitionibus ſacri: nam cruore eaptivo adolere aras, & homiaum fibris conſulere Deos, fas habebant*.

(4°.) Ritus erat propitiarorius, quo gentes utebantur, ut offenſi numinis iram certius averruncarent. Hoe eo probabilius, quod more ſervatum eſſet inter erhnicos, ut, cum mala aliqua graviora paterentur, aur magnæ calamitates iis impenderent, filios immolarent, eoſque plurimum e oobilium flore, & in ſpem maximæ fortunæ natos. Judicabant enim, ſe Deum non alia ratione facilius demereri poſſe, quam ſi infantem, excellentiſſimum animalium, & oobilem, excellentiſſimum infantum, altari ſuo conſecrarent. Ira vero morem habuiſſe conſtet, quod Carthaginienſes (auctore [d] *Peſceaio Feſto*) ah *Agathocle* victi, & Deum ſibi iratum exiſtimantes, ut piaculum maxime gratum ſolverent, ducentns nobilium filios immolarint. Eorum etiam quæ jam dixi veritatem aſtruunt, quæ [e] *Philo Biblius* e *Sanchuniathone* Græce tradidit; ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς, ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς τῶν κινδύνων, &c. *Antiquis in more erat, ut in ſummis Reip. calamitatibas, priuſquam omaia peſſum irent, ii penes quos gentes aut eivitates imperiam eſſet, liberorum ſuoram ehariſſimum dæmoaibus ultoribus mactandum darent*, ut exitium publicum domeſtico redimerent & averterent. Neque vero hoſtiis tam eximiis Deos demulcere ſtudebant ethnici, tantum cum gravior calamitas eorum cervicibus imminere, ſed etiam cum dæmones ſui privatis ipſorum perſonis male eonciliati, crederentur. Hoc probant [f] *Euſebii* illa, Κρόνῳ γὰρ Φοίνικες καθ' ἕκαστον ἔτος ἔθυον τὰ ἀγαπητὰ καὶ μονογενῆ τῶν τέκνων· Atque inde forſan occaſio data verbis hypocritæ, apud [g] *Micham, nunqaid dabo primogenitum* pro *ſeelere meo, fructum eorporis mei* (gentium ritu) pro *peecato anima mea?* E dictis apparet, æquum juſtumque fuiſſe, ut Deus hunc ritum prohiberet, cum non minus Dei majeſtati quam benignitati adverſaretur, & gentes vicinæ ritu illo ad dæmonem propitiandum (quaſi ille boni malique fons eſſet) tam frequenter uterentur.

(5°.) Infantum immolatio ritus erat idololatricus & diabolicus. Hoe ſtatim pateat, ſi illius *originem, materiam, formam, & finem*, penitius inſpiciamus: (1°.) *Originem:* eam enim ad Diabolum auctorem referendam eſſe, nobis facile perſuadeamus, cum Deus ſe nihil ea de re [h] in mandatis dediſſe, vel in cogitatis habuiſſe, diſerte affirmaverit; & ritus ille tam ſævus ſit & humanitatis expers, quod incredibile videatur, quenquam, patris nomine donatum, eum exercere potuiſſe, niſi vis quædam

a *Exod*. 23. 37. b *V. Levit*. 20. 1, &c. c *Annal*. l. 14. p. 230. d Lib. *hiſt. ap. Lactan. Divin. inſtit*. l. 1. c. 21. e *Ap. Euſeb. Præp. Evang*. l. 4. p. 156. D f Lib. *de laudib. Conſtantin*. p. 756. 30. g Cap. 6. 7. h *Jerem*. 19. 5. & 32. 35.

1 Juxta *Editionem, Complut*. τὸ ἡγιασμένον μοι.

SECT. IV.

diabolica a ſenſu rationis & humanitatis eum abſtraxiſſet. (2°.) *Materiam* ſi ſpectemus, *ritus* erat immanis, & non ſine eruciatu exquiſitiſſimo peragendus. Cum enim cæteræ hoſtiæ altaribus, mactatæ & ſenſus expertes, imponerentur; infantes miſelli (quaſi non tam ſacrificandi quam cruciandi) *Molochi* flammis vivi tradebantur. Ritus autem tam crudelis diabolum auctorem loquitur, qui id egiſſe viderur, ut odium illud inveteratum quo genus humanum execratur, tam diro cruciatu aliquatenus ſaturaret. (3°.) Si ad ritus hujuſce *formam* & peragendi modum animos advertamus, conſentaneum videbitur, eum ritibus ethnicis & idololatricis annumerare. Nam ethnici altaribus in altum extructis plurimum utebantur, ut eo propius a ſole (*Molocho* ſuo) abeſſent, cum ſacris hiſce nefandis eum propitiarent; & [a] Judæi *excelſa ædificarunt*, cum diram τανοθυελα religionem exercerent. Apud ethnicos etiam, cum infantem ſacrificarent, [b] *πρόσω κατεπίμπλατο πάντα πρὸ τῦ ἀγάλματος ἐπαυλοῦντων καὶ τυμπανιζόντων, ἕνεκα τῦ μὴ γενέσθαι τὴν βοὴν τῶν θρήνων ἐξάκουστον· ante ſimulacrum, omnia fiſtularum & tympanorum ſtrepitu opplebantur, ne mactati ejulatus exandiri poſſet.* Et doctorum fide receptum eſt, *Tophet*, ubi Judæi liberos immolabant, nomen a תופים *tympanis* accepiſſe; quod in ipſo actu, locus tympanis totus perſtreperet, ut triſtes ejulatus infantum ſupprimerentur. (4°.) *Finis* hujus ritus, eum mere diabolicum probat & idololatricum: nam Iſraelitæ vix unquam dicuntur filios ſuos *per ignem tranſire feciſſe*, niſi in Dei alicujus honorem quem [*] *Baalis* aut *Molochi* [i. e. domini vel regis] titulo decorarunt: nempe ſummam victimam [hominem] ei quem pro ſummo rege vel domino habebant, maxime convenire crediderunt,

CUM itaque liberorum immolatio ritus eſſet tot nominibus execrandus & deteſtabilis, nil mirum ſi Deus, tanta cum vehementia, huic actioni ſeipſum oppoſuerit. Nam, obſervante [c] *Maimonide*, talibus contra eam argumentis utitur, qualibus contra nullam aliam idololatriæ ſpeciem, [d] *ad contaminandum ſanctuarium meum, & polluendum nomen ſanctitatis meæ:* & [e] tribus legibus cavetur, ne Iſraelitæ contagione tanti ſceleris inficerentur. Nullam gratiam huic ſceleri facit Deus, ſed ei pœnas minatur maximas, capitis nimirum & exciſionis, *Levit.* 20. 2, 3, 4, 5. Ipſum locum ubi miſellos infantes in honorem *Molochi* combuſſerunt, Deus mirum in modum deteſtatus eſt. Hoc per *Prophetam* teſtatur, dicens, [f] *ecce dies venient,--& non dicetur amplius* Tophet, *& vallis filii* Hinnom, *ſed vallis interfectionis, & ſepelientur in Tophet, donec non ſit locus* &c. Denique ritus iſte vix unquam, niſi nota aliqua infamiæ inuſtus, in Scriptura memoratur: nam *βδέλυγμα abominatio* non [g] ſemel appellatur, & qui filium ſuum in ignem tranſire facit, eodem ordine quo *Magi, Arioli, Venefici*, & ejuſmodi nigrioris notæ peccatores, collocatur, imo inter eos primum locum obtinet *Deut.* 18. 10.

Liberorum traductio per ignem hic vetita, & quare.

PROGREDIENDUM eſt jam ad ritum illum alterum [nempe liberorum traductionem per ignem] quem etiam Deum hac in lege vetuiſſe diximus. Quo itaque rationem cur & ille ritus interdictus eſt, aſſequamur, utile fuerit in illius ratione & uſu perquirendo paululum laborare. Quantum itaque, poſt tot ſeculorum decurſum, diaboli μεθοδείας percipere licet, ritus ille his uſibus antiquitus inſerviebat.

PRIMO: infantes aliique, traductione per ignem, purgari, luſtrari, vel expiari, credebantur. Ea ſcilicet opinio per hominum animos pervaſit olim, quod liberi recens in lucem editi impuritate aliqua laborarent, & ictui dæmonis vel oculi maligni obnoxii, morte intempeſtiva tollerentur; niſi flammam luſtralem ſubirent, & traductionis hujuſce ritu in dæmonis alicujus benigni clientelam traderentur. Hanc conjecturam haud infelicem arguit [h] *Maimonidis* teſtimonium: *notum eſt in genere, ex natura hominum, quod nihil æque timeant & horreant, ac facultatum & liberorum ſuorum amiſſionem. Ideo publicarunt & ſparſerunt cultores ignis, omnes ejus liberos morituros, qui filium aut filiam ſuam per ignem non traduxerit;* eos autem diu ſuperſtites futuros iiſque omnia feliciter eventura, modo ritu illo expiati fuerint. Sed ſi deeſſet nobis Maimonidis teſtimonium, multa ſunt e quibus facile cognoſcatur, gentes antiquas, purgandi vel luſtrandi cauſa, liberos ſuos per ignem traduxiſſe: nempe, (1°.) *Græcorum* verſio, qui ſic explicant (potius quam transferunt) verba Hebræa, hanc traductionem per ignem prohibentia, [i] Οὐχ [1] *εὑρεθήσεται ἐν σοὶ περικαθαίρων τὸν υἱὸν αὐτῦ* [2] *καὶ τὴν θυγατέρα αὐτῦ*

a *Jerem.* 7. 31. b *Plutarc.* περὶ δεισιδαιμ. p. 171. D * 2 *Reg.* 17. 16, 17. c *Ub. ſup.* P. 3. c. 37.
d *Lev.* 20. 2, 3. e *Lev.* 18. 21. *Deut.* 18. 10. *Lev.* 20. 2. f *Jerem.* 7. 32. g *Jerem.* 32. 35. *Deut.* 12. 31. 2 *Reg.* 16. 3. h *Mor. Neb.* P. 3. c. 37. i In *Deut.* 18. v. 10.

1 Juxta *MS. Alexandrin.* εὑρήσεται. 2 *Alex. Edit. Aldin. & Complut.* ἢ τήν.

ἐν

ἐν πυρὶ, *non invenietur in te, qui purgat* [aut luſtrat] *filium ſuum aut filiam ſuam in igne.* Hic obſervare juvet, alium interpretem, a[1] [a] S. *Chryſoſtomo* citatum, ſic, paulo aliter, hanc legem reddidiſſe, ὁ φοιβάσσων, ὁ περικαθαίρων τὰ τέκνα ὑμῶν. Interpres autem ille, quiſquis erat, duobus verbis ſynonymis uſus eſt, ut clare doceret, luſtrationem aut purgationem idololatricam, igne non raro peractam, hac in lege prohiberi: eſt enim φοιβάσαι, inquit *Heſychius*, περιμάξαι, καθάραι, ἁγνίσαι Item φοιβᾶσθαι, καθαρίζεσθαι (2°.) Frequens uſus hujus ceremoniæ, e frequenti ejus mentione in Scriptura facile colligendus. Quid autem traductio per ignem uſu tam frequens eſſet, niſi quod ritus averruncus eſſe, & infantes incolumes præſtare, crederetur? *Nullum* enim *dubium eſt*, inquit [b] *Maimonides*, *quin unuſquiſque magna diligentia properarit ad faciendum illud, tum ob magnam erga liberos ſuos clementiam, & timorem de illis amittendis, tum etiam ob rei ipſius facilitatem, quia nihil agendum erat quam filium per ignem traducere.* (3°.) Hinc etiam adducor ad ſuſpicandum, idololatras olim liberos ſuos, purgandi & luſtrandi cauſâ, per ignem traduxiſſe, quod veterum purgatio & februatio igne plurimum peragererur. Inde factum quod πυρῶν, ad purgationem notandam, non tantum in Græcorum verſione, ſed & [c] ſcriptoribus exoticis, uſurperur; & ſulphur nomen Θεῖον inveniſſe creditur, quod in purgationibus igneis locum tam frequentem obtineret. Ideo vero veteres, in eorum purgationibus, igne freqnentius utebantur, quod igni vim quandam abſterſivam, & malorum medelam ineſſe, pro certo crederent. Hanc opinionem Romanos inſeciſſe, cauſam opinandi præbet [d] *Ovidius*, qui morem flammas tranſiliendi memorans hæc habet;

> *Expoſitus mos eſt, moris mihi reſtat origo*
> *Turba facit dubium: cæptaque noſtra tenet.*
> *Omnia purgat edax ignis, vitiumque metallis*
> *Excoquit: idcirco cum duce purgat oves.*

Eo etiam inclinaſſe Græcorum animos, non obſcure docet *Theodorus* [e] *Balſamon*, ſic veteris Græciæ morem & ſenſum referens; ἔμπροσθεν τῶν ἐργαστηρίων αὐτῶν καὶ τῶν οἰκιῶν ἀνῆπτον πυρκαϊὰς καὶ ἐπήδων ἐπάνω τούτων, νομίζοντες διὰ τοῦτο τὰ προσυμβάντα ἴσως αὐτοῖς δυσχερῆ κατακαίεσθαι, καὶ ἑτέροις ἀγαθοῖς ἐντυγχάνειν· i. e. *Ante officinas ſuas & ædes rogos incendebant, & ſupra eos ſaliebant, per id exiſtimantes ea quæ illis prius obtigiſſent mala comburi, foreque, ut in alia bona inciderent.* Plura de purgatione, flamma piaculari facta, lectori cupienti dabit *Sanctius, Comment.* in 4. *Reg.* c. 16. col. 1539.

Secundo: non abſurdum eſt, opinari veteres idololatras *traductionem per ignem*, tanquam initiationis ritum, uſurpaſſe, eoque liberos ſuos *Molocho* & cultui ſuo ſolenniter dediſſe & conſecraſſe. Multa habeo perſuaſionis hujus argumenta: (1°.) Quantum per ſacra monumenta percipere licet, pueri tantum & puellæ [liberi adhuc in parentum poteſtate conſtituti] per ignem tranſmittebantur. Nam ſcriptura, verbis his aut ſimilibus, hunc ritum memorare ſolet, *& filios ſuos & filias ſuas tranſire fecerunt per ignem.* Quid autem perſonæ ætatis tantum tenellæ per ignem tranſirent, niſi quod tranſitus ille ritus eſſet initiationis, adeoque parvulis, Deo mature conſecrandis, optime convenire crederetur? (2°.) Veteres idololatræ igne quodam purgatorio in *initiis* ſuis non raro utebantur. Nam *Mithra* initiatis [f] neceſſe erat, [1] διὰ πυρὸς παρελθεῖν καὶ διὰ κρύους, *per ignem tranſire & per frigus*, priusquam inter ὁσίους admitterentur. Et forſan Dominus noſter, Apoſtolos ejus, non aqua tantum, ſed & [g] igne, baptizari, & regni ſui myſteriis initiari voluit; ut inſtituta ſua ad morem gentilium, qui aqua ſimul & igne ſolebant initiari, (qua licuit) accommodaret. (3°.) Qui liberos ſuos *per ignem tranſire faciunt*, Dei nomen [h] *profanare* & *polluere* dicuntur. Quid autem, niſi quod ritu illo liberos ſuos *Molocho* ſacriſque ſuis addicerent, adeoque nomen & honorem Deo uni proprium, idolo fœdiſſimo tribuerent? (4°.) Patres ipſi filios & filias ſuas, ex præſcripto ſacerdotum *Moloch*, quos *Chemarim* appellabant, per ignem traduxiſſe cenſeantur. Nam Scriptura, ritus hujuſce mentionem faciens, patrum plerumque meminit, & verbis מעביר & העביר utitur, *tranſire faciens*, & *tranſire fecit*, ſignificantibus: & [i] LXX voces eas per διῆγεν, vel [2] διῆγον, vel [3] διαγαγεῖν, aut vocabulum vicini ſignificatus, interpre-

a In *S. Johan.* c. 1. v. 16. Tom. 2. Hom. 13. p. 86. D b *Ub. ſup.* c — Καθαρῷ δὲ πυρώσαντε δῶμα θεείῳ. *Theocr. Id.* 24. d *Faſtor:* lib. 4. verſ. 783. e In *Canon.* 65. *concil.* 6. in *Trul. ub. ſupr* f *Suid.* in Μίθρα· g *Mat.* 3. 11. *Act.* 2. 3, 4. h *Lev.* 18. 21. i *V. LXX.* in 2. *Reg* 16. 3, & c. 17. 17. & 21. 5. & 23. 10.

1 Διὰ &c. non extant apud *Suidam*: verba autem ſunt *Nonni* de *Mithra* loquentis, in *Greg. Nazianzen.* p. 130.

2 Juxta *Edit. Complut.* διήγαγον.

3 *MS. Alex.* & *Edit. Alt.* διῆγεν.

SECT. IV. tantur. Adeo ut hæc ceremonia, patre filium tradente, vel præcipiente, vel manuducente, vel transſerenre, peracta putetur. Quid autem patres filios per ignem traducerent aut traoſire ſacerent, niſi ut actu illo ſe de ſuo jure cedere, liberos Molocho ſolenniter offerre, eoſque in illius clientelam & peculium tradere, teſtarentur? (5°.) Phraſis hæc, להעבור למלך *Ut tranſiret ad Molechum*, ſenſum peculiarem olim geſſiſſe, &, *Molecho nomen tradere, ad partes ejus tranſire, ſe ritibus ejus totum addicere*, ſignificaſſe videatur. Prout olim προσέρχεσθαι τῷ Θεῷ, [a] *accedere ad Deum*, phraſis erat, ad *proſelytum, hominem Dei cultui devotum*, indicandum uſurpata. Hane opinionem eo pluris æſtimo, quod phraſis illa והעברת ליהוה [b] *tranſire facies ad Dominum*, ſenſum affinem ferat, & homines Deo ſacrandos indicet. (6°.) In hanc ſententiam concurrunt auctores clari nominis, [1] *Seldenus*, [2] *Grotius*, aliique. Inter eos, ſic *Vulgata* auctor hanc legem explicat, *non dabis e ſemine tuo, ut conſecretur idolo Moloch.*

Tertio: ni fallat conjectura, Zabii veteres *tranſitum* hunc in uſu habuere, ut ritu illo, ad dæmonis præſcriptum præſtito, igni primo, tandem & Soli, culrum exhibereot. In quanta veneratione ignis eſſer, ſub prima naſcenris idololatriæ tempora, ex antiquiſſimis illis idololatriæ inſtrumentis quæ Scriptura [c] חמנים [3] Πυρεῖα *ignis fana*, vocat, prompre cognoſcatur. De hoc ignis eultu, nondum prorſus inter Perſas abolito, & templis Πυραθεῖα vel Πυρεῖα dictis in ignis honorem etiamnum extructis, multa habet [d] *Benjamin Judæus*, [e] *Schikhardus*, [f] *Briſſonius*, [g] *Seldenus*, [h] *Pocockius*, aliique, ad quos lector benignus ſe amandari patietur. Duplici vero ratione perſuaſus, idololatras antiquos in ipſius ignis honotem, hunc ritum ſæpe peregiſſe cenſeo: (1°.) Ignicolæ zelo præcipuo hunc luſtrandi ritum obſervaſſe, & aliis obſervandum impoſuiſſe videntur. Nam, referente [i] Maimonide, *publiearunt & ſparſerunt cultores ignis, omnes ejus liberos morituros, qui filium aut filiam ejus per ignem non traduxerit.* Refert etiam jam dictus Benjamin, in Chenaraga vel Chingara [i. e. Taprobane, maris Indici inſula] ignicolas inveniri; eoſque ritum utrumque, & comburendi & igne luſtrandi filios, obſervare. Narrat inſuper *Schickhardus* ex auctorum fide qui res Perſicas memoriæ tradiderunt, Perſas haud paucos ignem etiamnum colere, &, in cultus illius teſtimonium, alios per ignem ſolenniter tranſire, alios ſe vivos in ignem præcipitare. (2°.) Prout ethnici lunam, nomine מלכת השמים [k] *reginæ cælorum*, ita ſolem præcipue, ſub Molechi vel *regis* cœleſtis titulo, coluerunt. Cum autem, ob ſolis diſtantiam, ſacra ei ad votum fieri non ira commode potuerint; [l] ſymbola nonnulla, quæ maxime congrua videbantur, in illius honorem conſecrare, pium eſſe judicabant. Inter ea, ignis præcipuum ſolis ſymbolum aut ſignum vicarium habitus eſt, & illius loco ſacris ceremoniis honoratus. Hinc [m] *Iſidori* illa, *Nembroth gigas Perſas ignem colere docuit: nam omnes in illis partibus ſolem colunt:* quaſi *ignem colere* & *ſolem colere* phraſes eſſent ejuſdem momenti, & religionem aut cultum eundem indicarent. Cum itaque *Molech, ſol, & ignis*, in religiooe Gentilium, tam arcto vinculo ſibi invicem conjungerentur; non ſine cauſa creditur, idololatras, cum liberos per ignem tranſire faeerent, ultimo quidem Molochum aut ſolem, proxime vero ipſum ignem, ſymbolum ſolis, coluiſſe. Hæc ad cauſam nos ducunt, cur eodem tempore, [n] *Baali* [i. e. ſoli] *ſervirent, & filios ſuos per ignem tranſire facerent* Iſraelitæ; quod nempe, ſoli ſimul & ſymbolo ejus cultum deferre, pium & mori conſentaneum judicarenr.

Ex iis quæ de gemellis hiſce [filios eomburendi, & per ignem traducendi] ritibus jam dixi, ſatis intelligitur, utroſque a Zabiis originem accepiſſe, bellum quaſi apertum Deo & legibus ejus indixiſſe, adeoque Deum, ſummo cum conſilio, mores utroſque hoc edicto compeſcuiſſe.

a *Hebr.* 11. 6. b *Exod.* 13. 12. c *Lev.* 26. 30. 2 *Par.* 34. 4. d *In Itinerar. ex edit. L'Emper.* p. 109. e *Tarich.* pag. 126, 127. &c. f *De regn. Perſic.* l. 2. p. 164. g *Syntag.* 2. *de Diis Syr.* cap. 8. h *Not. in ſpecim. Hiſt. Arab.* p. 146. i *Mor. Neb.* P. 3. cap. 37. k *Jerem* 7. 18. l *Selden. de Diis Syr. in Proleg.* c. 3. p. 50. m *Origin.* lib. 14. cap. 3. p. 186. n *V.* 2. *Reg.* 17. 16, 17.

1 De *D. Syr. Syntag.* 1. cap. 6.
2 Ad *Deut.* 18. 10.
3 Lev. 26. 30. *LXX* vertunt חמנים τὰ ξύλινα χειροποίητα. & 2 *Par.* 34. 4. τὰ ὑψηλά.

CAP.

CAP. XIV.

CAP. XIV. SECT. I.

De lege qua vetitum eſt annorum primorum fructus edere.

LEGEM, ad cujus explicationem calamus jam admovendus eſt, his verbis datam legimus; [a] *cum ingreſſi fueritis terram, & plantaveritis ullam arborem fructus comeſtibiles proferentem, auferetis præputium ejus. Fructus ejus, tribus* primis *annis, erit vobis & præputiatus, non comedetur. Et in anno quarto erit omnis fructus ejus* [1] *ſanctus Jehovæ, ad laudandum Dominum. Et in anno quinto comedetis fructum ejus, ut reddat vobis proventum uberem. Ego Jehova* ſum *Deus veſter*. Ne vero ſermo de hac lege faciendus, methodi luce eareat;

PRIMO: ſententiam meam de illius occaſione & origine in medium feram ut eo magis appareat, Deum eam etiam *Zabiorum* moribus oppoſuiſſe.

SECUNDO: ſententiam de legis hujus occaſione latam multis argumentis firmare conabor.

TERTIO: corollarium unum & alterum ſubjungam, e jam dicendis oriundum.

SECT. I.

De legis hujuſce cauſa vel occaſione.

UT primam penſi mei partem exequar, nonnulla de veterum *Zabiorum*, terram præcipue promiſſam incolentium, moribus & dogmatis neceſſario ſunt prælibanda. Legis cauſa:

SCIAT itaque lector, *Zabios*, præcipue Canaaniticos, id moris habuiſſe, ut arboris cujuſque fructus omnes, anno a plantatione primo, vel ſecundo, vel tertio editos, diis ſuis conſeerarent; partem eorum offerentes, & partem in idoleio, cum lætitia & gratiarum actione, comedentes. Et ut ea ſuperſtitio radices altiores ageret, & late ſpargeretur; *Zabii* diſcipulos ſuos perſuaſos habuerunt, arborem omnem exarituram, aut fructus ejus imminutos iri, vel aliud aliquod infortunium eventurum, niſi ritus illos obſervarent. Deus itaque, ut populum ſuum a moribus illis retraheret, eoſque dogmatis moribuſque ſanioribus informaret, mandatum dedit, ut arboris cujuſque fructus, anno primo, ſecundo vel tertio provenientes, pro præputiatis, i. e. immundis aut rejectaneis haberentur; anni vero quarti fructus coram *Domino*, i. e. in templo vel templi vicinia comederentur.

NE quis me divinare jam, aut conjecturis incertis niti cenſeat, ea quæ de *Zabiorum* moribus, & legis hujuſce ratione, jam dixi, [b] *Maimonidis* & *Lyrani* teſtimonio firmiora faciam. *Maimonidis* teſtimonium, in pauciora redactum, huc redit: *ſtatutum fecerunt* idololatræ, *ut arbor aliqua colatur quæ* Aſcherah *vocatur, & de fructibus ejus pars aliqua offeratur, alia vero in idoleio comedatur: item, ut idem obſervetur in primitiis fructuum arboris cujuſque fructus comeſtibiles proferentis, aliter arborem illam ejuſque fructus peſſum ituros. Homines itaque, bonorum ſuorum amittendorum metu, ad hoc quoque faciendum feſtinarunt. Lex itaque, contra morem illum ſuperſtitioſum inſurgens, præcipit, ut fructus comburerent, tribus primis a plantatione annis provenientes.* Maimonidem, hæc & alia eodem ſpectantia referentem, fide digniorem exiſtimemus; quod hæc hauſerit e libris quibusdam Arabicis, *Zabiorum* inſtituta referentibus, quos ille propriis oculis uſurpavit. Sententiam meam, de legis hujus origine, [c] *Lyrani* etiam teſtimonium cohooeſtat: *fructus qui tribus primis annis naſcebantur, immundi reputabantur; tum quod contra communem curſum natura nati, tum quod talibus fructibus, quaſi quibuſdam novis & inſolitis, in ſacrificiis idolorum utebantur; & ideo tales fructus nec offerebantur, nec comedebantur, a Judæis.*

QUANTUM itaque de re a ſeculo noſtro tam remota judicare fas eſt; duæ legis hujuſce rationes aſſignari poſſunt: (1°.) Primi triennii fructus res eraot idolis dicatæ,

a *Lev.* 19. 23, 24, 25.
b *Mor. Nib.* Part. 3. cap. 37.
c Ap. *Druſ. Comment.* ad difficil. *Pentat. loc.* p. 601.

1 Juxta Hebr. *ſanctitas laudum Jehova.*

SECT. II. vel pro rebus idolo ſacraris habebantur: arque ideo incircumciſi, immundi, imo ipſa *ἀκάθαρτα* (quod ſtatim obſervo) dicebantur. Lex autem Iſraelitas a cibis, & rebus aliis quibuscunque numini fictitio dedicatis, participandis aut utendis, arcte cohibebat, ut ab idolis ipſis eo vehementius abhorrerent. (2°.) Niſi Deus iſtiuſmodi fructus prorſus immundos & ad eſum illicitos declaraſſet, & Iſraeliras ad eos perdendos hac lege devinxiſſet; timendum erat, ne populus ille, ad mores gentium proclivis, eos idolis offerrent, aut iis ut a numine profano acceptis uterentur.

SECT. II.

Auctoris opinio de legis hujus occaſione variis aſtruitur argumentis.

Variis aſtruitur argumentis. CUM teſtium tam celebrium auctoritas, & jam dictorum cohærentia, ſententiam meam tam probabilem & ſpecioſam reddant; mihi facile perſuadeo, lectores animis æquioribus accepturos argumenta jam producenda, e quibus aſſertionis meæ veritas paulo certius & clarius eluceſcat. Hæc itaque provincia, proximo libentius aggredienda.

Argumentum 1m. a legibus ſociis. HORUM autem argumentorum primum eſt hujuſmodi. Lex hæc cum iis legibus ſociata reperitur, quæ procul omni dubio Zabiorum moribus opponuntur. Occurrit enim in decimo nono capite *Levitici*, ubi paucæ ſunr leges quarum cauſæ a veterum idololatrarum moribus non ſunr arceſſendæ. Hac de re nemo conſulrus dubitabir, ſi leges haſce, dicto capite datas curate perlegat; *ne reſpiciatis ad idola, & deos fuſiles ne faciatis vobis: non comedetis ſuper ſanguine, non augurabimini, non obſervabitis tempora: non attondebitis in circuitu angulum capitis veſtri, nec corrumpes angulum barba tuæ: inciſionem pro mortuo non dabitis in carne veſtra, & ſcripturam exarationis non ponetis in vobis: ne polluas filiam tuam, & fornicari facias eam: ne reſpiciatis ad pythones, & ad ſciolos ne quaratis, ad polluendum* vos *in eos.* Cum itaque in confeſſo & aperto ſit; leges eas a malis gentium moribus ortas fuiſſe; hinc conjecturæ, & quidem vehementi, locus eſt, hanc legem (quæ pars haud obſcura eſt ejuſdem capitis) eandem originem cum ſociis legibus habuiſſe, & Deum eam etiam ritus ethnicos extirpandi ſtudio tradidiſſe.

2m. a legibus cognatis. SECUNDO: alibi ſaris extra dubium poſui leges haſce cognatas, de oblatione nempe placentæ, primitiarum, & tonſionis primæ, anſam a moribus idololatricis inter gentes obtinentibus accepiſſe. Conſentaneum eſt itaque, ut & hanc legem [de primitiis arborum Deo ſacrandis] legi de primitiis illis offerendis cognatione tam propinqua junctam, ad eandem originem & occaſionem referamus. Nam ſi leges de oblatione placentæ, primitiarum, & tonſuræ primæ, ideo ſerebantur, ne populus, lege ſolurus, ea omnia dæmonibus offerrenr, iiſque (gentium ritu) per hujuſmodi dona cultum exhiberent; non eſt remerarium opinari, legem curaſſe, ut Iſraelitæ trium primorum annorum fructus perderent, anni vero quarti proventum Domino conſecrarent; ut ritibus quos jam dixi Zabianis obicem poneret, & Iſraelitas ab iis circa primos arborum fructus exercendis avocaret.

3m. a peculiari legis hujus obligatione. TERTIO: legis hujuſce natura & conditio plane ſingulatis indicat, eam terræ Canaaniticæ propriam fuiſſe; adeoque gentem tantum Iſraeliticam, peculiari de cauſa, devinxiſſe. Ea nempe cœli terræque jam dictæ benignitas erat, ut ibi quædam arbores intra anni, quædam biennii, omnes intra triennii ſpatium, fructus ederene. Huic ſenrentiæ ſubſeribit [a] *Maimonides*, aſſerens, *ſummum tempus per quod arbores, in terra Iſraelis plantata, fructus ferre differunt, eſſe triennium.* Patet itaque magiſtros Hebræorum legem hanc inter *ſtatuta terra appendentia* conſulto numeraſſe. Quid autem Deus populo legem daret terræ ſanctæ propriam & accommodatam, niſi quod Canaanitæ, terræ veteres incolæ, id moris haberent, ut arboris cujuſque fructus intra tres annos a plantatione provenientes idolo dedicarent; nec facilis operæ res eſſet, Iſraelitas ab hoc more cohibere, niſi fructus illos impuros declaraſſet, & omnes ab eorum uſu temperare præcepiſſet. Ue rem rotam breviter & luculenter exprimam; Iſraelitæ ſancti erant, & ad Dei veri culrum ſeparari: terra inſuper gaudebanr ſancta, Deique benignitati debita: ideoque par erar, ut illi a falſi numinis cultu, ejuſque ſpecie omni, retraherentur; nec terræ illius incrementis in dantis opprobrium uterentur.

a *Mor. Neb.* ub. ſupr.

QUAR-

SECT. II.

Quarto: hoc etiam ſententiæ noſtræ fidem aſtruit, quod, ea conceſſa, dubia omnia e lege oriunda facile ſolventur, & multum lucis obſcuris omnibus orietur.

4m. a facili dubiorum ſolutione.

Si quis enim dubius hæreret, rationem quærens, cur lege cautum ſit, ut fructus primo quovis triennio provenientes integre perderentur; hypotheſis noſtra hoc promptum reſponſum ſuggeret, lex ideo juſſit trium primorum annorum fructus e medio tollere, quod, in *terra ſancta*, arbores nunc primo, nunc ſecundo, quandoque tertio, fructus ederent, qui ſuperſtitioni receptæ ſervire poſſent: ut itaque religionis integritati conſultum eſſet, & ſuperſtitioni adirus omnis occluderetur; præceptum eſt (ſi Judæis fidem damus) ut anni cujuſque primi fructus igni mandaretur, & nil reliqui eſſet, quod mori alicui ſuperſtitioſo anſam daret.

Deinde, ſi quis cauſam quæreret, cur lege præceptum eſt, ut anni quarti fructus Domino ſanctus eſſe deberet, coram ipſo comedendus; in promptu cauſa eſt; idololatræ veteres, fructus quoſque primos numinum ſuorum benignitati tribuentes, eorum partem non exiguam in idolorum templis offerebant, partem autem in eorum templis & in eorum quaſi præſentia, comedebant.

Si quis iterum dubius interrogaret, cur fructus anno proveniens, Domino ſeparari, & *ad laudandum Dominum* ſeponi debuit; hypotheſi noſtra conceſſa ratio non difficulter intelligitur: idololatræ fructus primo provenientis partem non minimam Diis ſuis offerebant, vel in eorum templis, cum lætitia & ſolenni gratiarum actione, religioſe comedebant. Deus itaque, ut populum ab hac ſuperſtitione ſuaviter & fortiter avocaret; fructus equidem primos (ut olim) ab eſu & uſu communi ſeparari voluit, ſed ritus omnes antiquitus uſitatos ad laudem & honorem ſuum transferri, & ſe quaſi ſpectante peragi.

Si quis etiam dubius interrogaret, cur Deus, ad legis hujus obſervationem, populum [a] ſpe fructus uberioris animarit; hypotheſis noſtra ſtatim reſpondere docet, idololatras antiquos facile vulgus perſuaſum tenuiſſe, arborem omnem exarituram, aut fructum prope nullum producturam, niſi fructus ejus primos dæmoni, ritu jam dicto, dedicarent. Ne qois itaque locus huic ſuſpicioni remaneret, Deus hoc in ſe recipit, arbores nempe, per fructuum primorum perditionem, non exarituras, ſed fructus uberiores edituras; ſi præſertim Deum, non dæmonem, καρποφόρον agnoſcerent, eumque laude & gratiarum actione celebrarent.

Si denique quis incertus a me quærit, cur lex quam præ manibus habemus in hæc verba deſinit, *ego Jehova* ſum *Deus veſter?* hypotheſis mea reſponſionem ſuggeret, cum verbis illis & tota lege facile cohærentem. Tunc enim ſic verba liceret interpretari: "uſus olim inolevit, ut arboris cujuſque fructus primos, in honorem Deorum frugiferorum, in templis eorum offerretis aut comederetis. Atque iſta religio ab hac opinione, tanquam radice præcipua, pullulavit, arbores nempe omnes earumque fructus peſſum ituros, niſi ritus jam dictos obſervarent, & per eos Deorum quos dixi favorem ſibi & arboribus ſuis conciliarent. Ego vero, Jehova, Deus veſter, alia omnia vobis in mandatis trado: & ſancte polliceor, vos arbores florentes habituros, ſi, mandatis meis obtemperantes, vos in me ſolo ſpem fidemque veſtram collocare, & me ſolum, Deum verum, omnis boni fontem, omniſque mali depulſorem agnoſcere teſtatum faciatis.

E jam dictis hypotheſis meæ fides & veritas abunde confirmantur: nam ea ſola, tanquam clavis affabre facta, legis hujuſce perplexa omnia reſetare poteſt; & ejus obſcura omnia tam facile docet expedire.

Quinto: argumentum proximum e textus, *Hebraice* vel *Græce* redditi, verbis eliciatur. Nam fructus arboris cujusque primus, ערלתו *præputium ejus*, & primi triennii fruges ערלים *præputiati* vocantur: a Græcis autem fructus idem ἀκαθαρσία, & καρπὸς ἀπερικάθαρτος, appellatur. Quid autem de primi triennii proventu tam contemptim & abjecte loquerentur, niſi quod a gentibus idolo dicatus eſſet, & inde veluti præputium aut ethniciſmum quendam contraxiſſet? Hæc conjectura credibilior evadet, ſi diligentius attendat lector ad [b] legem vigeſimo ſecundo *Deuteronomii* datam: nam ibi fruges terræ ritu vetito propagatæ, & ritu illo idolis dedicatæ, pollutionem contrahere, & in fructuum ἀπερικαθάρτων, cenſum tranſire, dicuntur. Sed ut ut iſta ſe habent, certum eſt eccleſiæ Judaicæ magiſtros, inter iſtam *Deuteronomii* & hanc *Levitici* legem cognationem tam propinquam intercedere cenſuiſſe, ut [c] fruges in hac

5m. ex ipſo textu.

a *Ut arbor multiplicet vobis fructum ejus.* Lev. 19. verſ. 25. b *Deut.* 22. 9. c *V. Maim. Mor. Neb.* Part. 3. cap. 37. *Jonath. Paraph.* in *Deut.* 22. 9.

& illa

SECT. II.

& illa vetitas eidem decreto ſubjicerent, & utraque flammis adjudicarent, ad modum rerum, quæ numini fictitio vel idolo dedicantur.

6^m^. a legis hujus cum aliis convenientia.

Sexto: ad legis hujuſce rationem aſtruendam, momenti non parum habeat illius convenientia cum aliis legibus quæ terræ cultum aut proventum ſpectant. Nam leges pleræque rituales, rem ruſticam ſpectantes, eo conſilio datæ ſunt, ut Zabiorum mores exterminent; quamvis prima fronte *ſacra* tantum *georgica:* & agricolam ad optimam, greges, agros, arbores, vineas, curandi rationem dirigere, videantur. Nam probatum eſt alibi, leges eas, [a] *non ſeres vineam tuam mixto ſemine, non arabis bove & aſino ſimul, non indues veſtem mixtam e lana & lino ſimul,* [b] *beſtiam tuam non facies accumbere cum diverſa ſpecie*, & conſimiles alias, frontem *Zabiorum* moribus adverſam gerere: quamvis Deus, leges haſce ferens, commodum agricolæ ſolius in conſilio habuiſſe cenſeatur. Neque eſt cur miretur quiſpiam, Zabiorum mores, Dei leges, & res agriculturæ, tam arcte cohærere: nam, ſi prædictus auctor quid veri referat, [c] Zabiorum *doctiores prædicabant & indicabant hominibus, quod agricultura, qua homines ſubſiſtunt & conſervantur, a Solis & aſtrorum reliquorum cultu debito dependeat.—— Conjungebant etiam cultum aſtrorum & aliorum idolorum cum cultu terræ, eo quod cultura terræ ſit hominibus & multis animalibus neceſſaria. Sacerdotes autem idolorum concionabantur hominibus,——propter ejuſmodi cultus, pluviam de cælo deſcendere, arbores agri fructus ferre, terram fæcundam reddi.——Deus itaque nobis legem dedit, qua nobis indicavit, ſi aſtra vel alia quævis idola coluerimus, pluviam ceſſaturam, terram infæcundam & ſterilem futuram, arbores fructus ſuos non daturas, varia denique vitia corporibus noſtris eventura. E contra vero, ex intermiſſione* cultus *illius & converſione ad cultum Dei deſcenſionem pluviæ, fæcunditatem terræ, arbores fructus ad ſatietatem proferentes, ſanitatem corporis, vitam denique longam, certo ſecuturam.* Cum igitur Deus, ob cauſam jam dictam tot leges, agrorum arborumque culturam ſpectantes, Zabiorum moribus & dogmatis oppoſuerit; haud inepte conjicitur, Deum & hanc legem, de arborum cultura, Judæis impoſuiſſe, iiſque, ſi legem ſervarent, proventum uberem promiſiſſe; ut Zabiorum dogmatis moribusque profanis, circa arbores earumque fructus tunc temporis obtinentibus ſe adverſum ſiſteret, eosque omnes aboleret.

7^m^. ab aliarum rationum vanitate.

Septimo: ratio legis a me reddita firmior habeatur, quod rationes vulgo redditæ tam facile vanitatis arguantur. Hoc ſtatim conſtabit ſi rationes illæ duæ quæ ſolent aſſignari, diligentius expendantur.

Harum prima ſic exprimitur: arboris cujuſque fœtus eo gratior futurus judicabatur, quo maturior; eo vero maturior, quo radices arboris magis adultæ forent & cœlo aſſuefactæ. Horrebant autem fructus arboris, nondum pleno ſole coctæ; utpote quibus plus viroris quam virium, frigoris quam ſucci, ineſſe credebatur. Ut itaque populi voluptati ſimul & ſaluti conſultum eſſet, arboris cujuſque *præputium* (quod dicitur) nec ad eſum, nec ad uſum, permittebatur.

Hæc omnia ſpecioſe magis quam ſolide dicta fuiſſe, ſi lectori diffiderem, multis evinci poſſet. Sed ad rationes hujuſce fidem labefactandam, ſatis eſt dixiſſe, Judæos in terra promiſſa ſolo & cœlo tam benigno gaviſos fuiſſe, ut fruges ibi diu ante quintum annum ad maturitatem pervenirent, nec ſucci quicquam palato vel ſtomacho male grati continerent: neque credibile eſt, Hebræos, fructus, quibus nil ſucci bene cocti inerat, edere voluiſſe; ſi Deus eos a fructu tam ingrato & inſalubri lege lata non cohibuerat.

Multi itaque, cum hæc non ſucceſſit, aliam viam aggrediendam cenſuerunt; legem hanc ideo datam aſſerentes, ut Deus rudem populum primis quibusdam agriculturæ rudimentis informaret. Atque hic teſtem & adſtipulatorem laudare poſſunt *Clementem Alexandrinum*, inter alios, rationem illam ſic fuſius & apertius exprimentem: [d] *rerum ruſticarum ſtudioſi, in his quoque poſſunt utilitatem a lege accipere.* [1] Κελεύει γὰρ τὰ νεόφυτα τῶν δένδρων ἐπὶ τριετίαν ἑξῆς τιθηνεῖσθαι, τάς τε περιττὰς ἐκφύσεις ἀποτέμνοντας &c. *Jubet enim arbores nuper plantatas, tribus annis ordine ſequentibus fovere & alere, ſuperfluas quæ adnaſcuntur exſcindendo propagines, ne nimis gravatæ opprimantur, & ne alimento minutatim diviſo, imbecillæ fiant propter inopiam: arareque & circumfodere, ut nihil prope germinans ac pullulans prohibeat incrementum: fructum inſuper non ſinit imperfectum*

a *Deut.* 22. 9, 10, 11. b *Levit.* 19. 19. c *Mor. Neb.* Part. 3. cap. 30. d *Stromat.* l. 2. p. 479. 10.

1 Κελεύει &c. ſunt verba *Philonis Judæi* in *Lib. de Charitate*, pag. 713. ubi pro νεόφυτα, leguntur νέα φυτά.

colligi

colligi ex imperfectis, ſed poſt triennium; cum quarto anno Deo conſecrarit primitias, poſtquam arbor perfecta fuerit. Hæc ille: ſed, pace tanti viri, hæc a vera legis hujuſce ratione devia eſſe manifeſtum eſt: ubinam enim lex juber, arbores *nuper plantatas fovere & alere, ſuperfluas quæ adnaſcuntur propagines exſcindere*, vel curare, ne arbores illæ *nimis gravata* fructibus *opprimantur;* ubinam denique lege juſſum eſt, *arare & fodere* juxta recens planratas arbores, *ut nihil prope germinans & pullulans prohiberet earum incrementum?* Patet *Clem. Alexandrinum* hæc legi huic aſſuiſſe, ut hypotheſi ſuæ ſervirer, & lex hæe ad agricolas inſtruendos data crederetur. Certe ipſe animum inducere non poſſum, ut cenſeam, rerum ruſticarum profeſſores tam rudes & ingenii omnes expertes olim extiriſſe, ur in arte ſua oraculo monitore indigerent; vel Deum rebus tam exiguis vacare voluiſſe, ut eos in leviculis illis inſtitueret. SECT. III.

SECT. III.

CAPUT *clauditur tribus annexis corollariis.*

PENSI mei pars ultima jam reſtat abſolvenda, ut nempe nonnulla, e jam dictis oriunda, ſubjungam corollaria.

Ex iis primum hoc eſto: ſi quid in me ſit judicii, *Maimonides* legis hujuſce ſenſum & rationem non ſaris evolutam & explicatam exhiber. Nam, ſenſum legis quod attinet, lectorem non docet ille, an lex præcipit, ut primi triennii fructus mature perderenr, an ut ab eorum eſu ſolummodo temperarent, vel ur igni mandarentur cum ad maruritatem perveniſſent. Et profecto magnam a me gratiam inibit, qui me jam hærentem expedire poreſt. Vero non abſimile videtur, cum lex eorum eſum illicitum feciſſet, Iſraelitas eos mature & in ipſo floſculo perdidiſſe: ſi enim fructus illos ad maturitatem creſcere permiſiſſenr, arboris noper plantatæ ſuccum inutiliter exhaurirent, nonnulli forſan infirmiores fructus illos ad eſum ſumerent, aut eos uſu aliquo idololatrico, gentium ritu, proſanarent. Utconque *Maimonides*, fructus illos illicitos maturitaris gradum aliquem artigiſſe, & tandem combuſtos fuiſſe refert. Neque hac in re *Maimonidi* refragari volo, cum boe juxta morem & opinionem veterum Hebræorum proculdubio referat. Nec minus circa *rationem* quam *ſenſum* legis hujus peccaſſe videatur. Nullam enim rationem aſſignat magiſter ille, cur Iſraelitæ primi triennii fructus comburere tenebantur: nullam etiam rationem reddit, cur hujuſmodi fructus pro *incircumciſis & immundis* habere debuerunt. Nec lectorem ſuum docet, an Deus hanc legem dedit, ut ritus olim teceptos aboleret, an ut eorum ad cultum ſuum transferret, & caute toleraret. Primum corollarium.

COROLLARIUM ſecundom ſit hoc: e legis hujuſce circumſtantiis bene penſitatis licer intelligere, Deum, eum legem Moſaicam inſtiruerir, ritus nonnullos antiquiores abolere, nonnullos uſu longo receptos tolerare, iiſque novos aliquos populi commodo ſervienres commiſcere, decreviſſe. Triplicis hojuſce conſilii veſtigia hac una in lege facile percipiantur. Nam ritus illos, *arborum fructus primos ad maturitatem uſque nutriendi, eos dæmonibus & idolis conſecrandi, partem eorum in delubris offerendi, partem etiam in iis comedendi, Deorum inſuper laudes ob fructus receptos cantu celebrandi;* prorſus abolevit. At, *fructuum primorum partem in Dei præſentia comedendi, Deum fructum eorum auctorem laudibus & aliis indiciis gratitudinis agnoſcendi, fructuum etiam primitias in Dei honorem offerendi*, morem roleravir; ne populum illum, moris anriqui ſtudioſum, laceſſeret, eoſque ad cultum alienum amplexandum provocaret. Interea temporis ritibus illis antiquis novos aliquos admiſcere viſum eſt; viz. Primi triennii proventum abolendi, anni quarti fructum Deo conſecrandi, anni tantum quinri, & ſequentium ad uſus domeſticos applicandi. Cum enim rirus illi novi ad idololatriam extirpandam non parum conferrenr, Deus eos moribus quibusdam uſu longo commendatis commiſcere voluir; ut Iſraelitæ riruum antiquorum ſtudio ad uſum novorum allicerentur. In aliis etiam legibus haud paucis, artis & conſilii conſimilis veſtigia obvia ſunt & manifeſta, cuivis legem & oeconomiam Moſaicam diligentius obſervanti. Secundum.

COROLLARIUM tertlom ſit hujuſmodi: nil cauſæ eſt, cur legum Moſaiearum rationes, a gentium moribus peritæ, pro conjecturis tantum ſpecioſis habeantur; eo quod teſtes morum iſtorum, *Moſi συγχρόνοι*, quandoque deſideremus. Cum enim ratio legis hujuſce modo dicta, tationi conſenranea ſit, cuivis legis parti lucem fœneretur, Tertium.

CAP. XV. & (ut brevi dicam) ipſa ſua probabilitate ſatis commendata ſit; cum etiam e ſcriptis Arabicis *Maimonidi* viſis eluceat, mores iis affines quos huic legi cauſam dediſſe diximus, inter idololatras aliquos ævi recentioris obtinuiſſe; parum conſideratì eſt, ob ſepultam tenebris antiquiorum rituum hiſtoriam, rationem modo dictam in dubium vocare, vel ei rationes myſticas pro lectoris arbitrio fictas anteferre. Si itaque lector legum rationes alibi datas inveniat, iiſdem nominibus commendatas, non eſt quod eas contemnat ſtatim, aut me ſolis conjecturis niti ſuſpicetur; tantum quod auctoris alicujus antiquiſſimi reſtimonium ad fidem dictis meis aſtruendam deſideretur. Serio dolendum eſt, tot auctores, qui vetera ſacra memoriæ conſignarant, e rebus evanuiſſe, quos rei literariæ multum intererat minime periiſſe.

CAP. XV.

Lex de non comedendo ſuper ſanguinem.

De ſenſu legis, opiniones quatuor.

INTER leges eas quamplorimas, circa ſanguinem [præcipuum Legis argumentum] datas, locum haud obſcurum obtinet præceptum proximo explicandum, *Levit*. 19. 26. לא תאכלו על הדם [1] *Non comedetis ſuper ſanguine*. Priusquam vero ad legis hujuſce rationem indagandam animos appellamus, neceſſe eſt ut in ipſo limine pauliſper hæreamus, & textus ſenſui literali perſpicuitatem paulo majorem afferamus. Nam circa ſenſum verborum in diverſas ſententias itum eſt:

1°. PRIMO: ſentiunt nonnulli ſcribam aliquem antiquum hic fontem Hebræum turbaſſe, & הדם *ſanguinem*, pro הרים *montes*, incaute ſuppoſuiſſe. Huic ſententiæ ut fidem afferant, verſionem Græcam teſtantur, quæ ſic locum reddit, [2] Μὴ ἔδεσθε ἐπὶ τῶν ὀρέων, *non comedetis ſuper montes*; gentium ſcil. ritu, quibus in morem abiit, [a] in montibus & locis cœlo propioribus ſacra peragere, & ſacris peractis epulari. Cum autem aliæ omnes paraphraſes & verſiones antiquæ, *Onkeloſi*, [3] *Jonathanis*, *Samaritana*, *Arabica*, *Syriaca*, *Vulgata*, cum *Hebræo* conſentiant, nihil in hodierna lectione mutandum cenſeo; cum præſertim verba præcedentia & ſequentia ei apprime ſuffragentur, & ipſa Græcorum verſio (quod ſtatim conſtabit) hanc ipſam lectionem firmet, quamvis primo aſpectu ab ea diſſentire videatur.

2°. SECUNDO: viſum eſt aliis, Deum, ſanguinis, quocunque modo parati, eſum hac in lege vetuiſſe. Hunc ſenſum præferunt verſiones, *Syriaca*, *Vulgata*, aliæ. Eas autem legis hujuſce ſcopum minime attingere, mihi facile perſuadeo; quis enim non videt, præceptum de non edendo ſanguine, prorſus intempeſtive, & nulla oblata occaſione, hic inculcari? Sed & credi vix poſſit, Deum hanc legem, [b] tribus vicibus jam antea in hoc libro Levitici traditam, hic iterum ingerere voluiſſe. Præterea, legem, quæ ſanguinis eſum prohibet, his verbis conceptam [c] ubique reperiamus, כל דם לא תאכלו: ſi itaque Deus hanc legem contra ſanguinis eſum ſtatuiſſet, non eſt probabile, eum a legis, ſanguinis eſum prohibentis, formula, alibi uſitata, hic tantum recedere voluiſſe.

3°. TERTIO: alii ſe perſuaſos habent, hoc in loco cautum eſſe, ne quis [d] κρέας [4] ἐν αἵματι, carnem cum ſanguine, i. e. carnem palpitantem & ſanguine recenti manantem, in cibum ſumeret; ne quis etiam morticina, ſuffocata & a feris diſcerpta ederet, eo quod ſanguis in iis ſtagnaret, aut non ſatis accurate inde exprimeretur. Huic interpretationi favere videntur verſiones, *Arabica*, *Anglicana* aliæque. Atque hunc loci ſenſum ratum facere videtur Græcorum verſio, qui 1. *Sam*. 14. 32, 33. (ubi hæc phraſis occurrit,) על הדם σὺν τῷ αἵματι interpretantur. Quibus accedat, quod *ſuffocata* nullibi in lege, niſi hoc forſan in loco, diſerte prohibeantur. At rationes illæ huic interpretationi non multum firmitatis afferunt: ſatis enim e jam dicendis conſtabit, LXX eo in loco verba Hebræa haud adeo conſulto reddidiſſe; & (carnis morticinæ, laceratæ, & ſanguinis, eſu toties interdicto) nil opus erat, ut Deus ſuffocata, quæ ſanguine ſcatebant tota, lege aliqua ſpeciali ptohiberet.

a *Exec*. 18. 6. b *Lev*. 3. *ult*. & 7. 26. & 17. 10, 12. c *Deut*. 12. 16. & 15. 23. d *LXX*. in *Gen*. 9. 4.

1 Vid. Pag. 145. *Not*. 1. cui addi poteſt, כל & — על abeſſe *Deuteron*. 12. 16. & 15. 23. ad quæ *Spencer* ſtatim provocat. Cap. 12. legitur רק הדם לא תאכלו *tantum ipſum ſanguinem non comedetis*. Cap. 15. רק את דמו לא תאכל *tantum ſanguinem ejus non comedes*.

2 *Scholia Cyrilli* ita ſe habent, ἄλλος δὲ φάγεσθε ἐπὶ τῶν ὀιμάτων *Nobilius conjicit*, legendum αἱμάτων.

3. *Jonath. non comedetis de carne ullius hoſtiæ donec ſanguis ſteterit ſuper pelvibus.*

4 Juxta *Aquilam*. ἐν ψυχῇ αὐτοῦ αἷμα αὐτοῦ. *Symmachum*, ἢ σὺν ψυχῇ αἷμα αὐτοῦ.

QUARTO:

Quarto: ſentit *Maimonides*, cui & nos accedendum arbitramur, Deum legem hanc veterum Zabiorum moribus oppoſuiſſe, & non tam *civilem* in cibis ordinariis, quam *ſuperſtitioſum* in ritibus idololatricis, ſanguinis uſum his verbis inhibuiſſe. Nam veteres illi idololatræ præcipuam ſanguinis in ceremoniis ſuis rationem habuere, eum dæmonum cibum, & donum diis inferis gratiſſimum, exiſtimantes: nec quicquam ad obtinendam deorum ſocietatem & divinandi potentiam efficacius habuerunt, quam ſi ſanguinem aut carnes ſanguine fluentes ederent, vel *apud* aut *ſupra* ſanguinem beſtiæ dæmonibus immolatæ convivia magica celebrarent. Hinc Sectæ illi ſolenne erat, mactato dæmonibus animali, ſanguinis partem comedere, vel ſanguinem in pulverem aut foſſam effundere, & ad eum, convivandi cauſa, frequentes convenire; ut cum dæmones animalis mactati ſanguine (uti creditum eſt) & ipſi carne veſcerentur, eorum uſum familiarem, & inde divinandi facultatem, ſibi conciliarent. Ne quis autem putet hæc ex vano hauſta, duo probaturus ſum. (1°.) Veteres idololatras hujusmodi ritum magicum in uſu habuiſſe. (2°.) Hanc legem ritui huic e regione adverſari. Sect. I.

SECT. I.

Multis evincitur veteres idololatras ad *vel* ſupra *ſanguinem ritu ſolenni comediſſe.*

IDOLOLATRAS e veteri Zabiorum grege, mactato dæmonibus animali, ſanguinis partem bibere, aut ad ſanguinem effuſum ſacrificii reliquias edere, conſueviſſe, (cum præſertim dæmones aut mortuorum umbras ad divinationem captandam evocarent) teſtimoniis humanis & divinis confirmari poteſt. Probatur teſtimoniis,

In priorum claſſe primas habeat [a] *Maimonidis* teſtimonium: *ſcito, quod licet* ſanguis *immundus & impurus admodum fuerit in oculis Zabiorum, tamen ab illis comeſtus fuerit; eo quod exiſtimarent, cibum hunc eſſe Dæmonum, & quod is qui eum comedit, hac ratione communicationem aliquam cum Dæmonibus acquirat, ita ut familiariter cum illo converſentur, & futura ei aperiant, prout vulgus Dæmonibus iſta attribuere ſolet. Fuerunt tamen quidam inter illos, quibus valde durum & difficile videbatur ſanguinem comedere, (eſt enim res a qua natura homo abhorret.) Hi mactantes beſtiam aliquam, ſanguinem ejus accipiebant, & in vaſe vel foſſula aliqua colligebant; carnem vero mactatam, circa illum ſanguinem in circulo ſedentes, comedebant; imaginantes ſibi, in hoc opere, ipſis carnem comedentibus, Dæmones illum ſanguinem comedere, & hunc ipſorum eſſe cibum; & hoc medio amicitiam, fraternitatem, & familiaritatem inter ipſos contrahi, quia omnes in una menſa edunt, & uno conſeſſu accumbunt: præterea opinabantur, Dæmones in ſomnio ſibi comparere, futura indicare, plurimumque prodeſſe* Humanis tibus,

Huic admodum affine eſt teſtimonium auctoris [b] libri *Zohar*, qui *Maimonidem* ſeculis aliquot anteceſſit: ille enim de variis incantationum ſpeciebus agens, & peritia illa magica qua Ægyptii כל בני עלמא *omnes per orbem homines* ſuperarunt; continuo addit, וכד מצראי וגו' *Et quando Ægyptii cœtum cogere volebant ad incantamenta ſua peragenda*, הוו נפקי לחקלא לטורי רמאי ודבחין דבחין ועבדין גומין בארעא וגו *ad agros exibant in montem excelſum, & mactabant ſacrificia, & faciebant* [*] *foveam in terra, & ſpargebant ſanguinem circa foveam illam, ſanguinis autem reſiduum in ipſam foveam congregabant: offerebant vero ſacrificia ſua malignis ſpiritibus, & ſimul conveniebant, & inter ſe familiaritatem contrahebant in illo monte. Iſraelitæ etiam, qui erant in ſervitute eorum, accedebant & diſcebant ab illis, & errabant poſt illos; juxta quod ſcriptum eſt*, [c] & non ſacrificabunt ultra ſacrificia ſua לשעירים hircis, poſt quos fornicantur. *Ex ea traditione intelligimus, quod eo tempore quo accedebant ad eos, & præparabant ſanguinem illum, & offerebant ſacrificia, congregabantur iſti ſpiritus maligni, & apparebant ipſis inſtar hircorum hirſutorum;* ומודעי להון מה דאינון בעיין *& notum faciebant illis quicquid quærebant.* Quibus verbis auctor ille, ritus hujus magici circumſtantias omnes, præter comeſtionem ſolennem, a *Maimonide* memoratas, enumeravit: at veri prorſus abſimile eſt, circumſtantiam illam defuiſſe, cum epulæ ſolennes ſacrificia pene ſemper ſequerentur, & ſacrificii dæmonibus oblati participatio, ad amicitiam & familiaritatem quandam cum iis conciliandam, plurimum valere crederetur.

a *Mor. Neb.* P. 3. c. 46. b In *Ervit.* in *Paras.* אחרי מות fol. 125. * Vid. *Lucian.* de *Aſtrolog.* p. 544. C
c *Lev.* 17. 7.

SECT. I.

In hanc rem teſtimonium etiam ſatis amplum perhibet [a] *Joſephus Albo*, qui de præceptis ritualibus verba faciens, *quæ mactantur extra Tabernaculum*, inquit, *primo interdicta ſunt, cum Iſraelitæ Ægypto egrederentur*, לפי שהיו שטופים בעבודת השדים והיו אוכלין על הדם ואוכלין חלב ודם וגו׳ *propterea quod tunc immerſi eſſent in cultu Dæmonum, & comederent ſuper ſanguinem*, & *comederent adipem & ſanguinem;* juxta morem proculdubio quem in Ægypto didiciſſent.

Divinis etiam tribus.

Tribus hiſce humanis, totidem divina, i. e. e ſacris literis deprompta, ſubjungam teſtimonia. Horum primum nobis ſuppeditant *Propheta* [b] verba על הדם תאכלו *ſuper ſanguine comeditis, & oculos veſtros levatis ad idola veſtra, & ſanguinem funditis, & vos terram poſſidebitis? Stetiſtis ſuper gladio veſtro, feciſtis abominationem*, &c. Prophetam hoc in loco ritum aliquem idololatricum perſtringere, res aperta eſt, nec ullam dubitationem recipit: nec magis dubitari poſſit, quin locus exponi debeat de Gentilium *juxta* vel *ſuper* ſanguinem comedendi ritu, cum ex umbrarum & inferorum alloquiis divinationem quærerent, præcipue uſitato. Cur ita exiſtimem hæc me movent: (1°.) [c] *Vatabli* verba, *quidam vertunt*, Juxta ſanguinem comeditis: *q. d. Poſteaquam vos ſacrificaſtis idolis, vos comeditis carnes ſacrificiorum veſtrorum juxta ſanguinem victimarum illis immolatarum.* (2°.) Vis ipſa & genuinus verborum Hebræorum ſenſus: nam vox על ſæpiuſcule *ad, juxta*, vel *ſuper, cum* autem vix unquam, denotat; nec phraſin illam, ulla in lege, merum ſanguinis eſum prohibente, uſurpatam reperire licet. (3°) Idololatræ, hoc in loco, eodem crimine & reatu onerantur, quo homo ille, qui non coram tabernaculo, ſed in apertis campis, animal aliquod occidiſſet. De eo enim dicitur, דם שפך *ſanguinem fudit*, *Levit.* 17. 4. & idem crimen idololatris his impingit Propheta, cum dicit, דם תשפכו *ſanguinem funditis.* Hujus rei nulla mihi cauſa probabilior occurrit, quam quod omnes, cum hi tum ille, eodem nefario ſcelere ſe obſtrinxiſſent, & ſanguinem in apertis campis aut monte aliquo, ad dæmones, quos שעירים vocarunt, alliciendos, effudiſſent? Hæc conjectura eo magis arrideat, quod Propheta non dicat aperte, idololatras illos ritus ſuos humano ſanguine polluiſſe. (4°.) Poſtquam hoc ritu defuncti eſſent idololatræ, oculos ſuos ad eorum idola, quaſi cum fiducia quadam, levaſſe dicuntur. Quid autem, niſi quod animalis oblati ſanguine, tanquam cibo gratiſſimo, Deos ſuos oblectaſſent, & in ſpem lætam venirent, fore, ut eorum gratiam inirent, futura cognoſcerent, & (Diis ſuis jam fœdere conjuncti) iis ſemper propitiis & benignis uterentur? (5°.) Idololatræ, quorum hic meminit Propheta, ceremoniam, magicæ ſanguinis effuſioni conjunctiſſimam, addidere: nam *ſuper gladiis eorum ſtetiſſe* dicuntur. Hujus ceremoniæ mentem quo dextre capiamus, ſciendum eſt, facili veterum fide receptum fuiſſe, dæmones & mortuorum umbras mucronis ſtricti fulgorem expaveſcere, eoque viſo ſe in fugam conjicere. Cum itaque mortuorum animas evocarent, ut guſtato ſanguine in foſſam effuſo ad interrogata reſponderent, ſe gladio munire ſolebant veteres magi, ut animo præſentiore ſacra illa horrida peragerent, & animas haud vocatas, a ſanguine bibendo, gladii fulgentis metu cohiberent. Cum itaque [d] Ulyſſes *Tireſiam* vatem conſultum iret, &, ut eum e mortuis eliceret, foſſam ſanguine undantem præparaſſet, hæc verba dixiſſe fertur;

Αὐτὰρ ἐγὼ ξίφος ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ
Ἥμην, οὐδ' εἴων νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα
Αἵματος ἆσσον ἴμεν, πρὶν Τειρεσίαο πυθέσθαι

Cæterum ego gladio acuto ſtricto a femore
Ibam, neque ſinebam mortuorum inania capita
Ad ſanguinem prope accedere, antequam Tireſiam conſuluiſſem.

Hiſce poſt interjecta nonnulla ſubnectuntur,

Ἥμεθ' ἐγὼ μὲν ἄνευθεν ἐφ' αἵματι φάσγανον ἴσχων

Sedebamus (ad convictum) *ego vero ſuper ſanguinem gladium tenebam;*

nempe ut reliquas animas a ſanguine arceret, cujus bibendi deſiderio maximo teneri credebantur. Cum itaque *Tireſias* evocatus ſe præſentem ſiſteret, ſic *Ulyſſem* allocutus eſt:

a *Sepher. Ikkar. diſc.* 3. c. 16. Fol. 89. col. 1. b *Ezec.* 33. 25, 26. c *Comment.* in loc. d *Ap. Homer. Odyſſ.* 11. verſ. 48.

Ἀλλ'

SECT. I.

Ἀλλ' ἀποχάζεο βόθρου, ἄπισχε δὲ φάσγανον ὀξὺ,
Αἵματος ὄφρα πίω, καί τοι νημερτέα εἴπω·

Sed retrocede a foſſa, & remove enſem acutum,
Sanguinem ut bibam, & tibi vera dicam.

Hiſce cognata maxime quæ habet *Sil. Italicus.*

—— Contende tueri,
Eductumque tene vagina interritus enſem.
Quacunque ante anima tendunt potare cruorem
[1] *Disjice.*

Cum itaque mos ille apud Magos antiquos obtinuerit, ſi præſertim mortuorum animas ad res futuras præſentiendas excitarent; animum ſuſpicari ſubit, idololatras, quos hic Propheta memorat, gladios in parato habuiſſe, ut umbras aliquas ad ſanguinem effuſum venientes fugarent, aut eos animo conſtanti & impavido alloquerentur. Hanc conjecturam eo majoris æſtimo, quod optime cohæreat cum verbis ſequentibus, *& operamini* * *abominationem:* nam inde conſtet, idololatras illos, non homicidii perpetrandi, ſed idololatriæ vel magiæ exercendæ cauſa, gladios ſuos tam arcte tenuiſſe. Sed hæc forte me longius tulere, quam par erat.

SECUNDO: ad fidem jam dictis aſſerendam, ſatis amplum occurrit teſtimonium, *Levit.* 17. 5, 6. *Sacerdoti* afferant filii Iſrael hoſtias ſuas, quas occidunt in agris, ut ſanctificentur Domino ante oſtium tabernaculi teſtimonii, & immolent eas hoſtias pacificas *Domino.* Quibus verbis, quamvis haud aperte dicatur, animalia dæmonibus immolandi, & circa ſanguinem effuſum ſolenniter epulandi, morem inter ethnicos Iſraelitas obtinuiſſe; hoc tamen e mandati illius materia, forma, fine, tempore, & pœna annexa, non obſcure colligendum eſt. (1°.) Ex ipſa mandati materia. Quid enim Iſraelitæ, animalia mactantes, non in altaribus, ſed apertis campis ſanguinem effunderent, niſi ut, ritu illo, ſe in honorem dæmonum, agros & loca deſerta incolentium, animal mactare, & in illorum gratiam ſanguinem effundere, teſtatum facerent? Et quid Deus animalia, ad cibum quotidianum parata, hoſtiarum pacificarum ritu [i. e. coram tabernaculo] occidi juſſerit, niſi, ut ea lege caveret, ne Iſraelitæ על־פני השדה *ſuper faciem terræ*, ſanguinem effunderent, adeoque cibum ſuum dæmonibus conſecrare, & cum iis (qui ſanguinem bibere credebantur) ſocietatis & amicitiæ jura colere, viderentur? Huc ſpectant [a] *R. Moſis* verba: *quia in rebellione & contumacia ſua perrexerunt* Iſraelitæ, *& in eo, in quo educati fuerunt, continue progreſſi ſunt, ſocioſque ſe dæmonibus præbuerunt, circa ſanguinem comedendo, ideo præcepit Deus — ut omnia ſacrificia,* ſint pacifica, i. e. coram tabernaculo mactata. (2°.) Idem ex ipſa mandati præſtandi forma diſcere licet: nam curavit Deus, non tantum ut animalia mactanda coram taberoaculo ducerentur, ſed ut ſanguis eorum in altare [b] funderetur. Quid autem hoc in mandatis dedit, niſi ut omnis, ſanguinem in dæmonum honorem in agris effundendi, & circa eum ritu gentili comedendi, occaſio tolleretur? (3°.) Iſraelitas hoc in moribus habuiſſe, mandati finis luculenter oſtendit. Cauſam enim cur Deus animal quodvis coram tabernaculo mactari, & ſanguinem ejus ſuper altare fundi juſſit, e verbis ſequentibus intelligitur; *& nequaquam ultra immolabunt hoſtias ſuas dæmonibus, cum quibus fornicati ſunt.* Quaſi antea, animalis cujuſvis mactati ſanguinem in apertis campis, a dæmonibus bibendum, effundere ſolerent, & ritu illo, tanquam ſigno probe cognito, teſtatum darent, ſe, non Deo, ſed Diis inferis & agrorum præſidibus, beſtiam illam conſecrare, & cum iis ſocietatem colere. (4°.) Hic etiam momenti aliquid habeat ipſum tempus quo ſolo præceptum illud Iſraelitas devinctos tenuit. Deus enim, præceptum illud [c] tunc ſolum vim legis habere voluit, cum Iſraelitæ in deſertis agerent, adeoque, ex incolatus Ægyptiaci memoria, in mores Ægypti maxime propenderent, & dæmonibus, obvia facilique familiaritate, conjungi poſſent. Non enim abſurde creditur, ſub eccleſiæ Judaicæ primordia, [d] dæmones in locis deſertis habitaſſe, & frequenter apparuiſſe; in urbibus autem, & locis hominum frequentia circumfuſis, vix unquam ſe publice videndos & alloquendos præbuiſſe. Hinc itaque promptum eſt colligere, Iſraelitas, in deſerto oberrantes, ſanguinem in agris effundendo, aut juxta ſanguinem effuſum comedendo, ſocieta-

* *Idololatria* ſæpe *abominatio* dicitur in *vet. Teſtamento.* a *Mor. Neb.* Part. 3. cap. 46. b Καὶ προσχεεῖ ὁ ἱερεὺς τὸ αἷμα ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον *LXX.* in *Lev.* 17. 6. & *Deut.* 12. 27. c *Deut.* 12. 20, 21. 22. d *V.* Lib. 3. *Diſſert.* 8. & *Seld.* l. 2. De *Synedr.* p. 201.

1 Lib. 13. verſ. 444. In quibuſdam *Exemplar. diſſice*: aliis *diſcite*: Vid. *Drakenborch.* in loc. p. 665.

 tem

SECT. I. tem cum dæmonibus iniiſſe; & Deum, ut huic malo portam occluderet, animalia omnia coram tabernaculo & ſe quaſi ſpectante mactari, eorumque ſanguinem in altare ſuum effundi, præcepiſſe. (5°.) Malum illud, tum culpæ tum pœnæ, quo legis hujuſce tranſgreſſores onerantur; indicio eſt, Deum ritui (quem dixi) magico eam oppoſuiſſe. Malum illud, non ſine admiratione recolendum, ipſis legiſlatoris verbis accipiamus: [a] *homo quilibet de domo Iſrael, qui mactaverit bovem aut ovem, ſive capram, -- & non adduxerit eum ad oſtium tabernaculi, -- oblationem Domino, -- ſanguis imputabitur viro illi, -- & excidetur vir ille de medio populi ſui.* Quid autem ſummus legiſlaror animal extra caſtra mactanti cædem imputaret, eumque e populo ſuo tollendum decerneret, niſi quod ſanguinis in campis effuſio ritus plane magicus, & ſocietatis cum dæmonibus initæ ſignum, tunc temporis haberetur? & forſan religio omnis peſſum iviſſet, niſi Deus in criminis tam nefarii reum ſeveritatis plane ſingularis exemplum mature ſtatuiſſet. A nobis hac in re non multum diverſus eſt [b] *Abarbanel*, qui, aliorum ſententiis recenſitis, ſic propriam exprimit, אבל היותר נכון אצלי הוא שהאיש השוחט ההוא בהיותו סבה שבני אדם יבואו ויאכלו שם על הדם הנשפך בשדה וגו׳ *Verum quod mihi probabilius videtur, eſt, quod vir ille qui ſic mactat, in cauſa ſit, ut homines accedant & comedant ibi ſuper ſanguinem effuſum in agris ex illa mactatione. quod eſt e cultu dæmonum; eratque mactator ille ac ſi mortem & exciſionem attuliſſet omnibus, qui ſacrificabant in eo die.*

TESTIMONIUM tertium, quo veteres idololatras juxta ſanguinem, ritu magico, comediſſe conſtet, petitur e lege illa [c] toties repetita, *Deut.* 12. 16. *Sanguinem non comedetis, ſuper terram effundetis illum ſicut aquam:* h. e. Eum quaſi rem profanam, cujuſmodi eſt aqua, & nullo ritu religioſo cohoneſtatum, effundetis. Lex eadem, verbis licet haud prorſus iiſdem, traditur, *Levit.* 17. 13. *Vir quivis e filiis Iſrael, -- ſi venatione &* aucupio ceperit *feram vel avem, quibus veſci licitum eſt, fundat ſanguinem ejus, & operiat illum pulvere.* Quid autem Deus leges de re tam levi conderet, eaſque toties inculcaret niſi ut occurreret dogmatis & inſtitutis ſuperſtitioſis, ſeculo illo late propagatis? Si res tam obſcura conjecturam pateretur, dicerem idololatris Orientalibus in more fuiſſe, ut, aves aut beſtias ad cibum mactantes, earum ſanguinem ritu aliquo ſuperſtitioſo adhibito effunderent, eaſque ſigno aliquo dæmoni alicui conſecrarent: nonnunquam, hoc vel illud animal mactantes, ſe illud [d] nomine idoli facere palam profeſſi ſunt; quandoque ſanguinis effuſi partem aliquam comederunt; quandoque ſanguinem nullo pulvere copertum in mediis campis reliquerunt; ut plurimum vero partes aliquas animalis circa ſanguinem effuſum una manducarunt; ſerio perſuaſi, ſanguinem dæmonibus in cibum cedere, & ſeipſos ritibus illis eorum gratiam & ſocietatem ſibi conciliare. Ad craſſiorem illam opinionem de diis gentium, quæ multorum animos ſeculis antiquis occupavit, alluſum videtur, *Pſal.* 50. 12. *Si eſurirem*, nil opus eſſet mihi *te* convenire, *mihi*, inquam, cujus *eſt Univerſum & plenitudo ejus.* Putaſne *me veſci carne taurorum, aut bibere hircorum ſanguinem?* Quaſi dixiſſet, "quiſquamne adeo mente vacuus eſt, "ut e deorum ethnicorum indole majeſtatem meam æſtimet, & putet me (quod de iis "[e] vulgo creditum) carnem aut ſanguinem oblatum, ad famem aut ſitim ſedandam, im"penſe deſiderare? Sed eo redeo unde pauliſper deflexi: cum hujuſmodi mores & dogmata circa ſanguinem olim obtinuerint, æquum eſt opinari, Deum ideo ſanguinem, velut aquam, effundere, eumque pulvere operire, præcepiſſe; ne Iſraelitæ dæmonum favorem ex oblato ſanguine captarent, aut ad ſanguinem effuſum epularentur, aut ſocietate & fœdere aliquo iis conjungi viderentur. His omnibus nonnihil præſidii præbet [f] *D. Thomæ* teſtimonium, *quia* idololatrarum *conſuetudo erat, ut circa ſanguinem* in foſſa *congregatum adunarentur, ad comedendum in honorem idolorum, quibus* putabant *ſanguinem acceptiſſimum eſſe; ideo Dominus mandavit*, ut *ſanguis effunderetur, & pulvere operiretur.* Hæc auctor ille (ni fallor) hauſit e fontibus *Maimonidis*, [g] qui de hac lege diſſerens, hæc habet; *præcepit Deus, ut omnium ferarum & volucrum licitarum ſanguis, ubi mactata fuerint, pulvere operiatur, ita ut non poſſint* homines *circa illum convenire & comeſſari; atque ita irrita reddatur fraternitas inter illos, quos in rei veritate Dæmon poſſidet.*

a *Levit.* 17. 3, 4. b *Ad. Lev.* 17. Fol. 253. col. 2. c *Deut.* 12. 24. & 15. 23. d *V. L'Empereur* in *Jachiad. Paraph.* in *Daniel.* 1. p. 19. e *Deut.* 32. 38. f *Prim.* 2. *Qu.* 102. art. 6. g *Mor. Neb.* P. 3, c. 46.

SECT.

Sect. II.

SECT. II.

Deum legem illam de nou comedendo ad ſanguinem Zabiorum ſuperſtitionibus oppoſuiſſe, probatur teſtimoniis & aliis argumentis.

PERSPICUUM me feciſſe arbitror, idololatras antiquos, oblato animali, *ad* vel *ſuper ſanguinem*, ritu ſolenni, nnn raro comediſſe. Id jam proximo incumbit, ut apertum faciam, Deum hanc legem ſanxiſſe, ut omnia ſupetſtitionis illius veſtigia aboleret. Deum ea de cauſa hanc legem ſtatuiſſe, teſtimoniis & argumentis (quæ vocant) artificialibus evinci poteſt. Primo teſtimoniis,

INTER teſtimonia huic veritati fidem aſtruentia, primas haud immerito Græcorum verſioni tribuamus: ſic enim hanc legem teddunt, [1] μὴ ἔδεσθε ἐπὶ τῶν ὀρέων, *non comedetis ſuper montes.* Hic ſe miſere torquent interpretes, & ſe in omne latus vertunt, ut cauſam expediant, cur Græcorum verſio tam longe tecedit ab Hebræorum exemplari. Nonnulli ſentiunt LXX, vitioſum codicem ſecutos, vitioſam tranſlationem ediđiſſe. Exiſtimant alii, LXX interpreres exemplar ſatis integrum habuiſſe, ſed literatum Hebræarum, ר & ד affinitate deceptos, ההרים *montes* pto הדם *ſanguinem* legiſſe & ἀβλεψίας ſuæ (cum litetæ figutæ conſimilis occurrunt) haud inſrequentis exemplum, hoc eriam in textu, ptæbuiſſe. Alii ſe perſuaſos habent, Scribas in lege tam verſatos, nihil huic crimini affine committere potuiſſe; ſed exemplar Hebræum, quod in uſu jam verſatur, corruptum fuiſſe, & הדם pro הרים (uti olim LXX legerunt) Sctibæ alicujus dotmiranris errore, in hodierna exemplaria irrepſiſſe. Conrendunt itaque nonnulli, qui LXX ζηλῶσι μὲν, ἀλλ' οὐ καλῶς, Codicem Hebræum, hoc loco & aliis non paucis, e Græco exemplari neceſſatio emendandum. Cum autem recepta lectio defendi poſſit, abſit ut eam, levi de cauſa, loco moveamus. Amo modeſtam illam Criticorum gentem, qui auctores proſanos, multo magis ſactos, timide & cum religione quadam rractate ſolent, nec in iis neſcio quæ menda ſuſpicari, ne quid ipſi neſcite videantur. Ne lectori tædio ſim: animum inducere non poſſum, ut ſenriam, quicquam hic (in codice Græco vel Hebræo) correctrice Criticotum manu indigere; cum omnia exemplaria Hebræa, verſiones etiam omnes ad exemplaris Hebræi fidem adornatæ, & verſionis Græcæ exemplaria omnia quæ mihi vidiſſe contigit, hic plane conſentiant, & lectioni hodie recepıæ ſuffragentur. Apud me veri fidem habet, LXX, noo caſu vel ertore aliquo, ſed ex deſtinato, hic ab Hebræo nonnihil deflexiſſe, & non tam verborum vim & prnptietarem, quam mentem & ſenſum, exprimere ſtuduiſſe; nempe ut lex hæc, ſuperſtitioſum ſanguinis uſum in montibus ptohibens, a legibus aliis quæ civilem ſanguinis uſum, in cibo vulgari, vetant, aperte diſcerneretut. Hanc conjectutam, per ſe quidem probabilem, hæc ptophetæ loca, collata, non parum coofirmabunt: Τῶν LXX

Ezech. 18. 5, 6.	*Ezech.* 33. 25.
Vir qui *fuerit juſtus*, καὶ [a] ἐπὶ τῶν ὀρέων οὐ φάγεται, *& ſuper montes non comederit, nec levaverit oculos ad idola domus Iſrael, &c.*	*Sic dicit Dominus Deus,* על הדם תאכלו *ſuper ſanguinem comeditis, & oculos veſtros levatis ad idola veſtra.*

E locis hiſce parallelis aperte conſtat, *edere ſuper ſanguinem* & *edere ſuper montes*, flagitium aliquod cum idololatria proxiine conjunctum denotaſſe, & antiquos phraſes illas, utpote ſenſus conſimilis, promiſcue uſurpaſſe; Prout enim LXX, *edere ſuper ſanguinem*, per phtaſin illam, *edere ſuper montes*, hic interprerantur: ira *Ezechiel*, *edere ſuper montes*, per *edere ad* vel *ſuper ſanguinem* tanquam verba ἰσοδύναμα, explicare videatur. Ideo vero Propheta, & eum (forte) hoc in loco ſecuti LXX, phraſes illas indifferentet uſurparunt, quod idololatræ veteres (uti nos docuit [b] liber *Zohar*) *ad ſanguinem comedendi* ritum in montibus plnrimum exercuerint. Cum enim ritu illo, divinandi & mortuorum umbras evocandi cauſa, uterentut; conſentaneum videbatur, ut eum in monte aliquo celebratent, ubi heroes, quos conſultum ibant, ſepulturæ

a *LXX. in loc.* b *Ub. ſupr.*

1 Vid. Pag. 376.

SECT. II. plurimum tradebantur. Hoc e verbis [a] *Iſidori* diſcimus: *apud majores, potentes aut in montibus, aut ſub montibus, ſepeliebantur. Inde tractum eſt, ut* poſtea *ſuper cadavera aut pyramides fierent, aut ingentes columnæ collocarentur.* Hiſce conſentiunt *Lucani* illa, lib. 8.

Et regum cineres extructo monte quieſcunt.

Juxta temporum antiquiorum conſuetudinem, *Moſes* in monte [b] *Nebo*, *Aaron* in monte *Hur*, *Joſhua* in [c] monte *Ephraim*, *Eleazar* in [*] colle *Phinees* ſepulturam invenerunt. Cum itaque heroas in montibus olim ſepelirent, & mortuorum animæ circa [d] ſepulchra ſua vagari crederentur; montes, ad eorum animas evocandas & conſulendas, loci præ cæteris idonei credebantur. Ideoque veteres idololatræ, oracula captaturi & ritus illos mortuorum umbris gratiſſimos (ſanguinis effuſionem & comeſtionem ad ſanguinem) peracturi, in montibus frequentes conveniebant: unde & *edere ſuper montes* inter prima flagitia merito numeratur, *Ezech.* 18. 6, 11, 15. cap. 22. 9. & 33. 25. Ex hiſce conſtet, LXX (a quibus paululum digreſſi ſumus) hanc legem ne edite ad ſanguinem per μὴ ἔσθετε ἐπὶ τῶν ὀρέων, tranſtuliſſe; ad indicandum, ritum illum magicum, *ad ſanguinem comedendi*, in montibus ut plurimum uſitatum, verbis hiſce prohiberi: aliter enim ne conjectura quidem aſſequi licet, cur ab exemplari ſuo tam longe recedendi ſibi licentiam ſumpſerint.

Aquilæ. SECUNDO: ſententia noſtra *Aquilæ* teſtimonio firmari poteſt, qui ſic legem quam præ manibus habemus interpretatur, [1] οὐ φάγεσθε ἐπὶ τοῦ δώματος, *non comedetis ſuper domate*, vel *tecto*. Sic *Aquilam* tranſtuliſſe conſtet e *Catenis Græcis*, in quibus *Aquilæ* verſio ab eorum verſione qui ſcripſerunt αἵματος, clare diſcernatur. Hic autem miſere laborat interpretum ola mater, ut cauſam vel probabilem proferant, cur voces illæ על הדם per ἐπὶ τοῦ δώματος ab *Aquila* verterentur: *Grotius* exiſtimat vocem הדם apud Ægyptios *montem* aut *ſolarium*, vel utrumque ſignificaſſe, ideoque LXX per ὀρέων, *Aquilam* per δώματος, eam reddidiſſe. Auctor nuperus, primæ inter doctos notæ, Hebræum codicem, non הדם ſed הרם *Aquilæ* tempore habuiſſe ſentit, & *Aquilam* (quod הר *excelſum* aut *elevatum* quandoque denotet) δῶμα tranſtuliſſe. [2] *Druſius* nodum quem ſolvere non norat, ſecare ſatagit, & *Aquilam*, αἵματος, *Scribam* autem aliquem (ex incuria) δώματος, ſcripſiſſe conjicit. At quis non videt has conjecturas plane coactas eſſe, & ab interpretibus, ad anguſtias redactis, veluti effugia quædam, excogitatas? Multo probabilius eſt, *Aquilam* non tam legis hujuſce ſenſum grammaticalem quam logicum reddere ſtatuiſſe, & על הדם eodem conſilio per ἐπὶ τοῦ δώματος, quo LXX ἐπὶ τῶν ὀρέων, tranſtuliſſe; nempe ut doceret, non tam civilem ſanguinis uſum in cibis, quam ſuperſtitioſum in montibus & excelſis, vel (quod perinde eſt) in domuum tectis, hac in lege prohiberi. Nam e Scripturis apparet, idololatras antiquos, non tantum ſuper montes & excelſa, ſed ædium domata, & altaria ibi conſtructa, cultus ſui ritus peregiſſe. Occurrunt 2 *Reg.* 23. 12. [3] τὰ θυσιαστήρια τὰ ἐπὶ τοῦ δώματος τοῦ ὑπερῴου τοῦ Ἄχαζ. Et [e] *Jeremiah*, de *Chaldæis* loquens, *venient*, inquit, καὶ κατακαύσουσι τὰς οἰκίας, ἐν αἷς ἐθυμίασαν ἐν αὐταῖς ἐπὶ τῶν [f] δωμάτων αὐτῶν τῇ Βάαλ. Neque vero idololatræ ſolummodo, nequiſſimi hominum, ſed Magi & Venefici, nequiſſimi idololatrarum, in [g] domatibus ſacra ſua nefaria procurabant. Inde Veneficæ *tegulariæ* appellantur, in *Gloſſario* quod D. *Iſidori* nomine circumfertur; *eo quod iis ſupra tegulas ſacrificare mos eſſet.* Orientales autem ædes habebant hujuſmodi officiis præſtandis maxime accommodatas, quod in ſumma domo trabes in transverſum ponerentur. Orientales, [h] inquit S. *Hieronymus*, *non habent in tectis culmina: ſed iis domata*, *quæ* apud nos *tecta*, *Romæ ſolaria*, vocantur. Cum itaque *domata* illa montium & excelſorum vicem præſtarent, & ritus idololatrici magicique ſuper ea non raro peragerentur; non temere ſentimus *Aquilam* hic verba Hebræa per ἐπὶ τοῦ δώματος tranſtuliſſe, ut ſuperſtitioſam *ſanguinis* vel ad *ſanguinem* comeſtionem, in *domatibus* uſitatam, hic vetitam eſſe ſignificaret: aliam verſionis hujus rationem, probabilitatis alicujus ſpecie commendatam, mihi ne divinando quidem aſſequi datum eſt.

a *Origin.* Lib. 15. c. 11. b *Deut.* 32. 49, 50. c *Joſ.* 24. 30. * v. 33. d *Iſa.* 65. 4.
e Cap. 32. 29. f Vid. etiam *Zeph.* 1. 5. & *Jer.* 19. 13. g Vid. *Laur. Ramirez. Pentecontarc.* p. 225.
h *Epiſt.* 135. *ad Sunniam & Fretel.* Tom. 2. col. 654.

1 Vid. Pag. 276. Not. 2.
2 Vid. *Druſii Fragment. Vet. Interp. Græc.* ex Cap. 19. *Levit.*
3 Juxta Editionem Complut. ἃ ἦν ἐπὶ τῶν δωμάτων τῶν ὑπερῴων

TERTIO:

Tertio: *Maimonides* etiam teſtimonio ſatis amplo ſententiam noſtram communi- Sect. II.
vit, *Mor. Neb.* P. 3. c. 46. Ubi ait, *beſtiarum omnium, quæ mactantur, ſanguinem,*
Deus *juſſit effundere, etiamſi non ſint oblationes, Deut.* 12. 16. *Poſt hæc prohibuit quo-* Maimonidis.
que convenire vel congregare ſe circa ſanguinem, & ibi epulari, dicendo, [a] *non come-*
detis ad *vel* apud *ſanguinem.* Neque res hæc *Maimonidis* unius teſtimonio nititur:
alios enim auctores, mihi licet ignotos, eandem ſententiam approbaſſe, ſatis e *P. Fa-*
gii verbis in hanc legem intelligitur; *varia eſt interpretum ſententia de* hac lege: *ſunt*
qui ſcribunt, Iſraelitas obtuliſſe in Ægypto ſacrificia dæmonibus, quos Schedim *vocant,*
& poſtea, juxta effuſum ſanguinem, quo magis dæmones placarent, comediſſe reliqui-
as ſacrificiorum: & hunc ritum idololatricum hic vetare Deum.

Sententia noſtra teſtimoniis munita, in id proximo incumbendum eſt, ut ei ar- Et aliis argumentis.
gumentis artificialibus fidem afferamus.

1°. Horum primum petitur e nativo verborum ſenſu: nam lex ea לא תאכלו על הדם
ſi ad verbum interpretemur, apte redditur, *non comedetis* ad *aut* ſuper *ſanguinem.* Vo-
cem על *ad* vel *ſuper* proprie denotare, multis exemplis (ſi nugas agerem) oſtendi
poſſit. Lector exemplo uno & altero diſcat alia: *Gen.* 16. 7. *Et invenit eam angelus*
Domini על עין המים *juxta fontem aquarum,* vel, uti vertunt LXX, ἐπὶ τῆς πηγῆς τοῦ
ὕδατος *Job.* 1. 14. *Et aſinæ paſcebantur* על ידיהם [1] *apud, coram illis,* aut uti *Chald.*
reddit, על סטריהון *ad latera eorum.* Hunc ſenſum *Græci* voci על hoc in loco, tri-
buendum cenſuerunt, eam per ἐπὶ transferentes. Atque ita vocem hic reddendam eſſe,
diſcere licet e loco parallelo, 1 *Sam.* 14. Cum enim populus oves & boves *in terram*
mactaſſet, & urgente fame, carne על הדם [b] *juxta ſanguinem,* vel in ipſo ſanguinis
effuſi loco, veſcerentur; re *Saulo* nunciata, ait, [c] *prævaricati eſtis: volvite ad me* jam
nunc ſaxum grande. Et dixit, adducat ad me unusquisque bovem ſuum & arietem,
& occidite ſuper iſtud, & veſcimini, & non peccabitis Domino, comedendo על הדם
ſuper aut *juxta ſanguinem.* Quibus verbis, על הדם *vers.* 32. hic per אל הדם
tanquam voces ſynonymas, explicantur: אל autem, *ad, juxta, ſuper,* & *coram,* nota-
re, norunt omnes, qui vel primam linguæ Hebrææ tincturam imbiberunt. Inde etiam
interpretatio noſtra firmari poſſit, quod *Saulus,* ut populum a peccando cohiberet, a-
nimalia omnia, non ſparſim per caſtra, ſed ſuper lapidem unum, mactari juſſerit. Nam
per lapidem illum ſtetit, quo minus populus *ad* vel *ſuper* ſanguinem, utpote jam uno
io loco effuſum, edere poſſet; non autem obſtabat quo minus *cum* ſanguine, ſi vellent,
carnem ederent. Si quis hic mihi LXX opponeret, qui voces eas, על הדם per
σὺν τῷ αἵματι, hoc in loco transferunt; a LXX dormitantibus ad ſeipſos vigilantes appel-
larem: nam *Ezec.* 33. 25. hanc ipſam phraſin, על הדם per ἐπὶ τῷ αἵματι reddendam
cenſuerunt. Ἐπὶ vero, ſi præſertim *Dativum* regat, *ad, apud* vel *juxta,* denotare ſo-
let: nam [d] ἐπὶ τῇ προβατικῇ, *ad portam probaticam* ſeu *victimalem* notat; ἐπὶ Πριάμοιο δόμοισι,
apud *Homerum, ad Priameia tecta;* & ἐπὶ ποταμῷ *apud amnem,* pro παρὰ ποταμῷ, dixit
Thucydides. Sciat autem lector, me pro hac interpretatione non niſi modeſto ſtudio
contendere; cum plerique populum eo ſolo peccaſſe ſentiant, quod, urgente fame, non
adeo ſcrupuloſe & accurate carnem a ſanguine expurgarent.

2°. Secundo: aliud nobis argumentum ſuggerunt Hebræorum mores, a ſeculis (uti
putetur) antiquioribus propagati. Satis enim e Saulis hiſtoria modo memorata con-
ſtet, eos *ad ſanguinem* ullius animalis, licet ad cibum ſolummodo mactati, convivari,
nefas habuiſſe. Neque hic ſtetit religio Judæorum, circa ſanguinem occupata; cum
ne carnes quidem animalis Deo ipſi immolati guſtare voluerint, quamdiu ſanguis abla-
tus & effuſus non eſſet. *Notant* enim *Thalmudici,* referente [e] *Druſio, non eſſe come-*
dendam carnem ſacram, ante effuſum ſanguinem. Quid autem Judæi veteres a carnis,
tam vulgaris quam ſacræ, comeſtione, in ſanguinis vicinia, tam religioſe temperarent,
niſi ut legem hanc ne in ſpeciem quidem violarent? Norant ſcilicet antiquiores Hebræi,
Deum ritum illum (*ad* vel *ſuper ſanguinem comedendi*) hac in lege vetuiſſe, quod
gentes apud ſanguinem in montibus epulari ſolerent, eum dæmonum cibum exiſti-
mantes: illi itaque a comeſtione carnis juxta ſanguinem, quocunque loco vel con-
ſilio effuſum, abſtinuere; ut eo longius a legis hujuſce violatione recederent, nec
quicquam, mali vel ſpeciem habens, perpetrarent. Cum autem longi temporis in-

a *Lev.* 19. 26. b *Verſ.* 32. c *Gen.* 33. 34. d *S. Joh.* 5. 2. e *Fragment. vet. Interp. Græc.* in *Levit.* 19. 26.

1 עַל־יְדֵיהֶם, ad manus eorum.

SECT. II. jutia factum eſſet, ut Judæi moris illius occaſionem, & veram legis hujus intenrionem, penitus ignoratent; ſibi facile perſuaſerunt, legem hanc carnis tantum ſacræ comeſtionem, juxta ſanguinem effuſum, prohibete. Hac itaque pataphraſi [a] *Jonathan* legem præſentem ſatis explicandam cenſuit, *non comedetis de carne ullius victima, donec ſanguis ſteterit* [aut *erit*] *in pelvibus.*

3°. TERTIUM argumentum nobis exhibet peculiatis hujus mandati ptoponendi modus. Nam leges ſanguinis in cibis uſum prohibentes, non tantum a legislatoris auctoritate, ſed etiam rationis alicujus annexæ pondere, ſanctionem petunt. Sic enim ſe habet legum earum ſtylus; [b] *quia anima carnis* eſt *in ſanguine, & ego dedi* eum *vobis ſuper altare, ad expiandum pro animabus veſtris;* -- *ideo dixi filiis Iſrael, nemo e vobis ſanguinem comedet.* At lex ea quam ptæ manibus habemus, nullam rationem annexam habet, ſed verbis concepta eſt mandati abſoluti formam præſetentibus. Quid autem leges, affines adeo, modo tam diſſimili ttaderentut, niſi quod *edere ſanguinem* vel *cum ſanguine*, res indiffetens eſſet, nec mali vel ſpeciem habere ctederetur; ideoque pat eſſet ut Deus, ſanguinis eſum prohibens, legis ſuæ tationem aſſignatet, ne cum hominibus ex mero imperio agere videretur: at vero, *edere ad* vel *ſuper ſanguinem*, ritus etat idololattiæ ptoprius, ad ſocietatem cum dæmooibus ineundam excogitatus, & intet Magiæ cetemooias notatiſſimus: ideoque nil opus erat, ut Deus rationem redderet, cut ritum tanta infamia labotantem, & cum magia (ſpecie idololattiæ peſſima) conjunctiſſimum, prohibuetit.

4°. QUARTO: hinc etiam ſententia noſtra firmitatis haud patum nanciſcatur, quod lex hæc media ponatur intet leges quæ Zabiorum moribus & dogmatis adverſantut. Huic aſſertioni ne deſit fides, ptimo, lex proxime ptæcedens diligenter expendatur. Sic autem ſe habet: [c] *quando ingreſſi fueritis terram, & plantaveritis in ea* ligna pomiſera, poma quæ ptimo germinant, *erunt* immunda *vobis*, *tribus annis non* edetis ex iis. *Quarto autem anno, omnis fructus eorum ſanctificabitur Domino. In anno autem quinto, comedetis fructus eorum, ut uberes vobis proventus prabeant.* Quantum lex ea Zabiorum doctrinis & moribus adverſatur, ſatis nos docet [d] ille *Rabbinorum* coryphæus quem toties teſtem appellavimus. Ille vero teſtatum teliqoit, idololatras eos ſtatutum feciſſe, ut ex arboris cujusque ſtuctiferæ ptimitiis, pats una offeratur, altera in idolio comedatur; eosque inſuper addidiſſe, *arborem omnem exarituram & perituram de cujus fructuum primitiis non ita fieret, fructus ejus deciſuros, vel imminutot iri, vel certe aliud infortunium ipſi eventurum.* Ut itaque contra fidem & morem illum venitet Deus, eum præcepiſſe dicit, ut arbotum fructus omnes, tribus primis a plantatione annis, igni traderentur. *Quadam enim arbores*, ait ille, *fructus proferunt intra anni unius ſpatium, quadam poſt biennium, quadam poſt triennium,* —— *& ſummum tempus per quod ea, qua plantantur in terra Iſraelis, fructus ferre differunt, eſt triennium. Praterea, teſtatus eſt, quod, per fructuum iſtorum primorum perditionem, arborum fructus multiplicentur, dum ait*, ut multiplicent vobis fructum ſuum. *Fructus autem anni quarti coram Domino comedere pracepit, loco ejus quod* idololatræ *comedebant fructus primos in domibus idolorum ſuorum.* Manifeſtum eſt itaque, leges præcedentes contrarias ite *Zabiorum* dogmatis & inſtitutis. Deum leges etiam ſequentes (*non ominabimini, non obſervabitis tempora*) moribus eorum oppoſuiſſe, nemo dubitare poteſt, qui veterum ſcripta vel a limine ſalutavit. Cum itaque Moſes legem hanc intet leges ethnicorum motibus adverſas mediam collocaverit, conſentaneum eſt, ut & lex hæc mori (quem diximus) ethnico repugnare putetur; ne Moſes hic ἄμικτα μιγνύειν, nulla cognatione conjuncta commiſcere, cenſeatur. Neque ipſe petcipere potis ſum, cur Moſes hanc legem in legum Zabiiſmo tepugnantium claſſe poneret, niſi quod earum affinis eſſet, & ritum aliquem inter Zabios uſitatum prohiberet.

a *Paraphras.* in *Levit.* 19. 26. b *Levit.* 17. 11, 12. c *Levit.* 19. 23, 24, 25. d *Maim. Mor. Neb.* P. 3. c. 37.

CAP.

C A P. XVI.

Lex qua variæ divinandi ſpecies inhibentur.

INTER artes eas quibus dæmones olim ſcientiæ & potentiæ divinæ fidem ſibi conciliarunt, & homines a Dei lege cultuque ſeduxerunt; variæ divinationis & magiæ ſpecies, a ſeipſis excogitatæ, non immerito oumereotur. Cum enim divinatio, ſcientiæ; & magia, potentiæ, humana majoris, ſpecie commendarentur; nil mirum ſi facile vulgus artium tam ſplendide mentientium ſulgore allicerentur; & diabolum, artium illarum magiſtrum, tanquam numen quoddam, ſuſpicere ſolerent & venerari. Deus itaque, ut iſtas idololatriæ radices extirparet, ſtatuta quædam promulgavit, quibus vanitates illæ vetitæ ſunt, & Iſraelitæ ab earum ſtudio & admiratione cohibentur. Cum autem laboris mihi impoſiti ratio jam poſtulet, ut ſtatuta idololatrarum antiquiorum moribus oppoſita (qua licet) explicarem; inſtituto præſenti congruum eſt, ut leges omnes, aut ſaltem *præcipuas*, eorum divinationibus inimicas in medium proferrem, & a vetuſtatis caligine liberarem. *Præcipuas* dixi: cui enim tædium non pariat & laſſitudioem, plena talium vanitatum enumeratio?

INTER eas autem leges prima his verbis expreſſa nobis exhibetur, לא תנחשו [a] *non augurabimini.* Hoc verbum quod attinet, eam admittit ſignificationis latitudinem, ut non adeo facile ſit illius intentionem pro certo determinare. Nam,

PRIMO: vocis hujuſce radix, נחש ſi ſtrictius accipiamus, ὀφιομαντείαν, divinationem a ſerpente captam, notat. Nam dubitare nequeo, verbum illud origioem a נחש *ſerpens* ducere, cujus, in divinationibus, incantationibus, aliiſque veterum ceremoniis, uſum præcipuum fuiſſe, multis teſtimoniis & indiciis, eruditionem non vulgarem olentibus, apertum fecerunt, [b] *Heinſius*, [c] *Bochartus*, [d] *Dion. Voſſius*, [e] *Seldenus*, alii. Ex eo uſu veniſſe cenſeo, quod vatum græcorum antiquiſſimus, *Ophiou*, id eſt, מנחש οἰωνιζόμενος appellaretur; quaſi ſerpentibus divinatione par eſſet, aut eos aotecederet. Hujuſmodi divinationem hic interdictam eſſe, promptum eſt opiuari; non tantum quod hæc ſententia vocis hujus originationi maxime conveniat, quod etiam hujuſmodi divinatio præ cæteris olim increbuerit: ſed quod ſerpentis antiqui nomen gerat, eique olim cum primis arriſiſſe videatur. Nam ſub forma ſerpentis non tantum ſæpiſſime coli voluit, ſed ſerpentis nomine frequentius innotuit *Græcis* & *Hebræis* antiquioribus, cum præſertim res divinationis ageretur. A Græcis antiquis, auguriorum præſes, i.e. diabolus, *Pythius* & *Python* dicebatur; vocibus illis a פתן derivatis, & ſerpentis ſpeciem denotantibus. Spiritus, in veteri *Teſtamento* memoratus, non raro dictus eſt אוב voce *ſerpentem* ſonante, uti poſt paginam unam & alteram oſtenſuri ſumus. Cum itaque tanta neceſſitudo inter diabolum & ὀφιομαντείαν olim intercederet, rationi congruum eſt, ut eam ioprimis hac in lege vetitam cenſeamus.

SECUNDO: vox ea תנחשו latius accepta, divinationem ab avibus hauſtam denotat. Nam (ut rem diſtinctius exprimam) veteres ea ſtulta ſuperſtitio tenuit, ut ſi aves hoc modo volarent, paſcerent, canerent, aut tripudiarent, rei proſperæ prænunciæ; ſi diverſo, ſiniſtri præſciæ, credebantur: ideoque ſignum aliquod ab avium volatu, paſtu, cantu, vel tripudio captum, ut aliquid futurum inde colligatur, hoc verbo prohiberi videatur. Atque hunc ſenſum huic voci tribuunt ioterpretes plerique veteres, *Vulgatus, Arabs, Syrus, Jonathan*, interpres *Hieroſolymitanus*, & *R. Selomo*. Hic interpretum conſenſus occaſionem præbuit *cl. Bocharti* verbis: [f] *nullus capio cur Hebræum verbum* נחש *quod a ſerpentibus duci palam eſt, potius ad* ὀρνιθομαντείαν, *referant interpretes, quam* ὀφιομαντείαν, *cujus exempla paſſim extant.* Nec ipſe quidem, niſi probabili conjectura *capio:* mihi nempe veriſimile ſit, interpretationem & conſenſum illum e Græcæ verſionis imitatione, ſed indocta (ſi fas dicere) primitus emanaſſe. Cum enim Lxx תנחשו per verbum οἰωνίζεσθε verterint, quod ſenſu maxime noto, *divinationem per aves* notat; hinc & interpretes illi veteres, Lxx ſecuti, vocem נחש ad ὀρνιθομαντείαν, potius quam ὀφιομαντείαν, retuliſſe putentur. Hic autem interpretes illi duces equidem peritos & oculatos, pede tamen errante, ſequebantur. Nam Lxx vocem תנחשו per οἰωνίζεσθε: apte quidem & erudite, reddiderunt; eo quod antiqui verbo οἰωνίζεσθαι ad divinationes non tantum ab avibus, ſed & ſerpentibus captas,

a *Levit.* 19. 26.
b *Ariſtarc. Sac.* p. 18. 19.
c De *Animal. Sac.* P. 1. col. 21, 22.
d In *Maim.* de *Idol.* cap. 6. §. 2.
e De *Dis Syr. Synt.* 2. c. 17.
f De *Animal. Sac.* lib. 1. col. 21.

 expri-

CAP. XV.

exprimendas uterentur. Aſſertioni meæ fidem conciliant hæc (obſcuriora licet) [a] *Heſychii* verba: οἰωνὸς, ὄφις. ἐπειδὴ γὰρ λέγεται ἐς τὰς μαντείας τοὺς ὄφεις ἔχειν, οὓς καὶ οἰωνοὺς ἔλεγον i. e. Οἰωνὸς *ſerpens eſt: dicitur enim, ſerpentes ad divinationes recte ſe habere, quos &* οἰωνὸς omina *vocabant*. Cum autem interpretes (quos dixi) veteres hæc vocis illius græcæ notatio fugeret, verbum תנחשו ad ὀρνιθομαντείαν ſolummodo referendum autumabant. Ex iis autem nemo majore cum ſtudio & induſtria, quam Syrus, hic erraſſe videtur, qui ſic ad hunc locum οἰωνίζω, לא תנחשון בחיות כנפא *non augurabimini in animali alato*. Hac autem lege, ὀρνιθομαντείαν aut *augurium* inhibente, opus erat, ne populus Iſraeliticus artem tam peſtiferam a vicinis Arabibus hauſirent, eaque ad alia περίεργα latam portam aperiret. E multis enim veterum teſtimoniis a [b] *Bocharto* congeſtis abunde conſtat, Arabes Antiquiores arti augurali mentes addixiſſe, ejus primos magiſtros extitiſſe; eoſque artis illius vocabula (quorum nonnulla in *Hebræorum* ſcriptis & *Chaldæis paraphraſibus* obſervantur) una cum arte ipſa ad *Orientales* e vicinia diffudiſſe.

Tertio: vox ea תנחו non tantum divinationes a ſerpentibus avibuſque, ſed & caſibus quibuſque fortuitis ortas, notare putetur. Huic enim notationi non obſcure favet hiſtoria *Bilhami*, qua vocem מנחש ab hoc verbo derivatam, inveniamus. Ibi vero vocem illam *ominum captatorem* vel *obſervatorem* ſignificare, ipſe contextus opinari docet. Moſes enim, de *Bilhamo* loquens, [c] *non ivit*, inquit, *hac vice, ut antea*, לקראת נחשים *ut advocaret* (aut captaret) *omina* vel *auguria*. Hunc autem ſenſum præ ſe ferunt ea Moſis verba: "*Bilhamus*, experientia triſti doctus, ſe fruſtra digredi, ut avium prætervolantium motum, omen aliquod, aut ſimile ſignum caſu oblatum, obſervaret; oraculo inſuper edoctus, omnia fauſta & felicia Iſraelitis eventura; viam omnium & auguriorum deſerendam ſtatuit, eamque ſolam ineundam quam Dei reſponſum indicaret. Cum hac paraphraſi non male cohærent verba Cap. vigeſimo tertio dicta; [d] *forsaſſe obviam fiet Deus mihi, & quamcunque rem oſtenderit mihi, indicabo tibi*. Hoc eſt, miſſis fallacibus illis omnium & auguriorum ſignis, ibo "ut experiar quale mihi ſignum Deus exhibiturus eſt, & illud tibi fideliter enunciabo. Atque hæc ſignificatio vocis hujuſce, conſono [e] *Maimonidis* teſtimonio non parum confirmatur; nam huic legi [לא תנחשו] lucem allaturus, hæc habet; היא הנחש *Hæc divinatio eſt, quando quis dicit, ſi offa ori exciderit, aut baculus manui, non accedam hodie locum iſtum; quia ſi id agerem, negotia non ſuccederent. Aut, ſi vulpes dextram meam prætergreſſa, non egrediar foribus domus meæ, ne forſan egreſſo obviam fiat impoſtor.——Etiam quando aliquod ſibi ſignum ſtatuunt homines, hoc animo; ſi iſthoc evenerit, faciam hoc; ſin minus contingat, non faciam*. Huic ſententiæ ſubſcripſit eruditus [f] *Cochus*, a quo מנחש [vox a נחש orta] ſic definitur, περιεργεῖ τῆς ἐνοδίων συμβόλων, φημῶν, οἰωνῶν, κληδόνων καὶ τοιουτοτρόπων φλυάρων μυρίων ἄλλων.

Cum e jam dictis eluceat, vocem נחש ſe late extendere, eamque ſignificationis ſuæ ambitu divinationes etiam per omnia vel ſigna fortuita continere; non temere colligitur, hunc etiam divinandi modum & ſpeciem hac in lege prohiberi. Eo minus hac de re dubitandum cenſeo, quod apertum ſit, hanc divinationis ſpeciem perantiquam fuiſſe, eamque etiam a patre mendaciorum originem derivaſſe. Nam [g] *Clem. Alexandrinus* Menandri *comœdiam*, cui titulus δεισιδαίμων, memorat, qua *Poeta* deridendos propinat eos qui caſum pene quemvis σημεῖον τινὸς *rei alicujus eventuræ ſignum* ſtatuebant. E caſibus hiſce fortuitis quidam ἐπίσημα σήματα *ſigna fauſta* vel *auſpicata* habebantur; quale fuit ἀστράπτειν ἐπιδέξια *a dextris fulgurare*, & alia ſimilia, quæ a [h] S. Auguſtino, *ſignificationum ſuperſtitioſarum* titulo colliguntur, & eo teſte, *ad ſerviendum dæmonibus adhibentur*. Illi vero qui ad hujuſmodi ſigna ſcrupuloſius advertunt animos, a [i] *Suida* δεισιδαιμονοῦντες ἐπὶ τοῖς σημείοις, *ſuperſtitioſi ſignorum obſervatores* appellantur.

a Ad *voc.* Οἰωνός. b De *Animal. Sac.* P. I. Lib. I. c. 3. col. 19. c *Numer.* 24. 1. d Cap. 23. 3. e De *Idololat.* Cap. 11. §. 4. f *Not.* in *Sanhedr.* c. 7. §. 7. g *Stromat.* Lib. 7. pag. 842. h De *Doctrin. Chriſt.* Lib. 2. cap. 20. *&c.* Tom. 3. Part. 1. col. 31.

s *Valeſius* δεισιδ. *&c.* ad *Polybium* refert. vid. *Excerpt.* p. 213.

CAP

CAP. XVII.

C A P. XVII.

De lege qua temporum obſervatio vetita eſt.

LEGUM Moſaicarum ſeries me jam dirigit ad legem illam illuſtrandam qua *temporum obſervatio* vetita eſt, quæque gentium moribus & dogmatis aperte ſatis adverſatur. Eam autem [a] *Lev.* 19. ſic expreſſam legimus, לא תעוננו

De verbi illius origine ſenſuque docti diverſa ſentiunt, nec operæ pretium eſt, opiniones eorum omnes in medium proferre, vel earum momenta ſcrupuloſius expendere. Notæ clarioris *auctores*, [b] *Maimonides*, [c] *R. Kimchi*, [d] *Johannes Cochus*, [e] *Amama*, [f] *Dionyſius Voſſius*, [g] *Interpretes Anglicani*, aliique, cenſuerunt, hoc verbum a עונה genus petere quod *tempus decretum & ſtatutum* ſonat; adeoque Deum, hac in lege, temporum [h. e. dierum aut horarum] obſervationem criticam & ſcrupuloſam vetuiſſe. Rem totam [h] *Fulleri* noſtri verbis paulo clarius exprimam: מעונן *is eſt, qui conſtituta & definita tempora boni vel mali, læti vel triſtis, proſperi vel calamitoſi eventus in omni negotio aggrediendo, viz. in vita inſtituenda, itinere ſuſcipiendo, conjugio contrahendo, legatione obeunda, bello gerendo, reliquiſque tot & tam variis caſibus privatis & publicis (qui mortalibus accidere ſolent) ex arte præſcire, & conſulentibus ſe prædicere profitetur.* Hoc ſenſu verba *Prophetæ* capienda cenſeo, [i] *pater tuus* [1] *adulter, mater tua* עוננה i. e. ſuperſtitioſa *temporum obſervatrix.* E quibus apparet, vanitatem iſtam altis radicibus defixam fuiſſe, eamque, veluti naturam alteram, furcis licet omnibus expulſam, quavis ætate recurrere voluiſſe. Ne vero in jam dicendis ordo deſideretur, oſtendam, Primo: cur obſervatio temporum tam caute & ſolenniter interdicta eſt. Secundo: cur hæc ſola præcepta [לא תנחשו ולא תעוננו] tanquam leges ſororiæ, hoc in textu conjunguntur?

Primo: cur *obſervatio temporum* tam caute & ſolenniter interdicta eſt. Ut huic quæſtioni plene ſatisfiat, variæ rationes aſſignandæ ſunt.

(1°.) Temporum obſervatio multiplicem περιεργίαν ſecum plerunque tulit, ἀστρομαντείαν ſcilicet, κληδομαντείαν, ῥαβδομαντείαν, ὀφιομαντείαν, aliaſque divinationis ſpecies, quibus arcte jungitur, & quibus, tanquam tot radicibus, niti ſolet. Temporum enim obſervatores hæc vel illa tempora, felicia & rebus aggrediendis amica; alia vero prorſus inauſpicata & negotiis adverſa, decreverunt; eo quod aſtra, vel aves, nubes, baculi, ſerpentes, aliave divinationis inſtrumenta, ſigna magis aut minus auſpicata præbere, adeoque tempus hoc aut illud nigro quaſi lapillo notare, viderentur. Καιροσκοπία ars erat e variis artibus ineptis plerunque conſarcinata; ſignis plerunque mutuatis innitebatur, & regulas admodum paucas ſibi ipſi proprias & quaſi domeſticas continebat. Quandoque ſcilicet artis hujuſce profeſſores dies aliquas infauſtas eſſe pronunciarunt, quod nubes aut aſtra vultu minus benigno terram aſpicerent; quandoque res malis auſpiciis gerendas aſſeruerunt, quod inauſpicatus avium aut ſerpentum motus, horam infelicem indicare crederetur: Atque inde veniſſe cenſeo, quod מעונן *temporum obſervatorem*, Lxx quandoque [k] ἀποφθεγγόμενον, [2] ſæpe [l] κληδονιζόμενον, modo [m] ὀρνιθοσκόπον, nonnunquam [n] οἰωνιζόμενον, vertendum judicarint.

(2°.) A gentis Judaicæ dignitate & gravitate prorſus alienum erat, ut animos adverterent ad multifaria illa rerum futurarum ſigna, quibus temporum obſervatores ſeipſos excruciabant. Cedo quemvis arbitrum, anne decorum aut conſentaneum erat, ut gens Deo dicata, & ſacro notata charactere, ad hujuſmodi regulas aut conſilia puerilia aures aut animos accommodarent; "non aggrediar quicquam hodie, quia Calen-" dæ ſunt, aut exitus ſeptimanæ: me domum recipiam, quia vulpis occurſus horam " minus auſpicatam indicat: nihil pecuniæ in uſum familiæ jam erogabo, quia non " bonum eſt hodie quicquam emere: adeſt jam menſis illius dies tertia, quam ſæpius

a *Levit.* 19. 26. b De *Idololat.* c. 11. §. 9. 10. c *Rad.* ענן d *Not.* in *Sanhed.* cap. 7. e *Cenſur. Vulg. Verſ.* in *Lev.* p. 182. f *Not.* in *Maim.* de *Idol.* p. 73. & 76. g In *Lev.* 19. 26. h *Miſcel. Sacr.* Lib. 1. c. 16. i *Ezec.* 16. 3. k *Mich.* 5. 12. l *Deut.* 18. 10. m *Lev.* 19. 26. n *Jer.* 27. 9.

1 In *Capite* quidem *illo* viz. *Ezek.* 16. propheta loquitur de *Hieroſolyma adulteris*, vitiiſque peſſimæ notæ: locus autem laudatus ita ſe habet; *pater tuus erat* האמרי *Amorræus*, *& mater tua* חתית *Cethæa*.

2 Ἀποφ. *Mic.* 5. 12. Hæc vox ἀποφ. ponitur in *Margine MS. Card. Barberini.* Juxta *MS. Alexandr.* κληδονιζόμενοι. *Verſionem Symmachi*, φαντασιοσκοπούμενοι.

CAP. XVII. "expertus ſum rebus meis minus auſpicatam, Homines qui actiones ſuas ad hujuſmodi regulas inanes compoſuerunt, ipſi [a] *Luciano* ethnico ludibria debuerunt; non erat itaque e dignitate populi, ſanctitatis & ſapientiæ nomine commendati rebus tam frivolis & ridiculis animos adhibere. Hæc ratio ex ipſa lege nonoihil firmitatis hauriat: ſic eoim Deus populum alloquitur, [b] *Deuteron.* 18. *Gentes iſtæ, in quarum hæreditatum tu venis,* אל מעננים [illegible] *ad obſervatores temporum & divinos auſcultabunt, tu vero non ita* facies. Quaſi dixiſſet, "non decet Iſraelitas, legis divinæ conſultos, & "ſapientiæ nomine paſſim celebres, hujuſmodi vana ſectari, vel ad modulum gentium "aliarum ſapere.

(3°.) Observatio temporum doctrina de duobus *Principiis*, ſibi mutuo ſemper adverſantibus, benigno uno, maligno altero, nitebatur, eamque maxime confirmabat. Ut rem totam magis explicate referam: Gentiles ſe perſuaſos habebant, hæc duo *Principia* ἀντίτεχνα fuiſſe, & inter ſe luctam perpetuam exercuiſſe. Credebant inſuper, principium benignum, rerum noſtrarum cura ſtudioque ductum, nobis omnia fauſta & felicia procurare velle: principium autem malignum tetricumque, mali ſtudio ſemper occupatum, omnia nobis adverſa machinari, & tempora caſuſque omnes infelices originem ab illius malignitate & iogenio tetrico derivare. Cum autem principium benignum non ea virtute polleat, ut principii maligni potentiam & invidiam ſuperet, & mala omnia impendentia ſemper amoliatur; in eo tamen benignitatem nobis commendat maxime, quod ſignis, ominibus, & quaſi nutibus quibuſdam, tempora nobis minus amica ſignificet, ut ab inceptis tunc temporis infeliciter eventuris abſtineamus. Ad hanc doctrinam alludunt *Poetæ* quandoque, ſed principia illa, *ſuperorum*, *Parcarum* aut *Fati*, nominibus exprimentes. Inter eos [c] *Ovidius*, de *Venere* loquens, hæc habet rei præſenti conſentanea:

Verba jacit: ſuperoſque movet: qui rumpere quanquam
Ferrea non poſſunt veterum decreta ſororum,
Signa tamen luctus dant haud incerta futuri.

Ad eandem doctrinam paulo clarius alludit *Silius*:

Heu vani monitus, fruſtraque morantia Parcas
Prodigia! heu fatis ſuperi [1] *certaſſe minores.*

Sed ut eo me recipiam, unde paululum deflexit ſermo quicunque tempora quædam auſpicata, quædam etiam infauſta, eaque certis ominibus aut ſignis diſcernenda, docet; eo ipſo fatetur, hæc duo principia vicibus incertis io rerum natura dominari; & artis eſſe de temporibus hujus aut illius imperio ſubditis bene judicare, ut incœpta proſpere cedant, & res humanæ tutius adminiſtrentur. Atque hac ratione, qui tempora tam ſolicite conſiderabant, diviſum imperium cum Deo dæmoni conceſſerunt, eique, licet ignari, cultum æqualem tribuerunt.

(4°.) Temporum obſervatio vetita eſt, eo quod opinio de diebus aut horis quibuſdam infauſtis & inauſpicatis, *Deo* ſimul & *homini* non leves injurias offert. *Deo* quidem: nam opinio illa dies aliquos [optima Dei dona & beneficia] [d] *atros*, *abominabiles*, *inauſpicatos*, & *nefaſtos*, *appellare* docet. Opinio illa dies & horas aliquas ſupponit, extra providentiæ divinæ limites, & cœco quaſi fato traditas: Dei præterea mandatum violare jubet, dum dies haud paucas, tanquam nefaſtas & rebus agendis inimicas, non labori, ſed otio turpi & meticuloſo dicare docet. Nec minus *homini* damnoſa eſt illa ſuperſtitio: ei nempe mentem timoris ſolliciti plenam affert, & Davus ille eſt qui vitæ negotia perturbat omnia. Quantas turbas Athenienſium rebus attulit olim, e verbis *Luciani* luculenter intelligitur: ἀποφρὰς ἡμέρα λέγεται ὅταν μήτε αἱ ἀρχαὶ χρηματίζωσι, μήτε εἰσαγώγιμοι αἱ δίκαι ὦσι, μήτε τὰ ἱερὰ ἱερουργῆται &c. *Apophras & quaſi dies ater vocatur, quando neque magiſtratus de rebus conſultant publice, neque lites in foro diſceptantur, neque ſacrificia peraguntur, neque quicquam eorum quæ more & auſpicato ſolent, tractatur.*

a *Pſeudologiſt.* pag. 891. 892. b *Deut.* 18. 14. c *Metam.* Lib. 15. v. 780. d Ἀποφράδα δὲ τὴν μιαρὰν, καὶ ἀπευκταίαν, καὶ ἀπαίσιον, καὶ ἄφημον ἡμέραν ὀνομάζεσθαι. *Lucian. Pſeudol.* p. 891. D e *Ub. ſupr.*

1 *Punic.* L. 5. *verſ.* 76. Apud *Barthii adverſar.* l. 5. c. 15. & *Lebr. Colon.* certare. *Heinſius* in *loc.* Vid. etiam doctiſſimum *Bentleium* in *Horat. Serm.* L. 2. *Ecl.* 3. *verſ.* 313.

(5°.)

(5°.) Temporum obſervatio, hominibus olim dæmones aut aſtra colendi occaſionem ingentem præbuit. Hæc enim obſervatio hominum animos ſignis & ominibus occupatos tenuit, aſtra tanquam futurorom indices admirari docoit, futura ſciendi ſitim accendit quæ homines ad Magos tandem conſulendos extimulavit, hominum ſtudia curis anxiis & ſollicitis a Dei legibos avocavit; eoſque tandem, ſignorom & ominum incertorum pertæſos, ad ſocietatem cum ipſis dæmonibus ineundam provocavit. In lege itaque, ubi a temporum obſervatione, & vanitate quavis alia, dehortatur; additur, [a] *perfectus eris cum Domino Deo tuo.* CAP. XVII.

Expedienдum eſt proximo, cur hæc ſola præcepta [לא תנחשו ולא תעוננו] tanquam leges ſororiæ, hoc in commate conjunguntur? Huic dubio anſam præbet notus [b] ille *Deuteronomii* locus, quo plores aliæ *divinantium* & *divinationum* ſpecies enumerantur, & expreſſe prohibentur: *non invenietur in te eranſire faciens filium ſuum & filiam ſuam in igne, divinans divinationes,* מעונן ומנחש ומכשף *obſervator temporum, ominator, præſtigiator, incantator, interrogans pythonem, magus, & quærens a mortuis.* Quamvis autem variæ divinationes in hac lege parallela recenſeantur, ratio non ona reddi poteſt, cur hoc in loco duæ tantum ſpecies earum ſimul interdictæ reperiuntur.

(1°. Observatio temporum, & divinatio per omina vel avium aut ſerpentum geſtus, parum in ſe criminis habuere, ſaltem ſi καθ' ὅλον judicemus. Nam περίεργα illa, temporum & ominum obſervationes, nondum ex hominum moribus evanuerunt, iiſque *vanitates* tantum videntur, ſtultitiæ quam nequitiæ citius arguendæ. Et huic opinioni nonnihil præſidii præbet modo citatus Deuteronomii locus, quo *Moſes* id agere videtur, ut קסמים omnes [*Divinos* quocunque titulo notos] enumeraret, eoſque, juxta varios nequitiæ ſoæ gradus, (ordine juſto) recenſeret. Incipit itaque catalogus a מעוננים & מנחשים *temporum & ſignorum obſervatoribus*, & tandem in *Magos* & *Necromantes*, ut notæ nigrioris peccatores deſinit. Cum itaque divinatores illi, populo judice, non adeo graviter peccarent, & pro ſtultis potius quam nebulonibus haberentur; Deus eos hic expreſſe prohibet, ne popolus ille primam divinationis ethnicæ tincturam imbiberet, aut מעוננים τοῖς מכשפים & illi grados altioris peccatoribus, aditum aperirent.

(2°.) Deus καιροσκοπίαν & κληδονομαντείαν, eaſque ſolas, hac in lege vetuit, forte quod vanitates illæ faſcinum quoddam peculiare ſecum traherent, & hominum animos multo facilius quam περίεργα quævis aliæ ſibi devincirent. Hæc eo fidentius aſſero, quod vanitates illæ ſeculis antiquioribus increbreſcerent, iiſque gentes pene omnes inficerentur. Superſtitionem καιροσκοπίας inter Græcos antiquiores invaluiſſe, ſatis intelligitur ex *Heſiodi* pœmate, quod pene totom io diebus aoſpicatis & infauſtis enumerandis occupatur. Eadem religio Romanos etiam inceſſit, qui dies aliquos *religioſos* & *feriatos* autumabant; iiſque Deos ſe minime propitios habituros, nec inceptum ullum exitum felicem ſortiri poſſe, credebator. Multa religionis hujus apud Romanos olim invaleſcentis teſtimonia congeſſit [d] *Heraldus*, a curioſis facile conſulendus. Eandem ſuperſtitionem Hebræorum etiam animis altius inhæſiſſe conjiciatur, qood eorum [e] *mater* עוננה [1] *temporum obſervatrix* appelletor; quaſi καιροσκοπικὴ, populo illi non tam ars eſſet quam natura, & a remotis majoribus una cum ſanguine propagata. Hebræos etiam, aliaſque gentes antiquiores, omina, auſpicia, aliaque ſigna furfuris ejuſdem, ſpectare ſolitos, ſatis e [f] legibus artium illarum exercitia prohibentibus intellectum eſt. Cum itaque vulgus incautum artiom earum contagione facilius inficeretur, ſummus legiſlator has leges dedit, ut eas inprimis e regno ſuo conjunctim exterminaret.

(3°.) Duæ illæ Divioationis ſpecies, hoc in textu vetitæ, affinitate propinqua divinationes alias attingebant, iiſque viam plerunque præſtruebant. Nam ſuperius adducta clare docent, verbum נחש ὀφιομαντείαν, ὀρνιθομαντείαν, ῥαβδομαντείαν, σημειομαντείαν, etiam continere; Καιροσκοπίαν autem, ἀερομαντείαν, κληδονομαντείαν, alioſque divioandi modos artibus hiſce miniſtrantes. Huic voci, & argumento præſenti, lux accedat e verbis [g] *Michaelis Glycæ*, ſi illum ſic per interpretem nos alloquentem audiamus: *Manaſſes -- copias cœli univerſas adorabat.* καὶ ἐκληδονίζετο *& hariolationibus utebatur, hoc eſt, omnia de futurorum eventu obſervabat quod Græci* κληδονίζεσθαι *dicunt.* Sed alii qui-

a *Deuter.* 18. 13. b *Deut.* 18. 10. 11. c *Deut.* 18. 10, 11. *Levit.* 19. 26. d *Animad.* ad *Arnob.* l. 2. pag. 116, 117. e *Ezec.* 16. 3. f *Levit.* 19. 26. *Deut.* 18. 10, 11. g *Annal.* P. 2. p. 195. C

1 Vid. Pag. 387. not. 1.

CAP. XVIII. SECT. I. *dam volunt κλήδονα vocari Geniorum per excantationes certas attractionem, & e ſublimi deductionem. Qua de cauſa tradunt ejus vocis originem eſſe a verbo κλῶ, quod idem ſit cum καλῶ*, ſignificationem *evocandi* habente. Cum itaque divinationes hic interdictæ divinationibus aliis magna neceſſitudine conjungerentur, aut ad eas viam aperirent; Deus, duo hæc divinationis genera probibendo, divinationes pleraſque alias una vetuiſſe cenſeatur. Si quis de divinationibus ethnicis plura velit, adeat [a] *Buleugerum*, [b] *Rouſum*, [c] *Boganum*, alios, qui de hoc argumento data opera diſſeruere. Nobis hac de re non licet eſſe prolixioribus.

CAP. XVIII.

Lex qua tonſio capitis in rotundum interdicta eſt.

LEX ad quam digitum intendo, nobis occurrit *Levit.* 19. 27. his verbis ab auctore *Vulgatæ* reddita, [1] *non attondebitis in rotundum comam* [2] *capitis veſtri*. Deum ritum aliquem inter ethnicos obtinentem hac in lege vetuiſſe, gentis Judaicæ & Chriſtianæ ſuffragio confirmatum eſt: quiſnam autem tonſuræ hic interdictæ modus aut intentio fuerit, haud adeo inter doctos convenit. Noſtrum erit inprimis, opiniones vulgo receptas in medium proferre, & explorare an rigidæ veritatis examen pati poſſint.

SECT. I.

Variæ ſententiæ de ratione legis ad examen vocantur, & erroris arguuntur.

Sect. I. OPINIO prima, cui interpretes plerique calculos ſuos appoſuerunt, hujuſmodi eſt; apud ethnicos uſu veteri receptum erat, capillitium in orbem tondere, cincinno in occipitio aut vertice relicto, eoque *Soli* vel *Saturno* ſolenniter conſecrato. Sentiunt itaque, Deum hujuſmodi tonſura orbiculari Judæis ſuis hic interdixiſſe, ne a moribus ad Deos Gentilium ſenſim laberentur. Huic ſententiæ ſubſcribit *Heinſius*, ſic legis hujuſce ſenſum & rationem referens, [d] *comam alere ac vovere Diis, gentibus plerſque uſitatum erat: videtur autem Moſes voluiſſe, ne gens Dei, ritu cæterarum, conſecratam Deo ulli peregrino comam aleret aut devoveret.* Eandem ſententiam probat *Tirinus*, ſic textum explicans: *non attondebitis comam in rotundum, gentilium more, vos ipſos hoc ritu idolis devoventes; vel ſaltem vana ſuperſtitione formantes & alentes cincinnos, ſuo tempore detondendos, & idolis offerendos: ut adoleſcentuli excedentes ex ephebis ſolebant detonſa coma primitias Apollini conſecrandas Delphos mittere.* Hunc loci ſenſum ſuffragiis ſuis honeſtarunt, *Bonfrerius*, [e] *Bochartus*, *Grotius*, aliique. In hanc autem ſententiam, verſionis Græcæ auctoritate perſuaſi, veniſſe videntur: ſic enim Græci hunc locum interpretantur, [3] οὐ ποιήσετε σισόην ἐκ τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς ὑμῶν, *non facietis* Siſoen *ex coma capitis veſtri.* Eſt autem Siſoe ציצית *Siſith*, i. e. cincinnus in occipitio relictus, reliqua capillitie in orbem circumtonſa: ſic enim *ſcholia* in *Leviticum* σισόην explicant, σισόη ἐστὶν ὁ κρώβυλος· πλέγμα δὲ ἐστι τοῦτο ὅπερ Ἕλληνες ἐπλέκοντο, ὡς Κρονικὸν ἀνάθεμα, καὶ μάλιστα Σαρακηνοὶ μέχρι νῦν τοῦτο ποιοῦσιν· *Siſoe eſt cincinnus: eſt autem illud implexum & intortum quid quod gentiles intorquebant, quaſi donum conſecratum Saturno, & maxime Saraceni uſque nunc id faciunt.* Nec *Saraceni* tantum, ſed & alii populi, capitis ſummitatem, cætera tonſi, novacula intactam reliquerunt: nam *Thraces*, raſi temporibus, fronte & occipitio, crinem in ipſo vertice relinquere ſolebant, eumque in nodum cogere; unde & ἀκρόκομοι dicebantur: *Dacæ*, cum totum caput raderent, in ſummo vertice cirrum creſcere ſinebant: [f] *Mexicani* idolorum cultibus devoti, caput in coronam tondebant, relicto crine paulo longiore, ab occipite in humeros defluente, quem nodulis coercebant: *Phœnices* antiqui, teſte *Chœrylo*, erant τροχοκουράδες, id eſt, explicante [g] *Hornio*, *acciſis undique capillis*,

a De Ratiun. Divinat. b Archæolog. Attic. Lib. 2. c. 6. c Ibid. Lib. 7. c. 2. d Ariſtarc. Sac. c. 4. p. 107. e Geogr. Sac. P. 2. L. 1. c. 6. col. 361. f Proſper. Stellart. de coron. & tonſur. l. 1. c. 18. g De Orig. Gent. Americ. p. 121.

1 *Hebraica* ita ſe habent, לא תקפו פאת ראשכם *non circumcidetis angulum capitis veſtri.*
2 Auctor *Vulgatæ* nullam facit verſionem ראשכם

3 Juxta *Aquilam*: οὐ περικυκλώσετε τὸ κλίμα τῆς κεφαλῆς ὑμῶν. *Symmach.* οὐ περιξυρήσετε κύκλῳ τὴν πρόσοψιν. *Theodotion.* οὐ κυκλώσετε τὸ φαιδ.

ſolum

ſolum verticem relinquebant intonſum, ac in nodum religabant. Haud abſimilem tonſuræ formam apud Arabes antiquiores obtinuiſſe auctor eſt *Herodotus:* nam de *Macis*, Arabiæ populo, verba faciens, λόφυς [a] inquit, κείροντες τὸ μὲν μέσον τῶν τριχῶν ἀνιέντες αὔξεσθαι, τὰ δὲ ἔνθεν καὶ ἔνθεν κείροντες ἐς χροΐ. *Summum capitis verticem radunt, in medio capillos ſinentes creſcere, hinc atque hinc in orbem tondentur.* Hanc autem tonſuræ formam *Arabes* utpote *Bacchi* æmulos prætuliſſe [b] dicit. *Hiſtorici* verba ita ſe habent: τῶν τριχῶν τὴν κουρὴν κείρεσθαί φασι, κατάπερ αὐτὸν τὸν Διόνυσον κεκάρθαι· κείρονται δὲ [1] ὑποτρόχαλα, περιξυροῦντες τοὺς κροτάφους. *Eodem modo quo tonſus eſt Bacchus, tonderi ſe aiunt: porro in orbem tondentur, raſis circumquaque temporibus.* Ab hac tonſuræ forma non multum receſſit ea, quæ, coma anteriore præſecta, retro pendulam crinium ſylvam promittebat: eam autem apud veteres Græcos in uſu fuiſſe, & Εὐβοέων κουρὰν dictam fuiſſe, [2] *Julius Pollux*, [3] *Iſacius Tzetzes*, aliique, nos certos faciunt. Eſt itaque rationi & gentium veterum uſui conſentaneum opinari, Deum hac lege curaſſe, ne Judæi, ritu gentili, coronam ſeu περιφέρειαν capitibus inducerent; crinibus in ſolo vertice vel occipitio relictis, & dæmoni alicui conſecratis. SECT. I.

HANC conjecturam, utpote magnis nominibus & ſpecioſis argumentis inſignem, tanquam prorſus ineptam & indoctam, increpare nequeo. Eam tamen erroris, haud levi de cauſa, ſuſpectam habeo. Nam primo: [4] *Valla* interpres *Herodoti*, doctorum cenſuram ſubiit, quod *Herodotum* ſic loci fecerit, *ſummum capitis verticem radunt*, & *in orbem;* cum inquiunt, *Græca* hanc verſionem poſtulent, *criſtas tondendo efficiunt*, *nam in medio capillos ſinentes creſcere, hinc & inde ad cutem uſque raduntur.* Sed, utut iſta ſe habeant, apertum eſt, id ſolum hac lege vetitum, ne Judæi *capitum angulos*, i. e. tempora vel capillorum extremitates, novacula vel forcipe, *circuirent:* cincinni alicujus, in vertice vel occipite relicti, & *Soli* & *Saturno* conſecrati, ea in lege nec umbra nec aura deprehendi poteſt. Deinde, diſſentaneum & abſurdum eſt opinari, quenquam e Judæorum gente, coma in orbem præſecta, & cincinno in capitis vertice, in Solis aut Saturni honorem relicto, in publicum prodire voluiſſe: nam proculdubio populi ſeniores pœnam ab homine, legem tam effricta fronte violante, capitalem exegiſſent. Si quis comam aut lacertos juxta mortui ſepulchrum ſecuiſſet (quod tamen lege vetitum videtur) veriſimile eſt, aliquos actiones illas affectui effræni tribuere voluiſſe: nemo vero, cautus & ſobrius, caput σφαιροειδὲς tondere, & cincinnum in vertice vel occipitio pendulum, Solique dicatum, animo pio & innocuo geſtare potuiſſet. Ipſe oris habitus plane ethnicus, hominem mores & affectus ethnicos induiſſe, palam teſtaretur; nec credere par eſt, magiſtratus publicos tam apertum S. Numinis contemptum impune dimittere voluiſſe. Rejicitur.

SECUNDO: ſentiunt alii, Deum hoc in loco crinium σύνθεσιν aut ἀνάπλεξιν, laſciviæ potius quam ſuperſtitioni dicatam vetuiſſe. Huic opinioni animum addixiſſe videtur [c] *auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum:* poſtquam enim monita quædam, de geſtu & habitu ad ſummam modeſtiam componendo, tradidiſſet; addit, *non licet nutrire comam & in nodum colligere, neque carpendo ac formando criſpam reddere, quandoquidem lex vetat, dicens*, non facietis vobis Siſoen. Χρὴ δὲ οὐδὲ γενείου τρίχα διαφθείρειν, καὶ τὴν μορφὴν τοῦ ἀνθρώπου παρὰ φύσιν ἐξαλλάσσειν. *Oportet præterea non barbæ pilum corrumpere, nec formam hominis contra naturam mutare; non enim, ait Lex, depilabitis barbas veſtras.* E quibus liquidum eſt, auctorem illum exiſtimaſſe, Deum legem illam contra ritum luxurioſum, & elegantiæ cujuſdam fœmineæ ſtudium, poſuiſſe. Sent. 2a.

AT, ſalva tanti auctoris reverentia, eum a legis hujuſce mente ſenſuque aberraſſe cenſeo: nam ſuffragante toto interpretum ſenatu Deus in præcedenti & ſequenti verſu, totus eſt in prohibendis ſuperſtitioſis Gentilium ritibus: quis itaque conſulto ſibi perſuadere poteſt, eum inter leges contra ſeculi ſuperſtitionem latas, unam contra luxum & mollitiem ferre voluiſſe? Refellitur.

TERTIO: alii ſe perſuaſos habent, Deum legem hanc non tam ritui ſuperſtitioſo, aut luxurioſo, quam civili, contrariam ſtatuiſſe. Nempe inquiunt, tonſura illa ſphærica vel orbicularis, gentium uſu maxime recepta erat; forte quod Deus ſuos figura rotunda, utpote omnium perfectiſſima, præ cæteris delectari crederent. Deo itaque viſum eſt, ipſam capillitii geſtandi formam apud ethnicos uſitatam prohibere, ne Iſraeli- Sent. 3a.

a In *Melpomen.* cap. 175. b In *Thalia* cap. 8. c Lib. 1. c. 3.

1 Περιτρόχαλα apud *MS. Archiep. Sanderoft.*
2 Vid. *Jul. Pol. Onomaſtic.* Lib. 2. cap. 3. p. 166.
3 In *Lycophron.* verſ. 1133.
4 Vid. Notas *Gronovii* in loc. pag. 939. ubi *Vallæ*, *Æmil. Porti*, & *Salmaſii* cæcitatem carpit.

SECT. I. tæ gentium ſuperſtitionem olerent, aut quicquam cum iis commune retinerent; ſed a gentibus more & habitu, æque ac fide cultuque, diſcernerentur. Hujusmodi tonſuram orbicularem & Monachorum ritu factam, apud gentes exteras antiquitus obtinuiſſe, [a] nonnulli e Prophetæ verbis colligendum cenſuerunt; *Jerem.* 9. 26. *Viſitabo ſuper filios Ammon, & ſuper Moab, & ſuper omnes* קצוצי פאה *circumtonſos angulis*, nempe capitis: Eadem περιφερῆ gentes aliæ notatæ veniunt, *Jerem.* 25. 23. & 49. 32. Hanc tonſuræ formam, ſeculo proxime elapſo in *Anglia* frequentem fuiſſe, notat *Hadrianus Junius lib.* de *Coma*, cap. 6. Ubi, poſtquam vox illa περιτροχάλιστοι qua *Pollux* utitur, obiter incidiſſet; addit, *equidem ea voce, id tondendi genus ſignificari autumo, quo in orbem æqualiter capilliti villos præſecabant: quem morem nondum obliteratum in Anglia videre eſt.* Hunc autem tondendi modum *Cunæus* hac lege interdictum cenſuit: nam *Chærili* τροχοκουράδας, *in orbem circumtonſos*, memorans, [b] *ſane pro certo eſt*, inquit, *id tonſuræ genus inviſum Judæis omnibus & pene execrabile fuiſſe: quippe interdictum illis ſeveriſſima lege fuit, ne angulum capitis circumtonderent.* Eidem ſententiæ accedere videtur doctiſſimus [c] *Hammondus* noſter.

3 AT vero mihi plane incredibile eſt, Deum omnem tonſuram orbicularem hac lege vetuiſſe, cum antiqui Judæi hoc tonſuræ genus in moribus habuiſſe, & cæteris prætuliſſe, non immerito cenſeantur. Hoc e [d] Joſepho colligere licet, qui hæc *Chærili*, poetæ perantiqui, carmina de Judæorum gente interpretatur:

Τῷ δ' ὄπιθεν διέβαινε γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι
Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες.
[1] ᾠκεῖν ἐν Σολύμοις ὄρεσι πλατέῃ [2] ἐπὶ λίμνῃ,
[3] Αὐχμαλέοι κορυφὰς, [4] τροχοκουράδες,———

Pone ſequebatur genus admirabile viſu,
Barbara Phœnicum quod ab ore vocabula miſit,
Sedes huic Solymi montes, ſtagnum prope vaſtum,
Squallent ora, comis tonſura rotunda, ———

Quibus verbis equites Judæos deſcribi *Joſephus* probat, nomine *Solymorum*, & mentione *lacus*, quem ait eſſe Aſphaltiten *quo ſtagnum majus ac latius*, inquit, *non novit Syria.* An hæc *Joſephi* interpretatio quid ſani aut veri habeat, nil opus eſt curioſius inveſtigare; cum lis ea [e] viros doctiſſimos ſatis exercuerit, nec multum referat an *Joſephus* recte vel ſecus *Chærili* ſenſum intellexerit. Quamvis enim *Joſephum*, hæc de gente ſua intelligentem, in errore verſatum fuiſſe concedamus; inde tamen non temere concludamus, Judæos antiquiores comas frequenter in orbem ſecuiſſe. Nam proculdubio Joſephus, legis & moris Judaici conſultiſſimus, tonſuræ genus quod lege vetitum aut a gentis uſu alienum norat, ſuis tribuere noluiſſet. His addo, quod incredibile ſit, Deum tonſuram orbicularem [quæ nonnullis decora, aliis religioſa, omnibus innocua, viſa eſt] prohibere voluiſſe. Crinem rotundare, decorum duxit antiquitas: nam *Varro* de liberis educandis, *alii*, inquit, *ſunt circumtonſi, atque unctuli: Agathias*, de *Francis* loquens, ait περίτροχον κείρονται, l. 1 p. 14. *in orbem tondentur.* [f] *Philo*, delicias & luxum Romanorum & Græcorum conviviorum referens, eos ſervos habuiſſe dicit, vel *omnino intonſos, vel a fronte tantum præſectis in orbem crinibus.* Hac etiam phraſi ad nitorem exprimendum utitur [g] *Sidonius Apollinaris*, *crinis in rotæ ſpecimen accisus.* Nec cuivis obſcurum eſt, aliquos olim religioni dicatos, hanc tonſuræ ſpeciem ſacram habuiſſe & religioni propriam.

Sent. 4. QUARTO: viſum eſt aliis, *tonſuram* quam vocant *Theſeiam* hoc in loco prohiberi, cum ſcilicet coma anterior, frontem tegens & tempora, præciditur, poſteriore per cervicem diffluente. Ea ſententia placuit *Maimonidi*, qui hac lege cautum aſſerit, [h] *ne quis, Gentilium ritu, capillis ſit promiſſis: ne utrinque tondeatur, relictis in medio capillis: nec a fronte præcidas capillos ab una aurium ad alteram, relicta occipitis coma; quandoquidem*, inquit, *is mos Gentilibus.* Ita morem Gentilium habuiſſe,

a *Bochart. Geog. Sac.* p. 389. b *De Rep. Hebr.* l. 2. c. 18. c *Tract. de Scandal.* §. 20. d Lib. 1. cont. *Ap.* p. 1346. e *Cun. de Rep. Hebr.* l. 2. c. 18. *Grot.* in *Luc.* 3. 14. *Bochart. Geogr. Sac.* P. 2. l. 1. c. 6. *Cotelar.* in *Not.* ad l. 1. *Conſtit. Apoſt.* c. 3. *Huet. Demonſtrat. Evang.* Prop. 4. cap. 13. f *De Vit. contemp.* p. 896. B g Lib. 4. *Ep.* 13. h *De Idolol.* c. 11. §. 2.

1 Apud *Euſeb. Præp. Evang.* l. 9. c. 9. p. 412. ᾤκουν δ' ἐν. *Lectiones Bigotii & Cod. Hafnienſis.* ᾤκει δ' ἐν Aliis ᾠκεῦν τ' ἐν & ᾤκουν τ' ἐν.
2 *Euſeb.* παρὰ. *Hafn.* ἐπί.
3 Αὐχαλέοι (quod *Heſychius* reddit αὐχμηροί) malit *Lamb. Bos* in *Animadverſ.* ad *Script.* Gr. p. 118.
4 *Euſeb.* τροχοκουράδες. Vid. *Hudſon.* in loc.

non-

nonnulli e jam laudato *Jeremiæ* loco colligendum ſentiunt: *viſitabo ſuper Ægyptum, ſuper filios Moab,* [a] καὶ ἐπὶ [1] πάντα περικειρόμενον [2] τὰ [3] κατὰ πρόσωπον αὐτῶ, *& ſuper omnem attonſum circa faciem ſuam.* Huic mori ethnico Deum hanc legem oppoſuiſſe, cauſam opinandi præbuerunt ipſa legis verba, לא תקפו פאת ראשיכם *Non circuibitis* [novacula nimirum] *angulos capitum veſtrorum.* Per *angulos* autem *capitis*, frontem & tempora intelligenda eſſe, non tantum Judæorum conſenſu, ſed & uſu Scripturæ, ſatis confirmatur. Eo enim ſenſu occurrit vox illa, *Levit.* 13. 41. ubi de perſonis lepra infectis agitur [b] *& ſi* מפאת פניו *ab angulo faciei depiletur caput ejus,* h. e. ſi temporum & frontis pili ceciderint. SECT. I.

HÆC equidem ſpecioſa fateor: ut putem tamen hanc non eſſe veram legis hujus intentionem, multis adigor: (1°.) Galilæi hunc tondendi morem ſequebantur, & ſi *Nonno* credimus, crines retro pendulos promittebant. Nam paraphraſi ſua in cap. 2. *S. Johannis*, Galilæos ὀπιθοκόμους appellat: Reprehenditur.

Χριστὸς ὀπιθοκόμων μερόπων θοινήτορι λαῷ
Κλητὸς ἔην σύνδειπνος·

Chriſtus retrocrinitorum hominum epulanti populo
Vocatus erat conviva.——

EST autem difficile creditu, Galilæos [homines origine Judæos] hanc tonſuræ formam in mores admittere voluiſſe, ſi illicitam & legibus interdictam exiſtimaſſent. (2°.) Hic tondendi modus apud gentes haud paucas, bellicoſas inprimis, uſu frequens erat: non eſt autem rationi congruum, Deum tonſuram, multarum gentium uſu patrio receptam, & culpæ omnis expertem prohibere voluiſſe; tantum ut Iſraelitæ (quod ſentit [c] *Kimchius*) [4] a gentibus morum diverſitate diſcernerentur. (3°.) Locus ille parallelus indicat, meram frontis aut temporum raſuram, relicta occipitis coma, hic minime prohiberi. Sic enim ſe habent loci [d] paralleli verba: *non facietis calvitium inter oculos veſtros propter mortuos:* hoc eſt, pilos in oculorum vicinia creſcentes non auferetis, ut mortuorum exequias aut inferias, ritu gentili, celebretis. Hinc elucet, Deum non omnem pilorum, tempora frontemque tegentium, rationem aut evulſionem hac in lege vetuiſſe, ſed eam ſolummodo frontis & temporum calvitiem, quæ ad luctum immodicum teſtandum, aut honorem indebitum mortuis deferendum, inducebatur.

QUINTO: nonnulli in ea ſunt ſententia, Deum non ritum aliquem ſuperſtitioſum, nec civilem in uſu communi poſitum, ſed funebrem, hac in lege, vetuiſſe; adeoque Judæos tum ſolum hanc legem violaſſe, cum juſta funebria ſolventes, in orbem tonderentur. Nam vel tyronibus in literatura ſacra & profana ſatis innoteſcit, morem illum genas & capita depilandi, cum exequias agerent, apud gentes antiquiores pleraſque omnes obtinuiſſe. Nec temporis vetuſtas moris illius antiqui veſtigia plane omnia abolevit: in cujus rei fidem, audiamus quæ *Lucas de Linda* de hodierno *Calecuti* populo memoriæ prodidit; [e] *omnes valde longos crines alere ſolent, quos defuncto Rege una cum barba præſcindunt, in ſignum triſtitiæ ideo concepta.* Cum itaque inſana illa capitis & barbæ violatio luctus vehementiam & immodicum animi affectum argueret, Deus (inquiunt illi) hoc ritu Judæis interdixit, eumque ad ethnicos ablegavit, qui reſurrectionis ſpem non habentes, amicis e medio ſublatis, in luctum modi & menſuræ neſcium ſolvebantur. Adeo ut, ſi ſententiæ hujuſce patronos audiamus, Deus hac in lege primario quidem luctum immodicum, cui [f] ὡς ἐλπίδα μὴ ἔχοντες in funeribus indulgebant, ſecundario vero tonſuram orbicularem (utpote luctus illius indicem) vetuiſſe cenſeatur. Ita cenſuiſſe videtur [g] *Grotius*, cum ait, *radere comam in luctu ob mortuos ideo Lex vetat, quod vicinæ gentes id uſurpabant:* & [h] alibi, *calvitium ſibi ob mortuos inducere, mos quidem erat gentibus aliis, ſed Judæis id non licebat per legem Deut.* 14. 1. quam noſtræ parallelam diximus. Sent. 5a.

HANC autem opinionem legis hujuſce ſcopum attingere, mihi perſuadere nequeo; Redarguitur.

a *LXX* in *Jerem.* 9. 26. b Ἐὰν δὲ κατὰ πρόσωπον μαδήσῃ ἡ κεφαλὴ αὐτῶ. *LXX.* c *Non tondendos eſſe capillos, more Gentilium, ut Iſraelitæ ſint ab eiſdem ſeparati.* Gloſ. ad Lev. 19. d *Deut.* 14. 1. e *Deſcript. Orb.* pag. 143. f 1 *Theſ.* 4. 13. g *Annot.* ad *Eſdr.* c. 9. 3. h *Comment.* in *Mich.* 1. 16.

1 *Edit. Complut.* πᾶν.
2 Τὰ deeſt *Complut.*
3 *Complut.* πρόσωπον αὐτῶ, ut *Hebr.* פניו
4 *Gloſſa* eſt *Ab. Ezra*, non *Kimchii.*

quod

SECT. II. quod e *Scriptura* conſtet capitum & genarum tonſuram integram in luctu funebri non minus apud Judæos, quam Gentiles, in morem abiiſſe. Cum enim Deus, famis, peſtis, & belli plagis, multos e medio ſuſtuliſſet; *venerunt*, inquit [a] Propheta, *viri de Sichem, de Silo, & de Samaria, octoginta nempe viri, raſa barba & ſciſſis veſtibus.* Et [b] *Ezechiel* multorum funera his verbis prædicit, *accingent ſe ſaccis & operiet eos formido, & in omnibus eorum capitibus erit calvitium.* Sic etiam [c] *Michaas* Judæ populum alloquitur, *decalva teipſum, & tonde temetipſum, ob filios deliciarum tuarum* [interfectos ſcilicet ab hoſte] *dilata calvitium tuum ſicut aquila.* At plane extra fidem eſt, tot viros, legis divinæ ſtudioſos, capitum & genarum capillos ponere, vel Deum in luctu funebri calvitium præcipere voluiſſe; ſi tonſura orbicularis tunc temporis infamis & legi contraria crederetur. Sed hac de re alibi forte magis opportune dicturi ſumus.

SECT. II.

Vera legis hujus intentio & occaſio traditur.

OPINIONIBUS reprehenſis quæ fidem hactenus apud interpretes obtinuerunt, proximum eſt, ut de legis hujus intentione plenius videamus, & ſenſum quem maxima veri ſimilitudo commendat, argumentis aſtruamus. Ne lectorem pluribus detineamus: conſentaneum videtur, Deum, hac in lege, non (ſimpliciter) orbicularem, aut aliam aliquam ordinariam tonſuræ ſpeciem, ſed extraordinariam, in mortuorum ſcilicet exequiis, eamque animo & ritu ſuperſtitioſo, uſurpari ſolitam, inhibuiſſe. Ut rem totam magis explicate referam: gentibus antiquioribus in more erat, ut amicorum defunctorum buſtis, loculis, ſepulchris, aut cadaveribus adſtantes, capitum & barbarum capillos vellerent aut circumtonderent, eos loculis aut cadaveribus imponerent, eoſque, muneris aut placaminis loco, mortuis aut diis inferis, devoverent. Deus itaque, hac in lege, non ſimpliciter id prohibet, ne Judæi capitis aut barbæ cæſariem in funere diſſecarent; neque hac lege cautum exiſtimo, ne, ſi libitum eſſet, eorum capita circumtonderent; ſed ne, mortuis adſtantes, capita in orbem diſſecarent, aut comam diſſectam in defuncti faciem, pyram, aut ſepulchrum, more Gentili, ſpargerent: ne ſcilicet, ethnicorum ritu, munus ad Manes propitiandos offerre, vel extinctis amicis inferias mittere, viderentur.

Ut argumentis, ad hanc ſententiam firmandam, ſtatim afferendis, aditum præſtruamus, hæc tria probari debent; (1°.) Gentes antiquas, in ſolennitate funebri, capitis aut barbæ pilos diſſecare, eoſque in mortuorum buſta vel cadavera conjicere ſolitas. (2°.) Gentes, hunc ritum peracturas, capita non raro circumtondiſſe, vel in orbem ſecuiſſe. (3°.) Gentes hunc ritum in funeribus obſervaſſe, ut *Manes* placarent, aut amicis fato functis inferias mitterent.

Primo: gentes antiquiores, in ſolennitate funebri, capitis aut barbæ pilos vellere vel ſecare, eoſque in mortuorum buſta vel cadavera jacere, ſolitas. Hoc cuivis manifeſtum eſſe poteſt, hiſtoricorum & poetarum antiquiorum ſcripta ſtudioſe perlegenti; cum ex iis pauci ſint qui alicubi morem illum non tetigerint. In *Homero* præſertim multa moris hujus ævis antiquioribus invaleſcentis veſtigia deprehendi poſſunt. *Achilles*, *Patrocli* manibus parentans, ita ſe geſſiſſe dicitur, *Iliad.* Ψ. *Verſ.* 141.

> Στὰς ἀπάνευθε πυρῆς ξανθὴν ἀπεκείρατο χαίτην·
>
> *Ante pyram aſſiſtens rutilantem præſecat ultro*
> *Cæſariem*, ——

Et *Odyſſ.* 4. *Verſ.* 197, inquit,

> Τοῦτό νυ καὶ γέρας οἶον ὀϊζυροῖσι βροτοῖσι,
> Κείρασθαί τε κόμην, βάλλειν τ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν.
>
> *Hoc ſolum quaſi munus reſtat miſeris mortalibus*, in amicorum diſceſſu,
> *Tondereque comas, profundereque lacrymas a genis.*

Apollonius, juſta funebria *Jaſoni* ſoluta memorans, poſtquam, inquit, cadaver humo mandaſſent ſocii & puellæ,

a *Jer.* 41. 5. b Cap. 7. 18. c Cap. 1. 16.

—— ἐπεὶ

SECT. II.

——ἐκειράσαντο δὲ χαίτας
Αὐτοὶ ὁμῶς κοῦραί τε——

——Tum crines ſecuerunt
Ipſi ſimul & puellæ,——

Romanos etiam hunc ritum in uſu habuiſſe, docent hæc *Ovidii* carmina, Epiſt. 11.

Non mihi te licuit lacrymis perfundere juſtis,
In tua non tonſas ferre ſepulchra comas.

Quantas autem radices olim in hominum animis & moribus hic ritus egerat, inde ſatis intelligitur, quod eum temporis iniquitas nondum penitus abolere potuerit. Teſtor [a] *Johannem Gotovicum*, qui fœminarum Cretenſium mores refetens, inter alia hæc habet; *hæ omnes in luctu ſuos quoſque defunctos veteri ethnicorum more plangunt; & majoris doloris declarandi cauſa uxores inprimis, matres, ſorores, ac proxima quaque capillum ſibi manu diſcindunt, comam evellunt, eamque cadaveribus injiciunt,--frontem genaſque lacerant*, &c.

SECUNDO: probandum incumbit, ethnicos, cum hoc officii genere in honorem mortuorum fungerentur, capita plerunque circumtondiſſe, vel in orbem ſecuiſſe. Moris hujuſce teſtem advoco *Coiutum Smyrnæum*, juſta exequialia, Achilli præſtita, [b] ſic deſcribentem;

——ἀμφὶ δὲ χαίτας
Μυρμιδόνες κείραντο, νέκυν δ' ἐκάλυψαν ἄνακτος·
Καὶ δ' αὐτὴ Βρισηὶς ἀκηχεμένη περὶ νεκρῷ,
Κειραμένη πλοκάμους πύματον πόρε δῶρον ἄνακτι·

——Capillos autem
Myrmidones circumtondent, & cadaver regis his *cooperiunt.*
Ipſa etiam Briſeis dum functum mæret,
Detonſam ſibi cæſariem ultimum Domino munus exhibet.

Apud [c] *Statium*, pater *Archemori*, filio orbatus,

——tergoque & pectore fuſam
Cæſariem ferro minuit, ſectiſque jacentis
Obnubit tenuia ora comis.——

Ubi per *cæſariem tergo & pectore fuſam* intelligit *Poeta* capitis comam, quæ intonſa per tergum & pectus fluere ſolebat, & in filii funere undique tondebatur. Huc faciunt etiam, & lucis haud parum huic legi præbent, *Herodoti* de *Scythis* [d] verba, *qui in* regum *funere*, τὰ ὦτα ἀποτάμνονται, τρίχας περικείρονται, βραχίονας περιτάμνονται, &c. *aurem decidunt, crinem circumtondent, brachia circumcidunt.* Sic autem gentes in funere ſæpe tondebantur, non quod ſphæricam aut orbicularem tondendi formam diis ſuis gratiorem credetent, ſed ut totum quaſi capitis proventum demeterent, & dono ampliori affectus ſuos in Deos aut defunctos indicarent. Ideoque *Electra* apud *Sophoclem* Helenæ iraſcebatur, quod in funere *Clytemneſtra* ſe πανούργως *doloſe* geſſiſſet, & cincinnos ſuos pulchriores celaſſet, eoſque ſibi ipſi reſervaſſet: nam, obſervante *Scholiaſte*, ἔδει τὰς κατ' ἀλήθειαν θρηνοῦντας πάντα τὸν πλόκαμον τέμνειν· Hanc *Scholiaſtis* rationem non plane contemnendam exiſtimo, quod antiquis, in luctus graviores incidentibus, in more eſſet, hinc & inde crines evellere vel diſſecare. Teſtimonio ſint [e] *Artemidori* verba: *ſi quis* in ſomnio *ſeipſum tondeat, luctum ſubitaneum aut calamitatem magnis malis refertam ſignificat:* οἱ γὰρ ἐν τοιούτοις γινόμενοι, ἑαυτοὺς ἀνάγκῃ περικείρεσθαι· *Qui enim in talibus verſantur, neceſſario ſeipſos circumtondent.* Fertur etiam [f] fœminas FLORIDÆ, maritis ſuis fato cedentibus id moris hodieque retinere, ut ſtrictim undique ſe tondedeant, & capillos in eorum ſepulchra jaciant.

TERTIO: probandum reſtat, ethnicos hunc ritum in funetibus obſervaſſe, ut *Manes* placarent, aut amicis fato functis inferias mittetent. Ritus hujus intentio doctos in partes traxit. Cauſam ejus incertam ſic conjectura venatur [g] *Paganinus Gaudentius*

a *Itinerar. Hieroſolym. & Syriac.* Cap. 13. pag. 84. b Lib. 3. *verſ.* 682. c *Thebaid.* 6. d *Lib.* 4. cap. 71. e *Ὀνειροκριτ.* lib. 1. c. 23. f Vid. *Heylin. Geogr.* p. 1031. g *Exercitat. de funer. Romanis* Cap. 6.

SECT. III. *res eſt protrita, ut coma abſciſſa, a ſociis aut ſanguine junctis in ignem funebrem conjiciatur: an ut Heroi, tanquam Deo, res digna Deo & ſolita Diis offerri, conſecretur abſumenda? Sic videtur exiſtimandum.* Ad fidem opioioni ſuæ conciliandam, exempla duo, ex *Homero* & *Statio* petita, profert; unde pateat, antiquos comam, quam Deo alicui ſacram voviſſent, in amicorum ex improviſo defunctorum buſtum aut faciem quandoque coojeciſſe. Ab hac ſenteotia non multum diverſus erat ipſorum ethnicorum ſenſus, qui comas hoc ritu tonſas, veluti primitias aut inferias quaſdam, *Manes* aut *Mortuos* placandi cauſa, ad mortuorum buſta vel corpora deferebant. Hoc ex *Helena* [a] verbis eliciamus,

> [1] Βάλη τάφον μοι πρὸς κασιγνήτης μολεῖν,
> Κόμης ἀπαρχὰς καὶ χοὰς φέρουσ' ἐμάς;
>
> *Vis mihi ire ad ſororis tumulum,*
> *Coma ut primitias & inferias feram meas?*

Et *Chariclaa* apud [b] *Heliodorum*, extincto doctori ſuo *Calaſiri*, vulſos e vertice crines libavit, cum gemitu dicens, ἐπιφέρω σοι χοὰς [ἐκ τῶν ἐμαυτῆς πλοκάμων] *Affero tibi inferias* [ex ipſis meis cincinnis] Ethnicos autem id genus officii, *Manes* & *Umbras* placandi gratia peregiſſe, colligere licet e *Seneca* tragœdi verbis;

> [c] *Placemus Umbras: capitis exuvias cape,*
> *Laceraque frontis accipe abſciſſam comam.*

Sed hoc myſterium iniquitatis paulo clarius explicat [2] *Scholiaſtes* in *Sophoclem*, ubi ait: ἔθος ἦν τέμνειν τὰς κόμας καὶ ἐπιτιθέναι τῷ τάφῳ, ἵνα διὰ τούτου πλέον ἵλεως αὐτοῖς ὁ νεκρὸς ᾖ. *Moris erat ſecare crines & imponere ſepulchro, ut per luctum illum mortuum iis benevolum & propitium redderent.* Vereor autem ne ludam operam, qui in dæmonis inſtitutis rationem quæro.

SECT. III.

Et fuſe confirmatur.

LEGIS hujus intentione, qua licuit, explicata; ſupereſt, ut jam dictis fidem afferam, & argumentis evincam, Deum hac lege prohiboiſſe, comas io mortuorum ſepulchra vel cadavera conjiciendas, diſſecari, ne quid honoris Diis Manibus exhibere, vel mortuis inferias dare, viderentur. Argumeota vero, quibus opinionis hujuſce veritatem probabiliter evinco, ſunt hujuſmodi.

PRIMO: nulli legem hanc attentius intuenti dubium eſſe poteſt, quin ad ritum aliquem, in defuncti hoorem uſurpari ſolitum, reſpectum habeat. Nam (1°.) apud omnes in confeſſo eſt, Deum barbæ corruptionem, verbis immediate ſequentibus, inhibuiſſe, quod ritus funebris eſſet, & a geotibus animo ſuperſtitioſo uſurpatus. Caret itaque veri ſpecie, tooſuram orbicularem, hic una vetitam, alio quam ad ritum ethnicum, in mortuorum elatiooe frequentem reſpexiſſe. (2°.) Iociſiooes carnis, על מות *propter*, vel *ad mortuum*, verſu ſequeote diſerte prohibentur. Quidni itaque, illud, *pro mortuo*, verſum huoc antecedentem afficiat, & ad capitis tonſuram barbæque corruptiooem ex æquo referatur? Quaſi lex illa verbis hiſce concepta fuiſſet, *non in circuitu attondebitis angulum capitis veſtri*, propter mortuum; *non corrumpes angulum barba tua*, propter mortuum; *nec inciſionem facietis in carne veſtra, propter mortuum.* (3°.) In locis parallelis, quibus inciſiooes & tonſuræ, quas diximus, interdictæ ſunt, *mortuorum* mentionem ſemper adjunctam reperiamus. Nempe *Deut*, 14. 1. *Non vos incidetis, nec facietis calvitium, --ſuper mortuo.* Cum etiam Deus legem [d] eam ſacerdotibus ejus tradidiſſet, *ne ſe pro mortuo coutaminarent*, ſtatim explicationis cauſa additur, *non radent caput ſuum nec barbam, -- neque in carnibus ſuis facient* [3] *inciſuras.*

a *Ap. Eurip.* in *Oreſt.* v. 94. b *Æthiopic.* l. 6. p. 280. c In *Hippol. Act.* 5. *ſcen.* 1. d *Levit.* 21. 1. 5.

1 *Scholiaſtes* & *Duport.* legunt Βάλε Vid. *Barnes.* in loc.
2 *Demetrius Triclinius*, in *Electram*: verſ. 51.
3 *Hebr. inciſuram.*

Suadet

Suadet itaque legis, alibi loquentis, uſus, ut hanc legem, non tam de tonſura orbiculari, quam tonſura lugubri, & in mortui honorem facta interpretemur. (4°.) Ritus illi gemelli, capitis tonſura & barbæ raſio, nunquam niſi in luctu graviori, eoque plurimum funebri, in ſcriptura conjuncti reperiuntur. Hoc facile conſtet loca illa conſulenti, *Jeſ.* 15. 2. *Jerem.* 16. 6. *Baruc.* 6. 31. *Jeſ.* 7. 20. *Jerem.* 48. 37. Neque ritus illi, in Judæorum ſolummodo, ſed & gentium aliarum, luctu funebri conjungebantur. Nam refert [a] *Suetonius*, nunciata *Caligulæ* morte, *Regulos quoſdam barbam poſuiſſe, & uxorum capita raſiſſe, ad indicium maximi luctus.* Idem & *Argivos* mœroris cauſa præſtitiſſe, teſtatur *Herodotus*, lib. 1. c. 82. Cum itaque raſura capitis & barbæ tonſura, hoc in commate, conjungantur; hinc anſa ſuſpicandi ſatis ampla data eſt, Deum ritum aliquem ſuperſtitioſum, in funeribus olim uſitatum, hac in lege vetuiſſe. His forſan argumentis inductus, *Caſtalio* ſic legem reddidit, *ne vobis* in funere *verticem deraditote.* SECT. II.

SECUNDO: ſi ad præcipuas ritus hujuſce funebris, prout inter ethnicos uſurpati, circumſtantias animos advertamus; eas verbis legis, quam præ manibus habemus, apte quadrare comperiamus. Arg. 2m.

NAM (1°.) Cum gentes antiquæ defuncti manibus hoc ritu parentarent, crines ſuos novacula vel unguibus plerumque circumibant. Hac de re nullam dubitandi occaſionem relinquunt jam adducta teſtimonia. Hanc autem circumſtantiam legis hujuſce verbis ad amuſſim convenire, verſionum omnium conſenſu confirmatum eſt. Nam *Aquila* hunc locum, οὐ περικυκλώσετε, reddit: *Theodotion*, οὐ κυκλώσετε. *Symmachus*, οὐ περιξυρήσετε κύκλῳ· [1] *Hieronymus*, *neque in rotundum attondebitis.*

(2°.) GENTES, in mortuorum ſacris, non ſemper ad vivam cutem tondebantur, ſed quandoque ſatis habebant ſummitatem vel extremitatem capitis aut barbæ delibare. Nam *Oreſtes Euripidis* noctu ad *Agamemnonis* patris ſepulchrum, κόμης ἀπήρξατο, *comam præfectam libavit:* & *Helena* in funere ἄκρας ἀπέθρισε τρίχας, *crinium extremitates detruncavit.* Huic etiam circumſtantiæ conſona ſunt legis hujuſce verba, caventis ne פאת ראשכם *extremitatem* crinium *capitum circumtonderent*, *neque* את פאת זקנך *ſummitatem barbæ corrumperent.* Ita quidem vocem פאת vertere conſultius habui, non tantum quod ſenſum magis congruum & concinnum fundat, (quis enim *angulos* barbæ novit?) ſed quod vox ea ad rei extremitatem notandam quandoque uſurpetur: nam voces illas, [b] ואת פאת קדימה [2] LXX [3] καὶ τὸ ὅριον Βοῤῥᾶ vertunt. Sic etiam [c] hoc ipſo in capite uſurpari videtur, verſ. 9. *Non perdes* פאת *angulum agri tui demetendo:* nam *eo in loco*, inquit [d] *Schindlerus*, *agrorum extremitates* intelligendæ ſunt, quæ *in meſſe non demetebantur*, *ſed pauperibus relinquebantur.* Nec vox פאת hoc in loco ſenſum alium recipit, niſi vim aliquam ei inferamus, & vocem illam ſingularem, (quaſi pro פאות poſitam) juxta verſiones vulgo receptas, *angulos* transferamus. Hæc ſecum cogitaſſe videtur unus *Vatablus*, qui ſic legem reddit, *finem capillorum veſtrorum non attondebitis in rotundum.*

(3°.) ETHNICI ritus funebres peragentes, varias tonſuræ ſpecies & modos, pro luctus diverſitate, in moribus habuere. Nonnunquam enim capillos tantum extremos in capitis circuitu pendulos ungue vel forcipe violarunt. Hoc in more fuiſſe, ſatis e jam nunc adductis teſtimoniis elucèſcit. Quandoque frontium & ſuperciliorum capillos novacula ſuſtulerunt. De frontibus teſtatur *Moſes*, *Deut.* 14. 1. de ſuperciliis *Artemidorus*, l. 1. c. 27. ἔθος γὰρ ἐπὶ πένθει τὰς ὀφρύας ψιλοῦσθαι, *vetus mos eſt in luctu ſupercilia nudari.* Qui luctui impenſius indulgebant, non genas & frontem ſolummodo, ſed caput integrum novaculæ præbuerunt, & [e] toti radebantur. Tres autem illi tondendi modi, hac in lege, vel diſerte vel κατὰ διάνοιαν, interdicti ſunt. Hic enim diſerte cautum eſt, ne capillos extremos caput undique exornantes in exequiis delibarent: hic etiam interdictum eſſe, frontis aut ſuperciliorum formam & aſpectum lædere, e loco illo cognato, *Deut.* 14. 1. facile colligamus; *non incidetis vos*, *neque facietis calvitium inter oculos veſtros ob mortuum.* Eo etiam extendit legis hujuſce ſcopus & intentio, ut caput integrum tondendi, i. e. calvitiem inducendi, licentiam tol-

a In *Caligul.* c. 5. b *Ezec.* 47. 18. c *Lev.* 19. 9. d *Lex. Pentagl.* in voc. פאה. e Vid. *Mich.* 1. 16. & *Kirchman.* de *funer. Rom.* l. 2. cap. 14.

1 *Hier.* T. 1. col. 131.
2 *Hebraica* ופאת קדים
3 Juxta *Exemplar. Vatican.* καὶ τὰ πρὸς Βοῤῥᾶν. *Alex.* & *Ald.* Βοῤῥᾶ κατὰ Βοῤῥᾶν, καὶ τὸ ὅριον Αἰμὰθ (*Ald.* Ημὰθ) τὸ ὅριον Βοῤῥᾶ. *Complut.* καὶ τὰ ὅρια Αἰμὰθ, τὰ πρὸς Βοῤῥᾶν.

SECT. III. lat: hoc e loco * illo plane patallelo diſcitur, *non facient calvitium in capite ſuo, & angulum barbæ ſuæ non radent, & in carne ſua non incident inciſionem.*

(4°.) Apud ethnicos, mortualia celebrantes, decalvandi ſeu pilos demetendi officium, non per tonſores, ſed propria lugentium manu, plurimum expeditum eſt. Hoc haud obſcure docent [a] *Artemidori* verba, κείρεσθαι ὑπὸ κουρέως, ἀγαθὸν πᾶσι, *tonderi* per ſomnium *a tonſore, omnibus fauſtum* eſt & lætitiæ ſignum: at mox ſubjungit, εἰ τις ἑαυτὸν κείροι, πένθος αἰφνίδιον ἢ συμφορὰν μεγάλων κακῶν ἀνάπλεων σημαίνει, &c. *Si quis ſeipſum tondeat, luctum ſubitaneum aut calamitatem magnis malis refertam ſignificat: qui enim in talibus verſantur, neceſſario ſeipſos circumtondent.* Non ferebat nempe luctus gravioris impatientia, ut tardum tonſoris adventum expectarent. Hac etiam in lege, crinium deformitatem propriis lugentium manibus inductam prohiberi, cuivis apertum eſt, legem integram paulo propius intuenti; οὐ κυκλώσετε, *non circundabitis angulum capitis veſtri, & non corrumpes angulum barbæ tuæ, & inciſionem ob demortuum non facietis in carne veſtra:* nam legis illius verba noviſſima de ſqualore & turpitudine propriis ipſius lugentis manibus inducta pletique interpretantur; ſuadet itaque ſumma rituum eorum conjunctio, ut verba prima de capillis ipſis hominis in luctu coostitutimanibus, undique ſectis aut evulſis, exponamus.

(5°.) Gentibus amicorum funera permoleſte ferentibus in more erat, comam quandoque vellere, quandoque diſſecare; eamque nunc ungue, nunc forcipe vel novacula violate. Communes impatientiæ leges, gentibus luctu graviore preſſis, [b] comæ vulſuram imperaſſe, nobis facile perſuadeamus. *Jobus*, gentium ritu proculdubio, liberis amiſſis, ſurgit tandem, *veſtes lacerat*, ויגז [c] *& caput ſuum vellit.* Sic locum reddo, quod ſubitum Jobi πένθος opinari ſuadeat, eum crinium evulſionem, non tonſionem, luctus ſui teſtem feciſſe. Atque hic ſenſus voci convenit, nam *Jer.* 7. 29. גזי *tonde*, *Targum* exponit תלישי *evelle capillos tuos.* Gentes etiam luctum graviorem [d] capitis tonſura declarare ſolitas, plurimis teſtimoniis evinci poſſet, niſi quod rem hanc cuivis e ſchola tyrunculo notam crederem. Atque hæc etiam luctus funebris circumſtantia legis noſtræ verbis apprime conſentanea eſt: nam voces illæ, לא תקפו *non circundabitis*, generales ſunt admodum, & orbicularem quamvis comæ violationem, evulſione vel tonſione, ungue vel forcipe, factam, indicare poſſint. Interpretes itaque plerique legis hujuſce verbis ſenſum generalem conſulto tribuerunt; ſic enim *Aquila* locum vertit, οὐ περικυκλώσετε, *Theodotion*, οὐ κυκλώσετε, *Arabs* לא [1] תדורוא *non circuibitis*, Interpretes Anglicani, *ye ſhall not round the corners of your heads:* unde & a vocum Hebræarum ſenſu minus deflexerunt, quam *Symmachus*, qui οὐ περιξυρήσετε κύκλῳ, & *Hieronymus* qui, *ne in rotundum attondebitis*, tranſtulerunt, adeoque vocum earum ſenſum ad circuitionem tonſura factam reſtrinxerunt.

E jam dictis abunde conſtat, legis hujuſce verba tonſuræ funebris inter ethnicos uſitatæ, circumſtantiis omnibus apprime convenire: ideoque longe conſultius eſt, legem de tonſura gentium funebri, quam tonſura ſphærica civili gentis alicujus uſu recepta, vel tonſura orbiculari in Bacchi forſan honorem excogitata, interpretari.

Arg. 3m. Tertio: hinc etiam ſententia noſtra firmior evadat, quod clatum fit, Deum morem illum, comam mortuis offerendi & ſuper ipſorum pectora vel ſepulchra imponendi, legi noſtræ patallela & plane gemina vetuiſſe: nempe *Deuter.* 14. 1. *Non facietis calvitium inter oculos veſtros* למת *ad* vel *ſuper mortuum.* Ubi per illud, בין עינים [e] *inter oculos*, deſignatur ea capillorum pars quæ imminet intercilio, ſeu ſpatio oculis interjecto. Adeo ut loci ſenſus huc redeat, "In luctu funebri, frontis, ſupercilii, vel capitis, decalvati pilos, [f] ſupra jacentis pectus, faciem, aut ſepulchrum, non imponeris; ut piaculi loco inſerviant, aut quicquam inde commodi vobis, aut mortuo ſolaminis, afferatis. Hunc ſenſum non parum confirmant verba proxima, לא תתנו *Non facietis inciſionem in carne veſtra*, לנפש *ad* vel *propter animam:* h. e. Ne more Gentili, carnes incidatis, & ſanguinem fundatis; quaſi Diis Manibus inſerias miſſuri, & ritu illo commodi quicquam mortuorum animis allaturi. Interpretationi noſtræ favet etiam [g] *Græcorum* verſio, Οὐκ ἐπιθήσετε φαλάκρωμα ἀναμέσον τῶν ὀφθαλμῶν ὑμῶν

* *Levit.* 21. 5. a *Oneirocrit.* l. 1. c. 23. b Vid. *Eſth. addıtament.* c. 14. 2. & *Eſra* c. 9. 3. c *Job.* 1. 20. d Vid. *Bochart. de animal. Sac.* P. 1. col. 483. e *Eſt hoc frontem ſeu anteriorem capitis partem depilare.* Bonfrer. in loc. f — *planxere ſorores, Naiades, & ſectos fratri impoſuere capillos.* Ovid. Metam. l. 3. v. 505. g *Deut.* 14. 1.

1 תדורוא Ita ſe habet verſio *Pentateuchi* in *Mauritania* typis Hebraicis edita, quam *Erpenius* edidit *Arabicis* ex Bibliotheca *Joſ. Scaligeri.* vid. *Walton. Prolegom.* 14. §. 16. Alius autem eſt, תחרפוא *abſcietis.*

ἐπὶ

ἐπὶ νεκρῷ· i. e. *Non ponetis calvitiem inter oculos veſtros ſuper mortuum:* h. e. comam anteriores capitis partes exornantem non evelletis, ut ſuper jacentis pectus aut ſepulchrum imponatis, & ritu illo mortuorum umbras lenes & placatas habeatis. Nam phraſi huic, ſimillima videntur [a] *Scholiaſtis* ſupra memorati verba, ἔθος ἦν τέμνειν τὰς κόμας, καὶ ἐπιτιθέναι τῷ τάφῳ· Ne quis me talia dicentem hunc locum ſcripturæ torſiſſe ſentiat, audiat *Theodoritum* mecum diſerte ſuffragantem: [a] τινὲς μὲν τῶν ἀλλοφύλων ἐθνῶν τὰς τῆς κεφαλῆς ἀπεκείροντο τρίχας, καὶ ταύτας προσέφερον τοῖς νεκροῖς· τινὲς δὲ τὰς τῶν γενείων, ἄλλοι τὰς τῶν ὀφρύων· ταῦτα γίνεσθαι ὁ θεῖος ἀπηγόρευσε νόμος· *Quidam extranearum gentium pilos capitis abradebant, & hos offerebant mortuis: alii pilos barbæ, alii ſuperciliorum. Lex divina prohibuit iſta fieri.* Sic etiam Modernis nonnullis ſententiam ſtetiſſe, pateat e *P. Fagii* & *Sculteti* verbis; [b] *nonnullæ gentes*, inquit *Scultetus*, *capillos capitis ſecare ſolebant & defunctis offerre: alii pilos genarum, alii vero ipſa cilia incidebant atque offerebant. Hæc ut non imitarentur Judæi ſevere præcipit Deus*, Deut. 14. 1. *Sed ſuperſtitioſiſſima Judæorum gens quid ſuperſtitionum Paganarum intactum reliquit?* Quæ omnia *Scultetum* a *Fagii* commentariis precario habuiſſe, facile conſtabit [c] auctoris illius annotata ad hunc locum perlegenti. Cum itaque jam dicta probent, legem huic noſtræ parallelam de ritu ſuperſtitioſo, in mortuorum exequiis uſitato, exponendam eſſe; proclive eſt colligere, ritum conſimilem, & hac in lege quæ nos exercuit hactenus, licet haud adeo diſerte, prohiberi.

Hoc argumentum (dicet forte nonnemo) fundamento male fido nititur, quod harum legum forma diſſimilis indicio ſit, eas non eſſe cognatas aut parallelas: Nam *Levit.* 19. 27. vetitum eſt, *comam in orbem tondere*, hic autem anterioris capitis capillos diſſecare. Hanc autem objectionem facili opera diluamus: nam gentes, cum in luctu eſſent, nunc frontis, nunc capitis integri comam lacerabant. Huic mori fidem, & legi utrique lucem, conciliant modo citata *Tragœdi* verba:

> [d] *Placemus Umbras: capitis exuvias cape,*
> *Laceraque frontis accipe abſciſſam comam.*

Interea temporis, vero non abſimile eſt, gentes antiquas comam anteriorem, utpote magis obviam & unguibus propinquam, in luctu funebri frequentius laceraſſe vel ſecuiſſe. Inde cauſa data videtur *Achmetis* [e] verbis, ἐὰν ἴδῃ ὅτι ὁ κουρεὺς βλέπων αὐτὸν ἐμπροσθίως ἐκάρευσεν, ἤτοι καὶ προγνώσεται τὸν τρόπον τῆς ἀπωλείας αὐτοῦ: *ſi quis* per ſomnium *viſus ſit ſibi a tonſore ipſum obtuente in antica parte tonderi, mortis ſuæ genus præſciat.*

Quarto: inde liquet etiam, Deum non ſimpliciter tonſuram ſphæricam, ſed tonſuram ritu & conſilio ethnico peractam, hac in lege vetuiſſe; quod e Scriptura compertum ſit, Hebræos antiquos [qui proculdubio legis ſuæ ſenſum probe tenuere] barbæ & capitis integri tonſura ſuorum funera celebraſſe. Huic mori Judaico teſtimonio ſunt loci ſupra citati, quibus addo Prophetæ verba: [f] *& morientur magni & parvi, in terra hac: non ſepelientur, neque plangent eos, neque incidetur, neque decalvabitur ob eos.* Multum hic ſudarunt interpretes, ne lex & praxis Judæorum frontibus adverſis concurrere cenſeantur: & ad eorum mores cum legibus (uti videntur contrariis) conciliandos, vias diverſas inierunt. Judæi moderni, ut nodum ſolvant, varias tonſuræ ſpecies, & calvitiem inducendi modos, enumerarunt; e quibus, has licitas, alias lege vetitas, decreto quaſi magiſtrali, pronunciarunt. *Grotius* nodum cui ſolvendo impar erat, ſic ſecare ſtudet, [g] *mores* illos, ſe incidendi, & decalvandi, *multi* Judæi *a viciniis ſumſerant, ſpreta lege quæ extat Levitici* 19. 27, 28. *Deuter.* 14. 1. Ab eadem opinione non multum aberat *Chemnicius*, aſſerens pravos illos mores pedetentim increbuiſſe, [h] *ex converſatione* cum gentibus peſtifera, quomodo *tibicines etiam in curatione funerum.* At mihi tam facile perſuadere nequeo, Judæos legum aliarum obſervantiſſimos, legis hujuſce rationem adeo nullam habuiſſe, ut in funere non tantum capita depilandi, ſed & carnes incidendi licentiam ſumerent; modo ritus illos in luctu tantum funebri (quod ſentit [i] *Grotius*) illicitos exiſtimaſſent. Sed & præter fidem videtur, Judæos antiquiores comam in luctu funebri diſſecandi ritum a gentibus exteris accepiſſe; cum te-

Sect III.

Arg. 4[m].

a In *Deuter. Qu.* 13. b *Exercit. Evang.* l. 2. c. 55. c Vid. *Fag. annot.* in *Deut.* 14. 1. d In *Hippolyt. Act.* 5. *Scen.* 1. e *Oneirocrit.* cap. 31. f *Jerem.* 16. 6. g *Comment.* in *Jerem.* 16. 6. h *Exam. concil. Trident.* P. 3. c. 2. p. 527. i In *Jeſ.* 22. v. 12.

1 Vid. pag. 396.

SECT. III. ſtetur *S. Hieronymus*, Judæos non olim tantum, ſed & [a] ætate ſua, crines in funere ſecuiſſe, cum plerique gentilium ritus in deſuetudinem abiiſſent, & zelus Judæorum in legem, moris alicujus ab ethnicis recepti tyrannidem facile ſuperaret. His accedat, quod prophetæ, multorum funera prædicentes, crebras petierint a ritibus hiſce funebribus loquendi formulas, gentem Judaicam *ad calvitiem & capitum raſuram* ſæpius adhortantes; viz. *Jer.* 7. 19. *Mic.* 1. 16. *Amos.* 8. 10. *Ezec.* 7. 18. & alibi: abſonum autem & abſurdum haud immerito cenſeatur, prophetas ad ritus alicujus legi divinæ repugnantis uſum hortari voluiſſe, vel Deum inſtituta ſua priora poſterioribus prophetarum locutionibus abrogaſſe. Leges itaque toties commemoratæ cum contrariis Hebræorum antiquorum factis nulla ratione conciliari poſſe videntur, niſi dicamus, legibus iis tonſuram tantum funebrem, animo ſuperſtitioſo & ritu Gentili factam, prohiberi. Ita nempe Gentium more comparatum erat, ut non tantum crines in funere tonderent, (hoc ipſe [b] *Jobus*, nunciata filiorum morte, feciſſe dicitur) ſed eos in ipſius defuncti faciem, ſepulchrum, aut buſtum, conjicerent; ut ex ipſo crines diſſecandi modo conſtare poſſet, gentes Diis *Manibus* aut mortuorum umbris, muneris & piaculi vice, crines ſuos obtuliſſe. Hoc itaque, & cognato [c] illo *Deuteronomii* præcepto, cautum videtur, ne Iſraelitæ, cum honores extremos mortuis impertirent, eorum crines למת *ad* vel *ſuper mortuum*, ritu & conſilio ethnico diſſecarent. Mecum hac in re ſentit *Calvinus*, in legem [d] hæc habens; *inciſuram & calvitium* ſuper mortuo *damnat Moſes, quia ritibus hiſce finis Gentium erat juſta ſolvere mortuis, & feriales exequias quodam piaculi genere celebrare.*

Arg. 5m. Quinto: ſententia noſtra vero ſimilior exiſtimetur, quod tonſio illa piacularis, conſuetudo perantiqua, & olim longe lateque propagata fuerit. Genres ab antiquo crines eorum ad placandos defuncti manes tondere ſolitas, norunt omnes qui vel mediocrem veterum ſcriptis perlegendis operam adhibuerunt. Atque inde conjicere liceat, ſuperſtitionem hanc latiſſime vagatam fuiſſe, nullamque fere gentem intactam reliquiſſe, quod apud Græcos & Romanos (gentium orientalium ſimios) in uſu tam frequens eſſet. Hac de re, nulla dubitandi cauſa ſubeſſe poteſt; cum apud nullum fere Poetam, *Græcum* aur *Latinum*, moris hujuſce funebris non occurrat mentio. Promptum eſſet, multa ex iis teſtimonia in medium proferre; ſi [e] *Meurſii*, [f] *Kirchmanni*, [g] *Moreſtelli*, [h] *Stanleii*, & aliorum de re funebri ſcriptorum, ſcrinia compilare vellem. Cum itaque teſtimoniorum tot illuſtrium luce percipiamus, hunc ritum funebrem in Oriente plurimum olim invaluiſſe; ſuadet ratio, ut Moſem legem aliquam ei repugnantem alicubi ſtatuiſſe cenſeamus. Cum enim id muneris a Deo accepiſſet Moſes, ut ritus idololatriæ & magiæ conjunctiores, ſi præſertim in uſu quotidiano poſitos, extirparet; plane incredibile eſt, eum ritum tam frequentem & qui gentium pene omnium mores inſeciſſet, nulla cenſura notatum præterire voluiſſe. At vero, niſi Moſem, hic, aut loco [i] illo parallelo, hunc ritum perſtrinxiſſe concedatur, ne in tota lege moris hujus infamis vel mentio repetiri poteſt.

SECT. IV.

Objectiones enervantur.

SENTENTIA noſtra rationibus hiſce communita, adverſæ partis argumenta jam ſolvere conabimur, ut omnis lectori ſcrupulus auferatur.

Horum primum petitur a verſione Græca, quæ interpretationi noſtræ prorſus adverſari videtur. Sic enim ſe habet verſio illa, οὐ ποιήσετε σισόην ἐκ τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς ὑμῶν. Eſt autem Σισόη, inquit *Scholiaſtes* in *Leviticum*, * ὁ κρώβυλος, i. e. πλέγμα, ὅπερ Ἕλληνες ἐπλέκοντο, ὡς Κρονικὸν ἀνάθεμα· *Cincinnus* aut *nodus capillorum, quem Gentiles, tanquam rem Saturno ſacram, intorquebant.* Conſentit *Suidas*, qui Σισόη per τὸ πλεξίδιον explicat. Idem ſentire videtur *S. Cyprianus*, ſic legem reddens, *non facietis cirrum ex coma capitis veſtri.* L. 4. ad *Quirinum.* Uude liquet nos a veri vicinia longe recedere, qui legem hanc de tonſura in exequiis uſitata interpretamur.

a Vid. Cap. *prox.* §. 1. b Cap. 1. 20. c Cap. 14. 1. d *Comment.* in *Lev.* 19. 27. p. 177. e De *funer.* c. 27. f De *Roman. fun.* l. 2. c. 15. g De *pomp. feral.* lib. 2. c. 32. h In *Æſchyl. Choephor.* p. 816. i *Deuter.* 14. 1. * Vid. *Harpocrat.* in voc. κρώβυλος,

1 Vid. pap. 390.

Hæc

Hæc omnia me leviter feriunt, quod vox Σισόη, a viris eruditione præſtantibus, exotica putetur, & illius intentio vera lateat in tenebris adhuc, obruta vetuſtate. Mihi recte ſentire videntur, *Johannes Croius*, *Sopingius*, aliique, qui vocem eam plurimis aliis *Alexandrina* dialecto peculiaribus annumeraruut. Cum enim *Alexandria* olim commune quoddam literarum emporium eſſet, eoque ex omni pene gente confluerent homines, ad animos literis excolendos; inde lingua civitatis illius tot vocibus originis exteræ contaminata eſt, & tot vocabula veris Græcis ignota in eam irrepſerunt, quod *Irenæus*, Grammaticus Alexaudrinus, ſeptem libros (jam temporis injuria ſurreptos) περὶ τῆς Ἀλεξανδρέων διαλέκτου ſcripſerit. Cum autem interpretes Græci, ex Alexandria plurimum oriundi, multas hujuſmodi voces Alexandrinas uſurparent, factum eſt, ut textus Hebræus, hic, & alibi ſæpe, magis apertus ſit & intellectu facilis, quam ipſa Græcorum verſio. Vocem autem Σισόη, in vocum Alexandrinarum numerum referendam cenſeo, non tantum quod interpretes illi hujuſmodi vocibus [a] frequenter uterentur; ſed quod in nullo auctore mere Græco, & Athenarum civitate donato reperiri queat. Ad hanc ſententiam me ducit etiam, de *Siſoe* locus apud *Heſychium* corruptiſſimus [Σισοκάρη, φοιά, Φασηλῖται] quem [b] *Cl. Heinſius*, conjectura ſane feliciſſima, ſic reſtituit; Σισόη, κουρὰ ποιά, Φασηλῖται· *Siſoe, tonſura ſpecies, vox Phaſelitarum.* Manifeſtum eſt itaque, ſi quid in re tam obſcura manifeſtum, vocem hanc a *Phaſelitis* ad *Alexandrinos & interpretes Græcos* deveniſſe. *Phaſelitas* autem vocem eam ad πρόβολον aut πλεξάδιον *cincinnum intortum & implexum*, Saturno ſacrum, indicandum uſurpaſſe, nec dicit *Heſychius*, nec teſtimonio vel ratione momenti alicujus evinci poteſt. Hoc equidem *Græcum Scholiaſten* aſſerere, non diffitendum eſt: at qua auctoritate fretus hoc dicat, me latere fateor. Certe, [c] cuivis leges antecedentes & ſequentes intuenti pateat, ceremoniam aliquam, circa mortuos olim uſurpatam, in iis prohiberi: ſuadet itaque legis hujuſce locus & συνάφεια, ut in ea ritum aliquem funebrem interdictum eſſe cenſeamus.

Secundo: dicet ſorte non-nemo, Scripturam opinioni noſtræ refragari, qua Deus pœnas ſeveriſſimas denunciat Ægyptiis aliiſque, & minatur ſe [d] *viſitaturum ſuper omnes* qui ſunt קצוצי פאה *circumciſi* ſeu *circumtonſi* [1] *angulos*, nempe capitis. Huic verſioni ſuffragantur LXX, ſic verba transferentes, ἐπὶ [2] πάντα περικειρόμενον τὰ κατὰ πρόσωπον αὐτοῦ. Hinc autem probabiliter inſerendum, Deum hac in lege non tonſuram ſolummodo funebrem & extraordiuariam prohibere; ſed tonſuram aliquam, Arabum aut aliarum gentium uſu tritam, quæ *Bacchi* forſan, Orientalium *Deaſtri*, inſigne habebatur. Refert enim [e] *Herodotus*, *Arabiæ* gentibus in more fuiſſe, comam in rotæ ſpeciem diſſecare: de iis enim loquens, κείρονται, inquit, [3] ὑποτρόχαλα, περιξυρῶντες τοὺς κροτάφους. *tondentur in orbem, tempora ſubradentes.* [4] *Plutarchus* etiam in *Theſeo* ait, οἱ Ἄραβες ἐκείροντο τῆς κεφαλῆς τὰ πρόσθεν· *Arabes tondebantur ſincipus.* Eſt itaque Scripturæ ſimul & hiſtoriæ conſentaneum, Deum legem hanc ordinariis Arabum & aliorum ethnicorum moribus oppoſuiſſe, & ideo touſuram περιφερῆ factam vetuiſſe, ut Iſraelitæ a ſuperſtitioſo gentium uſu recederent, vel ut ab iis, ipſo corporis & oris habitu diſcernerentur.

Objectio illa roboris ſpeciem quidem habet, & præterea nibil. Nam tota errant via, qui textum illum *Jeremiæ* de gente aliqua *circumciſa angulos*, nempe capitis, exponendum ſentiunt. Textui & rationi convenit, ut eum de gentibus *diviſis angulo*, i. e. extremo angulo orbis terræ habitantibus, iuterpretemur. Ita ut ſenſus ſit, "perveniet plaga, non ad Ægyptios tantum & Judæos, ſed & eos qui receſſus abſconditos, & angulos ob diſtantiam minus notos, incolunt. Extremi & obſcuri illi anguli, in quibus nonnulli ſorſan ſe tuto latitare ſentiunt, eos immunes a plaga non couſervabunt. Hic ſenſus *Chaldæo* placuit, qui hæc verba per מספי מאתא *circumdatos angulo*, nempe terræ, exponenda cenſuit. A nobis ſtant etiam interpretes *Anglicani*, ſic locum reddentes: ***And all that are in the utmoſt corners.*** Sic & ipſe Propheta ſeipſum explicat, cum addit, *qui habitant in deſerto.* Atque hinc eveniſſe cenſeo, quod *Caſtalio* hæc, & priora verba, iu unum nulloque diviſum commate compiugat ſenſum; ſic locum transferens, *& in omnes extremum ſolitudinis tractum incolen-*

a *Tot ſunt* Alexandrinæ *voces apud Græcos interpretes, ut vix recenſeri & deſcribi poſſint.* J. Croi. Obſer. In N. T. p. 259. b In *Ariſtar. Sacr.* pag. 108. c Vid. *Lev.* 19. 26, 27, 28. d *Jerem.* 9. 26. e In *Thalia* c. 8.

1 פאה *angulo.*
2 Juxta *Ed. Complut.* αὐτοῦ — τὰ deeſt *Complut.*
3 Vid. *pag.* 391.
4 *Plutarchus* ita loquitur; οἱ δὲ Ἄβαντες ἐκείραντο πρῶτοι τὸν τρόπον τοῦτον, ἀλλ' ὑπ' Ἀράβων διδαχθέντες. pag. 2. F.

tes.

SECT. IV. *tes.* Hic itaque Scripturæ locus nil nobis adverſi continet. Nihilo magis opinioni noſtræ præjudicat hiſtoriæ fides : nam, ſi [a] *Plinio* fidem habeamus, Arabes olim *intonſo crine* utebantur : hoc & eo facilius creditur, quod iis hodieque [b] moris ſit, ituris in prælium, ſibi *ex propria coma coronas & cincinnos nectere*. Atque inde perſpicuum evadit, locum ex *Herodoto*, quaſi pro Arabum tonſura laudatum, non de capitis, ſed aut de barbæ tondendæ ritu, Arabum genti proprio, aut de extremorum crinium rotundatione, citra integram capitis tonſuram, accipiendum eſſe : hujus enim ritus & *Plinius* aliquatenus meminit, cum *Arabibus barbam abradi* ſolitam dicit, *præterquam in ſuperiori labro*. Sed ſi *Herodoti* verba de integra capitis tonſura inter Arabes uſitata capiamus, inde male ſequetur, Deum ideo hanc tonſuræ ſpeciem Iſraelitis vetuiſſe; cum præſertim Arabes, non *barbæ angulos corrumpere*, ſed integram *abradere* ſolerent, niſi *Plinii* modo laudati fidem ſuſpectam habeamus.

TERTIO : nonnemo forte dicturus eſt, Deum, inter alia luctus funebris indicia, capitis integri tonſionem inhibuiſſe, ne populus ejus ethnicorum ritu, luctui inhoneſto & ſpei fideique ſuæ diſſono, in ſuorum funeribus, indulgerent. Certum eſt, ethnicos (ſpe vitæ melioris deſtitutos) luctui ſe totos tradidiſſe, & multa mentis emotæ ſigna, in ſuorum funeribus edidiſſe. Genas lacerabant, crines evellebant, lacertos diſſecabant, barbam, decoris virilis immemores, corrumpebant; imo Deos ipſos conviciis onerabant, quorum invidia vel incuria factum credebant, quod charorum ſuorum aſpectum deſiderarent. Hæc objectio novas vires acquirat ab *Euſtathii* [c] teſtimonio : τὸ δὲ κείρεσθαι κόμην ἐπὶ νεκροῖς, ἔθιμον ἦν καὶ τοῖς πάλαι, ἵν καὶ αὐτὸ λύπης τὸ ἔνδειξις, καθὰ καὶ τὸ τίλλειν ἀπηνθρωπινῶς κεφαλῆς τρίχας· His probabile factum eſt, Deum tonſuram orbicularem hac in lege vetuiſſe, ne quis in funere luctui indecoro vel menſuræ neſcio locus eſſet; non ut caveret, ne Iſraelitæ, ſe in orbem ſecantes, crines mortuis offerrent, aut ſuper eorum pectora vel ſepulchra, parentandi cauſa, collocarent.

SED hæc omnia jam dictis haud multum adverſantur : norunt enim omnes qui cum literis humanioribus aliquid commercii habuerunt, gentes pleraſque, mortuos efferentes capita tondere ſolitas; non tantum ut mœrorem indicarent, ſed ut *mortuis* parentarent, & luctum adaugerent, qui ad *Manes* etiam placandos haud parum valere credebatur. Noluit equidem Deus ut Iſraelitæ, liberis aut amicis orbati, luctu immodico & a nominis ſui dignitate alieno ſe dehoneſtarent : at ſi Deus hanc tonſuram lugubrem ea ſola de cauſa prohibuiſſet, proculdubio Judæi (legis olim ad ſuperſtitionem obſervantiſſimi) ſibi calvitiem tam frequenter inducere noluiſſent, ut dolorem ex amici funere conceptum augerent ſimul & indicarent.

Capitis conclusio.

QUÆ de legis hujuſce ratione jam dixi, pudorem incutiant Hebræorum magiſtris, qui circa capitis & barbæ tonſuram tam ſollicite verſantur ipſi, & eorum diſcipulos tot otioſis decretis circa tonſuræ ſuæ formam & modum onerare ſolent. Ex iis nonnulla, e *Maimonide* petita, hic lectori exhibemus : [d] *nemo a fronte præcidat capillos ab una aurium ad alteram, relicta occipitis coma :-- qui utrumque capitis latus detondet, -- bis vapulet :* [e] *mulieri extremam viri cæſariem detondere, eſt nefas : licet extremitatem crinium auferre forfice, at ſcalpro non licet : quinque ſunt anguli barbæ, & ob horum aliquem reciſum verbera infliguntur.* Hæc, & alia ejuſdem farinæ, dogmata proferunt & per ea magiſterium in populi ſimpliciores animos exercent, cœci illi cœcorum duces. Nec mirum: promptum eſt enim hominibus, literarum humaniorum rudibus, a legum Moſaicarum ſcopo aberrare, & illa venerandæ vetuſtatis inſtituta, frivolis & ſuperſtitioſis commentariis, in ſenſum alienum detorquere. Gentium antiquiorum ritus inſani, legibus illis inſtituendis occaſionem dederunt : ideoque neceſſe eſt, ut omnes hiſtoriæ profanæ face deſtituti, legum earum rationes, veluti *Nili* fontes, vano & ridiculo labore perquirant.

a *Hiſt. nat.* lib. 6. cap. 28. b *Camerar. Oper. Subciſ.* T. I. c. 93. c In *Hom. Iliad.* Ψ. verſ. 46.
d De *Idololat.* c. 11. §. 2. e *Ib.* cap. 12. §. 1. 4, 5.

Digitized by Google

C A P. XIX.

Lex contra carnis inciſuram lata.

APUD ethnicos antiquiores ea inceſſit conſuetudo, ut non tantum comam & veſtem, ſed & carnem, in funeribus lacerarent. Admirabile quidem & præter fidem videri poſſit, gentes ullas rationi & ſenſui uſque eo valedicere potuiſſe, ut ipſa corpora mutilarent, & de proprio ſuo corio tam inſulſe luderent. At morem illum abſonum plurimum apud Orientales increbuiſſe, & carnis laniatum comæque vulſionem funeris comites indiviſos fuiſſe, ex hac & ſuperiori lege ſatis intelligitur. Nec ritus illi funebres apud Orientales ſolummodo, ſed & alias gentes, obtinuere. *Scythas* eos in uſu habuiſſe, teſtatur [a] *Herodotus*, dicens: ἐπεὰν σφι ἀποθάνῃ ὁ βασιλεύς, ——— τοῦ ὠτὸς ἀποτάμνονται, τρίχας περικείρονται, &c. *Quum rex eorum deceſſerit, -- aurem decidunt crinem circumtondent, brachia concidunt, frontem naſumque ſauciant, ſiniſtram manum ſagittis trajiciunt.* *Romanos* etiam eidem inſaniæ affines fuiſſe, ex *Ovidio* diſcimus, amicam ſic [b] alloquente:

> *Parce tamen lacerare genas: nec ſcinde capillos:*
> *Non tibi nunc primum, lux mea, raptus ero.*

Sic & *Tibullus Deliam* ejus affatur, l. 1. eleg. 1.

> *Tu manes ne lade meos, ſed parce ſolutis*
> *Crinibus, & teneris Delia parce genis.*

Hos itaque ritus lugubres, quos lex & gentium conſuetudo tam arcte conjunxit, ipſa ſeparare nolo; ſed a lege comæ tonſuram lugubrem prohibente tranſiens, ad proximam quæ carnis inciſuram vetat, me ſtatim confero; ejus autem verba ſic ſe habent, *ſuper mortuo non incidetis carnes veſtras*, Lev. 19. 28.

Ut autem huic legi lux clarior afferatur, illius intentio primum, dein & ratio, diligentius exquirenda eſt.

S E C T. I.

Senſus legis illuſtratur.

CUM inciſura carnis propter mortuum hac in lege prohibeatur, Hebræi tamen amicorum funera deflentes, ritu illo (quod ſtatim oſtendo) frequenter uterentur; tota lex hæc incredibili obſcuritate, ne dicam, atra quadam nocte, perfuſa videatur. Priuſquam itaque ad legis hujuſce rationem exquirendam me accingam, operæ pretium erit, verborum ſenſum & legis integræ mentem, qua licet, inveſtigare.

INITIUM itaque faciam a voce שרט cujus ſenſus dubius liti leviuſculæ cauſam præbuit. In hujus rei fidem audiamus [c] *Dionyſ. Voſſium*: שרט *quod vulgo transferunt* incidere, *vertendum eſt ſecundum Rabbinos*, laniare. *Nam præceptum*, *quod* Levit. 19. 28. & 21. 5. *traditur*, לא ישרטו שרטת *diverſum eſſe volunt ab altero*, *quod eſt* Deut. 14. 1. לא תתגדדו *Prius illud* Levit. *vetat lacerare unguibus ſeſe: unde & Græci tranſtulerunt*, ἐπὶ τὰς σάρκας αὐτῶν κατατεμοῦσιν ἐντομίδας, *quod non de inciſura accipiendum*, *ſed laniatu: nam* ἐντομὶς *quoque notat lacerationem corporis qua in luctu fiebat: unde* ἐντομίδες *apud Suidam*, *qui laniatu vultum ſuum in luctu fædebant.* Hæc ille. Mihi probabilius eſt, vocem hanc utroque ſenſu capiendam eſſe: ita ut, lege hac, inciſio cultris aut unguibus facta, vultus læſio omnis & fœda ſpecies, quocunque modo inducta, prohiberi cenſeatur. Hunc ſenſum a vero eo minus abeſſe judico, quod ethnici, laniatu ſimul & inciſura: vultus ſuos in luctu funebri violare ſolerent: ideoque veriſimile eſt, Deum hac in lege, gentium mori contraria, utraque luctus immodici & ſuperſtitioſi documenta, [carnis inciſionem & lacerationem] pariter inhibuiſſe. Hiſce conſentanea [d] *Maimonidis* verba: גדידה ושריטה אחד הוא וגו׳ *Inciſio & laceratio pro eodem habentur: nam quemadmo-*

a Lib. 4. cap. 71. b Lib. 3. *Triſt. eleg.* 3. c In *Maim.* de *Idololat.* c. 12. §. 12. d De *idololat.* cap. 12. §. 13.

SECT. I. *dum, præ dolore ob defunctum, carnem ſuam incidebant Gentiles, ſic quoque in idolorum honorem ſe unguibus carpebant.* Huic etiam opinioni adſtipulatur *Onkelos*, qui hanc vocem per חבול *corruptionem* aut *læſionem* quamvis notantem interpretatur.

PROXIMO nobis explicandum occurrit vocabulum נפש de cujus intentione doctorum ſententiæ non multum diſcrepant. *Chaldæus* hanc vocem per על מית *ad* vel *ſuper mortuum* reddit. Hoc ſenſu vocem agnoſcit Moſes, *Numer.* 6.6. *Ad* נפש *animam* i. e. cadaver, *mortui non accedet:* & *verſ.* 11. *propterea quod peccavit ſuper* רנפש *anima*, i. e. מיתא *mortuo*, uti *Targum* explicat. Hujus rei ampliore probatione ſuperſedeo, quod ſignificatio hæc interpretum conſenſu comprobetur, eamque locus [a] ille parallelus extra dubium ponat, *non incidetis vos, neque ponetis calvitium inter oculos veſtros,* למת *ad mortuum.*

INTEREA loci, ſpecialis hujus vocabuli, quatenus cum præfixo ל ſumitur, ſenſus in obſcuro eſt, & eruditis crucem figit. Senſus autem obſcuritas inde naſcitur, quod vox ea [לנפש] triplicem ſignificatum admittat [*propter mortuum, juxta* vel *ſuper mortuum*, & *ad mortuum*] & quod ſenſui recepto plane contrarii veterum Hebræorum mores obſtare videantur. Nam e ſcripturæ locis bene multis evinci poteſt, eos hanc legem (prout ab interpretibus explicari ſolet) ſæpe violaſſe, & propter amicos ſuas hac luce privatos manus & facies incidiſſe: nempe *Jerem.* 41. 5. *Venerunt viri de Sichem, & de Silo, & de Samaria, octoginta viri, raſi barba, laceri veſtibus, & incidentes ſeſe: Jerem.* 47. 5. *Venit calvitium ad Gaza, ſucciſa eſt Askalon,* & *reſiduum vallis eorum uſque quo* תתגודדי *incides te?* Cap. 48. 37. *Omne caput calvitiem contrahet, & omnis barba ſucciſa eſt, ſuper omnes manus* גדדות *inciſiones, & ſuper* omnes *lumbos ſaccus. Jeſ.* 15. 2. Ἐπὶ πάσης κεφαλῆς φαλάκρωμα, πάντες βραχίονες κατατετμημένοι, *Jerem.* 16. 6. *Et morientur magni & parvi in iſta terra, non ſepelientur, neque plangentur, & non ſe incidet quiſquam pro illis.* In quæ verba [1] *S. Hieronymus* hæc habet, *mos fuit apud veteres, & in quibuſdam permanet Judæorum uſque hodie, ut in luctibus incidant lacertos & calvitiam faciant.* Cum itaque veteres Hebræi, familiarum funera deflentes, carnis ſuæ ſciſſura doloris vehementiam indicare ſolerent; neceſſe videtur, ut Hebræos aliarum legum ſtudioſos, nullam legis hujuſce rationem habuiſſe, vel ſenſum alium, quam verba præ ſe ferunt, ei tribuiſſe, concedamus. Quantum mihi in re tam perplexa & obſcura percipere datum eſt, aſſertionibus hiſce tribus hæc difficultas expediri, & legis integre ſenſus, abditus adhuc & involutus, explicari poteſt.

PRIMA ſit hæc: carnis inciſio ſimul & laceratio *propter mortuum*, quanquam non primario hac in lege prohibentur. Ipſa verba legis hoc evincunt apertiſſime. Apud ethnicos uſus inolevit, ut nuda corpora gladiis impeterent, capillos evellerent, genas unguibus lacerarent, & ritibus hujuſmodi, ridendis & inſanis potius quam flebilibus, in amicorum funeribus uterentur. Deus itaque hanc legem dedit, ut ritus hoſce funebres, gentiliſmi ſoboles & a decoro prorſus abhorrentes, eliminaret. Nec mirum: cum ipſe [b] *Solon*, ritibus hiſce funebribus, humanitatis expertibus, Athenienſibus ſuis interdixerit. Et *Solonis* exemplo, *deteſtabile* illud *lugendi genus*, (ita vocat [c] *Cicero*) *laceratio genarum*, lege *duodecim Tabularum*, his verbis interdictum eſt; *mulieres genas ne radunto.* Ibi vero, *genas radere*, *Feſto* interprete, *eſt unguibus ſcindere vel cruentare.* Cum itaque mores illi funebres, homine bene morato, vel ipſis ethnicorum legislatoribus, indigni viderentur; nil miri habet, quod lege genti ſanctæ data vetiti reperiantur. Id interim, illæſa veritate, dici poteſt, hunc ritum funebrem, nec ſolum nec præcipue, hac in lege prohiberi. Nam ritus ille, per ſe ſpectatus, nil prorſus inhoneſti continet; eſt etiam incredibile dictu, Judæos antiquos, exequias agentes, carnes eorum tam frequenter incidere voluiſſe, modo ritum illum, hic, unice vel præcipue, vetitum exiſtimaſſent.

SECUNDO: carnis inciſio, *ſuper* aut *juxta mortuum* fieri ſolita, voce לנפש interdicta videatur. Huic opinioni favet *Chaldæus*, qui לנפש per על מות *ſuper* vel *juxta mortuum* explicat; cum reſpectu (ni fallor) ad morem ethnicorum, qui carnem incidendi ritum, juxta defuncti rogum, loculum aut cadaver, peragebant. Ex eo more factum eſt, quod *Heliodorus* anum quandam inducat filii ſui defuncti exequias hoc ritu celebrantem: [d] *gladium*, inquit, *attollens*, καὶ βραχίονα ἐντεμοῦσα *& brachium incidens, lauri ſurculo ſanguine abſterſo, rogum filii ſui conſpergebat.* Qui plura moris hujus ex-

a *Deut.* 14. 1. b Vid. *Plutarc.* in *Solon.* p. 90. C c *Tuſcul.* Lib. 3. d *Æthiopic.* l. 6. p. 293.

1 *Tom.* 3. *col.* 605.

empla deſiderat, [a] *Bonfrerii* commentarios adeat. Cum autem carnis inciſio, hoc ritu præſtita, merum oleret ethniciſmum, & non tam luctus indicandi, quam defuncti manes propitiandi cauſa, vulgo perficeretur; Deus haud immerito inciſionem iſtam hic vetuiſſe putetur, nequa tanti mali ſpecies aut occaſio ſupereſſet. SECT. I.

TERTIO: carnis inciſura, *mortuo* vel *ad mortuum*, gentium ritu, facta, maxime & ex præcipua legislatoris intentione, hac in lege prohibetur. Ut huic aſſertioni lux clarior oriatur, ἐν παρόδῳ monendum eſt, ethnicos, funeris officium exequentes, carnes incidere, genas ungue fœdare, quandoque membrum aliquod abſcindere, voluiſſe; quod abſurde crederent, ritus illos ſanguineos Diis Manibus acceptos, aut amicis fato functis aliquid ſolaminis allaturos. Eos carnes incidere & decoram vultus ſpeciem cultris aut unguibus violare ſolitos, cuivis e ſchola rytunculo ſatis innoteſcit. In præſens itaque ſufficiat obſervaſſe, LXX vocem ἐντομίδας (tanquam technicam & triſtibus ethnicorum ceremoniis propriam) ad inciſiones illas exprimendas, hanc legem transferentes, uſurpaſſe. Sunt autem ἐντομίδες, exponente [b] *Heſychio*, ξυσμοὶ ὄψεως γινόμενοι καὶ τοῖς λοιποῖς σώμασιν ἐντεμνόμενοι· ταῦτα δὲ. inquit, ἐποίουν αὐτὰ ἐν (i. e. ἐπὶ) τοῖς νεκροῖς αὐτῶν οἱ ἐθνικοί· i. e. *Sciſſura in vultu aliisque corporis partibus facta*: nam *hujusmodi laniatus facere conſuevit pro defunctis infidelium natio.* Neque carnes tantum incidere, ſed & corpora mutilare, ſolebant aliqui, nec, ritu illo cruento prætermiſſo, exequias rite ſolutas exiſtimabant. In re tam trita, unico [c] *Plutarchi* teſtimonio contenti ſimus: Τινὲς δὲ τῶν βαρβάρων καὶ μέρη τοῦ σώματος ἀποτέμνουσι, ῥῖνας καὶ ὦτα, καὶ τὸ ἄλλο σῶμα καταικίζοντες, δοκοῦντές τι χαρίζεσθαι τοῖς τετελευτηκόσιν, &c. *Quidam vero barbarorum*, in exequiis, *etiam corpora ſua, naribus, auribus, aliisve partibus amputandis fœdant; ſe nonnihil gratificari defunctis credentes, cum in hoc genere medioeritatem a natura conſtitutam exceaunt.* Cum itaque Gentiles, exequiis occupati, ſciſſuras in carne facerent, ut animæ defuncti *gratificari* poſſent, & Manes oſtenſo cruore propitiarent; lex hæc eo præcipue conſilio ſancita putetur, ut ſuperſtitionem iſtam, religioni ſimul & humanitari repugnantem, extirparet. Huic opinioni lex ipſa fundamentum præbet (ושרט לנפש לא תתנו בבשרכם) ſi verbum e verbo reddimus, ſic interpretanda; *& inciſionem anima* vel *ad animam, non dabitis in carne veſtra.* His autem verbis hic ſenſus maxime videtur accommodatus: "nolite carnem veſtram incidere, ut miſſio ſan-"guinis animæ in ſolatium cedat, vel ut ei e corpore migranti quovis modo prodeſſe "valeatis: nolite vobis dolorem, ut animæ requiem concilietis, vel ut manes defun-"cti placatos habeatis. Huic etiam interpretationi favent interpretes Græci, legem in hæc verba transferentes, Καὶ [1] ἐντομίδας οὐ ποιήσετε ἐπὶ ψυχῇ ἐν τῷ σώματι ὑμῶν· *Et inciſiones non facietis ſuper anima, in corpore veſtro.* Quaſi dixiſſent, "ethnici quidem, fune-"bria peragentes, ἐντομίδας inciſiones largiores in corpore faciunt, ut ſanguinem eorum, "tanquam piaculum & inſerias, effundant, ad placandos manes, aut animam defun-"cti propitiandam: vos autem ſciſſuras pro defunctis, eo animo & ritu minime facie-"tis. Hac paraphraſi, me Græcorum Interpretum, aut ſaltem præcipuam legis hujus intentionem & ſcopum, attigiſſe, dubitare nequeo.

JAM dicta cauſam non unam ſuggerunt, cur Hebræorum mores funebres a legis hujus præſcripto nonnihil diverſi fuiſſe videantur. Nam primo, veriſimile eſt, eorum nonnullos hanc vocem לנפש ſtricte, pro anima ſcilicet, accepiſſe; adeoque carnis inciſionem, capitis tonſuram orbicularem, aliosque ritus funebres, licitos habuiſſe, modo eos ad luctus vehementiam indicandam uſurparent, non ut manibus aut animæ defuncti quid gratum facerent. Deinde, pateat e ſuperius adductis, Deum hanc legem, non tam ritui illi funebri, quam dogmati ſuperſtitioſo (ritus illius cauſæ & radici) oppoſuiſſe: ideoque Judæi veteres credidiſſe cenſeantur, ſe nihil contra legis hujuſce διάνοιαν & intentionem primariam commiſſuros, ſi in charorum ſuorum funeribus genas præ mœrore laniarent, modo a ſuperſtitionis annexæ contagione ſe puros & integros conſervarent. Summa etiam rei probabilitas opinari ſuadet, pravos gentium vicinarum mores ita pedetentim apud Hebræos antiquiores inceſſiſſe, ut ethnicus ille lugendi modus vim legis apud eos tandem obtineret, & lex hæc mori pertinaci nonnihil cedere cogeretur. Neque hoc mirum videri poſſit, cum & apud alias gentes, Græcos, Romanos, imo Chriſtianos, moris hujus (inſulſi licet & inſani) tyrannidem leges ſuperaſſe comperiamus. Nam [2] *Solon* (quod diai) τὰς ἀμυχὰς τῶν κοπτομένων ἐν

Tacitæ Objectioni occurritur.

a In *Levit.* 19. v. 28. b In voc. ἐντομίδ. c De *conſolat.* ad *Apoll.* p. 113. B

1 Apud *Theodorit.* ἐντομίδας — *MS. Alex.* ἐπὶ ψυχῆς οὐ ποιήσετε ἐν· *Complut.* ἐπὶ ψυχῇ οὐ ποιήσετε ἐν.
2 *Plutarch.* ub. ſupr. in *Solon.*

SECT. II. *τυφῶς lacerationes cutis & coma lugentium in funeribus* ſevere prohibebat. Romanorum etiam legibus cautum erat, ne fœminæ, genis aliisve corporis partibus laceratis, mortuo parentarent: & lege Chriſtiana vetitum eſt, amicorum obitum, prout & *, οἱ ἐλπίδα μὴ ἔχοντες, h. e. Ethnicorum ritu, deplorare. At [1] *Petronius Arbiter*, matronæ cuidam *Epheſinæ*, mariti funera deflenti, *faciem unguibus ſectam* tribuit: & apud [a] *Quinctilianum* mulieris occurrit mentio, quæ filium extinctum lugens, *ſanguinantes ad judices lacertos porrigit*: & cum *Princeps Radzivilus Sitia* ageret, ubi fidem Chriſti profitebantur, [b] *maritum defunctum*, inquit, *uxor ſepeliebat, quæ facie unguibus conſciſſa, capillos evellens*, -- *caput muro allidens, non abſque ſanguinis effuſione orbitatem ſuam miſerabiliter deplorabat*. Nihil itaque a gentium aliarum moribus alienum fecerunt Hebræi, cum & ipſi laniatus & inciſiones haſce funebres, lege licet reclamante, retinuerint.

SECT. II.

Ratio legis aſſignatur.

OBSERVATU non indignum cenſeo, ſummum legislatorem, præter morem ejus, legem hanc ratione quaſi circumſeptam tradidiſſe. Sic enim, [c] loco parallelo, ſancita legitur: *vos eſtis filii Domini Dei veſtri: non incidetis vos, neque ponetis calvitium inter oculos veſtros ad mortuum: quia populus ſanctus* es *tu*, *Domino Deo tuo, & elegit te Dominus, ut ſis ei in populum peculiarem*, &c. Nos itaque pro virili parte conabimur, rationes paulo explicatius efferre, cur Deus hanc legem dederit, eamque tanto cum ſtudio ab omni violatione vindicarit.

HARUM itaque prima, ni fallor, hæc erat, ut omnem cultus idololatrici ſpeciem & occaſionem a populo ſuo longe removeret. Idololatræ veteres, inſanis eorum ſacris occupati, ſibi brachia & lacertos ferro cruentabant. De *Baalis* enim ſacrificulis legimus, quod, inter media ſacra, [d] *cultellis & lanceolis* ſanguinem ſibi elicere ſolerent. Eodem triſti ritu & [e] *Iſidis* cultores in annuis eorum ſolennitatibus utebantur. Conſimilem corporis lanienam in aliarum gentium ceremoniis locum frequentem inveniſſe, multis teſtimoniis evinci poſſet, ſi manus furtivas injicerem eruditis, [f] *Menochii*, [g] *Voſſii*, [h] *Sauberti*, vel [i] *Ouzelii*, paginis. Ideo vero ſacerdotes ethnici, ritum tam cruentum in myſteriis eorum uſurpabant, vel quod eorum numina tam triſti ſpectaculo ad miſericordiam flectere ſtuderent, vel quod ritus ille, utpote funebris & luctuoſus, mortuorum quos colebant heroum ceremoniis apprime conveniret. Hi vero ſacerdotum ethnicorum ritus in cauſa fuiſſe videntur, cur Deus, non ſolum toti Judæorum genti, ſed & ſacerdotibus ſpeciatim, id mandati dederit, [k] *ne decalvarent calvitium in capite*, -- *vel in carne inciderent inciſuram*. Nempe ſacerdotes ejus a ritu, ſacris & ſacerdotibus ethnicorum peculiari, abſtinere voluit; ut ſe *Dei vivi* (non *Iſidis*, *Cibeles*, *Bellona*, vel mortui alicujus) cultui dicatos intelligerent & indicarent.

(2°.) DEUS hanc legem ſtatuit, ut nefariæ opinioni, tunc temporis invaleſcenti, nulla cauſa vel occaſio relinqueretur. Si enim Gentilium antiquiorum opiniones e recentiorum fide ſenſuque judicemus, carnes eorum in exequiis ad ſanguinis effuſionem, antiquitus lacerabant; ſerio perſuaſi, ſe inferias mortuorum rogis & ſepulchris debitas hoc modo ſolvere, & *Manibus* oſtenſo ſanguine ſatisfacere. Ævi citerioris ethnicos ita cenſuiſſe, teſtatur *Servius* in [l] *Virgilii* illa,

——flavos Lavinia crines
Et roſeas laniata genas, ——

Ubi, *Varro dicit, mulieres in exequiis & luctu ideo ſolitas ora lacerare, ut oſtenſo ſanguine inferis ſatisfacerent*. Ex eadem opinione factum eſt, ut ante mortuorum rogos, ſanguis captivorum, gladiatorum, aut propinquorum, ubertim effunderetur. Ejus rei & *Servium* teſtem habeo, in *Æneid*. 12. *Moris* erat, *ut ante rogos ſanguis humanus effunderetur vel captivorum vel gladiatorum*. Horum, inquit, *ſi forte copia non fuiſſet*,

* 1 *Theſ*. 4. 13. a *Declamat*. 10. pag. 222. b *Peregrinat. Hieroſolymit*. p. 237. c *Deut*. 14. 1, 2.
d 1 *Reg*. 18. 28. e Τὰ μέτωπα κόπτονται μαχαίρῃσι *Herodot*. in *Eut*. f De *Rep. Hebr*. l. 4. c. 1. ſ. 18.
g In *Maim*. de *Idol*. c. 12. 13. h De *Sacriſic*. c. 27. p. 706, 707. i *Animad*. ad *Minut. Fel*. p. 226.
k *Lev*. 21. 5. l *Æneid*. 12. v. 605.

1 *Satyric*. Cap. 71.

laniantes genas ſuum effundebant eruorem, ut rogis horum *imago reſtitueretur.* Non erat autem e dignitate Judæorum, ut illi (*Dei filii*) quicquam honoris aut placaminis inferis aut mortuorum umbris exhibere viderentur. SECT. II.

(3°.) DEUS carnis laniatum, pilorum evulſionem, & hujuſmodi luctus effrænis indicia, lege lata ſuſtulit; ne populus ei ſacer defunctos ſuos, more ethnico, i. e. lachrymis nec ſpe nec pietate temperatis, deflere videretur. Ethnici, charorum ſuorum amplexibus orbati, dolori & anxietati ſe totos tradere ſolebant, in [a] Deos atque aſtra debacchati, genas radere, ſanguinem effundere, & nihil non facere quo luctus ſui vehementiam, vel potius inſaniam, teſtarentur. Curavit itaque Deus, ut populus ejus leges aliquas dolori ſuo figeret, & ſic amiſſos defleret, ut ipſa luctus ſui moderatione teſtatum daret, ſe vitæ futuræ ſpem providentiæ divinæ fidem retinere. Deus nonnihil Judæorum in amicos elatos affectui & pietati indulſit quidem: voluit autem ut eorum affectus intra decori limites coercererent, nec ora vultuſque ſuos, barbarorum ritu, cultris aut unguibus violarent. Iſraelitæ, non tantum ſuperſtitioſis, ſed & barbaris & inhumanis, Ægypti moribus aſſueti fuerant; & e lege conſtat, id egiſſe Deum, ut populum illum, non tantum ad religionem, ſed & humanitatem & morem cultiorem redigeret. Par erat itaque, ut laniatus & inciſiones illæ funebres, feritatis ethnicæ monimenta, prorſus exularent. Ipſe *Plato*, rempublicam ejus moribus decoris & viro dignis informare ſtudens, longe minora tolerare noluit: nam *flere mortuum jubere vel vetare abſurdum eſt*, inquit [b] ille; *plangere vero, & voces ac lamenta extra* ædes *mittere, vetandum.*

(4°.) CARNIS inciſio ritus erat religioſus, quo gentiles, Deos eorum mortuos invocantes, plurimum utebantur. *Baalis* antiſtites & prophetas, mactatis ei victimis, ſe inter invocandum incidere ſolitos, extra dubium ponit [c] hiſtorici ſacri teſtimonium; *clamabant voce magna, & incidebant ſe, more ſuo, gladiolis & lanceolis, donec ſanguis effunderetur ſuper ſe.* Hiſce conſentanea quæ apud *Hoſeam* leguntur, *Cap.* 7. 14. [1] ὠλόλυζον [δὲ] ἐν ταῖς κοίταις αὐτῶν, [2] ἐπὶ σίτῳ ϗ οἴνῳ κατετέμνοντο· *Sed ululabant in cubilibus eorum, ſuper tritico & vino diſſecabantur.* Quæ verba [d] *Theodoritus* in hunc modum illuſtranda cenſuit, τὰς ἐθνικὰς τελετὰς ἐπετέλουν, ϗ τοῖς ἐμοῖς ἀγαθοῖς ἐντρυφῶντες, ἐν τοῖς εἰδωλικοῖς οἴκοις τὰς καλουμένας ἐντομίδας τοῖς σφῶν αὐτῶν προσέφερον σώμασι· *Gentilia ſacra peregerunt, & bonorum meorum deliciis diffluentes, in idolorum templis* ἐντομίδας *inciſiones (quas vocant) corporibus ſuis admoverunt.* Ex his clare colligo, gentes ἐντομίδας illas, tanquam cultus & precationis ritus, uſurpaſſe; alias enim, quid in idolorum templis, & poſt peracta ſacra, quid etiam *ſuper* tritico & vino, ſe diſſecarent? Res hæc, verbis [e] *Minutii Felicis*, paulo longius ab omni dubitatione removetur; *qui ſanguine ſuo libat, & vulneribus ſuis ſupplicat, non profanus melius eſſet, quam ſic religioſus?* Cum itaque ſolennis illa carnis inciſio, cultus olim & invocationis ritus haberetur; probabilitatis haud parum habet, Deum inciſiones *ſupra* vel *juxta* mortuum factas hac lege vetuiſſe, ne populus Iſraeliticus, pro more ſeculi, mortuis aut idolis aliis cultum exhiberet, aut ſaltem exhibere videretur. Hoc & eo probabilius, quod carnis & comæ laceratio, mœroris indicium, ob damnum aliquod in re familiari factum, haud illicitum haberetur. Hoc e [f] verbis *Maimonidis* intelligere eſt: הקורח ראשו או השורט בבשרו על ביתי שנפל וגו׳ *Qui calvitium capiti induerit, aut carnem ſuam lacerat, propter ruinam domus, aut navim mari ſubmerſam, liber eſt. Neque enim vapulat quis, niſi ſe defuncti, vel idoli ergo, carpſerit.*

QUAMVIS autem hæc præpoſtera lugendi ratio, ob cauſas tam graves interdicta fuerit, e teſtimoniis jam adductis aperte conſtat, eam inter Hebræos antiquos plurimum invaluiſſe. Non eſt autem cur demiretur quiſpiam, quod inter eos hic lugendi ritus, lege licet interdictus adeo obtinuerit, cum illi ſenſum a noſtro diverſum huic legi tribuiſſe videantur. Nam e verſione Græca colligere pronum eſt, eos, non omnes inciſiones, in funeribus uſitatas, ſed ἐντομίδας, ſciſſuras piaculares, cum ſacrificio ſolenni conjunctas, & (ethnicorum ritu) ἐπὶ ψυχῇ, *pro anima* vel *ſuper defunctum* factas, illi-

a ——— *injuſtos rabidis pulſare querelis Cælicolas, ſolamen erat* ——— Stat. Sylv. 5. b Lib. 12. *de legib.* c 1 *Reg.* 18. 28. d *Comment. in loc.* e Pag. 226. f *De Idololat.* c. 12. §. 16.

1 In *Margine MS. Card. Barberini*, ἀλλ' ἀσελγῶς ἐλάλουν Juxta *Verſionem Symmachi*, ἀλλ' ἢ ἐμεμήνεσαν ἐν καταυλίσεσιν, αὐτῶν.

2 In *Marg. MS. Barb. & Edit. jerichunte ab Origene reperta*, ὑπὸ τρυφῆς ϗ πλησμονῆς σίτου ϗ οἴνου ἀπέστησάν με.

 citas

citas & hac in lege vetitas exiſtimaſſe. Hæc opinio fidei nonnihil a [a] *Suidæ* verbis mutuari poteſt: ἐντομίδες, οἱ τοῖς σώμασιν ἐντεμνόμενοι· [1] τοιαῦτα ἔθυσαν ποιεῖν οἱ ἐπὶ τοῖς νεκροῖς τὰ [b] ἔντομα θύοντες τετράποδα· i. e. ἐντομίδες *dicti ſunt, qui corpora ſua inciſionibus dilacerabant. Hoc facere ſolebant illi qui quadrupedes caſtratas ſuper defunctis immolabant.*

CAP. XX.

Lex ſtigmata prohibens hominum corporibus inuri ſolita.

CUM de ſacris illis quæ *Zabiorum* cultus habuit, ſermonem ex profeſſo jam habeam, non committendum eſſe cenſui, ut ſtigmata, eorum corporibus inuri ſolita, tacito pede præterirem. *Zabiis* autem ſolenne fuiſſe, corpora ſua notis & ſtigmatis inſignire, e [c] legis jam explicandæ verbis luculenter intelligitur, *neque [2] figuras aliquas aut ſtigmata facietis in vobis, ego Dominus:* nihil enim dubitationis habere poteſt, quin pravi veterum illorum idololatrarum mores huic legi ferendæ cauſam dederint. Quo vero ſtigmatum eorum naturam, adeoque legis hujuſce ſenſum, in lucem proferam, conſultum erit, (1°.) De variis ſtigmatum ſpeciebus olim uſitatis, & in Scriptura ſacra plurimum memoratis; (2°.) De ſtigmatis, hac in lege veritis; (3°. De eorum forma, generali & ſpeciali; (4°.) De eorum loco, ſeu parte corporis cui plurimum inurebantur; Et (5°.) De legis hujuſce ratione, examen breviuſculum inſtituere.

SECT. I.

De variis ſtigmatum ſpeciebus olim uſitatis, & in Scriptura plurimum memoratis.

QUO legis hujuſce ſenſum dextre capiamus, ex uſu erit obſervare, quinque ſtigmata, nulla vel ulus aut forſan formæ affinitate conjuncta, in ſacris literis memorari.

(1°.) STIGMATA magnatum & honorabilium: nam apud Babylonios (inquit [d] *Mercerus*) ducibus & viris dignitate principali conſpicuis, mos erat, notis in carne impreſſis inſigniri. Hoc eo credibilius, quod [e] *Propheta*, inter alios loci præcipui viros, e Babylonia & Aſſyria oriundos, שׁוע & קוע i. e. (interprete *S. Hieronymo*) *principem & ducem*, memoret; קוע autem proprie virum quibuſdam quaſi characteribus notatum & inſignem ſignificat. Moris hujus veſtigia quædam evanida apud alias gentes percipiamus: hoc enim de *Thracibus* memoriæ prodidit [f] *Herodotus*, τὸ μὲν ἐστίχθαι, εὐγενὲς κέκριται· τὸ δ' ἄστικτον, ἀγενές· *Punctas notis eſſe* frontes, *nobile judicatur: non eſſe notatas punctis, ignobile.* Idem corporis atque oris habitus apud *Gelonos* in honore habebatur. Hoc e [g] *Claudiani* verbis eliciamus:

Membraque qui ferro gaudet pinxiſſe Gelonus.

Ab hoc ritu prope aberant olim *Britanni* noſtri: nam *inſignia eorum fuiſſe ſtigmata, ut pennas Garamantum, [3] crobylos Barbarorum, cicadas Athenienſium*, teſtatur *Tertullianus*, de *Veland. virgin.* c. 10.

(2°.) SERVORUM ſtigmata nobis occurrunt proximo. Nam apud antiquos uſu creberrimo receptum erat, ut mancipia, ſervi, vel aliter iis obnoxii, dominorum ſuorum nomen, ſtigma, vel characterem, inſcriptum gererent. De ſtigmatis hiſce ſervi-

a Ad voc. ἐντομιδ. b Ἔντομα τὰ σφάγια κυρίως τὰ τοῖς νεκροῖς ἐναγιζόμενα· *Scholiaſt.* in *Apollon. Argonaut.* l. 1. v. 588. c *Levit.* 19. 28. d *Theſaur. ling. Sanc. voc.* קעק e *Ezec.* 23. 23. f Lib. 5. cap. 6. g Lib. 1. *Ruffin.* verſ. 315.

1 *Kuſter.* ex *MSS. Pariſ. locum hunc ſupplevit & diſtinxit*, τοιαῦτα εἰώθασι ποιεῖν ἐπὶ τοῖς νεκροῖς ὅτι τοῖς νεκροῖς τὰ ἔντομα &c. *ad mortuorum cauſa facere moris erat. Mortuis quadrupedes caſtrata immolari ſolebant.*

2 כתבת קעקע *ſcripturam ſtigmatis.*

3 *Rigaltius* cum *Salmaſio* legit *ſtropulos* (quamvis *in antiq. exemplar. & Rhenani edit.* erat *ſcrobulos*, ſeu *ſtrobulos*, *ſtrupi enim priſcis Latinis erant tæniæ & faſciæ. Eſt autem Græcum* στρόφος & στρόφιον. *Inde ſtrophi & ſtropiola, ſeu ſtrophiola & ſtropuli. Priorius* Jure quidem *hæret interpretationi Rigaltii*, & ſentit *lego poſſe* crobylos: ad *Thucydidis interpretem* provocat (*Lib.* 1. p. 4.) κρωβύλος δὲ ἐστιν εἶδος πλέγματος τῶν τριχῶν, ἀπὸ ἐκατέρων εἰς ὀξὺ ἀπολῆγον· ἐκαλεῖτο δὲ τῶν μὲν ἀνδρῶν, κρωβύλος· τῶν δὲ γυναικῶν, κόρυμβος· τῶν δὲ παίδων, σκορπίος. Vid. *Spencer.* p. 390.

libus

ſibus fuſe tractarunt, *Cal. Rhodigin. antiquit.* l. 24. c. 25. *Turneb. adverſ.* l. 24. c. 12. *Lipſ. Elect.* l. 2. c. 15. *Aloiſ. Novarin. Elect. ſacr.* lib. 3. c. 15. *Henric. Urſin. Analect. ſacr.* l. 1. ſect. 60. qui hac in parte lectoris curioſitati ſatisfacient. Hæc autem ſtigmata ſervorum ethnicorum [a] frontibus plurimum inurebantur. Atque hinc occaſio data *Auſonio* in *Pergamum*, ſcriptorem fugitivum, ſic jocandi, *Epigr.* 15. SECT. I.

Ergo notas ſcripto toleraſti, Pergame, vultu:
Et quas neglexit dextera, frons patitur.

Ad hunc ritum priſcum, ni fallor, alluſum eſt, *Apoc.* 14. 1. ubi Dei ſervi deſcripti veniunt, *habeutes nomen agni, & nomeu patris ejus, ſcriptum in frontibus eorum.* Apud Hebræos autem more veteri ſervatum videtur, ut ſervi dominorum ſuorum notas & ſtigmata manibus inuſta gererent. *Grotius* hoc e [b] *Zacharia* verbis colligendum ſentit: *quid ſunt plagæ iſtæ* [i. e. notæ, ſtigmata] *in medio manuum tuarum? Et dicit, his plagatus ſum in domo diligentium me:* hac enim periphraſi loquentis ſenſum explicat: *hæc ſtigmata non ad Deum aliquem pertinent, ſed ad honorem alicujus potentis,* qui *me ut clientem ſuum dilexit, & cujus patrocinio me dedi.* Hunc ſenſum loco maxime convenire judicavit *Grotius*, quod in Hebræo vox *domus* notet, non *in domo.*

(3°.) MILITUM ſtigmata in veterum ſcriptis memorantur. Prout enim ſervi dominorum, ita milites ducum, [c] nominibus aut inſignibus inſcribebantur. Inſcriptionibus hiſce militaribus fidem indubitatam faciat [d] *Vegetii* teſtimonium: *victuris in cute punctis milites ſcripti, & matriculis inſcripti, jurare ſolent.* Ita vero cenſebantur & ſignabantur milites, ut, ſi caſtra vexillumque desererent, facile dignoſcerentur. Ad hæc ſtigmata militiæ propria ſpectare videtur auctor apocalypticus. cap. 13. v. 16. *Et fecit ut omnes characterem haberent in dextera manu ſua, vel in frontibus.* Prout enim ſervorum χαράγματα præcipue in frontibus, ita & militum in [e] manibus plerumque ſculpebantur. Sic morem caſtrenſem habuiſſe, nos docet *Ætius*, l. 8. c. 12. *Stigmata* vocant *quæ in facie vel in alia parte corporis* inſcribuntur, qualia ſunt militum *in manibus.* His qui non contentus eſt, plura de militum ſtigmatiſmis videat apud *Lipſium*, lib. 1. de *milit. Roman. dialog.* 9. & *Aloiſ. Novarin. Elect. ſacr.* lib. 3. cap. 14.

(4°.) STIGMATA zelotarum, qui nempe, ſummo erga Deum zelo accenſi & animati, characteribus quibuſdam in ipſa cute ſculptis, ſe Deo vero devotos & conſecratos indicabant. Nonnullos olim, zelo religionis inflammatos, hujuſmodi ſtigmata ſacra manibus impreſſa circumtuliſſe, e LXX colligo, qui [f] *Prophetæ* verba [*Hic ſcribet manu ſua Domino*] ſic παραφραστικῶς tranſtulere, [1] Ἐπιγράψει [τῇ] χειρὶ αὐτοῦ, τοῦ Θεοῦ εἰμι, *ſcribet in manu ſua*, DEI SUM: nempe ſicut & milites antiquitus imperatoris ſui nomen manibus inſcriptum habuere. Nemo autem conſultus ſibi perſuadere poteſt, LXX ſic textum reddere voluiſſe, ſi characteres illi a moribus eo ſeculo receptis abhorruiſſent. Deinde, vel ex hac lege liquet, diaboli ſervos notas quaſdam corporibus inuſtas, ſuperſtitionis ſuæ teſſeras, habuiſſe: quidni itaque ſentire liceat, nonnullos e Judæis antiquioribus characteres quoſdam ſacros manibus inſculptos habuiſſe, quibus ipſi pari zelo & animi conſtantia, ſe Deo & legi devotos eſſe teſtarentur? Sed quicquid ſit, id pro certo habendum eſt, antiquos Chriſtianos, artificio aliquo, ſibi JEſu nomen aut crucem impreſſiſſe, ut ſignum illud ſigno diaboli ſervis inuſto ex adverſo reſponderet. Hinc [g] *Tertulliani* illud, *non convenit ſigno Chriſti, & ſigno Diaboli; & S.* [h] *Auguſtini, perdidit ſignum Chriſti, accepit ſignum Diaboli.* Huc forſan prophetice alluditur in [i] *Apocalypſi*, ubi alios beſtiæ characterem, alios agni nomen, frontibus inſcriptum geſſiſſe legimus. Horum ſignorum & characterem *Procopius* meminit, ſic Jeſaiæ vaticinium jam citatum explicans; τὸ δὲ ΤΗ ΧΕΙΡΙ, λέγει, διὰ τὸ στίζειν ἴσως πολλοὺς ἐπὶ καρπῶν, ἢ βραχιόνων, ἢ τοῦ σταυροῦ τὸ σημεῖον, ἢ τὴν Χριστοῦ προσηγορίαν. In manu, *dicit, propter impreſſas notas, quas aliqui ſibi inurebant, aut in carpo manus, aut in brachio, ſignum crucis efformando, vel exprimendo literis nomen Chriſti.*

(5°.) STIGMATA idololatrarum ſuperſunt, paucis expedienda. Erant autem ſtigmata illa, characteres aut notæ quædam eorum corporibus inſculptæ, quibus homines peculiare aliquod fœdus cum dæmonibus inire, & eorum cultui ſe mancipare,

[a] Vid. *Grot. not.* ad *Apoc.* 7. 3. [b] Cap. 13. 6. [c] *Charactere Domini inſcribuntur ſervuli, & nomine Imperatoris ſignantur milites.* S. Ambroſ. Orat. de obitu Valentin. Tom. 2. col. 1189. B [d] Lib. 2. de re milit. c. 5. [e] Στίγματά ἐστι τὰ ἐπιγεγραμμένα ἐν ταῖς χερσίν. Ætius. [f] *Jeſ.* 44. 5. [g] De *Idololat.* cap. 19. p. 97. [h] *Tract.* 7. in S. *Johan.* T. 3. P. 2. col. 345. A [i] Cap. 13. 16. & 14. 1.

[1] Apud MS. *Alex.* ἐπιγράψει, τοῦ Θεοῦ εἰμι· MS. *Marchali, Verſion. Aquil. & Symmach.* χειρὶ αὐτοῦ.

cenſe-

SECT. II. cenſebantur. Stigmatum eorum in veteri & novo *Teſtamento* occurrit mentio: eorum in veteri *Teſtamento* meminit *Zachariah*, Cap. 13. 6. *Tunc dicet ei*, τί αἱ πληγαί, *quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* In quæ verba *Grotius* hæc habet: plagæ *ſunt* [a] *ſtigmata manibus inuſta, per quæ ſolebant Diis gentium ſe mancipare, inſcripto eorum ſigno, nomine aut numero.* Sphragitidas & ſtigmata *vocat Prudentius*. *Grotium* horum verborum ſenſum recte reddidiſſe, omnino adducor ut credam: cum enim prædixiſſet *Zachariah*, Pſeudoprophetas & idolorum nomina e rebus olim peritura; prædicit fore, ut vix quiſquam prophetæ nomen ſibi arrogaret, nec populus fidem tam ſupinam facilemque cuivis prophetæ titulum ſibi ſumenti adhiberet. In poſterum, inquit, ſi quem prophetiæ ſuſpectum habuerit populus, eum in examen continuo vocabit, dicens, *unde plagæ* & ſtigmata iſta *in manibus tuis?* "Licet centies negas te eſſe prophetam, id tamen teſtantur ſtigmata manibus inuſta, aperta illa capitis idolo alicui conſecrati documenta. Ad hanc interpretationem firmandam aliæ rationes adduci poſſent, niſi alio me vocaret inſtituti ratio. Alterum illum locum quo forte *ſtigmatum* eorum occurrit mentio, præbet *Apocalypſis*, Cap. 13. 16. *Et fecit omnes*, —— habere *characterem in dextera manu ſua, aut in frontibus ſuis.* E quibus verbis diſcere licet, ſtigmata illa idololatrica ad ipſa expirantis ethniciſmi tempora duraſſe, modo *Grotii* interpretatio quid fidei mereatur: *Magi*, inquit, *auctores Trajano fuere ut* hetærias, *id eſt, ſodalitates ſive collegia omnia, vetaret, exceptis quæ religionis Paganicæ nomine coibant. Cum vero homines natura ament ſodalitates, factum inde ut nemo eſſet in Imperio Romano qui non in ſodalitatem Deorum alicui dicatam nomen daret. — Qui in iſta collegia adſcribebantur, ſimul accipiebant in corpore ſuo χάραγμα aliquod, id eſt*, Dei *alicujus* ſignum, *aut* literis expreſſum, *aut* numeris *diſſimulatum.* Hæc viri docti verba nobis uſui eſſe poſſunt, vel prout textus illius intentioni, vel ſaltem ut hiſtoriæ veritati, conſentanea.

SECT. II.

De ſtigmatis hac in lege vetitis.

STIGMATA plane omnia corporibus impreſſa hac in lege minime prohiberi, e loco [b] illo *Zachariæ* non obſcure colligatur. Inde enim percipere licet, Hebræis antiquioribus in more fuiſſe, ſtigmata quædam, tanquam inſignia civilia, manibus imprimere, quibus in potentis alicujus clientelam ſe tradidiſſe teſtarentur. Ut expediam paucis: ſtigmata tantum idololatrica hac in lege prohiberi cenſeo, quibus, tanquam ſignis & notis peculiaribus, idololatræ ſe dæmonis quaſi bona & mancipia, cujus charactere ſignati erant, aperte profitebantur.

UT rem totam paulo explicatius tradam, obſervare juvat, gentes antiquas duplicis generis ſtigmata idololatrica, *ordinaria* nempe & *extraordinaria*, in more habuiſſe.

Stigmata ordinaria. ORDINARIA voco, quæ idololatræ plerique, vel eorum ſaltem prophetæ & antiſtites (utpote diabolo magis ſolenniter devoti & conſecrati) corporibus eorum inuſta præferebant. De ſtigmatis hiſce *Lucianum* intelligo, qui, de miniſtris *Deæ Syriæ* conſecratis [c] agens, στίζονται δὲ πάντες, inquit, οἱ μὲν ἐς καρποὺς οἱ δὲ ἐς αὐχένας· καὶ ἀπὸ τοῦδε ἅπαντες Ἀσσύριοι στιγματοφορέουσι· *Certis autem notis compunguntur omnes: alii quidem in vola manus, alii autem in cervice. Et inde eſt quod omnes Aſſyrii notis inſcripti prodeant.* Horum ſtigmatum & notarum *Primaſius* meminit, locum [d] illum *Apoſtoli ad Romanos* explicans, & de contumeliis agens quibus idololatræ corpora ſua afficiebant: nam, inter alia, *ſibi characteres*, inquit, *& uſtiones infligunt in conſecrationibus idolorum.* Nonnulli regem *Joachim* hac inſania correptum fuiſſe, & in eo defuncto notas idolorum inventas, aſſerunt. Hæc enim de rege illo impio leguntur, 2 *Chronic.* 36. 8. *Reliqua verborum Joachim, & abominationum ejus, quas operatus eſt, & quæ inventa ſunt in eo, continentur in libro Regum Juda & Iſrael.* In hæc autem verba *S.* [e] *Hieronymus* [1] hæc habet: *inter cætera mala quæ geſſit, etiam hoc fecit in corpore ſuo, quod Dominus prohibuit, dum diceret*, non--facietis *ſtigmata* in corporibus veſtris, *quæ poſtquam mortuus eſt, in corpore ejus inventa ſunt.* Sic & *Epimenidis* corpus auctore *Laertio*, punctis variis inuſtum, poſt

a Στίγματα, πληγαί, [illegible] *Heſych.* in voce. b Cap. 13. 6. c Lib. de Dea Syr. pag. 1076. D d Rom. 1. 24. e *Tradit. Hebr.* in *Paral.* p. 66.

1 *Traditiones* illæ in *Paralip. Hieronymi* nomen falſo præ ſe ferunt; vagæ enim ſunt & a calamo & *Patris* auctoris haud parum diverſæ videntur. *Vid. Append.* Tom. 3. *Hieron.* pag. 10.

mor-

mortem ejus, deprehenſum eſt. His non multum diſſimilia ſunt, ea quæ de *Othino*, ex antiquo [a] *Chronico Norvvegico*, referuntur; *Jam fato vicinus, omnia membra & artus novem cicatricibus inſigniri juſſit, quas* Geirs Odde, *antiquitus vocabant*. Neſcio an e moris hujus antiqui reliquiis ortum ſit, quod Arabes hodie, [b] *frontem, genas, labia, brachiaque, cærulei coloris notis, acu tenui factis, tingant inficiantque.* SECT. II.

STIGMATA *extraordinaria* ea voco, quæ veteres idololatræ corporibus ſuis inurebant, amici defuncti manibus parentantes. Idololatras equidem hæc ſtigmata funebria ſibiipſis imprimere ſolitos, teſtimonio nullius (quod ſciam) Græci vel Latini ſcriptoris evinci poteſt. Unus mihi notus [c] *Hebræorum* filius, qui huic mori funebri teſtimonium perhibet: *eſt aliquis*, ait ille, *qui ſignat corpus ſuum figura aliqua certa, per ignem*, & quidem *ob mortuum*. Non eſt tamen ullus hac de re dubitationi locus, cum lex his notis & puncturis oppoſita, tribus aliis legibus proxime conjungatur, ſuperſtitionem aliquam circa defunctos exerceri ſolitam aperte prohibentibus. Quantum autem rem vetuſtatis caligine circumſeptam percipere datum eſt, idololatræ veteres ſe notis hiſce compungebant, vel ut eſſent amoris ſui erga defunctum plane ſingularis indices & teſtimonia; vel ut notæ illæ, tanquam φυλακτήρια quædam, ad mali alicujus genii incurſum & invidiam propulſandam, inſervirent; vel ut ipſi, ferro ignito compuncti & excruciati, Deos inferos & defuncti Manes placatos redderent; vel ut mortuorum memoria, ſtigmatis hiſce ſubinde renovata, perennaret. Extraordinaria.

HIS in anteceſſum traditis, quis ſit legis hujuſce ſcopus & intentio *Theſibus* hiſce duabus probabiliter expediamus.

PRIMA ſit hæc: veriſimile eſt, ſtigmata quæ diximus Ordinaria, in falſorum numinum honorem & memoriam facta, hac in lege prohiberi. In hanc ſententiam loquitur [d] *Theodoritus*, ſic legem explicans; Ἐπειδὴ τινα τοῦ σώματος μέρη βελόναις ἔκεντον, καὶ μέλαν ἐνέβαλλον, εἰς θεραπείαν τῶν δαιμόνων· ταῦτα οὖν ὁ θεῖος νόμος ἀπαγορεύει· i. e. *Græci aliquas corporis partes acubus compungebant, & atramentum immittebant, in reverentiam Dæmonum. Hæc igitur lex divina interdicit.* A nobis etiam eſt [e] *Oleaſter*, qui legis, *Scriptura notam non ponetis in vobis*, talem explicatum adjicit, *uſque hodie Arabes & Saraceni, & quidam Inſulares apud Fortunatas inſulas degentes, habent pectora & brachia hujuſmodi notis & literis inſcripta; & hoc Dominus hic ſuis prohibet. Omnes enim hujuſmodi ritus Gentilium erant & Idololatrarum; quam ob cauſam a Domino prohibentur.* Huic opinioni inde probabilitatis aliquid accedat, quod hoc præceptum, legi corporis incidendi ritum inhibenti proxime conjungatur. Nullam autem veri ſpeciem præ ſe fert, Deum ritus hoſce conjungere, & ſimul interdicere voluiſſe, niſi cognatione aliqua conjuncti fuiſſent, & eidem fini, dæmonum cultui nimirum, inſerviiſſent. Huc facit etiam lex [f] illa parallela, qua carnis inciſuræ (quo nomine & ſtigmata cenſentur) ideo prohibentur, quod Iſraelitæ *Dei filii* eſſent. Quaſi dixiſſet Moſes: "cum vos Deus e loco ſervili in filiorum ſuorum ordinem & honorem evocarit, nolite corpora veſtra ſervorum & idolorum ſtigmatis dehoneſtare. A dignitate veſtra protſus alienum eſt, tam *execrandas ferre contumelias:* &, cum *Dei filii* ſitis, ſervitutis omnium peſſimæ notas gerere, voſque literata dæmonum mancipia profiteri.

(2°.) CREDIBILE eſt, præcipuam legis hujus intentionem fuiſſe, ut ſtigmata quæ diximus Extraordinaria [cauſa funeris inuri ſolita] prohiberet. Eo inclinat opinio noſtra, quod voces illæ, *pro mortuo*, in legis utriuſque confinio poſitæ, non minus hanc quam legem præcedentem afficere cenſeantur. Nam leges illæ particula copulativa, hoc modo, connectuntur, *non incidetis carnem veſtram ſuper mortuo, & figuras aliquas aut ſtigmata non facietis in vobis.* Deinde, in loco [g] illo cognato, jam ſæpe commemorato, Iſraelitis inhibetur, ne, cauſa defuncti, ſciſſuras in carne facerent, nulla mentione ſtigmatum aut figurarum habita. Quid autem Moſes ea tacite prætermitteret, niſi quod *inciſionum* nomine, hoc in loco, & ſtigmata venirent, & Zabii veteres utraque in mortuorum ceremoniis uſurparent? Si quis interpretationis noſtræ veritatem in dubium vocat, quod nullius auctoris antiqui teſtimonio confirmari poſſit; [h] verbis *Bonfrerii* hanc legem explicantis, reſponſum reddo: *nuſquam apud auctores legi qui ſibi ſtigmata inuſſerint cauſa funeris, etſi de his malim* hanc legem intelligi: *ita ut vetitum hic fuerit Judæis cauſa parentis* aut *amici demortui ferro acuto vel candente corpus lædere; quod veriſimile eſt, tunc gentium moribus fuiſſe receptum, etſi nulla apud ſcriptores Græcos*

a Ap. Sheringham de Orig. Gent. Anglor. p. 244. b Gabr. Sionit. de Oriental. morib. pag. 6. c Aben-Ezr. ad Levit. 19. 28. d Quæſt. 28. in Lev. e Comment. in Levit. 19. 28. f Deut. 14. 1. g Deut. 14. 1. h Comment. in Lev. 19. 28.

SECT. III. aut *Latinos hujus moris ſiat mentio, quod hi omnes* Moſis *temporibus dudum poſteriores fuerint.* His annectere viſum eſt opportuna *Novarini* verba, a quibus hæc objectio ſolutionem ampliorem, interpretatio noſtra fidem, & lex tota lucem non minimam, mutuari poſſit. Ille vero, cum legis hujus mentio obiter incidiſſet; *ſcriptum,* [a] inquit, *reperi, in libro quodam MS. Chaldaos in carne ſua ſculpere ſolitos imaginem ſuorum* majorum. *Huc* itaque *flectere hac verba poſſumus, ut inhibeat Deus ſuper mortuo* carnem *incidere, & figuras in ea imprimere; -- ne aliis gentibus in hac re ſimiles eſſent, & ſuorum imagines ferro in corpore impreſſas deferrent. -- Hunc ritum abolere ſponſus voluit, ac ſanctiori commutare, cum ſponſam alloquens dixit;* [b] pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium, &c. *Ac ſi apertius diceret: noli majorum imagines deferre: potius eorum obliviſcere, & illorum loco me cordi adprime, adprime brachio, ut mei imaginem circumferas in amoris ſignum & argumentum.* Hoc *Novarini* teſtimonium (per ſe quidem non contemnendum) lector forte multo pluris æſtimare poſſet, ſi auctoris ſui MS. nomen, linguam & ætatem, enunciaſſet; unde conjecturam facere liceret quantum fidei & auctoritatis ei tribuendum ſit.

SECT. III.

De ſtigmatum eorum forma, generali & ſpeciali.

Forma generalis. ORDO mihi præſcriptus id a me jam poſtulat, ut horum ſtigmatum formam Generalem referam, quantum, in temporum a memoria omni remotiſſimorum caligine, mihi percipere conceſſum eſt.

FORMÆ aotem Generalis nomine, hic intelligo colorem aut ſpeciem quam ſtigmata illa præferebant. Atque hae de re duæ potiſſimum opiniones inter doctos obtinuere.

(1°.) NONNULLI ſtigmata illa, leviora quædam vulnera vel puncta, ſtylo acuto facta, & atramento, vel tali aliquo fuco repleta, fuiſſe arbitrantur. Quantum in hanc partem inclinant ſuffragia Judæorum, ſatis e verbis *Maimonidis* [c] intelligamus: *ſcriptum ſtigmatis, cujus in Lege mentio fit, appellatur, quando quis inciſa carne ſua inciſuram implet fuco, atramento, vel aliis quibus pingitur coloribus.* Et ſect. proxima, *ſi quis,* inquit, *ſe inciderit, nec colore infecerit; vel infecerit quidem, nec tamen inciderit; liber eſt, uſque dum inciderit & infecerit.* Hanc legem ſic explicat *Maimonides*, juxta ſententiam (ni fallor) vulgo receptam in ſcholis Judæorum. At non eſt quod multum moremur quid Judæi hac in re dicant, quorum plerique, vix ullo rei antiquariæ uſu inſtructi, legibus hiſce perantiquis lucem allaturi, vix quicquam proferre ſolent, niſi quod in literis humanioribus merum tyrocinnium & ruditatem arguat. Hoc aperte probat hæc ipſa ſententia, nec rationi, nec antiquitati conſentanea. An enim probabile eſt, Deum notas aut figuras nullas carnibus impreſſas, niſi atramento repletas, hac in lege vetuiſſe? vel idololatras antiquos, in Deorum cultu ſanguinis & vitæ prodigos, curem ſuam molliter adeo curare voluiſſe, ut notaculis atramento tantum factis ſe dæmonibus ſuis conſecrarent? Cum gentes antiquæ tenellos ſuos dæmonibus offerre non detrectarent, non temere conjicimus, eos, in Deorum honorem ſtigmata ferro candente ſibiipſis imprimere voluiſſe. Ne vero ſolis conjecturis inniti videamur, veterum teſtimoniis oſtenſuri ſumus, Idololatras olim τῆς κακίας χαρακτῆρας, (uti loquitur *Syneſius*) *ſceleris & improbitatis ſua typos & characteres,* ferro plerumque candente factos, circumtuliſſe.

(2°.) SENTIUNT alii, quos & ipſe ſequor, ſtigmata hæc acubus aut σφραγῖσιν ignitis plerumque facta, & uſtionis ſpeciem præbuiſſe. In hane rem audiamus amplum [d] *Philonis* teſtimonium: εἰσὶ τοσαύτῃ κεχρημένοι μανίας ὑπερβολῇ, ὥστ᾽ οὐδ᾽ ἀναχώρησιν ἑαυτοῖς πρὸς μετάνοιαν ἀπολείποντες, ἵενται πρὸς δουλείαν τῶν χειροκμήτων, γράμμασιν αὐτὴν ὁμολογοῦντες, οὐκ ἐν χαρτιδίοις, ὡς ἐπὶ τῶν ἀνδραπόδων ἔθος, ἀλλ᾽ ἐν τοῖς σώμασι καταστίζοντες, αὐτὴν σιδήρῳ πεπυρωμένῳ, πρὸς ἀνεξάλειπτον διαμονήν· οὐδὲ γὰρ χρόνῳ ταῦτα ἀμαυροῦνται. i. e. *Non deſunt quidem eo inſania prolapſi, ut ne receptum quidem ad pœnitentiam ſibi reliquum faciant, ad cultum ſimulacrorum præcipites ruant; confirmantes eam* ſervitutem *literis, non in chartula ſcriptis ſicut mos eſt mancipiorum, ſed inuſtis ferro ignito, ne deleri queant poſtea. Nam hæ non obſcurantur ullo tempore.* Eandem ſignandi rationem *Zabios* antiquos in

[a] Elucid. Sacr. lib. 3. c. 16. ſect. 513. [b] Cant. 8. 6. [c] De Idolol. c. 12. §. 10.
[d] De Monarch. l. 1. pag. 819. C.

more

more habuiſſe, nos docet [a] *Mohammed Ben Iſaac*, dicens, *quod ſe radant novaculis, aut igne notam ſibi inurant*. Ritum illum apud Græcos & Ægyprios etiam invaluiſſe, hinc opinari licet, quod Ptolemæus philopater omnes Bacchi ceremoniis initiatos, [b] χαράττεσθαι διὰ πυρὸς, *notari per ignem*, juſſerit. [c] *Prudentius*, ſacerdotum *Cybeles* conſecrationem referens, eos *nota fervente ſtigmatos* aſſerit. Nec infantes a notis tam crudeliter inuſtis immunes reliquit ſuperſtitio: nam [*] *Lucas de Linda*, mores *Anglorum* antiquorum recolens, *tenellis infantibus*, inquit, *notas certaſque figuras animalium ardenti ferro imprimebant*. E teſtimoniis hiſce conſtat, idololatras antiquos *picturis in cute punctis*, i. e. igne factis, ſe plurimum inſcripſiſſe: *plurimum* conſultus interpono, quod veriſimile ſit, eos ſtigmata atramento, ſtibio, aut aliis tincturis colorata, ſibi quandoque impreſſiſſe, quod & *Arabibus* quibuſdam hodieque in morem abiit.

Explicanda ſuccedit horum ſtigmatum forma ſpecialis. Quo vero felicius hoc penſum abſolvatur, notandum eſt varias fuiſſe horum ſtigmatum ethnicorum formas, quas S. *Johannes* hoc verborum compendio complexus eſt, [d] *& ne quis poſſit emere aut vendere, niſi qui habet* [τὸ χάραγμα] *characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis ejus*. Ex his non abſurde colligo, puncta vel ſtigmata illa quibus homines olim idolis ſe mancipabant, & a cæteris diſcernebantur, fuiſſe idoli vel numinis ſui χάραγμα, idoli nomen, aut nominis ſui numerum, cultorum manibus aut frontibus impreſſum. Et ſpecialis.

(1°.) Quandoque hominis per numinis χάραγμα, i. e. inſigne vel notam hieroglyphicam, corporibus inuſtum, in ſervorum ſuorum catalogum adſcribebantur. Varia erant Deorum παράσημα vel inſignia: nam fulmen *Jovem*, galea vel haſta *Martem*, caduceus *Mercurium*, tridens *Neptunum*, & hedera *Liberum Patrem* ſignificabat. Hinc juſſit *Ptolemæus Philopater* Judæos omnes, a religione patria deficientes, [e] χαράττεσθαι παρασήμῳ Διονύσου, κισσοφύλλῳ, *notari inſigni Liberi patris, hedera folio*. Ipſe etiam *Ptolemæus Philopater* cutem propriam hoc *Bacchi* charactere notandam præbuit, prout *Etymologici Scriptor* nos his verbis [f] docuit, Γάλλος, ὁ Φιλοπάτωρ Πτολεμαῖος· διὰ τὸ φύλλα κισσοῦ κατεστίχθαι, ὡς οἱ Γάλλοι· *Gallus, Philopater Ptolemæus: quod ei, ut Gallis ſolet, hederæ folia imprimerentur*. Illi vero quibus hoc *Bacchi* inſigne inurebatur, *thyrſigeri* & κισσηφόροι vulgo dicebantur.

(2°.) Quandoque nomen idoli, cui ſe voviſſent idololatriæ, vice ſtigmatis, imprimebatur. Nam *mos erat*, inquit [g] Grotius, *inſcribendi ipſa Deorum nomina* Græce, *ut* Ζεὺς, Ἄρης, Διόνυσος, *Jupiter, Mars, Bacchus, aut Syriace*, מרנא עזיז בעלת בעל *Bel, Beltis, Azizus, Marnas*. Huc ſpectat quod *Hebræi* referunt, ſtigmata ſcilicet in occiſi *Joachimi* corpore reperta, quibus religionis deſertæ teſtimonium inerat, nomen dæmonis ſui, *Codonazer*, expreſſiſſe. Quo vero miſeræ gentes zelum erga Deos & eorum idola clarius indicarent, curarunt ut literæ idoli nomen exprimentes altiuſcule corporibus ſuis inſculperentur: hoc enim ſtigmate notati [h] [τὸ χάραγμα] τοῦ ὀνόματος, ſculpturam aut cælaturam, *nominis* idoli accipere dicebantur. His aliquid fidei conciliat, quod refert *Abulenſis*, e traditione Judæorum; [i] *quod idololatræ accipiebant laminam auream inſcriptam idoli nomine, & inflammatam apponebant carni ſuæ, & manebat ibi profunde impreſſum idoli nomen*. Hanc traditionem Hebræorum eo minus a fide alienam ſentio, quod aurea lamina, cum ἐκτύπωμα קדש ליהוה *Sanctitas Domino*, vel [k] *ſeparatio Jehovæ*, fronti Aaronis apponeretur. Nam forte mos erat, ut ſacerdotes, homines, altaria, templa, alia, Deorum eorum quibus erant conſecrata, nominibus inſignirentur. Voluit itaque Deus, ut Aaron, ſummus rerum ſuarum miniſter, nomen ejus in fronte geſtaret, ut inſtituta ſua (qua licuit) ad mores receptos accommodaret, ut lamina illa Jehovam in animum populi Diis alienis aſſueti ſæpe revocaret, & ut hac nota diſtaret inſignis ille Dei ſervus a dæmonis mancipiis, quorum frontibus aut manibus idoli vel dæmonis alicujus nomen inſcribebatur. Sed ut hæc miſſa faciam: huic etiam opinioni lex ipſa (ſi recte verba textus interpretor) ſubſidium præbet: ſic enim ſe habet Hebræa veritas: וכתבת קעקע לא תתנו בכם *& ſcriptionem exarationis non facietis in vobis*, vel (uti LXX) καὶ γράμματα στικτὰ οὐ ποιήσετε [l] ἐν ὑμῖν. Quid autem idololatræ literas in corporibus eorum exararent, niſi ut nomen idoli vel defuncti literis illis exprimeretur?

[a] Ap. Hottinger. Hiſt. Orient. l. 1. cap. 8. [b] V. Maccab. l. 3. c. 2. 29. [c] Lib. Peri Stephan. Hymn. 10. p. 192. [*] Deſcript. Orb. p. 379. [d] Apocalyp. 13. 17. [e] Mac. l. 3. c. 2. 29. [f] In voc. Γάλλος [g] Annot. ad Apoc. 13. 17. [h] Apoc. 14. 1. [i] In Lev. c. 19. Qu. 27. [k] Ἁγίασμα [τῷ] Κυρίῳ LXX. in Exod. 28. 36. [l] Ex doct. Edit. Complut.

SECT. IV.

(3°.) Idololatræ nonnunquam idolo alicui, nominis ſui numero corporibus eorum inſcripto, ſe mancipanrunt. Gentes numinibus ſuis non tantum nomina communia, ſed & nomina myſtica, non niſi Myſtis cognita, tribueruot. Priora literis vulgaribus exprimere ſoliti ſunt, poſteriora numeris, ſummam literarum e quibus nomina vera & vulgaria conſtabant continentibus. Nomen Solis myſticum ad numerum octo & ſexcentorum perveniebat, uti nos docet *Martianus Capella*. Id autem hoc modo notabatur, XH. Cabaliſticus ille Deorum nomina deſignandi modus eo antiquior habeatur, quod veri Dei [nempe Chriſti] nomen myſticis numeris expreſſum, in claro illo ænigmate [a] *Sibyllino* reperiamus: quamvis haud adeo inter [b] doctos conveniat cuinam Chriſti nomini vel titulo numerus ille melius congruat. Sed hic forſan latius atque æquum eſt a ſcopo noſtro principali divagamur.

SECT. IV.

De ſtigmatum eorum ſede, ſeu parte corporis cui plurimum inurebantur.

NIHIL hic certi affirmare poſſumus, cum gentium antiquiorum monumenta, quæ ignoranriæ noſtræ ſuccurrerent, injuria temporis interciderint. Quantum autem e collatis vererum teſtimoniis aſſequi licet, hæc duo de ſtigmatum eorum ſede probabiliter aſſeramus.

Primo: ſtigmara illa haud uni eidemque loco vel corporis parti ſemper affigebantur. Nam [c] *Prudentius*, de ſacerdote *Cybeles* hujuſmodi *notas* & *Sphragiditas* (uti vocat) accepturo, verba faciens, inquit:

> *Quamcunque partem corporis fervens nota*
> *Stigmarit, hanc ſic conſecratam prædicant.*

Hiſce conſona quæ de *Joachimo*, *Epimenide*, & *Othino*, ſupra diximus, quorum corpora notis hiſce magicis inſcripta deprehenſa ſunt. *Lucianus*, de *Aſſyriis* loquens, σίζονται δὲ πάντες, [d] inquir, οἱ μὲν ἐς καρπὰς, οἱ δὲ ἐς αὐχένας· *Certis autem notis compunguntur omnes, alii quidem in vola manus, alii autem in cervice.* *Carpocratiani*, gentium proculdubio morem imirati, [e] σφραγῖδα ἐν καυτῆρι—ἐπὶ τὸν δεξιὸν λοβὸν τοῦ ὠτὸς, *notam quandam ad imam auriculam dextram, ferro candente*, diſcipulis ſuis *inurere ſolebant*. *Delrio*, de *Magis* & *Sagis* agens, aſſerit, eos in partibus obſcœnis no[n] raro Diaboli ſignum & characterem gerere. Cum itaque Magi & Idololatræ, vel in corpore, vel manus vola, vel cervice, vel auricula extrema, vel pudendis, infamem diaboli notam acciperent; ſtigmara illa non uni tantum membro affixa fuiſſe, pro re certa & explorata habeamus.

Secundo: quantum hiſtoriæ ſacræ vel profanæ luce percipere licet, characteres illi ſuperſtitioſi manibus aut frontibus *frequentius* inurebantur. Conjecturam hanc a temeritatis nota vindicat inſignis [f] ille textus *Apocalypticus*: *ut* habeant *characterem in dextera manu ſua, aut in frontibus ſuis.* Ad quæ verba *Grotius* hæc annotavir: *partes maxime frequentes -- quibus aut litera, aut ſigna, aut numeri imprimebantur, erant frons & illa junctura inter manum & brachium.* Signatura in fronte vel in manu, documenrum erat, ſe dæmonis ſervos eſſe, & illius cultui ſe penitus addixiſſe. Nam frontem notandi conſuetudo ex Oriente fluxit, ubi ſervi in fronte ferebant dominorum nomina, ut internoſci poſſent: ideoque conſeotaneum videbatur, ut idololatræ ſervorum ritu ſignareotur, cum præſertim Dii quibus cultum exhibebant, nomine *Baalim* [i. e. dominorum] inſignirentur. Hæc fuſius aut ſubtilius perſequi, ſupervacaneum & a re præſenti alienum judico.

a *Orac. Sibyl.* l. 1. pag. 171. b *V. Joh. Opſop. not. in loc.* pag. 11, 12. c *Ub. ſupr.*
d *De Dea Syr.* pag. 1076. D e *Epiphan. Hæreſ.* 27. p. 106. f Cap. 13. v. 16.

SECT.

Sect. V.

SECT. V.

De ſtigmata illa prohibendi ratione.

INTERPRETES, hujus præcepti rationem redditurì, in ſententias diverſas abiere. Plerique, legem integram inſtitutis & ſacrorum moribus inter gentes profanas obtinentibus adverſari, totaque regione opponi, ſentiunt; adeoque Deum ideo ſolummodo hanc legem inſtituiſſe, ut ſe gentibus, hujuſmodi ſtigmatiſmos in more habentibus, adverſum oſtenderet, & curaret ne populus ejus ullo rituum commercio vel affinitate gentibus incircumciſis jungeretur. At a me nunquam impetrare potero, ut cenſeam, Deum O. M. leges ullas, e mero contradictionis aut ſingularitatis amore, Judæis impoſuiſſe. Nihil unquam in vetitis a Deo poſitum eſt, niſi quod malum in ſe eſſet, aut mali alicujus ſpeciem haberet, aut gravi alicui malo feneſtram aperire poſſet. Sed nolo diurius lectorem in limine detinere.

VERÆ rationes cur Deus hanc legem dederit, quantum conjectura percipio, ſunt hæ:

PRIMO: ſtigmata illa erant per ſe mala, & ingentem mali ſpeciem præ ſe ferebant. Mala ſua natura non incautus dixi, quod ſtigmata illa, utpote lamina vel ſtylo ignito facta, genus humanum miſere cruciarent. [a] *Prudentius* de ſacerdote gentili, ſervente nota conſecrato, locutus, cruciatus illos ſic, Muſa non invenuſta, exprimit,

Has forte pœnas cogitur gentilitas:
Hac Di coercent lege cultores ſuos:
Sic Dæmon ipſe ludit hos quos ceperit;
Docet execrandas ferre contumelias:
Tormenta inuri mandat infelicibus.

Notis illis ignitis inſcriptos, *execrandas ferre contumelias*, haud abſurde dicit, quod homini (creaturæ ad laudem & decus natæ) plane crudeliter illuderent, & contumelia afficerent, non facile verbis aſſequenda. Quid enim vilius & inhoneſtius vel fingi poteſt, quam ut homines, Dei ſoboles & Chriſti hæreditas, ipſam dæmonis notam frontibus inuſtam geſtarent? *Literarum* notis inuri, *ſummam oris contumeliam*, dixit [b] *Valerius Maximus:* quanto itaque cum dedecore conjunctum eſt, ipſa diaboli ſtigmata, ſceleris & ſervitutis peſſimæ monimenta, frontibus impreſſa, circumferre? Conſentaneum itaque fuit, ut Deus Iſraelitas a ſtigmatis hiſce ſubeundis lege coerceret, ut ſe tractare diſcerent, prout homines liberaliter inſtitutos, & in Dei familiam aſcitos, decet. Neque ſtigmata hæc in ſe tantum mala fuerunt, ſed & ingentis mali ſpecie dehoneſtata; adeo ut ſcandalum præberent populo rudi & in idololatriam propenſiſſimo. Nam,

SECUNDO: notæ & puncturæ, quas dixi, ſigna quædam erant & ſacramenta, quibus idololatræ in Deorum cultoribus initiandis aut conſecrandis utebantur, quibus etiam nomina ſua inter ſervos eorum profitebantur. Stigmata huic uſui inſerviiſſe, teſtatur *Prudentius*, libro *peri Stephanon*, ubi execrabilem illa faciendi modum ſic ad oculum pene depictum [c] exhibet,

Quid, cum ſacrandus accipit ſphragitidas?
Acus minutas ingerunt fornacibus:
His membra pergunt urere: atque igniverint,
Quamcunque partem corporis fervens nota
Stigmarit, hanc ſit conſecratam prædicant.

Ad hunc ſignandi morem & finem reſpexit forte *Tertullianus* in *Apologetico*; dum ait: *talia initiatus, & conſignatus*, vives *in* æternum. Teſtibus aliis haud opus eſſe cenſeo: non enim *novum eſt, aut rarum*, inquit [d] *Sanctius, ut homines* eorum *in corpore ferant impreſſa ſigna, quorum ſe religioni conſecrarunt. In tranſmarinis regionibus, quas hoc noſtro ſæculo aperuerunt Hiſpani, plurima* moris hujus *habemus exempla*. Idololatras etiam his

a Lib. Peri Stephan. Hymn. 10. pag. 192. b Lib. 6. c. 8. c Hymn. 10. ad. ſupr.
d Comment. in 4. Reg. c. 23. v. 37. col. 1638. B

SECT. V. notis acceptis, ſe Deorum ſuorum ſervos indicaſſe. teſtantur [a] *Talmudici*, cum dicunt, רושמין עצמן לע"א שלהן כלומר שהוא עבד נמכר לה וגו' *Uſu receptum eſt apud idololatras, ut ſe ſuis idolis ſigno quodam notent, ſignificantes, ſe quaſi ſervos eorum, pretio emptos, & nota inſignitos eſſe.* Hiſce gemina occurrunt apud *Maimonidem*, de *Idololat.* c. ult. §. 10. Hinc factum videtur, quod *cultus beſtiæ & characteris* aut ſtigmatis *ſui receptio*, [b] toties in *Apocalypſi* conjunguntur; quod nempe ſervis & cultoribus olim ſolenne eſſet, eorum Deorum & Dominorum characteres accipere, quorum cultui & miniſterio ſeipſos addixiſſent. Ex eo more, cauſam huic legi datam ſentit [c] *Abulenſis*, dicens, *nomen* aut character *idoli corpori impreſſum erat, ad expreſſam proteſtationem* de *honorando & ſerviendo illi Deo; ſicut ſubditi alicujus, cum accipiunt inſignia Domini ſui, proteſtantur per hoc ſe eſſe ſubditos illi.* Cum itaque ſtigmata illa notæ quædam & teſſeræ eſſent, quibus homines olim ſe dæmonibus mancipabant, & ad obſequium iis tanquam dominis ſuis præſtandum, ſe paratos & obſtrictos profitebantur; Deus hiſce notis, tanquam dominii ſui abdicati teſtimoniis, Iſraelitis interdixit, dicens, [d] *ego ſum Jehova* אלהיכם *Dominus Deus veſter*: ſic enim codices Hebræos olim habuiſſe, & vocem אלהיכם lapſu temporis, e textu originali excidiſſe, mihi facile perſuadeo; cum ſenſus hanc vocem exigat, eam verſio *Syriaca* agnoſcat, & LXX ſic locum transferant, ἐγώ εἰμι Κύριος ὁ Θεὸς ὑμῶν. Quaſi Deus apertius dixiſſet: "gentibus exteris in more eſt, ſe ſtigmatis inſcribere, ut notis illis ſe "τῶν *Baalim*, tanquam dominis eorum, addictos & mancipatos eſſe profiteantur. No"lo tamen, vos, mihi ſoli ſanctos, notas illas infames & ſacrilegas accipere. Me dominum veſtrum cognoſcite, cui ſacro circumciſionis charactere vos ſolenniter addixiſtis.

TERTIO: niſi Deus ſtigmata illa vetuiſſet, circumciſionis dignitatem, & populi charactere tam ſacro ſignati gloriam, penitus obſcuraſſent. Quid enim dignitatis habere potuit Dei χάραγμα, cum diaboli ſtigma juxta poſitum, parem locum & honorem retineret? Et quid gloriæ genti illi *Nazaræa* accedere potuit, quum non minus *Baalis* quam *Jehovæ* characterem ferre, & utrique ex æquo ſacrari videretur? nil præter alios habet homo ille, in quo

Diviſum imperium cum Jove Dæmon habet,

QUARTO: ſtigmata illa, ad diaboli regnum & cauſam provehendam, erant apprime accommodata. Nam notæ illæ, utpote ferro plurimum inuſtæ nec facile delebiles, homines ad pertinaciam ducerent; & vix ullum relinquerent pœnitentiæ locum. Hic non diſplicebunt, opinor, repetita [e] *Philonis* verba: *quidam eo prolapſi ſunt inſaniæ, ut ne receptum quidem ad pœnitentiam ſibi reliquum faciant; ad ſervitutem idololatricam præcipites, & confirmantes* ſervitutem *eam literis, non in chartula ſcriptis, ſed inuſtis in corpus ferro ignito, ne deleri poſſint.* Adeo ut hoc ſignandi artificio, diabolus ethnicos priſtinis irretitos ſuperſtitionibus tenuiſſe videatur. Deinde, ſtigmata illa, ad varia hominum ingenia, maxime apta fuerunt & accommodata. Nam proculdubio nonnulli homines, ad cultum diabolo palam & aperte præſtandum, nulla machina flecti poterant; qui forſan haud gravate ferrent, ut illius characteres membris ab hominum conſpectu ſemotis inurerentur. Veriſimile eſt, delicatiorem Judæorum aliquorum ſtomachum hoſtias *Baccho* oblatas ferre noluiſſe, qui forte χαράσσεσθαι παρασήμῳ Διονύσου κισσοφύλλῳ, *Bacchi inſigni, folio hederaceo, notari*, inter peccata venialia numerarent. Diſtinguit [f] *S. Johannes* inter eos qui *imaginem beſtiæ coluerunt*, & eos qui *illius characterem acceperunt.* Illi quidem idololatriæ craſſæ, hi vero idololatriæ tantum per interpretationem, rei cenſeantur.

Capitis conclusio. DE ſtigmatis his, id unum, coronidis vice, jam dicendum ſupereſt; ea nempe magno in odio apud Iſraelitas, nec minore in pretio & honore apud idololatras, habita fuiſſe. Ut quanto in odio & contemptu fuerint apud Iſraelitas, intelligamus, obſervare juvat, eos omnia gentium inſtituta, in luctu funebri frequentia, præter puncta & ſtigmata illa, retinuiſſe. Satis enim e ſupra memoratis Scripturæ locis innoteſcit, eos barbas corrumpere, capita in orbem tondere, honeſtam vultus ſpeciem cultris & unguibus violare, ſolitos; quamvis legis divinæ litera ritibus illis adverſari videatur. Nempe probe norant, ritus illos non minus luctus funebris, quam cultus idololatrici,

[a] Ap. Hottinger. de Jur. Hebr. pag. 393. [b] Cap. 14. 9. 11. & 16. 2. & 19. 20. & 20. 4. [c] In Levit. 19. Quæſt. 27. [d] Levit. 19. 28. [e] Ub. ſup. [f] [illegible]

Cap. XXI. Sect. I.

[illegible] fuiſſe, & omnes animi candidioris homines rituum eorum uſum in partem meliorem interpretari voluiſſe. Interea loci, Judæos pietate præſtantes, *victuris in cute punctis* ſemetipſos inſcripſiſſe, nuſquam legimus; quod ſcilicet ab iis, tanquam ſummæ ſuperſtitioois & capitis Diis inferis devoti documentis, abhorrerent. Hoc & eo credibilius, quod licet Deus *inciſuras*, & ritus alios fuoeri proprios, ex ethniciſmo prognatos, ſemel iterumque prohibuerit; conſtat tamen, eum ſtigmata, hac tantum io lege, diſerte vetuiſſe: quid autem, niſi quod norat, ea apud pios omnes peſſime audire, nec quenquam eorum uſum retinere poſſe, niſi qui totam legem abdicaret? Interea loci, gentes exteræ ſtigmata illa ſummo in pretio & honore habuere. Ea enim, magno licet inuſta cruciatu, animo lubeoti & religioſo acceperunt: religionis ethnicæ quaſi ſacramenta fuerunt, quibus Deorum cultui ſe totos addixerunt & conſecrarunt: eorum uſus longe lateque propagatus eſt: ſacerdotes ethnici notis ferro candente impreſſis, in muneris ſui limine ſignabantur; & partes ita ſignatæ, veluti cæteris ſacratiores, lamioa aurea poſt mortem tegebantur: ſic enim *Prudentius* ſacerdotem ſtigmatis inuſtum, & jam ſepulchro vicinum, [a] deſcriptum dedit:

Functum deinde cum reliquit ſpiritus,
Et ad ſepulchrum pompa fertur funeris,
Parteis per ipſas imprimuntur bractea:
Inſignis auri lamina obducit cutem,
Tegitur metallo quod peruſtum eſt ignibus.

CAP. XXI.

De lege cavente ne ad Obhoth *reſpicerent.*

ORDO legum Moſaicarum *Ægypti* moribus oppoſitarum, eam mihi jam explicandam offert, quæ verbis his expreſſa legitur, אל תפנו אל האבות [b] *Ne reſpiciatis ad Pythones:* nam e ſtatim dicendis innoteſcat, Deum hanc etiam contra mores *Ægypti* ſtatuiſſe, ubi Iſraelitæ nuper habitaverant. Cooſentaneum eſt autem, ut ea quæ præſentis argumenti ratio dici poſtulat, in huoc ordinem digerantur.

PRIMO, vocis illius obſcurioris *Obhoth* ſignificatus & origo in lucem (vel ſaltem crepuſculum) proferentur.

SECUNDO, vocum illarum אבות & תפנו ſenſum & iotentionem hac in lege paulo clariorem reddam.

TERTIO: ritus expedire conabor quibus idololatræ veteres utebantur, cum *Obh* aut *Obhoth* conſultum irent.

QUARTO: rationem dabo, cur Deus hanc legem Hebræorum genti dedit.

SECT. I.

Significatio & origo vocis Obhoth *in lucem proferuntur.*

Origo vocis Obhoth.

ME provinciam difficilem & tenebris obductam jam ſuſcepiſſe, vel inde licet intelligere, quod interpretes pleriqoe vocis hujuſce ſignificatus aliquos ſilentio premant aliquos etiam ei affigant, quos libens non agnoſcit. Nec minus in obſcuro eſt hujuſce vocis origo, nonnullis ad originem Hebraicam, aliis ad Ægyptiacam, vocem illam referentibus. Ut autem hæ tenebræ diſcutiantur, neceſſe eſt ut quæſtionibus hiſce quinque ſatisfaciam. (1°.) Quænam ſunt ſignificationes illæ vocis *Obhoth*, & ſingularis *Obh*, quæ pro genuinis habeantur. (2°.) An אוב & אבות voces ſint originis Hebraicæ, vel Ægyptiacæ. (3°.) Cur LXX vocem *Obh*, ſemel aut bis per θελητὴν, ſæpe vero per ἐγγαστρίμυθον, interpretantur. (4°.) Cur Spiritus fatidici nomine *Obhoth* in vet. *Teſtamenti* ſcriptis inooteſcunt. (5°.) An veſtigia nominis *Obhoth*, aut voces ullæ ſynonymæ, in aliis Scripturæ locis inveniri poſſint.

a *Loc. ſupr. laud.* b *Levit.* 19. 31.

Sect. I. Quæstio prima. Quænam ſint ſignificationes illæ vocis Obhoth, & ſingularis Obh, quæ pro veris & genuinis habeantur.

Hic *Lexicographi* paſſim obvii minus curate rem expediunt, ſignificationes varias vocis hujus enumerantes, eaſque vix ulla affinitate conjunctas, & nulla plerumque ratione vel auctoritate confirmatas. Quantum mihi, rem totam miſſis præjudiciis æſtimanti, percipere datum eſt, vox hæc olim quinque ſignificata continuiſſe videatur. Hæc autem eo ordine diſponenda cenſui, ut inde conſtet ratio, cur Hebræi veteres uno eodemque vocabulo, ad res tam varias & nulla cognatione cohærentes ſignificandas utebantur.

Primo itaque vox אוב ſi ſenſum ejus nativum & primarium ſpectemus, *ventrem* aut *uterum* olim ſignificaſſe videatur. Eo magis arridet hæc opinio, quod Lxx vocem אוב per ἐγγαστρίμυθον in *ventre* vel *utero loquentem*, pene ſemper interpretantur. Eſt autem difficile dictu, cur interpretes illi, אוב per ἐγγαστρίμυθον plerumque verterint; niſi quod vox ea *ventris* aut *uteri* ſignificatum continuerit. Hæc ratio firmior evadat inde quod [a] alibi *ſenes* illi vocem האבות per [1] τοὺς ἐγγαστριμύθους, & τοὺς ἐκ τῆς κοιλίας φωνοῦντας, tanquam phraſes ἰσοδυνάμους exponere videantur. Significatus ejuſdem veſtigia quædam in *Hetruſco* vocabulo *Obba* percipere licet, quod originem ab אוב arceſſere, & *vas ventricoſum* notare, [b] docti ſentiunt. Hic accedat, quod hæc ſignificatio (ſi pro vera habeatur) rationem ſuggeret aliarum ſignificationum quæ voci huic in Scriptura tribuuntur, etſi nulla ſimilitudine vel affinitate conjungi videantur. Hoc apertius erit e ſequentibus.

Secundo: vox *Obh* (ſignificatu nonnihil ampliato) *utrem pelliceum* aut *e corio factum* olim denotavit. Hæc ſignificatio *Jobi* præcipue teſtimonio nititur, *Cap.* 32. 19. *Ecce venter meus* כאבות *ſicut utres novi diſrumpentur.* Atque hic ſenſus e concordi τῆς Lxx verſione non parum præſidii petat, Ἡ δὲ γαστήρ μου ὥσπερ ἀσκὸς [2] ἐῤῥηγυῖα. Ad hunc ſenſum aſtruendum non parum etiam conducit nomen *Obboth*, [c] uni e locis illis inditum, quo Iſraelitæ caſtra metati ſunt, in deſertis oberrantes. [d] *Bochartus* enim locum illum nomen *Oboth* (i. e. *utres*) habuiſſe conjicit, *quod ibi* (*ut veriſimile eſt*) *non biberunt modo, ſed & utres pridem vacuos* aqua *repleverunt.* Ideo vero (ſi conjecturæ ſit venia) veteres voce *Obh*, ad ventrem primo, tandem & utrem pelliceum, notandum utebantur; quod uter pelliceus, artificialis quidem venter, & venter, naturalis quidam uter, eſſe videretur.

Tertio: vox *Obh*, uti & pluralis *Obhoth*, ſerpentes, eoſque naturæ deterioris (draconem ſcilicet & baſiliſcum) olim in ſignificatis habuerunt. Hanc notationem vocabuli Lexicographos tacite præterire, non diffitendum eſt; at multis argumentis extra dubium ponitur.

Nam (1°.) Vetus interpres *Latinus* voces *Obh* & *Obhoth* per *pythonem* & *pythones* explicat, omnibus in locis ubi obviam fiunt. *Python* autem originem ab *Hebræorum* פתן *pethen*, aut *Syrorum* פיתון *pithun*, ſerpentem notante, derivare, paſſim & triviis innoteſcit:

(2°) Vocem ὄφις (ſoni cognati vocabulum) ab *Obh* vel *Ofh* (uti ſonant alii) natales arceſſere, docti non pauci ſentiunt: eam autem vocem *ſerpentem* ſonare norunt omnes qui *Græce* vel hiſcere norunt. Diſſentit unus [e] *Kircherus*, qui tamen *Græcum* ὄφις ab Ægyptiorum *hophion* dimanaſſe ſentit: hanc autem vocem Ægyptiam *ſerpentem proprie ſignificare* dicit.

(3°.) Si [f] *Kircheri Lexico Copto* niti liceat, *hof* draconem, & *obion ſerpentem*, apud Ægyptios antiquiores denotavit. Rem ita habuiſſe, fidem facit [g] *Hori Niliaci* teſtimonium: Αἰῶνα γράφοντες βασίλισκον, ὄφιν ζωγραφοῦσι, — ὃν καλοῦσιν Αἰγύπτιοι Οὐβαῖον, ὅ ἐστιν Ἑλληνιστὶ βασιλίσκον. *Ævum exprimere volentes, ſerpentem pingunt, — quem Ægyptii quidem* Ubæum, *Græci vero* Baſiliſcum, *vocant.* Οὐβαῖον autem ab Ægyptiorum *obion* ortum ducere docet ipſa vocum earum affinitas & ſimilitudo. Cum itaque inter voces illas [*Obh*, *Hov* aut *Hof*, *Obion* & *Ubæum*] tanta ſoni affinitas intercedat; non facile dubitandum eſt, eas ab eadem origine propagatas fuiſſe, eaſque omnes olim *ſerpentem* denotaſſe.

a Vid. Lxx in *Jeſai.* c. 8. 19. b Vid. *Kirchman.* de *Funerib. Roman.* lib. 4. c. 7. & *Voſſ. Etymolog. Ling. Lat.* p. 349. c *Numer.* 21. 10. d De *Animal. Sac.* P. 2. col. 424. 50. e *Lexic. Coptic. Supplement.* pag. 587. f *Ling. Ægypt. Reſtitut.* Cap. 15. pag. 172. g Lib. 1. *Hierog.* cap. 1.

1 Vid. not. *paulo poſt.*
2 Apud *MS. Alex.* [illegible]
3 [illegible] legebatur. [illegible] quæ vox eſt Ægyptia — baſiliſcum ſignificans. Vid. *Obſervat.* pag. 134.

(4°.) Hic

(4°.) Hic ſignificatus ex ipſa *Scriptura* non parum firmitatis hauriat. Sic enim Sect.
[a] *Propheta* Judæum deſcribit, ab hoſte ſubjugandum; *caſtra metabor contra te* & ſta- 1.
tuam munitiones contra te, & humiliabis te, *& de terra loqueris, & e pulvere humile erit eloquium tuum, & erit* באוב *de terra vox tua; & e pulvere eloquium tuum ſibilabit.* Ibi vero loci ſcopus & συνάφεια poſtulant, ut vocem באוב non *ſicut pythonis*, interpretum vulgarium ritu, ſed *ſicut ſerpentis*, interpretemur. Si enim ad loci ſcopum diligentius attendamus, [b] liquidum erit, hunc ſenſum verbis *Prophetæ* maxime commodum & conſentaneum: "brevi futurum eſt, ut hoſtes in eas te anguſtias redigant, eamque tibi formidinem incutiant, ut non loqui audeas inſtar viri, ſed "ſerpentis, in pulvere degentis, & inde vocem edentis ſibilo quam eloquio ſimiliorem. Huic interpretationi finem conciliat locus ille parallelus [c] *Jeremiæ*, de Ægypto a Chaldæis opprimenda ſic diſſerentis; *vox ejus* כנחש *quaſi ſerpentis ibit, quia cum exercitu pergent*, &c. Quaſi dixiſſet, "vox Ægypti, miſera ſervitute preſſa quaſi "ſerpentis erit, quia præ metu Chaldæorum, vix audebit hiſcere vel muſſitare.

(5°.) Significatio jam dicta veritati proprior exiſtimetur, quod eam Lxx non uno in loco cohoneſtare videantur. Quamvis enim vocem אבות ἐγγαστριμύθους reddant, in aliis Scripturæ libris; eam tamen ter in [d] *Jeſai.* [1] per ἐκ τῆς γῆς φωνοῦντας, aut ἐκ τῆς κοιλίας φωνοῦντας, interpretantur. Hæc autem periphraſis ſerpenti tantum convenit, qui ſolus vere dicitur, *e terra* ſimul & *ventre* vocem edere. Nihil autem probabilitatis habet Lxx vocem *Obhoth* periphraſi, quæ ſoli ſerpenti quadrat, exprimere voluiſſe, niſi Pcopheram iis in locis de ſerpentibus intelligendum exiſtimaſſent.

(6°.) Inde probabilitatis aliquid jam dictis advenit, quod nomen אוב (utpote *ventrem* primario denotans) ſerpenti maxime convenire videatur. Nam ſerpens ſuper ventrem gradiri tenetuc, eique γαςὴρ ὅλον τὸ σῶμα, *corpus integrum magnus* tantum *venter eſt*, quod olim de cancro dicebatur.

Hæc omnia probabiliter oſtendunt, vocem *Obhoth* olim *ſerpentes* in ſignificatis habuiſſe, & ſignificationem illam huic voci reſtituendam eſſe; quamvis eam Lexica vulgaria non agnoſcant, eamque longa vetuſtas tantum non obliteraverit.

Quarto: vox *Obh* ſpiritum impurum ſignificat, quo gentium fatidici familiariter olim utebantur; & cujus ope, de rebus occultis, amiſſis, futuris, de abſentum dictis aut factis, hominibus etiam morbo vel dolore correptis, aliiſque cognitionem humanam ſuperantibus, reſponſa dabant interrogantibus. Omnem hac de re dubitandi anſam præſcindunt haud pauci Scripturæ loci: v. gr. *Levit.* 20. 27. *vir ſive mulier, ſi fuerit in eis* אוב i. e. proculdubio ſpiritus pythonicus, *morte morietur.* Sic Deuter. 18. 11. *Non inveniatur in te* שאל אוב *interrogans pythonem*, i. e. *A conſulter vvith familiar Spirits*, uti noſtri vertunt. Senſum affinem præbet vox ea, 1 *Sam.* 28. 8. Ubi Saul Pythoniſſam Endorenſem alloquens, inquit, *divina, quaſo, mihi* באוב per *Spiritum* illum *pythonicum*, qui ad nutum tuum præſto eſſe dicitur. Locos alios in præſenti miſſos facio, ne Soli candelam videat accendere.

Quinto: veriſimile eſt, *Obh* & *Obhoth*, non ſolum ſpiritus quos dlxl pythonicos olim indigitaſſe, ſed viros & fœminas tali ſpiritu correptas, quæque ſpiritum impurum a conſiliis habent, & *Pythomantiam* exercere ſolent. De hoc ſenſu vocabuli *Lexicographi* tanquam de re clara & extra dubium poſita loqui ſolent; licet unum ſolommodo textum proferant, qui ſententiæ ſuæ ſavere videtur. Extat locus ille 1 *Paral.* 10. 13. *Et Saul mortuus eſt*, ——— quia interrogavit באוב *per pythonem*; cum tamen ex hiſtoria ſacra pateat, *Saulum* Pythoniſſam quidem, non ipſum Pythonem, conſuluiſſe; niſi Spiritus, *Samuelis* perſonam ſuſtinens, pro *Pythone* habeatur. Interea loci tacite prætererunt locum [e] illum, unde, me judice, clarius evincitur, hanc vocem, Pythonicum æque ac Pythonem quandoque ſignificaſſe. Nam ibi ſacer hiſtoricus, de *Manaſſe* loquens, inquit, ועשה אוב וידעני. Hæc verba *Vulgatus* ita vertit, [a] *& fecit pythonem & ariolos*, ſic autem interpretes *Anglicani, and dealt vvith a familiar ſpirit,*

a *Jeſ.* 29. 3, 4. b Vid. *Rivet.* in *Geneſ.* 3. *Exercit.* 35. c *Jerem.* 46. 22. d Cap. 8. 19. & 19. 3. & cap. 29. 4. e 2 *Chronic.* 33. 6.

1 *Jeſ.* 8. 19. Propheta loquitur de quatuor ſpeciebus, ejuſdem pene farinæ: de אבות *Obhoth* quos Lxx vertunt τοὺς ἐγγαστριμύθους: ידענים *Jiddeonim* τοὺς ἀπὸ τῆς γῆς φωνοῦντας: hos quidem duos tranſpoſitos legimus in *MS. Alex.* מצפצפים *metſaphtſephim* τοὺς κενολογοῦντας: מהגים *mahgim* οἳ ἐκ (*Alex. quæ*) τῆς κοιλίας φωνοῦσιν: *Edit. Ald.* & *Complut.* φωνοῦσιν — Cap. 19. 3. Lxx vertunt *Obhoth* τοὺς ἐκ τῆς γῆς φωνοῦντας, & *Jiddeonim* τοὺς ἐγγαστριμύθους. — 29. 4. omnes leguntur quidam periphraſi, — *e terra loqueris & ſermo tuus demiſſus erit ex pulvere, & vox tua erit ſicut Obh e terra* [apud Lxx οἱ φωνοῦντες ἐκ τῆς γῆς] *& e pulvere ſermo tuus* תצפצף *pipiet.* [illegible] A. Juxta Editionem Sixti V. & Clem. VIII. *habebat ſecum magos & incantatores.*

Sect. I.

and vvith vvizards. Sed utrique perperam: nam impoſſibile eſt, ut *Manaſſe* pythonem, hoc eſt, Spiritum divinationi ſervientem, faceret. Et æque certum eſt, verbum עשה *to deal vvith* [i. e. commercium habere, vel familiariter cum aliquo verſari] nuſquam ſignificare. Rei itaque præſenti maxime conſentaneum arbitror, ut vox אוב ibi figurate capiatur, & de בעלי אוב id eſt de pythonicis, aut viris fœminisque ſpiritum fatidicum habentibus, intelligatur: nam [a] locutio ſimilis ſcripta ſacra legenti paſſim obvia eſt. Hujuſmodi facinoroſos עשה *Manaſſes*, h. e. comparavit, evexit, magnificavit, præpoſuit, opibus auxit & honoribus. Nam ſignificatus ejuſmodi voci עשה tribuitur in [b] *Scriptura* paſſim. Ab hac interpretatione non longe diſcedunt *Græci*, ſic locum illum transferentes, Καὶ ἐποίησεν ἐγγαστριμύθους καὶ ἐπαοιδούς. Atque hæc primæ *quæſtioni* ſatisfaciant. Ad ſecundam tranſeo.

Quæstio ſecunda. An אוב & אבות voces ſint originis Hebraicæ, vel Ægyptiacæ.

Jam diu eſt, ex quo [c] *Forerius* ſententiam in hac cauſa decretoriam tulit, & vocem אוב *haud dubie peregrinam* eſſe judicavit. Cum primum autem *Kircherus Onomaſticon* ſuum *Copticum* in lucem emiſiſſet & ibi docti vocem *Obion*, & *Hof*, aliasque ſimiles, in vocum Ægyptiarum cenſu reperiiſſent; plerique vocem hanc ab Ægypto originem accipere, & e vocum Hebræarum albo delendam eſſe, ſtatuerunt. Inter opinionis hujuſce patronos eminet [d] *Bochartus*, cujus hæc ſunt verba: *Python Moſi eſt* אוב Ob, *voce ab Ægyptiis ſumpta*, *quibus* Obion *hodieque* ſerpentem *ſonat*. In hujus autem ſententiæ fidem & præſidium varia, quamvis haud adeo firma, produci poſſunt argumenta.

Nam (1°.) Nullam veri ſpeciem præ ſe fert, Ægyptios hanc vocem ab Hebræorum lingua mutuari voluiſſe, cum apertum ſit, eos vix ullum aliud vocabulum ab Hebræis mutuo ſumſiſſe; eoſque Judæorum ſacra, mores, perſonas, omnia, contemptui atque odio maximo habuiſſe.

(2°.) Cum Ægyptii ſpiritus fatidicos ſæpiſſime conſultum irent, iiſque fidem ſecuram adhiberent; rationi congruum eſt, opinari Ægyptios hujuſmodi ſpiritus nomine aliquo peculiari donare, eoſque citius nomen Ægyptium *Obb*, aut *Obaion*, quam ullum aliud, iis imponere, voluiſſe: cum præſertim nomen ſerpentis diabolo magis arrideret, & ipſe [e] ſerpentis forma, qua primos homines ſeduxit, maxime coleretur.

(3°.) Apud Ægyptios antiquiores uſu moreque tritum erat, numinibus geniiſque ſuis nomina *ſerpentum* indere. Nam numini vel genio ſuo malo nomen [f] *Tihſo* dederunt, quod *Ægypti* lingua *malignioris naturæ ſerpentem* denotat. Conſentit itaque ratio, ut credamus Ægyptios, omnium primos, Genio ſuo bono nomen *Obb* aut *Obion* conceſſiſſe, quod draconem & baſiliſcum, (maximæ virtutis & potentiæ ſerpentes) denotat.

(4°.) Interpretes antiqui ſenſum vocis hujuſce genuinum prorſus ignoraſſe videntur. Nam LXX quod attinet, illi vocem *Obb* ubique pene per ἐγγαστρίμυθον interpretantur; cum incredibile ſit, trium earum vocum [ἐν, γαστὴρ, & μῦθος] notationem unica illa monoſyllaba contineri potuiſſe. *Onkelos* & *Jonathan* vocem illam in בידין *mendaces* transferunt, vocabulo a בדה *mentitus eſt* originem derivante. Nec antiquiores tantum, ſed & ævi recentioris interpretes, a ſenſu primario vocis אבות aberrarunt; eam per *ſpiritus* quos vocant *familiares* plerumque transferentes, cum de ſignificatione *ſerpentis* ne cogitaſſe cenſeantur. Quid autem interpretes illi, cætera doctiſſimi, vocis hujuſce ſenſum genuinum ignorarent, niſi quod ea linguæ Ægyptiacæ pars eſſet, cujus per multas ætates vix λείψανα quædam ſupereſſent.

(5°.) Ad hanc legem exprimendam, conſultius erat vocem ab Ægyptiis, quam Hebræorum dialecto mutuari. Nam populus Iſraeliticus, *Ægypti* moribus & verbis aſſuetior, vocis hujuſce mentem ſenſumque probe tenuit, & inde ad magicos *Ægypti* mores evitandos facilius adduci potuit. Deinde, hac voce ab Ægypto petita uſus eſt *Moſes*, forſan ut monumentum extaret vitæ illius flagitioſæ quam in Ægypto degebant Iſraelitæ, eoſque ad majorem gratitudinem erga Deum excitaret, qui eos a magicis *Ægypti* moribus æque ac ſervili miniſterio liberaſſet. Præterea: vox ea malignum & exitiale dæmonis ingenium multo felicius quam alia quævis exprimebat. Nam Oubaion Ægyptium, unde *Obb* ortum duxiſſe dicitur, *draconem* ſimul & *baſiliſcum* ſignificare ſatis e modo dictis innoteſcit. Cum autem ſerpentes illi maxime peſtiferi ſint, & in perniciem noſtram quaſi conjurati; vox hæc Ægyptia ad ſpiritus impuros & ſerpentes hoſce lethales (ipſorum emblemata) ſignificandos & exprimendos, om-

a V. 1 Sam. 28. 7. & Nah. 3. 4. b Deut. 8. 17. 1 Sam. 12. 6. Deut. 32. 6. c Comment. in Eſai. 40. d De Animal. Sac. lib. 1. col. 20. e Sap. 11. 15. f Kircher. nomenclat. Ægypt. pag. 507.

nibus

nibus aliis aptior erat & accommodatior. Si hæc omnia perpendat lector; hæc opinio, quæ *Obhoth* originem Ægyptiam tribuit, magna veriſimilitudine niti videatur. SECT. I.

QUAMVIS autem hæc omnia prima ſpecie ſolida forte videantur, tractata ſtatim in pulverem & fumum evaneſcent. Nam rationem primam quod attinet, inde pateat eam nil firmi continere, quod certum ſit. Ægyptios voces haud paucas originis Hebrææ ad formam & flexionem Ægyptiacam accommodaſſe, & pro ſuis accepiſſe. Nam Ægyptii ſuum KUKUPHA [a] *upupam* ſignificans, ab Hebr. דוכיפת ipſorum *Neel* a נחל *fluvio*, & ipſorum *νωι* vel *μωι ſerpens* a נחש derivaſſe videntur. Voces eas, in Ægypto frequentes [*Oſiris*, *Iſis*, *Orus*, *Apis*, *Serapis*] & earum origines Hebræas, hic miſſas facio; ne lectorem docere videar, quæ triviis innoteſcunt. Si rationem ſecundam tractemus, eam nihilo ſolidiorem ſtatim experiemur: quamvis enim concedam libens, Ægyptios nomen ſerpentis diabolo, & nomen *τῷ obion* ſerpenti tribuiſſe; male ſequetur inde, vocem illam originem Ægyptiam habuiſſe. Nec argumentum tertium minus elumbe reperiemus: nam & Iſraelitas antiquiores nomen *ſerpentis*, *draconis*, *aſpidis*, diabolo ſæpe tribuiſſe, & id moris a majoribus aut ſcriptis ſacris accepiſſe, non facile dubitandum eſt. Argumentum quartum, non magis quam tria priora, cauſam adverſantium adjuvat: nam ſuperius adducta clare probant, LXX quandoque vocem אוב periphraſi ſoli ſerpenti conveniente tranſtuliſſe. [b] *Jonathan* etiam *Chaldæus* vocem illam per אובא טמיא *ſerpentem immundum* interpretatur. Deinde: cum אוב tot ſignificata [ventrem, ſerpentem, pythonem, pythonicum] in ſe uno contineat; credibile eſt, interpretes illos eruditos vocem illam exacte & proprie reddere minime potuiſſe, eoſque non ignorantiam ſed linguæ Græcæ penuriam a transferendo cohibuiſſe. Hoc eo minus a fide alienum cenſeo, quod certum ſit [c] interpretes illos vocem אבות per *τὰς ἐκ τῆς γῆς φωνοῦντας*, & *τὰς ἐκ τῆς κοιλίας φωνοῦντας*, eodem in commate reddidiſſe; hac autem duplici periphraſi ad vocem illam reddendam utebantur, ut prima *ſerpentes*, ſecunda *ſpiritus* quos dixi *familiares*, exprimerentur. Argumentum quintum conjecturis plerunque lubricis & incertis innititur, & leviculis illis ſine temporis diſpendio & lectoris faſtidio non licet immorari.

NIL reſtat itaque niſi ut אוב & אבות originis & analogiæ (non Ægyptiacæ, ſed) Hebraicæ voces habeantur. Atque eo libentius huc inclinat animus, * quod certum ſit, e doctis longe plurimos eas inter voces Hebræas (ſine ulla dubitatione) numeraſſe: * quod in vocum Hebræarum ſocietate ſæpe reperiantur: * quod אוב & אבות ad modum אות & אותות & hujuſmodi vocum monoſyllabarum inflectantur: * quod ſola lingua Hebræa rationem reddere doceat ſignificationum earum omnium quæ vocibus hiſce merito tribuuntur: * quod e locis modo citatis innoteſcat, *Jeſaiam* & *Jeremiam* voces eas, אוב & נחש tanquam ſynonymas uſurpaſſe, * quod vox אובות modo peregrina vel Ægyptia fuiſſet, legem hanc intellectu difficilem brevi reddidiſſet. * *Præterea:* linguæ Hebraicæ ſatis abunde vocum eſt, ad omnes ſerpentum ſpecies & ætates exprimendas. [d] *Bochartus* duodecim aut tredecim voces enumeravit, quibus Hebræi ad varias ſerpentum ſpecies indicandas uti ſolent. Ideoque nil opus erat Hebræis vocem ab Ægypto mutuari, ad ſerpentem aliquem, aut aliquid ſerpenti ſimile felicius exprimendum.

SI quis hic ex adverſo quærat, unde vocis hujus Hebraicæ veſtigia quædam evanida in lingua Ægyptiaca reperiuntur? in expedito reſponſio eſt: multi e gente Iſraelitica, tempore *Moſis*, *Salomonis*, *Jeremiæ*, *Alexandri M.* & *Imperii Græci*, in Ægypto peregrinati ſunt: & nil miri habet, Ægyptios e tam frequenti Judæorum uſu & commercio peregrinitatis aliquid in linguam patriam importaſſe. Ex eo uſu factum eſt, ut & aliæ voces, e Judæorum lingua derivatæ, in linguam Ægyptiacam tranſirent, quarum nonnullas [e] auctor ille *πολύγλωσσος* enumeravit.

AD tertiam, eamque forte difficillimam, penſi mei partem progredior proximo; ut ſcilicet oſtendam, cur interpretes Græci tam longe receſſerint a vocum earum ſenſu genuino; אוב per *θελητὴν*, & אבות per *θελητὰς*, bis ſæpiſſime per *ἐγγαστριμύθους*, transferentes. Nam vocem *θελητὴς* ad אוב explicandum adhibent, 2 *Reg.* 21. 6. ubi quod de *Manaſſe* dicitur, ועשה אוב *Græci* vertunt *Καὶ ἐποίησε* [1] *θελητὴν*. Locus huic affinis occurrit 2 *Regum* 23. 24. ubi *Joſiah*, loco *τῶν* אבות [2] *τὰς θελητὰς* ſuſtuliſſe di-

QUÆSTIO *Tertia.* Cur *Lex* voces Obh & Obhoth, *bis per θελητὴν aut θελητὰς, ſæpiſſime per ἐγγαστριμύθους, interpretantur?*

a Vid. *Bochart.* de *Animal.* P. 2. col. 348. 70. & 764. 30. b *Paraph.* in *Deut.* 18. 11. c In *Jeſai.* 8. 19. d De *Animal. Sacr.* p. 2. L. 3. col. 358. e *Bochart.* de *Animal. Sac.* p. 2. col. 795.

1 Θελ. ita ſe habent *MS. Alex.* & *Ed. Ald.*—*Exemplar.* autem *Vatican.* *τεραίνον*, *Complut.* *ἐγγαστριμύθους*, quæ vox legitur etiam apud *Theodorit.* 2 *Complut.* *ἐγγαστριμύθους.*

 citur.

Sect. I. citur. Tot locis autem vocem illam per ἐγγαστρίμυθον interpretantur, ut lectori tædio eſſem ſi ſingulos enumerarem. [a] *Conradus Kircherus* locos duodecim obſervavit, ubi Lxx ſic vocem Hebræam tranſtulerunt.

Sermoni præſenti vox θελητὴν principium dabit, quæ doctis hactenus crucem fixit, iiſque mirandi potius quam diſſerendi materiam attulit. In hujus rei fidem audiamus ſenatus literarii præſidem, [b] *Seldenum* dico, ſuam & aliorum ſententiam ſic exprimentem; *quamobrem* Ob *per* θελητὴν *reddunt* interpretes Græci? *Heſychius* θελητὴς, προαιρετικός? *Hoc autem eum qui certo animi propoſito rem adgreditur denotat; verum quomodo* τῷ Ob *ſic foret ſatis congruum nullus video. An quod* Ob *Ebraice* אוב *exaretur, ideo ac ſi ab* אבה Abah, *quod* θέλει *ſignificat, deduceretur, in* θελητὴν *vertebant? hæreo.* Hærent & alii multi, ad quos expediendos eruditi varias rationes inierunt.

Nam (1°.) *Samuel Petitus*, vir ſumme doctus, locum modo dictum explicans, hæc habet; [c] *Græci interpretes* אוב *vertunt* θελητὴν, *cum ſoleant* ἐγγαστρίμυθον. *Locus eſt* 2 *Reg.* 21. 6. *de Manaſſe*, Καὶ ἐποίησε [1] θελητὴν καὶ γνώστας. *Miror viris eruditiſſimis, e Suida (qui* τελεσφόρον, τέλεον μάντιν, ἐγγαστρίμυθον *interpretatur) non ſuccurriſſe, emendandum eſſe* καὶ ἐποίησε τελετὴν *intelligunt enim illas ſuffumigationes ſive initiationes, quæ, quotieſcunque* ἐγγαστρίμυθοι *interrogabantur, fiebant.* Sed hæc ſententia vim offert voci θελητὴν, loco θ & η, τ & ε, conjectura temeraria, ſubſtituendo. Nec ſcopo loci convenit, quo de Magis ſciſcitandis & incantationibus exercendis, non initiationibus præſtandis agitur.

(2°.) Alia ſententia *Voſſio* placuit, quam & animo ſatis fidenti protulit. *Pudet me,* inquit ille, *tot præſtantiſſimorum virorum, qui ineptiſſimum vocabulum, quodque nulla conſtat ratione, interpretari ſunt conati, nec tamen leve mendum animadverterint. Quis enim vel primo aſpectu non videat* θελητὴν? *Eſt vero* θελκτὴς *incantator, illex.* Huic opinioni fiduciam paulo majorem addere conatur auctor non e vulgo doctorum: [d] Nam θελητὴς *redditur etiam ab Heſychio per* προαιρετικὸν *ſed meo judicio vox utraque apud Heſychium eſt corrupta. Nam ibi legitur* θελητὴς, προαιρετικὸς, *Voluntarius, qui agit & ex proæreſi & ex præviſione. Sed puto legendum* θελκτὴς, προφητικὸς, *incantator, augur qui prænunciat & prædicit. Adeo ut & θελκταὶ, & ἐγγαστρίμυθοι futura prænunciarent.* Sed & hanc ſententiam ore rotundo vitioſam pronuncio, quod *Heſychii* θελητὴν, contra fidem exemplarium omnium, in θελκτὴν mutet; quod etiam θελκτὴν *incantatorem*, in magno *Stephani theſauro*, vel ullo melioris notæ *Lexico*, non detur invenire. Clarum eſt etiam *Heſychium* hic obtorto collo tractum ad hanc ſententiam ruinoſam ſuſtentandam, cum vocem ejus utramque [θελητὴς & προαιρετικὸς] *corruptam* faciat & huic *Voſſii* ſententiæ manum auxiliarem præſtet. Hujus itaque ſententiæ nos merito pudeat, quæ nec veritatis nec modeſtiæ ſpeciem præ ſe fert.

(3°.) Sententia tertia [e] *Schindlero* præcipue patrono vel auctore gaudet. Eam verbis auctoris accipiat lector: *Lxx* vocem אוב θελητὴν *voluntarium* reddiderunt: *acceperunt* enim אוב *pro* אב *ab* אבה *voluit.* At vero, cum Lxx vocem אוב tam frequenter obviam habuerint, & in aliis Scripturæ libris eam tam docte verterint; neutiquam probabile eſt, ἀβλεψίαν aut ignorantiam tam craſſam interpretibus illis tam cito obrepere potuiſſe, ut vocem illam [loco [f] jam dicto] θελητὴν *voluntarium* redderent, ſenſu cum textu aut contextu minime cohærente. Θελητὴν quidem voci אבה quæ *velle* notat, ſatis bene reſponderet, ſed ſic ſenſum nullum repræſentaret eo loci congruum. Deinde: ſententiæ hujus & ſuperioris auctores obſervare debent, Lxx vocem pluralem אבות per θελητὰς, 2 *Reg.* 23. 24. reddidiſſe; Καίγε τοὺς θελητὰς, καὶ τοὺς γνώστας ἐξῆρε Ἰωσίας. Si enim rem hanc attente conſiderarent, minime crederent, Lxx bis ad lapidem eundem impingere potuiſſe; nec mendum in *Heſychio* vel Græca verſione ex inſcitia vel oſcitantia ſcribæ alicujus, θελητὴν pro θελκτὴν ſcribentis, ortum exiſtimarent.

Cum itaque hæc non ſuccedat, alia ineunda eſt via, ut hæc difficultas expediatur. Pace lectoris itaque ſententiam meam ipſius judicio ſubditam, in medium feram. Si quid autem in tenebris hiſce mihi videre conceſſum ſit, θελητὴς, non vocibus Atticis, ſed Alexandrinis, aut potius Ægyptiacis, annumerari debet, eique ſignificatio origini ſuæ Ægyptiæ conſona, loco jam dicto tribui. Ea ſum ſententia, non tantum quod e-

a *Concord.* in voc. אוב b *Syntag.* 1. de *Diis Syr.* c. 2. p. 122. c *Var. Lect.* c. 25. apud *Critic. Vol.* 9. col. 2592. d *M. Le Moyne Not. & Obſer.* ad *Hippolyt. Serm.* p. 996. e In voc. אוב f 2 *Reg.* 21. 7.

1 Vid. pag. 422.

ruditi

Sect. I.

ruditi verſionem Græcam vocibus *Alexandrinis* ſcatere jam pridem obſervarint; ſed quod ΘΕLETH lingua Ægyptiaca, *præſtigiatorem*, *magum*, notet. [a] *Kirchero* teſte, cui literæ linguam Ægyptiacam reſtitutam debent. Ratio vero non patitur opinari, Græcos interpretes vocem hanc a ſenſu nativo ad magicum trahere voluiſſe, niſi civitas Alexandrina (cujus incolæ fuere Septuaginta) eam a vicinis Ægyptiis accepiſſent, eique ſenſum eundem quem habuit in Ægypto, tribuiſſent. Certe multo probabilius eſt, interpretes illos hanc vocem a popularibus ſuis Alexandrinis, eoſque ab Ægyptiis mutuo accepiſſe, quam totum *Ægypti* populum eam a Græcis interpretibus hauſiſſe, eamque tandem ad ſenſum magicum notandum accommodaſſe.

Pars altera præſentis inſtituti poſtulat, ut rationes inveſtigemus, cur Lxx ſæpiſſime vocem אוב per ἐγγαστρίμυθον *ventriloquum* interpretantur. Hæc quæſtio eo magis impedita eſt, quod voces illæ [*Obh* & ἐγγαστρίμυθος] vix ulla ſignificationis affinitate ſocientur, & Lxx * *ſæpe* quidem, non autem *ſemper*, ſic vocem illam interpretentur. Quantum autem conjecturis aſſequi licet, Lxx, hiſce rationibus inducti, voces *Obh* & *Obhoth* ita reddidere.

(1°.) Quod Judæi, ſpiritu illo fatidico correpti, cum Pythonicis ethnicis *re* & *nomine* conveniebant, qui ἐγγαστρίμυθοι vulgo dicebantur. *Re* quidem: nam ſpiritus [b] *Obh*, qui viro vel fœminæ Judææ præſto erat, ventrem occupaſſe, & ex imo ventre vel voce ſub axillis arioli prodeunte, reſpondiſſe creditur. Et ſpiritus Pythonicus ventrem Pythiæ pro ſede habuiſſe, & e corporis ſecretis reſpondiſſe, fertur. Nec minus *nomine* conveniebant: nam Pythonici (qui Græcis ἐγγαστρίμυθοι) a פתן aut פיתון *ſerpentem* ſignificante, nomen acceperunt: & probatum eſt ſupra, ſpiritus fatidici nomen *Obh ſerpentem* denotare. Nec probabilitate caret [quod obiter noto] ſecula antiquiora celebri illi ditionis [c] *Moſcovitica* fluvio, ob curſum ejus flexuoſum & quaſi ſerpentinum, nomen OB impoſuiſſe.

(2°.) Verba legis, qua *Obh* & divinantes per *Obh* interdicti veniunt, huic translationi cauſam dediſſe cenſeantur. Sic enim ſe habent legis [d] verba: *vir ſive mulier, ſi fuerit* בהם *in illis* אוב *morte morietur*. E verbis illis collegiſſe videntur Septuaginta viros aut fœminas per *Obh* divinare ſolitas, Spiritum illum impurum mediis eorum viſceribus habitantem habuiſſe, eumque prorſus ἐγγαστρίμυθον fuiſſe, & e ſede ſua ſpurca, voce ex ore vel imo ventre miſſa, reſponſa muſſitaſſe.

(3°.) Sensum vocis ἐγγαστρίμυθος *Helleniſtæ* perſpectum habuere, quorum præcipue gratia Lxx verſionem ſuam adornarunt. Hoc enim vocabulum uſu & religione ſancitum habebant Græci, eoque ad hominem *Pythonis* ope vel afflatu reſpondentem indigitandum utebantur. Cuivis hoc abunde conſtabit *Leonis Allatii* ſyntagma de *Engaſtrimytho* curate perlegenti; ſi præſertim una conſulat quæ *Grotius* & *Hammondus* noſter ad *Act.* c. 16. v. 16. annotarunt. Cum itaque vocis illius notationem tam probe callerent Helleniſtæ, verſionis ſuæ fini & uſui præcipuo conſentaneum erat, ut eam, occaſione data, uſurparent Septuaginta; cum præſertim ἐγγαστρίμυθος a ſenſu grammaticali vocis *Obh* non multum aberraret. Nam,

(4°.) Si ad ſignificatum vocis hujus & illius diligentius attendamus, in propatulo erit, inter voces eas haud parum affinitatis intercedere. Nam e ſuperius adductis innoteſcit, vocem אוב (ſi notationem primariam ſpectes) *ventrem* ſonare; & [e] Lxx אבות per ἐκ τῆς κοιλίας φωνοῦντας interpretari. Norunt etiam pueri, ἐγγαστρίμυθον ejuſdem momenti ſenſum fundere, & *e ventre* vel *in ventre loquentem* denotare. Et, ut omnia ſibi mutuo concinne reſpondeant, aſſerit [f] auctor modo laudatus, gentium ἐγγαστριμύθους, a בטן quod *ventrem* ſignificat, nomen *Pythonum* accepiſſe. *Vocabantur*, inquit, Bythones, *ſeu* Pythones, *a ventre, quia ventre loquebantur, & erant* ἐγγαστρίμυθοι *& veri* בטנים Bythones *ſeu* Pythones.

(5°.) Vox hæc non tantum ad exprimendos, ſed etiam deprimendos, taciteque ſugillandos, ethnicorum genios fatidicos, & eorum reſponſa, maxime ſerviebat. Nam vox ἐγγαστρίμυθος inferioris ventris partem notat, adeoque locum ſpurcitiei & fœditati omnifariæ deſtinatum dæmoni inquilino videtur aſſignare; quo nihil inhoneſtius aut a ſpiritus prophetici dignitate remotius excogitari potuit. *Plato* itaque *Sophocles*, aliique Gentium ſapientes, ut honori dæmonum ſuorum fatidicorum conſultum irent; eos e ſede tam fœda & ſtercorea elevarunt, iiſque locum in pectore tribuerunt. Eos etiam

a *Onomaſt. Copt.* p. 114. * Viz. *Levit.* 20. 27. *Deut.* 18. 11. 1 *Sam.* 28. 7. 1 *Par.* 10. 13. *Jeſ.* 8. 19. &c.
b *Bochart.* de *Animal. ſac.* P. 2. col. 383. *Maim.* de *Idolol.* c. 6. c *Heylin. Coſmogr.* p. 516. d *Lev.* 20. 27.
e Vid. *Lxx* in *Jeſai.* 29. 4. f *Steph. le Moyn.* lib. citat. p. 1009.

SECT. I. quibus eorum inſtinctu vel afflatu gaudere contigit, non ἐγγαστριμύθους aut ἐγγαστριμάντεις, ſed [a] στερνομάντεις, *vates e pectore*, dici voluerunt. Nec minus vox ἐγγαστρίμυθος ad dæmonum ethnicorum reſponſa riſui & contemptui exponenda ſerviebat. Nam ſpiritus Pythonicus partes obſcœnas Pythoniſſæ, tripodi inſidentis, invaſiſſe, & ex imo ventre mediiſque ſtercoribus oracula ſua fudiſſe fertur. De Deo quidem dicitur, פי יהוה דבר *os Domini locutum eſt:* ſed diabolus ore obſcœno & modo naturæ ſuæ impuræ conſentaneo ſenſu ſua ſignificabat & loquebatur. Nam Prophetæ ſui per pudenda correpti erant, & viri per partes poſteriores, fœminæ per partes genitales (ſi credimus Hiſtoriæ) ad interrogata reſpondebant. Hinc etiam ἐγγαστρίμυθοι, non ſine ingenti talium Prophetarum dedecore, dicebantur.

QUÆSTIO Quarta. *Cur Spiritus fatidici, nomine* Obh *&* Obhoth *in libro* Θεοπνεύστῳ *ſemper innoteſcunt?*

E Superius adductis aperte conſtat, voces eas, *Obh* & *Obhoth*, varia ſignificata continere: nec minus inde liquet, eas *ſerpentem*, præcipue vero [b] τὸν ὄφιν [1] τὸν παλαιὸν ejusque miniſtros, i. e. pythonem & ſpiritu pythonico familiariter utentes, ſæpiſſime denotare. Obſervatu tamen haud indignum eſt, cum divinandi res agitur, diabolum אוב non נחש appellari ſolitum, & prophetas ejus, illius afflatu divinantes, in Scriptura nomine אבות ſemper innoteſcere. Illud itaque noſtræ πραγματείας eſt proximo, rationes exquirere, cur Spiritus pythonicus, & Arioli tali Spiritu afflati, vocibus *Obh* & *Obhoth*, in vet. præſertim Teſtamento, tam frequenter appellentur.

UT hoc eo faciam expeditius, principio falſæ rationes in examen vocandæ ſunt, ne lectorem ſpecie veri fallant. Ex iis autem ſit hæc:

(1°.) QUOD *Obh* utrem ſignificet, & ſpiritus en nomine deſignatus voce ſonum ex utre miſſum referente ad interrogata reſponderet, adeo ut non tam vocem quam murmur edere videretur. Sic ſpiritus arte magica evocatus apud [c] *Heliodorum* auditur, ubi νεκρὸς, οἷον ἐκ μυχοῦ τινὸς, ἢ σπηλαίου φαραγγώδους, βαρύ τε καὶ δυσηχὲς ὑποτρύζων, *mortuus tanquam ex angulo quodam, aut antro confragoſo, grave quiddam & auditu difficile muſſitare* dicitur. Hæc autem ratio non multum apud me valet, eo quod *Samuel*, arte Sagæ Endorenſis excitatus, aut Spiritus illius perſonam ſuſtinens, [d] voce clara & elata loqueretur; & difficile ſit creditu, tot perſonas conſilium ab *Obhoth* petere voluiſſe, ſi murmura potius incerta, quam reſponſa captu facilia, inde redderentur.

(2°.) ALII nominis hujuſce rationem a ſignificatione vocis *Obh* arceſſendam exiſtimant. Nam e ſupra dictis aperte conſtat, vocem אוב *ſerpentem*, & בעלת אוב *poſſeſſorem ſerpentis* aut Pythoniſſam, deſignare; id nominis itaque ſpiritui fatidico datum ſentiunt aliqui, quod ſpiritus ille *ſerpens vetus* eſſet, & olim reſponſa ſerpentis figura redderet. Sed nec ratio illa lancis examen ferre poteſt: nam ſi ratio illi quid ſani aut ſolidi contineat, cur Spiritus ſanctus voce נחש ad pythonem aut pythonicum exprimendum nunquam utitur; cum tamen נחש *ſerpentem*, & נחש *ominari*, *futura prædicere*, ſignificare notum ſit? Proculdubio Moſes, de divinatione loquens, vocem hanc aut ullam aliam quæ *ſerpentem* notat, nonnuoquam uſurpaſſet; niſi vox אוב ſignificatione ampliore gauderet, & notationem inſtituto ſuo magis aptam contineret.

(3°.) VISUM eſt aliis, ſcripta ὀνόματα nomeo *Obh* & *Obhoth*, tanquam peculiare *Pythoni* & *Pythonicis* impoſuiſſe; quod illi voce exili & ſibilante, ſerpentis ad inſtar, reſponſa præſtolantes alloquerentur. Hoc e verbis [e] *Prophetæ* manifeſto deprehenſum aſſerunt: *& cum dixerint ad vos, quærite* אל האבות *ad pythones & præſtigiatores, qui pipiunt & ſuſurrant*, &c. His affinia ſentiunt ejuſdem [f] *Prophetæ*, de *Ariele* dicta *humiliaberis, de terra loqueris, ex pulvere erunt verba tua, & erit* כאוב *quaſi Pythonis de terra vox tua, & muſſitabis ex pulvere eloquium tuum.* Sed his teſtimoniis rationis hujus advocati nihil promovent. Patet enim e primo teſtimonio, non minus אל הידענים *præſtigiatores*, quam אל האבות *pythone correptos*, *ſuſurrare*, i. e. ſecum & ſolos muſſitare ſolitos; non autem vocem tenuem, ſibilo quam eloquio propriorem, reſponſa petenti reddidiſſe. In ſecundo teſtimonio (quod ſatis evictum eſt ſupra) vox כאוב non *inſtar pythonis*, ſed *inſtar ſerpentis*, transferenda eſt.

CUM rationes veritate vacuas jam reprehenderim, aditum præſtruxiſſe videar, ad rationes veras cur voces Obh & Obhoth, cum divinandi res agitur, ſemper in Scripturis uſurpentur. Ex iis autem quatuor enumerari poſſunt, ſi quid hac in re conjecturis aſſequendum.

a Vid. *Hammond. Not* in *Act.* 16. b *Apocal.* 20. 2. c *Æthiopic.* lib. 6. ſub fin. d Ἀνύψωσε τὴν φωνὴν αὐτοῦ. *Syrach. de Samuele.* c. 46. 20. e *Iſ.* 8. 19. f Cap. 29. 4.

1 Legitur τὸν ἀρχαῖον.

(1°.)

(1°.) Nomen *Obh*, præ aliis omnibus, Spiritui pythonico vel ſatidico quam maxime conveniebat. Probat enim *Ægypti* lingna, quæ ſignificatum hujos vocabuli genuinum poſteritati conſervavit (uti dictum eſt) *Obh*, non *ſerpentem* tantum, ſed *draconem* & *baſiliſcum*, ſerpentem omnium maxime lethales & venenoſos, proprie deſignare. Ideoque vox ea non tantum ſpiritui diabolico, ſed ſpiritui pythonico vel ἐγγαστριμύθῳ, apprime conveniebat. Eſt enim hujuſmodi ſpiritus humano generi maxime pernicioſus & adverſus, ſi quid fidei mereatur [a] *Photii* de *Engaſtrimutho* teſtimonium; Ἀπατηλὸν δὲ τοῦτο καὶ τῆς ἐσχάτης ἀπωλείας, τοῖς προσέχειν αὐτῷ ἀναπεπεισμένοις, πρόξενον· *Eſt autem populi deceptor ſpiritus, & ruinam extremam procurat eis, qui ut ei fidem habeant, induci poterint.* Sect. I.

(2°.) Spiritus ſatidicus, *Obh* aut *Obhoth* nomine deſignatus, ingenio & conditione plane ſingnlari fuiſſe videtur. Nam veteres omnes ſpiritibus hiſce cum primis vanitatis crimen ſemper impegerunt. [b] Interpretes *Græci:* qui אובות ſic pleonaſtice reddidere, τοὺς ἐγγαστριμύθους, [1] τοὺς κενολογοῦντας· Sic etiam *Chaldæi* cenſuere, qui אוב & אבות per בדין *ſpiritus mendaces*, a בדא *mentitus eſt*, expoſuere; quaſi ſpiritus iſtiuſmodi, præ aliis e grege ſuo, ficti pravique tenaces exiſtimarent. Huic ſententiæ ſubſcripſit [c] *Pſellus*, qui, de ſpiritu ἐγγαστριμύθῳ loquens, ἐστι, inquit, πάντη πλάνον τὸ τοιοῦτον πνεῦμα, ὅτι τῆς ὑλικῆς ἐστι τάξεως· *Eſt autem ſpiritus hujuſmodi ſemper fallax, eo quod ex ordine ſit craſſo & materiali.* Neque *vani* ſolummodo, ſed etiam *degeneris*, nota, huic ſpiritui, præter ceteros, inuri poteſt; non tantum quod ſedem ſtercoream incolat, ſed ex ipſo [d] ſinu muliebri reſponſa reddat; ſi quid fidei tribuendum ſit antiquitati, hæc de *Pythoniſſis* referenti. Hoc autem ſatis apertum eſt naturæ plane degeneris argumentum. Cum itaque ſpiritus *Obh* eo eſſet ingenio & natura peculiari, par erat ut ab aliis gregis ejuſdem infernalis ſpiritibus, nomine ſibi proprio & peculiari diſcerneretur.

(3°.) Cum vox ea *ventrem* etiam in ſignificatis habeat, Spiritus hujuſce ſatidici loco & reſpondendi modo maxime conſona videbatur. Locum quem ſpiritus hic ἐγγαστρίμυθος ſibi proprium fecerat, ſatis e [e] *Photii* verbis intelligitur: Ἔοικε τὸ δαιμόνιον τοῦτο φῦλον, οὐ γυναικῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀνδρῶν τῇ κόπρῳ φιλεῖν ἐγγαστρίζεσθαι· *Solet hoc genus dæmonum, non modo mulierum, ſed & virorum ſtercore gaudere, & ideo ventrem ſubire*, & illius incolatn ſe oblectare. Atque inde forſan *Ægypti* numina גלולים *ſtercora* per contemptum [f] appellantur, quod ſcilicet e mediis excrementis vaticinia funderent; & omnes, ab iis reſponſa petentes, *aurum de ſtercore colligere* ſtuderent, quod [2] *Virgilius* olim ſe facere dicebat cum *Ennium* legeret. Reſpondendi modum quod attinet, veteres una voce conſentiunt, imporum illum ventris incolam e partibus viri aut fœminæ vix illæſo pudore nominandis reſpondere ſolitum. Cum itaque ſpiritus ille pythonicus ventris incolatn gauderet, & e ventre, ritu licet impuro, reſponſa redderet; cauſa non levis erat, cur ei nomen, *ventris* ſignificatum habens, imponeretur. Ad hanc rationem aſtruendam multum valet exemplum interpretum Græcorum, qui vocem *Obh* per ἐγγαστρίμυθον, *in* vel *e ventre* loquentem, pene ſemper interpretantur. Horum autem exemplum eo majoris æſtimari debet, quod vocem אבות [g] ſemel per [3] τοὺς ἐκ τῆς κοιλίας φωνοῦντας· *e ventre loquentes* explicent.

(4°.) Ætate *Moſis* uſu forte tritum erat, ut ſpiritus ſatidici *Obhoth* nomine diſtinguerentur. Nihil enim credibile præ ſe fert, *Moſen* voce ſignificatus ignoti, ad ſenſum legis exprimendum, uri voluiſſe. Seculis autem antiquioribus nomen illod dæmonibus homini familiaribus impoſuerunt, vel ut eo felicius ingenium eorum ſerpentinum exprimerent, & memoria retinerent; vel ut vox *Obh* (*ventrem* denotans) pœnæ dæmoni ſeductori primitus inflictæ memoriam renovaret. Deus enim *ſerpentem veterem*, lapſus canſam, minax alloquens, inquit, [h] *ſuper ventre tuo gradieris:* vel ut homines ingenii ſimplicioris ne micam ſani conſilii, ab eo cui nomen eſt *venter*, expectare diſcerent.

Quæ ſuperius adducta ſunt, lucis & fidei nonnihil accipiant e parallelis aliquot Scripturæ locis, quibus nomina quædam diaboli, τοῖ *Obh* & *Obhoth* analoga, reperiuntur, & quibus ad *Obh* & *Obhoth* reſpectus haberi videatur. Quæstio Quinta: *An veſtigia nominis illius* Obhoth, *aut vocis ulla ſynonyma, in aliis Scripturæ locis, deprehendi poſſint.*

a *Epiſt.* 151. b Vid. Lxx in *Jeſ.* 8. 19. In *Levit.* 20. 27. & 1 *Sam.* 28. 7. c Περὶ ἐνεργ. τῶν δαιμον. d Vid. *Origen. contr. Celſ.* l. 7. p. 333. e *Epiſt.* ſupr. laudat. f *Deut.* 29. 17. g *Jeſai.* 8. 19. h *Geneſ.* 3. 14.

1 Vid. Pag. 419.
2 Vid. *Vitam Virgilii* Editioni *Delphin.* præfixam.
3 Vid. pag. 419.

SECT. II. Horum primus, aut fallor, occurrit *Deuter.* 32. 33. *Venenum draconum vinum eorum, & virus crudele* פתנים *aſpidum* aut *regulorum.* Mihi vero non temere ſuſpicari videor, hunc locum reſpectum gerere ad nomen *Obhoth*, dæmonibus in Lege tributum, quod etiam malignioris naturæ ſerpentes [dracones, aſpides aut baſiliſcos] denotat. Adeo ut textus hujuſce ſenſus huc redeat: "eorum ſacrificia [τοῖς שדים] dæ"monibus immolantur, vinum quod in ſacris offertur horum nomine conſecratur, ipſi "moribus & doctrinis dæmonum imbuuntur; adeo ut vinum draconum & aſpidum vi"rus imbibere, & uoice τῶν *Obhoth* ingenium & ſocietatem ſapere & ſpirare vide"antur.

Locus ſecundus, quo ad hunc dæmonis titulum reſpectus haberi putetur, occurrit *Pſal.* 91. 13. quem literaturæ conſummatiſſimæ [a] vir ſic transferendum eſſe, non contemnendis oſtendit argumentis; *ſuper nigrum ſerpentem & baſiliſcum calcabis, conculcabis catulum draconis & draconem.* His autem verbis opinor, *Pſalmiſtam* nomen *ſerpentis nigri*, *baſiliſci*, *dracunculi*, & *draconis*, diabolo tribuiſſe; cum reſpectu ad *Obh*, nomen ei in Lege datum. Ex iis enim quæ dixi modo, ſatis elucet, vocem *Obh*, notionem ſerpentis, proprie vero draconis & baſiliſci, continere: interpretum etiam conſenſu firmatum eſt, ea *Pſalmiſta* verba de diabolo intelligenda eſſe, quem [b] *Chriſtus* vicit, & quaſi pedibus conculcavit.

His affinis eſt locus ille *Act.* 16. 16. quo refert Hiſtoricus, ſibi & S. Paulo precatum exeuntibus, obviam factam fuiſſe παιδίσκην ἔχουσαν πνεῦμα [1] Πύθωνος, h. e. Hebraice אשת בעלת רוח אוב *fœminam habentem ſpiritum* Obh *aut* Pythonis. Voces autem אוב & Πύθων pro ſynonymis habendas arbitror, hiſce perſuaſus argumentis: (1°.) Vocabulum אוב *ſerpentem*, proprie vero draconem & baſiliſcum, denotare, ſatis antea docuiſſe videar: פתן etiam (unde vox Πύθων orta) *ſerpentem* præcipue *draconem* notare, docet [c] *Etymologus*, cum ait, Πύθων βαρυνόμενον καὶ ἀρσενικὸν, ὁ δράκων. Idem diſcere licet e Græcis interpretibus, [d] qui voci פתן nunc aſpidis, aliquando ſerpentis, plerunque draconis, notationem tribuunt. (2°.) *Hippolytus*, qui de *Saule* ſcripſit & illa בעלת אוב (uti [e] dicitur) quæ *Saule* rogante *Samuelis* umbram evocavit; περὶ Σαοὺλ καὶ Πύθωνος, *De Saule & Pythone* [non *Obbo*] ſcripſiſſe fertur: unde patet *Hippolytum Obh* & *Python* voces ſynonymas exiſtimaſſe. (3°.) *Talmudici* huic opinioni teſtimonium perhibent, ubi dicunt, בעל אוב זה פיתום המדבר משחיו i. e. [f] *Baal*, aut poſſeſſor, *Obh*, *idem eſt qui Pythom, ſeu qui loquitur ex axillis ſuis:* eo ſcilicet in loco, *Talmudici* pro *Python*, voce leviter deflexa, *Pythom* ſcribunt, adeoque *Obh* idem qui & *Python* aſſerunt. (4°.) Πυθὼ, nomen urbis *Apollini* ſacræ, & *Delphos*, pro vocibus ſynonymis habeantur. Nam Πυθὼ natales a פתן *dracone* vel *ſerpente* petere, non facile dubitandum eſt: & *Delos* a *Phœnicum* דחל *Daul*, vel ἀρχαϊκῶς *Deel* Deus, & אוב *Obh* aut *Oph*, quaſi *Deus ſerpens* aut *draco*, originem derivare, conjectura non plane ridicula cenſeatur: cum præſertim *Inopus*, in inſula *Delos*, nomen illud a עין אוב *fons Pythonis*, ni fallat [g] *Bocharti* conjectura, derivaret.

Locis modo dictis quartum, ſeu parallelum, adjungere non dubitemus; nempe *Revel.* 12. 9. quo diabolus *draco magnus* & *ſerpens* ille *vetus* [h] appellatur. Nam & hic etiam alluſum videtur ad nomen *Obh*, ei datum antiquitus; quod etiam, docente [i] *Kirchero*, draconem & ſerpentem ſignificat.

SECT. II.

Vocum earum, אובות *&* תפנו *ſignificatus, hac in lege breviter explicantur.*

Cum jam penſi mei primi partes omnes perimpleverim, ad ſecundum me confero; ut nempe ſignificationes explicem, vocibus אובות & תפנו hac in lege, tribuendas, Ut itaque res tota perſpicacius intelligatur, inſtituto præſenti conſentaneum eſt, primo, ut præcipuæ vocum earum ſignificationes; ſecundo, ut earum hac ipſa in lege, ſignificationes, paulo clarius explicentur.

a *Bochart.* Lib. de *Animal. ſac.* P. 2. l. 3. c. 3. b *Rom.* 16. 20. c *Etymolog. Mag.* col. 696. l. 29. d Vid. *Kircher. Concord.* ad פתן e 1 *Sam.* 28. 7. *S. Hieron.* in *Catalog. Scriptor. Eccleſ.* Tom. 4. col. 118. f In *Sanhedr.* cap. 7. §. 7. g *Geogr. Sacr.* pag. 406. h Vid. etiam *Revel.* 20. 2. i *Onomaſtic. Copt.* pag. 172.

1 In *Codice Alex.* &c. Πύθωνα. Vid. *Mill.* in loc.

Primo:

Primo: rei præſenti conſentaneum eſt, ut præcipuæ vocum earum ſignificationes paulo clarius explicentur. Incœptum itaque ab אובות ordior. SECT. II.

Non eſt autem rei quæ jam agitur accommodum, ſignificata omnia vocis illius ſuperius enumerata hic recenſere. Memoria tantum repetendum eſt, hæc tria præcipue vocabulo illo deſignari. (1°.) Serpentum omne genus, draconem imprimis & baſiliſcum. Conjecturam itaque non plane ridiculam & abſurdam ſacerem, ſi *Boa*, quæ ſerpentem bene magoum [a] ſonat, origioem ab אוב per metatheſin elementorum, derivare dicerem. (2°.) Spiritus fatidicos, Mago familiares, eique ſorte ſerpentum formis apparere & reſpondere ſolitos. Prout enim dæmones, hircorum ſorma ſe videndos exhibere ſoliti, nomen שעירים *hircorum* inde reportarunt; ſic & Spiritus illi nomen אבות *ſerpentum* forſan acquiſiverunt, quod ſpecie ſerpentum ſe videndos & conſulendoa ſæpius exhiberent. (3°.) Vocem אובות pythonicos aut pythoniſſas notare dixi, h. e. viroa aut fœminas, a dæmonibus illis ὀφιομόρφοις reſponſa quærentes, aut iis familiariter uteotes, & eorum ſocietatem arte rituque aliquo magico ſibi conciliantes. Significatio אובות

Sermo jam tranſeat ad vocem תפנו a פנה derivatam: ea vero duo ſignificare ſolet, præcipue cum de rebus aut perſonis, quæ pro ſacris habentur, uſurpatur. (1°.) *Reſpexit, reſpectum ſingularem habuit, coluit, adoravit.* Hunc ſignificatum ferre videtur, *Levit*. 19. 4. אל תפנו אל האלילים *Ne reſpiciatis ad idola*, h. e. ne cultum præſtetis, ne reſpectum divino proximum iis exhibeatis. Eodem ſignificatu gaudet vox פנה in [b] locis illis lectore, ſi animus otiumque ferant, facile conſulendis. (2°.) *Animum advertit, obſecutus eſt.* Hunc ſenſum ei tribuunt Lxx, *Levit*. 19. 4. ubi ſic voces Hebræas modo dictas interpretaotur; οὐκ [1] ἐπακολουθήσετε τοῖς εἰδώλοις ſic etiam [c] hanc legem quam præ manibus habemus, explicant, [2] οὐκ ἐπακολουθήσετε ἐγγαστριμύθοις. & תפנו

Cum jam præcipuas vocum earum ſignificationes expediverim, proximum eſt ut earum ſignificatus, hac ipſa io lege, tribus hiſce *Theſibus* illuſtrentur.

Primam ſic exprimo: lege præſente cautum eſt, ne Iſraelitæ ſerpentes, dracones inprimis & baſiliſcos, religioſius obſervarent, aut ab iis ſigna futuri prænuncia captarent, aut cultum vel reſpectum ſingularem iis exhiberent. *Theſin* hanc eo probabiliorem exiſtimo, quod leges hoc capite præſcriptæ Ægyptiis inprimis opponantur, genti pravis moribus & opinionibus eo ſeculo corruptiſſimæ. Corruptionis hujuſce documentum erat, ingens illa ſuperſtitio, circa ſerpentes, dracones inprimis & baſiliſcos, verſata; quæ, tempore *Moſis*, Ægyptios plane dementaverat. Nil opus eſt autem ut hæc *Ægypti* ſuperſtitio mihi multum negotii ferat, cnm hoc argumentom, [d] *Euſebium*, [e] *Seldenum*, [f] *Bochartum*, [g] *Voſſium*, [h] *Kircherum*, [i] *Marſhamum*, [k] *Cuperum*, & alios ad ſudorem exercuerit. Ægyptiorum exemplo ductos, Iſraelitas etiam ſerpentibus honorem divinum tribuiſſe, conjicere licet e præcepto [l] illo quo a cultu reptilium, i. e. ſerpentum proculdubio, cohibentur. Eidem conjecturæ locum facit hiſtoria ſerpentis ærei, cui exemplo ab Ægyptiis hauſto, cultum exhibebant. *Quod* enim [m] *ſerpens æneus, quem in paucos dies & ob aliam cauſam Moſes erexerat, thure poſtea & ſacrificiorum libamentis uſque ad tempora Hiskiæ cultus ſit; id vero totum ab Ægyptiorum vanitate profectum eſt, qui, ut* [3] *Marcus Tullius ait*, quamvis carnificinam prius ſubierint quam ibim aut aſpidem violant. *Ipſum Serapidem draco repræſentabat, eminuitque id animal præcipue inter fercula pompæ Iſiacæ, de qua* [4] *Ovidius in hunc modum loquitur:*

Pigraque labatur circa donaria ſerpens,
Et comes in pompa corniger Apis eat.

Hanc ὀφιολατρείαν Ægyptiorum & Hebræorum moribus tam tenaciter adhæſiſſe, probabilius habeatur; quod certom ſit, gentes pleraſque, *Phœnicas*, *Indos*, *Perſas*, *Græcos*, *Romanos*, *Chinenſes*, *Boruſſos*, *Lithuanos*, *Sermatas*, olim ſuperſtitionis illius affines extitiſſe. Hoc aperte docuerunt auctores multi magnique; *Euſeb. Præpar. Evang.* l. 1. c. 10. *Max. Tyrius, Diſſert.* 38. *Grot. Comment.* io *Adject.* ad *Dan.* cap. 14. *Aldro-*

a *Aldrovand.* de *Serpent.* & *Dracomb.* l. 1. c. 19. p. 295. b *Deut.* 31. 18, 20. *Hoſ.* 3. 1. c *Lev.* 19. 31. d *Præpar. Evang.* lib. 1. c. 10. e De *Dis Syr. Syntagm.* 2. c. 17. f De *Animal. Sac.* P. 2. lib. 3. c. 9. & 14. g De *Idololat.* l. 4. c. 63. & l. 9. c. 11. & 12. h *Obeliſc. Pamph.* l. 4. p. 347. i *Can. Chronic.* p. 157. k *Harpocrat.* p. 73, 80, 81, 82, &c. l *Deut.* 4. 18. m *Cunæus* de *Rep. Hebr.* l. 3. c. 4.

1 Juxta *Ed. Complut.* ἀκολουθήσετε.

2 *Scholia* in loc. ſunt, ἄλλος φησί, μὴ ἐκκλίνητε πρὸς τοὺς θελητὰς καὶ τοὺς γνώστας. *Theodoret.* τινὲς ὑπὸ δαιμόνων τινῶν ἐγγαστρίμυθοι ἐξηγοῦντο πολλὰς τῶν ἀδήλων, ὡς δῆθεν προαγορεύοντες, οὓς ἐγγαστριμύθους οἱ Ἕλληνες προσαγορεύουσιν ὡς ἔνδοθεν δοκοῦντος τὰ δαίμονος φθέγγεσθαι.

3 Vid. *Tuſc. Diſp.* l. 5. §. 27.

4 *Amor.* lib. 2. Eleg. 13.

Sect. III. *vand. Hiſt. Serpent.* & *Dracon.* l. 1. p. 97, 98. &c. *Kircherus Oedip. Ægypt.* T. 1. pag. 402. & *Obeliſc. Pamphil.* pag. 129. & 347. *Dickinſon Delphi Phœnic.* p. 10. *Marsham. Can. Chronic.* p. 245. *Mat.* a *Michov.* de *Sarmat.* l. 2. c. 2. *Eraſm. Stella* de *Boruſ. antiquit.* lib. 2. quos omnes eorum gratia recenſui, qui hoc forſan argumentum minus perſpectum habent. Ideo vero tam magna ſemper erat gentium circa ſerpentes ſuperſtitio, quod [a] ſerpentibus numen aliquod ineſſe perſuaſus erat is, qui ab initio formam ſerpentis induit, & mores ſerpenti ſimiles hominibus inſtillavit. Cum itaque ſuperſtitio tam peſtifera locum præcipuum in gentium pene omnium ſacris inveniſſet, & ipſum populum Iſraeliticum (uti fit veriſimile) non parum infeciſſet; Deum eam ἀνεπαίδον, eamque nulla lege perſtrictam vel interdictam præterire, voluiſſe, prorſus incredibile videatur. Multo ſimilius eſt vero, Deum hanc legem ſtatuiſſe. non tantum ut omnem cum ſpiritibus immundis ſocietatem aut commercium inhiberet, ſed ut omnem ſerpentibus, dæmonum latibulis & inſtrumentis honorem exterminaret. Adeo ut ſenſus legis hujus huc redeat: "tantum abeſt, ut fidem cultumque Pythonibus, aut ſerpentibus (eorum ſymbolis & inſtrumentis) Ægyptiorum ritu, adhibeatis; ut vobis interdictum ſit, *ad eos reſpicere*, ullum oculi benigni motum iis impertire, vel minimo cordis aut corporis motu ad eos inclinare.

Secunda *Theſis* hujuſmodi eſt: hic interdictum eſt Iſraelitis, Spiritibus *Obhoth* dictis honoris aliquid exhibere, cum iis pactum aut ſocieratem inire, ab iis in arduis vitæ conſilium petere, aut ad eos, Ægypti ritu, reſpicere vel inclinare. Quamvis enim Ægyptii, quod modo dixi, ſerpentes impenſe colerent, eoſque ad oracula fundenda mirifice acutos; & non raro ſpiritu quodam divino incitatos, exiſtimarent; certum eſt tamen Ægyptios, ſerpentes eos dæmonum ſamiliarum ſymbola crediſiſſe, eoſque tanquam vivas dæmonum ſuorum imagines & habitacula coluiſſe, & cultum omnem ſerpenti præſtitum in ſerpentibus hiſce veris & inviſibilibus ultimo terminaſſe. Hoc eo credibilius eſt, quod antiquitus dæmones illi ſerpentum formas frequenter induerent, & eorum nominibus innoteſcerent. Nam Hebræum *Obh* & Ægyptium *Obion* ſerpentem ſimul & ſpiritum impurum notat: *Typho*, numen *Ægypti* lævum, & malignioris naturæ ſerpentem (uti dixi) ſignificat: Κνὴφ, Ægypti numen, ſerpens eſt voce a כנף i. e. κυκλοῦν vel *circuire* derivata; quod ſerpens, ad inſtar circuli, in ſe converteretur, & ſic æternitatis figuram gereret. Princeps dæmonum ὀφιονεὺς Θεὸς a Phœnicibus & Ægyptiis olim dicebatur, docente *Pherecyde Syro*, in [b] libro quem *de Ophionibus* inſcripſit *& ſacris Ægyptiorum*. Cum itaque dæmones olim nomine ſimul ac forma ſerpentum gauderent in *Ægypto*, nil vetat opinari, cultum τῶν *Obhoth*, dæmonum æque ac ſerpentum, hac in lege prohiberi. Sed rem hanc, utpote paulo remotiorem a legis intentione, feſtinus tranſilio.

Thesis tertia ſi. hæc: vox *Obhoth*, hac in lege, de perſonis ſpiritus fatidicos ſibi familiares habentibus, & eorum afflatu vel inſtinctu conſulenti reſpondentibus, inprimis intelligenda eſt. Sic enim a noſtris vertitur, *regard not them that have familiar ſpirits*. Nec male: hic enim occurrit vox illa, prout alibi ſæpe, cum ידענים *magis* aut *ariolis*, ſociata; adeoque ſatis aperte docet, eam etiam, uti & vocem ſociam de perſonis, artis alicujus illicitæ magiſtris, intelligendam.

SECT. III.

De ritu conſulendi Oah, *ejuſque reſpondendi modo.*

UT præſens argumentum, eique cognata Scripturæ loca, lucem paulo majorem capiant; nonnulla de ritu conſulendi Obh, ejuſque reſpnndendi modo, jam dictis addenda cenſui; eoque magis, quod hic in ſententias adverſas & incertas eruditi diſtrahuntur.

UT conſulendi ritus diſtinctius intelligatur, monendum eſt obiter, duas perſonas, πυθομαντείας exercitio notabiles, in Scriptura memorari. Erat enim בעל אוב & בעלת אוב *vir* aut *fœmina qua Pythonem habebat*, eoque familiariter utebatur: etiam דרש אוב aut שאל אוב *quærens aut interrogans* Oah, qui nempe perſonas *Spiritu Pythonico* præditas conſultum ibat.

a *Anguem —— in quo ipſum numen fuiſſe conſtabat.* Liv. Epiſt. l. 11.

b Vid. *Euſeb. Præparat. Evang.* l. 1. c. 10. ſub fin.

בעל

בעל aut בעלת אוב nobis occurrit in hiſtoria *Saulis*, 1 *Sam.* 28. Ubi *Saul*, de prælii inſtantis eventu ſollicitus, *quærite mihi*, inquit, *mulierem* בעלת אוב *habentem* aut *poſſidentem ſpiritum pythonicum*. Exempla huic loquendi formulæ cognata frequenter occurrunt in Scriptura: v. gr. *Nahum.* 3. 4. בעלת כשפים *habentem præſtigias*, vel (uti *Targum* explicat) ידעא חרשין *ſcientem præſtigias*. *Dan.* 8. 6. *Et venit ad arietem* בעל הקרנים *Dominum*, id eſt, poſſeſſorem, *cornuum*, vel (uti Græci vertunt) ἔχοντα τὰ κέρατα, *habentem cornua*. Mihi progredi jam liceat, & plura locutionis hujus exempla deſiderantes ad [a] *Schindlerum* amandare.

Erat etiam (quod dixi) דרש אוב *quærens* Oah, aut ab eo conſilium vel reſponſum in rebus incertis expetens. Criminis hujuſce nigrioris reatum contraxit *Saulus*, qui ad *ſagam Endorenſem*, Spiritus Pythonici poſſeſſorem, ſe contulit, ut, illius ope, *Pythonem* in rebus perplexis interrogaret. Judæos etiam eodem atroci crimine ſe ſæpe polluiſſe, e verbis [b] hiſtoriæ ſacræ diſcimus; *quin etiam* את האבות *pythones* i. e. Pythonum dominos, *& ariolos*, &c. *& omnes abominationes conſpectas in terra Jehudah*.. *expurgavit Joſiah*. Hoc autem *atrox crimen* haud inconſultus appellavi: qui enim hujuſmodi commercium cum dæmonibus colebat, Deum graviter [c] offendebat, eique [d] exciſionis pœna lege decernebatur.

E modo dictis clare ſatis intellectum eſt, homines olim duobus modis [*immediate* vel *mediate*] Obh, *pythonem* conſuluiſſe.

Immediata Spiritum illum conſultum ibant, qui ſocietate aut fœdere inito, eum penes ſe habebant, quoties libitum erat evocabant, eique de futuris aut obſcuris aliis quæſita proponebant. Hunc morem ſervabat ſaga *Endorenſis*, ſi *Paraphraſti Chaldæo* credimus, qui verba [e] hiſtoriæ jam citatæ, *ecce mulier* habens *Obh*, ita παραφράζει, דידעא לאסקא בידין *quæ novit producere pythones*.

Mediate conſilium a tali ſpiritu petebant illi, qui, ad Pythonicum aut Pythoniſſam ſe conferentes, eamque rogabant, ut arte magica ſpiritum ex inferis elicerent aut evocarent, ut certis interrogatis, ab ipſa Maga plerunque propoſitis, reſponderet. Ut rem ad pauca redigam: בעל אוב ſpiritum fatidicum immediate, שאל אוב *mediate*, venefica nempe mediante, conſuluiſſe cenſeatur.

Respondendi modum quod attinet, cum inter myſteria tenebrarum numerare licet. Nil mirum itaque ſi docti, de eo ſermonem habentes, in ſententias tam varias & diverſas abeant, eas ipſe levi digito tactas præteribo.

Harum autem prima, cui plerique calculum apponunt, ea eſt, quod Spiritus Obh ventriloquus eſſet, & ex imo Pythoniſſæ ventre, tanquam ex utere, reſponſum ederet. Hæc ſententia auctoritate præcipue τῶν Lxx nititur, a quibus hoc ſpiritu correpti ἐγγαστρίμυθοι plerumque nominantur. Idem, licet verbis non prorſus iiſdem, aſſerunt, *Jeſ.* 8. 19. ubi *Obhoth* [1] οἱ ἐκ τῆς κοιλίας φωνοῦντες interpretantur. Eorum ſententiæ fiduciam, forſan & originem, dedit mos Pythoniſſarum ethnicarum, quæ nomen ἐγγαστριμύθων habebant; quæque a parte inferiore & ſinu muliebri ſpiritum obſcœnum recipiebant, & inde reſpondere credebantur. Atque hæc opinio fide dignior exiſtimetur, quod iſtiuſmodi ἐγγαστριμύθους ſeculis hiſce citerioribus haud prorſus ignotos multis evincat teſtimoniis [f] *Leo Allatius*, a vigiliis huic argumento impenſis non parum commendatque.

(2°.) Alii, quos opinionis hujuſce pudet, ſe perſuaſos habent, Πυθῶνας illos ex intimis pectoris receſſibus, ore venefici mediante, vocem fatidicam emiſiſſe. Hic itaque vaticinandi modus μαντεία ἀπὸ τοῦ στόματος dicebatur, quod e [g] *Scaligero* clarius intelligatur.

(3°.) Sentiunt alii, Spiritum pythonicum non e venefici ventre, pectore, vel ore reſpondiſſe; ſed vocem plerumque ſubmiſſam & exilem edidiſſe, quæque ex terræ cavitatibus egredi videretur. Atque hanc ſententiam verbis Prophetæ ſuffultam exiſtimant, [h] *humiliaberis, de terra loqueris, & e pulvere humile erit eloquium tuum, & erit* כאוב *ſicut pythonis, de terra vox tua, & eloquium tuum de pulvere muſſitabit.* Ex his autem Prophetæ verbis clare diſcitur, ſpiritus *Obhoth*, voce humile & quaſi de pulvere prodeunte ad quæſita reſpondere ſolitos. Hanc opinionem paulo gratiorem reddunt [i] Lxx, qui voces Hebræas כאוב מארץ per ὡς οἱ φωνοῦντες ἐκ τῆς γῆς, hic, & aliis ejuſdem

a *Lexic. Pentagl.* ad voc. בעל b 2 *Reg.* 23. 24. c 1 *Paral.* 10. 13. d *Deut.* 18. 11. e 1 *Sam.* 28. 7. f *Syntag. de Engaſtrim.* cap. 4. g *Exercit.* 258. h *Jeſ.* 29. 4. i *Jeſai.* 8. 19. c. 19. 3.

Sect. III. Prophetæ locis, interpretantur: quaſi ſpiritus Obh, inſtar ſerpentis, cujus nomen & formam gerit, e terra vocem humilem emitteret, & muſſitaret verius quam loqueretur.

(4°.) Ipsa Pythoniſſa (uti placet aliis) ope diaboli, ſpectrum aliquod, mortui alicujus formam repræſentans, ante oculos interrogantis apparere fecit; hoc autem ſpectrum, uti *Samuel* perſonatus *Saulo*, clare locutus eſt, & voce quam quis auribus percipere valeat, reſponſa reddidit. Huic opinioni gratiæ nonnihil conciliat locus ille [a] *Jeſajæ*, ubi qui quærunt אל האובות *ad pythones*, dicuntur ἐκζητῶν περὶ τῶν ζώντων τοὺς νεκρούς Et pro certo habetur, fœminam divinantem per Oah, cujus mentionem jam feci, *Saulo* ſciſcitanti ſic reſpondiſſe.

(5°.) Nonnulli ſe perſuaſos habent, Oah ſerpentem fuiſſe a dæmone obſeſſum, eumque Magam conſulenti reſponſa, ſed obſcure plerunque, reddidiſſe. Ita crediſſe videntur Ægyptii veteres, a quibus notante [b] *Servio*, dracones ἀγαθοὶ δαίμονες vocabantur. E Romanis etiam nonnullos eadem ſententia fuiſſe probant [c] *Livii* illa, *anguem, in quo ipſum numen fuiſſe conſtabat.* Huic opinioni bene quadrant [d] *Ovidii* illa:

——Cum criſtis aureus altis
In ſerpente Deus prænuncia ſibila miſit.

Eadem fides *Boruſſorum* veterum animos occupavit, [e] ſi *Eraſmo Stellæ* credimus, qui de iis hæc memoriæ prodidit; *immunda quæque animalia ut ſerpentes colubros perinde ac Deorum famulos nuntioſque religioſe* colebant, *intra domos nutriebant, eiſque ut Diis penatibus litabant.* Huic opinioni veri ſpeciem conciliat etiam hiſtoria tentationis primæ, qua diabolus in [f] ſerpente virtutem propheticam exercebat, cum primis hominibus diſſerebat, & ſerpente tanquam internuncio ſuo ſemper utebatur.

(6°.) Persuasum eſt aliis, Spiritum veneficæ familiarem, cui nomen Oah, ei forma ſerpentis apparere ſolitum; & inde, per ſigna, motus, aut voces obſcuriores, ad quæſita reſpondiſſe. Huic opinioni nonnihil præſidii præbet *Alexander Pſeudomantis* apud [g] *Lucianum*: nam, ut ſibi fidem prophetæ conciliaret, ἔδειξε τὸν δράκοντα τοῖς ἐθέλουσι, *dracunculum* illum *volentibus oſtendebat*, ſpiritum nempe propheticum, draconis ſpecie præditum, quo (uti præ ſe ferebat) familiariter utebatur. At probabilitatis ne ſpeciem habet, *Alexandrum* impoſtorem, hac arte ſibi prophetæ famam acquirere potuiſſe; niſi ſpiritus familiares a Mago conſultos, formam ſerpentis induere, eaque ſpecie reſpondere, ſolitos, eo ſeculo pro certo haberetur. Hæc etiam opinio probabilior habeatur, quod diabolus, formam ſerpentis induens, gratam tentationis primæ memoriam renovavit; & reſponſis ejus fallacibus, utpote per ſibilos aut voces exiles editis, prætextum habuit, quod nempe formæ quam gerebat, ſerpentinæ maxime convenirent.

(7°.) Nonnulli denique ea ſunt opinione, *artis nigræ* magiſtros imagines olim ſerpentis forma fabrefactas, certiſque ritibus conſecratas, habuiſſe; atque ſpiritum pythonicum eas ſubire conſueviſſe, & inde vocem fatidicam, prout occaſio ferebat, ediſſe. Huic opinioni Scriptura ſacra favere videatur: bis enim de *Manaſſe* [h] legitur, quod *fecit*, id eſt, fabricavit, Oah, imaginem nempe ſic dictam, a tali ſpiritu ſubeundam, & in arduis regni vel familiæ ſuæ facile conſulendam. Huc facit, quod *Obhoth*, idolis, ſimulacris, Teraphim, varii generis imaginibus, [i] bis in ſcriptis ſacris annumerentur. His addere liceat *Jeſajæ* verba, Cap. 46. 1. *Confractus eſt Babel, contritus eſt Nebo;* nam [k] S. *Hieronymus, Jonathan Paraphraſtes, R. Gerſon* & *Raſi*, Bel & Nebo ſimulacra in ſerpentum ſimilitudinem formata fuiſſe opinantur. Inſtituto præſenti conſentaneum eſt, quod fatidicum illud numen [l] *Apollo*, in terra Cananææ primo, tandem & in Græcia, ſerpentis imagine coleretur.

Variis doctorum ſententiis enumeratis, inter earum patronos lectorem arbitrum ſtatuo; eamque per me licet, cæteris præferat, quam veritatis ſpecie maxime dealbatam judicaverit. Non me pudet aperte profiteri, me in tenebris hiſce magicis pene cæcutire.

a Cap. 8. 19. b Ad *Georgic.* 3. verſ. 417. c *Epitom.* l. 11. d *Metam.* l. 15. verſ. 669. e De *Boruſſ. antiquit.* lib. 2. f *Geneſ.* 3. 4. g In *Alexand.* pag. 485. Vid. *Conrad. Dieteric. Antiq. Bibl.* p. 467. h 2 *Reg.* 21. 6. 2 *Paral.* 33. 6. i 2 *Reg.* 23. 24. *Jeſ.* 19. 3. k Vid. *Kircher. Oed. Ægypt.* T. 1. p. 380. 381. l *Voſſ. de Arte Grammat.* l. 1. c. 10.

SECT.

SECT. IV.

SECT. IV.

Cur Deus hanc legem Iſraelitis impoſuerit.

LEX ea quæ mihi negotium dedit hactenus, [אל תפנו] *non reſpicietis ad Obboth*] ſenſum emphaſi plenum & attentius obſervandum continet. Nam vox פנה unde תפנו venit, in *Kal*, *reſpexit*, *adſpexit*, nntat, in *Hiphil* autem, *ſe vertit*, *inclinavit*. Adeo ut lex integra hunc ſenſum præ ſe ferre videatur: "tantum abeſt, ut aurem cre-"dulam τοῖς *Obboth*, aut eorum miniſtris, Ægypti more, præbeatis; ut vobis interdi-"ctum ſit, ad eos reſpicere, vel minimo cordis motu ad eos inclinare. Rationes autem varias in promptu habeo, cur Deus, hac de re, legem tam emphaticam Hebræorum genti dedit.

PRIMO: modus ille divinandi [per *Pythones*] ætate *Moſis*, inter Ægyptios & Canaanitas maxime, plurimum invaluiſſe videatur. Quantum *Ægypti* mores infecerat, e Scriptura non difficulter intelligitur. Nain *Pithom*, locus Ægyptiacus in [a] Pentateucho memoratus, id nominis a *Python* accepiſſe creditur; quod eo loci multi viverent arioli, qui hoc divinationis genere, per *Obboth* nempe vel *Pythones*, frequentius utebantur. Idem e [b] *Propheta* diſcimus, de Ægyptiis animi dubiis ita diſſerente; *& conſilium Ægyptiorum deſtruam, & quærent ad ſimulacra & ad divinos*, ואל האובות *& ad pythones, & ad ariolos.* Nec inter Ægyptios tantum, ſed etiam Canaanitas, ætate *Moſis* plutimum invaluit hujuſmodi divinatio: poſtquam enim lege cautum eſſet, [c] *ne maleficus, obſervator temporum*, aut *Obb*, i. e. *Pythonum conſultor, in populo reperiatur.* Lex hac ratione ſubnexa ſtatim confirmatur, *quia gentes quas tu poſſidebis, ad hujuſmodi praſtigiatores, & ariolos attenderunt.* Cum itaque divinatio illa multum inter Ægyptios invaluerat, inter quos diu vixerant Iſraelitæ; multum etiam inter Canaanitas, cum quibus haud parum commercii ſtatim habituri erant; ne religio peſſum iret, conſentaneum erat, ut Deus legem ſanciret, quæ populum illum a gentis utriuſque moribus peſtiferis imitandis cohiberet.

SECUNDO: quantum e Scripturis intelligere fas eſt, Iſraelitæ ad divinationes per *Obboth*, præ aliis *Ægypti* vanitatibus, affectu propenſo ferebantur. Nam hujuſmodi [d] divinatio tribus vicibus, intra commatum non multorum ſpatium, a Deo prohibetur: hoc autem indicio ſatis aperto eſt, hanc divinationis ſpeciem radices altas egiſſe in illius pnpuli ſtudiis & affectibus. Idem nnn obſcure colligendum eſt, ex iis quæ de *Saule* & *Manaſſe* in ſacris annalibus referuntur. Nam *Saul*, cum res obſcuræ & incertæ mentem ſolicitarent, fœminam ſpiritu *Pythonis* afflatam adiiſſe dicitur; miſſis aliis omnibus divinis, & artis nigræ magiſtris, in regno ſuo tunc temporis forte reperiendis. Et de *Manaſſe* [e] ſcriptum extat, *eum auguria obſervaſſe*, & multum ſocietatis cum Pythonicis habuiſſe. Quid autem de *Saule* & *Manaſſe* verba facio? cum [f] Propheta eo nomine totam gentem reprehendat, quod *ab Obboth & a divinis conſilium quærerent.* Sed Iſraelitas criminis hujus affines fuiſſe, maxime ſub noviſſima regni Judaici tempora, veriſimile fit e verbis [g] Hiſtnrici ſacri, qui *Joſiæ* reformationem ſic nobis deſcriptam dedit; *quin etiam* את האבות *pythones, & ariolos, & abominationes omnes conſpectas in terra Juda, expurgavit Joſiah.* Hæc omnia ſatis aperte probant, Iſraelitas divinationi per *Obboth* animos ſuos impenſius addixiſſe: ideoque cauſa non levis erat, cur Deus legem tam diſertam, tam emphaticam, inſtitueret, ut eam imprimis divinationis ethnicæ ſpeciem e rebus exterminaret.

TERTIO: Divinatio per OBH, aut ſpiritum impurum ſerpentis forma conſpicuum, ad idololatriam maxime craſſam & odioſam dæmonis nempe cultum, recta ducebat, & intime cum ea jungebatur. Nam qui a ſpiritu pythonicn reſponſum aut conſilium expectabat, ei ſcientiam divinam vel divinæ proximam tacite tribuebat, eum oblato thure vel ritu aliquo religioſo in illius honorem præſtito demulcebat, ad illius gratiam ſibi conciliandam ſtudia ſua maxime componebat, ejus reſponſis fidem indubitatam adhibebat, adeoque diabolum honore divino proſequendum dictis factiſque profitebatur. *Maimonides* itaque, non ſine veri ſpecie, cultum idolorum & divinationum ſpecies nmnes in lege vetitas, ejuſdem ſeculi partus aſſerit. Nam originem idololatriæ referens [h] *tunc*

a *Exod.* I. II. b *Jeſai.* 19. 3. c *Deut.* 18. 10, 11, 14. d *Levit.* 19. 31. & c. 20. 6. & com. 27. e 2 *Par.* 33. 6. f *Jeſ.* 8. 19. g 2 *Reg.* 23. 24. h *Mor. Neb.* P. 3. Cap. 29.

SECT. IV. inquit, *ortæ ſunt* Zabiorum *opiniones & ſententiæ, & inventi ſunt ex iis, Augures, & Magi, & Divinatores, & Sortilegi, & inquirentes* OBH *& Jiddeoni, & requirentes mortuos.* Nec temere: quamvis enim omnis idololatria Magia non eſſet, oec cum ea neceſſario jungeretur; ipſa natura Magiæ idololatriam comitem poſtulavit, adeoque non minus legi, quam lex tota Magis & idolis adverſata eſt. Rem haoc extra dubium poſuit [a] auctor eruditione ſingulari clarus, & qui in hoc argumento ſtudioſe laboravit.

RATIO legis hujuſce quarta ſit hæc: hujuſmodi divinatio per *Obboth* aut ſerpentes præſtita, Judæorum religioni & legi, pluſquam aliæ divinationes a *Moſe* vetitæ, contradicere videatur. Cum enim reliqua Divinantium turba ritibus magis ineptis quam iniquis, ad futurorum ſcientiam conſequendam, uterentur; & eorum dubia dæmoni ſolvenda proponerent, incaute plurimum & imprudenter; Divini per OBH diaboli ſocietatem & uſum familiarem ſcientes volentes admiſerunt, eumque veluti *facie* ad *faciem* allocuti ſunt. Et cum religio Judaica poſtularet, ut omnes, ſacro notati circumciſionis charactere, ſe Deo conſecrarent, & ipſorum corpora taoquam templa Spiritui ſancto dedicarent; qui אובא טמא *ſerpentem* illum *immundum* corpus ejus incolere permiſit, ſacra Judaica prorſus abdicare, & Deo ſuo nuncium remittere, merito cenſebatur. Neque hoc ſolo nomine, divinatio jam dicta religioni Judaicæ maxime repugnavit, ſed quod ſerpentum (verorum aut apparentium) miniſterio plerumque perficeretur. Seculis autem antiquioribus, *reſpectus* erga ſerpentes, aut eorum benignior & frequentior uſus, hominis gentiom ſacris initiati, vel animi ad eorum idola vergentis argumentum, haod immerito cenſebatur. Nam in myſteriis, initiis, aliiſque gentium ceremoniis, ſerpentes locum principem plerunque tenuerunt. Huc faciunt [b] *Arnobii* illa: io myſteriis *quibus* [1] Sabaziis *nomen eſt, aureus coluber in ſinum dimittitur* initiatis, *& eximitur rurſus ab inferioribus partibus.* Hiſce conſonum [c] *Clementis* teſtimonium: καὶ σημεῖον ὀργίων βακχικῶν ὄφις ἐστὶ τετελεσμένος, *etiam Orgiorum Bacchicorum ſymbolum eſt ſerpens initiatus.* Nec Jovi Sabazio tantum, ſed & aliis Diis ſacer, ſerpens erat, ſi verbis [d] *Artemidori* niti fas ſit; Δράκων ὁρώμενος σημαίνει -- καὶ Θεοὺς πάντας, οἷς ἐστιν ἱερός· εἰσὶ δὲ οἵδε· Ζεὺς [2] Σαβάζιος, Ἥλιος, Δημήτηρ, καὶ Κόρη, Ἑκάτη, Ἀσκληπιός, Ἥρωες· *Serpens viſus ſignificat --etiam Deos omnes quibus ſacer eſt: ſunt autem hi, Jupiter Sabazius, Sol, Ceres, & Proſerpina, Hecate, Æſculapius, & Heroes.* Hinc occaſio data [e] *Juſtini* verbis: παρὰ παντὶ [3] τῶν νομιζομένων παρ' ὑμῖν Θεῶν, ὄφις σύμβολον μέγα καὶ μυστήριον ἀναγράφεται· *Omnibus, qui apud vos Dii habentur, ſerpens, ut magnum ſymbolum & myſterium, appingi ſolet.* Ex eo conſenſu & affinitate, quæ inter ſerpentes & dæmones eorumque ritus interceſſit, eveniſſe cenſeo; quod [f] *calcare ſuper ſerpentes*, & *calcare ſuper omnem diaboli poteſtatem* tanquam phraſes ſynonymæ in Scripturis uſurpeotur. Sed hæc forſan a lege quam præ manibus habeo, nonnihil aliena cenſeantur.

QUARTO: Deus hanc legem tradidit, quod moribus Ægypti circa *Obboth* obſtaret maxime, ad quos Iſraelitæ cæco & præcipiti zelo ferebantur. Nam quanto in honore eſſet OB apud Ægyptios, ex [g] *Horo* Ægyptio diſcimus: ille nempe Scriptum reliquit, apud Ægyptios, [4] Οὐβαῖον, ὅ ἐστιν ἑλληνιστὶ βασιλίσκον, χρυσοῦν, περιτιθέασι τοῖς Θεοῖς· *Ubæum,* id eſt, *Græce baſiliſcum, aureum circumponi Diis.* Ægyptiorum autem *Obion*, & Hebræorum OBH, ſono & ſenſu convenire; res eſt doctorum conſenſu rata. Neque hic ſtetit *Ægypti* ſuperſtitio circa dracones & ſerpentes alios occupata: poſtquam enim [h] *Philo Byblius* docuiſſet, Ægyptios & Phœnices draconi & ſerpenti quid divini tribuiſſe, continuo addit; Φοίνικες δὲ αὐτὸ [τὸ ζῶον] ἀγαθὸν δαίμονα καλοῦσιν· ὁμοίως καὶ Αἰγύπτιοι Κνὴφ ἐπονομάζουσι—— *Atque hoc quidem* animal *Phœnices bonum Dæmonem: Ægyptii vero* Cnephum *ſimiliter, nuncuparunt.* De illo vero hoc ſtatim ſubjungit, τὸ πρῶτον ὂν θειότατον, ὄφις ἐστὶν ἱέρακος ἔχων μορφήν, ἄγαν ἐπίχαρις· *Unus omnium maxime divinus erat ſerpens ille* Cnephus, *qui accipitris formam* in capite *ferebat, aſpectu jucundiſſimus.* His ſubſidio ſunt quæ *Lampridius* de *Heliogabalo: dracunculos* [5] *Ægyptios Romæ habuit, quos illi* Agathodæmonas *vocant*, Ideo vero Phœnices & Æ-

a *Filesac.* de *Idololat. Magic.* ſect. 5, 6, 7. b *Adverſ. Gent.* lib. 5. c *Clem. Alexand. Protrept.* p. 11. d *Oneiroc.* lib. 2. cap. 13. e *Juſtin. Martyr. Apolog.* 1. f *Luc.* 10. 19. g *Hor. Apol.* l. 1. *Hierogl.* 1. h Ap. *Euſeb. Præp. Evang.* l. 1. c. 10. pag. 41.

1 Vid. *Arnob.* pag. 171. ubi legitur *Sabadiis.* alias *Sebadiis. Canter.* autem mallt *Sabaziis. Clem. Alex.* mentionem facit Σαβαζίων μυστηρίων. *Protrept.* p. 14. Apud *Heſychium*, Σαβάζειν, εὐάζειν, βακχεύειν· & Σαβάζιος, ἐπώνυμον Διονύσου.

2 Ita legit *Rigaltius:* & ad *Clementem* provocat. Apud *Artemidorum* autem, σεβάσμιος, *venerandus.*

3 Τῷ νομιζομένῳ — θεῷ· *Sylburgius.* vid. *Tarnb.* in loc. pag. 45.

4 Vid. pag. 418.

5 Non *Ægyptii* ſed *Phœnices* ita vocant: ut *Philo* docet paulo ante.

gypti

gypti draeonis & ſerpentis naturam divinitate quadam donarunt, quod celeriter admodum moveantur, quamvis ventri ſolummodo nitantur, [a] *καὶ χωρὶς ποδῶν τε καὶ χειρῶν, ἢ ἄλλου τινὸς τῶν ἔξωθεν, & neque pedum, neque manuum, nec alterius cujuſquam exterioris membri adminiculum habeant quibus animantes ad motum uti ſolent.* Nee Ægyptii dracones & ſerpentes (i. e. *Obboth* viſibiles tantum, ſed & inviſibiles, dæmones nempe fatidicos) eximie colebant, eoſque, de futuro ſollieiti, conſultum ibant. Hoe intelligere eſt e modo citatis [b] *Propheta* verbis: *conſilium Ægyptiorum deſtruam, & quarent ad ſimulacra, & ad divinos,* ואל האובות *& ad pythones, & ad ariolos.* Adeo ut hunc divinandi modum ab Ægypto natales areeſſere, dubitari vix poſſit. CAP. XXII.

Cum itaque Ægyptii ſerpentes *viſibiles* honore divino proſequendos exiſtimarent, & ab *inviſibilibus* conſilium io arduis & obſcuris peterent; legis divinæ ſcopo eonſonum eſt, opinari Deum hanc legem ſtatuiſſe, ut moribus illis *Ægypti* ſe late diffundentibus obſtaeulum poneret; & Iſraelitas ab utriuſque generis *Obboth*, adorandis, conſulendis, aut reſpiciendis, omnioo cohiberet. Neque hæe opinio legis hujuſce verbis minus conſentanea videatur: eum enim *Moſes*, ad ſenſum ſuum exprimendum, vocem *Obboth* [Hebræam ſimul ae Ægyptiam, & *ventres* æque ae *ſerpentes* notantem] uſurpaverit; hoc non obſeure docet, haoo legem, verbo ſimul ae re, moribus & dogmatis Ægyptiis adverſari; & *Moſen*, eo nomine ſerpentes & dracones abominari, oulloque reſpectu dignos exiſtimare, quod magni quidem ventres eſſent, & *ſuper ventres* tantum, juxta [c] pœnam iis ioflictam, *ambularent.* Hæe autem a moribus & dogmatis Ægyptiorum toto genere diſſidebant, quod illi ſerpentes ideo inter animalia divina numerarent, quod ſuper ventres, nullo manuum aut pedum admioiculo, eelerrime moverentur. Si legem hane de generis alterius *Obboth*, ſerpeotibus inviſibilibus, dæmonibus nempe fatidicis, interpretemur; faeile eonſtet, eam etiam, hoc ſenſu captam, a *Moſe* datam fuiſſe, ut mores illos Ægyptios exterminaret, & Iſraelitas ab *Obboth* illis, *Ægypti* ritu, eonſulendis eoerceret. Si enim Ægyptiorum & Hebræorum divinationes varias, locis jam ſæpe [d] citatis memoriæ proditas παραλλήλως conſerre non gravemur; vix ovum ovo ſimilius inveniamus: adeo ut hine appareat, Ægyptiorum ritus fatidicos Hebræos infeciſſe, eoſque, hae in re, ad mores *Ægypti* ſe compoſuiſſe. Par eſt itaque ut Deus hane legem tuliſſe putetur, ne populus Iſraeliticus, morum Ægyptiorum avidiſſimus, ad *Obboth* illos Ægyptios, virtutem propheticam mentientes inclinaret, aut eos ullo reſpectu digoaretur.

E ſuperius adductis elueet, Deum non ſine gravi eauſa [e] legem τῶν *Obboth* adverſam tradidiſſe, eamque in Codice Moſaico tam frequenter inculcaſſe.

CAP. XXII.

De *lege qua lapis* Maſchith *inhibetur.*

Meminerit lector, id mihi negotii jam datum eſſe, ut leges pleraſque Moſaicas *Zabiorum* moribus adverſantes, perpetuo ordine percurrerem & illuſtrarem. Inter iſtas, lex ea quæ mihi proximo venit explicanda, [f] his verbis expreſſa legitur; ואבן משכית לא תתנו בארצכם quæ ſic ab *Aria Montano* vertitur, *& lapidem* ſpeculationis *non dabitis* [aut *ponetis*] in terra veſtra. Ut autem ſermo de hac lege faciendus, ordine juſto proeedat, in partes haſce diſtribuetur:

Primo: ſeotentias de lapide *Maſchith* quæ vulgo receptæ ſunt, in examen vocabo.

Secundo: de ſignificatione genuina voeabuli *Maſchith*, & de variis *Maſchijoth*, principalibus & minus principalibus, nonnulla prælibabo.

Tertio: probabo legem baoe de *Maſchijoth* principalibus ioprimis intelligendam.

Quarto: oſtendam *Maſchijoth* etiam minus principales hic in lege comprehenſas & interdictas.

Quinto: ratiooes aſſignabo, eur *Maſchijoth* omnes, prineipales inprimis, hae in lege prohibeantur.

Et Sexto: eur hujuſmodi ſuperſtitionis inſtrumenta nomine *Maſchith* aut *Maſchijoth* in Scripturis innoteſcunt.

a *Sanchuniath.* ap. *Euſeb.* ub. ſup. b *Jeſ.* 19. 3. c *Geneſ.* 3. 14. d *Jeſ.* 19. 3. 2 *Reg.* 23. 24. e *Levit.* 20. 27. 19. 31. 20. 6. *Deut.* 18. 11. f *Levit.* 26. 1.

SECT. I.

SECT. I.

Sententiæ de lapide Maſchith *vulgo recepta, in examen vocantur, & erroris arguuntur.*

Sententiæ de lapide *Maſchith* erroneæ.

QUANTA obſcuritate laboret lex iſta, inde licet intelligere, quod interpretes hic dubii hæreant, aut dogmata plane diverſa tueantur. Noſtrum erit inprimis, varias interpretum ſententias de hoc lapide *Maſchith* in medium proferre, eaſque ſtrictius examinare. Nam in quovis argumento, monente [a] Lactantio, *primus ſapientiæ gradus eſt falſa intelligere*. Ex iis autem interpretibus:

PRIMO: אבן משכית *lapis ſpeculationis*, ab *Aria Montano*, *Druſio* aliiſque redditur: quaſi lapis hic vetitus altior eſſet & eminentior, adeo ut homines inde quaquaverſum ſpeculari poſſent, & hoſtium incurſus aut ſyderum motus & aſpectus obſervare. Ad hanc autem ſententiam aſtruendam variæ rationes excogitatæ ſunt: nam primo משכית inquiunt, a verbo שכה ducit originem, quod olim *ſpeculari*, *proſpicere*, *contemplari*, *diligenter intueri*, denotavit. Atque inde nata phraſis illa מסכן למולת שמיא [b] *contemplantes ſydera cælorum*, ad aſtronomos notandos a [1] *Magiſtris* uſurpata. Deinde: huic etiam opinioni præſidii non parum præbere creditur *Seniorum* verſio, qui vocem pluralem משכיות a ſingulari משכית ortam, per [c] *σκοπιὰς ſpeculas*, i. e. turres aut locos altiores ſpeculationi ſervientes, interpretantur.

SED animo meo impetrare non poſſum, ut huic opinioni aſſenſum præbeam, quod incredibile ſit, tam altum latumque fuiſſe, ut homines, ad illius apicem aſcendentes, inde longe lateque ſpeculari poſſent; vel Deum hujuſmodi lapidem aut ſpeculam inſtrumentis idololatricis annumerare voluiſſe, ſi eo tantum conſilio poſitum, ut homines inde ſpeculari, vel hoſtium aut ſyderum motus obſervare, poſſent.

SECUNDO: אבן משכית *lapis indicationis* aut *annunciationis* a nonnullis exiſtimatur. Inter opinionis hujuſce patronos eminet *Samaritana* verſionis auctor, qui voces illas Hebræas per אבן מתנגדה *ebben mithnaggedah*, [2] *lapis indicationis*, explicat, vocabulo illo Samaritano ab Hebræorum נגד [3] *nunciavit*, *indicavit*, originem accipiente. Ut autem hæc opinio ſecum conſtet, & lapis ille nomini ſuo reſpondere putetur; opinionis illius auctores aſſerunt, hujuſmodi lapidem literas quaſdam inſculptas habuiſſe, quarum adminiculo myſteria quædam, philoſophica vel theologica, tranſeuntibus annunciabat.

AT hæc opinio fidem non niſi timidam & vacillantem apud cordatiores invenire poteſt, eo quod hujuſmodi lapidum, literis aut cælaturis inſignium, nullibi, niſi forſan in rebus Ægyptiacis, occurrat mentio; & quod *lapis Maſchith*, & *Maſchijoth*, inter [d] nigriora veteris idololatriæ monumenta numerari ſoleant; & quod hæc interpretatio, cum genuina notatione vocis *Maſchith*, nullum omnino conſenſum colat.

TERTIO: a Chriſtianis nonnullis, Judæis autem pleriſque, per אבן משכית *lapis adorationis* deſignari creditur; quamvis, opinionis ſuæ materiam & rationem explicantes, inter eos non parum diſſidii intercedat. Quid Chriſtiani nonnulli ſenſerint in hac re, [e] *Delrii* verbis accipiat lector: *Moſes* eben Maſchith *vocat lapidem pictura vel artificio aliquo ſic ornatum, ut aſpectu ſuo homines capiat, & alliciat ad honorandum: ideo enim additur*, -- ut incurves ei, *hoc eſt, ut adores eum*. Sed opinionis hujuſce patronos rem non ſatis feliciter expedire, pateat, quod vox *Maſchith* ſenſum illum non ferat; quod etiam omnia ad ſolam adorationem comparata, verbis proxime præcedentibus interdicta ſint. Senſum Judæorum verbis [f] *R. Bechai* explicatum dabo מנהג עובדי עבודה זרה היה שהיו מציירין אבן וגו׳ *Mos idololatricus erat, figurare lapidem pulchra effigiei, eumq; ponere coram idolo, & ſuper illo ſe coram idolo proſternere. Mos autem ille hac in lege vetitus eſt*. Ab hac ſententia non longe receſſit *Onkelos*, qui hic אבן סגידא *lapidem humiliationis* aut *incurvationis* intelligendum cenſuit. [g] *Maimonidem* etiam, alioſq; ſcholæ Judaicæ magiſtros, eandem

a *Lib.* 1. cap. ult. b *Jeſai.* 47. 13. c *Lxx* in *Num.* 33. 52. d Vid. *Levit.* 26. 1. & *Num.* 33. 52. e *Diſquiſit. Magic.* l. 4. c. 2. p. 468. f *Comment.* in *Levit.* 26. 1. g Vid. *Maimon.* de *Idol.* c. 6. §. 8, 9, 10, 11.

1 Vid. *Targum. Jonathan.* in loc.
2 Lapis in quo ducta ſunt figura. Vid. *Caſtel. Lexicon*, in voce *Samaritana*, נגד

3 Ita vult Conjugatio *Hebr. Hiphil.* viz. הגיד: נגר autem in *Kal. Hebraice* non legitur.

opini-

opinionem imbibiſſe, pateat e decretis illis & conſcientiæ caſibus inter eos agitatis, quibus hanc ſententiam anſam dediſſe ſentiunt. Sect. I.

At neque hæc opinio Judæorum quid ſolidi vel ſani continet: apertum eſt enim, *lapidem adorationis* aut *incurvationis*, a ſignificatione vocum Hebræarum, אבן משׂכית longe deviare; nec ulla conſtat ratio, cur idololatræ ſuper lapide ſe proſternerent, cum eſſent idolo ſuo cultum peracturi. Deinde: moris idololatrici jam dicti nulla in rerum ethnicarum monumentis veſtigia reperiuntur: ideoque veriſimile eſt, *lapidem* illum, quem vocant *adorationis*, e dura matre magiſtri alicujus Judaici prodiiſſe. Legimus equidem gentes quandoque *lapidem*, eos autem *ſuper lapide* coluiſſe nuſquam legimus.

Quarto: nonnulli אבן משׂכית per *lapidem elatum*, *eminentem*, *inſignem*, & *aſpectui patentem*, explicandum ſentiunt. Huic interpretationi ſtuduit *Vulgatæ* verſionis auctor, qui *Maſchith*, *inſignem* reddit, & *S. Hieronymus* qui cum eo facit. Atque hunc ſenſum videntur a Græcis interpretibus accepiſſe, qui hic λίθον σκοπόν, loco vocum Hebræarum, poſuere: quaſi lapidem *inſignem*, eminentem, & qui metæ vel ſcopi vice fungitur, hic intelligendum exiſtimarent. Ad fidem huic opinioni conciliandam conducit etiam locus ille [a] *Numerorum*, quo Lxx משׂכיות vocem pluralem a משׂכית ortam σκοπιὰς interpretantur. At vox ea *ſpeculas*, turres, aut locos prææaltos ſpeculationi ſervientes, indicat; & ab *Heſychio* ὑψηλοὶ τόποι vertitur, [1] *Euſtathio* & *Etymologo* ſuffragantibus.

At rationes haſce nihil ponderis apud cordatiores habituras auguror. Nullus enim video, cur Iſraelitæ lapides illos eminentes in terra ponerent, aut coram iis adorarent, aut cur Deus hujuſmodi lapides elatos, inter alia Gentiliſmi monumenta, prohiberet. Nec ſatis cauſæ me videre fateor, cur Lxx משׂכיות per σκοπιὰς interpretantur. Sed hac de re, poſtea forte ſermonem magis opportunum habituri ſumus.

Quinto: nonnulli per אבן משׂכית *lapidem imaginis*, id eſt, per hypallagen, *imaginem lapidis* aut *lapideam*, notari ſentiunt. Ea ſententia fuerunt interpretes Anglicani, ſic legem transferentes; *neither ſhall ye ſet up* [*any*] *image of ſtone in your land.* Huic autem interpretationi non una ratione conciliati videntur: nam primo, uſu frequens eſt apud Hebræos, ut ſubſtantivum præcedens, epitheti vel adjuncti vim & vicem habeat. [b] *Buxtorfius* varia figuræ hujus exempla, in Scripturis obvia, lectori ſtudioſo ſuppeditabit. Huic etiam interpretationi opem ferre videtur locus [c] ille *Propheta* quo *Maſchith* occurrit, & *imaginem* denotare creditur.

At neque hæc interpretatio lectori cauto ſatisfaciet: cum enim Deus, hac ipſa in lege, quodvis idolum ſculptile, quamvis imaginem fictilem, omnem etiam imaginem ſtantem aut erectam, inhibuiſſet; longe abeſt a veriſimili, Deum imaginem lapideam (h. e. imaginem omnem & aliquam) hoc ipſo in loco, prohibere voluiſſe. Neque hoc tantum in loco, ſed etiam *Numer.* 32. 52. משׂכיות (a משׂכית orta) una cum צלמים *imaginibus* memorantur, & ab invicem aperte diſtinguuntur. Nec immerito: cum vox ea *Maſchijoth* minime ſignificet *imagines*, & res illæ lato diſcrimine ab invicem disjungantur.

Sexto: אבן משׂכית (uti nonnulli ſe perſuaſos habent) eſt *lapis ſilentii*, eo nomine idolo lapideo per contemptum indito. Huic opinioni male firmæ ſubſidium petitur e verſione Samaritana, *Numer.* 33. 52. ubi pluralis משׂכיות in משׂכיון [2] *mutos ſilentes*, vertitur; quaſi vocabulum illud Hebræum *idola muta*, oris tantum ſpeciem præ ſe ferentia, denotaret. Sed lectori forte gratius erit, Clar. noſtrum [d] *Caſtellum*, opinionis hujus auctorem, ſenſum proprium ſic exprimentem, audire: τῷ אבן משׂכית *Levit.* 26. 1. *directe reſpondet vox Hebræa* משׂכיות *in hoc verſu. At per alius exponit* Samaritanus *noſter, per mutum ſcilicet idoli genus, a Propheta* τῷ אבן דומם lapidis muti *nomine ſignatum*, *Hab.* 2. 19. *Et paulo ante*, אלילים אלמים idola muta vocantur. *Jam vero* אלמים *atque* משׂרכיון *omnino idem indigitant; nec ulterius quærendum dictionis hujuſce ſignificatum.*

Sed ignoſcant mihi Manes viri literis Orientalibus inſtructiſſimi, ſi ſententiam hanc nec veram judicem, nec ſenis optimi modeſtiæ conſentaneam. Quis enim, conſultior paulo, ſibi perſuadere poteſt, Deum legem ullam ferre potuiſſe, hoc ſenſu capiendam? *Perdetis eorum ſimulacra omnia, & Deos conflatiles, eorum etiam idola muta;*

a *Numer.* 33. 52. b *Theſaur. Grammat.* lib. 2. c. 3. c *Ezec.* 8. 12. d *Animadverſ. Samarit.* in *Numer.* 33. 52.

1 Vid. *Euſtath.* in *Homer. Iliad.* 8. v. 557. pag. 622. & *Iliad.* 16. v. 299. p. 1078.
2 *Quietudines.*

SECT. I. eum præſertim Epithethon illud idolis ethnieis, quandoque eontemptus, nunquam diſeriminis, cauſa in Scriptura tribuatur. Fatendum eſt quidem, voeem quam dixi Samaritanam, *obmuteſcentem* aut *ſilentem* indigitare: at ſtatim oſtendo, eam etiam *tegentis*, *operientis*, *protegentis*, ſignifieatum gerere; atque ideo, in verſiooe Samaritana ad ſenſum vocis *Maſchijoth* exprimendum & expllcandum adhiberi.

SEPTIMO: nonnulli אבן משכית *lapidem idoli* reddendum arbitrantur, quaſi ad numen aliquod fictitium repræſentandum inſtitueretur. Ita cenſuit [a] *Paraphraſtes Hieroſolymitanus*, qui hoe in loeo אבן דטעו & alibi טעות *Idola* pro plurali משכיות poſuit.

IDOLOLATRAS antiquiores hujuſmodi lapidem in honorem & eultum idolorum poſuiſſe, minime diffitendum cenſeo: cum autem in locis utriſque jam citatis, ab idolis & imaginibus aperte diſcernatur; eum etiam hæc interpretatio eauſam nullam aſſignet, cur *lapis* idoli, ooo etiam *lignum*, interdictus ſit; cum inſuper ſignificatio τοῦ *Maſchith* nullum huie opinioni colorem præbeat; hic aſſenſum cohibendum, & interpretatiooem a mente loci minus alienam inveſtigandam, judieo.

OCTAVO: contendunt alii, lapidem *figuratum* aut *picturatum*, id eſt, figuris, picturis, imaginibus cælatis, aut characteribus inſculptis, inſignem, hae in lege prohiberi; adeoque cælaturam omnem, ſculptoriam aut ſtatuariam, e populi moribus exterminari. Huie interpretationi, *Fagius*, [b] *Seldenus*, *Grotius*, [c] *Interpretes Anglicani*, alii, calculos appoſuerunt. Hoc etiam nonnullos e Patribus antiquis in animos induxiſſe, e [d] *Clem. Alexandrini* verbis noo diffieulter inferendum eſt; Μωυσῆς ἀρχῆθεν διαῤῥήδην ἐνομοθέτησεν, μηδὲν δεῖν γλυπτὸν, ἢ χωνευτὸν, ἢ πλαστὸν, ἢ γραπτὸν ἄγαλμά τε καὶ ἀπεικόνισμα ποιεῖσθαι. *Moſes ab antiquo diſerte vetuit, ullam ſculptilem, fuſilem, fictilem, vel inſcriptam ſtatuam aut ſimulacrum facere.* Clemens autem, hoe loquens, ante oculos habuiſſe videtur, hane legem qua *lapidem Maſchith ponere* vetitum eſt; cum nulla ſit alia quæ de lapide vel ſtatua ſeulpta vel inſcripta probabiliter intelligatur. Hine etiam hæc opinio veri ſpeciem acquirat, quod *Maſchith* picturam, aut imagioem artificio ſingulari factam, indigitare cenſeatur.

UTCUNQUE hæe ſententia, penitius inſpecta, fidem apud ingenii cautioris homines minime repertura eſt: ex ea nempe non liquet, eur Deus cælaturam *lapidis*, magis quam *ligni*, prohiberet; aut cur *Maſchith*, hoe in loeo, *pictura* magis quam *imaginatio* redderetur. His addere liceat, quod פסל lapidem aut lignum formatum aut dolatum, imaginem etiam e lapide vel ligno ſculptoris arte factam denotet; פסל autem omne, verbis proxime præcedentibus, tam clare prohibetur; ut vox *Maſchith* hoe in loco plane ſupervacanea foret, ſi nihil niſi lapidem formatum aut dolatum ſignificaret.

NONO: non deſunt alii, refetente [e] *Delrio*, qui putant Hebræis olim *in uſu fuiſſe lapides quoſdam Divinatores, & eos a Moſe prohiberi, Levit.* 26. 1. nam, inquit ille, ubi noſter vertit, *lapidem inſignem*, illi malunt vertere, *lapidem imaginationis*, vel, ut alii *lapidem ſpeculationis* aut *proſpectus*. De lapidibus hiſce divinationi miniſtrantibus, & in veterum uſu frequentibus, ſuſius agit [f] vir doctiſſimus, oon ſine lectoris voluptate conſulendus.

INTEREA loci, quod aſſerit *Delrius*, & ipſe fidens aſſero; *illi nugantur cum ſuis quos nimis libenter ſequuntur, Rabbinis:* nam eertum eſt, *Maſchith* nullum ſignificatum contioere, qui huic opinioni ſpeciem aut prætextum præbeat.

E variis opinionibus ſuperius enumeratis luculenter innoteſcat, hune lapidem inſtrumentum idololatrieum fuiſſe, & uſui alieui ſuperſtitioſo miniſtraſſe: nam clarum eſt, interpretes longe plurimos in eo eonſentire, quamvis de lapidis illius uſu ſpeciali, & nominis illius imponendi cauſa, nil ſani aut veri teneant. Utraque, e jam dicendis, lucem haud exiguam acceptura ſperavi.

a In *Numer.* 33. 52. b De *jur. Nat. & Gent.* l. 2. c. 6. c In *margin.* ad *Lev.* 26. 1. d Lib. 5. *Stromat.* p. 662. e *Diſquiſit. Magic.* l. 4. cap. 2. pag. 468. f *Galt. Not.* in *Jamblic.* pag. 239.

SECT.

SECT. II.

De ſignificatione vocabuli* Maſchith, *&* Maſchijoth *principalibus & minus principalibus, nonnulla præmittuntur.

CUM lapidis hac in lege memorati nuda mentio fiat, inde conſtet, *lapidem Maſchith* non minus inter Syros & Ægyptios anriquiores, quam celebrem illum *lapidem Bractan* inter Turcas & Arabes recentiores, innotuiſſe, ejuſque nomen ſolum rem ipſam ſatis explicuiſſe. Cum vero ſeculi Moſaici mores plerique, voces etiam non paucæ tunc temporis uſitatæ, oblivioni jam tradantur, aut tenebris obſcurioribus involvantur; de lapidis hujuſce nomine, fine, loco, figura, aliiſque circumſtantiis, impeditum eſt bene judicare. Hoc abunde probant diverſæ & adverſæ illæ doctorum ſenrentiæ modo dictæ, quibus lex ea tam obſcura jam facta eſt; ut ad eam explicandam, vatem potius quam interpretem poſtulare videatur. Utcunque pro virili conabor, ur circumſtantiis iis omnibus in obſcuro jam poſitis, lux clarior oriatur; interpretes, hic hærentes, expediantur; & lex ea, propius inſpecta, Deo digna & populo neceſſaria cenſeatur. Ut autem propoſiti mei compos evadam; Primo, germana vocabuli *Maſchith* intentio & notatio, qua licet, inveſtiganda eſt. Secundo, de variis τῶν *Maſchyoth* ſpeciebus, in Scriptura memoratis, nonnulla præmittenda ſunt.

Primo: vocabuli *Maſchith* intentio & notatio genuina, qua licet, inveſtiganda eſt. Ut autem hoc negotium expeditius exequar; in limine monendum eſt, vocem illam varias admittere ſignificationes, e ſcriptis ſacris & paraphraſi Chaldaica facile colligendas; nil opus autem eſſe, ut eas omnes enumerarem, ſed eas ſolas qua lucis aliquid rei præſenti fœnerare poſſint. Sed miſſis ambagibus, ad rem ipſam deveniam. Genuina intentio vocis Maſchith.

(1°.) Vox משכית *viſionem* aur *ſpeculationem* olim notaſſe videtur. Nam Lxx vocem pluralem משכיות [a] σκοπιὰς id eſt *ſpeculas*, locos altiores viſioni accommodatos, transferunt. Deinde: quamvis verbum שכה *vidit*, *ſpeculatus eſt:* nuſquam in Scriptura reperiatur, analogia linguæ ſacræ poſtulat, ut vox *Maſchith* ab ea radice derivetur. Hoc autem vocabulum *videndi* vel *ſpeculandi* ſenſum getere, *Targum* doceat, quo radix שכה frequenter adhibetur ad voces Hebræas, *videndi* ſignificatum habentes, transferendas & explicandas. Ut res tota clarior evadat, inſtantias aliquot in medium proferam: *Numer.* 23. 9. Et *ex collibus* אשורנו ubi *Targum* habet סכיתיה *vidi ipſum*. *Geneſ.* 19. 28. וישקף *& circumſpexit Abraham*, *Targum* ואסתכי *ſuper faciem Sodomæ*. *Geneſ.* 31. 49. *Nomen loci vocatum eſt* מצפה *Targum* סכותא *ſpecula: nam dixit* יצף *Targum* יסך *videat Dominus inter me & te.* [b] *Schindlerus* & [c] *Buxtorfius* alias inſtanrias his affines lectori curioſo ſuppeditabunt. Interea loci, promiſcuus harum vocum uſus indicio eſt, verbum antiquum שכה & inde derivata, *videndi* vel *ſpeculandi* notionem habuiſſe; & proinde, voci משכית ab ea radice derivatæ, ſignificationem cognatam tribuendam.

(2°.) Vox hæc, ad animum relata, ***mentem***, ***intellectum***, quandoque denotat, quod ſcilicet omnia pervideat & ſpeculetur. Huic aſſerrioni nonnihil momenti præber lingua *Chaldæa*, qua סכל *intelligere* notat, & *aſpicere* vel *intueri*; & linguarum aliarum uſus, in quibus voces eædem *videre* plerunque ſignificant & *intelligere*. Deinde: vocem שכוי ab eadem radice cuæ & משכית orram, *meutem* aur *intellectum* indigitare, probat [d] *Jobi* teſtimonium; מי נתן לשכוי בינה quis dedit menti *intelligentiam?* Conſentiunt *Chaldæus*, Aben-Ezra, aliique, loco vocis לשכוי : ללבא [1] *cordi*, *animo*, ſubſtituentes. Lxx non multum ab hoc ſenſu recedunt, vocem illam per ποικιλτικὴν ἐπιστήμην inrerpretantes.

(3°.) Maschith, cælaturam, ſculpturam, imaginem affabre ſciteque factam, ſignaſſe videatur. Sigoificatus hujuſce veritatem aſtruit locus ille [e] *Proverbiorum:* ſicut ***mala aurea*** במשכיות ***in cælaturis argenteis, eſt verbum*** [2] ***opportune dictum.*** Coοſentit

a *Numer.* 33. 52. b *Lexic. Pentaglot.* voc. שכה c *Lexic. Chaldaic.* in סכה d Cap. 38. 36. e *Prov.* 25. 11.

1 ללבא *cordi:* Ita ſe habet *Targum* vulgo dictum *Joſephi Cæci:* Juxta aliud *Targum*, *eſt* לתרנגול *gallo ſylveſtri.* Eadem eſt verſio viz. *galli* apud priſcos *Hebræos*, *S. Hieronymum*, & auctorem *Vulgatæ*. Hinc Judæis in uſu eſt inter gallicinium dicere, laudetur qui לשכוי *gallo dat intelligentiam.*

2 על אפניו *ſuper rotas ſuas.*

SECT. III. *Targum*, quo vox ea per בגנורי *cum imaginibus* aut *ſculpturis* explicatur. Hinc etiam ſignificatus hujuſce veritas elucere creditur, quod voces affines שׂכית & סכך non minus ſenſu quam ſono cum ea conveniant; cum שכיה [a] *ſculpturam* vel *imaginem cælatam*, & סכך *cælare*, denotent. His accedat, quod *Heſychius* σκοπὸς & τύπος, tanquam voces ejusdem valoris uſurpaverit; forte quod LXX voce σκοπιὰ *Maſchith* exprimant, quæ *cælaturam*, *figuram*, ſonat.

(4°.) Vox ea, *cogitationem*, *imaginationem*, *phantaſiam*, plerunque vanam notat; eo quod *cogitatio* imaginis aut picturæ corde cælatæ ſpeciem aut figuram ferat. Hunc ſenſum vocis aſtruunt [b] *Pſalmiſtæ* verba, *tranſierunt*, eorum nempe facultates, משכיות לבב *imaginationes cordis*. Locus ei cognatus occurrit, *Proverb.* 18. 11. *Opes* ejus ſunt *ſicut murus elevatus*, כמשכתו *in imaginatione*, phantaſia, *ejus*. Hæc autem vocabula, משכית & כמשכתו eadem ſtirpe prognata eſſe, norunt omnes qui primam Hebraicæ literaturæ tincturam imbiberunt.

A ſignificatione vocabuli *Maſchith*, ad rei naturam proximo tranſeundum eſt. Ut autem ea luculentius innoteſcat, argumenti ratio poſtulat, ut nonnulla de duplici genere *Maſchyoth*, in Lege memorato, prælibarem. Erit autem ex uſu, ut loca quibus occurrunt, *Hebraice* & *Græce*, παραλλήλως etiam, lectori repræſentem.

Levit. 26. 1.	*Numer.* 33. 52.
אבן משכית לא תתנו בארצכם	ואבדתם את כל משכיותם
Οὐδὲ λίθον σκοπὸν θήσετε ἐν τῇ γῇ ὑμῶν·	Καὶ ἐξαρεῖτε τὰς σκοπιὰς αὐτῶν·

E legum earum collatione pateat, eas ſororias eſſe, & eodem pene ſpectare, quamvis inter eas non parum diſcriminis intercedat. Nam lex ordine prima de *Maſchith*, quaſi re ſingulari & ſolitaria, loquitur: lex autem ſecunda, de *Maſchyoth* agit, quaſi plures eſſent & ubique terrarum obviæ. Lege prima *lapis Maſchith* interdictus eſt: ſecunda, *Maſchyoth* abſtracte & nude prohibentur, lege nihil curante de materia. LXX. ſingulare *Maſchith* σκοπὸν reddunt, plurale vero *Maſchyoth* σκοπιὰς; cum tamen vocum Hebræarum affinitas exigere videtur, ut per σκοποὺς (non σκοπιὰς) plurale verteretur.

Si quis hæc attente penſitaverit, ſibi non ægre perſuaderi patietur, duplicis generis *Maſchyoth* in *Pentateucho* prohiberi; *principales* nimirum, ad modulum *Ægypti* factos; & *minus principales*, more *Syrorum* formatos, & apud eos & alios idololatras uſu frequentiſſimos. Niſi enim veri fides huic hypotheſi tribuatur, difficile erit cauſam aſſignare, cur Deus leges ſororias & eodem collimantes modo tam diverſo traderet; cur etiam LXX vocibus ſenſus tam diſſimilis, ad leges eas interpretandas uterentur.

Ut his omnibus lux clarior effulgeat, de generis utriusque *Maſchyoth* ſermonem magis diſtinctum & copioſum habiturus ſum.

SECT. III.

Probatur hanc legem de Maſchijoth, *præcipue principalibus*, *intelligendam.*

Lex intelligenda eſt de *Maſchijoth* principalibus.

QUANTUM conjectura conſequi licet, *Eben Maſchith* Obeliſcus Ægyptius erat, id eſt, lapis altitudine conſpicuus, uſu frequens, figuris quibusdam ſuperſtitioſis inciſus, qui ſub tali cœli configuratione, quam maxime propitiam habebant, erigebatur; & in agris aut regionis finibus poſitus, regionem tegere aut cuſtodire, mala quævis averruncare, & Genii cujusque mali incurſum aut influentiam propulſare, nec non myſteria quædam, plerunque magica, continere, credebatur. Nil opus eſt, ut ipſe lapidem illum, apud Ægyptios inſignem, lectori magis copioſe deſcriptum exhiberem; cum *Kircherus* hanc provinciæ meæ partem tam feliciter occupaverit. Id unum in præſens agam, ut ſententia mea, teſtimoniis primo, dein & aliis argumentis, ſolidius aſtruatur.

E teſtimoniis, primum petitur e Seniorum verſione, qui אבן משכית λίθον σκοπὸν, i. e. *lapidem cuſtodem* aut *ſpeculatorem* reddiderunt. Ita transfero vocem σκοπὸν, invitis licet interpretibus plerisque, non minus a ſenſu Græci, quam Hebraici textus aberrantibus. Ex iis enim nonnulli λίθον σκοπὸν *lapidem metam*, alii *lapidem eminentem*, alii *lapidem inſignem*, aliter alii, reddidere. Sed vocabuli Græci ſenſui, textus etiam cohærentiæ, mul-

a *Jer.* 2. 26. b *Pſal.* 73. 7.

to

to accommodatius eſt, ut σκοπὸν, *cuſtodem, vigilem, ſpeculatorem*, interpretemur. Hunc uſum vocis illius in verſione Græca frequentem inveniamus: 2 *Reg.* 9. 17. Καὶ ὁ σκοπὸς [x] ἀνέβη ἐπὶ τὸν πύργον· *Et vigil* aut *ſpeculator aſcendit in arcem*, *Ezec.* 33. 6. Καὶ ὁ σκοπὸς ἐὰν ἴδῃ τὴν ῥομφαίαν· Hoc ſenſu ea vox occurrit *Ieſai.* 52. 8. ubi *Symmachi* translatio habet, Φωνὴ τῶν σκοπῶν σε· i. e. *Vox ſpeculatorum* aut *cuſtodum tuorum:* Editio vero manibus omnium trita, φωνὴ τῶν φυλασσόντων σε· Alia exempla rei præſenti conſentanea præbet, 2 *Sam.* 18. 24, 25, 26. Hunc ſignificatum firmat etiam [a] *Phavorinus*, a quo σκόπευε [unde σκοπὸς] per ἐφυλάσσετο, παρετήρει, vertitur. Conſentit [b] *Ariſtoteles*, qui, de ſervis Regis Perſarum agens, *ſunt*, inquit, *præterea* καὶ σκοποὶ, καὶ φύλακες, &c. *Exploratores, & cuſtodes ſtationarii.* Sed a tritis illis ad rem ipſam redeo. Quid Lxx lapidem hic vetitum *lapidem cuſtodem* nuncuparent, niſi ut illius uſum & officium indicarent; & clare docerent, lapidem illum eo fine poſitum, ut eſſet προφυλακτικόν quiddam, & locum quo ſitus erat a quovis infortunio vel caſu ſiniſtro ſalvum cuſtodiret, uti deluſa gentilitas exiſtimavit? Ratio hæc eo probabilior habeatur, quod mos eſſet antiquis, imaginem aut lapidem omnem figuratum, qui ad infortunium aut Genium aliquem nocivum propulſandum ponebatur, *cuſtodis*, nomine decorare. Hoc multis exemplis evictum dabo, cum paulo magis opportunum fuerit. Interea loci, jam dictis hoc addo, quod nulla mihi, paulo ſolidior, occurrat ratio, cur Lxx nomen Σκοπῦ [i. e. vigilis aut cuſtodis] huic lapidi concederent; niſi quod lapis eſſet Taliſmanice præparatus, & urbem aut regionem vigili cuſtodia munire & ſervare crederetur.

SAMARITANÆ verſionis auctor mihi teſtimonium ſecundum ſuppeditabit. Nam (1°.) Auctor ille vocem משכיות a משכית propagatam per משדכין id eſt, *tegentes*, *obtegentes*, [c] interpretatur. Eſt enim vox ea a radice Samaritana שרכ orta, quæ *texit*, *obtexit*, indigitat; & ab Hebr. סכך *operuit*, *obtexit*, *protexit*, originem habuiſſe creditur. Quid autem auctor ille Samaritanus משכיות voce *tegentes*, *protegentes*, *operientes* denotare verteret; niſi quod nomen illud lapidibus, aut aliis inſtrumentis idololatricis, inditum eſſet, quæ virtutem προφυλακτικήν habere, & regionem a vi Genii nocivi protegere, cenſebantur? (2°.) Verſionis ejuſdem auctor [d] alibi אבן משכית per אבן מתנגדה *ebhen mithnaggedah*, *lapis indicationis* aut *annunciationis* interpretatur. Fateor autem me nil cauſæ percipere, cur auctor ille ſic voces Hebræas explicaret; niſi lapidem illum nominatiſſimum, Obeliſcum Ægyptium denotare crederet, qui ſculptas animalium formas & alios characteres geſſit, quorum ope myſteria quædam capacibus indicavit aut annunciavit. Certe ratio hæc eo nomine commendatior accedat, quod ex iis quæ Sectione ſuperiori dicta ſunt, aperte conſtet, Maſchith *indicationis* aut *annunciationis* ſignificatum aliter non agnoſcere.

TESTIMONIIS hiſce duobus alia nonnulla ſubjungam argumenta, quibus opinio mea de uſu & intentione lapidis *Maſchith*, paulo ſolidius aſtructa, fide dignior exiſtimetur.

Uſus & intentio lapidis Maſchith.

HORUM primum hoc eſto: lapides ad cuſtodiam poſiti, & imagines aliæ tutelares, olim frequentes erant, &, apud Ægyptios inprimis, in uſu familiari verſabantur. [e] *Kircherus* pene totus in eo eſt, ut probet Ægyptios, a memoria rerum ſuarum remotiſſima, lapides hujuſmodi στοιχειωματικοὺς, quos *Obeliſcos* dicimus figuris myſticis exaratos, habuiſſe; eoſque non tantum ad Solem, tanquam in ſymbolo, colendum, ſed & malum genium abigendum, & hoſtium ingreſſum prohibendum, frequenter erexiſſe. Nec minus operoſe probat idem auctor, Ægyptios antiquiores ſimulacra quædam tutelaria, ad cœleſtium corporum poſituras fabrefacta, habuiſſe; quæ [f] Genios malignos hoſtium incurſus, nocivas ſyderum influentias, & ſiniſtra quævis alia, prohibendi & propulſandi virtute donata cenſebantur. Inter ea vero *Baal Tzephon*, tanquam, *Taleſmaticum* notæ præcipuæ ſimulacrum numerandum ſentit; & multis contendit argumentis, illud, non oppidum ſed idolum Ægyptium fuiſſe, Magorum arte factum; nomen a עכל *Dominus* & צפון *abſconditus* aut *ſeptentrionalis* accepiſſe; Ægyptios etiam illud in anguſtiis, inter mare *rubrum* & montem *Pihahiroth* ſtatuiſſe; ut ibi σκοπὸς ageret, & inſignem illam *Ægypti* portam quaſi clauſam cuſtodiret; prout etiam [f] *Juppiter Ammon in arenis Lybicis juxta catabathmum Ægypti*; & *Smintheus Apollo inter paludes & mare in ipſo ex Phœnicia in Ægyptum introitu*, *veluti* cuſtodes locorum eorum, conſtituti ſunt. Hic forte locus

a In voc. σκόπευε· b De *Mundo* cap. 6. c Verſ. *Samarit.* in *Num.* 33. v. 52. d In *Levit.* 26. 1.
e Vid. *Obeliſc. Pamph.* per tot. f *Oedip. Ægypt.* T. 1. pag. 277, 278. &c. f *Id.* ib. p. 282.

x Juxta *Ed. Complut.* ἀνέβη ἐπὶ πύργον.

SECT. III. ille cognatus memorari poſſet, quo [a] *Balac ad agrum Tzophim* Balaam duxiſſe dicitur; h. e. exponente *Chaldæo*, לחקל סכיתא *ad agrum ſpeculæ:* quaſi ager olim tali alicui idolo ſpeculatori ſacer eſſet, & a *Balac* electus ut locus exercitiis magicis magis aptus & opportunus. Cum itaque lapides & imagines averruncæ, de quibus loqui cœperam, paſſim apud Ægyptios & alios obtinuerint; non poſſum non opinari, Deum alicubi in lege ea prohibere voluiſſe; cum præſertim Iſraelitæ moribus Ægyptiis miſere inficerentur, & Deus eo conſilio legem dediſſet, ut fermentum Ægyptium e populi ſui moribus & animis penitus expurgaret. At ingenue fateor me plane neſcire, ubinam hæc inſtrumenta idololatrica diſerte vetita ſunt, niſi hac in lege qua *lapis Maſchith* interdictus eſt.

SECUNDO: ad ſententiam meam confirmandam, non parum valere debet argumentum ab ipſo nomine petitum, quod, in ſignificationis ſuæ latitudine, lapidi tantum Ægyptio, nimirum Obeliſco, belle convenire poteſt. Hoc liquidum erit, ſi ad varia ſignificata nominis *Maſchith*, ſuperius enumerata, diligentius attendamus. Nam (1°.) Probatum eſt ſupra, nomen illud *viſionem* aut *ſpeculationem* ſignificare. Hic autem ſignificatus Obeliſco non male conveniebat, quod illius vertex in ſublime ſurgeret, & ſe videndum præberet, eum a longinquo intuentibus. Nec minus id nominis Obeliſco conveniebat, quod hujuſmodi lapides tutelares erigere ſolerent veteres, cum cœli ſigna vel ſydera ſpeculati fuiſſent & curioſius obſervaſſent. (2°.) Vox ea (ſi *Septuaginta* ſequimur) *vigilem* aut *cuſtodem* notat, & eo ſenſu bene convenit Obeliſco, lapidi in cuſtodiam poſito. Eam nempe fiduciam in hujuſmodi lapide collocabant Ægyptii, ut omnia in tuto & quaſi ſalva cuſtodia futura ſibi perſuaderent, cum hujuſmodi lapidem ritu debito formaſſent & ſtatuiſſent. (3°.) Nomen *Maſchith* non minus Obeliſco congruum erat, quatenus *mentem* aut *intellectum* ſignificabat. Obeliſcus enim Ægyptiacus ſumma mentis aut intellectus Ægyptiaci myſteria, figuris & characteribus obſcuris expreſſa, continere cenſebatur. Ægyptiorum forſan exemplo docti, veteres Arabes eorum טלסמאות [b] figuras *Taliſmanicas*, צורות המדברות *figuras loquentes* aut *rationales* appellare ſolebant. (4°.) Id nominis in Obeliſcum quadrat optime, quatenus *ſculpturam*, *cælaturam*, aut *imaginem* ſcite factam denotat. Non quod lapis integer, e quo conſtabat Obeliſcus, in imaginem aut figuram animalis a cælatore formaretur; ſed quod varios plerunque characteres, ſyderum etiam aut animalium figuras, in eo cælatos gereret, qui lapidi illi virtutem conciliare cenſebantur. (5°.) Vocabulum illud, *imaginationem*, *phantaſiam*, plerunque vanam, ſonat; & eo præcipue nomine, ad lapidem hunc inſignem [Obeliſcum ſcilicet] exprimendum, aptum erat & accommodatum. Erat enim hujuſmodi lapis mera phantaſia, & virtutem ei tributam imaginationi læſæ debebat integram. Huc alludere videntur illa [c] *Seniorum* verba: οὐαὶ ὁ λέγων [f] τῷ λίθῳ, ὑψώθητι· ϗ αὐτό ἐστι φαντασία· *Væ dicenti lapidi* inſigni, *elevare: cum ille ſit mera phantaſia.* Erat enim, quanta quanta erat, præ alio quovis idolo, *doctrina mendaciorum.* Cum itaque jam dicta liquido probent, vocabuli *Maſchith* ſignificatus omnes in Obeliſco maxime convenire & conſpirare; rationi conſentaneum eſt, ut legem hanc de eo præcipue lapide intelligendam eſſe cenſeamus.

TERTIO: inde pateat, veritatem a me ſtare, quod, hypotheſi mea conceſſa, legis hujus obſcura & perplexa omnia facili negotio liceat expedire, & eorum omnium cum ipſa lege & contextu cohærentem aſſignare. Nam,

(1°.) SI quis curioſe quærit, cur hic non lignum, aut ferrum, ſed *lapis Maſchith* interdictus eſt? In expedito reſponſio eſt: id ante alia curabant Ægyptii veteres, ut Obeliſci ſui e materia lapidea conficerentur; eo quod eorum myſteria ſacratiora iis inſculperentur, &, in agris plerunque poſiti, cœli injuriis exponerentur. Hujus inſtituti cauſam & originem [d] *Kircheri* verbis accipiat lector: *Mercurius Triſmegiſtus -- literaturam hieroglyphicam architectus eſt*, ejuſque ſublimia *ratiocinia*, *ingenioſis ſymbolis tecta*, *ſaxis contra omnem injuriam temporum inſculpta*, *poſteritatí* reliquit. [e] Ægyptii poſtea, Magiſtri ſui veſtigiis inſiſtentes *totam hieroglyphica doctrina ſubſtantiam ut plurimum templorum parietibus & valvis*, *Obeliſcis*, *Deorum ſimulachris*, *ſaxeisque tabulis*, inciſam, *toti poſteritati contra omnes temporum injurias* duraturam, *exhibuerunt.* Inde factum ut Hieroglyphicum, ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ καὶ γλύφειν, id eſt, a *ſculptura ſacra* derivatum, nihil aliud ſit, quam *rei ſacræ ſymbolum ſaxis inſculptum.*

a *Num.* 23. 14. b Vid. *Maim. Mor. Neb.* P. 1. c. 63. & *Buxtorf Lexic. Chald.* col. 879. c *Habac.* 2. 19. d *Obeliſc. Pamphil.* l. 5. p. 399. e *Kircher. Oed. Ægypt.* T. 3. p. 8.

[f] Juxta *Exemplar. Vatican.* τῷ ξύλῳ.

SI

(2°.) Si quis iterum quærat, cur *in terra Iſraelis* lapidem hujusmodi ponere vetitum eſt, ſententia mea conceſſa promptum reſponſum ſuggerit. Verba ſcilicet illa non ſunt otioſa, & uſui nulli ſervientia, ſed emphatica, tacitam hujus interdicti rationem continentia. Sic enim hanc legem explicare docent: " ſolent equidem Gentes lapidem, " nomine *Maſchith* inſignitum, in terra ſua ſolenniter erigere; eoque veluti ſigno vel " ſymbolo, terram ſuam in alicujus Genii tutelaris cuſtodiam tradere. Sed *in terra* " *veſtra* tale quicquam perpetrare, inſtar maximi ſceleris haberi volo: eſt enim terra, " quam in [a] oculis ipſe nocte dieque ſero, quam ipſe cuſtodio, quæque a Geniis aut " hoſtibus, me vigile præſideque, nil mali patietur. Talis itaque lapis honori curæque " meæ derogat & omnia peſſum itura ſunt, ſi lapis hujusmodi tutelaris *in terra veſtra* " ſtatuatur. SECT. III.

(3°.) Non minus conſtabit ratio, cur Deus, hac lege data, populum, ad obedientiam ei præſtandam, hiſce promiſſis invitaret; [b] *dabo pluviam in tempore ſuo, & terra dabit productionem ejus: -- comedetis panem veſtrum ad ſatietatem, & habitabitis confideuter in terra veſtra.* Tunc enim hæc promiſſa legi præſenti conſentanea erunt, & in hunc ſenſum interpretanda: " vos, *Ægypti* dogmatis imbuti, vobis perſuadetis, " terræ benignitatem, tempora pacata, frugiferas cœlorum influentias, & alia vitæ com- " moda, ad cultum idololatricum, tanquam omnis boni fontem, referenda eſſe. Præ " cæteris autem inſtrumentis idololatricis, tantum lapidi *Maſchith* tributum eſt vulgo, " ut firmiſſimum adverſus hoſtes, genios, ſydera minus auſpicata, præſidium habeatur. " At longe aliter ſentitis atque res eſt: nam tum ſolum omnia feliciter & auſpicate vo- " bis eventura, cum, idolis & *Maſchyoth* Ægypti poſt terga rejectis, mihi ſoli & man- " datis meis firmiter adhæretis. Cultus mihi præſtitus, unus ille Averruncus eſt, qui " vos ab hoſtibus, & alio quovis infortunio tutos aſſeret.

(4°.) Hypothesi mea conceſſa, huic etiam dubio facile ſatisfiet, cur hic vetitum eſt, hujusmodi lapidem ponere *ad adorandum eum.* Nempe moris erat Ægyptiis aliisque gentibus, æſtu ſuperſtitionis abreptis, lapidem quemvis ritu ſolenni poſitum, vice Numinis habere & adorare. Eos enim lapides unctos, quos *Bætylos* appellarunt, cultu ſingulari proſecutos fuiſſe, dubitare non ſinunt [c] *Clementis* illa, πάντα λίθον — λιπαρὸν προσκυνοῦντες. Eos etiam omnia religionis officia ad ὅρια Διὸς τοὺς λίθους, *Jovis terminatoris lapides* præſtare ſolitos, ex [d] *Ovidii* verbis intelligitur:

Spargitur & caſo communis Terminus agno:
Nec queritur, lactens cum ſibi porca datur.
Conveniunt, celebrantque dapes vicinia ſimplex,
Et cantant laudes, Termine ſancte, tuas.

Juvat etiam [e] *Satyriſtam* moris hujusce teſtem advocare:

Et ſacrum effodit medio de limite ſaxum,
Quod mea cum [1] patulo coluit puls annua libo.

Ab ethnicis etiam cultus haud abſimiles lapidi avèrrunco, vel in Genii tutelaris honorem poſito, reddebatur. Hinc illa [f] *Tibulli*,

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in trivio [2] florea ſerta lapis.

Quibus obſcuris *Tibulli* verbis facem præferat [g] *Lactantius*, qui de *Termino* loquens, *huic*, inquit, *ſupplicatur, quaſi cuſtodi finium Deo: qui non tantum lapis, ſed -- ſtipes interdum eſt.* Huic mori conſentaneum erat, quod [h] *Mercurius*, veluti viarum cuſtos terrarumque præſes, in tetragonis lapidibus, quos Hermas appellarunt, in Ægypto coleretur.

(5°.) Sententia mea huic etiam dubio reſponſum ſuggeret, cur Deus hunc lapidem nomine *Maſchith* (i. e. *mens, intellectus, cogitatio*) dignatur appellare, cum lapis hic ejusque characteres & cælaturæ meram inſcitiam proderent, & *Ægypti* ſapientes bonæ

a *Deuter.* 11. 12. b *Levit.* 26. 4, 5. c *Clem. Alexand. Strom.* l. 7. p. 843. d *Faſtor.* lib. 2. v. 655. e *Juven. Sat.* 16. v. 38. f Vid. *Tibul. Eleg.* l. 1. *Eleg.* 1. cum not. *Varior.* g Lib. 1. cap. 20. h *Kircher. Oed. Ægypt.* Tom. 1. p. 282.

1 Alii legunt, *vetulo.*
2 Ita ſe habet liber *Guidonis Aſcanii Sfortiæ Cardinalis*, & *Vaticanus* alter. *Statius* autem aliique malunt *florida*, quia in *Eleg.* 2. leguntur, *florida ſerta.*

Ttt tt mentis

SECT. IV. mentis expertes indicarent? Nam ſuperius adducta probant, vocem eam, non *mentem* tantum, & *intellectum*, ſed *imaginationem*, *Phantaſiam*, eamque vanam plerunque, denotare. Hunc ſignificatum huic voci tribuunt interpretes Anglicani, *Proverb.* 18. 11. ſic locum transferentes; *The rich mans wealth is an-high wall in his own* [a] *conceit, or phancy.* Deus itaque nnmen equidem, ſed abuſive ſumptum, huic lapidi conceſſiſſe putetur; ut nempe tacite doceret, lapidem illum, magni licet apud Ægyptios habitum, *imaginationis* læſæ figmentum eſſe; eumque ſummam *Ægypti ſapientiam*, huic lapidi inſculptam tanquam meram [b] *ſtultitiam* & phantaſiæ fœtum, vilipendere.

(6°.) Hypothesis modo dicta ſolutionem aptam promptamque ſuggeret, ſi quis hunc nodum ſolvendum offerat; cur lapis *Maſchith* lege ſingulari vetitus eſt, cum ſatis eſſet, eum, ſtatuto [c] generali de *Maſchyoth* omnibus amoliendis incluſum, prohibere. Cum enim Iſraelitæ memoriam hujusmodi lapidum, in *Ægypto* frequentium, alte retinerent; cum etiam Ægyptiorum Obeliſci, gentium aliarum *Maſchyoth* altitudine & artificio longe ſuperarent; rei ratio poſtulavit ut Deus hujusmodi lapidem lege diſerta removeret, cum præſertim [d] λίθος προσκόμματος eſſet Iſraelitis *Ægypto* recens egresſis, & moribus Ægypti tenacius adhærentibus.

(7°.) E ſententia mea conceſſa huic etiam dubio ſolutio facilis orietur, cur inſtrumentum idololatricum, [e] hic interdictum, Lapis *Maſchith* appellatur; cum inſtrumenta [f] *Numer* 33. vetita, licet ei nominis & naturæ cognatione conjuncta, *Maſchijoth* tantum, (miſſa lapidis mentione) nuncupentur. Hoc enim diſcriminis inter leges inde natum videtur, quod lex in *Levitico* data eſſet Iſraelitis, *Ægyptum* adhuc olentibus, ubi Obeliſcos e lapide facere, [g] nulla temporis aut ignis injuria corruptibili, in parte religionis habebatur. Canaanitis aliisque *Syriæ* gentibus non licuit eſſe tam magnificis & elegantibus. Eorum ingenio, ſuperſtitioſo ſatis, materia defuit. Inde factum eſt, ut eorum *Maſchyoth* e metallo, ligno, vel rudi ſaxo, conficerentur? & Iſraelitæ, terras eorum jam poſſeſſuri, *Maſchyoth* eorum omnia, qualiacunque demum forent, amoliri tenerentur.

Cum itaque quæ jam dicta ſunt ἀναντιῤῥήτως evincant, *hypotheſin* meam, tanquam clavem affabre factam, variis legis hujusce circumſtantiis apte reſpondere, ejusque obſcura omnia cohærenter explicare; nil cauſæ video, cur quispiam de illius veritate vel tantillum dubitaret.

SECT. IV.

Oſtenditur Maſchijoth *etiam minus principales hac in lege comprehenſas & interdictas.*

Maſchijoth minus principales in Lege interdictæ.

MASCHIJOTH principales, i. e. Obeliſcos Ægyptios, hic inprimis interdictos eſſe, e modo dictis liquido ſatis innoteſcat. At vero *Maſchyoth* etiam minus principales (i. e. non tantum Ægyptios, ſed etiam Canaaniticos) Numerorum 33. memoratos, hujus interdicti latitudine contineri, non facile dubitandum cenſeo. Nam procul dubio *Maſchyoth* Ægyptiaci & Canaanitici affinitate propiore ſibi mutuo jungebantur: & *Maſchith* ſignificatus tam lati vox erat, ut ambitu ſuo ſuperſtitionis antiquæ ſigna omnia facile contineret. Ut res ad pauca redeat: gentium antiquiorum ſuperſtitio circa tria præcipue religioſe verſabatur: *Deos eorum viſibiles*, Solem, Lunam, Sydera: *ſimulachra ſacra*, formas Deorum ſuorum mentientia; & *ſigna* vel *ſymbola*, Deos ſuos ex inſtituto vel compacto referentia, vel iis vinculo myſtico cohærentia. Hæc omnia, *Levitici* 26. 1. conjuncta, & nomine peculiari diſcreta, reperiamus. Sic enim ſe habet Textus integer: *non facietis vobis* אלילם *Deos vanos*, *aut imaginem ſculptilem;* & *ſtatuam* aut *columnam non erigetis vobis*, *& lapidem* Maſchith *non ponetis in terra veſtra.* Et obſervatu promptum eſt, ea ſuperſtitionis inſtrumenta, lege etiam jam [h] ſæpe laudata, nomine peculiari diſtincta, nobis obviam fieri. Cum itaque *Maſchith* & *Maſchyoth* aliquid in ethnicorum ſacris uſu frequens, & ab eorum *Elilim*, ſimulachris, excelſis, altaribus, ſtatuis etiam aut columnis quandoque, diſtinctum indigitaret; hinc opinandi locus eſt, eo nomine Gentilium ſigna vel ſymbola ſacratiora notari, & in lege prohiberi. Nam, quod bene monet [i] *Maximus Tyrius*, ævo

a במשכיתו b 1 *Cor.* 3. 19. c Vid. *Numer.* 33. 52. d 1 *Pet.* 2. 7. e *Levit.* 26. 1. f *Numer.* 33. 52. g *Kircher. Obeliſc. Pamph.* lib. 2. pag. 160. 161. h *Numer.* 33. 52. i *Max. Tyr. Diſſert.* 38.

prisco

priſco nulla gens erat, ſive Græca ſive barbara, quin aliqua τῆς τῶν Θεῶν σύμβολα τιμῆς, *cultus divini ſymbola* conſecrarit, eaque a Deorum imaginibus cultu & nomine diſcreverit & ſepararit. Huic aſſertioni lucis aliquid affundunt [a] *Arnobii* illa: *ridetis temporibus priſcis Perſas fluvios coluiſſe: --* [1] *informem Arubas lapidem: acinacem Scythia nationes: ramum* [2] *pro Cinxia Theſpios: -- Peſſinuntios ſilicem pro Deum matre: pro Marte Romanos haſtam: Samios* [3] *puteum pro Junone &c.* Si labris lectoris hujusmodi lactucæ placeant, adeat [b] *Seldenum*, [c] *Voſſium*, [d] *Heraldum*, alios, qui huic argumento ſudoris aliquid impenderunt. Cum itaque cultus hujuſmodi ſignorum aut ſymbolorum, inter gentes præcipue rudiores, olim uſu frequens eſſet, & Lex eo conſilio data eſſet ut cultum omnem idololatricum exterminaret; par eſt: ut ea omnia, nomine *Maſchith* aut *Maſchyoth*, interdicta cenſeantur. Hiſce omnibus inde ponderis haud parum additur, quod *Maſcyoth*, aut idololatriæ veteris inſtrumenta, Deos per analogiam tantum referentia plurima eſſent, & nomine peculiari non facile diſtinguenda: ideoque multum credibilitatis habet, ea omnia *Maſchyoth* nomine comprehendi, ſignificationis tam amplæ vocabulo, ut *ſpeculationis*, *cuſtodis*, *cogitationis ingenioſa*, *ſpeculatoris*, *phantaſia*, & *calaturæ* notationem in ſe uno (quod [e] dixi) contineret. Ne vero generalibus hiſce diutius immorer, nonnulla e *Maſchyoth* illis clarioribus, in Scriptura plerunque memoratis in medium proferam, de iis ſermonem ſpecialiter habiturus.

Inter ea primas defero, cælaturis vel imaginibus illis tutelaribus, apud Prophetam memoratis, & in penetralibus aut cameris interioribus collocari ſolitis. Textus quem in animo jam fero, nobis occurrit, *Ezec.* 8. 12. *Et dixit ad me, nonne vidiſti, fili hominis, quæ ſeniores domus Iſrael faciunt in tenebris, unuſquiſque* בחדרי משכיתו *in cubiculis Lararii ſui*, vel *imaginis ſuæ tutelaris*. Non me fugit, *Ariam Montanum* voces Hebræas, *conclavibus proſpectura ſua; Piſcatorem*, conclavibus pictis ſuis; Noſtros, *in the chambers of his imagery*, reddidiſſe. Sed interpretationem modo dictam aliis omnibus præferendam cenſeo, variis inductus argumentis. Nam hæc interpretatio, non tantum relationi magis arridet, proclivior etiam intellectu, ſed voci משכית *calaturam* ſonanti, magis conſentanea eſt. Deinde: משכית tanquam vox ſynonyma, *verſu* 12. videtur uſurpari, ut vocabulum מחקה [f] *ſculptum* aut *cælatum* notans, explicet & interpretetur. Præterea: idololatræ veteres, ad quorum mores hic alluſum eſt, ſculptilia quædam, *Larium* nomine donata, in cubiculis eorum interioribus collocare ſolebant; eaque domos eorum a furto, incendio, vel infortunio quovis alio, tutas præſtare credebantur. *Feſtum* huic aſſertioni teſtem advoco: *Herceus Jupiter*, ait ille, *intra conſeptum domus cujuſque colebatur, quem etiam deum penetralem appellabant.* Hiſce pene gemina [g] *Petronii* illa, *grande armarium in angulo vidi, in cujus ædicula erant* [4] *Lares argentei*, Θεοὶ nempe κατοικίδιοι, liminum & focorum præſtites. His addo, quod hæc interpretatio non male cohæreat cum ſequentibus; *dicunt enim* [hujusmodi *Maſchyoth* poſſeſſores] *Deus non videt nos, Dominus dereliquit terram.* Hoc eſt, "Deus, olim cuſtos Iſraelis, & nocte dieque terram intueri ſolitus, oculos alio jam "dirigit, terram ſuam ſusque deque habet, nec tuto poſſumus nos aut res noſtras illius "tutelæ commendare. Rerum itaque noſtratum conditio poſtulat, ut alia nobis *Ma*-"*ſchyoth*, in ipſis cubiculis obvia, nobis comparemus, quæ nominis illius omen im-"pleant, quæ nempe ſpeculari, cuſtodire, & nos & terram noſtram in tuto collocare, ve-"lint. Ab hac paraphraſi non longe recedit *Calvini* & *Junii* illa: *non negant providentiam Dei, ſed queruntur de incuria ejus, quod ipſos non reſpiciat, nec eorum miſeriis ſuccurrat.* q. d. *Deſeruit nos: non ergo noſtra ſed Jehovæ, culpa ſit, quod in alienum cultum traducimur: quum enim Deus totam regionem abdicavit, æquum erat ut eam aliorum Deorum tutelæ committeremus.*

(2°.) Maschijoth hiſce minus principalibus (aut fallor) accenſeri debent שכיות illa, quorum *Propheta* mentionem facit τοῖς משכיות originis, uſus, & ſignificationis affinitate conjunctiſſima. Textus integer, quem in animo jam fero, ſic ſe habet: [h] *dies domini* erit *- ſuper -- naves Tharſis*, ועל כל שכיות החמדה ubi noſtri Hebrææ minus

a *Adverſ. Gent.* lib. 6. p. 196. b De *Diis Syr. Proleg.* c. 3. c De *Orig. Idol.* lib. 6. c. 39. d Not. in *Arnob.* ub. ſupr. e *Sect.* 2. fuſe. f *Ezec.* 8. 10. g In *Satyric.* cap. 29. h *Jeſ.* 2. 16.

1 Vid. *Spencer.* p. 319. L. 2. c. 25.

2 *Janus Gulielmus Gelenii* conjectura fretus temeraria, *adſerit eſſe*, *ramum Prognes Theſpios*. *Lilius Gyraldus* verba citat, *Proconneſii Atheſpios*: In codice Romano *Canterus* legit eaſdem literas ita conjunctas, *procmxi Atheſpios*: ſuſpicatur tamen (auctore *Clemente, Cohort.* p. 40. τῆς Κιθαιρωνίας Ἥρας ἐν Θεσπίαις) legendum *ramum pro Cytharonia Theſpios*.

3 Pro *puteum*, *pluteum*; ſatis docuit *Canter. Var. Lect.*

4 *Anonymus auctor* opinatur *locum eſſe mendoſum*, legitque *Paridis argenteos poſiti*; proxima enim ſunt, *Venerisque ſignum marmoreum*. Hinc *Veneris Paridiſque ſigna ſimul conjuncta ſunt*. Ita legendum indicant quæ ſequuntur, *& pyxis aurea non puſilla, in qua barbam ipſius conditam eſſe dicebant*: nam de viro aliquo loquutum fuiſſe neceſſe eſt. Vid. pag. 113.

 con-

SECT. IV. conſulto vertuot, ***and upon all pleaſant pictures.*** Præterquam enim quod vox ea [שכיות] *picturas* non ſignificet, veri ne ſpeciem habet, Deum *ſuperbis & excelſis omnibus*, una cum *cedris omnibus Lebani ſublimibus*, *collibus omnibus elevatis*, *turribus excelſis omnibus*, *navibus Tharſis omnibus*, tandem etiam *picturis omnibus deſiderii*, mala eadem, eaque valde gravia, denunciare voluiſſe. Ne ſermo nimis excurrat: erant hujuſmodi שכיות ſculpturæ quædam ſcite, forſan etiam *Taliſmanice* fabrefactæ; quas navibus affigere, eaſque precibus aliiſque ſacris colere, ſolebant idololatræ, naufragio perituri. De ſculpturis huic uſui deſtinatis, hunc locum exponendum cenſeo, quod ipſa radix vocabuli שכיות illud de cælaturis aut ſculpturis ſcite factis interpretari doceat; & quod ipſe contextus cogat, vocem eam de navium imaginibus, ad earum nempe tutelam poſitis, intelligere. Huic interpretationi non difficulter aſſentietur, qui novit idololatras antiquiores hujuſmodi ſculpturas, ad evitanda naufragia, frequentes in navibus habuiſſe; ſi præſertim advertat animum ad ſequentia, quibus [a] *Propheta* quæ fuſe dixerat antea paucis explicat, & שכיות de idolis interpretari docet. Atque hæc interpretatio eo ſolidior haberi debeat, quod ei vox ea החמדה *deſiderii* non parum momenti præbeat. Hujuſmodi nempe ſuperſtitionis inſtrumenta, שכיות החמדה *ſculptura deſiderii* vel *deſiderabiles* haud immerito dicebantur, ſi reſpectus ad earum *materiam*, *formam*, aut *uſum* habeatur. Si *materiam* ſpectemus, auro vel argento plerunque nitebant adeo, ut [b] ingens ſui deſiderium in adſtantium animis excitarent. Mori huic illa [1] *Poeta* teſtimonium perhibent,

——— *Et aurato fulgebat Apolline puppis.*

Si *formam* ſpectemus, hinc etiam *imaginum deſiderabilium* titulum acquiſiviſſe videantur: vel enim [c] magnitudine ſingulari ſibi majeſtatem conciliare, vel numinis alicujus ethnici ſpeciem exprimere, cenſebantur. Nec minus *imaginum deſiderabilium* nomine dignæ videbantur, reſpectu ad *uſum* habito quem nautis præbere credebantur. Nautæ ſcilicet, naufragii periculo territi, imagines haſce, numinis & opis præſentis obſides, invocare ſolebant, iiſque ſacram ſpei anchoram affigebant. Huc alludit [d] *Horatius*, de naufrago quodam hæc loquens;

——— *Non tibi ſunt integra lintea;*
Non Di, quos iterum preſſa voces malo.

Hæc omnia fidei propiora cenſeantur, quod prout *Ezechiel* hujuſmodi ſigna nautica שכיות appellat: ita [2] Chaldæi Paraphraſtæ *Tſilmenaya ſimulacra*, [3] *Herodotus* etiam & *Heſychius* figuras eas παταίκους, vocant, voce a פתוחים *cælaturas*, *ſculpturas* notante, derivata.

(3°.) LAPIDES uncti & coronati, quos ethnici *Bætylos* aut *Bætylia* plerunque nuncuparunt, inter ſortis hujuſce *Maſchyoth* annumerandi ſunt. Gentium religio circa lapides hujuſmodi, paſſim obvios & ad cultum poſitos, ſtudioſe verſabatur. Aſſertionis hujuſce veritatem, [e] *Seldenus*, [f] *Bochartus*, [g] *Dietericus*, [h] *Elmenhorſtius*, [i] *Doughteius*, alii, tot veterum teſtimoniis extra dubium poſuerunt; ut mihi ſatis ſit, ad eorum fontes digitum intendere. Nil opus eſt, ut ad moris hujuſce veritatem aut antiquitatem aſtruendam, ipſe vel ad primum ruborem laborarem. Docti vero, non ſine ſumma veri ſpecie, ſentiunt Phœnices aliaſque gentes hujuſmodi lapides unctos, exemplo *Jacobi* primos erexiſſe, eoſque *Bætylia* & *Bætylos* in memoriam lapidis *Bethele* erecti nominaſſe. Hujuſmodi *Bætylos*, in Syria præcipue, paſſim abundaſſe; gentes iis virtutem divinam & ſanctitatem ſingularem tribuiſſe, eoſque pleraque alia ſuperſtitionis inſtrumenta vetuſtate ſuperaſſe, teſtimonia veterum a [k] *Bocharto* collecta dubitare non ſinunt. Cum itaque *Bætylia* quæ dixi, pleraque alia ſuperſtitionis objecta, antiquitate, multitudine, & virtute ſingulari, ſuperarent; opinari promptum eſt, ea nomine *Maſchyoth* interdicta fuiſſe; eum præſertim meræ phantaſiæ eſſent, & imaginationis deluſæ creaturæ.

a vid *Iſai.* 2. 17, 18. b *Deut.* 7. 25. *Hoſ.* 9. 6. *Iſai* 20. & 44. 9. 10. c — *Jacet ipſe in littore, & una ingentes de puppe Dei* — *Perſ. Sat.* 6. d Lib. 1. *Carm.* 14. e De *Diis Syr Synt.* 1. cap. 5. f *Phaleg.* Lib. 2. Cap. 2. g *Antiquit. Bibl.* pag. 269. h *Not.* in *Arnob.* lib. 1. pag. 37. i *Analect. Sat.* P. 1. *Excurſ.* 17. k *Geogr. Sacr.* Lib. 2. c. 2. pag. 785, 786.

1 *Virgil, Æn.* 10. 171.
2 In *Geneſ.* 31. 19.
3 In *Thalia* §. 37.

(4°.)

(4°.) In hunc numerum admittendæ videntur, figuræ vel imagines illæ *Taliſmanica* e ſaxo vel metallo factæ, ad malum aliquod amoliendum, aut bonum conciliandum, comparatæ; & in agris aut regionum confiniis, ſub certo ſyderum aſpectu, collocari ſolitæ. In hunc ſenſum venire debere lapidem *Bractan*, apud *Turcas* celebrem, contendit [a] *Gaffarellus*, qui, in hoc argumento curioſo, ad ſatietatem, ſi non & nauſeam, laboravit. Huic opinioni cauſam dedit, figura *Veneris*, quæ in hoc lapide, cum Lunæ creſcentis imagine, ſculpta *Metha* cernitur; & ſingularis illa virtus, qua ad animalia noxia abigenda pollere creditur. De figuris & imaginibus hiſce *Taliſmanicis*, & earum antiquitate, [b] *Scaliger*, [c] *Kircherus*, [d] *Hottingerus*, [e] *Gregorius Michael*, aliique bene multi, tam fuſe & erudite diſſeruerunt; ut hic otio mihi facto frui liceat, & hoc argumentum pene intactum præterire. Propter materiæ vero cognationem, & argumenti raritatem, hic lapidem illum averruncum memorare fas ſit, cujus [f] *Oracula Chaldaica* mentionem faciunt; SECT. V.

Θῦε λίθον Μνίζουριν ἐπαυδῶν·
Sacrifica lapidem Μνίζουριν·

Hic autem *lapis* Μνίζουριν, vel (ut alii volunt) Μνάζουριν, dæmone terreſtri conſpecto ſacrificandus, dæmonum aut poteſtatum noxiarum fugator habebatur; vocis origine deducta (ſi [g] *Serarii* conjecturæ fidimus) a מנוס *fuga*, & צרים aut צירים *adverſariorum*, vel שעירים *Seirim*, id eſt *hircorum*, aut dæmonum hirciformium.

(5°.) In hac claſſe pnnenda ſunt etiam ſaxa illa rudia & informia, nec hominis nec bruti formam exprimentia; quibus, tanquam Deorum ſymbolis, rudis antiquitas cultum ſæpiſſime tribuebat. Talis erat nominatiſſimus ille [h] *Caaba* lapis niger, nomine *Bractan* notus, Arabum cultu & ſermone tritus. Ei non abſimilis, lapis ille quem *Romani* pro *Termino* coluere, de quo *Poeta*,

—— *Capitoli immobile ſaxum.*

Et *Heliogabali* figura, quæ lapis erat baſi circulari, in conum deſinens. Græcos antiquiores iſtiuſmodi lapides informes impenſius adoraſſe, teſtatur [i] *Pauſanias* in *Achaicis*; τὰ δὲ παλαιότερα, dicens, καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι, τιμὰς θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι· *Antiquitus, apud Græcos omnes, rudes lapides, imaginum loco, divinos honores habuerunt.* E lapidibus illis, alii in triangulum, in orbem alii, in figuras alias nonnulli, diſponebantur; uti & alii in figuras conicas, alii vero pyramidales, effingebantur; ut eo melius colentium imaginationi convenirent, forſan etiam ut Solis aut aliorum corporum cœleſtium imaginem eo magis expreſſam gererent. Multos iſtiuſmodi lapides adhuc in *Anglia* ſupereſſe, & viros doctos eorum nonnullos [k] obſervaſſe, me perſuaſum habeo: & antiquariorum operam, in illuſtrandis *Angliæ* monumentis, multo felicius ceſſuram arbitror, ſi hujuſmodi ſaxa rudiora, in *Anglia* paſſim obvia, non tam prælii vel victoriæ quam idololatriæ monumenta crederent, eaque frequentius inter ethnicæ Britanniæ *Maſchijoth* numerarent.

Intra præſentis argumenti limites, *Chammanim*, *columnæ*, [l] *luci ſculptile*, *quercus annoſæ*, אשרים aliaque multa idololatriæ veteris inſtrumenta, continentur. Certum eſt enim, ea omnia Deorum ſymbola fuiſſe, & ab imaginibus, hominis aut numinis alicujus formam mentientibus, longe diſcrepaſſe. Iis etiam, utpote meris phantaſiis & mentis ingenioſæ figmentis (ita nempe videbantur) apprime conveniebat nomen *Maſchijoth*, quod *phantaſiæ cogitationes*, interpretantur. Nec mirum videri poſſit, quod idolulatriæ figmentis id nominis in Scriptura tribuatur; cum [m] LXX, bis intra commatum duorum ſpatium, imaginem fictilem & lapidem εἴδωλον, φαντασίας nomine nuncupaverint.

SECT. V.

Rationes legis lapidem Maſchith *ſpecialiter inhibentis aſſignantur.*

MIRABITUR forte non nemo, quod e variis idolis & *Maſchijoth* inter gentes olim obtinentibus, lapis *Maſchith* ſolummodo ſpecialiter interdictus eſt; quaſi non ſatis eſſet, eum lege generali, de ſimulacris & *Maſchijoth* e medio tollendis, inhibere. Id itaque negotii præſentis erit, cauſas obſcuriores (qua licet) inveſtigare, Quare lapis Maſchit ſpecialiter lege inhibetur.

a *Curioſit. inaudit.* Cap. 6. §. 6
b *Epiſt.* p. 529.
c *Oedip. Ægypt.* Tom. 2. p. 383. &c.
d *Hiſt. Orient.* p. 188. &c.
e *Not.* in *Gaffarel. Curioſit.*
f *Orac. Chald.* cap. ult.
g *Comment.* in *Tob.* pag. 86.
h Vid. *Hornium* de *Orig. Gent. Americ.* l. 2. c. 13.
i *Lib.* 7. p. 579.
k Vid. *Plot. Hiſtor. Catur. Oxon.* c. 10. §. 102, 103.
l 2 *Reg.* 21. 7.
m *Habac.* 2. 18, 19.

Vvvvv cur

SECT. V. cur *Maſchith* ille nominatim interdictus ſit, eique Moſes, præ cæteris *Maſchyoth*, ſeipſum oppoſuerit. Si rem hanc ad conjecturam revocare liceret, legis tam diſertæ rationes ſequentes aſſignandas exiſtimarem.

PRIMO: lapis iſte curæ & gratiæ illi ſpeciali plane repugnavit, quam Deus circa terram promiſſam exercuiſſe dicitur. Sic enim de illa Moſes loquitur: [a] *terra quam tranſitis ut poſſideatis eam*, -- eſt *terra quam Dominus Deus tuus curat: oculi Domini Dei tui* ſunt *ſemper in ea, a principio anni usque ad finem* ejus. Hebræorum natio *Dei vinea dicitur*, eamque Deus in clientelam ejus perpetuam receptam aſſerit, *Jeſai.* 27. 3. *Ego Dominus cuſtos ejus*, -- *ne quis forte lædat eam: ego die & nocte cuſtodiam eam.* Si quis itaque *lapidem Maſchith* in terra ſancta ſtatuere recuſabat, eam privilegio peculiari donatam aſſerebat; & Deum rebus omnibus invigilare, adeoque *lapidem* illum nulli uſui futurum in *Iſraele*, clare profitebatur. Quis enim uſus eſſe potuit *lapidis ſpeculationis* ea in terra, ubi [b] *oculi Domini* ſunt *in omni loco, ſpeculantes bonos & malos*, quamque *oculi Domini ſemper intuentur?* Et quid opus erat *lapide cuſtode* vel in tutelam poſito, ubi Deus rerum ſummæ præſidebat, & terram *diu noctuque cuſtodiebat?* Lapis *Maſchith* plane ſuperfluus erat & ridiculus, ubi Deus *Eben-Ezer* & *cuſtos Iſraelis* habebatur. Ex adverſo: ſi quis *lapidem Maſchith* in agris erigeret, vel in privato cubiculo *Maſchyoth* adoraret; eo ipſo teſtatum dedit, cuſtodiæ & præſentiæ divinæ fidem apud eum vacillare, ſeque plus opis a dæmone præſente, quam Deo remotiori, petere & expectare. Prout enim ethnici, per idola paſſim obvia, ſe diabolum pro Deo, ſic & per *Maſchyoth*, eundem pro cuſtode genioque tutelari, habere tacite profitebantur. Judæorum itaque Seniores, cultum in penetrali τῷ [c] *Maſchith*, aut imaginis eorum tutelaris, exercentes, Deum terram deſerere nec eam intueri credebant, & fidem illam non minus re quam verbo teſtatam faciebant.

SECUNDO: *lapis Maſchith* e fide duorum principiorum, ἰσοδυνάμων καὶ ἀντιτέχνων, fluxit, eique non parum præſidii præbuit. Horum unum, *boni* nempe principium, [d] Ægyptii veteres *Oſiridem;* alterum, *mali* nempe principium, *Typhonem* nuncuparunt. Hinc Ægyptii Genios quoſdam tutelares, *Oſiridis* miniſtros, *Typhoni* ejusque poteſtatibus adverſis opponere ſtuduerunt; & lapides *Maſchith* aut Obeliſcos, figuris magicis inciſos, frequentes erexerunt, ut vim Typhoniam frangerent, & Genios quosque nocivos *Ægyptum* ingredi prohiberent. Atque hæc doctrina ab Ægyptiis ad Græcos poſtea manaſſe videtur, qui [e] *ſe alios Deos colere, ut proſint; alios, ne noceant* aperte profitebantur. Hæc omnia cauſam ſuggerunt, cur *idola* & *Maſchyoth* in Lege conjuncta veniunt, & ſimul interdicta reperiuntur: nempe *Levit.* 26. 1. *Non facietis vobis idola, ſculptile & ſtatuam non erigetis vobis, & lapidem Maſchith non ponetis in terra veſtra;* & *Numer.* 33. 52. *Perdetis omnes eorum Maſchyoth, & omnes imagines conflatilium eorum*, &c. Nempe Gentes, Genios alios, bonos & auſpicatos, alios lævos & inauſpicatos; illos ut boni, hos ut mali omnis & inſortunii, fontes juxta coluerunt: & in illorum cultum, idola vel ſimulachra, in horum autem honorem Obeliſcos aut *Maſchyoth*, ſtatuerunt. Cum itaque hæc inſtrumenta idololatrica in ſacris ethnicorum tam arcte jungerentur, & doctrinam tam peſtiferam tacite confirmarent; par erat, ut in Lege ſimul interdicta reperirentur.

TERTIO: lapis iſte tam diſerte vetitus eſt, quod Ægypti myſteria ſacra & abominationes omnes in ſe uno complecteretur. Norunt omnes qui hoc argumentum vel a primo limine ſalutarunt, Obeliſcos, tanquam tabulas quaſdam lapideas, *Ægypti* myſteria omnia (politica, philoſophica, magica, hiſtorica, theologica) characteribus hieroglyphicis expreſſa continuiſſe. Nec minus innoteſcit, Ægyptios, in Obeliſci materia ſolis colorem exprimere, in illius figura radii ſolaris formam imitari, & in eo, tanquam Solis ectypo, Soli cultum exhibere ſolitos. Cum itaque ſapientiæ & ſuperſtitionis Ægyptiacæ lineæ omnes, in Obeliſco, tanquam centro quodam, conſpirarent; Deus, lapidis iſtius uſum inhibendo, eumque e Terræ ſuæ finibus ejiciendo, clare docuit, ſe ſapientiam & religionem *Ægypti* pariter æſtimare; & lapidi illi legem tam diſertam oppoſuiſſe, ne in poſterum, Iſraelitæ ſui ſapientiæ vel religionis Ægyptiacæ ſtudio vel deſiderio ducerentur.

QUARTO: veriſimile eſt, Ægyptios omnes, multos etiam ex Hebræis, hujusmodi lapidem maximo in honore & pretio habuiſſe. Hoc non difficulter intelligitur ex honorifico *Maſchith* nomine, *mentem* aut *intellectum* notante, quo lapis ille donatus

a *Deut.* 11. 11, 12. b *Prov.* 15. 3. c *Ezech.* 8. 12. d Vid. *Kircher. Obeliſc. Pamphil.* lib. 5. pag. 442, 443. e *Lactant.* de *Falſa Relig.* lib. 1. Sect. 20.

eſt,

Sect. VI.

eſt, tanquam nomine familiariter noto, & ſermone vulgari trito. Idem etiam haud obſcure colligitur ex *Ægypti* moribus & inſtitutis, quibus Iſraelitæ diutius aſſueverant, & tenacius adhærebant. Nam Ægypti ſacerdotes, inter quos rex ipſe primas tenuit, ætatem pene totam triverunt, in Obeliſcorum characteribus ſymbolicis rimandis & intelligendis; literaturam etiam quam inſculptam gerebant Hieroglyphicam a vulgi profani cognitione ſtudioſe removerunt. Deinde: cum Obeliſci, a *Mercurii* columnis, tanquam primis exemplaribus, originem derivarent: cum etiam ſymbola ſacra vel amuleta palam exhiberent, quæ mala omnia a regno propulſare, & vel ipſis numinibus imperare, crederentur; Ægyptios iis honorem & pretium ſingulare ſtatuiſſe, dubitari nequit: cum præſertim *Kircherus* aſſertioni meæ patrocinium præſtet, in hoc argumento verſatiſſimus. Aſſerit autem ille, [a] *Obeliſcos non Theoſophia duntaxat maxima quæque ſacramenta ſymbolis ſuis expreſſiſſe, ſed & inſuper fuiſſe apud Ægyptiorum exiſtimationem magnæ virtutis ſigilla, ad Numina non placanda tantum, ſed & eadem attrahenda, & ſui juris facienda, a ſacerdotibus conſtituta.* Cum itaque Ægyptii, forſan etiam Iſraelitæ, moribus Ægyptiis aſſueti, de lapide *Maſchith* honorifice adeo ſentirent & loquerentur; Deus eum nominatim inhibuit, eumque a terra ſancta procul amandavit; ut lapidem illum non minore contemptu, quam Ægyptii honore, proſequi crederetur; & omni ratione provideret, ne populus ejus *Ægypti* moribus & inſtitutis inficeretur.

Quinto: lapis iſte tutelaris, non tantum in ſe malus erat; ſed mala, nec pauca, nec levia, ſecum traxit. Eorum nonnulla paucis accipiat lector: (1°.) Λιθολατρείαν induxit, malum hac in lege memoratum, qua vetitum eſt hujuſmodi [b] *lapidem ponere ad adorandum eum.* Cum enim lapis iſte radium ſolarem imitari & referre videretur, cum etiam religionis Ægyptiacæ myſteria pene omnia complecteretur, totam inſuper *Ægyptum* a poteſtate quavis noxia vel hoſtili ſartam tectam conſervare crederetur; nihil mirum ſi Ægyptii, aliique doctrinis eorum imbuti, lapidem tali virtute donatum cultu religioſo proſequerentur. (2°.) Iſtiuſmodi lapides ad ſyderum etiam cultum homines infirmioris ingenii ſollicitabant. Erant enim ſigilla vel amuleta quædam, ad cælorum aſpectum elaborata, characteribus quibuſdam analogis inſculpta, quæ virtutem eorum omnem a cælis & ſyderibus haurire credebantur. (3°.) Lapis iſte Teleſmatice paratus, temporum obſervationem, Dei lege vetitam, aſtruxit & propagavit. Qui enim ad hujuſmodi lapidem fabricandum animns appulerunt, horoſcopum cæli diligenter obſervarunt, & id ante alia curarunt, ut omnia die vel hora opportuna & auſpicata fierent. (4°.) Lapis *Maſchith* recta duxit ad Magiam, & commercium ſecretum cum diabolo. Nam characteres inſculpti, virtutes ei tributæ, amuleta quæ ferebat περιφυλακτικά, ritus etiam in eo ponendo curatius obſervandi diaboli technis originem debuerunt, artis Magicæ leviora quædam exercitia fuerunt, & ad intimiorem cum diabolo ſocietatem aditum præſtruxerunt. Mala alia, ab hoc lapide manantia, ne tædio ſit prolixitas in præſens prætermitto.

SECT. VI.

Rationes nominum Hebræorum & Græcorum, inſtrumentis illis impoſitorum explicantur.

Rationes nominum Hebræorum *Maſchith* & *Maſchyoth*

A Nominibus Hebræis, repetitione tritis, ordiendum eſt, & rationes inveſtigandæ, cur Deus inſtrumenta quæ diximus idololatrica *Maſchith* & *Maſchyoth* in Lege nuncupaverit; cum liquidum ſit, ea nominum eorum dignitatem ſuſtinere minime potuiſſe; cum etiam Scriptura nominibus idolorum, aliquid honoris præ ſe ferentibus, abuti ſoleat, & tacite ſugillare. Quantum autem ad rationes iſtas conjectura collimare liceat, ſunt hujuſmodi:

(1°.) Verisimile eſt, idololatras ea nomina idolis illis antiquitus aſſignaſſe, eaque vulgi ſermone & uſu trita fuiſſe, cum leges Moſaicæ traderentur. Cum enim, figura & uſu peculiari, ab aliis omnibus ethnicæ religionis inſtrumentis aperte diſtinguerentur; cum etiam terris ubi ſedem invenerunt invigilare, eaſque cuſtodire, crederentur; rationi conſonum eſt, ut ea nomine peculiari & eorum naturæ conſentaneo donata, & in populo nota, fuiſſe cenſeantur. Cum itaque Deus id jam ageret, ut

a *Oed. Ægypt.* Tom. 3. p. 565. b *Levit.* 26. 1

SECT. VI. harum vanitatum uſum & cultum exterminaret: par erat, ut iis nominibus eas appellaret, quibus apud populum tunc temporis innotuerunt; aliter enim leges ejus *ignota lingua* Judæos alloquerentur, & captu difficiles inde redderentur.

(2°.) LAPIS iſte tutelaris unctionis ritu plerunque ſacrabatur: & inde forte אבן משחה *lapis unctionis*, ab idololatris antiquioribus appellatus eſt. Cum autem lapide illo ad ſuperſtitionem abuterentur, eique virtus divina a *Zabiis* aſcriberentur; veriſimile eſt, Dei veri cultores hujuſmodi lapidem אבן משכית *lapidem phantaſiæ* vel *imaginationis*, per paronomaſiam appellaſſe. Neque hæc conjectura ſimilibus exemplis deſtituta eſt: nam הר המשחה olim [a] *mons*, *olei* vel *olivarum* dictus poſtea הר המשחית *mons corruptionis* aut *corrumpens*, audiit; eo quod Iſraelitæ, moribus corruptis eo in monte ritus idololatricos exercuerint. Alia exempla cognata prætermitto, ne in re paucis ignota tricari videar.

(3°.) CUM lapis iſte ſapientiæ Ægyptiacæ magnalia, figuris myſticis expreſſa, gereret, bonum etiam omne conſequendi, malum inſuper omne fugandi, methodum docere crederetur; haud abſimile eſt vero, Ægyptios omnium primos lapidem illum nomine aliquo Ægyptio, *mentem* aut *intellectum* ſonante cohoneſtaſſe, & Iſraelitas nomen illud Ægyptium in *Maſchith*, utpote vocem ſynonymam, tranſtuliſſe. Cum itaque nomen illud inter Iſraelitas uſu tritum eſſet, & non tantum *intellectus* ſed etiam *phantaſiæ* vel *cogitationis vanæ* ſignificatum contineret; non ſine cauſa creditur, Deum etiam id nomen, ſed abuſive ſumptum, huic lapidi tribuiſſe, eumque *Maſchith* appellaſſe; ſed quatenus vox ea *phantaſiam*, aut *cogitationem* omni veritate vel ſoliditate deſtitutam ſignificavit. Nempe hac ratione, Deus lapidem illum, magni licet, apud Ægyptios habitum, contemptui objecit; eumque, veluti meram phantaſiam aut imaginationis fœtum, tacite ſugillavit.

Rationes nominum Græcorum. RATIONES jam dediſſe videar horum nominum Hebræorum, quatenus a Deo, quatenus etiam ab hominibus, inſtrumentis illis idololatricis imponebantur. Diſpiciendum eſt proximo, cur iis nomina Græca [σκοπὶς & σκοπιαὶ] tributa ſint a [b] LXX, cum voces illæ, nec inter ſe, nec cum Hebræis, nec iis (quæ dixi) inſtrumentis, convenire videantur. Quæ mihi in tenebris hiſce videre licuit, lecturi paucis dabo, & a voce σκοπὶς exordium ſumam.

E variis conjecturis quibus voces illæ [λίθος σκοπὶς] anſam præbuerunt, unam illam *Delrii* mentione dignam cenſeo, qui eas *lapidem ſignum* transfert, hanc opinionis ſuæ rationem reddens; [c] *fuit illa veterum ſuperſtitio*, ut *Mercurios* ponerent *in viis*, *vel alios Deos* vios *aut* viales, *itinerum indices & ſigna. Probibeat ergo Legislator, non lapides indices viarum poni, ſed poni hujuſmodi lapides habitu Deorum, & ad adorandum.* Hanc autem conjecturam vix veri ſpeciem habere cenſeo, quod ſcioli norint, *ſignum*, nec σκοπὶς, nec *Maſchith*, exprimere vel interpretari.

NE multis immorer; LXX, tribus rationibus inducti, *Maſchith* voce σκοπὶς hac in lege reddidere: (1°.) Σκοπὶς. *vigilem*, *cuſtodem*, *ſpeculatorem*, notat, (uti dixi ſupra) adeoque vox ea lapidis hujuſce fini conſentanea erat, qui amulera quædam προφυλακτικὰ gerere, adeoque totam *Ægyptum* a malis immunem præſtare, credebatur. (2°.) Hujuſmodi lapis, non niſi ſervato Horoſcopo, & diligenti ſyderum ſpeculatione præmiſſa, formari vel poni ſolebat; adeo ut vox σκοπὶς ea de cauſa iſti belle conveniret. Lector mecum judicabit, ſi rationem conficiendi Teleſmata, a [d] *Scaligero*, [e] *Hottingero*, [f] *Johanne Gregorio*, aliiſque, traditam, penitius intellexerit. (3°.) Cum vox *Maſchith* a שכה *ſpeculatus eſt* ortum ducat, σκοπὶς *ſpeculator* ſenſum τῦ *Maſchith* non male reddere putetur, nec a prima *radicis* intentione multum aberrare. Et jam manum ab hac tabula moveamus.

RATIO nominis alterius (Σκοπιαὶ) quo LXX *Maſchyoth* [g] exprimunt, in lucem paulo clariorem jam proferenda eſt. Atque hoc negotium eo libentius aggredior, quod interpretes omnes vocem σκοπιαὶς per *ſpeculas*, h. e. turres, aut alios locos ad ſpeculandum elevatos, transferunt; rationem ne minimam proferentes, cur Deus de ſpeculis, aut turribus altioribus, amoliendis legem daret. Deinde: locus ille, מצפה [h] *Miſpa*, a צפה *ſpeculari* denominatus, indicio eſt, Iſraelitas locos in altum elevatos & ſpeculationi ſervientes habuiſſe, nec eos lege præſenti vetitos exiſtimaſſe. Ut rem

a *Buxtorf. Lexic. Chald.* col. 1266. b Vid. LXX in *Levit.* 26. 1. & *Num.* 33. 52. c *Diſquiſit. Magic.* lib. 4. C. 2. Q. 7. Sec. 1. d *Epiſt.* p. 529. & 568. e *Hiſt. Orient.* l. 1. cap. 8. p. 188. f *Not.* & *Obſ.* cap. 7. 8. g *Numer.* 33. 52. h *Geneſ.* 31. 49. *Hoſ.* 5. 1.

totam

Digitized by Google

totam breviter expediam: tres rationes, quamvis haud æque ſolidæ, reddi poſſunt, cur LXX *Maſchyoth* per σκοπιὰς, i. e. *ſpeculas*, interpretantur. CAP. XXIII.

(1°.) Vox Græca, ſtricte quidem ſumpta, *ſpeculas*, late vero, *locos altos*, olim indigitaſſe; & idem quod במות *excelſa*, ſignificaſſe, videatur. Nam *Heſychio*, σκοπιαὶ, ἀκρώρειαι, ὑψηλοὶ τόποι· Et ſtatim poſtea, Σκοπιὴ, ὑψηλὸς τόπος ἀφ' οὗ ἔστιν ἰδεῖν καὶ περισκέψασθαι· Hunc ante oculos habuiſſe videntur [1] *Etymologus* & *Euſtathius*, σκοπιὰς ipſis *Heſychii* verbis explicantes. *Heſychium* quod attinet, non temere conjicitur, eum LXX ſecutum fuiſſe, cum voci σκοπιαὶ ſenſum jam dictum dederit. Cum enim LXX *Maſchyoth* per σκοπιαὶ reddidiſſent, vocem במות (eodem verſu obviam) quam ὑψηλοὺς τόπους interpretari ſolent, στήλας vertunt; ut ſcilicet eo melius conſtarent ſecum, cum ſenſum τοῦ במות vocabulo *Maſchyoth* tribuiſſent. Cum autem hæc ratio vocis Græcæ ſacris ſenibus inſcitiæ vel incuriæ notam inurat; apud lectorem ſorte cordatum non multum ponderis habitura eſt. Ad rationem itaque ſecundam jam tranſeat oratio.

(2°.) Vox σκοπιαὶ non *ſpecula* tantum, ſed etiam *ſpeculationes*, aut *actus ſpeculandi* denotat; & eo reſpectu voci *Maſchyoth* ex adverſo reſpondet, & res ea voce notatas congruenter exprimit. Nam *Maſchyoth* (quæ dixi) minus principalia, rei nullius formam aut imaginem geſſerunt integram, ſed merum *ſpeculationes* erant; eorum ſignificationem & virtutem ab imaginationis aut mentis ſpeculantis activitate derivantes. In eorum claſſe primas habebant Teleſmata, quæ figuræ quædam erant, ære, ſaxo, vel auro inciſæ, quæ curioſam cœli, horoſcopi præcipue, *ſpeculationem* requirebant, ut ex arte conficerentur.

Ratio nominis hujuſce Græci tertia, probabilitate non minus commendata, ſit hujuſmodi: *Maſchÿoth* (uti dixi) ſpeculationes denotat, & vox σκοπιαὶ ſignificatu cognato gaudens, ſenſum vocis Hebrææ ſatis apte refert.

Atque hæc ea ſunt quæ legis hujus obſcurioris intentioni genuinæ maxime conſentanea judicavi. Norit interim lector, me ſententiam meam, hac in re, non ut κυρίαν δόξαν, ſed ut conjecturam, non plane temerariam aut argumentis omnino deſtitutam, propoſuiſſe.

CAP. XXIII.

De Excelſis non ſemel in Lege vetitis.

De Excelſis, inſignibus illis idololatriæ veteris inſtrumentis, ſexcenties occurrit mentio in Scriptura ſacra. Ea vero in Lege, nunc *directe*, nunc *indirecte*, prohibentur: *directe*, *Exod.* 20. 26. *Non aſcendes per gradus ad altare meum*, nempe gentium ritu, ſuper altaria ſublimia, multiſque gradibus aſcendenda, ſacrificantium. *Levit.* 26. 30. *Diruam* במתיכם *Excelſa veſtra*, -- *& anima mea vos abominabitur*. *Numer.* 33. 52. *Et expelletis omnes incolas terræ*, —— *Et vaſtabitis* כל במותם *omnia Excelſa eorum*. *Indirecte*, vetita ſunt *Deuter.* 12. 5, 11, 14, 18, 21. aliiſque locis, quibus hoc in mandatis datum eſt Iſraelitis, ut nempe ſacra peragerent in loco tantum quem Deus eligeret; adeoque a re divioa in Excelſis facienda cohibentur.

Cum autem in hoc argumento, lectores plerique nec res nec verba ſatis aſſequantur; non licet illud curſim & quaſi levi pede pertranſire. Ut itaque hac de re ſermonem plenum ſimul ac clarum habeam, eum in partes haſce diſtribuendum cenſui.

Primo: vocum earum πολυσήμων במה & במות ſenſus genuinus in lucem eruendus eſt.

Secundo: dicendum eſt de variis Excelſorum ſpeciebus, & earum rationibus, quæ inter Gentes olim obtinuerunt.

Tertio: rationes inveſtigandæ ſunt, eur Deus tot leges Excelſis oppoſuerit, cum præſertim eorum uſum quandoque toleravit?

Quarto: cauſæ reddendæ ſunt, cur Iſraelitæ tam tenaciter Excelſis adhæſerunt, ut monitis & interdictis ſæpe repetitis, ad eorum uſum abolendum, indigerent.

Quinto: nonnulla, e jam dicendis oriunda, ſubjungam Corollaria, ut lùx eo clarior toti affulgeat argumento.

1 Vid. pag. 435.

Sect. I.

SECT. I.

Vocum earum πολυσήμων, במה & במות ſenſus genuinus inveſtigatur.

Senſus grammaticalis במה & במות

SI ad earum uſum in Scriptura ſacra diligenter attendamus, intellectu promptum erit, voces eas ſenſus & ſignificatus varios admittere, eaſque omnes ad ſenſum triplicem (*grammaticalem*, *civilem*, *ſacrum* etiam aut *religioſum*) revocari poſſe.

Si ad vocum earum ſenſum *grammaticalem* & maxime proprium animos advertamus, facile percipiamus, *R. Mordechai Nathan* eum ſelicius aſſecutum fuiſſe. Nam, [a] eo exponente, במה eſt גובה ורום id eſt, *altitudo & excelſum*; & hunc ſignificatum vocibus illis aſſeruit, exemplis haud paucis e Scriptura depromptis, [b] *Lexicographus* ille præſtantiſſimus. Atque ſignificationi huic fidem conciliant *Septuaginta*, qui vocem במה nunc ὕψος *altitudinem*, nunc ὑψηλὸν, *excelſum*, quandoque στήλη, plerunque βωμὸς, alibi θυσιαστήριον & οἶκος ὑψηλὸς, incertis vicibus interpretantur. Unde conſtet, interpretes illos, τῷ במה & במות ſignificatum vocis abſtractæ & concretæ, ſubſtantivi ſimul & adjectivi, (prout loci ratio poſtulat) aſſignaſſe. Et certe, ſi quis Scripturæ locos, ubi במות occurrit, attente perlegat, facile percipiat, ſenſum poſtulare, ut vox ea quandoque per *excelſa*, quandoque per *altitudines*, exponatur.

Senſus civilis.

In ſenſum illius vocabuli *civilem* proximo diſpiciendum eſt. Eo ſenſu ſumptum triplicem ſignificatum in Scriptura recipit. Nam,

(1°.) Nonnunquam ad *montes* aut locos altiores indigitandos uſurpatur. Senſus hujus exemplum præbet *Amos* cum ait, [c] *calcans ſuper* במתי ארץ *excelſa terræ*, h. e. montes altiſſimos quos Deus quandoque disjicit, & quaſi conculcat, in terræ motu. Senſu non abſimili venit, 2 *Sam.* 1. 19. *Decor Iſraelis ſuper* במותיך *excelſa tua vulneratus eſt*. Sic locum illum exponendum docet contextus, v. 21. *Vos montes in Gilboah, nec ros nec pluvia* deſcendat *ſuper vos*. Vox ea ſenſum eundem ferre videtur apud [d] *Micham* & [e] *Jeremiam*, his verbis; *& mons domus erit* לבמות יער *ut montes ſylvæ* vel *ſylvoſi*. Locos omnes quibus hunc ſignificatum recipit, nec vacat, nec juvat enumerare. Unum itaque [f] *Michæ* textum ſuperaddam, & progrediar. *Et calcabit ſuper* במותי ארץ *excelſa terræ*; nam ea phraſi montium & collium juga, utpote partes terræ celſioris & cælo viciniores, proculdubio deſignantur.

(2°.) Quandoque tota terra *Canaan*, a Tribubus duodecim occupata, voce במה & במות ſignificari creditur. Nempe *Deuter*. 32. 13. *Et invexit eum ſuper* במותי ארץ *altitudines terræ*, h. e. terram Canaan, quæ reliquis terris eminentior, & orbis habitabilis medium, exiſtimatur. Eodem ſenſu capienda videtur vox hæc, *Ezech*. 36. 2. במות עולם *Excelſa mundi facta ſunt nobis in hæreditatem*: ſic nempe vocantur urbes & regiones Iſraelis, quod aliis altiores eſſent, eaſque non dignitate tantum, ſed & ſitu, ſuperarent. Textus his affines ſunt, *Jeſai*. 58. 14. *Amos*. 7. 9. *Hab*. 3. 19. ad quos digitum ſufficiat intendiſſe. Atque hæc forte cauſam ſuggerant, cur vox רמה ad potiſſimam Judææ partem notandam [g] uſurpetur; quod nempe regionibus aliis excelſior haberetur.

(3°.) Vox במות ſenſu civili ſumpta, arces, aliaque munimenta & fortalitia, locis editioribus fieri ſolita, quandoque denotat. *Targum* ſenſum illum huic voci tribuit *Pſal*. 18. 34. nam ibi במותי *altitudines meas*, per בית תוקפי *locum roboris mei* reddit; במתי ארץ *excelſa terræ*, *Amos*. 4. 13. per תוקפי ארעא [1] *robora terræ* interpretatur: & *Deuter*. 33. *ult*. contextus ipſe במותימו *excelſa eorum*, per *eorum robora*, fortalitia, munitas arces, exponendum docet. Hic etiam obſervare juvet, [h] LXX voces eas במתי ארץ [2] τὴν ἰσχὺν τῆς γῆς *robur terræ* vertere. Textus alii jam dictis affines paſſim obvii ſunt, [i] quos infra tantum cito, eo quod a re præſenti nonnihil alienos. Ideo vero veteres Hebræi voce במות ad arces, alioſque locos robore præcellentes exprimendos, utebantur; eo quod arces in montibus & locis eminentibus plurimum extruerentur. Ad hunc morem ſpectare videntur [k] *Pſalmiſtæ* verba, *potens tu Domine præ montibus prædæ*, i. e. [l] præ [3] munimentis & arcibus quas homines prædæ inhiantes in montibus habent, ut

a In *Nathib*. pag. 102. b *Schindler*. voc. במה c Cap. 4. 13. d *Mich*. 3. 12. e *Jer*. 26. 18. f Cap. 1. 3. g *Jerem*. 31. 15. h *Deut*. 32. 13. i 1 *Sam*. 13. 6. *Numer*. 21. 28. *Pſal*. 18. 33. *Jerem*. 12. 12. k *Pſal*. 76. 4. l Ita Chald. *Præ arcibus montium*.

1 *Targum Jonathan*. reddit רשׁעי ארעא *impios terræ*.
2 *Aquila* vertit, τὸ ὕψωμα τῆς γῆς.
3 *Chaldaica* ſunt, *contremiſcant – Reges habitantes in arcibus montium*.

ibi

Digitized by Google

ibi ſe & furra ſua in tuto collocent. Huc etiam alluſum eſt forte, *Pſal.* 95. 4. *In manu* Domini *ſunt* [1] *fortitudines terra*, *& ejus ſunt montium cacumina*, multis licet propugnaculis inſtruantur. Hinc etiam lucis aliquid hauriat locus ille [a] *Jeremia*, *vere in vanum* expectatur ſalus *a* [2] *collibus* & *multitudine montium*, quamvis robur a munitione æque ac altitudine, natura ſimul & arte, mutuentur. Sect. I.

Tertio: vox hæc, cum ſenſum ſacrum aut religioſum recipit, ſignificata multo plura continet. Senſus ſacer.

Nam (1°.) במה altare, idque ethnicum & idololatricum, plerumque denotat. Hic ſenſus e variis Scripturæ locis innoteſcit: *Jerem.* 48. 35. *Exſcindam de Moab* מעלה במה *aſcendentem in excelſum*, aut *altare*; juxta paraphraſin illam *Targumiſtæ*, מקריב קורבן על במתא *offerentem munus ſuper altari.* Nec diſſentiunt Græci voces illas Hebræas per [3] ἀναβαίνοντα ἐπὶ τὸν βωμὸν interpretantes. Cum hoc loco non parum cognationis habet [b] ille textus *Ezechielis*. *& accipiebas de veſtibus tuis*, *& faciebas tibi* במות טלאות *excelſa maculoſa:* hoc eſt, "nulli ſumptui ſacris ethnicis impendendo parcere ſolitus es: "ipſas enim veſtes tuas diverſicolores exuiſti, & excelſa vel aras pulchre & decore maculoſas tibi confeciſti. Hoc cenſu ſumenda eſt vox במותם *Numer.* 33. 52. cui *Jonathan* במסיחן ararum ſignificatum tribuit. Atque huic ſignificationi hinc etiam accedat fides, quod voces illæ, במה & במות (*Excelſa* notantes) & מזבח & מזבחים quæ altaria ſignificant, indifferenter uſurpentur. Hanc obſervationem varia Scripturæ loca ratam firmamque faciunt, nempe 1 *Reg.* 3. 4. *Et fuit Rex in Gibeon*, *ut immolaret ibi*, *quia ipſum* הבמה *Excelſum magnum. Et obtulit Salomon holocauſta mille ſuper* המזבח *altare iſtud.* Huic loco cognatus eſt 2 *Par.* 14. 3. ubi Rex *Aſa* במות & *Chammanim*, [c] Joſiah vero מזבחות & *Chammanim*, ſuſtuliſſe dicitur: ex horum autem locorum ſcopo clare patet, voces eas במות & מזבחות ſynonymas eſſe, & promiſcue uſurpari. His aliquid momenti ferunt phraſes illæ ſacrificales in Scriptura, ubi de במות occurrit mentio: legimus enim de iis qui [d] ſacra faciunt בבמות *in Excelſis*, vel ἐν τοῖς ὑψηλοῖς, uti Græci vertunt; id eſt, altaribus proculdubio, quæ in excelſum erigebantur. De *Ahaz* etiam memoriæ proditum eſt, quod *ſacrificabat & ſuffiebat* בבמות h. e. [e] ἐπὶ τῶν ὑψηλῶν, vel aris excelſo vertice conſpicuis. Et poſtquam *Excelſa* ipſi Chemoſh & Moloch a Salomon ſtructa memorata eſſet; continuo additur, [f] *& ſic fecit omnibus uxoribus ſuis alienigenis*, *ſuffientibus & immolantibus Diis ſuis.* Huic etiam ſignificationi Septuaginta teſtimonium perhibent, במה & במות per βωμὸς & βωμοὶ ſæpiſſime transferentes. Altare vero βωμὸς ideo dicebatur, quod Græci, more paſſim recepto, altaria ſua celſiora, multisque gradibus aſcendenda, facerent; aut ea in montium celſiorum jugis ædificarent.

Atque hæc verba duplicis generis *excelſa*, vel altaria ſublimia, mihi in mentem revocant; excelſa nempe ratione *ſitus*, & ratione *ſtructura* vel altaris ipſius fabricæ. Multa ſcilicet altaria, in ſe licet humilia, nomen *Excelſorum* reportarunt, quod in montium aut domorum ſummitatibus erigerentur; alia vero *Excelſorum* nomine donata ſunt, quod, in vallibus aut plateis extructa, caput in altum tollerent, & multis gradibus ad aſcenſum, indigerent. Ante alia vero claſſis hujus altaria, memorari debent [g] *Excelſa* in valle *Tophet* extructa, quibus Iſraelitæ liberos eorum dæmonibus immolabant; quæque ſitum ipſorum humilem, ſtructuræ ſuæ ſublimitate compenſabant. De his autem alibi ſe dabit magis opportunus agendi locus.

(2°.) במה quandoque columnam altiorem, cauſa religionis erectam, in Scriptura denotat. Huic ſignificationi fidem aſtruit Seniorum verſio, qui vocem illam de columnis hiſce variis in locis interpretantur: nempe *Levit.* 26. 30. ubi verba illa, *& diſſipabo* במתיכם *excelſa veſtra*, ſic vertunt, Καὶ ἐρημώσω τὰς στήλας ὑμῶν. Et *Numer.* 22. 41. במות בעל Lxx reddunt, τὴν στήλην τοῦ Βαάλ. Haud abſimili modo voces explicant, *Numer.* 33. 52. *Et vaſtabitis* כל במותם *omnia excelſa eorum*, Καὶ πάσας τὰς στήλας αὐτῶν ἐξαρεῖτε. Locis hiſce, ni fallor, accenſeri poteſt, 2 *Reg.* 23. 15. וגם את המזבח *Et etiam altare quod erat in Bethel*, הבמה *excelſum quod fecerat Jeroboam filius Nebat*; —— *etiam* את המזבח *altare ipſum*, ואת הבמה *& excelſum deſtruxit*, *& combuſſit excelſum*, *& contrivit in pulverem.* Eo ſcilicet in loco latum diſcrimen inter מזבח *al-*

a Cap. 3. 23. b Cap. 16. 16. c 2 *Par.* 34. 4. d 1 *Reg.* 3. 2. e *Lxx* in 2 *Par.* 28. 4. f 1 *Reg.* 11. 8. g *Jer.* 7. 31.

1 מחקרי ארץ *inveſtigationes terra*; i. e. Juxta *Aben Ezram*, *infima fundamenta* vel *penetralia terra.*
2 *Hebraica* ſunt, *a collibus*, *turba*, *montibus.*
3 Apud *MS. Alexandr.* ἀναβαίνοντα ἐπὶ Μωάβ.

SECT. I. *tare*, & במה *excelſum*, clare ponitur; & utrumque *deſtrui* quidem, ſed *excelſum comburi* & *in pulverem redigi*, diſerte dicitur. Hic itaque nomine במה non altare, ſed columnam altam, in altaris vicinia poſitam, intelligendam cenſeo. Hic autem nodus occurrit, quem interpretes vix uno digito tactum præterire ſolent: nempe, "cujus "materiæ vel formæ fuit ea columna, quæ nomine במה quandoque videtur intelligenda? *Paulus Fagius* [a] verſioni Græcæ legis modo citatæ lucem allaturus, *certe*, inquit, *refertur ad columnas excelſas ſuper quas idola ponebant in editiſſimo loco, ut inde Dii conſpicerentur, & ab omnibus adorarentur, venerabilioreſque viderentur.* Hæc equidem vir apprime doctus, cum autem res hæc, a noſtro tempore, & negotio præſente, ſejunctior ſit; nihil in præſens fidenter aſſerendum, ſed rem totam in locum aptiorem differendam, arbitror.

(3°.) Vox במה quandoque templum altum, aut delubrum in montibus extructum, ſignat. Hujuſmodi vel delubra montana non ſemel in hiſtoria ſacra memorantur. Nempe 2 *Reg.* 17. 32, 33. *Timebant Dominum, & fecerunt ſibi ſacerdotes,--qui illis ſacra faciebant in fanis Excelſorum.* 1 *Reg.* 13. 32. *Clamavit--contra altare quod* eſt *in Bethel*, & contra כל בתי הבמות omnes domos Excelſorum *quæ ſunt in urbibus Samariæ.* 2 *Reg.* 23. 19. *Et etiam omnes domos Excelſorum--removeri fecit Joſiah.* 1 *Reg.* 12. 31. Καὶ ἐποίησεν οἴκους ἐφ᾽ ὑψηλῶν, *Et fecit* Jeroboam *domos in*, vel *pro*, *excelſis.* *Jeſ.* 15. 2. *Aſcendit ad Baith & Dibon*, הבמות *Excelſa*, *ad fletum.* h. e. Ad ædes in Excelſis extructas, ſe contulit, ut in iis opem ab idolis prece & lacrymis impetraret. 2 *Reg.* 23. 13. ואת הבמות *& Exelſa quæ* erant *coram Hieroſolyma,--quæ ſtruxit Salomon Aſchtoreth, abominationi Sidoniorum--Rex contaminavit:* quem locum ſic transferunt aut potius illuſtrant *Septuaginta;* Καὶ τὸν οἶκον τὸν ἐπὶ πρόσωπον Ἱερουσαλὴμ —— ἐμίανεν ὁ βασιλεύς. Eodem ſenſu vox ea ſumi videtur, 2 *Reg.* 18. 22. & 2 *Reg.* 17. 29. & aliis in locis quos [b] alibi in medium protuli. Teſtimoniis jam adductis colophonem addet locus ille memorabilis, 1 *Reg.* 13. 32. *Exclamavit contra altare quod eſt in Bethel, & contra* כל בתי הבמות *omnes domos Excelſorum:* ſic enim Lxx locum illum interpretantur: ἐλάλησεν ἐν λόγῳ κυρίου ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον ἐν Βαιθὴλ, καὶ ἐπὶ τοὺς οἴκους τοὺς ὑψηλοὺς, τοὺς ἐν Σαμαρείᾳ i. e. ædes omnes Deorum cultui ſacratas, in quibus, juxta morem ſactorum, in monte ſolebant epulari.

(4°.) במות quandoque *montes* uſui ſacro dicatos & ſeparatos denotat. Apud *Dibon* enim, urbem Moabitarum, referente [c] *Joſoua*, colles erant idolorum cultui ſacrati, qui במות בעל *Baalis* excelſa vel *colles* audiebant. De iſtiuſmodi montibus, religioni dicatis, [d] phraſis eadem in hiſtoria *Baalami*, videtur intelligenda; ſic exigente opportunitate populum e loco ſublimi deſpectandi. Hic ſenſus vocabuli paulo clarius eluceat e collatis *verſ.* 2. & 6. capitis tertii *Jeremiæ* nam *verſ.* 2. Deus, Hebræorum gentem alloquens, *leva oculos tuos*, inquit, *ad Excelſa, & vide ubi non proſtituta ſis?* Ac verſ. 6. *Nunquid*, inquit *vidiſti quæ fecit rebellis natio? vadens ſuper omnem montem excelſum,--fornicata eſt ibi.* Unde pateat, prophetam per *Excelſa*, verſu ſecundo memorata, *montes* notaſſe, in quibus cultum profanum frequenter exercebant. Hunc ſenſum vox ea plerunque præbet, iis in locis ubi populus *in Excelſis ſacra feciſſe* dicitur.

(5°.) Voces illæ, במה & במות quandoque ſenſum varium & complexum ferunt; locos editos, altaribus, columnis, lucis, ſtatuis, & ſimilibus idololatriæ veteris inſtrumentis, inſtructos indigitantes. Gentes antiquiores *Excelſa*, id eſt, montes Deorum cultui deſtinatos, iſtiusmodi ſupellectile donare ſolitas, e Scriptura ſacra ſatis intellectum eſt: viz. *Deuter* 12. 23. *Perdetis omnia loca quibus gentes ſervierunt--Diis ſuis, ſuper montes excelſos, & ſuper colles, & ſub omni arbore viridi. Et conteretis aras earum, & confringetis ſtatuas earum, & lucos earum comburetis in igne, & ſculptilia Deorum earum concidetis*, &c. Huic affinis eſt locus ille [e] *Chronicorum*, quo de *Aſa* memoriæ traditum eſt, quod *removit altaria aliena, & excelſa, & confregit ſtatuas, & ſuccidit lucos.* Sed rem paulo magis attingit locus ille [f] *Regum*, *ædificaverunt ſibi excelſa, & ſtatuas, & lucos, ſuper omnem collem ſublimem.* Cum itaque hæc in במות *Excelſis* haud raro convenirent, nil mirum ſi colles, altaria, ſacella, ſtatuæ luci, aliaque cenſus ejuſdem, eo nomine quandoque contineantur. Hunc ſignificatum poſtulare videtur, iis in locis ubi de perdendis & diruendis ethnicorum במית occurrit ſermo. Cum enim impoſſibile eſſet, ut ipſi *montes* quibus Diis ſuis cultum præſtabant, perderentur; neceſſe eſt, ut eos ſenſu lato & complexo capiamus, ita ut Excelſorum nomine, delubra, altaria,

a Πάσας τὰς στήλας αὐτῶν ἐξαρεῖτε *Num.* 33. 52. b Vid. *Lib.* 3. *Diſſert.* 6. Cap. 2. §. 2. c *Joſ.* 13. 17.
d *Numer.* 22. 41. e 2 *Par.* 14. 3. f 1 *Reg.* 14. 23.

ſtatuæ,

ſtaruæ, aliaque furfuris ejuſdem, notari cenſeantur. Hanc notationem vocis [a] *Piſcator* præferendam exiſtimat, cum ait, *luci & altaria in excelſis collibus poſita* per Bamoth intelligendi ſunt: conſentit *Zanchius*, dicens, *nomine Bamoth veniunt altaria & ſacella*. SECT. II.

SECT. II.

De variis Excelſis, eorumque rationibus, inter Gentes obtinentibus.

NEGOTIUM lectori moleſtum & inutile faceſſerem, ſi de excelſis omnibus, inter Gentes olim religioſe habitis, eorumque rationibus ſermonem diſtinctum inſtituerem. In præſens itaque de *montibus* tantum & *altaribus* in altum elevatis, utpote notæ prioris Excelſis, verba faciam; de cæteris Excelſis ethnicis, & eorum rationibus, alibi diſquiſitionem initurus.

A montibus eorum excelſis exordium ſumo, quibus idololatræ veteres eorum ſacra plerunque peregerunt. Hoc multis veterum teſtimoniis evinci poſſet, ſi res tam trita & in vulgo nota tantam diligentiam pateretur. Lectori ſimul & rei præſenti ſufficiat, pauca tantum e multis, ubique obviis, in medium attuliſſe. Inter ea vero primos habeat hiſtoriæ ſacræ teſtimonium: ea nempe, de Judæis loquens, aſſerit eos, In fanis Excelſorum ſacra feciſſe, [b] *Deoſque ſuos coluiſſe, juxta morem gentium*, in locis editis ritus ſuos exercentium. Huic loco lucis aliquid effundunt ea [c] *Voſſii* verba: *omnes fere montes altiores, ut Pelion, Olympus, Ida, Caſius, Atabyrius, Rhodi, aliique plurimi, Jovi præcipue dedicabantur, ejuſque in verticibus ſuis fana & altaria ferebant.* Sed ad hiſtoriam ſacram me recipio, qua [d] *Manaſſeh* malum in conſpectu Domini feciſſe dicitur, *juxta abominationes ethnicorum, ... unam converſus eſt, & ædificavit Excelſa, quæ deſtruxerat Hezekiah.* Teſtimonium huic affine præbet locus ille [e] *Regum*, quo memoriæ proditum eſt, Iſraelitas *ſtatuiſſe ſibi ſtatuas & lucos ſuper omnem collem elevatum, & ibi thus obtuliſſe in excelſis omnibus, ſicut Gentes.* Hanc conſuetudinem inter Gentes invaluiſſe, non minus hiſtoriæ profanæ teſtimonio confirmatur. [f] *Herodotus* enim de *Perſis* teſtatum reliquit eos Διὶ μὲν ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν ὀρέων ἀναβαίνοντες, θυσίας ἔρδειν, *in altiſſimos montium vertices aſcendentes Jovi ſacrificare.* Græcos etiam id moris habuiſſe, e verbis [g] *Apollonii Rhodii* non difficulter inferendum eſt;

> Καὶ βωμὸν ποίησε μέγαν Διὸς ἱκμαίοιο
> Ἱερά τ' εὖ ἔρρεξεν ἐν οὔρεσιν ——
>
> *Et magnam Jovis humentis excitavit aram,*
> *Sacra etiam fecit in montibus.* ——

Ponti & *Cappadociæ* incolas uſum eundem coluiſſe declarat [h] *Mithridatis* factum, qui devictis adverſariis, θῦε τῷ στρατίῳ Διὶ [πάτριον] θυσίαν [ἐπὶ ὑψηλοῦ,] in excelſo monte *ſacrum* patrium *fecit bellipotenti Jovi.* Varias autem moris hujuſce rationes conjectura ſuggerit:

(1°.) PERSUASUM eſt ethnicis, Deum offerentium dona clarius aſpicere, ſupplicantium preces etiam facilius exaudire potuiſſe; modo in montibus hoc vel illo religionis officio fungerentur. Teſtimonio ſint illa [i] *Taciti*, dicentis, *eos maxime locos* (montes nempe) *propinquare cœlo, preceſque mortalium a Deis nuſquam propius audiri.* [k] *Lucianus* etiam hunc morem tam frequentem aſſerit, ὅτι τῶν εὐχωλέων ἀγχόθεν ἐπαΐουσιν [οἱ Θεοί.] *Quippe quod* — Dii *preces a propinquo facilius exaudirent.* Nil opus eſt, ut opinionis hujuſce vanitas operoſe detegatur; cum probe notum ſit hodie, Deum ubique præſto eſſe, nec ſpatiis ullis a videndo vel audiendo cohiberi.

(2°.) ETHNICI montes altiores, & eorum ſummitates, Deorum ſedes, iiſque jure peculiari debitos, exiſtimarunt; adeoque locos eos aliis ſacratiores, & ſacris Jovi faciendis aptiores, eſſe judicarunt. Nam apud [l] *Philoſtratum*, Indi *Caucaſum*, montem præcelſum, Θεῶν οἶκον vocant: & *Melanthes*, Lib. de *ſacrificiis*, τῶν ὀρῶν *montem omnem* τὸ Διὸς ὄρος *montem Jovis* appellatum ſcribit: & [m] *Maximus Tyrius* mortalium primos

De montibus gentium ſacris.

a *Comment.* in *Hoſ.* 10. 8. b 2 *Reg.* 17. 32, 33. c *Obſervat.* in *Melam*, lib. 2. cap. 2. d 2 *Reg.* 21. 2, 3. e 2 *Reg.* 17. 10, 11. f Lib. 1. Cap. 131. g Lib. 2. *Argonaut.* v. 524. h *Appian.* lib. de *Bell. Mithrid.* p. 366. i *Annal.* lib. 13. p. 217. k Lib. de *Dea Syr.* p. 1069. A l De *Vit. Apollon.* Lib. 2. c. 5. m *Diſſert.* 38. ſub init.

SECT. II. [τὰς τῶν] ὀρῶν κορυφὰς *Montium vertices* inter Deorum ſymbola cenſuiſſe refert. Ex ea montium prærogativa & ſanctitate ſingulari fluxit, ut inter gentes magna eſſet eorum veneratio; in iis aræ, templa, luci, delubra, plerunque ſtruerentur; heroes fato functi ſepulturam in montibus invenirent; & Dii gentium a [a] montibus titulum aut appellationem non raro ſortirentur: ex iis enim alii *Dii Monteuſes*, alius (ab Alpibus ita dictis) *Deus Peninus*, & Jupiter, ἀπὸ τῶν ἄκρων τῶν ὀρῶν, *a montium extremitatibus*, Θεὸς ἐπάκριος appellatus eſt. Inde factum etiam, ut montes Deorum ſedes & habitacula crederentur: cum enim [b] *Mercurius* adoleſcentem ad ardui montis jugum perduxiſſet, eum his verbis affari fingitur, ἐπὶ τῆσδε τῆς κορυφῆς ὁ πατὴρ πάντων κάθηται τῶν Θεῶν *In illo vertice omnium Deorum pater ſedet.* Cum itaque montes altiores & eorum ſummitates Diis ethnicis jure quodam tribuerentur, inde fiat veriſimile, Deum montium altitudines ſibi ipſi diſerte vindicaſſe, ne quis locus errori tam craſſo relinqueretur. Nam *Pſalmiſta* תועפות הרים *culmina montium* ([c] τὰ ὕψη τῶν ὀρέων) *Dei ſolius eſſe* docet, nec Diis gentium (uti vulgi ferebat opinio) tribuenda.

(3°.) GENTES in monte plerunque ſacra peregerunt, quod ibi ſol, luna, ſydera, cœlique exercitus integer, paterent oculis, & eorum cultores numinum ſuorum aſpectu liberrimo fruerentur. Id ante alia curabant idololatræ veteres, ut ſacra facturi, numina ſua viderent, & ab iis viciſſim viderentur: montes itaque ſacris operandis locos aptiores exiſtimarunt, eo quod illic numina ſua cœleſtia videre, & ab iis videri poſſent; cum ibi nullum obſtaculum ſe medium interponeret.

(4°.) VERISIMILE eſt, ethnicos montes altiores locos rei divinæ præſtandæ magis aptos & opportunos exiſtimaſſe. Nam hujuſmodi locos, auguſta quædam ſolitudo, puritas & temperies aeris, cœli patens facies, grata varietas objectorum in oculos incurrentium, diſtantia a rerum civilium ſtrepitu, luci in montibus frequentes, aliaque multa, loca illa, tanquam ſacris aptiora, non parum commendarunt, & voluptatem haud exiguam cultoribus attulerunt. His addo, quod ethnici forſan ideo montes altiores ſacris agendis aptiores exiſtimarunt, quod a cœlo minus abeſſent, adeoque cœlum deumque cognatione quadam attingere viderentur. [d] Auctor modo dictus hac opinione tinctus exiſtimetur: cum enim *culmina montium* altiorum Jovis eſſe dixiſſet, continuo addit, [1] Ὀλύμπου καὶ Ἴδης, καὶ εἴ τι ἄλλο ὄρος πλησιάζει τῷ οὐρανῷ, *ut Olympi & Idæ, aut ſiquis præterea montium cœlo proximus eſt.*

De altaribus Gentium. DE primi generis excelſis ethnicis, montibus videlicet, eorumque rationibus ſatis in præſens dixiſſe videar. Ordo propoſitus id a me jam poſtulat, ut de claſſis alterius excelſis, & eorum rationibus ſermonem inſtituerem; altaribus nempe celſioribus, ad quorum apicem non niſi per gradus *plerumque* multos aſcendebatur. *Plerumque* dixi, nec immerito: quamvis enim altaria Gentilium pleraque vertice tam ſublimi donata fuerint, ut gradus altos ad aſcenſum poſtularent; certum eſt, eorum nonnulla verticem humiliorem & ad ſacerdotis modulum magis accommodatam habuiſſe, & nomen illud *excelſa*, non ſtructuræ ſuæ, ſed loci quo ſtabant, altitudini debuiſſe. Sortis hujuſce fuiſſe videntur illa, [e] *portarum*, [f] *tectorum*, [g] *montium* etiam nonnulla, in ſcriptis ſacris memorata; *excelſorum* etiam nomine donata, quod in ſummitate montium, portarum, aut tectorum erigerentur, & eorum ope in altum tollerentur. Interea loci, dubitare non ſinit hiſtoriæ fides, altarium ethnicorum pleraque, Diis præcipue ſuperis inſcripta, ſublimia fuiſſe, multiſque gradibus in altum ſurrexiſſe. Gentes olim hæc in uſu habuiſſe, probatum eſt [h] alibi, variis exemplis in medium adductis, quæ hiſtoria ſacra & profana mihi ſuppeditavit. Ne tamen hæc argumenti mei pars inculta cenſeatur, duo vel tria ſubjungam teſtimonia, quæ ſermoni meo de altaribus hiſce ſublimibus fidem & lucem afferant. Horum primum eſto [i] *Luciani*, qui, de *Alexandro* impoſtore verba faciens, ait eum, ſub ſpecie religionis, *ad altare quoddam excelſum aſcendiſſe.* *Pauſanias*, aram quandam Olympicam deſcribens, inter alia, hæc [k] habet, rei præſenti conſentanea, τὸ δὲ ὕψος τοῦ βωμοῦ τὸ σύμπαν ἐς δύο καὶ εἴκοσιν ἀνήκει πόδας. *Univerſa autem altaris altitudo pedes duos prope & viginti conficit.* Et, poſt pauca, ara Dianæ quadrangularis occurrit, ἀνιόντων ἠρέμα ἐς ὕψος. *Faſtigium paulatim in ſublime tollens.* Variæ vero rationes excogitari poſſunt, cur gentes altaribus (aut aris a terra pluri mum exaltatis) animos impenſius addixerunt. Harum prima ſit hæc:

a Vid. *Giſbert. Cuper. Apotheoſ. Homer.* p. 15, 16. b Apud *Julian.* c Lxx in *Pſal.* 95. 4. d *Max Tyr. Diſſert.* 38. ſub. init. e 2 *Reg.* 23. 8. f 2 *Reg.* 23. 12. g 2 *Par.* 21. 11. h Vid. Lib. 2. cap. 8. i Ἐπὶ βωμόν τινα ὑψηλὸν ἀναβὰς, &c. In *Pſeudomant.* p. 479. C k Lib. 5. p. 409. 410.

1 Ita legit *H. Stephanus*: alias, Ὀλυμπίου, καὶ Ἴδης.

(1°.)

(1°.) ALTARIA ſublimia montium vicem præſtabant, qui non raro deerant, & ſacris obeundis maxime convenire cenſebantur. Gentiles equidem, ſacra ſacturi, montem, utpote cœlo viciniorem, ante alia deſiderabant: at, monte deſtituti, aram non raro ſublimem & ingentem erigebant, quæ montem a natura formatum repræſentare, eoſque ad cœlum aliquatenus elevare poſſet. *Argonautæ*, hac cauſa moti, aram in littore ſublimem erexerunt; quod nempe nullus ibi mons eſſet, ubi ſacra magis decore celebrarent. [a] *Apollonius* facti teſtem ſe præbet, cum ait, SECT. III.

——τὰ δὲ ῥέξαντες οἷα πρέπει
Βωμὸν ἀνεστήσαντες ἐπάκτιον.——

Juſtaque ſolventes, in primo ſtruximus aram
Littore ſublimem.——

(2°.) GENTILES eorum altaria tam ſublimia ſtruxiſſe videntur, ut eorum dignitatem & religionem integram & intemeratam conſervarent. Cum enim altare caput inter nubila conderet, [b] ὑψίβηλον καὶ ἄβατον erat, nec illotis vulgi manibus aut pedibus facile violandum. Quin & altaris eminentia majeſtatem quandam ei conciliavit, religionem incuſſit intuentium animis, & ſtructuram illam non minus dignitate quam celſitudine quævis alia ſuperare tacite ſignificavit.

(3°.) GENTES excelſa hæc in pretio habuerunt, eo quod opinionem de duplici Deorum genere (*ſuperorum* & *inferorum*) aſtruere, eique patrocinium præſtare, viderentur. Nam altaria in altum elevata, multiſque gradibus inſtructa, Deos ſuperos eſſe, quorum cultui dicata ſunt, aperte docuerunt. Aræ vero depreſſæ, & vix terræ ſummitatem ſuperantes, Diis inferis ſolummodo convenire cenſebantur. Huc faciunt illa [c] *Scholiaſtis* in *Euripidem*: ἐσχάρα κυρίως μὲν ὁ ἐπὶ τῆς γῆς βόθρος, ἔνθα ἐναγίζουσι τοῖς κάτω ἐγχθονίοις· Βωμὸς δὲ, ἐν ᾧ θύουσι τοῖς ἐπουρανίοις θεοῖς. E regione, Deus, ut Iſraelitas a ſententia tam craſſa revocaret, inter eos nec βωμὸν nec ἐσχάραν, altare nec aram, toleravit, ſed [d] ipſius altare medium tenuit, ab ipſa terra tribus tantum cubitis elevatum. Adeo ut ipſum altare doctrinam illam vanitatis argueret, & populum *Moſis* verbis alloqui videretur. [e] *Scias hodie, & reducas ad cor tuum, quod Dominus, ipſe Deus in cælis deſuper, & ſuper terram deorſum, & non alius eſt.* Cum itaque Iſraelitæ Deo vero & ſacris ejus firmiter adhærerent, altare, [f] *ad exemplar altaris Domini* ſtructum propoſiti ſui teſtem ſtatuerunt: e contra, cum *Ahaz* a lege cultuque divino ad ethnicorum Deos & ritus deficere ſtatuiſſet; non minus formam quam cultum altaria Moſaici abdicavit, & altare [g] *ad ſimilitudinem altaris Damaſceni, & figuram ejus, & omne opus ejus*, extructum ſibi fieri curavit; ut altaris ſui figura cum Diis & ſacris quæ parabat alienis conſenſum coleret. Sed hæc forte cum re præſenti non multum conjuncta videantur.

SECT. III.

Cur Excelſa frequenter interdicta ſint, cum Deus ea quandoque toleraverit.

NON nemo forte mirabitur, *excelſa* ſæpius interdicta fuiſſe, cum hiſtoriæ ſacræ fide compertum ſit, reges, cætera pios, excelſa toleraſſe, & totam gentem, Deo connivente, ritus ſacros in iis exercuiſſe. Meum itaque in præſenti fuerit, primo, rationes aſſignare, cur excelſa toties inhibentur; dein, cauſas, cur reges aliqui, cætera pii, *excelſa* non aboleverint, ſed eorum uſum ad ſacra, Deo non ſtatim prohibente, toleraverint.

OB has autem rationes, quantum conjecturis aſſequor, excelſa ſæpe perſtricta ſunt & interdicta.

(1°.) NE Judæi, ſanctus Deo populus, mores gentium ſuſpectos & infames in ipſorum ritibus exprimerent, iiſque plus æquo ſeipſos conformarent. Multis teſtimoniis & exemplis evictum eſt antea, Gentes in excelſis montibus, aut aris in ſublime ſurgentibus, ritus eorum exercuiſſe. Hæc autem excelſa, & ſacra ibi præſtita, in ſuſpicionem & infamiam haud immerito veniebant; eo quod ethnici, ſacra ſua peracturi, Excelſa quare toties interdicta.

a *Rhodius* l. 2. *Argonautic.* v. 91. b *Scholiaſt.* in *Sophocl. Trach.* c In *Phœniſſ.* verſ. 281. d *Exod.* 27. 1. e *Deut.* 4. 39. f *Joſh.* 22. 28, 34. g 2 *Reg.* 16. 10, 11.

Sect. III.

ad excelſa ſe conferrent, ut ibi Deos eorum ſuperos (ſolem, lunam, ſydera) liberius intueri poſſent, & libidini & crapulæ ſecurius indulgere. Conſentaneum itaque fuit, ut Iſraelitæ a locis tam infamibus, & morum pravitate plerumque dehoneſtatis, abſtinerent; ne ipſorum religio inde maculam & infamiam contraheret, & ipſi gentium moribus adblaudiri, vel exemplis ſuis infirmos ad ritus cum excelſis-conjunctos allicere, viderentur.

(2°.) Deus *excelſa* vetuit, ut Iſraelitæ omnes ad unum altare conventus agerent, adeoque ſchiſmatis occaſio tolleretur. Deus [a] uno in loco, quem & eligeret ipſe, ſacra omnia præſtari juſſit, ne aliter locus aut ſacra ſententiis adverſis anſam præberet, & inde populus (ut fit) in partes diſſiliret. Cum itaque Jeroboamus intellexiſſet, e re ſua futurum ut Tribus in partes & ſtudia diverſa ſcinderentur; ille cultus locos, objecta, ſacerdotia, ritus, a receptis diverſos, excogitavit, & ipſius ſacra Hieroſolymitanis anteferre non dubitavit.

(3°.) Par *excelſa*, & ſacra in excelſis agi ſolita, lata porta ad idololatriam omneſque ritus profanos, pandebatur. Si quis ad Scripturas advertat animum, facile percipiat, idololatriam ſecum *excelſa* ſemper attuliſſe; & *excelſa* frequenter idololatriam: eaque, uti glacies & aqua, ſe mutuo genuiſſe. Ea cultum idololatricum frequentius induxiſſe, eumque tanquam comitem pene indiviſum habuiſſe, e locis hiſce luculenter innoteſcat; 2 *Reg.* 17. 9, 10, 11, 12. 2 *Chron.* 11. 15. *Jeſ.* 57. 7, 8. *Ezech.* 18. 15. 2 *Reg.* 21. 3, 4, 5. aliiſque non recenſendis. Neque hoc alicui cordato mirum videri poſſit: cum enim Iſraelitæ, Gentes imitandi ſtudio ducti, excelſa tenacius amplecterentur; conſentaneum eſt opinari, gentium etiam æmulationem eos ad ritus omnes cum excelſis conjungi ſolitos allicere voluiſſe. Cum itaque Deus mala ab excelſis oriunda facile prævideret, lege ſalubri, conventus omnes in excelſis inhibente populi Judaici ſimplicitatem benigne præmunivit.

Excelſa naturalia artificialia.

(4°.) Excelsa quædam, aræ ſcilicet in altum elevatæ, idololatriæ fuerunt individui comites, & minime fallacia documenta. Ut rationis hujuſce momenta clare percipiantur, monendum eſt obiter, duplicis generis excelſa, *naturalia* & *artificialia*, in gentium antiquiorum ſacris locum inveniſſe. *Naturalia* montes voco, quos ipſa natura vertice ſublimi donavit, quos etiam delubris, aris, aliiſque cultus inſtrumentis, frequenter inſtruxit ſuperſtitio: *artificialia* dico altaria minaci quaſi vertice cœlum intuentia, columnas altitudine præcellentes, aliaque ſimilia quæ humano tantum artificio principia debuerunt. Diſtinctio hæc eo diligentius obſervanda eſt, quod illius ope [b] loca illa duo ἐναντιοφανῆ, regem *Aſah* ſpectantia, facile conciliari poſſint. Eorum nempe primo, rex ille הבמות *excelſa de cunctis urbibus Jehuda removiſſe* fertur: loco tamen ſecundo diſerte dicitur, eum corde quidem perfecto fuiſſe, ſed הבמות *excelſa non abſtuliſſe*. Sed hæc diſtinctio nodum expedite ſolvit: apertum eſt enim locum primum de excelſis artificialibus, i. e. altaribus ſublimibus, hominum arte & opere fabrefactis, intelligendum eſſe: loquitur enim textus ille de *excelſis* quæ *in omnibus Juda urbibus* extructa ſunt; quæque *Aſa*, una cum lucis, imaginibus, aliiſque ſuperſtitionis objectis & inſtrumentis, e medio tuliſſe dicitur. At textus ille [c] *Regum* de excelſis naturalibus, ſenſu complexo ſumptis, interpretandus eſt, h. e. montibus uſui ſacro dicatis, una cum ſacerdotum ædibus, altaribus ibi ſtructis, aliiſque religionis inſtrumentis, nulla cultus idololatrici ſpecie dehoneſtatis. Hoc itaque pro nævo notatur in *Aſa*, quod iſtiuſmodi *excelſa* [d] tolerarit, ne forte populus, in ea plus æquo propenſus, a ſeipſo deficeret, ſi excelſorum uſum inhibuiſſet, & hac in parte ſtudiis eorum calidioribus obſtitiſſet. Excelſa vero artificialia, de quibus in præſenti ſermo eſt, ne toleravit *Aſa*; nec certe religione patria, populi ſalute, vel honore proprio, ſalvis & intemeratis tolerare potuit. Cum enim excelſa illa columnarum craſſiorum & altiorum ſpeciem gererent, adeoque radii ſolaris imaginem quandam rudiorem exprimerent; eorum ſpecies & figuræ ſatis indicarunt, altaria illa ſoli dicata fuiſſe, & illius (aut aliorum forte ſyderum) cultui conſecrata. Sed his omnibus, jam dicenda lucem paulo clariorem accommodabunt.

(5°.) Excelsa modo dicta, vel altaria ſublimia graduum multorum ope ſcandenda, principium ab *Ægypti* moribus acceperunt, & idololatriæ Ægyptiacæ patrocinium præbuerunt. Ut huic rationi ſua conſtet veritas, nonnulla de excelſis Ægyptiacis, aut altaribus eorum gradatis, in tranſitu prælibanda ſunt. Ea vero lectori deſcripta exhibe-

a *Deut.* 12. 5, 6, 7, 8. b 2 *Chron.* 14. 5. 1 *Reg.* 15. 14. c 1 *Reg.* 15. 14. d 2 *Chronic.* 15. 17.

bo,

bo, [a] *Kircheri* verbis, morum Ægyptiorum callentiſſimi. *Cum Ægyptus humilis eſſet, & montibus careret, loco montium adinvenerunt excelſa Pyramidum & Obeliſcorum, quas proprio nomine appellabant* niſtellos niptha, *hoc eſt*, Deorum columnas ſeu aras; *ad quas per gradus aſcendebatur, intuſque extuſque plena erant omnigena idolorum varietate.* -- *Audiamus* Abenephium *id manifeſtis verbis, cum de Obeliſcis loquitur, oſtendentem:* ſtatuerunt ſacerdotes Ægypti hoſce lapides elevatos & excelſos in figuram coni ſeu pyramidis faſtigioſæ, & incidebant in iis literis ſymbolicis arcana ſapientiæ ſuæ, & nominabant eas מרבחאת אדלההם altaria Deorum ſuorum. *Huic aſtipulatur Jamblicus, qui Platonem de columnis ſeu aris Mercurii,* -- *ſcientiam ſuam hauſiſſe ait; hoc eſt, rationem cultus Deorum, & arcana Theologia, quæ fieri ſolebant circa hujuſmodi pyramides, aut etiam in iis ſcripta legebantur.* His *accedit, quod poeta paſſim pyramides Ægyptiorum vocent aras, juxta illud* Lucani, *de ritu Ægyptiorum agentis:*

Votaque pyramidum celſas ſolvuntur ad aras.

SECT. III.

Cum itaque columnæ, fana, aræ inſuper excelſæ, inter Ægyptios, eorumque ſacra, uſum tam frequentem obtinuerint; veriſimile eſt Hebræos, ab Ægyptiis edoctos, delubra & altaria ſublimi vertice conſpicua, frequenter erexiſſe, iiſque nomina במות i.e. *excelſorum* & *columnarum altiorum* impoſuiſſe. Atque hæc omnia fide digniora cenſeantur, quod Scripturæ ſimul & Græcorum verſioni conſentanea ſint, & multis in utraque locis lucem haud exiguam præbeant. Veritatis hujus aſſerendæ cauſa, locos aliquos, hactenus obſcuros, in medium proferam. Ex iis primus ſit lex ea Iſraelitis, Ægypto nuper egreſſis, data, qua cautum eſt, [b] *ne ad altare* Dei במעלות *per gradus* [c] *altos aſcenderetur.* Quid enim Deus hanc legem, eo rerum articulo promulgaret, niſi quod inter Ægyptios altaria, gradibus altis inſignia, in uſu frequenti verſarentur, & Hebræorum animis, ex incolatus Ægyptiaci memoria, altius inhærerent? Locus proximus, e jam dictis illuſtrandus, occurrit *Levit.* 26. 30. *Abolebo* במתיכם *excelſa veſtra, & ſuccidam* חמניכם *ſolaria veſtra.* Hic enim *excelſa* voce במות intelligenda, erant altaria (quæ dixi) ſublimia ad modum pyramidum obtuſiorum, quas in Ægypto viderant Iſraelitæ, fabrefacta; חמנים autem obeliſci vel pyramides acuminatæ, radii ſolaris imitamina, quarum etiam exemplaria ſæpius in *Ægypto* contemplati fuerant. Hac de cauſa ſimul conjuncta ſunt, & *veſtra* appellantur. Hinc etiam cauſa data Græcis interpretibus, ut במות (præter morem eorum) [d] hic στήλας *columnas* reddant; quod nempe στήλαι vel columnæ craſſiores eſſent, adeoque cum altaribus aut columnis Ægyptiorum re & nomine convenirent. Nam Ægyptiorum pyramis obtuſa, vel ara præcelſa, non male *Piſtellos excelſum* aut *columna præcelſa*, [e] lingua Ægyptiorum, appellata eſt; quod ſcilicet altaris uſum præſtaret, & columnæ craſſioris figuram gereret. Eadem ratione moti, Lxx vocem במות licet altaria præcelſa denotet, alibi per στήλας *columnas* verterint. Nempe *Numer.* 22. 41. ubi במות בעל Lxx τὴν στήλην τοῦ Βαὰλ interpretantur; & *Numer.* 33. 52. ubi כל במותם *omnia excelſa eorum*, πάσας τὰς στήλας αὐτῶν reddunt: quod ſcilicet altaria, per במות intelligenda in ſublime ſtruerentur, & columnas illas altas & craſſas, in Ægypto frequentes, imitari viderentur. Quamvis autem hæc omnia non obſcure probent, altaria præcelſa originem Ægyptiam habuiſſe; unum tamen aliud e verſione Græca ſubjungam teſtimonium, quod neminem hac de re vel dubitare patietur. Occurrit autem *Hoſ.* 10. com. 8. quod ſic vertunt, aut explicant, Lxx; Καὶ ἐξαρθήσονται βωμοὶ Ὢν, ἁμαρτήματα τοῦ Ἰσραήλ, ἄκανθαι καὶ τρίβολοι ἀναβήσονται ἐπὶ τὰ θυσιαστήρια αὐτῶν. Ubi clarum eſt, במות *Ægypti* quidem vel [f] *Heliopolis* Excelſa fuiſſe, *peccata* licet *Iſraelis*, qui veſtigiis Ægyptiorum inſiſtebant: nec minus inde pateat, voce במות eorum θυσιαστήρια vel altaria denotari. Cum itaque jam dicta fidem faciant, altaria multis gradibus inſtructa originem ab *Ægypto* derivaſſe; ſapienter interdicta ſunt, ne eorum uſus *Ægypti* moribus patrocinium præſtaret, & cultui Solari portam aperiret.

Causæ jam reſtant expediendæ, cur *Judices*, & *reges* aliqui, cætera pii, *excelſa* non aboleverint; ſed eorum uſum ad ſacra, Deo non ſtatim prohibente, [g] toleraverint? Hebræorum res ita paratas fuiſſe, *Judicum* & *regum* longe plurimorum tempore, neminem fugit, qui ſacram hiſtoriam vel curſim pertranſivit. Hinc anſa data [h] *S. Auguſtini* verbis: *Deus conſuetudinem populi ſui, qua præter ejus tabernaculum, tamen non*

Quare Deus Excelſa quædam toleravit.

a *Oedip. Ægypt.* Tom. 1. p. 309. b *Exod.* 20. 26. c Ἐν ἀναβαθμοῖς. Lxx. d Ἐρημώσω τὰς στήλας ὑμῶν. Lxx, in *Lev.* 26. 30. e Vid. *Kircher. Onomaſtic. Copt.* p. 434. f Nam Ὢν redditur Ἡλιούπολις. *Gen.* 46. 20. Urbs *Ægypti* magnitudine, cultu ſolis & Excelſorum frequentia celebris. g Vid. 1 *Sam.* 9. 13. & cap. 10. 5. 1 *Reg.* 3. 4. & cap. 22. 43. h In Lib. *Judic.* Quæſt. 36. T. 3. p. 1. col. 605.

Diis

Sect. III. *Diis alienis offerebant, ſed Domino Deo ſuo, ſuſtinebat potius quam vetabat, etiam ſic exaudiens offerentes.* Non nemini vero res inopinata videatur, Deum pioſque reges *excelſa* tam diu *ſuſtinere* voluiſſe; cum *Pſalmiſta* doceat, *excelſa* Deum *ad* [a] *iram provocaſſe*, & *Propheta*, [b] τοῖς βουνοῖς *altaria præcelſa* populum *ad peccatum* irritaſſe, referat.

Rei hujuſce tres cauſæ, ſed falſo, ſolent aſſignari: (1°.) Nonnulli ſentiunt, Deum, Judices, & reges aliquos pietate præſtantes, *excelſa* toleraſſe, quod templum (ſacrorum omnium centrum) non niſi Salomone regnante conderetur. Atque huic rationi fidem e Scriptura petunt, viz. 1 *Reg.* 3. 2. *Attamen populus immolabat in Excelſis, quia domus non erat ædificata nomini Domini uſque ad dies illos*, nempe Salomonis. At hæc ratio lectori paulo cautiori minime ſatisfaciet, quod liquidum ſit, populum, diu poſt templum conditum, & ad exeuntis pene regni Judaici tempora, in excelſis immolaſſe. (2°.) Sentiunt alii, reges aliquos ad excelſa prudentes conniviſſe, ne populum pervicacem & excelſis addictiorem irritarent, ſi excelſis eorum deſideratiſſimis obſtitiſſent, eoſque ad emendatioris vitæ cultuſque rationem revocaſſent. At nec ratio illa quicquam præter ſpeciem habet: conſtat enim, populum Iſraeliticum ſe quiete geſſiſſe, & regum ſuorum voluntati ſe morigeros præbuiſſe, cum [c] *Aſa*, [d] *Jehoſaphat*, [e] *Amaziah*, [f] *Ahazariah*, eorum ſimulacra, lucos, ſtatuas, & excelſa quædam abrogarint; neque rebus novandis animos appuliſſe, cum *Hezekiah* & *Joſiah* excelſorum omnium conſuetudinem prorſus aboleverint. (3°.) Alii excelſa, & ſacra in iis oblata, tolerata ſentiunt, quod nuſquam in lege vetita reperiantur. At nec ratio illa aſſis unius æſtimari poteſt, cum in aperto ſit, Legem [g] altaria excelſa diſerte vetuiſſe, & populum ad ſacra, in [h] loco divinitus electo, offerenda devinxiſſe.

Cum rationes modo dictæ minime ſatisfaciant, in earum locum tres aliæ ſufficiendæ ſunt. *Primo* itaque, Deus excelſa & cultum ibi celebratum diu toleravit, quod hujuſmodi religionem Patrum antiquiorum exempla non parum ſuadere & commendare viderentur. Nam *Abrahamus* aram in monte Domino [i] ſacraſſe dicitur, &, ut rite filium ejus offerret, ad [k] montem Moriæ ſe contuliſſe. De Moſe & populo prædictum eſt, *Exod.* 3. 12. eos in *monte* cultum & ſacra Domino peracturos. Samuel ſacrificaturus ad [l] Excelſum, id eſt, altare vel delubrum in monte ſitum, aſcendiſſe fertur. Salomon ſe ad [m] Excelſum in *Gibeon* contulit, ſacra celebrandi zelo ductus. Cum hoc Patrum uſu conſenſum colit illa de *Zabulon* [n] prophetia, *populus ad montem vocabunt, ibi ſacrificabunt ſacrificia juſtitiæ.* Ad hunc morem alluſum eſt, *Johan.* 4. 20. ubi de *Gerizim* fit ſermo, *patres noſtri adoraverunt in iſto monte.* Cum itaque Patrum antiquiorum exempla cultum in monte peractum non parum commendarent, veriſimile eſt Deum hujuſmodi cultum diu ſuſtinuiſſe, ne Patrum exempla vileſcerent apud populum, & Iſraelitæ primorum Dei cultorum ritus & inſtituta minoris æſtimarent. *Secundo:* excelſa naturalia, una cum ſacris ibi præſtitis, abſolute & per ſe ſpectata, nil mali continuerunt. Hujuſmodi cultus malus erat, cum homines mali, & mores ethnicos ſecum afferentes, illum exercuerint. Tunc enim additamenta quædam apocrypha, βωμοὶ nempe, luci, ſtatuæ, Veneris exercitia, luxus & libido, fœdarunt omnia, & ipſum *excelſorum* (i. e. montium) nomen bonis omnibus exoſum reddiderunt. Cum autem, ineptiis illis excluſis cultus partes in excelſis peractæ nullius mali ſpeciem præ ſe ferrent; veriſimile eſt reges, pietate licet inſignes, *excelſorum* uſum pertinacis populi ſtudiis diutius indulſiſſe. *Tertio:* ſcopus Legis is erat, ut ritus omnes noviter inductos, & Patrum inſtitutis adhærentes, aboleret, & omnia (qua licuit) ad ſimplicitatem Patriarchalem revocaret. Hoc obſervatum eſt alibi, & exemplis abunde confirmatum. Cum itaque Patrum ætate ſacra pleraque in excelſis agerentur, veriſimile eſt pios reges ea toleraſſe, quoad *additamenta* quæ dixi rejicerent Iſraelitæ, & curarent ſacerdotes ut omnia ad Patrum antiquiorum uſum & modulum componerentur: nam hac in re, factorum præfecti Legis διάνοιαν, pluſquam τὸ ῥητὸν curaſſe videantur.

Quamvis autem Deus, & pii rerum Judaicarum moderatores, rationibus modo dictis inducti, excelſa *naturalia* (vel montes altari & ædibus ſacris inſtructos) diu tolerarent; obſervandum eſt, eos excelſa *artificialia* [vel altaria præcelſa] prorſus averſari ſolitos, & e medio tollere. Huic aſſertioni fidem aſtruit exemplum *Aſa*, qui ex-

a *Pſal.* 78. 58. b Ἀφ' ὧ οἱ βουνοὶ, ἥμαρτεν Ἰσραήλ· LXX in *Hoſ.* 10. 9. c 1 *Reg.* 15. 14. d 1 *Reg.* 22. 43. e 2 *Reg.* 14. 4. f 2 *Reg.* 15. 4. g *Exod.* 20. 26. h *Deut.* 12. 14. i *Geneſ.* 12. 8. k *Geneſ.* 22. 2. l 1 *Sam.* 9. 13. m 1 *Reg.* 3. 4. n *Deut.* 33. 19.

celſis

celſis quæ dixi naturalibus veniam dedit, ſed artificialia [vel altaria columnarum altiorum ſormas imitanria] *Juda civitatibus* exterminavit. Id luculenrer apparear, ſi cap. 14. 2 *Chronicorum* v. 5. & ejuſdem libri cap. 15. 17. una conferantur. Id diſcriminis ipſe *Balaam* multa cum religione viderur obſervaſſe: quamvis enim, ſacra facturus, ad [a] montem præcelſum ſe conferre non dubiraret, altaribus ramen in monte ſtructis, במות בעל appellatis, uti recuſavit, & alraria de inregro ſacta, ad ſacra quæ parabat offerenda, ſibi [b] poſtulavit; quod ſcilicet altaria illa columnarum altiorum formam gererenr, & ipſa eorum figura ea *Baalis* cultui dicata ſatis indicaret. Hiſce fidei oon parum conciliat [c] Græcotum verſio, qui במות בעל *στήλην τῦ Βααλ* inrerpretaotur. Sect. IV.

S E C T. IV.

Cauſa cur Iſraelita Excelſa diu retinuerunt.

ISRAELITIS *excelſis*, ſæpe licet interdictis, pertinaciter adhæſiſſe, eaque ad expiranris peoe regni Judaici rempora arcte retinuiſſe, neminem later qui ver. Teſtamenti ſeripta vel a limine ſalutavir. Id iraque proximo dicendum venit, cur populus ille tanti fecerir *excelſa*, ut ſacra nulla, niſi in excelſo celebrara, Deo grata crederet; iiſque tam tenaciter adhæſerir, ut inde vix nulla machina dimoveri potuerit? Moris & ingenii ram præſracti rationes ſequentes aſſignari poſſunt.

(1°.) Majorum ſuorum, pierare præcellentium exempla, ſacra in excelſo facta non parum commendabant. Eorum aurem majores, ſacris inrentos, ad montium juga ſe conſerre ſolitos, fidem ſatis amplam ſaciunr ea quæ anre paginam unam & alreram produxi reſtimonia. Illi vero loca celſiora ſacris offerendis aptiſſima cenſuere, ſorre quod conſenſum cum ipſo Deo colere videbantur; [d] [x] *cujus habitatio in excelſis eſt*, & qui עליון [e] *excelſus ille*, a *Patribus Phœnicibus*, aliis, tanquam nomine peculiari, dicebatur. Atque ratio illa fidei nonnihil aceipiar a conſenraneo [f] *Melanthis* teſtimonio: *πᾶν δὲ ὄρος τῦ Διὸς ὄρος ὀνομάζεται, ἐπεὶ ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς ὑψίςῳ ὄντι τῷ Θεῷ ἐν ὕψει θυσίας ποιεῖσθαι.* Quæ ſic verto: *mons autem omnis* Jovis *appellatur, eo quod Antiquis id moris eſſet, ut cum Deus altiſſimus exiſtat, ei in loco ſublimi ſacrificarent.* Cum itaque Patres Hebræorum in ſummis montibus altaria cooſtituerent, & ſacris officiis ibi ſungerenrur; nil mirum ſi & illi [g] Patrum veſtigia premerenr, & ab Excelſis non niſi difficili opera divellerenrur. Hoc enim in hiſtoria proclive eſt obſervare, genres pleraſque, religionis omnia, quæ in more majnrum erant, arcte renuiſſe. Quare Iſraelitæ Excelſa tanti fecerunt.

(2°.) Non majorum ſolummodo, ſed etiam gentium omnium, in excelſis immolanrium, exempla multum apud Hebræos valuerunt, & eorum affectus *excelſis* arcte devinxerunt. Gentes omnes excelſa captaſſe, & eo ad rem divinam faciendam confluxiſſe, fidem indubitaram ſaciunt, [h] *Herodotus*, [i] *Pauſanias*, [k] *Bochartus*, [l] *Godvinus*, [m] *Dougtheius*, & alii, a quibus hic dicendi campus ita trirus eſt, ut nil novi præbeat. Hinc anſa data [n] viri ſumme docti conjecturæ: *montium juga & cacumina ſignificant, ethnicorum, idololatrarum & ſuperſtitioſorum delubra, fana, cultus idololatricos, religionem ſeu potius ſuperſtitionem paganicam; quia in jugis montium & collium cacumine, erigebantur ab ipſis ara & altaria, & exſtruebantur delubra*, (vid. Deut. 12. 2.) *uti Jovi Olympio in monte Olympo, & Apollini Clario in inſula Delo, Jovi Capitolino Roma in Capitolio.* Cum itaque Gentes e vicinia locos alriores ſaeris operandis magis opportunos exiſtimarent, & eo, ſacra peracturæ, confluere ſolerent; nil mirum eſt Iſraelitas excelſis conſtanrius adhæſiſſe, cum populus ille [o] gentium mores æmulis oculis intueri ſoleret, & eorum ritus, montanos inprimis, impenſe deſiderare. Ab hoc ſonre, gentium ſcilicet æmulatione, Scriptura ſacra videtur *excelſorum* ſtudium derivare. 2 *Reg.* 17. 11. *E thus obtulerunt in omnibus Excelſis, ſicut gentes quas tranſtulerat Dominus a facie eorum* 2 *Reg.* 21. 2, 3. *Fecitque malum* Menaſſeh *in oculis Domini, juxta abominationes gentium: -- uam adificavit Excelſa, quaperdiderat Hezebiah*, &c.

(3°.) Montium ſuavitates & deliciæ, ad rudem populum ineſcandum, & ad locos illos altiores alliciendum, non parum virruris habuiſſe videantur. Montes, Ju-

a *Numer.* 22. 41. b *Numer.* 23. 1. c Vid. Lxx in *Numer.* 22. 41. d *Pſal.* 113. 5. e Vid. *Jeſ.* 57. 15. f Lib. de *Sacrif.* g *Exec.* 20. 30. h Lib. 1. c. 131. i In *Arcad.* Lib. 8. c. 38. p. 679. k In *Phaleg.* p. 397. l *Antiq. Judaic.* Lib. 2. cap. 4. m *Analect. ſacr.* P. 1. *Excurſ.* 61. n *Lud. Cappel. Annot.* in *Mich.* cap. 4. v. 1. o *Exec.* 20. 32.

x המגביהי לשבת *qui exaltat habitaculum.*

SECT. V. dææ præcipue, varia deliciarum genera commendaſſe, *Sectione* ſecunda fuſius obſervatum eſt. Eos autem apud Hebræorum plebem multum valuiſſe, eoſque ad locos altiores fortiter attraxiſſe, vel inde conjicere liceat, quod montium altiorum amænitates, & arborum virentium deliciæ, ſæpius in [a] Scriptura conjunctim occurrant, & tanquam ἐνδόσιμα malorum irritamenta memorentur.

(4°.) Populus Iſraeliticus ad idololatriam, ejuſque ſigna & inſtrumenta more ſeculi recepta; zelo præcipiti & ſtudio invincibili ferebatur. Hic hiſtoriæ ſacræ fidem appellare licet: ſi quis enim temporum monumenta curate perlegat, facile percipiat, idololatriam & hypocriſin non minus Judæorum, quam ſuperſtitionem & atheiſmum Chriſtianorum mores infeciſſe. Cum itaque populus Iſraeliticus ad idololatriam vehementius inclinarent, facile credi poteſt eos etiam *excelſa* propenſis affectibus accepiſſe, cum *excelſa* & *idololatria* cognatione propiore ſibi mutuo conjungerentur. *Excelſa* nempe varios idololatriæ comites & indicia (lucos βωμοὺς, imagines, columnas, & alia ſenſus ejuſdem) plerumque ſecum attulerunt. Hiſtoria ſacra veritati huic loco non uno teſtimonium perhibet: nempe 2 *Reg.* 17. 9, 10, 11. *Ædificaverunt ſibi excelſa in cunctis urbibus ſuis, --feceruntque ſtatuas & lucos in omni colle ſublimi, ſubter omne lignum nemoroſum, & ibi adolebant incenſum in excelſis omnibus, ad morem gentium quas ſuſtulerat Dominus a facie eorum.* Huic loco cognatione propinqua jungitur ille quo populus [b] *ædificaſſe* dicitur *excelſa, & ſtatuas, & lucos, ſuper omnem collem excelſum, & ſubter omnem arborem frondoſam.* Ad alia jam dictis affinia [c] Scripturæ loca, digitum ſufficiat intendiſſe. Cum itaque inter excelſa & idola tanta conjunctio intercederet, *Pſalmiſta*, de *excelſis* tanquam omnis mali compendiis agens, ait: Ea [d] *Deum ad iram irritaſſe*, licet (abſolute ſpectata) criminis expertia, nec mali quicquam continerent.

Judæi ſacris operaturi, rationibus modo redditis inducti, ſeſe ad *excelſa* ſæpiſſime contulerunt. Aliæ reddi poſſent, ſi in re tam antiqua, & mihi non multum cognita, divinare liceret.

SECT. V.

Corollaria quædam e jam dictis oriunda ſubnectuntur.

Corollaria quædam.

UT lux eo clarior tori accedat argumento, clauſulæ vice, quædam e jam dictis oriunda ſubjungam corollaria.

Ex iis hoc primas habeat: *Bamoth* aut *excelſa* non ſunt in omnibus Scripturæ locis de altaribus intelligenda. Plerique ſentiunt, altaria, i. e. aras in altum elevatas, aut in monte ſtructas, τὸ *Bamoth* interpretari. Sic animos induxerunt interpretes *Anglicani*, qui locum illum [e] *Pſalmiſtæ* ubi *Bamoth* occurrit, ſic vertendum cenſuerunt: *For they grieved him vvith their hill altars.* At e jam dictis clare ſatis intelligitur, hanc vocem varios ſignificatus admittere, & quandoque montes, nonnunquam altaria celſiora, nunc diverſum ab iis denotare. Sed ad hanc ſententiam labefactandam valere debet ipſa Græcorum verſio, qua excelſum & altare clare quandoque diſtinguuntur. V. gr. 2 *Reg.* 23. 15. Θυσιαστήριον τὸ ἐν Βαιθὴλ τὸ ὑψηλὸν, — καὶ — τὸ ὑψηλὸν κατέσκαψε. 2 *Paral.* 14. 3. ἀπέστησε τὰ θυσιαστήρια, — καὶ τὰ ὑψηλά. 2 *Paral.* 33. 12. καθεῖλε τὰ θυσιαστήρια, καὶ τὰ ὑψηλὰ αὐτῶ. Nec minus aperte *Bamoth* a collibus quandoque diſcernuntur. viz. 2 *Reg.* 16. 4. *Ezec.* 6. 3, 4, 6. & 2 *Reg.* 17. 10, 11. & alibi paſſim.

Secundo: interpretes noſtri *Anglicani* a ſenſu *Bamoth* aberrant maxime, qui eam *high places* (locos excelſos) pene ſemper interpretantur. Atque hac in re [f] *Heſychium* ſecuti videntur, qui βωμοὺς per λόφους reddit, & λόφος per ὑψηλὸς τόπος explicat. Hic autem a Lxx longe receſſere, qui במה & במות ὑψηλὰ ſæpiſſime, nonnunquam ὕψη & βωμοὺς, nunquam autem ὑψηλοὺς τόπους, interpretantur. Lxx nempe non uno eodemque modo vocem במות vertunt, ſed ei ſenſum aſſignant cum præſenti loco & contextu maxime conſentientem. Ad hanc normam, eorum verſionem dirigentes, locum [g] illum *Jeremiæ*, ſic apte & contextui conſentanee, reddidere; Καὶ ᾠκοδόμησαν τὸν βωμὸν τῶ Τοφὲθ, quem noſtri ſic abſurde vertunt, *And they have built the high places of*

a 2 *Reg.* 16. 4. *Deut.* 12. 2. *Jer.* 3. 6. 2 *Reg.* 17. 10. *Ezec.* 20. 28. b 1 *Reg.* 14. 23. c 2 *Reg.* 21. 3, 4. 2 *Reg.* 33. 5. 2 *Paral.* 34. 3, 4. d *Pſal.* 78. 58. e *Pſal.* 78. 53. f Vid. *Heſyc.* in Βωμοὺς & Λόφος. g Cap. 7. v. 31.

Tophet,

Tophet, *vvhich* [*is*] *in the valley of the ſon of Hinnom*; quaſi quis locos excelſos in valle reperturus ſit. Sed dandum eſt aliquid interpretibus optimis, & non niſi honore præfato nominandis. CAP. XXIV.

Tertio: at vero non minus aberrant illi, qui *excelſa* omnia, licet ipſi Deo ſacrata, dæmonis fuiſſe ſentiunt, adeoque Deum ab iis omnibus pariter abhorruiſſe. Non paucos ea ſententia fuiſſe *Procopii* ſeculo, pateat e ſcholiis [a] ejus in *Regum* libros, ubi hæc habentur; Οὐ μόνον τὰ τεμένη τῶν δαιμόνων ὀνομάζουσιν ὑψηλὰ, ἀλλὰ καὶ τὰ τῷ Θεῷ τῶν ὅλων ἐν τοῖς ὑψηλοῖς τόποις ἀφιδρυμένα θυσιαστήρια· i. e. *Non ſolum delubra dæmonum vocant* excelſa, *ſed etiam altaria, in excelſis locis Deo omnium conditori conſecrata.* Hujus autem ſententiæ patronos veri limites excedere, non facile dubitandum eſt: nam e ſuperius adductis innoteſcat, multos in excelſis, Templo nondum condito, cultum Deo gratum præſtitiſſe: multos etiam, Templi primi tempore, ſacra in excelſo, Deo non plane recuſante, celebraſſe; licet, hac in re, legis ſuæ præſcriptum ad amuſſim non obſervarint. Sed altaria multis gradibus aſcendenda, & in altum elevata, valle aut monte ſtructa, excelſa dæmoni ſacrata, & cultus profani ſigna, adeoque Deo ſemper odioſa, habebantur. Montes etiam, aris hiſce ſublimibus, lucis, ſtatuis, delubris, & affinibus idololatriæ monumentis inſtructi, excelſa fuerunt, quæ *Deum* ſemper *ad iram provocarunt*, & nullam unquam gratiam aut veniam apud eum invenerunt. Ad illa tam diverſi generis *excelſa*, LXX forte reſpectum habent, 1 *Reg.* 3. nam verſu ſecundo, ubi de rudi plebe ſit ſermo, illi ἐπὶ τοῖς ὑψηλοῖς, *ſuper excelſa*, altaria ſcilicet in ſublime ſtructa, ſacrificaſſe dicuntur; at verſ. 3. Salomon ἐν τοῖς ὑψηλοῖς *in excelſis*, montibus nempe vicinis Hieroſolymæ, id officii ſacri peregiſſe fertur.

Quarto: e modo dictis cauſa non difficulter intelligenda eſt, cur *Syri* cum *Iſraelitis* pugnaturi, Deos, eorum adjutores, non vallium ſed montium incolas, adeoque montes omni ſtudio vitandos, opinati ſint. Nempe *Syri* probe norant, Iſraelitas Deum aut Deos in excelſis, (i. e. [b] montium aut tectorum ſummitatibus) plerunque coluiſſe; & altaria, templa, lucos, imagines, & alia religioni miniſtrantia ibi creberrima ſtatuiſſe. Hinc anſam ſuſpicioni datam credebant *Syri*, Hebræorum Deos montes incolere, iiſque prælium inituris opem præſtare velle, ſi cum iis manus conferrent in montibus, ubi Iſraelitæ munia ſacra peragere, Deoſque ſuos omni cultus genere demereri, ſolebant.

Jam partes omnes inſtituti præſentis impleviſſe, iiſque lumen haud exiguum attuliſſe videar. Totum forſan argumentum magis perſpicuum & evolutum reddidiſſem, ſi Tempus edax librum illum *Ammoni* περὶ βωμῶν καὶ θυσιῶν, *de altaribus & ſacrificiis*, ab [c] *Harpocratione* memoratum, non devoraſſet.

CAP. XXIV.

Exercitatio de Tyriorum Gammadim, *in* Ezechielis *prophetia memoratis, quæ materiæ cognatæ gratia* Diſſertationi *ſuperiori jungitur.*

PRÆFATIO.

INTER alia multa *Tyri* gloriæ & potentiæ plane ſingularis argumenta, apud *Ezechielem* Prophetam memorata, ſic viros eorum, virtute militari præcellentes, deſcriptos [d] exhibet; *Paras, & Lud, & Put, fuerunt in exercitu tuo, bellatores tui: ſcutum & galeam ſuſpenderunt in te. Filii Arvad cum exercitu tuo ſuper muros tuos undique:* וגמדים במגדלותיך היו *& Gammadim fuerunt in turribus tuis.* Hi *Gammadim* Tyriorum tot incertis (ne dicam ridiculis) conjecturis, interpretationibus pugnantibus, & opinionum divortiis, inter claſſis ſuperioris eruditos occaſionem præbuerunt, ut quod [e] *Xenophon* de exercitiis quibuſdam juvenilibus aſſerit, de *Gammadim* illis uſurpari poſſit; τοῖς μὲν τοι ἀρίστοις οἱ ἀγῶνες ἔσται πρὸς ἀλλήλους καὶ ἔριδας καὶ φιλονεικίας ἐνέβαλλον· Ut autem tenebris hiſce lucis aliquid afferatur, & ſermo meus ordinate diſponatur; curabo ut quæ jam dicenda ſunt, intra lineas & limites hoſce contineantur.

Primo: nonnulla de ſenſu *Grammaticali* & genuino vocabuli *Gammadim* ſunt prælibanda.

Secundo: doctorum ſententiæ maxime celebres brevi examini ſubjiciendæ ſunt.

a In 4 *Reg.* Cap. 18. pag. 321. b *Hoſ.* 4. 13. *Jerem.* 3. 6. *Zephan.* 1. 5. c In voc. Ἀμμαζίνειν.
d Cap. 27. 10, 11. e *Pæd.* 8.

Sect. I. Tertio : ſententia quæ minus abeſſe videtur a veritate, proporenda eſt, & ratione confirmanda.

Sect. II. Quarto : præcipua ſententiæ meæ obſtacula dē medio removenda ſunt.

SECT. I.

De ſenſu Grammaticali vocabuli Gammadim *nonnulla prælibantur.*

Senſus Grammaticalis vocis Gammadim.

CUM *Gammadim* hiſce tam infeliciter actum eſt, ut interpretes non minus de voce, quam re ipſa, diverſa ſentiant, & in partes abeant.

Nam (1°.) *Chaldæus* exiſtimaſſe videtur hunc locum in mendo cubare, & vocem hanc, non גמרים ſed גפרים litera ſecunda mutata, legendam eſſe: nam *Targum* hic קפוטקאי *Cappadoces* habet, quaſi גפרים legerat, aut legendum ſenſerat. At religioni non bene conſultum erit, ſi difficultate quavis oblata, Scripturam corruptelæ arguere, eique Criticos ungues admovere liceat. Deinde, nuſquam legimus, *Cappadoces* virtute bellica ſic inclaruiſſe, ut inde probabile fiat Tyrios olim exiſtimaſſe, turres eorum vix in tuto futuras, niſi curam & tutelam earum Cappadocum genti demandarent.

(2°.) Symmachus olim, *Hieronymo* teſte גמרים vocem compoſitam eſſe judicavit, eamque tanquam גם מרים i. e. *etiam Medi*, dictionibus plane diviſis, transferendam. Atque huic opinioni nonnihil præſidii præbere creditur *dageſch* illud forte quo מ afficitur in principio vocis. Quoniam autem ejuſmodi compoſitio rarius occurrat in Originali, & *Medorum* mentio hic loco alieno fieret, cum *Perſis* potius, verſu ſuperiore memoratis, quam cum *Arvadæis*, conjungenda; cum etiam pauci ſint e doctorum ſenatu, qui *Symmachi* verſionem calculos ſuos mereri cenſuerunt; ei lectionem vulgo receptam non immerito præferendam ſentio.

(3°.) Sententia quæ paſſim inter doctos obtinet, ea eſt, quod nempe גמרים vox ſimplex ſit, a גמר *cubitus* ortum habens, & *cubitos* aut *viros ſtaturæ cubitalis* indicans. Docti ſignificationem & originem illam voci *Gammadim* aſſerendam ſentiunt, non una ratione moti: ratio princeps eſt, quod גמרים & גמר ſono & literarum radicalium ſimilitudine convenire pateat; & גמר *cubitum* notare dubitari nequeat, cum LXX vocem eam σπιθαμὴν, Verſio Vetus *palmam*, Kimchius *cubitum*, & Aquila πυγμὴν, *Judic.* 3. 16. verterint. Eſt autem πυγμὴ [docente [a] *Polluce*] ſpatium a cubito ad digitos in pugnum contractos & compreſſos; adeo ut aliquanto brevior eſſet quam πῆχυς, *cubitum legale* notans, & longitudine ſex palmos contineret. Hæc omnia facile refutari (uti & facile confirmari) nequeunt, cum גמר & גמרים ſint e [b] vocum earum numero quæ ſemel tantum in Scriptura reperiantur.

SECT. II.

Sententiæ maxime celebres, de perſonis per Gammadim *intelligendis, examini ſubjiciuntur.*

Sententiæ variæ de Gammadim.

CUM e ſermone præcedente, ſenſus vocabuli *Gammadim* paulo clarior evadat; in rem ipſam proximo, quam vox illa deſignat, diligenter inquirendum eſt. Hic autem interpretes tam difficili nodo impediti, in varias (ad inſtar *Protei*) ſe verterunt formas, ut ſeipſos explicarent. Variæ ſcilicet opiniones de vocis hujus intentione ſunt excogitatæ, quarum momenta jam in lance rationis exploranda ſunt. Ex iis autem

Sententia prima, eorum eſt, qui putant habitatores *Anconis* Phœnices hic intelligendos. Atque hanc opinionem *probabilem* appellare dignatur [c] *Grotius*, quod Ἀγκὼν & גמר voces ſynonymæ ſint, & Ἀγκὼν *cubitus* vocabulo גמר ex adverſo reſpondere videatur. *Gammadim* itaque nihil aliud erit quam Ἀγκωνῖται, vel *Anconis* incolæ, ſi vox Græca in Hebræam transferatur. Quamvis autem hanc ſententiam ingenii laude privari nolim, eam a vocis intentione non parum aberrare judico. Non eſt enim veri ſimile vero, quenquam, *Ezechielis* ætate, nomen Græcum urbi Phœniciæ dare voluiſſe; cum præſertim *Bochartus* exemplis pene multis probatum dederit, Phœnicios ſub ea

a *Onomaſt.* Lib. 2. Cap. 4. *ſegm.* 157. περὶ τῶν ἀπὸ χειρὸς μέτρων.

b Vid. *Schindler. Lexic. Hebr.* in voc. אמר

c *Annot.* in *Ezec.* 27. 11.

tempora

tempora portibus, urbibus, promontoriis, aliiſque locis, nomina Phœnicia plurimum impoſuiſſe. Deinde: modo Phœnices urbem illam, Græco nomine donatam habuerunt: veriſimile eſt, eam non a *menſura* cubitali (quam גמד ſignificat) ſed *figura* cubitali nomen illud accepiſſe. Nam ea de cauſa orbs Ἀγκὼν *Ancon* a *Syracuſanis* condita, nomen illud geſſiſſe dicitur, quod referente [a] *Mela*, *ad inflexi cubiti formam & imaginem* ſtructa videretur. SECT. II.

SECUNDO: multi per *Gammadim* Pygmæos, ſtaturæ cubitalis homulos, intelligendos arbitrantur. Inter eos familiam ducit *Vulgatæ Verſionis* auctor & omnes in illius verba jurati; quorum præcipuos [b] *Caſpar Bartholinus*, hujus ſententiæ ſtudioſus, enumeravit. Inhanc autem ſententiam conceſſere, quod Pygmæi illi ſagittandi artem, in bellis ſuis cum gruibus, frequenter exercerent; adeoque turribus ab hoſtium inſultu defendendis aptiſſimi crederentur. Utcunque, non pauci ſententiam illam irriſui habent, non tantum quod multum laboret adhuc hiſtoricorum fides, ut *Pygmæorum* gentem vel fuiſſe credamus; ſed quod incredibile ſit, Tyrios ipſas turres eorum bellis hiſce bellatorculis defendendas concredere voluiſſe. Spes nullas habuit *Tyrus*, ſi tales habuiſſet, cum præſertim Pygmæi non minus animo quam corpore molli, languido, & impotente, fuiſſe videantur. [c] *Nonnoſus* enim poſtquam βραχυτένας quoſdam (Pygmæos, vel iis affinitate proxima junctos) memoraſſet, continuo addit, θάρσος μὲν ἄχου οὐδὲν &c. *Fiducia virilis ne micam habuere, cum noſtris hominibus conſpectis, quemadmodum aoi viſa ingenti fera, metu perculſi fuerint.* Præterea: veri ne ſpeciem habet, *Tyrios*, cum ſibi *Perſas*, *Lydios*, *Arphadæos*, alioſque virtute militari claros, rerum ſuarum præſides & patronos, aſciviſſent; Pygmæos imbelles in talium virorum cenſum aſcribere voluiſſe.

TERTIO: ea ſunt opinione nonnulli, *Gammadim* regionem *Phœniciæ*, forma cubitali in mare projectam, & a mari poſtea devoratam, incoluiſſe, & nomen ſuum ab ea regione derivaſſe. Huic opinioni, *Junius* & *Tremellius* in Bibliis, *Marinus* in Lexico, *Polanus* & *Piſcator* in Ezechielem, *Buxtorfius* in *Lexico*, ſe patronos præbuere. Quamvis autem tot magni nominis auctores huic opinioni patrocinium præbeant, ei nunquam aſſenſurus ſum, quoad verba illa [d] viri doctiſſimi memoria teneam; *hanc gentem* Phœniciam, *& hocce ejus nomen, nuſquam reperiri potui.* Fruſtra nempe dicitur a viris doctrina licet exculriſſimis, quod nuſquam legitur.

QUARTO: cum גמרים a גמר *cubitus* originem arceſſat, alii ſentiunt, *homines cubitales* hic, *cubito* ſeu brachio *valentes*, pugno fortes, manu promptos robore præſtantes denotare. *Neque dubium eſt*, inquit [e] *Fullerus* noſter, *quin eo reſpexerint* LXX גמרים φύλακες, i. e. *caſtodes*, aut *milites in præſidiis collocatos ad urbem tuendam ac conſervandam, metonymice* convertentes: nam id muneris, non Pygmæis, ſed fortibus inprimis & brachio toroſo validis, demandari ſolet. Atque hæc ratio cum veritate conjunctior exiſtimatur, quod *Aquila* Gammadim per πυγμαῖοι verterit, vocem a πυγμὴ *pugnum* ſimul & *pugilatum* ſonante derivatam: adeo ut vox ea viros *pugilatu* exercitatos, & *qui pugno* inflexo *graves ictus* infligunt, indicare cenſeatur. Specioſis hiſce coloribus ſententia jam dicta fucari poſſet, niſi lux e [f] *Fulleri* noſtri verbis effulgens omnino prohiberet: Hebræis & Græcis *inſolens eſt ac inaudita utraque* vocum earum *ſignificatio: nam Hebræis vir fortis & robuſtus* גבור *dicitur &* איש חיל *reliquiſque hujuſmodi nominibus; ruſquam* גמר *uti nec pro* pugile *ab ævo condito adhibetur. Græcis autem ubique* πυγμαῖος *de quantitate uſurpatur: & a longe peritiſſimis in eaque lingua exercitatiſſimis viris exponitur* æquans *ſeu* explens menſuram πυγμῆς. His accedat quod *cubitus* Hebræis nec idem eſt quod *brachium*, nec eadem voce Hebraica notari ſolet: nec eadem roboris menſura cubito, quæ brachio tribui poteſt, cum oſſe tam grandi vel ſolido non conſtet.

QUINTO: aliorum ſententia, quæque maxime ſpecioſa creditur, hæc eſt; quod *Gammadim* e vicina *Gammade* civitate [g] a *Plinio* corrupte *Gamale* dicta originem & appellationem derivarint. Opinionem iſtam calculis ſuis honeſtant *Junius*. *Polanus*, aliique πολλοὶ καὶ ἀγαθοί, ſi *Fullero* credimus. Nam hanc *ſententiam* [h] inquit, *merito amplexi ſunt noviſſimi interpretes, qui* גמרים Gammadæos *reddunt*, *nimirum incolas urbis* Gamades *in Phœnice*, quam *ipſa ſecondens terra*, una cum agris circumjacentibus, *devoravit, uti narrat Plinius* in *Hiſt. Naturali*. *Ipſe tamen ibidem eandem urbem* Gamalen *pro* Gamaden *vitioſe appellat, deceptus Græco aliquo Codice mendoſo, ubi* Δ *in* Λ *corruptam legebatur; prout*

a *Geogr.* Lib. 2. Cap. 2. b *Opuſculum de Pygmæis.* c. 2. c Apud *Phot.* in *Biblioth. Cod* 3. p. 7.
d Ap. *Bartholin.* in *Opuſc.* laud. pag. 9. e *Miſcellan. Sacr.* Lib. 6. cap. 3. f Vid. ſupr. g Lib. 2. cap. 91. h *Miſcel. Sacr.* Ubi ſupr.

Sect. III. *admodum lapſu & conſueto librariis Græcis, propter elementorum iſtorum maximam ſimilitudinem.* Cum autem hæc ſententia omni fulcimento deſtituta ſit, eamque nuperus [a] auctor merito rejecerit, & erudite refutaverit; coosultum erit, ab hoc argumento ſeceſſum facere, oe refutatio repetita Lectori faſtidium pariat.

Opiniones illæ quinque, utpote tam diverſæ & incertæ, locum fecerunt opinioni ſextæ, quod nempe nil eerti de Prophetæ *Gammadim* intelligatur adhuc, nec unquam intelligendum eſt. Eo inclinavit animus auctoris illius, qui, poſtquam *Ezechielis* [b] verba recitaſſet, ad ſenſum ejus exprimendom illud *Pœnuli Plautini* mutuatus eſt; [c] *hac equidem* Pol *credo, niſi Sibyllina legerit, extricare alium arbitror poſſe neminem.* Alius, clari nominis auctor, cum in hoc dicendi campo multum pulveris excitaſſet; tandem in hæc verba deſinit, *malo ego profiteri me iguorare quid ſint Gammadei, quam exhibere quid nou ſint.* Me quod attinet, & ipſe cenſeo veritatem hic in abdito & incerto latitare; adeoque lectorem paulo humaniorem mihi veniam facile conceſſurum, ſi veritas meam etiam eludat indaginem; & ipſe ſcotentiam jam proferam, qua *Junonis* illius vice, capitis mei nubem amplecti videar.

SECT. III.

Sententia veritati maxime vicina proponitur, & ratione confirmatur.

Sententia de *Gammadim* veritati maxime vicina.

CUM a nonnullis (uti dictum eſt) hic locus *Ezechielis* non tantum inter δυσνόητα Scripturæ, ſed & ἄλυτα, numeretur; lectori forte non erit ingratum, ſi & ipſe, de re tam obſcura & impedita, ſententiam meam in medium proferam. Eam autem ſic paucis exprimo: "*Gammadim* fuiſſe videntur, ſimulacra parvula, plerunque cubitalia, "in domibus aut turribus ethnicorum, in earum tutelam & præſidium, collocata. Ue huic ſententiæ ſua conſtet fides, oſtendendum eſt, *Primo:* gentes antiquiores imagines quaſdam parvulas, in domibus aut turribus eorum poſitas, in uſu habuiſſe. *Secundo:* imagines illas plerunque cubitales fuiſſe, & cirea Pygmæorum menſuram conſtitiſſe. *Tertio:* imagines illas in tutelam & præſidium collocari ſolitas. *Quarto:* quod Tyriorum *Gammadim* ſimulaeris hiſce προφυλακτικοῖς, & plerunque cubitalibus aceenſeri debeant. Ut hæc omnia hypotheſi ſerviant, de iis uberius paulo verba facienda ſunt.

Primo: itaque, doeendum eſt, ethnicos antiquiores imagines quaſdam parvulas, in domibus aut turribus eorum poſitas, io uſu habuiſſe. Huc alluſum apud *Horatium*, ubi hæc habentur:

Parvos coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrto.

In harum icuncularum cenſum venire debent ethnicorum *Lares*, *Penates*, Ægypti *Serapes*, & (uti placet aliquibus) Labani *Teraphim.* Ethniei nempe domos eorum nunquam in tuto futuras arbitrati ſunt, niſi ſacras illas *icunculas* præſto ſemper haberent, & illæ Deos eorum tutelares ſibi præſentes exhiberent. Alia ſtatim in medium proferam, quibus probabilitas iſta ſuffulciri poſſit.

Secundo: dictum eſt, imagines haſce parvulas plerunque fuiſſe cubitales, & proxime ad Pygmæorum formam & figuram acceſſiſſe. Huic mori fides teſtimoniis aliquot aſtruenda eſt. Inter ea primas habet [d] *Herodoti* teſtimonium: nam de mora *Cambyſis* apud *Memphim*, & illius ingreſſu in *Vulcani* templum, agens; eum *multo deriſu Vulcani ſtatuam* aut *ſimulacrum*, πυγμαίου ἀνδρὸς μίμησιν *viri pygmæi imaginem*, *cavillatum* aſſerit. Et ſtatim poſtea, *Cabirorum* ſimulacra ὅμοια τοῖσι τοῦ Ἡφαίστου *Vulcani ſimulacris ſimilia* fuiſſe refert, & Pygmæorum formas expreſſiſſe. Hæc a vero eo minus aliena cenſeantur, quod hodieque iſtiuſmodi ſimulacra in *Ægypti* monumentis frequenter inveniantur, & a mercatoribus inde quotannis in omnes mundi partes invehantur. Hujus rei fidem [e] *Johannes Nardius* αὐτόπτης paulo firmiorem facit: multa nempe memorat ille *ſimulacra cubitalia, nonnunquam & ſemicubitalia*, ſupra ferales arcas ab Ægyptiis locari ſolita, ut corpus defuncti, tanquam amuleta & ἀποτρόπαια, a Geniis adverſis &

a *Ludolf. Comment.* ad *Hiſt. Æthiop.* Lib. 1. c. 1. p. 74. b Cap. 27. 11. c Hic ſenſus eſt eorum, qui veram & genuinam vocis hujus ſignificationem amiſſam ſentiunt, cum *ex earum ſit numero quæ ſemel tantum in Scriptura reperiuntur.* Ludolf. p. 73. d Lib. 3. cap. 37. e *Tab.* 5. notis in *Lucret.* affixa.

inimicis

inimicis tuta præſtarent. Cum hiſce eognationis haud parum habet *Abenephii* Arabis teſtimonium, qui mores & ritus Ægypti memoriæ prodidit. Sic enim apud [a] *Kircherum* Latine loquitur: *frequens erat in Ægypto uſus phylacteriorum variis imaginibus inſiguitorum, queis ſe fortunatos futuros eſſe credebant*; queis *adjungebant ſtatuunculas quaſdam quas* Avertentes *nuncupabant; quas nunc in collo, pectore, manibus portare; nunc iu angulis domuum, aliiſque locis, veluti cuſtodes eorum collocare ſolebant.* Aliud teſtimonium e [b] *Curtio* petitum claudat præſens argumentum: *diſtinguebant interuitentes gemma jugum, ex quo eminebant duo aurea ſimulacra cubitalia; quorum alterum iu alterum belli gerebat effigiem.* [c] *Scaliger* hunc locum in mendn cubare, eumque ſic legendum arbitratur; *quorum alterum Nini, alterum Beli gerebat effigiem:* nam *per Ninum* inquit *Aſſyria, per Belum Babylonia imperium conjunctum innuebant.* Et (ſi quid aſſuere liceret *Scaligeri* conjecturæ) dicerem etiam, imagines haſce conjunctas indicio fuiſſe, *Darium* ejuſque ſubditos utrique cultum præſtitiſſe, & utriuſque Genios tutelares [d] imperio propitios expectaſſe. SECT. III.

Tertio: hujuſmodi ſimulacra cubitalia ſolebant in turribus, aliiſque locis caute defendendis, in tutelam & præſidium collocari. Hic *Ovidii* fidem teſtor, qui, de *Laribus* publicis & eorum officio loquens, hæc habet,

> [e] *Staut quoque pro nobis & præſunt mœuibus urbis,*
> *Et ſunt præſeutes, auxiliumque ferunt.*

Tibullus, hac fide fretus, prece ſupplice ſic *Lares* advocat, ſuppetias allaturos,

> [1] *At nobis arata Lares depellite tela.*

Ex hoc uſu quem in bello præſtare cenſebantur, Romani *Lares* illos *hoſtilios* [f] appellarunt, & iis præſentibus ſe rem proſpere geſturos arbitrati ſunt.

Quarto: Prophetæ *Gammadim* inter hæc ſimulacra tutelaria, cubiti menſuram non excedentia, numeranda videantut. Hanc conjecturam facio, non levibus inductus argumentis:

(1°.) Lxx vocem *Gammadim*, non per *cubitales*, ſed (φυλακάς) *cuſtodes*, expoſuerunt. In eas autem imagines id nominis optime quadrabat, eo quod eorum uſui & officio maxime convenire videretur. Imagines illæ περιφυλακτικαὶ erant, & urbes, turres, muros, alioſque locos munitos, ita cuſtodire cenſebantur, ne damni quicquid iis ab hoſte inſeratur. Hoe eo credibilius, quod ethnici ſimulacris hiſce cubitalibus id officii ſemper aſſignarent, eaque *cuſtodum* partes agere quovis in loco, ſibi perſuaderent. Ea vias publicas, & homines iter facturos, cuſtodire credita, fidem facit ille [g] *Plauti* locus,

> *Vos Lares viales, ut me beue juvetis.*

Eodem conſilio [h] *Philiſthæi* ſimulacra ſua portatilia, quæ David igni tradidit, ſecum tuliſſe creduntur; ut ſcil. illis in bello jam gerendo periclitantibus ſubvenirent, eoſque in tuto conſervarent. Ethnici, navigationem ullam longiorem ſuſcepturi, Lararium quoddam horum Deorum minuſculorum in puppe plerunque conſecrabant, & eorum curæ cuſtodiæque navis ſalutem commendabant. Hoe multis exemplis probant [i] *Doughteius*, aliique, non multo cum negotio conſulendi. Civitates ethnicas ejuſmodi cuſtodes in uſu & pretio habuiſſe, iiſque domuum, murorum, & turrium ſuorum, defenſionem demandaſſe multis evincunt [k] *Kircherus*, [l] *Gregorius* noſter, [m] *Doughteius*, alii, per otium lectoris adeundi. Ut hæc omnia probabiliora videantur, ſciendum eſt, imagunculas iſtas Deos & Genios tutelares quoſdam præſentes exhibuiſſe: illi vero hominum & civitatum φύλακες & curatores audiebant. Jupiter *Horatio* dicitur,

> *Gentis humanæ pater atque cuſtos.*

[*] Dæmones etiam Dii *fortitiorum* aut *fortitudinum* credebantur. Deus autem ut

a *Oed. Ægypt.* Tom. I. p. 250. b Lib. 3. §. 7. ubi de *Curru Darii* loquitur. c Lib. 6. de *Emend. Tempor.* p. 579. d Reges & principes defuncti, inter Deos relati, civitatem ope & conſilio apud Cœlites juvare credebantur. *Kipping.* p. 117. e Lib. 5. *Faſtor.* v. 135. f *Feſt.* lib. 8. in voc. *Hoſtiliis.* g In *Mercator.* Act. 5. Scen. 2. h 2 *Sam.* 5. 21. i *Analect. Sacr.* P. 2. *Excurſ.* 65. k *Oed. Ægypt.* T. I. p. 250. & T. 3. p. 476. 477, 521. l *Not. & Obſerv.* cap. 7. m P. I. *Excurſ.* 75. 87. & P. 2. *Excurſ.* 52. *Voſſ.* de *Idololat.* l. 8. cap. 18. * Vid. *Med. Apoſt. Tempor. poſter.* Cap. 4. 5, 17.

1 Lib. 2. *Eleg.* 10.

Sect. III. hunc errorem radicitus evelleret, gentium Deos & imagines, cæcos, claudos, ſomnolentos, & ad munus cuſtodum ineptos pronunciavit; & ſe unum cuſtodem & vigilem, appellavit. *Pſal.* 121. 3, 4. Non *dormitat cuſtos* noſter, ecce *non dormitat neque dormit* ὁ φυλάσσων *cuſtos Iſrael.* Verſ. 8. ὁ Κύριος φυλάξει *egreſſum tuum & ingreſſum tuum.* Ubi Pſalmiſta alludere videtur ad [a] morem Gentilium, qui *Lares* ſimulacra ſua tutelaria, in ipſo quaſi domus limine collocabant; ſpe freti, *Lares* illos, domus incolas, egredientes vel regredientes, protegere, & incolumes cuſtodire voluiſſe.

E verbis *Ezechielis* aperte conſtat, non perſonas fuiſſe, ſed res uſui peculiari deſtinatas. Nam *propheta* modo plane diverſo de perſonis loquitur quibuſcum Tyro quicquam commercii fuit, quam cum de *Gammadim* verba facit. Appellantur enim [b] incolæ *Zidonis*, ſenes *Gebal*, *Tyri* ſapientes, illi de *Paras*, de *Lud & Phut*, filii *Arvad*; & ſtatim ſequitur, & *Gammadim fuerunt in turribus*, nulla ſimili additione, vel nota diſtinctionis interpoſita. Ex hac autem loquendi diverſitate non difficulter intelligitur, *Gammadim* res quaſdam fuiſſe, quibus nomen *ſenum*, *incolarum*, *ſapientum*, *filiorum*, minime convenire potuit. Cum itaque *Gammadim* pro rebus naturæ diſſimilis accipiantur, nil video quo minus de ſimulacris quæ dixi cubitalibus, ad præſidium & tutelam comparatis, intelligantur.

(3°.) Sententiæ meæ fidem & firmitatem conciliat ipſe locus quo *Gammadim* ſedem & uſum inveniſſe perhibentur. Nam *Gammadim*, inquit [c] Propheta, *fuerunt in turribus tuis.* Quid autem *Gammadim* in turribus collocata ſunt, niſi quod locis illis poſita, in quibus urbis cujuſque ſpes prima ſita erat, ea maxime conſervarent, & hoſtium incurſus a civitatis parte quaſi vitali propulſarent? Erant enim turres fortiſſima civitatis cujuſque propugnacula: quod e variis Scripturæ locis ſatis intelligitur, viz. *Cantic.* 4. 4. *Judic.* 9. 51. *Judith.* 1. 14. Cum autem permagni intereſſet, ut loca tam fortia & momentoſa fortiter & viriliter defenderentur; quid *Gammadim*, veluti locorum φύλακες, ibi ponerentur, niſi quod certum eſſet, eos fortitudine & virtute bellica, filios *Arvad*, *Perſas*, *Lydios*, alioſque ſupra memoratos, longe ſuperare? Nemo vero, conſultior paulo, hoc in animum inducere poteſt, niſi *Gammadim*, Deorum tutelarium ſedes & ædiculæ, tutelæ divinæ pignora & argumenta fuerint. Niſi ratio illa quid ſolidi habeat, nihil *ratio* vel *hiſtoria* ſuggerit, cur *Gammadim* omnibus aliis אנשי חיל *viris robuſtioribus* ita præferrentur, ut turribus ipſis defendendis illi præficerentur.

(4°.) Aquila, perantiquus interpres, vocem *Gammadim* per Πυγμαίων reddendam cenſuit. At nulla ratio patitur; ut vox ea de *Pygmæis* vulgo dictis, i. e. ſtaturæ cubitalis homulis, intelligatur; cum nondum inter doctos conveniat, an milites illi cubitales fabulis Poeticis, an veris Hiſtoriis accenſeri debeant. Et ſi hoc viris eruditione claris, eorum patronis, largiamur; non minus a fide alienum erit, Tyrios iſtiuſmodi Pygmæos, ad ipſas eorum turres defendendas evocare voluiſſe. Certe Salomon, turrem *Davidis* memorans, [d] refert, quod in ea שלטי הגבורים *ſcuta virorum fortiſſimorum ſuſpenderentur.* Non eſt itaque vel ſimile vero, Tyrios eo ſtultitiæ devenire potuiſſe, ut Pygmæos, hominum ignavos maxime, adverſarios vix gruibus ipſis formidabiles & ad riſum tantum hoſti movendum aptos, ad ipſas turres eorum defendendas admitterent. Ideoque non ſine cauſa credendus eſt *Aquila* vocem per πυγμαίων tranſtuliſſe, non cum reſpectu ad Pygmæorum gentem (forte poeticam & fabuloſam) ſed ad imagines quas dixi *cubitales*, quæ Deos eorum tutelares præſentes exhibere adeoque magnum in parvo continere, credebantur.

(5°.) Significationes quæ, in lingua *Chaldæa* & *Arabica*, voci גמד affinguntur, opinioni meæ non parum præſidii præbet. [e] Nam גמד Chaldæum, unde גמד *cubitus*, & גמדים *cubitales* originem arceſſunt, *conſtrictus*, *arctatus*, *contractus eſt*, in ſignificatis habet; adeo ut τοῖς גמדים belle conveniret ſenſus ille, cum eſſent ſimulacra non raro vinculis conſtricta, quaſi * *contracta*, & Deos tutelares, eorum incolas *conſtringere*, & pene coarctare viderentur. In lingua *Arabica* vox cognata גמד *Gamad*, *impedivit*, *prohibuit*, *motiones debilitavit*, notat; adeo ut ea lingua ſignificatum hodieque retineat, cum antiquis *Gammadim* non male convenientem. Nam ſimulacra fuiſſe dixi ea virtute pollentia, ut malorum omnium occurſus *impedire*, hoſtium inſultus *prohibere*, & δαιμόνων κακούργων ἀντιτεχνίας & motus adverſos *debilitare* crederentur. Hæc e Gentium fide loquor. Nec facile dubitari poteſt, quin linguæ illæ ſignificatus illos olim ab He-

a *Iſ.* 57. 8. b *Ezec.* 27. 8, 9, 10, 11. c *Ezec.* 27. 11. d *Cant.* 4. 4. e Vid. *Lexic. Caſtel.* voc. גמד

* In lingua *Syriaca* גדם (vox eadem elementis tranſpoſitis) *contraxit* ſonat: *Caſtel.* in Voc.

bræo

bræo mutuatæ ſint, quamvis hodie in Scriptura Hebraica גמר tantum & גמרים ſenſu jam dicto ſumpta, reperiantur. SECT. IV.

(6°.) SIMULACRA illa cubitalia, malorum remedia & urblum φυλακτήρια, apud Ægyptios & Phœnices olim in uſu frequente verſabantur. Ægyptios imagines illas frequentes habuiſſe, pateat e variis earum formis quas [a] *Nardius* & [b] *Kircherus* nobis viſendas exhibuerunt. Eandem inſaniam Phœnices infeciſſe, pateat ex *Herodoti* teſtimonio: nam, res Ægypti [c] memorans, *Vulcani ſtatuam* πυγμαίου ἀνδρὸς μίμησιν *viri cubitalis* aut *Pygmai imitamen* vocat. Et ſtatim præcedunt, ἔστι γὰρ τοῦ Ἡφαίστου τὤγαλμα τοῖσι Φοινικηΐοισι παταικοῖσι ἐμφερέστατον, τοὺς οἱ Φοίνικες ἐν τῇσι πρῴρῃσι τῶν τριηρέων περιάγουσι. *Eſt Vulcani ſtatua Phœniciis Pataicis ſimillima, quos in triremium proris Phœnices circumferunt.* Ilos alii (quod obiter noto) in puppe [d] collocant. Horum autem *Patacorum* originatio & uſus e verbis [e] *Bocharti* colligantur: *obſervavit Scaliger Patacos dici a verbo* פתח patach, *quod in Piel eſt* inſculpere; *unde* פתוחים Sculpturæ, *Exod.* 28. 11. *& paſſim.* Sed *quid ſi Patacos Phœnices per B ſcripſerint, voce facta a* בטח [f] batch *confidere, ſecurum eſſe:* unde בטח *nomen eſt* ἀσφάλεια *ſecuritas. — Itaque tutela navis* quæ ſalvum conductum præſtare credebatur, *non aliunde potuit commodius ſortiri nomen. Nec ullum momentum eſt in permutatione literarum B & P, cum ea nil ſit frequentius.* &c. Cum itaque ſatis e jam dictis evictum ſit, hujuſmodi *Patacos*, i. e. Deos tutelares, averruncos, προφυλακτικούς, apud Ægyptios & Phœnices antiquiores familiariter invaluiſſe; facile eſt creditu, Tyrios etiam, ad eorum exempla ſe compoſuiſſe, & *Patacos* ſuos habuiſſe, eoſque apud Ezechielem ſub nomine *Gammadim*, i. e. *cubitalium* latitare. Huic argumento fidei & firmitatis aliquid afferunt illa cl. [g] *Seldeni* verba: Phœnicibus *Patacus Deus nunc erat Baal, nunc Aſtarte, ſive alius Syrorum* Deorum, *quem cubitali figura aut Pygmai ſtatura in navium & proris & puppibus circumferebant.*

SECT. IV.

Objectiones nonnulla refelluntur.

UNUM jam ſupereſt, ut ſcilicet interpretationis meæ obſtacula, quæ cogitationibus meis occurrunt omnia, de medio removeantur. Objectiones ſolvuntur.

HORUM forte primum hoc erit: apertum eſt; argumentum meum a Græcorum petitum vacillare: per φύλακας enim illi, non imagines quas dixi φυλακτικάς, longitudinem cubitalem non excedentes, ſed [h] *milites præſidiarios*, viros robore præſtantes, quique ad turres inprimis defendendas ſemper excubias agerent.

AT nil cauſæ video, cur LXX τοὺς *Gammadim* potius quam viros Arvad, Perſas, alioſque bellatores ſupra memoratos, & militia bonos, honorifico τῶν φυλάκων titulo & officio cohoneſtarent; cum præſertim hiſtoria ſacra ſimul & profana bellatores hoſce ſilentio prætereat, nec unquam (niſi hoc uno in loco) cum honore memorentur. Rationi magis convenit, ut Dii præſidiarii potius quam milites præſidiarii, hic intelligantur: cum præſertim Dii illi tutelares implerent omnia, & domibus, navibus, turribus, lociſque omnibus præſidere, & bello præcipue præeſſe & prodeſſe maxime. Patet enim ex hiſtoria ſacra, veteres idololatras, ad bellum profecturos, Deos hoſce præſidiarios & portatiles ſecum exportaſſe. Vid. 2 *Chronic.* 25. 14. *Et factum eſt poſtquam rediiſſet Amaziah a cade Edomaorum, adduxit Deos-- Seir* (in bello captos) *ſtatuitque ſibi in Deos:* & 2 *Sam.* 5. 21. ſed utut ſe res habeat, ſatius eſt ut Græci interpretes eo conſilio *Gammadim* per φύλακας expoſuiſſe dicantur, quam ut ſenibus illis eruditis, cum [1] auctore nupero, ſic conviciemur; *Septuaginta interpretes (quos Syrus & Arabs ſequuntur) ignoratione vocabuli* Gammadim *ex re & ſenſu* φύλακας cuſtodes *reddiderunt; ii enim in turribus locari ſolent:* Sed auctor ille, quod obſervatum eſt antea, non magis a conviciis temperavit, *Aquila* verſionem memorans.

SECUNDO: longe credibilius eſt, vocem גמרים de viris quam rebus cubitalibus intelligendam. Cum enim pueri apud Ægyptios *Pechas*, ob ſtaturam, cubitalem non multo ſuperantem, [i] appellari ſolerent, voce forſan a Gr. [2] πῆχυς derivata; quidni

a *Tab.* not. in *Lucret.* affix. b *Oed. Ægypt.* T. 2. p. 447. & T. 3. p. 512. c Lib. 3. cap. 37. d *Boch. Phaleg.* col. 712. & *Selden. D. Syr.* 356. 358. e Ub. ſupr. col. 713. f *Exac.* 28. 26. g *Syntag.* 2. de *Dus Syr.* c. 16. p. 355, 356. h Vid. *Fuller. Miſcellan.* L. 3. cap. 6. i *Voſſ.* de *Orig. Idololat.* L. 9. cap. 13.

1 *Ludolf. Comment.* ad *Hiſtor. Æthiop.* p. 73.

2 Vid. *Lucian. Rhetor. Præcept.* p. 816. ad quem *Voſſius* provocat.

Sect. IV. viros quoſdam, apud Hebræos *Gammadim* dictos exiſtimemus, & nomen illud amenſura breviori accepiſſe? cum præſertim Pygmæi turribus optime convenirent, &, poſt pinnacula latentes, ab oppugnatoribus minime conſpicerentur.

Certum eſt, nomen a ſtatura cubitali deſumptum, pueris aliquando eonvenire potuiſſe, cum tam in incerto ſit adhuc an unquam tota natio reperiri potuit, cubiti tantum menſuras exæquantes. Deinde, modo tales olim fuerint, credi nequit Tyrios turribus ſuis tam male proſpicere voluiſſe, ut eas homulorum illorum tutelæ demandarent, aut illud imbelle geous hominum cum flore militum ſuorum numerari paterentur.

Tertio: Tyrii, qui *Gammadim* habuiſſe dicuntur, ſimulacra illa προφυλάκτικα nuſquam leguntur coluiſſe, vel quicquam ſuperſtitioni tam craſſæ cognatum retinuiſſe. Patet itaque, me *Gammadim* Tyriorum de ſimulaeris eorum cubitalibus ad cuſtodiam turrium inſtitutis, perperam interpretari.

Respondeo: cum Tyrus Phœniciæ metropolis eſſet, Phœnices autem hujusmodi ſimulacris (uti dictum eſt) frequenter uterentur; Tyrios etiam talia ſimulacra in uſu habuiſſe, & a more patrio non receſſiſſe, minime temerarium eſt opinari. Sed nil opus eſt, ut rem hanc conjecturæ tantum probabili eommittamus, cum *Quintus Curtius*, *Plutarchus*, [a] alii, teſtatum reliquerint, hanc ſupetſtitionem Tyrios inſeciſſe, eoſque imagioes eorum tutelares vinctis alligaſſe, ne civitatem ſuam defenſoribus ſuis orbatam desererent.

Quarto: inde ſententia mea male firma redditur, quod hoe ipſo in loco *Gammadim* ſcuta ſua dicuntur ſuper muros Tyri ſuſpendiſſe. Hoc enim de *Gammadim*, modo ſimulacra quædam fuerint, nullatenus intelligendum eſt. Hæc autem objectio non multum urget; quod enim de *ſcutis* dicitur, [b] *filiis Arvad* tribuendum eſt, qui ſuper muros per circuitum diſponebantur. Nam verſus integer ſic ſe habet: *filii Arvad & exercitus tuus ſuper muros tuos circumquaque, & Gammadim in turribus tuis fuerunt; ſcuta ſua ſuſpenderunt ſuper muros tuos circumquaque: illi perfecerunt pulchritudinem tuam.* Adeo ut verſus ille ſic intelligendus eſt, quaſi verba illa (de *Gammadim* dicta) hac parentheſi includerentur: & hanc conſtructionem non parum eonfirmat verborum præcedentium & ſubſequentium affinitas & ſimilitudo.

Quinto: non eſt fidei conſentancum, *Tyrios* aut *Hebræos* nomen illud τοῦ *Gammadim* tribnere voluiſſe, modo ſimulacra tutelaria fuerint, & averruncis loci Geniis cooſecrata. Non *Tyrios:* cum enim vox ea *cubitales* notet, id nominis tantæ virtutis imagines dedecore afficere, & pene blaſphemare, videretur. Non *Hebræos:* iis enim mos erat, imagines uſui ſuperſtitioſo deſtinatas, *idola*, *abominationes* appellare, vel eas tali aliquo nomine probroſo, dehoneſtare.

At neque hæc argumentum facit, ut illius eauſa ſententiæ pœniteat: cum enim vox *Gammadim* duplici ſignificatu gaudeat, uno *vulgari*, & *honeſto* altero; ori Tyriorum ſimul & Hebræorum convenire poterat. Hebræi nomen illud, ſenſu vulgari ſumptum, qua nempe res ad cubiti menſuram factas indicabat, idolis illis apte tribuebant, cum eo nomine nihil honoris idolo deferre viderentur. Tyrii veri nomen idem icunculis illis non gravate conceſſernnt, forte qund *inhibentes*, *impedientes*, *prohibentes*, denotaret; adeoque vim προφυλακτικὴν earum ſignificaret. Nam vox גמר (ut dixi ſupra) huiuſmodi ſignificatus in linguis vicinis (*Chaldæa* ſcilicet & *Arabica*) etiamnum retinet; quamvis voces גמר & גמרים ſolæ in Scriptura hodie reperiantur, eæque jam ſenſu nihil cognati habente uſurpenrur.

Sexto: huic opinioni nihil fidei deberi videtur, eo quod nulla ratio appareat, cur imagines illæ tutelares, גמרים eſſent, vel cupidi longitudioem non excederent. Certe, cum adeo parvæ fuerint, nihil majeſtatis præ ſe ferebant, ſed plane ridiculæ & contemptu tantum dignæ videri potetant. Hoc eriam Ægyptii experientia compertum habuere: nam [c] *Herodoto* referente, *Cambyſes*, cognata *Cabirorum* ſimulacra contemplatus, ταῦτα καὶ ἐνέπρησε πολλὰ κατασκώψας, *multis in ea jocatus verbis concremavit.*

Non credendum eſt interim Ægyptios & alios e Gentilium grege, imagines illas ad menſuram cubitalem non raro componere voluiſſe, niſi cauſa gravis eos ita perſuaſiſſet. Ut itaque hoc myſterium curatius exponatur, ſciendum eſt ethnicos, tribus hiſce rationibus inductos, imagines ſuas, tam parvas & ad *cubiti* menſuram adaptatas fabricaſſe.

a Vid. plur. apud *Dought. Analect. Sacr.* P. I. *Excurſ.* 167. b *Ezec.* 27. 11. c In *Thalia* Cap. 37.

(1°.)

(5°.) Ut eo facilius earum integritati conſervandæ cnnſultum eſſet, & eo minus CAP.
rupturæ vel mutilationi alicui obnoxiæ redderentur. Refert enim Ægyptius [a] ille Myſtes, Ægyptios integritatis imaginum ſuarum curam religioſam ſemper habuiſſe; putabant enim ſtatuas rerum aut hominum cuſtodiæ deputatas, & ritu ſolenni conſecratas, tam diu virtutem & efficaciam ſuam retenturas, quam diu debitam inregritatem coofervarant. Eas itaque non tantum e lapide plerunque duriſſimo, membris etiam omnibus corpori firmiter adaptatis, & ad modum pueri faſciis involuti, conficiebant; ſed breves & compactas adeo, ut vix poſſibile eſſet, ut uſu contiouo, itinere longo, circumlatione quotidiana, malitia vel injutia humana, frangerentur, aut quid damni caperent. XXV.

(2°.) Ut imagines illæ περιφορητικαὶ huc illuc, ſine moleſtia vel fractura, transferri poſſent, prout uſus & occaſio poſtularent. Ea vanitate ſuerunt ethnici, ut ſe nunquam in tuto crederent, niſi Deos præſentes habuiſſent, iiſque perpetuis itinerum, navigationum, præliorum, & periculorum omnium, comitibus uterenrur. Eos itaque capſulis, ædiculis, ſacculis, aut ejuſmodi θυμιατηρίοις, circumſerre, pium tutumque cenſebatur. Eorum more, rudis & ſemipaganus Hebræorum populus, Deum περιφέρειν & in [b] oculos eorum pene ſemper incurrentem, itineris ſui bellique comitem poſtularunt. Gentes itaque (ut ad rem præſentem redeat oratio) ſimulaera, Deorum habitacula, brevia & portatu ſacilia conficiebant, ut iis in caſu vel diſerimine quopiam præſentibus uterentur. His appoſite citari poſſunt [c] auctoris modo laudati verba: *patet Labanis idola, qua Rachelem patri ſuo furatam -- Scriptura dicit, hujus farina idola fuiſſe, -- cubitales nempe ſtatuas, membrorum eminentia deſtitutas, qua facile de loco in locum transferrentur, & etiam intra fænum, paleas, ligna, ſaxa, ſine periculo abſconderentur.*

(3°.) Conjectura non plane temeraria eſt, ethnicos imagines eorum tutelares ad Pygmæorum formam (h. e. figura cubitali) compoſuiſſe; ut Geniorum ſuorum, (i. e. Dæmooum, Pygmæorum forma ſæpius apparentium) formas gerere poſſent & imitari.

Atque hæc ea ſunt quæ ad loci hujus obſcuri intelligentiam maxime videantur accommodata. Quæ tamen omnia Lectoris judicio ſubmitto libenter libentiſſime.

CAP. XXV.

Lex de חמנים Hhammanim *abolendis explicatur.*

INSIGNIA illa idololatriæ veteris inſtrumenta, *Hhammanim* dico, ſemel in Lege, ſæpius in aliis Scripturæ locis, memorantur; nullam autem legem invenire licet, qua diſerte vel expreſſo nomine prohibentur. Minatur equidem Deus, ſe במות Hebræorum *abolere* velle, & eorum חמנים *ſuccidere*; & hiſtotia ſacra regum eorum mentionem facit honorificam, qui, cultus divini ſtudio ducti, *Hhammanim* ſuſtulerunt: at obſervare juvet, Deum uſum τῶν *Hhammanim* nuſquam in Lege diſertis verbis inhibuiſſe. Cum autem e Scriptura pateat, *Hhammanim* idola Deo perquam exoſa ſuiſſe, & ideo a [d] Græcis interpretibus βδελύγματα vocentur; cum etiam חמנים præ cæteris idolis, olim in uſu familiari verſarentur; non ſioe ratione ſuſpicari quis poſſit, Deum idola tam frequentia, alicubi in lege, licet non explicite, vetuiſſe. Ut ad rem præſentem propius accedat ſermo: in lege locus unus & alter extat quibus *Hhammanim* interdicta ſunt, licet hactenus interpretum obſervationem fugiſſe videntur. Eos autem in mediam lucem proferam, cum occaſio ſe dederit magis opportuna. In præſens itaque pro dato ſumere fas ſit, Deum de *Hhammanim* abolendis legem tradidiſſe, quam etiam, hoc ordine ſervato, explicatam dabo.

(1°.) Significatum & originem vocabuli *Hhammanim* inveſtigare conabor.

(2°.) Sententias de eorum natura & forma, paſſim receptas, juſta lance examinabo.

(3°.) Horum *Hhammanim* naturam & formam genuinam probabiliter explicabo.

(4°.) Eorum etiam uſum & intentionem primariam e tenebris in lucem proferam.

(5°.) Leges de *Hhammanim* abolendis, & earum rationes, explicate tradam.

(6°.) Objectionibus maximi momenti conjunctim ſatisfaciam.

a *Kircher. Oed. Ægypt.* P. 3. p. 476. b *Exod.* 32. 1. 1 *Sam.* 4. 3, 8. c Ub. ſupr. d Vid. Lxx. in *Jeſ.* 17. 8.

Sect. I.

SECT. I.

De ſignificatione & origine vocis חמנים

Significatio & origo vocis חמנים

ORDINIS mihi præſcripti ratio poſtulat, ut ſignificatum & originem vocis *Hhammanim* expediam primo. Hic autem auctores in ſeotentias diverſas abeunt. Nam

Primo : [a] nonnulli *Jovem*, Ammonem aut Hammonem, Ægypti lingua, vocari ſentiunt, & inde templa vel ſimulacra quædam nomen *Hammanim* aut *Chammanim* accepiſſe, quod *Hammoni* vel Jovi ſacra eſſent, & ab Ægyptiis io illius honorem & cultum erigerentur. Utcunque, pro certo habetur & iodubitato, Jovem oomen [b] *Ammon* inter Ægyptios antiquiores inveniſſe.

Cum autem *Amon* aut *Hamon* (quod ſtatim oſtendo) vox Ægyptia oon ſit, cum etiam ab eodem ſonte quo & vox ipſa *Hhammanim* (aſpiratione mollita) derivetur; ſuadet ratio, ut hanc ſententiam ad ipſius auctores, aſtruendam vel deſereodam, amandemus.

Secundo : magiſtri Judæorum, aliique, vocis hojus originem *Chamo* tribuunt, & *Chammanim* ab eo nomen & originem traxiſſe judicant. [c] *R. Manaſſe* huic opinioni clare ſatis aſtipulatur, cum ait, ' וחם בן נח הראשון שמצא את אונים וגו *Cham autem, Noe filius, primus erat qui invenit idola arte facta, & docuit homines familia ſua cultum ignis.* Eandem ſententiam *Kircherus* paulo clarius aſtruit, apette dicens, [d] *ego arbitror hæc ſimulacra* חמנים Chamanim, *ab ipſo Chamo nomen etymon ſuum derivaſſe.* Præcipuum opinionis hujuſce fundamentum in conſono *Chami* nomine ſitum arbitror : cum enim *Cham* a [illegible] *fuſcus, adaſtus*, vel potius חמה *calore* vel *ſole*, nomen acceperit, ejus auctores idola *Chammanim* ab eo oomen & origioem traxiſſe, oe dubitandum cenſuerunt.

At incredibile eſt, *Chamum*, qui patris ſui pia monita ſæpius imbiberat, & *diluvii* mirabilia propriis oculis haud ita pridem uſurpaverat, idolis originem dare potuiſſe. *Chami* nomen quod attinet, ſententia hæc præſidio tam debili niti nequit; cum non ſine numine factum ſit, ut nomen, *calidum* aut *nigrum* notans, *Chamo* imponeretur; cui contigit *Africa*, regio calore immodico laborans, & a quo liberi Solis ardore infuſcati propagati ſunt.

Tertio : Cum hæc non proceſſit, alia nonnulli aggrediendum eſſe via conſuerunt. *Chammanim* ſcilicet a *Chamia* vel *Chemia*, [e] Ægypti nomine perantiquo, appellationem ſuam petiiſſe judicant : non tantum ob affinitatem ſoni, ſed quod plerique *Chammanim* ipſa (quæcunque demum fuerint) ab *Ægypti* moribus anſam traxiſſe cenſeant. Huic opinioni hinc etiam aliquid accedat ponderis, quod LXX vocem *Chammanim* (licet octies occurrat in Scriptura) nuſpiam exacte & juxta nativum vocabuli ſenſum interpretentur : ſed quandoque per εἴδωλα transferunt, quandoque βδελύγματα, nonnunquam ξύλινα χειροποίητα, nunc τεμένη, nonnunquam ὑψηλά, & hujuſmodi voces, a Grammaticali ſenſu vocabuli *Chammanim* longe recedentes. Ita vero vertiſſe putentur, quod ſingularem חמן & pluralem חמנים voces exoticas eſſe crederent, & nihil ſermonis Hebræi præter flexionem & formam Grammaticalem retinere. Atque hæc omnia ſpecioſa quidem eſſe oon diffitendum eſt : cum autem ſpecioſæ tantum conjecturæ ſint, nec ullo ſatis ſolido ſuffulciantur argumento ; non taoti eſt, iis refutandis operoſius immorari.

Quarto : veri ſpeciem, oculo meo longe pulchriorem, fert eorum opinio, qui vocem חמנים immediate quidem a ſingulari חמן mediate vero a חמה derivandam ſentiunt : חמה vero, primario *calorem* & æſtum, ſecundario *ſolem*, caloris fontem & cauſam, denotat. Lexicographi (*Aveuarius, Schindlerus*, alii) ſignificatum utrumque vocibus hiſce tam clare vindicarunt, ut hac de re lectori ſcrupulum omnem exemiſſe videantur. Nec minus extra dubium poni debet, hæc proſani cultus objecta, *Chammanim* dicta, nominis originem traxiſſe a voce חמה quæ *ſolem* notat ; cum inter voces eas, חמה & חמן tanta cognatio intercedat, & res hæc doctorom oon paucorum ſuffragio confirmetur. Rationes autem varias in promptu habeo, cur *Chammanim*

a *Avenar. Lexic.* in voc. חמן b *Vid. Bochart. Geograph. Sac.* Col. 6, 7. c Lib. cui tit. מגן הגבורים d Lib. de *Obeliſc. Pamphil.* cap. 2. pag. 15. e Quæ vocatur חם *Pſal.* 78. 51. & ſæpe *Chema.* Vid. *Bochart* ub. ſupr.

nim

nim appellationis ſuæ cauſam & originem a חמה *ſole* & *calore igneo* derivaſſe cenſeantur. Nam, Sect. II.

(1°.) Saculis antiquioribus ita more comparatum eſt, ut omnia ſoli ſacra, vel ei cognatione quadam conjuncta, appellationem arceſſerent a nomine ſolari חמה vel verbo חמם [*uſſit*, *calefecit*] præcipuum Solis effectum exprimente. Nam Deus ille in quo Solem colebant veteres, ab Ægyptiis *Ammon*, ab Africaois Hammon, ab aliis Deus *Omanus*, dictus eſt; ח aſpirationis durioris litera, emollita, vel plane liqueſacta. Feſtum in Solis honorem ab Athenienſibus agi ſolitum, Ἀμμών [a] appellatum eſt: Aſrica univerſa, qua ſol impenſe colebatur, Ἀμμωνία ἀπὸ τοῦ Ἄμμωνος ἐκαλεῖτο. Et Λιβύη nomen Ἀμμωνὶς olim habuit, quod regio eſſet Solis calore ſupra modum calefacta, juxta *Lucani* illud,

Terrarum primam Libyem (nam proxima cœlo eſt,
Ut probat ipſe calor) tetigit——

Hæc eo probabiliora putentur quod prout Hebræi Solem חמה a verbo חמם *uſſit*, *calefecit*, appellarint; ſic a Græcis Sol Ζεὺς, a verbo ζέω *ferveo*, dicebatur. Cum itaque ſie more veteri ſactum eſſet, ut Sol nomen חמה notaretur, & omnia Solem affinitate quavis attingentia nomen inde deductum gererent; moris hujuſce ratio ſuadet, ut idola hæe, utpote Soli dicata, nomen חמנים a Solis nomine חמה petiiſſe ſentiamus.

(2°.) Doctorum longe plurimotum conſenſo ratum eſt, *Chammanim* idola fuiſſe in Solis honorem & cultum ſabrefacta. Veriſimili itaque conjectura ducor ut ſentiam, idololatras antiquos ad radii ſolaris ſormam, & ignis (ſymboli ſolaris) figuram pyramidalem, ea plerunque compoſuiſſe. Hie uſus itaque poſtulaſſe videtur, ut nomen, *Solis* ſimul & *ignis* notionem continens, iis imponeretur, h. e. ut *Chammanim* dicerentur. Aliter enim non facile eſt conjectura conſequi, cur nomen *Chammanim*, ſignificatu illo duplici gaudens, iis inderetur.

(3°.) Non temere dubitandum eſt, Ægyptios Solem, Lunam, & Sydera, impenſe coluiſſe, eos etiam omnium primos in eorum honorem ſtatuas erexiſſe, & nomina naturam corporum eorum cœleſtium referentia iis impoſuiſſe. Hoe eo minus a vero alienum videri poteſt, quod veteres Ægyptii lingua patria, [b] Solem *Piri*, ab ignea qua pollet virtute, nominarent. Cum itaque Ægyptii, quos dixi, ſimulacris hiſce ſolaribos nomen ſecerint, quod *Ægypti* lingua, *Solis* & *ignis* ſignificatum recipiebat; veriſimili conjectura colligo, Iſraelitas juſtum piumque ceoſuiſſe, ut eorum nomen Ægyptium in ſynonymum Hebræum [*Chammanim* nempe] commutarent. Plura, quæ huc faciunt, in promptu habeo; ea vero in locum aptiorem differenda ſunt.

SECT. II.

Sententia recepta de natura & forma τῶν Chammanim *examini ſubjiciuntur.*

OSTENSUM eſt hactenus, voce חמנים res quaſdam in Solis honorem poſitas, & appellatiooem a Solis oomine Hebræo derivantes, intelligendas eſſe. Cum autem nomen illud de rerum earum oatura & forma nil certi referat, eas proximo, conjecturis & argumentis aliunde petitis, conabor inveſtigare. Sed ne quid impedimenti vel præjudicii mihi hoe negotium exequeoti, ex aliorum opinionibus oriatur; primo ſententias de natura & forma τῶν *Chammanim* quæ fidem hactenus invenerunt, io trutina rationis explorabo. Doctorum autem ſententiæ de hac re quas mihi licuit obſervare, ſunt hæ quinque: oam Natura & forma *Chammanim*.

Primo: nonnulli ſe perſuaſos habent, חמנים πυρεῖα vel πυραιθεῖα illa fuiſſe, quæ veteres non raro memorant. Erant autem πυραιθεῖα, ſepta qoædam ſacra, quibus idololatræ veteres, Perſæ cum primis, ignes inextinctos ſervarunt; quibus etiam, utpote ſymbolis Solaribus, cultum ſolennem tribuerunt. Moris hujus ethnici fidem ratam faciunt, [c] *Procopius*, [d] *Agathias*, [e] *Briſſonius*, [f] *Seldenus*, [g] *Gravius*, [h] *Voſſius*, aliique paſſim obvii. Hæc autem gentium πυρεῖα, τοῖς חמנים Hebræorum cognata fuiſſe, iiſqoe principia tribuiſſe, [i] *Scaliger*, [k] *Grotius*, [l] *Voſſius*, aliique ſentiunt. In hanc ſententiam

a *Heſyc.* in voc. Ἀμμών. b Vid. *Kircher. Prodrom. Ægyptiac.* Cap. 5. p. 146. c De *Bell. Perſic.* L. 2. Cap. 24. pag. 147. d De *Juſtinian. Imperat.* e De *Reg. Perſ.* L. 2. p. 158. &c. f De *Diis Syr. Syntag.* 2. c. 8. g In *Evang. Perſic.* pag. 57. h De *Origin. Idol.* Lib. 2. Cap. 9. i *Not.* in *Catul.* N°. 91. k *Annot.* in *Lev.* 26. 30. l *Ub. ſupr.*

SECT. II. tranſeunt, eo quod vox חמנים non *Solis* tantum, ſed & *ignis* notionem ferat: nam Lxx voces חמנים & חמה (a quibus חמנים ortum ducit) θερμαίνω & ἥλιος reddunt, & iode Græci κάμινος *caminus*, & πυραίνω *ferveo* (aſpiratione paulo fortius expreſſa) petunt. Huic opinioni lucem & ſpeciem præbent ea *Voſſii* verba: חום "*Chom* eſt calor, unde חמה *Chama*, Sol vel ignis, a quo חמנים *Chamanim*, quæ Græcis πυρεῖα. Hinc "*Levit.* 26 30. חמניכם *Chamanicem*, quod reddunt *ſimulachra veſtra*, malim *pyraa*, ſive *pyrathea* veſtra: hoc eſt, ſepta, in quibus ad ignem perennem concinitis carmen veſtrum, & in eo, tanquam ſymbolo divino, Solem colitis.

Hic autem a *Voſſio*, & aliis ejuſdem ſententiæ conſortibus, diſſentire cogor, eo quod חמנים *caloris* quidem, non autem *ignis*, ſignificatum habeat; quod etiam חמנים in Scriptura quandoque [a] *ſuccidi* dicantur, quod de ignibus dici nequit; & quod hac ſententia conceſſa, non occurrat ratio cur *Excelſa* & *Chammanim* tam frequenter in Scriptura conſocientur. Præterea: Perſæ longe diſtabant ab Iſraelitis, nec probabile eſt eorùm mores & ritus innotuiſſe Judæis, *Ægypto* nuper egreſſis; cum tamen eos חמנים in uſu tunc temporis habuiſſe, non difficulter e [b] Scripturis intelligatur.

Secundo: ea fides aliorum animos occupat, *Chammanim* nempe templa vel delubra fuiſſe, quæ in honorem Solis, qui חמה dicitur, extruebantur. In horum auctorum numero cenſendi ſunt Lxx, qui vocem illam per [c] τεμένη; *S. Hieronymus*, qui per [d] *fana* & [e] *delubra*; [f] *Aben-Ezra* qui per *templa facta ad cultum Solis*, interpreratur. Conſentit *Targum* in *Jeſai.* 17. 8. ubi vox חמנים per חנסנסיא *delubra* redditur: [g] *Coccejus* etiam; nam חמנים (ait ille) *videntur, in veterum ſuperſtitione, eſſe fana idolorum calentia ignibus ſacrificiorum.*

At neque hæc ſententia quid ſolidi vel ſani continet: nam [h] hiſtoria ſacra, *Joſiæ* geſta referens, dicit inter alia, quod גדע החמנים *excidit Chammanim*, vel, uti noſtri vertunt) *The Sun-images he cut down.* Cum hac autem verſione non bene cohæret *delubri* notio: cum enim delubra, e cocto latere, ſaxo dolato, vel calce, præcipue coagmentata ſint; *Joſias* hæc equidem demoliri vel deſtruere potuit, non autem *excidere*, vel iis ſecurim admovere. Deinde: nullibi legitur, ſacerdotes ullos in *Chammanim* illis, ceu templis, habitaſſe vel miniſtraſſe. Præterea: in verſione Græca vox *Chammanim*, ὑψηλὰ, εἴδωλα, βδελύγματα (quod obſervatum eſt ſupra) verti ſolet: ſuadet autem loquendi proprietas, ut voces eas de columnis aut ſimulacris, potius quam templis aut delubris, exponamus.

Tertio: ita fert animus aliorum, *Chammanim* ſcilicet *idola fuiſſe, Soli expoſita in tectorum ſummitatibus*, uti [i] *Buxtorfius* hanc ſententiam exprimit; vel *ſimulacra extructa in aprico loco Solis calorem excipiente*, prout *Avenarius*.

Cum autem opinionis hujuſce patroni horum idolorum formam non exhibeant; cum etiam certum ſit, idololatras, non hæc tantum, ſed omnia Soli dicata, in tectorum aut montium ſummitatibus, ejus calori & quaſi aſpectui expoſuiſſe; hanc etiam opinionem nullius æſtimandam cenſeo, & hæc omnia ideo tantum ab auctoribus modo laudatis dicta, ne plane nihil dixiſſe viderentur.

Quarto: alii ea ſunt opinione, *Chammanim* ſimulacra fuiſſe Soli ſacrata, & ad Orbis ſolaris imaginem facta, ab iis qui Solem pro Numine habuerunt. Hoc in animos ſuos induxerunt, [k] *Schindlerus*, [l] *Kircherus*, & [m] *interpretes* noſtri *Anglicani*, (ni fallor) qui *Chammanim Sun-images* reddiderunt. Hiſce viam præſtruxit [n] *Benjaminus Tudelenſis*, qui regiones Orientales perluſtravit, & (ſi fidem ei tribuamus) oculis ſuis hujuſmodi ſimulacra frequenter uſurpavit.

At neque hæc opinio, leviter percuſſa, ſolidius tinniet: nam [o] Scriptura ſacra de חמנים loquitur tanquam columnis aut ſtatuis excelſis, aut in altum elevatis; non tanquam ſimulacris in formam orbicularem fabrefactis. Deinde: *Benjaminus* ille a doctis auctor fabuloſus haberi ſolet, eique non multum detrahitur, ſi & hæc hiſtoriola *Benjamini* fabulis accenſeatur. His addo, quod auctor ille ſimulacra quædam, ad Orbis Solaris exemplar efficta fuiſſe dicit; ea vero *Chammanim* ipſa Lege memorata non dicit: ideoque ſententiæ huic non multum ſubſidii præſtare poteſt, modo veri nuncius.

Quinto: ſententia diverſa placuit *Bocharto*, *Le Moin*, aliiſque viris eruditione præſtantibus; qui *Chammanim*, monumenta quædam hiſtorica, templis recondita,

a *Lev.* 26. 30. 2 *Par.* 34. 7. b *Levit.* 26. 30. c Lxx in *Ezec.* 6. 4, 6. d 2 *Par.* 14. 5. *Ib.* 34. 7. f In *Levit.* 26. 30. g *Lexic.* in *Voc.* h 2 *Paral.* 34. 4. i *Lexic. Hebr.* voc. חמנים k *Lexic. Pentagl.* col. 594. l *Obeliſc. Pamphil.* Lib. 1. c. 8. p. 14. m 2 *Par.* 34. 4. n *Itinerar.* p. 107. o 2 *Chronic.* 2. 34. 4.

vel

vel altaribus aut ſtatuis literis arcanis inſcripta, fuiſſe arbitrantur. Auctor [a] primus vocem *Chammanim* de templis præcipue; [b] ſecundus de monumentis inprimis, exponendam cenſuit. Sic enim auctor ille ſententiam hanc paulo clarius exprimit: *erant* חמנים *ſtatuæ vel altaria in honorem Solis, qui dicebatur* חמה *extructa, in quibus varia vetuſtioris antiquitatis monumenta cernebantur.* Ad fidem huic opinioni præſtandam, multa ſpecioſe dicta ſunt ab auctore jam laudato, quæ lectori conſulenda relinquo, cum animus otiumque ferant. SECT. III.

OPINIONEM ipſam quod attinet, conjecturis licet ingenioſis commendatam, nullam apud me fidem invenire poteſt. Nam *Chammanim* fuiſſe ſtatuas aut altaria literis arcanis inſculpta, eo minus veritati conſonum eſt, quod e Scriptura pateat, ea inter *Canaanitas*, populum a literis & bonis moribus alienum, locum frequentem inveniſſe. Deinde: e totius Scripturæ ſerie patenter elucet, חמנים præter cætera profani cultus objecta vel inſtrumenta, Deo odioſa fuiſſe, & aboleri debuiſſe. At nulli rationi congruum eſt, Deum חמנים odio tam ingenti proſequi voluiſſe; ſi ſtatuæ tantum, altaria vel tabulæ ſaxeæ, literis arcanis exaratæ fuiſſent, & nil niſi *vetuſtioris antiquitatis monumenta* continuiſſent. Præterea: ſi ad Scripturas attendamus, חמנים ſemper inter idololatriæ objecta rituſque memorata reperiemus; ideoque par eſt, ut ea inter idololatriæ potius quam hiſtoriæ monumenta recenſeamus.

SECT. III.

Τῶν *Chammanim natura & forma genuina probabiliter explicantur.*

CUM ſententiæ ſuperius allatæ longe abſint a veritate, mihi bene licebit (uti ſpero) ſententiam meam interponere; ſi præſertim argumentis aſtruatur, ad rationis trutinam perpendendis. Sic itaque naturam & formam eorum explicandam cenſeo: *Chammanim, ſymbola quædam erant, aut figura conica vel pyramidali facta, quibus idololatra veteres ad ſolis & ignis cultum utebantur*: vel, ut rem totam paulo fuſius & explicatius referam, "Hebræorum *Chammanim* erant ſtatuæ vel columnæ quædam "altiores, e ligno vel ſaxo conflatæ, ad Obeliſci vel Pyramidis Ægyptiacæ ſimilitudinem "formatæ, & apud idololatras antiquiores, Ægyptios inprimis, in uſu frequenti poſitæ. Ut autem huic deſcriptioni rudiori lux eo clarior afferatur, uſui erit illius partes omnes diſcutere, & ſigillatim explicare. Natura & forma Chammanim.

A PRIMIS itaque deſcriptionis hujuſce verbis auſpicari libet, *Hebræorum Chammanim erant ſtatuæ vel columnæ.* Hoc aſſero, Scripturæ præcipue motus auctoritate, qua voces illæ, מצבות (quæ *ſtatuas* aut *columnas* notat) & חמנים promiſcue & indifferenter uſurpantur. Hoc e variis Scripturæ locis inter ſe collatis luculenter innoteſcat.

NAM 2 *Paralip.* 14. 3. ſcriptum extat, *& Aſa removit .. excelſa, & confregit* את המצבות *ſtatuas* aut *columnas*: ſic autem *verſ.* 5. Capitis ejuſdem, de eodem *Aſa* legitur, *& removit de cunctis urbibus Juda excelſa*, ואת החמנים *& Chammanim*: ubi manifeſtum eſt חמנים *verſ.* 5. in locum τῆ מצבות *verſ.* 3. tanquam vocem ſynonymam, ſurrogari.

USUS ille promiſcuus patet etiam e verbis *Exodi* 34. 13. *Altaria eorum diruetis, &* מצבתם *columnas eorum confringetis*; collatis cum *Levit.* 26. 30. *Abolebo excelſa*, i. e. altaria, *veſtra*, & ſuccidam חמנים *veſtra*: nam ibi חמנים locum τῆ מצבות occupare, ſenſus affinitas & ſimilitudo dubitare minime patiuntur. מצבות autem *ſtatuas* aut *columnas* denotare, ſatis extra dubium ponit Græcorum verſio, qui vocem illam ſæpiſſime per στήλας & στήλαι expoſuerunt.

PROMISCUUS ille vocum earum uſus & intentio, ex hiſtoria *Joſiæ* fidem firmiorem petat. De eo nempe memoriæ proditum eſt, 2 *Reg.* 23. 14. quod *contrivit* את המצבות *ſtatuas, & ſuccidit lucos*: at 2 *Chronic.* 34. 4. *Joſiah* fertur *deſtruxiſſe aras* Baalim, *& Chammanim*, .. *& abſcidiſſe lucos*: adeo ut clarum ſit, חמנים ibi locum τῆ מצבות obtinere, & voces eas ſe mutuo exponere & interpretari.

PROGREDIOR in deſcriptione τῶν *Chammanim* explicanda, qua ſymbola illa idololatrica *ſtatuæ vel columnæ altiores* appellantur. Nec immerito: erant enim *Chammanim* columnæ inſignes eminentia, ad multorum cubitorum altitudinem aſſurgentes. Hanc aſſertionem credibilem reddunt LXX, *Chammanim* [c] duobus in locis per τὰ ὑψηλὰ transferentes. Rei hujuſce fidem paulo certiorem faciunt illa Textus Hebræi verba

a *Geogr. Sacr.* Lib. 2. de *Ling. Phœn.* cap. 17. col. 773. b *Var. Sacr.* Tom. 1. Prolegom. ſub fin.
c Vid. 2 *Par.* 34. 4, & 7.

SECT. III.

quæ nobis occurrunt 2 *Chronic*, 34. 4. *Deſtruxerunt aras Baalim* והחמנים אשר למעלה מעליהם *& Chammanim quæ in ſublime* ſurgebant *deſuper iis*; h. e. quæ aras ipſas altitudine multum ſuperabant. Aſſertioni meæ nonnihil præſidii præbent etiam [a] illa, de Gideone dicta, *deſtruxit altare Baalis, & ſuccidit* את האשרה אשר עליו *ſtatuam* aut *columnam quæ ſupra illud*. Nam eo in loco vocem עליו *ſupra illud* ſignificare, verſione τῶν Septuaginta confirmatur, qui עליו hic ἐπ' αὐτῷ *ſuper illo*, non πρὸς αὐτὸ *juxta illud*, interpretantur: ſenſus etiam cohærentia poſtulat, ut eo loci vox אשרה non *lucum*, ſed *columnam* aut *ſtatuam ligneam*, notare cenſeatur. Hunc autem ſignificatum huic voci competere, oſtenſum eſt alibi, loco magis opportuno. Adeo ut intentio loci ſit indicare, ſtatuam aut columnam a *Gideone* ſuccifam, in ſublime elevatam fuiſſe: & ſupra altare multum eminuiſſe.

DUÆ vero rationes aſſignari poſſunt, cur idololatræ veteres tam ſancte curarunt, ut hæ ſtatuæ ſolares in altum ſurgerent, & eminentia ſua tam conſpicuæ redderentur.

(1°.) UT earum altitudo eas Soli, numinum ethnicorum ſupremo, ſacratas, & ſolem in iis cultum, eſſe denotaret. Atque inde factum eſt, ut omnia, ſoli, lunæ, vel exercitui cœleſti, ſacra [puta, montes, luci, templa, pyramides, obeliſci, altaria, [b] quercus, alia] in altum conſurgerent, & admodum eminerent. Non ex decoro creditum eſt, aut eorum ſublimitati conſentaneum, ut Diis eorum ſupremis humile vel repens aliquid inſcriberetur.

(2°.) STATUÆ ſolares [obeliſci & pyramides] altitudine notabili donatæ fuerunt apud Ægyptios, quorum mores ſacros [c] Hebræi, genteſque aliæ ſtudioſe ſequebantur. Ægyptios hujuſmodi columnas altitudine præcellentes erexiſſe, Solique dedicaſſe, multis exemplis indicavit [d] Kircherus, auctor *eruditus in omni doctrina Ægyptiorum*.

PARS ea deſcriptionis modo dictæ, *e ligno vel ſaxo conflata*, proximo ſuccedit illuſtranda. Hoc autem paucis efficiam, ſi dixerim, Hebræos eorum *Chammanim* e ligno, ſed Ægyptios e ſaxo, plerunque fabricaſſe. Aſſertionis primæ veritatem firmat Græcorum verſio, qua *Chammanim* Hebræorum per [e] ξύλινα χειροποίητα *lignea manufacta* transferuntur. Sed aſſertionis hujuſce fidem paulo firmiorem faciunt ea Scripturæ loca, quibus *Chammanim uri*, vel *exſcindi*, dicuntur; cum idola quævis alia, una cum *Chammanim* memorata, [f] *frangi* dicantur, *everti*, *in pulverem reduci*, vel *liquefieri*. *Vatablus* ligneam τῶν *Chammanim* e loco [g] illo *Chronicorum* tam clare colligendam cenſuit, ut dicere non dubitaverit [h] *Chammanim lignea fuiſſe ſimulacra, apparet e 2 Paral.* 34. 7. *Et omnia* החמנים *ſuccidit*. Huic affinitate non longe remota junctus eſt locus ille [i] *Jeſaiæ*, qua החמנים τὰ εἴδωλα vocantur a Græcis, ἐκκεκομμένα. Huc etiam facere videtur locus [k] ille, quo *Joſiah*, non המזבח altare ſolum a *Jeroboamo* factum *deſtruxiſſe*, ſed & הבמה *excelſum*, una cum luco, *combuſſiſſe*, dicitur. Cum autem הבמה hoc in loco, ab *altari* ſimul & *luco* clare diſtinguatur; neceſſe eſt, ut columna eminentior, e ligno facta, eo nomine venire cenſeatur. Hæc omnia fide digniora ſunt, quod hæc materia lignea cum ſumma τῶν *Chammanim* antiquitate maxime conveniat; cum ſimulacra e ſaxo facta vix ullum conſenſum colant cum temporum antiquiorum ruditate & ſimplicitate. Interea loci non inficias iverim, Ægyptios antiquiores, artibus mechanicis inſtructos, ſtatuas ipſorum ſolares e lapide [l] *pyrite* formare ſolitos; eo quod lapidis illius color igneus, cum natura Solis ignea maxime conſentire, eamque quadantenus imitari videretur. At Hebræorum rudi populo non licuit eſſe tam eleganter idololatrico. Illi, propter ſaxorum defectum, pyramides & obeliſcos pares Ægyptiacis erigendo non erant, ideoque columnas aut trabes ligneas eorum loco ſoli ſtatuerunt. Illi ſatis pie & ornate ſe ſacra ſua procuraſſe cenſuerunt, ſi columnam ligneam, ad radii ſolaris imitationem efformatam, in templo vel altaris vicinia poſuiſſent.

NIL jam vetat, quo minus ad verba proximo tranſeam, quibus *Chammanim* columnas *ad obeliſci vel pyramidis Ægyptiacæ figuram & ſimilitudinem formatas* aſſero. Ad hanc ſententiam, variis argumentis inductus, inclinat animus:

(1°.) GENTES antiquiores Solem in pyramide, vel columella figuræ pyramidalis, coluere, Græcos veteres iſtiuſmodi columellas uſu frequentes habuiſſe, & proprias *Apollini* voviſſe, ex *Heſychio* & [m] *Harpocratione* ſatis intelligitur. Ἀγυιεὺς ἐστι κίων εἰς ὀξὺ λή-

a *Judic.* 6. 25. & 28. b Ἄγαλμα Διὸς Κελτικὸν, ὑψηλὴ δρῦς. *Max. Tyr.* Diſſert. 38. c *Ezec.* 20. 7, 8. & 23. 8. d *Oed. Ægypt.* T. 1. p. 30. & T. 3. p. 264. 5, 6. Et *Obeliſc. Pamph.* pag. 157. e Vid. Lxx in *Lev.* 26. 30. f *Ezec.* 6. 6. g 2 *Chronic.* 34. v. 4. & 7. h *Annot.* in *Levit.* 26. 30. i *Jeſ.* c. 27. 9. k 2 *Reg.* 23. 15. l *Kircher. Obeliſc. Pamph.* p. 50. m *Harpocrat.* in voc. ἀγυιᾶς.

γων,

Digitized by Google

γων, ἣν ἱστᾶσι πρὸ τῶν θυρῶν. i. e. *Ἀγυιεὺς eſt columna in acutum deſinens, quam ante fores ſtatuunt.* *Paphii, Cypri* incolæ, ſtatuam albæ pyramidi non abſimilem [a] erexerunt, & in ea *Venerem* coluerunt. Ægyptii veteres (quod norunt e trivio pueri) pyramides, & obeliſcos in cuſpidem deſinentes, in Solis honorem ſtatuerunt. SECT. III.

(2°.) FIGURA pyramidalis Soli maxime conveniebat, cui τῶν *Chammanim* ſacrabantur. Nam hujuſmodi figura ignem (Solis ſymbolum) & radium ſolarem referebat; erat etiam figura maxime duratura, adeoque Soli, quem numen æternum credebant ethnici, maxime conſentanea. Eſt itaque rationi congruum, ut *Chammanim* ſymbola Soli ſacra, figuram plerunque pyramidalem geſſiſſe cenſeantur.

(3°.) ÆGYPTIORUM *Chammanim*, aut columnæ quas illi in Solis honorem & cultum erexerunt, lapides erant altitudine conſpicui, & faſtigio in acutum ſe attollente fabrefacti. Cum itaque Judæi, vitam agentes in *Ægypto* τῶν *Chammanim* hac forma factis diutius aſſueverant; cum etiam moribus eorum antiquis, Ægyptiis inprimis, eſſent addictiores; ipſa rei per ſe ſpectatæ probitas opinari ſuadet, eos, in pyramidali τῶν *Chammanim* forma, mores Ægyptiorum exprimere voluiſſe; cum præſertim ipſas illas ſtatuas Solares ab *Ægypto* mutuas accepiſſent.

(4°.) STATUÆ Solares in Ægypto frequentes, eodem pene nomine quo ſtatuæ Solares apud Hæbræos, innotuere. Prout enim Hebræorum ſtatuæ, *Chammanim*, ſive *Solares* appellatæ ſunt; ſic etiam obeliſci, vel ſtatuæ quas [b] Ægyptii in Solis honorem erexerunt, *Niteb Piri* digiti ſolis, a radiorum forma quam imitantur, nomen acceperunt. Deinde: prout Ægyptii columnis eorum ſolaribus nomen *Pyramidum*, vel ſtatuarum igniformium tribuerunt; ſic & Hebræi ſtatuis ipſorum ſolaribus nomen חמנים [quod *ignis* aut *uſtionis* notionem gerit] aſſignarunt. Cum itaque Pyramides *Ægypti* *Chammanim* etiam Hebræorum, ea nominum affinitate ſibi mutuo jungerentur; a veri fide non diſſidet, ea, quoad figuram etiam, magnum inter ſe conſenſum & analogiam coluiſſe.

JAM ad ultimam deſcriptionis modo dictæ partem deſcendat ſermo, qua ſcilicet aſſerui *Chammanim* "ſtatuas fuiſſe, apud omnes idololatras antiquiores, Ægyptios inprimis in uſu frequenti poſitas. Laboris equidem ingentis, at uſus exigui, res eſſet, teſtimoniis oſtendere, gentes omnes idololatriæ deditas *Chammanim* olim in uſu frequenti habuiſſe. Nemo enim cordatior paulo morem illum in dubium vocare potis eſt, cum apertum ſit, idololatras omnes ſolem impenſius adoraſſe, eique in ſtatuis pyramidalibus, tanquam ſymbolis maxime familiaribus, cultum præſtitiſſe. Ne tamen in hac incœpti mei parte diligentia mea deſiderari cenſeatur, oſtendam paucis, iſtiuſmodi columnas, apud *Canaanæos*, *Hebræos*, *Britonas* antiquiores, inprimis autem Ægyptios in uſum familiarem abiiſſe. Eas apud *Canaanæos* plurimum invaluiſſe, loca illa plurima teſtatum faciunt, quibus præceptum eſt Iſraelitis, ut eorum מצבות [c] frangerent & abolerent. Alibi nempe probatum dabo, vocem illam de columnis ſoli ſacratis, & in ejus honorem & cultum ſymbolicum erectis, inprimis intelligendam. *Hebræos* etiam τῶν *Chammanim* animos appuliſſe, & columnas illas in uſu frequentes habuiſſe, non obſcure colligitur ex hiſtoria ſacra quæ mentionem earum tam frequentem injicit. Idem clare ſatis intelligitur e *Prophetis*, a quibus eorum averſiones [d] a *lucis & Chammanim* inter præcipua pœnitentiæ ſuæ ſinceræ teſtimonia quandoque numerantur. Britonas antiquiores ejuſdem idololatriæ reos peragunt eorum monumenta, paſſim obvia, quæ vetuſtas edax nondum abolere potuit. Nam plurimæ illæ columnæ pyramidales quas *Ignatius Jones*, ſeculi ſui *Vitruvius*, in templo illo idololatrico *Stoneheng* dicto, [e] paſſim obſervavit, indicio ſunt incolas antiquiores hujus inſulæ cœleſtes ignes in Deorum ordine collocaſſe, & pyramides illas in ignium eorum honorem & memoriam poſuiſſe. Nec abſurde, columnæ illæ, forma pyramidali factæ, & [f] *dæmonis ſagittæ* vulgo dictæ, ſimili conſilio poſitæ fuiſſe & non tam victoriæ ibi partæ (ut vulgi fert opinio) quam ſuperſtitionis antiquæ monimenta, cenſeantur. Præ cæteris autem mundi gentibus, Ægyptii ad ſtatuas haſce ſolares affectibus inclinaſſe, eaſque in uſu frequentes habuiſſe, videantur. Columnas enim ſolares, in agris, villis, urbibus, templis, alibi, ſtatuerunt: adeo ut (ſi [g] *Kirchero* credimus) *vix ullus Ægypti locus eſſet tam exiguus, qui obeliſcis*, hoc eſt, iſtiuſmodi columnis, *non ornaretur.* Hac de re nemo dubitaverit, qui gentis illius ardorem in ſole colendo contemplatus fuerit; quique pyramidum & obeliſcorum mentionem in *Ægypti* monumentis obviam, multa etiam hujuſmodi trabium ſolarium frag-

a *Max. Tyr.* Diſſert. 38. b *Kircher. Obeliſc. Pamph.* p. 395. c *Exod.* 34. 13. *Deut.* 7. 5. *Levit.* 26. 1. *Deut.* 12. 3. d *Iſ.* 17. 8. *Iſ.* 27. 9. *Ezec.* 6. 6. e *In Opere inclyt. cui tit.* Stoneheng, reſtored. f Vid. *Cambden. Britan.* g De *Obeliſc. Pamphil.* L. 1. p. 75.

Sect. IV. menta in agris & [a] ruderibus urbium Ægyptiacarum hodieque reperta, ſecum in animo conſideraverit. Hujuſmodi columnas in *Ægypto* frequentes [b] Propheta videtur ob oculos babuiſſe, cum ait, συντρίψει τοὺς στύλους τῆς Ἡλιουπόλεως, ***conteret columnas civitatis ſolis***, vel *Heliopolis*, urbis Ægyptiacæ, potiſſimæ Saeerdotum ſedis, quos religionis & philoſophiæ ſtudium occupatos tenuit.

S E C T. IV.

Uſus & intentio τῶν Chammanim indicantur.

Uſus & intentio Chammanim.

RES Hebræorum veterum tam perplexæ ſunt hodie & tenebris involutæ; annales ethniei, columnas ſoli vel ſyderi alicui ſacraras memorantes, eas modo tam diſſimili deſcriptas exhibent; & Scriptura ſaera plerunque *Chammanim* ſpectantia racite adeo prærermittit; ut difficile ſit quicquam in hoc argumento pro eerto ſtatuere, vel alicujus momenti teſtimonio confirmare. Quantum autem conjicere datum eſt, *Chammanim* non uni, ſed variis uſibus, inter idololatras antiquiores inſerviebant. Nam

Primo: *Chammanim*, mole grandiora, ſymbola vel figuræ fuiſſe videntur, in quibus idololatræ veteres, *igni* & *ſoli*, tanquam præſenribus, cultum exhibebant. In hane ſententiam, non una ratione motus, inelinat animus: nam (1°.) fortis hujus idola nomine חמנים ſemper in Seripruris innoteſcunt, voce a חמה ***ſolem*** & ***ignem*** vel ***calorem intenſum*** notante derivata. Quid autem hoe nomioe donata veniunt, niſi quod *ignem* & *ſolem* repræſentarent, & idololatræ utrumque in חמנים tanquam ſymbolis eorum nomen & vicem gerentibus adorarent. (2°.) Vox ea ſemper πληθυντικῶς uſurpatur in Scriptura ſaera, & in ea voeem חמן nuſquam invenire datum eſt. Hujus autem ſignificarus, ubique pluralis, difficile eſt cauſam aſſignare, niſi vox חמנים duplicem ſignificatum eontinere; & *ſol* & *ignis* in חמנים tanquam ſymbolo vel figura vicaria, repræſentari, eenſeatur. (3°.) Sol & ignis idololatriæ fueruot objecta & inſtrumenta vetuſtiſſima. Nemo rei hujuſee veritatem in dubium vocare poteſt, qui [c] Scripturæ ſacræ teſtimonio fidem adhibet; & auctores a [d] *Seldeno*, [e] *Grotio*, [f] *Kirchero*, [g] *Voſſio*, [h] *Reineſio*, ciratos, conſultum ivit. Hie itaque omnia in conceſſis ponam, nihil otii vel operæ argumento tam trito & perſpecto impenſurus. (4°.) Cum ob Solis, & aliorum corporum cœleſtium, diſtantiam, ſaera iis ad votum fieri haud ita commode potuerint; eorum cultores hujuſmodi ſymbola, quæ præcipue eongrua videbantur, in eorum honorem conſecrare pium eſſe judicabant. Nee ita mulrum intereſſe credebant idololatræ an ſymbolum, an ſymboli figuram, an ipſum numen, aut numinis imaginem adorarent. Hæc [i] *Seldenus* noſter obſervavit, libro illo qui in omnium manibus verſatur, aur verſari deber. (5°.) Figuræ, ignis formam referentes, Solis & Syderum ſymbola maxime congrua & uſu frequentia, ſeculis antiquioribus fuiſſe videantur. Nam apud Ægyptios in more erat, columnas altiores, pyramides, obeliſcos, pyropos, utpote Solis radios aut naturam igneam referentes, honore ſingulari proſequi: ſolebant etiam *Syri*, *Phœnices*, *Perſæ*, *Chaldai*, alii, πυρῶν, ſtatuas igniformes, & quicquid illis analogum, Soli dedieare; iiſque utpote vim aut formam Solis igneam exprimentibus, culrum exhibere. Ideoque rationi morique veterum conſentaneum eſt opinari, eos columnas igniſormes, חמנים dictas, in Solis & aliorum ſyderum honorem erexiſſe; cum præſertim [k] *Plato* corpora illa cœleſtia Θεοὺς πυρίνους ***ignea numina*** nuneupaverit.

Secundo: τὰ *Chammanim* ſigna vel interpreres erant altaris illius in cujus vicinia ponebantur, & illud Soli, vel corpori alicui cœleſti, ſacrum & dieatum eſſe teſtabantur. *Chammanim* huic officio miniſtraſſe, e variis illis Scripturæ locis haud obſeure colligendum eſt, ubi במות ***altaria*** & חמנים ***ſtatua ſolares*** conſoeiata reperiuntur: viz. *Levit*. 26. 30. 2 *Paralip*. 14. 3, 5. 2 *Reg*. 23. 15. 2 *Chronic*. 34. 3, 4, 7. *Ezec*. 6. 4, & 6. *Jeſ*. 17. 8. & 27. 9. Quid autem tam ſancte eurabant idololatræ vereres, ut altaria & *Chammanim*, tanquam res geminæ & germanæ, ſæpiſſime jungerentur; niſi ut *Chammanim* eſſent altarium indices & interpretes, & quivis חמן in altaris alicujus vicinia ſitum intuens, ſacile pereipere poſſet, eos altare illud,

a Id. ib. pag. 60. b *Jerem*. 43. 13. c *Job*. 31. 26. *Deut*. 4. 19. d De *Diis Syr*. Synt. 2. cap. 8. e *Comment*. in *Lev*. 26. 30. f *Oed. Ægypt*. Tom. 1. p. 250. g De *Orig. Idol*. Lib. 2. c. 9. h *Inſcript. Antiq*. pag. 93. i De *Diis Syr*. Proleg. cap. 3. p. 50, 53. k Ap. *Diog. Laert*. in Vit. *Platon*.

non

non Lunæ, non Veneri, non Heroi alicui, ſed Soli tantum ejusque ſacris, ſtruxiſſe & dedicaſſe?

Tertio: τῶν *Chammanim* uſus non poſtremus fuiſſe videtur, ut eſſent ἀναθήματα vel dona quædam honoraria quibus idololatræ frugiferum Solis influxum, aur grari recolebant, aut tacite implorabant. Huic conjecturæ anſam ſatis amplam præbent Dei per [a] *Prophetam* verba: *vitis vacua eſt Iſrael, fructum ſibi ipſi profert: juxta multitudinem fructuum ejus, multiplicavit altaria:* כטוב *ſecundum bonitatem* [aut benigniratem] *terra ſua*, הטיבו מצבות *benefecerunt* [aur erexerunt] *ſtatuas* pulchras: h. e. Gratias, ob uberes terræ fructus, columnis in Solis honorem ſitis tribuerunt; vel columnas novas & eximias, tanquam χαριστήριον, Soli, veluti fructuum largirori, poſuerunt. Atque hic ſenſus non parum firmatur auctoritate *ſeniorum*, qui Hebræa ſic vertunt; Κατὰ τὰ ἀγαθὰ τῆς γῆς αὐτοῦ, ᾠκοδόμησε στήλας.

Quarto: *Chammanim* inſtitura videntur ab ethnicis, ut eſſent objecta illa propinqua & viſibilia, ad quæ ritus eorum religioſos dirigere poſſent, cum circa ſacra verſarentur. Niſi enim *Chammanim* præſto fuiſſent, erhnicorum ritibus ſacris honorandi: nihil ſenſibile habuiſſent, quod eorum animos afficere, aut cui ritus eorum religioſos præſtare, poſſent, adeo ut neceſſe eſſet, ur eorum pia vota in aerem evaneſcerent, eorum zelus inter ſacra multum deferveſceret, ceremonias etiam nonnullas, cultus ordinarii comites, miſſas facerent. Gentium antiquiorum, non tantum craſſa religio, ſed & craſſius ingenium, omnino poſtularunt, ut objectum aliquod inter ſacra præſens occurreret, quod eorum oculos & animos defixos derineret, quod eorum zelum accenderer, & errantes eorum affectus & ſtudia colligeret & determinaret. Huic ævi priſci genio morique congruum erat, ut ubi altare ad ſacra peragenda comparatum erat, ibi Numinis ſymbolum aut ſimulacrum, vel arborum congeries, ant חמן aur affine aliquod cultus objectum ſenſibile, ſtatueretur; ut altaris cui adſtabat uſum & finem exponeret, culrorum animos (uti perſuaſum eſt erhnicis) ad objectum proprium dirigeret, & eorum zelum animaret.

Sunt alia nonnulla ad hoc argumentum pertinentia, quæ in locum aptiorem differenda cenſui.

SECT. V.

Leges de Chammanim *abolendis, & earum rationes, explicate tradantur.*

Leges illæ in Pentateucho quæ τῶν *Chammanim* abolitionem pro ſcopo habent, interpretum longe plurimorum obſervationem & eaprum fugiſſe videntur. Non erit itaque lectori labor ingratus (uti ſpero) ſi leges eas e tenebris eruere, iisque lucem paulo clariorem impertire, ſatagam. Ut autem ordine juſto procedar ſermo, *primo*, de legibus illis diſtinctius agendum eſt; *ſecundo*, rationes earum diligentius inveſtigandæ. Leges de Hhammanim abolendis.

Primo: leges illæ quibus *Chammanim* prohibentur, in medium producendæ ſunt, & paulo diſtinctius explicandæ.

Ex iis autem legibus, *prima*, qua *Chammanim* alio licet nomine donata, prohibentur aut perſtringuntur, occurrit *Exod.* 34. 13. *Eorum altaria diruetis*, ואת מצבתם *& eorum ſtatuas confringetis*, ואת אשריו *& lucos eorum ſucoidetis.* Eo ſcilicer in loco, voce מצבות columnas alto vertice conſpicuas, & Soli præcipue ſacras, intelligendas arbitror, tribus inductus argumenris.

(1°.) מצבות hac in lege, prout alibi ſæpe cum במות altaribus conjungitur, uti חמנים eriam conjungi ſolet מצבות hic & alibi, cum *altaribus* memorari, cuivis parebit conſulenti, *Deuter.* 12. 3. *Deuter.* 7. 5. 2 *Paral.* 14. 3. & horum affines locos, Τῶν *Chammanim* una cum *altaribus* aut *excelſis*, mentionem fieri, pateat e *Levit.* 26. 30. *Ezec.* 6. 4. & aliis Scripturæ locis ſuperius obſervatis.

(2°.) Vox מצבות una cum אשרים aut אשרות *lucis*, hac in lege, uti & alibi ſæpe, copulatur: viz. 1 *Reg.* 14. 23. 2 *Paral.* 14. 3. 2 *Reg.* 23. 14. 2 *Reg.* 17. 10, 11. & 2 *Paral.* 31. 1. Et obſervare juvet, אשרים & חמנים non minus frequenter conſociari, viz. *Ieſai.* 17. 8. 2 *Par.* 34. 4, 7. & *Ieſai.* 27. 9. Si quid itaque e ſocio cognoſcatur, מצבות & חמנים ejuſdem pene naturæ & uſus inſtrumenta

a *Hoſ.* 10. 1.

SECT. V.

notaſſe & nomine potius diſcrepaſſe quam re, minime temerarium eſt opinari.

(3°.) חמנים & מצבות in Scriptis ſacris, quandoque promiſcue & indifferenter uſurpantur. Nam in lege præceptum extat, quandoque de Gentilium altaribus & חמנים [a] amoliendis, alibi de eorum [b] altaribus & מצבות auferendis. Et hiſtoria ſacra, res *Joſiæ* memorans, [c] uno in loco dicit, eum *altaria, lucos, ſculptilia,* וכל החמנים e medio ſuſtuliſſe; [d] alibi vero, *lucos, excelſa,* ואת המצבות *& columnas*, nulla τῶν חמנים mentione facta. Si quis itaque in re tam obſcura conjecturæ locus ſit, מצבות & חמנים tanquam genus & ſpecies differre cenſeantur; adeo ut מצבות de columnis quibusvis frequentius idololatricis, חמנים vero de columnis in ſolis honorem erectis intelligantur.

Lex ſecunda qua *Chammanim*, licet alio nomine velata, videntur interdicta, nobis occurrit *Levit.* 26. 1. *Non facietis vobis idola & ſculptile,* ומצבה *& columnam non erigetis vobis.* Rationes autem duæ mihi cauſam opinandi præbent, חמן aut columnam ſolarem hic voce מצבה latitare: (1°.) Nuſpiam occurrit מצבת inter alia ſuperſtitionis objecta vel inſtrumenta, quin ſtatuam aut columnam ſoli vel corpori alicui cœleſti ſacratam denotat. Nunquam enim מצבות & חמנים eodem in commate conjuncta licet invenire: ſed ſi מצבות adſit, ſemper חמנים abeſſe; & ſi חמנים adſit, vocem מצבות ſemper abeſſe, reperiamus. Hoc argumento ſatis clarum eſt, eas voces eſſe pene ſynonymas, & ſignificationes affines continere. Cum itaque vox מצבה hac in lege, a חמנים quidem ſeparata, cum aliis autem inſtrumentis Idololatriæ conjuncta, reperiatur; inde tuto colligendum eſt, columnam ſolarem illius notatione contineri. (2°.) Apertum eſt, vocabulum מצבות nonnullis in locis, de ſtatuis aut columnis ſoli dicatis intelligendum eſſe. Nempe, 2 *Reg.* 10. 26, 27. *Et* מצבות *ſtatuas* aut columnas *de domo Baalis*, i. e. Solis, eduxerunt: & *Jerem.* 43. 13. *συντρί-ψει* מצבות *τὰς στήλας τῆς Ἡλιουπόλεως*, ut reddunt *Septuaginta*. Non eſt itaque a veriſimili alienum, מצבה hic etiam eodem ſenſu capiendum.

Locus tertius quo *Chammanim* interdictæ ſunt, nobis obvius eſt, *Levit.* 26. 30. *Abolebo excelſa veſtra, & ſuccidam* חמניכם *ſolaria veſtra.* Licet enim ipſe textus nihil in ſuperficie præter comminationem ferat, intellectu facile eſt, eum in imo prohibitionem, aut prohibitionis momenta, continere. Utcunque textus ille memoriam alicujus interdicti renovat: nam credendo non ſum, Deum minas illas contra *Chammanim* ingerere voluiſſe; niſi prius eorum uſum lege publica ſuſtuliſſet.

Lex quarta τῶν *Chammanim* uſum inhibens, his verbis lata legitur, *Deut.* 16. 22. *Neque eriges tibi* מצבה *ſtatuam quam Dominus Deus tuus odio habet.* Hanc legem (in præſens) levi tantum digito tactam præteribo, eam ex profeſſo in loco ſuo tractaturus. Nam lex ea varii generis *Chammanim* nondum obſervata vel explicata continet; & illius ſenſum & intentionem genuinam, multorum interpretum, *Rabbinorum* præcipue, commentariis eluſam potius quam elucidatam reperiamus.

Ostensum eſt hactenus, leges, quamvis nec multas nec claras, in Codice Moſaico latuiſſe, quibus erectio τῶν *Chammanim* interdicta eſt. Proximum eſt, ut rationes in medium proferam, cur Deus tot leges τῶν *Chammanim* adverſas dederit, & eorum erectionem tam diligenter inhibuerit. Hujus autem interdicti, frequenter inculcati, cauſæ ſequentes aſſignari poſſunt.

(1°.) Chammanim εἴδωλα fuerunt, & non tantum ad radium ſolarem reverendum, ſed Solem ipſum colendum, comparata. Hac de re non facile dubitandum eſt, cum certum ſit, [e] Græcos interpretes [1] id nominis iis tribuiſſe; cum etiam eum אשרים (notæ nigrioris idolis) [f] conjuncta veniant; quando etiam cum altari plerumque ſociata reperiantur, ut ſcilicet honos oblati ſacri in ea, vel Solem eujus ſymbola fuere, redundaret. Atque hinc elucet ratio, cur *Chammanim* nuſquam in Lege diſerte, vel expreſſo nomine, prohibeantur; quod ſcilicet idola fuerint, eoque nomine præcepto ſecundo vetita, cuivis tunc temporis innotuerit. Neque hoc alicui conſulto mirum videri poteſt, cum & alia peſſimi nominis idola in Scriptura memorentur, quæ tamen nuſpiam in Lege niſi generalibus illius Præcepti verbis interdicta ſunt.

(2°.) Chammanim non tantum idola fuerunt, ſed idola quæ Deus (præ cæteris idolis) abominatus eſt, & odio maximo ſemper averſatus. Poſtquam enim Lex varia,

a *Levit.* 26. 30. b *Exod.* 34. 13. c 2 *Paral.* 34. 7. d 2 *Reg.* 23. 14, 15.
e Lxx in *Jeſ.* 27. 9. f *Jeſ.* 17. 9.

1 *Aquila, Symmachus, & Theodotion. Jeſ.* 27. 9. vertunt חמנים [illegible]

τῶν

τῶν *Chammanim* genera [מצבות עצים & אשרות] [a] enumeraſſet, ex improviſo ſubjungit, *quæ* (omnia) *Dominus Deus tuus odio habet*, præter cætera nempe profani cultus objecta & inſtrumenta. Deus odii hujus exemplum edidit, cum aperte comminatus eſt, ſe judicia graviora In Judæos immiſſurum, tantum ut eorum altaria dirueret, & animos ab eorum [b] *Aſtherim* & *Chammanim* ablactaret. Nec odium illud acerrimum interpretum Græcorum obſervationem fugit, qui, ea de cauſa, חמנים [c] *βδελύγματα abominationes* interpretantur; & (ex immani odio quo חמנים proſecuti ſunt) vocem illam, vocabulo ſenſum ejus genuinum exprimente, [d] nunquam reddiderunt. SECT. VI.

Ideo vero חמנים apud Deum & homines, tam immani flagrabant odio, quod ſymbola Solis eſſent quem gentes omnes vice Numinis habuerunt; quod etiam honorem Deo debitum, plusquam alia quævis idola, ſurripuerunt.

(3°.) CHAMMANIM natales ex *Ægypti* finibus arceſſebant, & cum præcipuis idololatriæ Ægyptiacæ monumentis apprime conveniebant. Aſſertionis hujuſce veritas elucebit e Sectione prima. Hæc autem affinitas in cauſa erat, cur Deus tam frequenter, licet non adeo diſerte, חמנים prohibuerit. Cum enim Iſraelitæ, idololatræ, præſertim Ægyptiacæ, ſtudio ducerentur, allium etiam & idololatriam Ægyptiacam ex æquo ſaperent; conſentaneum erat ut Lex *Chammanim* frequenter inhiberet, quæ ad Obeliſci & Pyramidis Ægyptiacæ exemplar effingebantur. Si enim Deus tam expreſſa ſuperſtitionis Ægyptiacæ monumenta toleraſſet, inde magni aditus ad reliqua genti ſequaci patefierent. Hæc omnia veritati ſimiliora faciunt ea Dei verba, populum ex *Ægypto* nuper egreſſum ſic alloquentis; [e] *abolebo excelſa veſtra & ſuccidam* חמניכם *ſimulachra ſolis veſtra.* Unde enim Iſraelitæ notationem illius vocabuli prompte adeo intelligerent, & ad hujuſmodi idola fervidius inclinarent; niſi quod ex *Ægypto* nuper egreſſi erant, ubi hæc inprimis idola, & eorum nomina, in uſu familiari verſabantur?

SECT. VI.

Objectionibus aliquot ſatisfactum eſt.

EO me ducente methodi mihi præſcriptæ filo, proximum eſt, ut objectiones notæ præcipuæ in lance rationis examinarem. Hoc oneris eo libentius in humeros ſuſcepi, quod anſam mihi præbeat, argumentum principale paulo clarius explicandi; quædam etiam Scripturæ loca, quæ interpretes hactenus haud parum exercitos habuerunt. Objectiones ſolvuntur.

Ex iis autem hæc primas habeat: ſententiæ meæ de notione חמנים tota Doctorum natio reſtagatur, qui ea plerumque, non de idolis, aut ſtatuis in ſublime ſurgentibus, ſed templis Soli, vel numini alicui fictitio, ſacratis, hactenus intellexerunt. Inter eos eminet [f] *Bochartus*, qui ſententiam hanc patrocinio ſatis amplo & erudito cohoneſtavit. Poſtquam enim e *Porphyrio* & *Philone* tradidiſſet, *Sanchoniathonem* ad hiſtoriam ejus concinnandam, ſubſidia multa hauſiſſe, ἐκ τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς ἀναγραφῶν, καὶ τοῖς ἐν τοῖς ἀδύτοις εὑρεθεῖσιν ἀποκρύφοις Ἀμμουνέων γράμμασιν· *Ex templorum monumentis, & iis quæ reperta ſunt in Adytis, arcanis Ammoneorum literis exarata;* hæc ſtatim ſubjungit auctor ille cui parem nondum produxit *Gallia: Ammoneorum, id eſt,* חמנים ammanim, *quod alii* ſimulacra *exponunt, ſed LXX* τεμένη *Ezec.* 6. 4. 9. *Hieronymus* fana 2 *Paral.* 14. 5. *Et* delubra *ibid.* 34. 7. *& Eſ.* 17. 8. *&* 27. 9. *Aben-Ezra in Levit.* 26. 30. templa facta ad cultum Solis: *quod veriſſimum; Sol enim Hebræis eſt* חמה amma, *unde* חמן amman *templum Solis, quem ſolum cœli dominum crediderunt priſci Phœnices.* ——— *Ideoque literæ Ammoneorum ſeu* חמנים *ſunt literæ templorum*, &c.

SED hæc omnia [ſalva tanti nominis dignitate] ſpecioſe magis quam ſolide dicta ſentio. Ad hanc ſententiam non ſine ratione propendet animus: nam e ſupra dictis, & ſtatim dicendis, aperte conſtet multa de *Chammanim* affirmari, quæ columnis quidem aut idolis eorumque ſymbolis bene quadrant, templis autem vel delubris minime convenire poſſunt. Semel repetita ſufficiant lectori conſulto & vigilanti. Nec ad aſtruendam *Bocharti* & aliorum ſententiam, quid momenti habebit illud e *Philone Byblienſi* teſtimonium, ſi rem diligenter expendamus. Nam

a *Deuter.* 16. 21, 22. b *Jeſ.* 27. 9. c *Jeſ.* 17. 8. d Vid. *Kircher. Concord.* in voc. e *Levit.* 26. 30. f *Geogr. Sacr.* Lib. 2. de *Ling. Phœnic.* & *Punic.* Cap. 17. col. 772.

SECT. VI.

(1°.) *Αἱ ἐν τοῖς ἱεροῖς ἀναγραφαὶ*, *ipſa templorum ſcripta vel monumenta*, a τοῖς τῶν Ἀμμωνίων γράμμασι, ſatis clare diſtinguuntur. Ideoque ſententiæ nobis adverſæ nihil adjumenti præbere poteſt.

(2°.) Nil impedit quo minus extrema illius teſtimonii verba, quaſi hoc modo diſtincta & diviſa, legamus & capiamus; καὶ τοῖς ἐν τοῖς ἀδύτοις ἱερεῦσιν ἀπορρήτοις (Ἀμμωνίων) γράμμασι. Adeo ut vox illa, parentheſi clauſa, non ſit originis Hebraicæ (τῷ *Chammanim* affinis) ſed Ægyptiacæ, ſenſum eundem fundens quem vocabulum ἀποκρύφων [a] *Manethos* enim Sebennita Ἀμοῦν, τὸ κεκρυμμένον καὶ τὴν κρύψιν *occultum & occultationem* interpretatur. Hiſce conſonus eſt eorum ſenſus, qui [τῶν Ἀμμωνίων] de ſacerdotibus Ægyptiis, *Ammoni* devotis intelligunt, qui eorum myſteria, characteribus ſacris & arcanis, a vulgi captu ſeparabant.

(3°.) Moribus Ægypti congruum eſt, vocem Ἀμμωνίων de columnis aut ſtatuis quibuſdam in templo pleṙumque poſitis, intelligere, quibus myſteria quædam, Politica, Hiſtorica, Theologica, Theurgica, arcanis characteribus expreſſa, inſculpebantur. Hiſce teſtimonium perhibent illa *Platonis* (oti creditur) libro [b] *Sapientia* ſecundum Ægyptios; *Sapientes Babylonii & Ægyptii, ad illa ſupremi mundi abdita penetrantes, animorum conceptus in lapidibus per figuras deſcribebant. Idemque in omnibus arsibus & ſcientiis faciebant. Deinde lapides, in quibus illa erant deſcripsa, in Templis collocabant, & quaſi paginas perlegendas exhibebant, talesque, librorum loco, illis erant in uſu.* [c] *Proclus* tem hanc luculentius paulo memotiæ conſignavit: *Ægyptiis*, ait ille, *præterita ſemper præſentia viſuntur per memoriam. Memoria vero, per Hiſtoriam.* Αὕτη δὲ ἀπὸ τῶν στηλῶν, ἐν αἷς ἀνεγράφοντο τὰ παράδοξα, καὶ τὰ θαύματος ἄξια, τῶν πραγμάτων, ἅ τε ἐν πράξεσιν, ἅ τε ἐν εὑρέσεσιν Hiſtoria *vero per columnas & cippos, in quibus deſcribunt res paradoxas & admiratione dignas, tam geſtas, quam inventas.* Id moris ab Ægyptiis ad alias [d] gentes effluxiſſe videtur, & anſam dediſſe verbis illis *Apocalypticis*, Cap. 3. 12. *Qui vicerit, illum collocabo in templo* meo ut *columnam novo--inſcriptam nomine.* Huc etiam alluſum eſt forſan 1 *Tim.* 3. 15. ubi Eccleſia *columna veritatis* audit, cui ſcilicet Evangelii vetitas inſcripta, omnibus viſenda proponitur & intelligenda. Sed ut conjecturas haſce miſſas faciam: certum eſt Ægyptios columnas illas ingentes (obeliſcos dico) frequentes erexiſſe, iis etiam myſteria philoſophica, vel regum geſta, ſacris characteribus exaraſſe. Cum autem hujuſmodi columnas *Ammoni* (i. e. [e] Jovi aut Soli) coOſecrarent, ſpecie veri non caret. Ægyptios iis τῶν Ἀμμωνίων titulum impoſuiſſe, eumque (levitet mutatum) in חמנים poſtea tranſiiſſe. Patet enim Moſem nomen illud ſtatim ab exitu ex *Ægypto* [f] familiaritet uſurpare, quaſi frequeos uſus in *Ægypto* illud populo familiare probeque notum reddidiſſet.

(4°.) [g] Nonnulli (nec ſine veri ſpecie) ſentiunt, τῶν Ἀμμωνίων nomine Thebanos quoſdam *Ægypti* inferioris incolas, intelligendos. Vocis enim otiginem ducendam exiſtimant ab אמון vel הםון נא apud [h] Prophetas memotata, urbe qua fanum erat in hnnorem Dei *Ammonis* conſecratum; quæque a [i] Græcis Διόσπολις, a Romanis *Thebæ* dicebatur. Cum itaque docti in ſtudia tam varia, circa vocis hujus originem & ſignificatum diſtrahantur; temeratium eſt eam de *templis*, non autem *idolis*, aut columnis ad cultum poſitis, fidenter interptetari.

Secundo: ad ſententiam meam labefactandam, nonnulli forſan & hoc pugnabunt argumento: חמנים *ſtatuæ ſolares* cum אשרים *arboribus* aut *lucis*, tanquam rebus cognatis, in Scriptura non ſemel conjuncta venlunt. Facile eſt conjunctionis hujus exempla nonnulla in medium proferre. 2 *Paral.* 34. 4. *Et deſtruxerunt coram eo altaria Baalis*, והחמנים & *Chammanim quæ erant ſuper eis demoliri fecit*, והאשרים & *arbores* aut *lucos* &c. *Jeſ.* 17. 8. *Et non reſpiciet* והאשרים והחמנים Textus hiſce cognatus occurrit *Jeſai.* 27. 9. *Non ſtabunt* אשרים & חמנים. Cum itaque hæc duo, his & aliis in locis, conſociata reperiantur; ſimilius eſt vero, *Chammanim* templa fuiſſe, quam ſymbola vel idola, in Solis honorem poſita; nam in ſymbolorum Solarium cenſu; comites eorum אשרים *luci* vel *arbores altiores*, numerari ſolent.

Hæc objectio ſolutionem non difficilem capiet, ſi tationes hujuſce conjunctionis (quantum conjicere licet) paolo luculentius intelligantur.

Harum (1°.) ſit hæc: hujuſmodi אשרים vel atbores sltitudine maxime notabiles, cœli fetvores ab hominibus ſacra τῶν *Chammanim* peracturis propulſarunt, iisque tem-

a Ap. *Plut.* De *Iſid.* & *Oſir.* pag. 354. C b Lib. 14. cap. 14. c Lib. 5. in *Timæum.* d Vid. *Le Moin.* Proleg. ad *Var. Sacr.* ſub fin. e Ἀμοῦν Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία, *Herodot.* Lib. 2. c. 42. f *Levit.* 26. 30. g *Marſham. Can. Chron.* pag. 234. h *Ezec.* 30. 15. *Nahum.* 3. 8. i Vid. Lxx in *Ezec.* loc. cit.

pli

pli vel domus cujusdam ſacratioris uſum præſtiterunt. Veteres idololatras ea de cauſa ſe ad arbores altas denſasque conferre ſolitos, varia ſcripturæ loca teſtatum faciunt. Ex iis uni liceat pauliſper immorari, viz. *Jerem.* 17. 2. quod interpretes noſtri ſenſum illius genuioum minime videntur attigiſſe. Sic enim locum reddidere: *Whilſt their children remember their altars and their* [a] *groves by the green trees upon the high hills.* Ar ſenſus multo commodior, cum textus mente conjunctior, & cultorum prophanorum intentioni propinquior, evaſiſſet; ſi עץ רענן non *arborem virentem*, ſed *frondoſam, condenſam*, reddidiſſent. Hoc eo fidentior aſſero, quod Græcos interpretes hic a partibus habeam, qui vocibus illis Hebræis [b] ſenſum eundem tribuerunt. Sunt alii Scripturæ loci, moris ejusdem teſtes, viz. 2 *Reg.* 17. 10. *Hoſ.* 4. 13. *Ezec.* 6. 13. ad quos digitum ſufficiat intendiſſe. Cum itaque veteres idololatræ, cauſa jam dicta moti, ſub arboribus altis denſiſque ritus ſacros obirent, & [c] ibi columnas ipſorum ad cultum erigerent; nil mirum, ſi חמנים aut מצבות cum אשרים non minus frequenter io Scripturis quam gentium ſacris conjuncta reperiantur. SECT. VI.

(2°.) Chammanim & *Aſcherim* cognatione propinqua ſe mutuo videntur attigiſſe. Erant enim *Aſcherim*, vel arbores ſublimiori vertice donatæ, ſymbola quædam *naturalia* Soli conſecrata; ſed *Chammanim* artificialia, utpote hominum opere & ingenio fabrefacta. Huc ſpectaſſe videntur [d] Lxx, cum *Chammanim*, præter vocis intentionem, ξύλινα χειροποίητα *lignea* ſymbola manufacta reddiderunt. Cum itaque hæc duo Solis ſymbola fuerint, in cultu profano familiaria; clarum eſt, ea multum affinitatis inter ſe invicem coluiſſe, adeoque conſentaneum fuiſſe ut junctis quaſi manibus incederent, & de iis conjunctim mentio fieret.

(3°.) Idololatræ olim τὰ *Chammanim* Soli tantum (ſi rite conjecturam facio) ſed *Aſcherim* toti exercitui cœleſti, conſecrarunt, & in iis Solem, Lunam, & Sydera, tanquam in ſymbolis, coluerunt. Hoc in animum induco meum, quod hiſtoria ſacra refert, *Manaſſe* [e] *lucum* ſimul *feciſſe*, & *univerſam cæli militiam coluiſſe*; & in cultus hujuſce teſtimonium פסל האשרה [f] *Sculptile* ſive ligneum *luci* ſimulacrum, (cum totum lucum non poſſet) in domo Domini poſuiſſe. Deinde: promptum eſt obſervare, vocem Hebræam, quæ congeriem arborum notat, nunc אשרות [g] *lucos*, nunc עשתרות [h] *greges*, exarari. Hic multum æſtuant interpretes, rationem reddituri, cur אשרות & עשתרות ſignificatus licet tam diverſos habeant, tanquam voces ſynonymæ in Scripturis uſurpentur. Mihi fit veriſimile, rationem inde petendam, quod vox utraque *multitudinem* [hæc ovium, arborum illa] denotet, & utraque multitudinem, exercitum nempe cœleſtem, ſatis apte repræſentet. Si hæc omnia quid veri ferant, liquidum eſt חמנים & אשרים ſymbola cognata fuiſſe, eaque ſcripta ſacra non ſine ratione quandoque conjunxiſſe.

Tertio: nonnulli forſan & hac objectione mihi moleſtias afferent: ſi nomen *Chammanim* idolis jam ſæpe memoratis, in Solis honorem aut memoriam imponeretur; mirum eſt, nulla nominis tam clari veſtigia in moribus aut annalibus gentium antiquiorum deprehendi poſſe, cum præſertim Sol ipſe præ cæteris idolis tam impenſe coleretur, & proculdubio nomen illud ſeculis antiquioribus in uſu tam frequenti verſaretur.

Hac in re veritatem adverſarios fugere, clare conſtabit ſi monumenta temporum diligentius obſerventur. Nam veterum Saxonum annalibus memoriæ proditum eſt, eos inter alios Deos & Deas, [i] *Hamam* præcipua religione coluiſſe: id nominis autem a voce חמה *Solem* ſignificante, principium habuiſſe, nemo facile dubitabit, qui literaturam Hebraicam vel a limine ſalutavit. Aliud exemplum huc ſpectans præbent [k] *Strabonis illa*, τῆς Ἀναΐτιδος καὶ τοῦ Ὠμανοῦ [ἱερὰ] i. e. *Dianæ* (vel Lunæ) *&* *Solis* templa: non dubitandum enim, quin idem ſit Ὠμανὸς ac Ἀμανὸς lib. 11. memoratus, a voce חמה vel חמן originem arceſſens, lævigata ח aſperioris ſoni litera. Nominibus illis, utpote vocabulum cognatum, accenſeri debet [l] nomen Ἀμμοῦν vel Ἄμμων, quo Ægyptii per multa ſecula Jovem Hammonem vocabant, voce proculdubio ab eodem fonte Hebræo derivata. Nec in Ægypto ſolum ſed in Africa & Arabia multa vocis hujuſce veſtigia deprehendi, clare probant, *Ammon*, *Ammonis*, *Ammonia*, *Ammonis* oraculum, & ejuſdem

a אשריהם b Ἐπὶ ξύλα δασέα *Ligni vel arboris denſa.* Lxx in *Jer.* 17. 2. c Vid. 2 *Reg.* 17. 10. d In *Levit.* 26. 30. e 2 *Reg.* 21. 3. f v. 7. g *Judic.* 3. 7. h *Judic.* 2. 13. i Vid. *Georg. Fabric. Origin. Saxonic.* Lib. 1. p. 61. k *Geogr.* L. 15. p. 1066. A l Ἰδίως παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Διὸς εἶναι τὸν Ἀμοῦν (ὃ παράγοντες ἡμεῖς Ἄμμωνα λέγομεν) *Plut.* de *Iſid.* 354. C

CAP. XXVI. familiæ voces, ibi frequentes olim & uſu tritæ. In hujus rei fidem lectorem amandare liceat ad varia illa quæ [a] *Bochartus* congeſſit teſtimonia.

QUARTO: nonnemo forſan contra ſententiam meam & hoc pugnabit argumento: cum Scriptura ſacra nullibi formam aut figuram τῶν *Chammanim* deſcriptam dederit; quæ de forma ipſorum pyramidali, vel figura ad radii ſolaris imitationem compoſita, dicta ſunt hactenus, nil certi continere, ſed merum imperium in lectoris fidem exercere merito cenſeantur. Nullus enim auctor profanus adeo antiquus eſt, ut hac de re fidem præſtare poſſit, aut teſtimonium ferre cui niti liceat.

FATENDUM eſt quidem, ſcripta ſacra horum idolorum formam aut figuram nuſquam aperte vel expreſſe declaraſſe. Inde vero ſatis intelligi datur, ea formam & uſum plane ſingularem & ab aliis idolis diſtinctum habuiſſe, quod nomine peculiari & quaſi proprio, ab aliis cujuscunque ſortis idolis in ſcriptura diſcernantur. Cum enim idola quævis alia, generali פסילים aut צלמים aut עצבים nomine frequentius involvantur; hæ ſtatuæ (quas dixi) Soli ſacræ, *Chammanim* appellari, & eo nomine, ſeu charactere peculiari, diſtingui ſolent. Quando itaque nomen illud idolis hiſce veluti peculiare & proprium, in Scriptura tribuatur; haud abſurde creditur, id nominis eorum finem & formam peculiarem exprimere, & illius ſignificatum cum eorum forma pyramidali & veluti ignea quam maxime convenire. Neque hæc a fide aliena videri poſſunt, cum antiqui referant, columnas aut ſtatuas in Gentilium ritibus uſitatas πυραμοειδεῖς fuiſſe, & in cuſpidem plerunque pyramidalem ſurrexiſſe. Nam Ἀπόλλων Ἀγυιεὺς, referente [b] *Suida*, nihil aliud erat niſi κωνοειδὴς κίων. columna in *conum aſſurgens*, id eſt, Pyramis: & apud Corinthios *Jupiter Meilichius* Pyramidis figura repræſentabatur, ſi [c] *Pauſania* fidimus. Hæc paulo firmiora reddunt ea [d] *Scaligeri* verba quibus verſus quosdam *Phoronidis* e *Clemente* citatos illuſtrare ſatagit. Poſtquam enim inde docuiſſet, *Callithoen*, *primam Junonis ædituam infulis & vittis ornaſſe columnam Deæ*, continuo addit, *ſimulacrum Deæ*, nam eo tempore Deorum ſimulacra erant tantum κίονες πυραμοειδεῖς.

CAP. XXVI.

Præceptum de juvenca rufa Deo immolanda.

Nonnulla de legis hujus obſcuritate præmittuntur.

INTER leges illas quamplurimas quibus Eccleſiæ Judaicæ pueritiam exercuit Deus, locum haud ignobilem obtinet lex illa, *Numer.* 19. ſcripta, quæ tot moleſtias Judæis & Chriſtianis attulit; qua nempe bovem, non maſculum ſed fœminam, eamque, non quamlibet e communi grege, ſed rufam & jugum nondum expertam, immolare tenebantur. Nec minorem moleſtiam interpretibus creavit religio & ritus ille plane ſingularis, qua vitulam illam immolari voluit: eam enim ad oſtium Tabernaculi mactare non licuit, aut illius ſanguinem ad altaris baſim effundere; neque pars ejus ulla ſacerdotibus in cibum ceſſit, ſed tota quanta quanta fuit extra caſtra comburi debuit, ut ex miſtura cinerum ejus aqua ſeparationis ad purgandos immundos conficeretur. Eadem etiam lege ſancitum erat, ut perſona quævis immunda per aquam illam luſtralem mundari poſſet; at perſona pura, ſolo tactu aquæ illius, cinerum, vel carnis, iſtius vitulæ, immunditiem contraheret non niſi aqua nova eluendam.

LEGIS hujus, e tot paradoxis conflatæ, rationes tenebris tam craſſis involvuntur, quod omnes Judæorum magiſtros ad pudenda prorſus ignorantiæ aſyla coegerit. Inter eos, in hunc modum ſe impeditum liberare ſatagit *R. Salomon*: *in Lege, verba ſunt quæ non niſi decreta ſunt Dei, abſque ulla ratione; qualia ſunt eſus ſanguinis, ſuillæ, veſtis ex lana & lino contexta, vacca rufa, & alia ejus generis, abſque ulla ratione.* In eandem ſententiam loquitur auctor *Ikkarim*, l. 3. c. 24. ubi legem hanc inter חוקים numerat, i. e. *ſtatuta, quæ ad ſolam Legiſlatoris voluntatem referuntur, arguuntque Deum eſſe liberum.* *Maimonides* aliique hic plane cæcutiunt, nec veritatem ſe fugientem audent vel conjectura proſequi. Quo vero minore cum nominis ſui diſpendio neſcire putentur, Salomonem ipſum in ignorantiæ ſocietatem vocant; aſſerentes, ne Salomoni quidem (legum reliquarum rationes tenenti) vaccæ rufæ cauſas innotuiſſe. Quin & eo tandem audaciæ, dicam an inſaniæ, proceſſum eſt, quod e Judæis nonnulli legem hanc non Salomonis tantum, ſed & Dei ſapientiam, exercuiſſe dixerint. Hoc

a *Geogr. Sacr.* L. 1. c. 1. Col. 7. b In Voc. Ἀγυιεύς. c In *Corinthiac.* p. 132. d In *Euſeb. Chronic. Animadv.* p. 14.

nimis

nimis conſtat e verbis blaſphemis & fabuloſis, e libro עיר גבורים dicto [a] citatis בשעה שעלה משה למרום מצא להק״בה שהיה עוסק בפרש פרה ארומה *Ea hora qua Moſes aſcendit in altum, invenit Deum S. Benedictum ſtudentem in illa ſectione Legis, quæ eſt de vacca rufa.* Longe mihi gratior accedit modeſtia [b] *R. Moſ. Gerundenſis*, qui, legis hujuſce rationes in medio relinquens, lectoris ſui malam gratiam ita deprecatur: *nos, qui pro peccatis noſtris ſumus contaminati, in hac captivitate ignoramus munditiam ſanctitatis, donec veniat ſuper nos ſpiritus ex alto. Et effundat Deus aquas mundas ſuper nos, ut mundemur! Amen.* Similem modeſtiam produnt *Calvini* in hanc legem verba: *quid ſibi* vult *rufus color* in vacca? reſpondeo, *neſcire malo quam dubium aliquid aſſerere.* Ejusdem modeſtiæ documentum præbuit [c] *Simeon* de *Muis*: poſtquam enim aliorum de hac lege ſententias enunciaſſet, ſic propriam exprimit: *tutius ac melius* eſt *fateri (& vero fatentur ipſi Hebræi) iſtius ſtatuti cauſam prorſus ignorari, neque ſciri in hac vita poſſe, ut quæ Moſi* tantum *a Deo prodita ſit.* SECT. I.

Cum itaque legem jam præ manibus habeam, obſcuram & perplexam adeo, ut illius rationem alii neſciant, alii nullam agnoſcant, ſed eam e ſola Dei voluntate fluxiſſe ſentiant; operam haud ingratam aut inutilem me daturum exiſtimavi, ſi legi tam obſcuræ candelam accenderem, eamque ſummo cum conſilio a Deo datam eſſe comprobarem.

Lex autem in cujus illuſtratione ſtudii nonnihil impenſurus ſum, per totum excurrit decimum nonum caput *Numerorum*, quanquam pars ejus præcipua commate ſecundo, jam explicando, contineatur. Ne vero lectorem turbet, ſed rite atque ordine procedat ſermo; (1°.) Legis, commate ſecundo traditæ, ſenſum, latentem adhuc & obſcurum in lucem proferam. (2°.) Cauſam ejus proximam e vetuſtatis tenebris eruere conabor. (3°.) De ceremoniis agam, in vitulæ immolatione diligenter obſervandis. (4°.) De ligno cedrino, hyſſopo, & cocco bis tincto, una cum vitula rufa comburendis. (5°.) Nonnulla de aqua purificationis, e commiſtis vitulæ cineribus conficienda, dicturus ſum. (6°.) Objectioni uni & alteri ſatisfaciam.

SECT. I.

Præcipua legis verba paululum explicantur.

Ut eo felicius munere ſuſcepto defungar, in ipſis hujus præcepti verbis, pauliſper hærendum eſt, & in ſenſum eorum mentemque genuinam diligentius inquirendum. Sic autem ſe habent legis verba: *loquere ad filios Iſrael, ut adducant ad te* פרה ארמה תמימה *juvencam rufam integram, in qua non* eſt *vitium*, & *ſuper qua non aſcendit jugum.* Quo in loco, ex uſu erit, trium illarum vocum פרה: ארמה: & תמימה ſenſum & intentionem paulo ſcrupuloſius ponderare.

פרה (ut inde ducam exordium) proprie *juvencam* notat, i. e. bovem fœminam, ætatis inter vitulam & vaccam mediæ, quæ ſcil. annum tertium nondum ſupergreſſa eſt, & quæ,

Nondum ſubacta ferre jugum valet
Cervice, nondum munia comparis
Æquare, nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.

Hunc eſſe germanum vocis ſenſum eo minus ambigendum eſt, quod פר Scripturæ locis triginta minimum, בן בקר *filius bovis* appelletur; & quod vox Græca πόρις, a פרה proculdubio derivata, vaccam denotet, quæ nondum ad ſenium vergit; unde πόρις Suidæ νέα βοῦς, μόσχος. Hunc ſenſum firmat etiam Græcorum verſio, qui פרה per δαμάλεις, *junix*, *bucula*, interpretantur. Hic itaque *Lorini*, *Ainſvvorthi*, & aliorum complurium e gente critica, perſtringendus eſt error, qui Deum vaccam triennem hac in lege poſtulaſſe ſentiunt. Eadem opinione falſa ductus eſt *S. Cyrillus*, qui פרה תמימה per τρίετη καὶ τέλειον explicat. Ad erroris hujuſce fontem difficile eſt digitum intendere: ſed unde unde manavit, apertum eſt eum longe lateque diffuſum eſſe: nam *Vulg. Latinus*, *Syrus*, *Perſa*, *Germani*, *Itali*, *Hiſpani*, *Galli*, *Angli* in verſionum altera,

a Ap. *Hackſpan.* in not. ad libr. *Nizac.* c. 1. p. 260. b Ap. *Druſ.* in *Numer.* 19. c *Var. Sacr.* in *Numer.* 19. d *Numer.* 19. 2.

SECT. I. voci פרה *vacca* ſignificatum aſſignarunt. Soli, inter veteres, LXX, *Samaritanus*, & *Arabs*; inter modernos, *Druſius*, *Malvenda*, & translationis noſtræ noviſſimæ auctores genuinum vocis hujuſce ſenſum attigiſſe videntur, eam per *juvencam* aut *buculam* transferentes. Nugis hiſce grammaticis (ita ſorte videbuntur) tam diu non inhæſiſſem, niſi quod legis hujus rationi, ſtatim reddendæ, lucis & præſidii non parum præbeant.

De ſenſu vocis ארמה non eſt quod multum laboremus: nam interpretum conſenſu firmatum eſt, פרה ארמה juvencam, nec albam, nec nigram, aut maculis diſtinctam, ſed rufam, aut (quod prope abeſt) flavam, & auri quaſi colorem imitantem indicare. Nam LXX vitulam hanc [a] πυῤῥὰν *rufam*, [b] *Joſephus* ξανθὴν *flavam*, appellavit.

Pulverem multo magis excitavit vox illa תמימה nam vocem illam, alii de perfectione corporis, alii vero de perfectione rubedinis, in juvenca immolanda, interpretandam cenſent: quaſi vetuerit Deus, eam ſibi vitulam ſacrari, quæ non eſſet perfecte, i. e. integre rufa, & vox illa תמימה *perfecta*, non cum remotiore vocabulo פרה ſed vicinio ארמה copulanda eſſet & conſtruenda. In hanc autem ſententiam inclinat animus, his adductus argumentis.

(1°.) Certum eſt Judæos antiquiores hæc duo vocabula [ארמה תמימה] copulaſſe, & ſe perſuaſos habuiſſe, Deum his verbis ullam juvencam ſibi offerri, quæ non eſſet *perfecte* & ad pilum rufa, vetuiſſe. *Maimonidem* hunc ſenſum optimum exiſtimaſſe, ſatis [c] e verbis ejus intelligitur: *hoc quod dicitur in lege*, תמימה perfectam, *rubedinis perfectionem denotat, non ſtaturæ: nam etſi parva eſſet, legitima tamen erat, ut reliqua ſacra.* אם היו בה שתי שערות לבנות או שחרות בתוך וגו *Si vero duos ſolum pilos albos, aut nigros, ſibi mutuo incumbentes haberet, in medio loci depreſſos, aut inter duos poros, habebatur pro polluta*, id eſt ad ſacrificium inepta. Sic etiam *Jonathan Targumiſta* hunc locum explicat: *accipiant vaccam rufam, natam duos annos, in qua non eſt labes*, ושומא משער חורן *aut macula de pilo albo.* Hanc etiam interpretationem *Doctores Miſchnicos* præ aliis habuiſſe, teſtatur ἀκρίβεια illa, quam in exploranda rubedinis integritate, adhibendam eſſe [d] docuerunt. Nam eorum aliqui, vel ob duos pilos albos aut nigros, vitulam illam illegitimam decernunt; alii vero, non prorſus illegitimam, minime tamen immolandam, donec pili illi radicitus evellantur. Eundem hujus præcepti ſenſum amplectitur *Nichol.* de *Lyra*, ſic textum explicans, *in Hebræo non habetur*, ætatis; *& ideo vox* integra *refertur ad colorem vaccæ, quæ debebat eſſe rubea integraliter, abſque varietate aliqua alterius coloris.* Hunc ſenſum *Joſepho* etiam, ſacerdoti in legum patriarum ſenſu probe exercitato, placuiſſe, patet ex *Antiquit.* l. 4. c. 4. ubi de gentis ſuæ ritibus & inſtitutis agens, aſſerit, eam apud ſuos legem viguiſſe, *ut offerrent* μόσχον θήλειαν, ἀρότρου μὲν καὶ γεωργίας ἄπειρον, ὁλόκληρον δὲ ξανθὴν πᾶσαν· *Bovem fœminam, aratri & laboris neſciam, integre & toto corpore rufam.* Huic interpretationi calculum apponere non dubito, cum tot ſuffragiis Hebræorum veterum ornata veniat, ad quos procul dubio multa ſana, de ſacrorum jure rituque, traditione propagata ſunt.

(2°.) Id moris & Ægyptii veteres habuere, ut bovem rufum, in cujus pelle ne minima pili albi vel nigri macula deprehendi potuit, *Typhoni* ſuo immolarent. Hoc e *Plutarchi* verbis mox citandis manifeſtum facio. Cum autem illa morum ſimilitudo, vel Ægyptiis Hebræorum ritus æmulantibus, vel Hebræis Ægyptiorum mores in uſum ſacrum convertentibus, tribuenda ſit; ratio poſtulat, ut legem hanc de vitula integre rufa intelligamus: aliter enim neceſſe eſt, ut Ægyptii vel Iſraelitæ ab exemplari ſuo nulla de cauſa, receſſiſſe cenſeantur.

(3°.) Interpretationi huic non parum favent ipſa legis verba: in iis enim requiritur, ut פרה ארמה תמימה אשר אין בה מום *juvencam rufam integram, cui non eſt vitium*, Deo ſepararent. Neceſſe eſt autem ut iis verbis aliquid ſuperflui & otioſi ineſſe cenſeatur, niſi תמימה de integritate coloris, & verba ſequentia de integritate partium, interpretemur. Deinde: ſi verborum ordinem ſpectemus, Deus priorem, adeoque majorem rationem rubedinis quam integritatis, in junice piaculari, habuiſſe videatur: prius enim proviſum eſt, ut ſit ארמה *rufa*, quam ut ſit תמימה *perfecta*. Conſentaneum eſt itaque ut vox תמימה ad perfectionem rubedinis potius quam corporis juvencæ referatur.

(4°.) Ratio ſuadet opinari Deum Junicis illius rubedinem, & rubedinis integritatem, pariter curare & præcipere voluiſſe. Sunt enim paris utraque momenti, & ſi co-

a In *Numer.* 19. 2. b *Antiq.* l. 4. c. 4. p. 146. c *Tract.* de *Vac. ruf.* c. 1. ſ. 2. d Vid. *Miſch. Tract.* פרה ub. ſupr. cap. 2. ſect. 5. e *Num.* 19. 2.

lor

lor ſacrificii, multo magis coloris integritas, uſui alicui ſacro deſervire pntuiſſet. SECT. II.

His preſſus argumentis, [a] *Munſtero* non poſſum nnn aſſentiri, qui ארמה הכיפה rufam integram, *omnino rufam, & quæ nullos nigros habet pilos*, denotarc aſſerit.

Utcunque hæc interpretatio cenſoriam *Calvini* virgulam non effugit: nam *abſurde*, ait ille, *nonnulli interpretantur* integram vaccam & abſque macula, *ac ſi dictum eſſet, nequa ſit in pilis varietas; quum idem exigat Deus quod in reliquis ſacrificiis, quæ ut vitioſa rejiciebantur, ſiqua in illis extaret deformis nota.* A doctiſſimo [b] *Bocharto* etiam ſuperſtitionis crimen Judæis impactum eſt, quod huic interpreratinni tam impenſe ſtudeant, ut ne pilum quidem album aut nigrum in hac juvenca tolerent. Sed, horum virorum pace, nihil eſt cur ſuperſtitionis aut abſurdi notam interpretarioni huic affigamus, cum e dictis conſtet, antiquiores Judæos eam, a primis forte poſt legem datam ſeculis, accepiſſe, eamque Rabbinorum (hac in re [illegible]) cohortem ſemper approbaſſe. Et quamvis, aliis in rebus, Judæi gentium ſuperſtitionem excedere videantur, rationes allatæ me perſuaſum faciunt, eos hic ſaltem a culpa illa immunes eſſe, & ſenſum legis ab antiquo receptum approbare.

SECT. II.

Cauſa proxima legis e vetuſtatis tenebris eruitur.

CUM jam nihil ſuperſit in hujus præcepti verbis, quod interpretis alicujus opem poſtulat, id operam dabo, ut illius ratio, vetuſtatis tenebris adhuc involuta, in media luce ſtatuatur. Ut hoc inceptum feliciter abſolvam, quatuor hiſce quæſtionibus reſpondere debeo:

(1°.) Cur Deus, non bovem maſculum, ſed fœminam, hac in lege poſtulavit?
(2°.) Cur vitulam, non vaccam, offerri juſſit?
(3°.) Cur vitulam integre rufam mactari voluit?
(4°.) Cur denique vitulam jugum nondum expertam ad munus expiandi poſtulavit?

Nodum primum vindice non indignum ſentio: non immerito enim mirari quis poſſit, cur Deus vitulam ad populi totius immunditias expiandas comparari juſſerit; cum in pleriſque aliis, ſtatis præſertim & nominis celebrioris ſacrificiis, de maribus tantum offerendis leges tam diſertas & [c] frequentes tulerit. In holocauſtis ſuis marem ex bobus, agnis aut capris, immolare tenebantur, *Lev.* 22. 29. idem & alibi ſtatutum legimus, *Levit.* 1. 3, & 10. Cap. 16. 10. & *Exod* 12. 5. Unde & ſacrificium maſculum rei vili & corruptæ ex adverſo ponitur, apud *Malachiam.* Cap. 1. 14. Hujus autem mandati, quod a pleriſque aliis tam diverſum abit, triplicem rationem aſſignandam cenſeo:

Cur Deus bovem fœminam hac in lege poſtulavit?

Primo: ut Deus legem cultumque ſuperſtitioni Ægyptiorum, qui vaccam ſemper impenſius obſervarunt, adverſam inſtitueret. Vix tot monſtra in natura peperit Africa, quot Ægyptus in religione. Inter alia, vaccas divinitate donatas intulit, easque honore religioſo afficiendas docuit. Inſtituti mei ratio non feret, ut de ſuperſtitionis illius cauſa & origine ſermonem prolixum habeam: ſpartam illam ornarunt alii, quos lector curioſus conſulat. Superſtitionem autem iſtam Ægyptios antiquos (variis circa ſacra alia opinionum diſſidiis diviſos) unanimes accepiſſe, veterum pene omnium, [d] *Herodoti*, [e] *Diodori Siculi*, [f] *Æliani*, [g] *Luciani*, & [h] *Porphyrii*, teſtimonio ſtabilitum eſt. Reliquorum vice, *Herodotum* & *Porphyrium*, hoc verbis diſertis affirmantes audiamus. Τοὺς μέν νυν καθαροὺς ἔρσενας [τῶν βοῶν] καὶ τοὺς μόσχους οἱ πάντες Αἰγύπτιοι θύουσι· τὰς δὲ θηλέας οὔ σφι ἔξεστι θύειν, ἀλλὰ ἱραί εἰσι τῆς Ἴσιος· *Boves mundos, eosque mares ac vitulos, univerſi Ægyptii immolant: fœminas autem ipſis immolare non licet, utpote Iſidi ſacras.* Hæc *Herodotus*, quibus poſt pauca ſubjungit, Βοῦς τὰς θηλέας Αἰγύπτιοι πάντες ὁμοίως σέβονται, προβάτων πάντων μάλιστα μακρῷ. *Boves fœminas omnes Ægyptii pariter venerantur, ex omnibus pecudibus longe plurimum.* Nec abſimilia *Porphyrii* illa, Παρὰ γοῦν Αἰγυπτίοις καὶ Φοίνιξι, θᾶττον ἄν τις ἀνθρωπείων κρεῶν γεύσαιτο, ἢ θηλείας βοός· *Apud Ægyptios & Phœnices, citius carnes humanas quam vaccinas guſtaſſet quiſpiam.*

a *Comment.* in *Numer.* 19. 2. b De *Animal.* P. 1. col. 290. c Ἄρρενα ὁλοκαυτοῦται τὰ πάντα· *Joſeph. Antiq.* l. 3. c. 9. 20. d Lib. 2. c. 41. e Lib. 1. p. 77. f L. 10. de *Animal.* c. 27. g Περὶ ἀστρολογίης. h *De Abſtin.* l. 2. § 11.

SECT. II.

Cum itaque eo dementiæ & impietatis prolapſi eſſent Ægyptii, quibuſcum conjunctiſſimæ vixiſſent Iſraelitæ, ut vaccam tanto cultu ſtudioque honorarent; Deus vaccam multa cum ceremonia mactari voluit, & lixivium ex illius cineribus ad populi immunditias expurgandas confici; ut Ægypti vanitatem ſugillaret, & per hanc diſciplinam, cum Ægypti more ſenſuque pugnantem, Iſraelitæ ad cultus illius vaccini contemptum atque odium ſenſim perducerentur.

In hanc autem ſententiam eo libentior inclinat animus, quod & aliis, notæ non obſcuræ viris, eam placuiſſe videam. Hanc enim opinionem auctoritate ſua tuetur *D.*[a] *Thomas: mandatur*, inquit ille, *quod accipiant vaccam*, &c. *Dicitur* autem *vacca magis quam vitulus,—forte ideo quia vaccas in morem Ægypti coluerunt, ſecundum illud Hoſeæ, vaccas Beth-aven coluerunt.* Hanc ſententiam probat etiam *Joſephus* de *Voiſin*, οὐχ ὁ τυχὼν ἀνήρ nam hoc dubii proponens, *cur voluerit Deus vaccam rufam mactari ad purificationes? Hæc*, [b] inquit, *ratio reddi poteſt: ut ita ab idololatria hominum animi averterentur, dum ea ſacrificarent quæ apud idololatras ſacra erant, & in veneratione habebantur: quemadmodum & juſſit Deus hircos in ſacrificiis adhiberi, quia Zabii dæmones colebant ſub hircorum ſpecie.*

Auctoribus hiſce præclaris haud difficulter aſſenſurus eſt, qui cogitabit, Deum ita ſacrorum Judaicorum ritus inſtituiſſe, ut animalia omnia, principem in ritibus Ægypti locum habentia, quaſi per contemptum offerrentur, aut a ſacris ejus majore cum contemptu rejicerentur. Hoc [c] *Origeni*, [d] *Theodorito*, [e] *Jonathani*, [f] *Maimonidi*, aliiſque obſervatum. Idem & [1] *Tacito* notatum, qui Judæorum inſtituta memorans, *Prophana*, inquit, illis *omnia, quæ apud nos ſacra.*—— *cæſo ariete in contumeliam Hammonis: bos quoque immolatur, quem Ægyptii Apin colunt.* Ægyptios hoc probe cognitum habuiſſe, diſcitur e verbis *Manethonis*, hæc de Moſe [g] referentis, ὁ δὲ πρῶτον μὲν αὐτοῖς νόμον ἔθετο,— μήτε τῶν μάλιστα ἐν Αἰγύπτῳ θεμιστευομένων ἱερῶν ζῴων ἀπέχεσθαι μηδενός, πάντα τε θύειν καὶ ἀναλοῦν· *Ille vero primum quidem eis*, Judæis, *legem poſuit*, — *ne ab animalibus, quæ præcipue ſacra apud Ægyptios erant, abſtinerent, ſed omnia ſacrificarent & abſumerent.* Atque hæc ſpretæ religionis ſuæ injuria cauſa forſan erat cur Ægyptii occaſione quavis arrepta, acrioribus animis in Judæos inſurgerent, eoſque præter cæteras e vicinia gentes, odio capitali proſequerentur: prout teſtatum reliquit *Joſephus*, utroque ſuo in *Apionem* libro, & *Philo Judæus*, tum contra *Flaccum*, tum in *Legatione*. Sed ad priora jam redit ſermo.

Cum is eſſet legum Moſaicarum uſus & intentio, rationi congruum eſt opinari, Deum legem aliquam ſpecialem ſtatuiſſe, quæ vaccas ad communem aliorum brutorum locum deprimeret, eaſque mentita ſua divinitate ſpoliaret. Hoc eo credibilius exiſtimo, quod Ægyptii vitulas, ante alia animalia, ſtudioſe colerent, & ab earum violatione religione præcipua temperarent. Quamvis enim Ægyptii [h] κατὰ τὰς θρησκείας — διεστῶτες, *in varios cultus & religionis diſperſi eſſent*, aliis hircum, aliis ovem, aliis *Apim*, aut lupum adorantibus, omnes tamen vaccam honore divino proſequendam cenſuerunt. Veriſimile eſt etiam hoc religionis ludibrium, non apud Ægyptios tantum, ſed & Iſraelitas, propter longam & individuam cum Ægyptiis ſocietatem, plurimum obtinuiſſe. Eos enim in alios Ægypti mores paulatim abiiſſe, cuivis annales ſacros evolventi pateat; eos etiam vituli cultum ab Ægyptiis hauſiſſe, unanimi pene veterum ſuffragio confirmatur. Ideoque [i] *Johannes Philoponus* Hebræos non injuria vocat, τοῖς Αἰγυπτίων σεβάσμασι συμπεφυρμένον γένος *Ægyptiorum cultibus & idolis aſperſum & commixtum genus.*

Secundo: Deus ideo forte vitulam, non bovem maſculum, offerri voluit, ne ritus Hebræorum propius quam par erat, ad Ægypti ritus accedere viderentur. Nam teſtatur [2] *Plutarchus*, Ægyptios antiquos id in more habuiſſe, ut bovem maſculum, tam perfecte rufum ut ne pilum quidem coloris diverſi haberet, eorum *Typhoni* devoverent. Si itaque Deus bovem rufum maſculum ad ſacra ſua ſepoſuiſſet, rude forſan & obtuſum vulgus ſe Typhonis Ægyptii ritibus intereſſe crederet, aut ſaltem idolum illud Ægyptiacum, cujus [k] olim ſacris initiati fuerant, ad memoriam revocaret. Ne itaque hæc vel alia mala e nimio inter Ægypti & Judeæ ritus conſenſu naſcerentur,

a 1. 2. *Qu.* 102. *Art.* 5. b Lib. de *Leg. Divin.* cap. 15. c Lib. 4. *Contr. Celſ.* pag. 225. d *Serm.* 7. de *ſacrif.* e *Paraphr.* in *Levit.* cap. 9. 3. 4. f *Mor. Neb.* P. 3. c. 46. g *Ap. Joſeph.* L. 1. *cont. Apion.* p. 1353. 15. h *Clem. Alex. Cohort.* ad *Gen.* pag. 33. 30. i De *Mund. creat.* lib. 4. c. 1. k Vid. *Phil. Jud.* l. 2. de *Monarc.*

1 Vid. *Hiſtor.* Lib. 5. p. 115. 2 Vid. *Plut.* de *Iſid.* & *Oſir.* p. 363. A.

Deus

Deus non bovem ſed vitulam ſibi conſecrari juſſit. Atque hac de cauſa (quod obiter moneo) ritus nullos ex Ægypti cultu in ſacrorum Moſaicorum numerum aſcitos, inveniamus, quin ſemper, in quibusdam notæ præcipuæ circumſtantiis, a cultus Ægyptiaci forma & uſu deflexum fuerit. SECT. II.

Tertio: Deus bovem fœminam, non maſculum, offerri voluit, forte quod eſſet לחטאת *in* [a] *ſacrificium pro peccato* inſtituta: nempe ut peccatum cultus, vituli, Typhonis, aut vaccarum, quo Iſraelitæ (ex Ægypti more) ſeſe olim obſtrinxerant, expiaret: quatenus autem ſacrificium erat pro peccato gravi, & pro tali peccato, communis legum Moſaicarum ratio & analogia ſexus vilioris bovem immolandum poſtulavit.

(1°.) Quatenus erat ſacrificium pro peccato gravi: nam, obſervante [b] *Maimonide, quanto peccatum aliquod fuit gravius, tanto vilioris ſpeciei fuit ejus oblatio. Hinc*, inquit, *pro errore idololatriæ, capra tantum, & pro cæteris peccatis hominis alicujus privati agna & capra offerenda fuit, quia fœmella vilior habetur mare in omnibus ſpeciebus. Nullum autem peccatum majus idololatria, & nulla ſpecies vilior capra. — Declinantis mulieris, cujus actiones turpiores ſunt quam illius qui per errorem deliquit, oblatio ipſa quoque ex viliori fuit materia, ex farina nempe hordeacea. — E contra*, Aſcham, *vel ſacrificium pro reatu, de nobiliore animalium ſpecie*, [*aries, aut agnus*] *& e ſexu præſtantiore, nam maſculus e grege eſſe debuit.*

(2°.) Quatenus eſſet ſacrificium pro tali peccato: nam, eodem notante Magiſtro, *qualia ſunt peccata, talia quoque eſſe debent & expiationes: ſic,* [c] inquit, *vides factum in Aarone: quum enim lapſus eſſet circa vitulum, oblatio quoque tum ipſius, tum omnium e ſemine ſuo exſurgentium, fuit juvencus & vitulus.* Quum etiam obſervaſſet, omnia ſacrificia pro peccato, trium feſtorum principalium, noviluniorum, diei expiationum, & idololatriæ, hircos fuiſſe; addit, *hujus rei cauſa hæc mihi videtur eſſe, quod maximum peccatum & graviſſima tum temporis rebellio eſſet, quod* [d] *hircis ſacrificarent.* Cum itaque per vaccarum cultum, in Ægypto degentes, peccaſſent Iſraelitæ, par erat, ut oblata vacca, peccati ſui imaginem referente, culpam expiarent; & illius ſenſum & memoriam animis ſuis eo altius impreſſam retinerent.

His de cauſis, niſi quid me fallat, Deus ſexus fœminei bovem offerri poſtulavit: de iis autem paulo fuſius egi, quod eruditorum oculi in ratione coloris vitulæ hujus indaganda tam intenti fuerint & occupati, quod ad ſexus ejus rationem exquirendam minus evigilarint.

Eo me jam ducente rerum ordine, oſtendam proximo, cur Deus vitulam, non vaccam, offerri juſſit. Huic autem inſtituto ſpiſſiores tenebræ circumfuſæ ſunt, quod injuria temporis, auctores plerique, mores Ægypti referentes, hodie deſiderentur. Quantum autem de re tam obſcura & ancipiti conjicere licet, veriſimile eſt, Deum vitulam [non vaccam] ad Iſraelitarum immunditias expiandas elegiſſe, ut legem ſuam Gentium inſtitutis opponeret, & Iſraelitas eo longius ab Ægypti deliriis & ineptiis avocaret. Gentes exteras quod ſpectat, illæ vitulam ſacrificium Lunæ proprium exiſtimarunt. Hoc e verbis [e] nobilis auctoris intelligimus: victima *Lunæ* olim ſacrata, vitula erat: *neque enim vaccam illi mactare licebat.* Inſaniæ non multum abſimili manus dederunt Ægyptii, qui juvencam *Iſidi* [i. e. Lunæ] ſacram habuerunt, eamque ritu ſolenni coluerunt. Nam *Jeroboamus* duas aureas juvencas, publice colendas, erexiſſe dicitur, atque hac in re morem Ægypti, ubi diu vitam egiſſet, obſervaſſe creditur. Imagines autem illas, juvencas fuiſſe, h. e. ad vitularum ſpeciem & formam propius acceſſiſſe, e Græcis diſco, qui δαμάλεις χρυσᾶς [f] eas non ſemel appellarunt. Eodem nomine [g] *Joſephus* idola illa deſignavit. *Tobit* etiam, de hac imagine loquens, verbis utitur ſexum & ætatem teneriorem exprimentibus: [h] πᾶσαι αἱ φυλαὶ αἱ συναποστᾶσαι ἔθυον τῇ Βάαλ τῇ δαμάλει, *omnes tribus, quæ defecerant, ſacra faciebant* Baali *juvencæ.* Sed & [i] *Hoſeas* לעגלות בית און δαμάλεις, *vitulas Beth-aven*, i. e. *Bethelis*, memorat. Hic autem viros, alioqui doctiſſimos, non audio, qui *Jeroboamum* illa cultus ſui ſymbola ad vitulæ formam direxiſſe aſſerunt, ut Judæorum *Cherubos* imitaretur, & per ſpeciem religionis, ſuperſtitionem & ſchiſma promoveret. Non eſt enim cum ratione conjunctum, Jeroboamum, qui cætera Judæorum ſacra nihili habuit, Cherubinorum figuram ſibi imitandam proponere voluiſſe; ut alia argumenta jam taceam, quæ clariſ. [k] *Bochartus* ad ſen-

Cur *vitula* non vacca mactari juſſa?

a *Num.* 19. 9. b *Mor. Neb.* P. 3. cap. 46. c *Ibid.* d Levit. 17. 7. e *Herbert* de relig. Gentil. p. 47. f 1 *Reg.* 12. 28, 32. 2 *Reg.* 10. 29. & 17. 16. g *Antiq.* l. 8. c. 3. h Cap. 1. v. 5. i Cap. 10. 5. k De *Animal. Sac.* P. 1. col. 358.

SECT. II.

tentiam illam refellendam excogitavit. Multo probabilius eſt, Jeroboamum cultum ejus ad ritus Ægypti compoſuiſſe? cum præfertim mores Ægypti populo magis allubeſcerent, & gentes aliæ pleræque cultum Ægyptiacum tanquam archetypum ſequerentur. Cum itaque bos ſexus & ætatis tenerioris, præcipuum in Ægypti & gentium aliarum ceremooüs locum occuparet; non a vero abludit, Deum ideo Juvencam ad expiandi munus mactari voluiſſe, ut animal quod Diabolus dolo malo tenuit, ſibi & ſacris ejus vindicaret, & illud in contemptum abiret apud Iſraelitas, quod apod Ægyptios impenſe colebatur.

Cur vitula *ruſa* eſſe debuit.

DICENDUM ſuccedit, cur Deus vitulam integte ruſam immolari juſſit. Hic autem Judæis & Cbtiſtianis aqua ſemper bæſit, nec (ſi palatum mibi ſanum eſt) rationes vel micam ſalis habentes hactenus attulerunt. Ne quis aotem me temere nimis hoc dixiſſe cenſeat, primo rationes vulgo datas in medium proferam, labris ſaltem primoribus deguſtandas.

Rationes commentitiæ.

PRIMO itaque, nonnullis viſum eſt, Deum vitulam pelle ruſa inſignem cæteris prætuliſſe, quod in boum coloribus ruſus ſit vulgatiſſimus, adeoque junix illa piacularis ubique obvia eſſet, eoque paratior ad uſus ſacros. Colorem hunc apud Græcos frequentem fuiſſe, nos docet *Jaſon*, ſic *Peliam* alloquens,

> [a] Μῆλά τε γάρ τοι ἐγὼ
> Καὶ βοῶν ξανθὰς ἀγέλας ἀφίημι·

Ego tibi pecudes, & boum armenta fulva vel *ruſa, relinquo.* Et, cum idem *Neptuno* ſacrificaret,

> Φοίνισσα δὲ Θρηϊκίων ἀγέλη ταύρων
> Ὑπᾶρχεν, ———
>
> *Rubrum adfuit Thraciorum taurorum armentum.*

Colotis hujuſce frequentia cauſam npinandi dedit, Deum ideo vitulam ruſam prætuliſſe: nam ſæpius obſetvatum eſt, omnia ſub lege offetenda, parato facillima fuiſſe, & cuivis obvia. At rationis hujus imbecillitatem lippientes oculi facile percipiant: nam ſi Deus vitulam ruſam, eo quod paratu facilem, petiiſſet; proculdubio vitulam cujuſvis alterius coloris offerendi licentiam Iſraelitis indulſiſſer; nec tam diſerte præcipere voluiſſet, ut junix illa piacularis ex *armento* tantum *rubro* ſumeretur.

(2°.) SENTIUNT alii, Deum vitulam pelle ruſa vel flava pτæfulgentem elegiſſe, quod, ſeculis antiquioribus, ille color in buculis eximius habetetur. *Mohammedes* olim & Judæi forſan, a quibus ſua pleraque hauſiſſe dicitur, ſic animos induxerunt: nam *Mohammedes*, juvencæ hujus hiſtoriam, more ſuo, i. e. fabuloſo, refetens, hæc [b] habet; *dicunt* Moſi, *pro nobis rogato Deum, ut declaret nobis cujus ſit coloris? Reſpondit, quod juvenca debet eſſe crocei, vel admodum flavi & fulgentis coloris, quo oblectentur oculi.* Buculas ruſas aut flavas, præ cæteris e genete bovino animalibus, antiquis arriſiſſe, nos docet auctor [1] γεωπονικῶν, cum ait, δαιμάζεσι δὲ ἀγίεις, τὰς τοῦ χρώματι ξανθιζάσας· Idem e *Libanio* diſcere eſt, a quo τὸ χρῶμα φοινικὸς *color rutilans* in bucula laudi vertitur. *Homero* etiam, [c] βόε οἴνοπε, vinacei vel rubentis coloris boves, maxime placuiſſe videantur. Eſt itaque fidei humanæ congruum, Deum juvencam ruſam, utpote colore tunc omnibus gratiſſimo commendatam, ad ſacra ſeparaſſe. At neque hanc rationem, ſpecioſam licet, priorem ſoliditate ſuperare cenſeo: ſi enim Deus, juvencam ruſam, coloris ſui gratia, plutis æſtimaſſet; veriſimile eſt, eum curare voluiſſe, ut Judæi boves alios eodem grato colore norabiles altari dedicarent.

(3°.) ASSERUNT alii, Deum ea ſola ratione vaccam ruſam tanta cum religione mactari præcepiſſe, ut imaginem eo magis luculentam Meſſiæ, paſſionis ſuæ ſanguine rubicundi, Judæis exbiberet. Ita *Patres*, tam Græci quam Latini, cum Neotericis, Pontificiis & Reformatis pleriſque, judicarunt. At neque hanc conjecturam Apolline dextero factam arbitror: quamvis enim non negem, vitulam ruſam, æque ac alia pletaque ſacrificia, imaginem ſacrificii noſtri maximi, olim offerendi, purgatioribus oculis intuendam exhibuiſſe; adduci tamen haud poſſum, ut credam, hujus præcepti ſanctionem ei ſoli rationi tribuendam eſſe. Nam haud opus erat, aliquo peculiari ſacrificio quod Chriſtum ſanguine proprio rubentem, ὡς ἐν τύπῳ præſentem ſiſteret; cum quævis victima, ſanguine ſuo cruentata, officio illo ſatis apte fungeretur. Neque

a *Pindar. Pyth.* Od. 4. b *Sur.* 2. verſ. 69 c *Iliad.* 13. verſ. 708.

1 *Geoponic.* Lib. 17. Cap. 2

Judæi Chriſti morituri imaginem tam vividis characteribus in vitula rufa, quam bove maſculo nigro, expreſſam cootemplari poterant. His addi poteſt, quod ſi Deus vitulam rufam inſtituerit, tantum ut illum cui *veſtes ſanguine tinctæ* præfiguraret; quid non & bovem aliquem πάλλευκον offerri juſſit, qui Chriſti vitam, puram & maculæ omnis expertem, ſymbolice prænunciaret? Sed hac de re paulo commodius alibi dicturi ſumus. SECT. II.

(4ᵘ.) Bos ξανθόχρουν (uti Judæis placet) ioſtitutus eſt, cum reſpectu ad aureum Aaronis vitulum; quod ſcilicet animal, cui cutis auri colorem imitaos, ad aurei vituli cultum expiandum, & peccati illius graviſſimi memoriam ſæpe renovaodam, aptiſſimum haberetur. Sed & hanc rationem cæteris nihilo ſolidiorem judico, quod vitulus *maſculus* rufus ad uſum illum multo aptior fuiſſet & accommodatior. Deinde: Juvenca illa rufa non ad moralem aliquam (qualis eſt μοιχολατρεία) ſed ceremonialem impuritatem tollendam, inſtituta eſt. Ita ſentiunt e [a] Chriſtianis plerique: ſic & nos (ſi verum amamus) opinari debemus. Satis enim e verbis vitulæ piacularis uſum exprimentibus intellectum eſt, Deum, ad purgandam [b] immunditiem e mortui contactu hauſtam, vitulam illam mactari & comburi præcepiſſe.

Ratio vera a moribus Ægypti petita.

Rationibus hiſce, falſis licet & inanibus, hactenus immorari viſum eſt, ut aditum eo minus impeditum ad rationem veram reddendam aperirem. Hanc autem ne conjectura percipere potuiſſem, niſi mihi lux ab Hiſtoricis ethnicis affulſiſſet. Nam dubitare nequeo, quin lex hæc (uti poſitivæ pleræque aliæ) anſam & originem acceperit e malo aliquo ſeculi more quo primum tradebatur. Si itaque ad ſeculi illius mores (quantum in tanta rerum antiquiorum obſcuritate percipere licet) animos advertamus, unum inveniamus qui nobis, atra adhuc caligine circumſeptis, facem præferat. Eum autem [c] *Diodorus Siculus* his verbis memoriæ conſignavit: Ταύρους τοὺς ἱεροὺς — τιμᾶσθαι παραπλησίως τοῖς θεοῖς [τοὺς Αἰγυπτίους] — τοὺς δὲ πυῤῥοὺς βοῦς συγχωρηθῆναι θύειν, διὰ τὸ δοκεῖν τοιοῦτον τῷ χρώματι γεγονέναι Τυφῶνα, τὸν ἐπιβουλεύσαντα μὲν Ὀσίριδι· *Tauros* equidem *ſacros -- majore in honore quam cæteros Deos habent* Ægyptii; — *boves autem rufos immolare fas eſt, quod hunc colorem habuiſſe Typhon videtur, qui per inſidias Oſirin oppreſſit*. Eandem hiſtoriolam *Plutarchus* in *Iſide* magis explicate tradidit, cujus verba ſic ſe habent: Αἰγύπτιοι, πυῤῥόχρουν γεγονέναι τὸν Τυφῶνα νομίζοντες, καὶ τῶν βοῶν τοὺς πυῤῥοὺς καθιερεύουσιν, οὕτως ἀκριβῆ ποιούμενοι τὴν παρατήρησιν, ὥστε κἂν μίαν ἔχῃ τρίχα μέλαιναν ἢ λευκήν, ἄθυτον ἡγεῖσθαι, i. e. [*] *Ægyptii, Typhonem colore rufo fuiſſe exiſtimantes, boum quoque non niſi rufos immolant: tam accuratam adhibentes obſervationem, ut ſi* bos *vel unum capillum album aut nigrum habeat, non immolandum cenſeant.*

Ex hac Ægyptiaci cultus hiſtoriola patet, Ægyptios, æque ac Judæos, Numen eorum bove rufo placare ſolitos; utroſque ſummam curam & diligentiam in exploranda rubedinis illius integritate adhibuiſſe; & ſi pilus unus ater aut albus inveniri potuit, bovem illum pollutum & altaribus ineptum judicaſſe. Cum autem ille rituum atque opinionum conſenſus non caſui ſed conſilio tribuendus ſit, hanc hiſtoriolam vitulam illam jure habeamus, qua arandum eſt, ut ænigmata legis hujus de vacca integre rufa ſolvere valeamus. Priusquam itaque progredior, operæ pretium exiſtimo, narratiunculam illam exponere; quantum ſcilicet inſtituti præſentis ratio poſtulat, & rem tanta vetuſtate abditam & fabulis obſcuratam explicare licet.

Quis autem *Typhon* iſte fuerit, aut cujus Dei vel Herois perſonam geſſerit, non multum refert in præſenti curioſius indagare: nec facile eſt certo cognoſcere, cum tam verſipellis ſit, & a Scriptoribus ethnicis in omnium pene rerum & perſonarum formas mutari ſoleat. Ideoque lectorem, cui Typhonem melius intelligere, charum gratumque eſt; ad auctores [d] illos amandamus, qui in hoc argumento philologico ad ſudorem laborarunt. Nec magis in rem noſtram cedit, quærere, quid rei ſit quod Ægyptii Typhonem eorum colore rubro fuiſſe dixerint: ſed & opera forſan abutetur ſua, qui rationem ritus aut dogmatis alicujus inter Ægyptios aut alios idololatras obtinentis enixe quæreret; cum eorum fides, Diaboli oraculis, ſacerdotum placitis, aut poetarum inſomniis, plerumque niteretur. Scire ſufficiat, Ægyptios Typhonem ſuum, malorum omnium auctorem, & (& quod caput erat) *Oſiridis* ſui interſectorem, exiſtimaſſe; eoſque malignum illud numen [e] ſacrificiis delinire ſolitos & demulcere. Cum autem Typhonem colore rufo fuiſſe crederent, ut illius gratiam inirent, ei non niſi co-

a *Selden. de Synedr.* l. 1. p. 28. b *Numer.* 19. 11. 12. *& ſeqq.* c *Hiſt.* lib. 1. p. 79. * Vid. *Herodot.* l. 2. c. 38. d *Cluver. Antiq. German.* l. 1. c. 31. *Bochart.* de *Animal.* col. 339. *Dickinſ* in *Del. Phœnic.* c. 1. 2. *Voſ.* de *Idol.* l. 2. c. 74, 75. e [Τὸν Τυφῶνα] παρηγοροῦσι θυσίαις καὶ πραΰνουσιν *Plut.* in *Iſid.* p. 362. E

SECT. II. loris cognati victimas, boves nempe rufos, offerebant. Interea loci, boves, homines, aſinos etiam rufos, oderunt peſſime; quod imaginem Typhonis in cute geſtarent, in quem Ægyptii hoſtili ſemper animo, *Oſiridis* interfecti cauſa, fuiſſe perhibentur. Hoc enim [a] *Plutarchus* de antiquis Ægyptiis teſtatum reliquit; τῶν μὲν ἀνθρώπων τοὺς πυῤῥοὺς προπηλακίζοντες, ὄνον δὲ καὶ κατακρημνίζοντες ὡς Κοπτῖται, διὰ τὸ πυῤῥὸν γεγονέναι τὸν Τυφῶνα, καὶ ὀνώδη τὴν χρόαν· *Rufos quidem homines, feſtis quibuſdam, contumeliis afficiunt, atque aſinos etiam de præcipitiis dejiciunt, ut Coptitæ, quia rufus erat Typhon, & coloris aſinini:* quamvis enim aſini apud nos colorem cinericium ferunt, in [b] Oriente plerumque rubent.

Hæc de Typhone carptim præmonere, neceſſarium duxi: cum enim ſuperſtitio hæc, apud Ægyptios, & (ſi *Philo* ſit verus) apud Iſraelitas etiam in Ægypto viventes, haud parum invaleſceret; Deus bovem integre rufum ſolenniter immolari voluit: ut Diabolum injuriarum ageret, eamque victimam quam ipſe quaſi propriam accepiſſet, Deus ſibimetipſi vindicaret; vel ut bovem, etiamſi rufus eſſet, ſe eodem quo & alia ſacrificia loco & pretio habere ſignificaret; vel ut Iſraelitæ, bovem rufum [olim Typhoni, i. e. Pythoni, Diabolo, devotum] Deo conſecrantes, ſe & omnia ſua ſoli vero Deo vovere, clare teſtarentur. Expediam paucis: bovum fœminam, quam Ægyptii ſingulari ſtudio coluerunt, Deus mactari, comburi, & contemptim haberi, voluit; & colorem, apud Ægyptios odio & contemptui habitum, elegit Deus, ut eorum ſuperſtitioſo dogmati & conſuetudini utrinque occurreret, & aperte ſugillaret.

Legis hujus originem huic occaſioni tribuendam eſſe, rationibus in medium jam producendis evinci poteſt.

Primo: id ante omnia in eorum cultu curare ſolebant Ægyptii, aliique, ut ſymbola & ſacra ſua naturas eorum Deorum quibus dicata erant, per quandam analogiam & ſimilitudinem imitari atque exprimere viderentur. Eo enim conſilio Nilum in bove nigro, tanquam ſymbolo cognato & conſentaneo, coluerunt; quod aqua profundior eſſet, aut [c] arena nigriori turbida. Hinc Hebræi omnium primi Nilum [*] שחר a שחר *nigreſcere*, vocarunt; & a Græcis poſtea [d] Μέλας & [e] Αἰγυπτὸς, ea de cauſa, dicebatur. Cum etiam obeliſcos in honorem numinis ſolaris erigerent Ægyptii, eos e marmore tanrum pyrite (ſi [f] Kirchero credamus) fieri voluerunt; quod principalis lapidis illius ſubſtantia colore rubro fulgeat, adeoque Solis naturam & colorem igneum apte repræſentet. Morem conſimilem inter ethnicos obtinuiſſe refert *Suidas*, in voce Ἀνάνυτος: ibi enim ſolenne fuiſſe narrat, Lunæ immolare βοῦν κέρατα ἔχοντα κατὰ μίμησιν τῆς πρωτοφυοῦς σελήνης, *bovem habentem cornua ad imitationem Lunæ primum naſcentis.* Et, referente [g] *Cedreno*, *Julianus Apoſtata* ἵππους λευκούς τε καὶ πυῤῥοὺς ἔθυε, τοὺς μὲν τῷ ἡλίῳ, τοὺς δὲ τῷ πυρὶ, καὶ τοῖς ἀνέμοις· *Albos equos Soli, rufos autem igni & ventis immolavit;* nempe, ut Deos ſuos donariis cum eorum natura conſentientibus honoraret. De Perſis etiam antiquis ab *Herodoto* memoriæ proditum eſt, eos Soli equos mactare ſolitos, eo quod ex decoro eſſet, [h] τῶν Θεῶν τῷ ταχίστῳ πάντων τῶν θνητῶν τὸ τάχιστον, *Deorum perniciſſimo, e brutis omnibus perniciſſimum immolare.* Eodem offerendi ritu Romanos etiam uſos fuiſſe, patet e lege illa 12. *Tabularum, quæ cuique Divo, decora, grata, ſint hoſtiæ, provideuto.* Cui plura de hac ingenioſe delirante veterum ſuperſtitione ſcire volupe eſt, adeat *Saubert.* de *ſacrific.* c. 16. & 18. [i] *Alex.* ab *Alex. Genial. dier.* l. 3. c. 12. *Arnob.* cont. *Gent.* lib. 7. & [*] *Kircherum*, ubi ritum illum non paucis argumentis & dicteriis exploſum reperiamus.

Cum itaque ſuperſtitio, Divo fere cuilibet hoſtiam propriam & naturæ ſuæ conſentaneam aſſignaret; veri quam ſimilimum eſt, Ægyptios bovem ſincere rufum Typhoni obtuliſſe, non ut eorum ritus Hebræorum ſacris, ſed Divi ſui colori & ingenio, conſentanei redderentur. Atque hæc a fide eo minus aliena cenſeo, quod colorem rufum Typhoni ſuo adeo in deliciis eſſe crederent; ut non boves tantum, ſed & homines rufos, ei ſubinde conſecrarent. In ejus rei fidem [k] *Diodori Siculi* verba refero, Τῶν ἀνθρώπων δὲ τοὺς ὁμοχρωμάτους τῷ Τυφῶνι τὸ παλαιὸν ὑπὸ βασιλέων φασὶ θύεσθαι i. e. *Homines quoque ferunt ejuſdem quem Typhon habuit coloris, ei a regibus olim mactatos fuiſſe.* Interea temporis, nullam ipſe rationem comminiſci poſſum, cur Deus, in ſacris ejus, bovi rufo locum tam inſignem dederit, qui nullam ſui ſimilitudinem populo viſendam

a Ub ſupr. F b Vid. *Bochart.* de *Anim. Sacr.* l. 2. c. 12. c *Et viridem Ægyptum nigra fecundat arena.* Virg. de Nil. * *Jerem.* 2. 18. d Vid. *Manſac. not.* in *Plutarc.* de *Fluvus*, p. 1157. e *Nam* αἰγυπτιῶσαι est μελαίνειν. f *Obeliſc. Pamphil.* l. 1. c. 5. g *Hiſtor* pag. 301. h *Hiſt.* 1. lib. c. ult. i *Omnibus fere Diis ſua victima & ſua ſacra conſtituta ſunt: quæ præterire & tranſgredi non erat fas.* p. 688. * Vid. *Oedip. Ægypt.* T. 1. *Syntag.* 3. c. 10. p. 230. k *Hiſt.* l. 1. p. 79.

præbuit

præbuit, nec ſacrificii ſexum aut colorem in pretio habuit. Rationi itaque maxime convenit, Ægyptios in religioſo bovis rufi uſu Judæis præiviſſe, Deumque victimam conſimilem iu ſacrorum ſuorum numerum recepiſſe, ob rationes quas dixi antea, vel ut Hebræorum vulgus animos a cultu ſuo minus averſos haberent, cum in eo cultus illius, cui in Ægypto diu aſſueverant, lineas & umbellas aliquot intueri poſſent. SECT. II.

Sacundo: conſuetudo quam dixi Ægyptiaca huic legi cauſam dediſſe putetur, quod incredibile ſit, Ægyptios bovis rufi in ſactis uſum a Judæis accepiſſe. Nam (1°.) Ægyptii [a] [ὕβρει] *μετέωροι*, gens *elata* fuit, & ſupercilii ſui documentum dederunt, quod gentes & mores exteros ſummo cum faſtidio præterirent. Imo vero hominum aliorum faſtidium Ægyptios eousque transverſos egit, quod id inprimis curaſſe videntur, ut eorum inſtituta aliis omnibus adverſa eſſent, nec ulla morum civilium aut ſacrorum affinitate genti alienæ conjungerentur. Ægyptios eo ingenio fuiſſe, fidem faciunt frequentia illa quæ apud *Herodotum*, *Porphyrium*, *Melam*, alios, a nobis alibi citata, occurrunt teſtimonia. Cum itaque Ægyptii mores exteros omni ſtudio devitarent, fide omni apud me caret, eos, cum bovem integre ruſum immolarent, Hebræorum mores ante oculos habuiſſe. (2°.) Sat liquet e veterum monumentis, nullam gentem in omni memoria extitiſſe, quæ odio & contemptu majore Judæos proſequebatur. Nempe Judæi populus erat, quem Ægyptii ſibi olim ſubditum, & ſemper adverſum, norant. Non eſt itaque fidei conſonum, Ægyptios Judæos imitari voluiſſe, vel ita ſe gerere, quaſi Judaiſmum religionum omnium ideam & primarium exemplar exiſtimarent. (3°.) Modo Ægyptii, in Typhonis ſui ceremoniis, ritus Hebræorum ſibi imitandos propoſuiſſent; proculdubio, non bovem maſculum ſed vitulam, eamque ad legis divinæ præſcriptum, Numini ſuo obtuliſſent. Quid enim, bovem ruſum immolantes, ab exemplari ſuo tam longe recederent, ut hyſſopum, lanam coccineam, & lignum cedrinum, minime curarent, aut aquam luſtralem e vaccæ combuſtæ cineribus conficiendam? Certe modo Ægyptii, gentis aut cultus Judaici ſtudio ducti, ad eorum ſacta imitanda animos appuliſſent, eodem zelo & affectu ritus eorum omnes, quo unum & alterum, recipere voluiſſent. (4°.) Cum ſe dabit occaſio, rationem non facile ſpernendam reddam, cur hiſtoria cultusque Typhonis haud infrequens, inter Ægyptios aut alias gentes, ante Moſis tempora, fuiſſe videatur. Cum itaque ratio non una ſuadeat, ut rufi bovis uſum in ſacris, ad Ægyptios auctores referamus; opinari par eſt, eorum mores legi huic occaſionem dediſſe, Deumque bovi ruſo locum in ſacris ejus aſſignaſſe, ut populo ſuo ſuperſtitionis Ægyptiacæ morbo laboranti remedium adhiberet.

Tertio; Ægyptii, aliique e Gentilium grege ſacrificuli, non minus ad animalis immolandi colorem quam naturam attendebant; nunc nigras, nunc [b] albas, nunc ruſas, quandoque maculatas, hoſtias (pro vario Deorum guſto & ingenio) Numinibus offerentes. Ethnicos hunc delectum in religionis parte poſuiſſe, pateat e verbis illis [*] Sibyllæ, optimam ſacra procurandi rationem docentis.

——— αὖθι δὲ γαίῃ
Πληθογένῃ χοίρους οἷς ἱερεύοιτο μέλαινα,
Πάνλευκοι ταῦροι δὲ Διὸς παρὰ βωμὸν ἀγέσθων·

Id eſt,

Atram frugiferæ Telluri deinde dicabis
Gratus ovem: tauros [c] candentes ad Jovis aram
Tum ſtatues, ———

His affinia quæ habet *Porphyrius* de bove apud Ægyptios Soli ſacro, βοῶν, [d] inquit, ἐστὶ μέγιστος, σφόδρα μέλας. *boum maximus eſt*, & *valde niger, quod ſolis ardor nigrorem humanis corporibus afferre ſoleat.* Tauros etiam ſolebant antiqui Neptuno immolare παμμέλανας, i. e. *omnino nigros*, ob maris colorem, quod e veterum fide refert [*] *Cal. Rhodiginus.* Narrat idem [e] auctor, Græcis antiquis in more fuiſſe, *canes rutilas* ſyderi Caniculæ, ob affinitatem coloris, immolare. Notum *Virgilii* illud, quod mihi pene exciderat,

Nigram hiemi pecudem, Zephiris felicibus albam.

a LXX in *Jeſ.* cap. 2. 12. b In *Ægypto bos rufus caditur Typhoni, candidus gallus victima eſt Anubis, croceus Hermanubis*, &c. Alex. Sardus de Gent. morib. l. 3. c. 15. * *Apud Phlegon.* de Longæv. c. 4. c Ad verbum, *integre candidos.* d Ap. *Euſeb. Præp. Ev.* l. 3. c. 13. * L. 17. c. 33. e Lib. 17. c. 27.

Hhh hhh 2 Alia

SECT. II. Alia apud [a] *Homerum*, [b] *Euſebium*, [c] *Cluverium*, alios, nccurrunt teſtimonia, e quibus apertum eſt, victimæ colorem, non minus quam ſpeciem, gentium curam & religionem exercere ſolitum. *Arnobius* itaque Gentiles eorumque Deos non immerito deridendos propinavit, quod circa victimarum ſuarum pilos & colores ea cum cura & ſollicitudine verſarentur. *Nam*, [d] inquit, *ſi fœminas fœminis, mares autem hoſtias Diis maribus immolari, ſacrificiorum jura præſcribunt; quæ in coloribus ratio eſt, ut merito his albas, illis atras conveniat nigerrimasque mactari? Quia ſuperis Diis ---color lætus acceptus eſt, --- Diis lævis ſedesque habitantibus inferas color furvus eſt gratior. --- Quid ergo? Non videtis (ut vobiſcum & nos ſtolide ſimiliterque ludamus) albas eſſe hoſtiarum carnes, oſſa, dentes, pinguitias ; -- mollesque in oſſibus medullas? --- ſolas ergo immolate lanas, vulſasque ex hoſtiis ſetulas*, &c. Cum itaque e teſtimoniis hiſce plurimis eluceat, non tantum hoſtiarum partes, ſed & colores, gentium curam & religionem occupaſſe; proclive eſt opinari, Ægyptios omnium primos bovem integre ruſum in ſacrorum ſuorum numerum accepiſſe. Hoc & eo ſimilius vero videatur, quod Deus de animalium ſibi offerendorum ſpecie, ſexu, ætate, integritate, & numero, leges non paucas dederit; de ſacrificii vero colore, niſi hac una in lege, nihil uſpiam in Moſis tabulis curatum reperiamus. Atque ejus rei novitas Judæos adeo perculſos detinet, ut eorum plerique hic penitus obmuteſcant, nec fabulæ alicujus folium, ad eorum inſcitiam honeſte tegendam, invenire poſſint.

Quarto : ſuperſtitionis & ethniciſmi mori & ingenio congruum eſt, opinari, bovem integre ruſum primum in Ægypti ceremoniis locum inveniſſe. Nam ſuperſtitio circa res minimi momenti maxima cum ſolicitudine verſari ſolet, & ethnicorum ſacerdotes in explorandis hoſtiarum labeculis omnem ἀκρίβειαν exhibere ſolitos, nemo literatus ignorare poteſt. Nempe ſuperſtitio defectum ejus in neceſſariis (cujus male conſcia eſt) zelo circa ſuperflua calidiore compenſare ſtudet. Diabolus etiam ſervos ejus circa victimarum ſuarum pilos & maculas occupatos detinet, ut eorum ſtultitia fruatur; & cultum ejus, eo proniore cum obſequio, quo minore cum ratione præſtitum, voluptate quadam perfuſus, contempletur. Sic eſſe ſuperſtitionem, & illius magiſtrum, Diabolum, ſatis evincunt ethnicorum ritus, quos (ſi curioſius inſpiciamus) difficiles nugas, ſolennes tricas, & inania tantum corporis exercitia, facile pronunciabimus. Rationi itaque & ſuperſtitionis ingenio conſentaneum eſt, ut bovis ruſi in cultu Typhonis uſum, iisdem quibus & ipſe Typhonis cultus, natalibus ortum arbitremur; Deum etiam, ob rationes ſolummodo jam datas, ejusdem coloris vitulam in ſacrorum ſuorum cenſum atque ordinem adſcripſiſſe. Superſtitionis eſt quidem [e] διϋλίζειν τὸν κώνωπα: nec abſurde creditur, ſacrificii [*] pilos & colorem ſuperſtitioſis Ægyptiis multum negotii faceſſere potuiſſe: Deus autem naturæ longe purioris & celſioris eſt, quam ut eum de rebus tam exiguis & infra curam viri ſapientis longe poſitis ſolicitum exiſtimemus. Deum quidem, ut ſacrificium perfectum eſſet & maſculum, ſæpius in Lege præcepiſſe legimus: nuſquam autem rebus tam exiguis vaccare voluit, ut pellis maculas notaret; nec unquam alibi victimam, pili nigri vel albi gratia, altaribus ejus ineptam pronunciavit. Abſit itaque, ut credamus, Deum bovem ruſum cæteris animalibus prætuliſſe, niſi cum reſpectu ad ſuperſtitioſum aliquem ſeculi morem aut opinionem, cui eradicandæ hujusmodi coloris ſacrificium inſerviret.

Quinto : inde etiam credi poſſit, antiquiorem Ægypti morem legem de vitula ruſa ſanciendi cauſam præbuiſſe, quod Judæi, bovem ruſum mactaturi, ritus Ægypti æmulati videantur. Nam (1°.) Judæi, hoc officium peracturi, bovis ruſi pilis omnibus diverſi coloris inveſtigandis, eruendis, aut tondendis, curam mire anxiam & ſcrupuloſam adhibebant. Hoc *Maimonidis* auctoritate fretus aſſero, vitulæ ruſæ jura [f] ſic referentis : *ſi in ea eſſent duo pili albi aut nigri, in uno vel duobus poris, modo unus juxta alium eſſet, illegitima credebatur* : & ſtatim poſtea [g] *quod ſi in ea eſſent duo pili, quorum radices ruſæ eſſent, ſummitates vero nigræ, licebat forcipibus tondere ſummitates pilorum nigras.* Miram hominum iſtorum religionem! ſed ab Ægypto propagatam: nam Ægyptii boves ruſos Typhoni offerebant, [h] ὅτως ἀκριβῶς ποιούμενοι τὴν κατανόησιν, ὥστε κἂν μίαν ἔχῃ τρίχα μέλαιναν ἢ λευκήν, ἄθυτον ἡγεῖσθαι, *tam accuratam adhibentes obſervationem, ut ſi* bos *vel unum capillum album aut nigrum habeat, non immolandum cenſeant.* Ægypti περιεργίαν, ſcrupuloſæ Judæorum diligentiæ occaſionem præbuiſſe, mihi facile

a *Iliad* Γ. verſ. 103. b *Præparat. Evang.* l. 4. cap. 9. c *German. Antiq.* lib. I. p. 293. d Adv. *Gent.* l. 7. p. 225, 226. e *S. Mat.* 23. 24. * Vid. *Herodot. Euterp.* c. 38. f *Tract.* de *Vac. ruſa.* c. 1. §. 2. g *Sect.* 3. h Vid. *Plutarc.* in *Iſid.* p. 363. B

per-

SECT. II.

perſuadeo; quod nuſquam in Lege præſcriptum ſit, ut, vaccam rufam mactaturi, tam accurata animadverſione caverent, ne pilus quiſpiam colorem diverſum oſtenderet: nec credibile eſt, Deum junicem piacularem rejicere voluiſſe, ſi forte pilus unus & alter a colore lege præſcripto diverſus abiiſſet. (a°.) Apud Judæos etiam, [a] auctore *Maimonide*, pro lege habebatur, ut *ſi vacca rufa cornua vel ungulæ rufæ eſſent, ſucciderentur.* Eos autem & hunc ritum ab Ægyptiis antiquis mutuatos fuiſſe, non imprudenter opinamur; eo quod ritum illum nullibi a Deo præceptum legamus, & quod idololatras, in minutulis illis obſervandis, ſeſe ad anxietatem & ineptiam accuratos præſtare ſoleant. Cum autem ritus illi duo ab Ægypto derivati fuerint, argumento non levi eſſe poſſint, Hebræos antiquiores exiſtimaſſe, ſuperſtitionem circa bovem rufum inter Ægyptios uſitatam, huic legi de vitula rufa ſanciendæ anſam & occaſionem præbuiſſe.

Sententia noſtra argumentis hiſce communita, paucis objectionibus occurrere deberem, quæ jam dictorum luci nebulas offundant: ne vero rerum ſeries & ordo turbetur, eas ad Sectionem ultimam reſervabo.

Cur Deus vitulam operum rudem, immolari juſſit?

Id unum jam ſupereſt, ut rationes exquiram, cur Deus vitulam, quæ jugum nondum paſſa eſt, offerri juſſit? Quaorum autem conjecturis aſſequi valeo, Deus duplici de cauſa vitulam nullo adhuc jugo & labore ſubactam poſtulavit.

Primo: ut ſibi & ſacris ſuis honorem & reverentiam conciliaret. Nihil enim majeſtatis divinæ & illius naturæ ſeparatæ ſanctæque ſenſum vulgo facilius incutit, aut religionis dignitatem magis illæſam tuetur & intemeratam, quam dona Deo oblata dignitate peculiari conſpicua, & charactere aliquo a rebus vulgaribus diſtincta & ſeparata: e contra vero donaria uſu aliquo communi trita, vel animalia laboribus emaciata Deo dicata, conceptus humiles & infra Numinis majeſtatem longe ſubſidentes creare ſolent, & ad ſacrorum contemptum non tam ducunt quam cogunt mortalium plebem. Deus itaque pleraque dignitatem aliquam ſingularem præ ſe ferentia, ſibi in peculium, ſub Lege, vindicavit: nam primogeniti omnes Deo erant devota capita, nec licitum erat cum bovis [b] primogenito arare, aut lanam primogeniti ovis & capræ tondere: ea enim Domino danda erant, priusquam uſui alicui humano inſerviiſſent. Pari de cauſa Deus [c] animantia nondum humanis uſibus mancipata, ad uſus ſacros adhiberi voluit. Non erat e majeſtate Dei, ut quis ei reliquias & rejectamenta conſecraret. Atque inde factum eſt, quod Chriſtus in aſini pullo equitavit, qui roboris ſui [d] primitias humano uſui non dediſſet; & in [e] ſepulchro condi voluit, quo nemo mortalium jacuiſſet.

Secundo: vitulam aratri neſciam ſibi mactari juſſit Deus, quod mos ille multis ante Legem ſeculis obtinuiſſe, & ipſi ſacrificiorum religioni pene coæva fuiſſe, videatur.

Deum, animalibus nunquam domitis aut jugo ſubditis, placandi morem diu ante Legem datam invaluiſſe, me perſuaſum habeo; quod mos ille ad honorem Deo & cultui ſuo debitum aſſerendum plurimum inſerviret, & quod gentes antiquiores [Ægyptii, Græci, Romani, alii] morem illum ſancte retinerent. Hoc ab Ægyptiis obſervatum fuiſſe, teſtatur [f] Chæremon Ægyptius, cum ait, eos animalia δεδαμασμένα, ὡς ἤδη καθωσιωμένα τοῖς πόνοις, *domita, quaſi jam conſecrata laboribus*, altaribus inepta crediſſe. Ab Ægyptiis, a quibus literarum uſum & ſacrorum diſciplinam hauſerunt, Græci morem conſimilem accepiſſe cenſeantur: nam *Euripidi* in *Phœniſſis* laudatur μόσχος, ἀδάματον πέσημα, *vitulus, indomitus cadens*: & vitulam quam nullum jugum exercuerat *Palladi* promittit [g] *Diomedes*, & [h] *Neſtor*, his verbis,

> Σοὶ δ' αὖ ἐγὼ ῥέξω βοῦν ἦνιν, εὐρυμέτωπον,
> Ἀδμήτην, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ.
>
> *Tibi viciſſim ego offeram vaccam, anniculam, lata frontis,*
> *Indomitam, quam nondum ſub jugum quiſquam duxerit.*

Eandem religionem & Romanos inceſſiſſe, probant plurima illa poetarum ſuorum [*Virgilii*, *Horatii*, *Ovidii*, & *Senecæ Tragœdi*] quæ congeſſit [i] *Bochartus*, teſtimonia. Quibus (ut chartæ parcam) ſubjungam tantum [k] *Arnobii* verba, *Minervæ virgini virgo ca-*

a *Tractat.* jam laudat. c. 1. §. 5. b *Deut.* 15. 19. c *Deut.* 21. 3. 1 *Sam.* 6. 7. d *Luc.* 19 30. e *Joh.* 19. 41. f Ap. *Porphyr. de Abſtin. l.* 4. §. 7. g *Iliad.* κ. 292. h *Odyſ.* γ. 382. i De *Animal. Sac.* P. 1. L. 2. Cap. 33. k Lib. 7. adverſ. *Gent.* p. 227.

ditur vitula, nullis unquam ſtimulis, nullius operis exercitata conatu. Hujuſmodi vitulas, Latinos *injuges* appellare ſolitos, e [a] *Macrobio* diſcimus. E quibus omnibus ſuſpicari pronum eſt, morem illum vitulas *injuges* immolandi, vel a primis humani generis patribus propagatum fuiſſe, vel a connato aliquo decori & honeſti ſenſu apud Ægyptios initium accepiſſe, & ad alias gentes, rerum Ægyptiarum ſimias, transmiſſum fuiſſe.

Cum itaque gentium uſus, & honeſti juſtique ratio, morem illum vitulas uſu humano minime pollutas immolandi plurimum commendarent, Deo viſum eſt morem illum in legem evehere, & ſanctione ſua ſacrum & perpetuum facere. Cum enim Deus legem populo ſuo daturus eſſet, non id egit, ut antiqua & recepta omnia cultus divini jura atque inſtituta prorſus abrogaret; ſed ut mundi *rituale* corrigeret atque emendaret: ideoque ritus omnes decoros, & ad religionis reverentiam tuendam aptos, retinuit; at magicos omnes & ineptos, a legis & cultus ſui corpore tanquam membra male ſana, prorſus amputavit. Hoc multis exemplis evinci poſſet, ea vero in præſens omitto, ne longius a propoſito deflexiſſe videar.

SECT. III.

De circumſtantiis & ceremoniis plane ſingularibus in ipſa vitula rufa immolatione ſolenniter obſervandis.

CUM vitulæ rufæ immolatio ob cauſam & uſum plane ſingularem inſtituta fuerit, nulli mirum videri poſſit, quod officium illud ceremoniis peculiaribus & ab aliorum ſacrificiorum ritu differentibus peragendum eſſet.

Cur Eleazaro ſpectante mactari debuit?

Harum ceremoniarum prima hæc erat, *viz.* Quod *vitula* illa, non *cuivis e ſacerdotum vulgarium ordine*, ſed *Eleazaro* ſoli afferri, eoque ſpectante mactari, debuerit. Sic enim verbis expreſſis mandatum legimus, [b] *&* trades *eam*, vitulam, *Eleazaro ſacerdoti, ut educat eam extra caſtra*, ושחט אותה לפניו *& mactabit eam in conſpectu ejus.* In cujus textus verbis prioribus claram lucem, poſterioribus autem illis, *& immolabit eam in conſpectu* vel præſentia *ejus*, craſſas tenebras, reperimus; cum tria nobis, haud facile ſolvenda, præbeant dubia.

(1°.) Quisnam *ille eſſet* qui vitulam illam mactare debuit, cum in textus hujuſce verbis officium illud nulli certæ perſonæ exequendum demandetur? *Toſtatus* aliique, interpretis vulgati veſtigiis inſiſtentes, partes illas *Eleazaro* ſoli aſſignatas exiſtimant; eo quod nullius alterius perſonæ mentio, verborum de Eleazaro dictorum ſeriem interrumpat. Eandem ſententiam tuentur Judæorum plerique, quod Eleazarum in vitula mactanda atque immolanda occupatum fuiſſe, per traditionem oralem, a primis usque poſt Legem transmiſſam ſeculis, edocti fuerint. Hoc refert [c] *Maimonides*, rectene an ſecus eruditi judicent. Mihi conſultius videtur, textus verba non de Eleazaro, ſed ſacerdote aliquo alio, ad Eleazari arbitrium aſſignato, cum Anglicanæ verſionis auctoribus, interpretari. Nam verba quaſi in hunc modum prolata, exponenda cenſeo; *& jugulet eam* [nempe ſacerdos cui id officii commiſſum] *coram eo*, i. e. Eleazaro. Hanc expoſitionem triplici de cauſa præferendam judico: (1°.) Quod eam mihi multum commendet auctoritas τῶν LXX, quos in legis ſuæ ſenſu & ritibus verſatos agnoſcunt omnes. Illi vero vocem לפניו verbo ſingulari, at שחט plurali, in hunc modum, [d] reddidere; καὶ σφάξουσιν αὐτὴν ἐνώπιον αὐτοῦ, *& jugulabunt eam in conſpectu ejus:* ſed & verbum ſingulare, ושרף ſic pluraliter expoſuere, com. 5. καὶ κατακαύσουσιν αὐτὴν ἐναντίον αὐτοῦ, *& comburent eam ex adverſo ejus;* nempe quod ſacerdos unus aut plures, *Eleazaro* ſpectante, ei negotio exequendo præficerentur. (2°.) Duos minimum huic muneri præfuiſſe, e verſibus 7. & 8. certa fides facta eſt: ibi enim, non ſacerdoti, i. e. *Eleazaro* ſoli, ſed & ei qui vitulam combuſſit, veſtium lavationem præceptam legimus. His ad amuſſim convenit quod in [e] *Talmude* traditum, nempe ſacerdotem principem, cum vaccam combureret, *& omnes operis ſocios*, in montem olivarum prodiiſſe. (3°.) Expoſitio noſtra verbis legis [*& immolabit eam in conſpectu ejus*] magis apte quadrare cenſeatur. Nam verba illa, de *Eleazaro* intellecta, ſenſum male cohærentem & ingratum fundunt, cum *Eleazarus* improprie dicatur vitulam in *ſuip-*

a *Saturn. l.* 3. *c.* 5. b *Num.* 19. 3. c In *Tractat.* פרה *c.* 1. §. 11. d In *Num.* 19. *c.* 5.
e In *Cod. Middoth. c.* 1. §. 3.

ſius

ſius conſpectu immolare. Neque hoc *Toſtatum* & interpretes cum eo ſentientes ſugiſſe videtur, cum relativum [*ejus*] non ad *Eleazarum*, ſed totum populum referant; verba (cum auctore [1] vulgato) ſic exponentes, *trades eam Eleazaro, —— qui & mactabit in conſpectu eorum.* Hæc autem gloſſa corrumpit textum, eique ſenium affigit verbis Hebræis omnino repugnantem. SECT. III.

(2°.) Dubium proximum cui textus verba præbent anſam, hujuſmodi eſt, cur Deus vitulam *coram ſacerdote* [non coram Domino, juxta communem victimarum legem ritumque] *mactari* & *comburi* juſſerit? Ut huic dubio ſatisfiat, triplicem hujus mandati rationem reddendam cenſeo. (1°.) Ut hac in re, ſacerdos arcæ & tabernaculi vicem ſuppleret, adeo ut Iſraelitæ, in ſacerdotis præſentia vitulam offerentes, ſe non dæmoni ſed Jehovæ ſacrum ſacere teſtarentur. Nam ideo præceptum eſt, ut coram tabernaculo & arca, præſentiæ divinæ ſymbolis, ſacra ſua omnia celebrarent, ut ritu illo, ſe Deum non dæmonem colere ſignificarent. Cum itaque Deo viſum eſſet, vitulam illam, tanquam pollutum & impurum quiddam, ab arca, tabernaculo, & altari ſuo, longe removere, neceſſe videbatur, ut Iſraelitæ coram ſacerdote ſaltem offerrent, & ſigno illo notum facerent, ſe victimam illam ruſam non Typhoni ſed Deo vero immolare. (2°.) Ut ſuperſtitionis Ægyptiacæ occaſio & ſpecies omnis e medio tolleretur. Cum enim Ægypti ſuperſtitio (quæ & Hebræos inſecerat) circa boves ruſos & vitulas præcipue verſaretur; populus ſorte modo ſibi relictus, ad vaccæ ruſæ aſpectum in cultus Ægyptiaci memoriam redire, & ſacrificii divini religionem ritumoreque aliquo peregrino polluere, voluiſſet. Deus itaque ſacerdotem ceremoniarum ſacrarum magiſtrum atque arbitrum poſuit, nec vitulam mactari vel cremari permiſit, niſi coram ſacerdote, tanquam morum omnium cenſore publico; ut omnia ad legis normam peragerentur, & omnis porta, quæ ſuperſtitioni aditum præbere poſſet, occluderetur. (3°.) Forſan & ideo Deus animal illud coram ſacerdote tantum immolari voluit, quod gentis totius κάθαρμα & piaculum eſſet, & ad præcipuas eorum immunditias expiandas ab eo inſtitutum. Deus itaque tam pollutum caput ad oſtium tabernaculi, & quaſi in conſpectum proprium, admittere non dignabatur.

(3°.) Dubium tertium, quod hic ſolvendum occurrit, ita habet: cur Deus, non *Aaroni* (quem in vivis tunc fuiſſe probant prima [a] Capitis verba) ſed *Eleazaro filio*, *vitulam immolandi munus aſſignaret?* Me huic dubio ſolvendo imparem eſſe fateri malim, quam conjecturis audacibus lectorem ludere vel Scripturam violare. *Toſtatus* a culpa illa non longe abſuiſſe videtur, cum in re tam ſacra & obſcura reſponſum tam ſecure dederit: [b] *fuit*, inquit, *duplex ratio* cur hic juſſum eſt, ut Eleazarus filius Aaron immolaret vitulam iſtam, & *non Aaron: prima, quia iſta immolatio non erat aliquid valde honorabile & excellens, ſed valde banauſum; cum fieret extra caſtra, & ille qui immolabat efficiebatur immundus* ad veſperam, nec ſolum arcebatur a ſacris, ſed etiam a populo, per integrum diem: *quod pertinebat ad quandam depreſſionem, ideoque honeſtius fuit dare hoc ſacerdoti minori quam pontifici.* Secunda, *quia ſummo ſacerdoti non commendabantur omnes miniſtrationes, etiamſi munda eſſent, ſed ſolum illæ quæ erant maxima. Sic fuit de miniſtratione diei propitiationis, quam ſolus ſummus ſacerdos facere debebat*, Levit. 16. Hæc *autem erat miniſtratio parvi honoris, immo nullius: ideo rationabilius fuit dari minoribus ſacerdotibus.* Rationes illas veritatis umbellam ferre noo diffitendum eſt: ſed (ut apertius agam) hujus præcepti cauſam e peculiari aliqua ſeculi illius circumſtantia, quam vetuſtas jam obliteravit, petendam cenſeo. Quamvis coim junicem piacularem offerendi munus prima vice *Eleazaro* tradebatur: e *Talmude*, aliiſque Judæorum monumentis, apertum eſt, pontifici ſummo illius negotii procurandi curam ſeculis ſequentibus demandatam. Neque loco & faſtigio pontificali indignum habebatur, ut ipſe notæ & uſus tam clari victimam offerendi munus exequeretur, & juſtitiam omnem pro parte ſua perimpleret.

Ceremonia ſecunda, cum vitula ruſa facerent, obſervanda, hæc erat; ut *extra* Cur extra
caſtra, in locum mundum educta, *mactaretur* & *combureretur*. Eam autem ceremo- caſtra?
niam tanti fecerunt Judæi, quod eam, non ſolum cum in tentoriis agerent, ſed cum fixis in Hieroſolyma ſedibus gauderent, per analogiam quandam obſervarent. Solebant coim, cum junicis ritus agerent, eam extra portas educere, & in mõote olivarum im-

a Vid. *Num.* 19. 1. b In *Numer.* 19. *Quæſt.* 6. *p.* 448. F

1 *Vulgata Editio* CLEMENTIS VIII. conſona eſt Hebr. ונתתם *tradetis;* ubi legitur etiam *immolabit* pro *mactabit;* & *omnium* pro *eorum*, Hebr. autem לפניו ſibi vult. *in conſpectu ejus.*

SECT. III.

molare. Huic mori [a] *Talmudici* teſtimonium perhibent. הכהן השורף את הפרה עומד בראש הר המשחה i. e. *Sacerdos vaccam comburens ſtabat in cacumine mentis Oliveti.* Cum autem ritus ille ab aliarum victimarum ritu longe recederet, operæ pretium exiſtimavi conſtitutionis illius rationem diligentius indagare. Quantum itaque mihi videtur, Deus triplicem ob cauſam, vitulam ruſam extra caſtra, in locis a ſanctuario remotis, immolari voluit.

(1°.) Quod vitulæ illius immundities, victimæ cujusvis alterius pro populi peccatis oblatæ impuritatem longe ſuperaret. Ea enim victimarum lex & conditio communis fuit, quod quo magis immundæ eſſent & quaſi peccatis oneratæ, eo longius a ſanctuario & præſentia Numinis exularent. Inde factum quod juvencum, gentis totius piaculum, Deo quidem intra ſanctuarium offerre, ejusque partes aliquot in altari comburere, fas eſſet; at populus partem longe maximam, [b] extra caſtra, tanquam impurum quiddam, igni mandare tenebatur. Hircus emiſſarius, qui gentis integræ peccata quotannis expiavit, & omnia peccata ſimul exportavit, ad ſacrificandum aut comburendum inidoneus habebatur; ſed [c] *ad extremos quaſi Garamantas, ad inſulam aliquam & terram non habitatam emittebatur.* Ut expediam paucis: vitula ruſa erat [d] חטאת *ſacrificium pro peccato:* omne vero *Chattath*, obſervante [e] *Maimonide, extra caſtra comburendum erat, non vero ſupra altare, -- quod illius fumus non eſſet odor acceptus Domino, ſed ingratus potius & abominabilis.* Hæc autem nihil admiratione dignum habent: nam [f] *hoc erat perpetuum, ut vituli pro peccato immolati carnes, corium, & fimus, efferrentur extra caſtra, & incendio abſumerentur.*

(2°.) Deus victimæ hujus religionem in hunc modum ordinaſſe videtur, ut vitula, extra caſtra oblata, figuram eo magis expreſſam Chriſti extra eivitatis portas olim offerendi gereret. Hanc rationem veritati viciniorem cenſeo quod inter typum & antitypum ſumma intercedat convenientia: nam Chriſtum extra portas civitatis paſſum eſſe, [g] *Apoſtolo* obſervatum eſt: & Evangeliſtæ referunt, eum in monte Oliveti (quo vitulam oblatam diximus) *poculi* ſui partem non minimam ebibiſſe. Hinc verba illa [h] viri dicti in rem noſtram appoſitiſſima, *ædificato Salomonis templo, extra civitatem, in Olivarum monte, ſanguis junicis* ruſæ ſpargebatur: *quemadmodum in eodem monte Servatoris ſalutaris victimæ ſanguis ſparſus fuit, cum ſudoris guttæ quaſi* [i] *grumi ſanguinis in terram deſcenderent.*

(3°.) Hanc etiam rationem, in lege dicta ferenda, valuiſſe crediderim; nempe, ut res divina magis honeſte & decore fieret, & vitulæ cineres, ad aquam luſtralem conficiendam ſervandi, eo purius inde colligerentur. Cum enim loca omnia intra caſtra cœno & ſordibus abundarent, utpote hominum atque animalium pedibus quotidie conculcata, non tam apte ſacrificio decenter offerendo, vel cineribus pure colligendis, inſervire poterant. Huic rationi pondus addunt ea legis [k] verba, *colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet* eos -- *in loco puriſſimo extra caſtra.* Ex ethnicis etiam nonnulli, ut ſacra ſua decore facerent, locos mundos, h. e. nitidos, & ab omni pulvere & ſorde purgatos, eligere ſolebant. Moris hujuſce veſtigia non obſcura in veterum Perſarum ceremoniis percipiamus: nam, referente [l] *Herodoto, cum ſacrum faciunt, nec aras erigunt, nec ignem incendunt, nec libamentis utuntur,* &c. τῶν δὲ [1] ὡς ἑκάστῳ θύειν θέλῃ, ἐς χῶρον καθαρὸν ἀγαγὼν τὸ κτῆνος, καλέει τὸν Θεόν· *Ut quisque* e Divis *alicui ſacrificare ſtatuit, in locum mundum victimam ducens Deum illum implorat.* His affinia & [m] *Strabo* de Perſis literis conſignavit. Eſt autem vero ſimillimum, Perſas morem illum, nnn a [n] Judæis, ſed a majoribus eorum, cum ipſa ſacrificiorum doctrina, traditum accepiſſe; ut ita rebus divinis honos & reverentia ſua maneret illæſa, quarum forte, mndo in loco cœnoſo peractarum pretium eviluiſſet. Sed me ad ſemitam, unde paululum deflexi, revoco.

Sanguis vitulæ verſus tabernaculum ſpargendus, & quare.

Tertia, notæ vero primæ, ceremonia, cum virulam immolarent, obſervanda fuit, ut illius *ſanguis ſeptem vicibus ex adverſo tabernaculi ſpargeretur.* Huic ceremoniæ ut quid lucis afferam triplici quæſtioni reſpondendum eſt.

(1°.) Cur ſanguinis aſperſio præcepta fuerit? Reſpondeo: ritum illum ideo præceptum autumo, quod eum ipſa ſacrificii eſſentia conjungebatur. Nam, in omni ſacrificiorum genere, hunc ritum præceptum vel uſurpatum legimus. Verbis meis fi-

a In *Mid.* Cap. 2. §. 4. b *Levit.* 4. 12. c *Maimonid. in Mor. P.* 3. *Cap.* 46. d *Num.* 19. 9.
e *Ub. ſupr.* f *Menoch. de Rep. Hebr.* col. 129. B g *Hebr.* 13. 12. h *L'Emper. in Cod. Mid.* Cap. 2. §. 4.
i *Luc.* 22. 44. k *Num.* 19. 9. l Lib. 1. c. 132. m *Geogr.* lib. 15. n *Vid. Lev.* 4. 12.

1 *Gronovius* conjicit *Herodotum* aut plene dediſſe ὥς τις ἑκάστῳ aut excidiſſe ἕκαστος ex ſimilitudine literarum.

dem

dem conciliabunt loca illa, *Lev.* 3. 2. *2 Chron.* 30. 16. *Levit.* 16. 14. & 17. 6. & ſexcenta alia; quibus etiam ſuperpondii vice, adjicere placet illa [a] *Bocharti* verba, *quoties offeruntur victimæ in* Exodo *&* Levitico, *toties ſacerdos ſpargit ſanguinem ad altare circumcirca. Et idem victimæ ſanguis libris, vaſibus, veſtibus, ſacerdotibus, populo univerſo inſpergitur. Id* Paulo *eſt* τῷ αἵματι ἐῤῥάντιζε, *Hebr.* 9. 21. *Et* Petrus, *eodem alludens, nos electos fuiſſe ſcribit* εἰς ῥαντισμὸν αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ, in aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti. *1 Petr.* 1. 2. *Itaque Judæorum canon hic eſt notiſſimus,* עקר הזבח בהזיית הדם *radix, ſeu eſſentia*, ſacrificii eſt in aſperſione ſanguinis. *Hinc Maimonides de Paſchate,* Cap. 2. Sect. 6. שהזריקה חמורה שהיא עקר הקרבן quia aſperſio ritus maxime deſiderabilis eſt, cum ſit radix oblationis. SECT. III.

(2°.) Quæri poteſt, cur vitulæ ſanguis contra fores tabernaculi aſpergi debuit? Reſpondeo, ita factum arbitror, ut ritu illo, tanquam ſigno loquaci, ſacerdos ſe in Dei veri, non Dei alicujus fictitii, honorem, ſacrum illud officium præſtare profiteretur. Ut lector rationem illam fide certiore complectatur, recolendum eſt, gentes antiquiores eorum ſacra ritu tam emphatico peregiſſe, ut ipſis illis quibus utebantur ceremoniis, ſe huic aut illi Deo cultum præſtare, cuivis innoteſceret. In hunc autem finem duplici plurimum ſigno vel indicio utebantur: nam quandoque aras & dona ſua coram ipſis Deorum imaginibus & [b] ſub ipſorum quaſi conſpectu, poſuere: ideoque Aaron, cum primum vitulam conflaſſet, aram coram idolo ſuo (pro more recepto) ſtruendam curavit, *Exod.* 32. 5. Jeroboamus etiam, [c] coram vitula ſua altare poſuiſſe dicitur. Ex eo more factum eſt, quod Deorum aras & imagines tam frequenter in [d] Scriptura conjunctas inveniamus. Moris hujuſce ſcopum & intentionem aſſecutum fuiſſe [e] *Lucianum*, ſat probant verba illa, προσάγουσι [τὸ ζῶον] τῷ βωμῷ, καὶ φονεύουσι ἐν ὀφθαλμοῖς τοῦ Θεοῦ· Hoſtiam *ad aram applicant, & ſub oculis Dei* [in effigie nempe præſentis] *jugulant.* Quandoque ceremonias ſuas ſacras verſus templum aut delubrum Deo ſuo conſecratum dirigebant. Hunc morem teſtimonio ſuo confirmat *Herodotus* in [f] *Euterpe;* nam ibi, ritus Ægypti referens, hæc habet, θυσίη δέ σφι ἥδε κατέστηκε, *ſacrificandi autem is eis eſt ritus: pecude ad aram ubi immolatur adducta, pyram incendunt,* ἔπειτα δὲ ἐπ' αὐτοῦ οἶνον κατὰ τοῦ ἱρηΐου ἐπισπείσαντες, &c. *Deinde,* [1] *ſupra pecudem libato contra templum vino, ac Deo invocato, eam mactant.* Cum itaque gentes antiquiores hujuſmodi ceremonias, a prima pene ſacrificiorum origine, in more habuiſſe, & populus earum ſcopum mentemque probe tenuiſſe videantur; non temere creditur, Deum [g] aram juxta tabernaculum templumque poni, ſacrificium coram ſe & ſuo quaſi in conſpectu immolari, ſanguinem etiam ex adverſo tabernaculi ſui ſpargi voluiſſe; ut ſignis tam claris & in uſu frequente poſitis, Hebræi ſe Deum verum ſacris eorum omnibus venerari teſtarentur. Ad hæc: Deus, populum alloquens, verbis uſu tritis & penitus intellectis, uſus eſt; quidni itaque credamus, cum, ſignis (verbis viſibilibus) cuivis e plebe perſpectis uti voluiſſe?

(3°.) Ad hanc ceremoniam explicandam, huic etiam quæſtioni reſpondendum eſt; cur Deus vitulæ ſanguinem ſeptem vicibus aſpergi juſſerit? Quoniam autem quæſtio hæc locum præbet, amplum conjecturis, anguſtum argumentis; tres tantum rationes, ſed timide & ſubmiſſe profero. Primo, numerus ſeptenarius apud gentes antiquas perfectionem forſan denotavit, & in Judæorum & Gentilium luſtrationibus, ad plenam purgationem & expiationem ſignificandam, locum invenit haud infrequentem. In Judæorum luſtrationibus aſperſio ſepties plerumque peragebatur, [h] Lege ritum illum toties repetitum ſæpe poſtulante. De numero etiam ſeptenario memoria frequens admodum in ſcriptis [i] veterum, ubi de gentium ſacrificiis & oblatione perfectarum victimarum occurrit ſermo. Deinde, voluit fortaſſe Deus, ſanguinis illius aſperſionem toties verſus arcam & templum fieri, ut populum hebetem Sui admoneret, & Iſraelitæ ſe, non jam Typhoni, ſed Jehovæ, bovem ruſum immolare, memori mente retinerent. Tertio, Deus numerum ſeptenarium, a prima rerum origine, ſibiipſi ſacrum feciſſe videatur: conſtat enim e plurimis Scripturæ [k] locis Deum ſæpiſſime numerum illum cæteris prætuliſſe, & ſacris ſuis pene proprium & peculiarem feciſſe. Et ideo forte [l] Propheta *Naamanem ſepties in Jordane lavare* juſſit, ut inde cognoſceret, ſe Dei

a De *Animal. Sac.* P. 1. L. 2. Cap. 50. b *Ezech.* 16. 18, 19. c Vid. *Joſeph. Antiq.* L. 8. p. 364. 40. d 2 *Paral.* 34. 4. *Deut.* 7. 5 e Lib. περὶ Θυσιῶν. p. 186. B f Cap. 39. g *Levit.* 1. 5. *Exod.* 29. 12. h *Levit.* 4. 6. & 14. 7. & 16. 14, & 19. i Vid. *Sheringham* in *Cod. Ioma,* Cap. 7. §. 3. k Vid. *apud Ainſworth. in Lev.* 4. 6. l 2 *Reg.* 5. 10.

1 Græca potius vertenda ſunt, *ſupra eam* (aram) *libato circa hoſtiam vino.*

SECT. IV. illius, cui numerus ille ſacer erat, ope & gratia, purgatum & ſanctitati priſtinæ reſtitutum.

Quarto: ea etiam circumſtantia, ſolenniter obſervanda [a] erat, ut vitulæ partes ad unum omnes, in locis ab altare remotis comburerentur. Unde factum, quod juvenca hæc plurimum diſtet ab aliarum victimarum ritu: cum enim *juvencum pro peccato* immolarent, quamvis corium, tota caro, exta, & fimus, extra caſtra igni traderentur; adeps [b] tamen, renes, & lobus jecoris, altaris ignibus abſumebantur. Utcunque, id unum in ſacrificiis plerisque omnibus ſervari ſolitum, ut ſanguinis aliquid ad altare ſpargeretur. Sed non eſt quod legis de vitula ruſa datæ paradoxa recenſeamus, cum ritus nullos contineat præterquam anomalos, & a communi victimarum aliarum regula deflectentes; niſi quod vitulam illam ſacerdotibus immolandam tradat, quibus alia pleraque Tabernaculi miniſteria tribuuntur. Nobis autem inſtituti tam obſcuri rationem duplicem digito attigiſſe ſufficiat: (1°.) Vitula ruſa maxime immunda erat, eo quod piaculum publicum eſſet, & populi totius immunditiis onerata. Legis itaque analogia poſtulavit, ut a Dei puri altari & quaſi conſpectu, quanta quanta eſſet, longe removeretur. (2°.) Decrevit Deus, ut vitula illa flammis integre traderetur, forſan ut obviam iret Ægypti ſuperſtitinni, circa boves fœminas præcipue verſatæ. Nam Ægyptii ſexus fœminei boves tam ſancte habuerunt, quod *nemo Ægyptius Ægyptiave* [c] *Græci viri aut os ſuaviaretur, aut illius cultro, veru, vel olla uteretur;* ne forte vaccam comediſſet, quod apud illos impietati maximæ par eſſe cenſebatur. Deus itaque vitulam non minus immundam apud Iſraelitas, quam ſanctam apud Ægyptios haberi voluit; & unumquemque, qui vitulæ illius partem aliquam vel imprudens tetigerat, in immundorum numero cenſeri, caſtris etiam uſuque ſacrorum interdici.

SECT. IV.

De ligno cedrino, hyſſopo, & cocco bis tincto, una cum vitula ruſa comburendis.

INTER inſtituta vitulæ comburendæ ritum ſpectantia, præceptum [d] legimus; ut *ſacerdos lignum cedrinum, hyſſopum, & coccum bis tinctum, mitteret in medium flammæ, qua vitula conſumebatur.* Huic legi, ne quidem conjecturis interpretum illuſtratæ, ut lucis ſcintillulam aſſeramus, opus eſt, ut in ejus ſenſu primum, deinde ratione indaganda, operæ ſtudiique nonnihil impendamus.

De ſenſu legis. A ſenſu legis ordiamur. Quid hic per *lignum cedrinum* intelligendum ſit, inter omnes convenit: neque eſt quod de illius (prout nec hyſſopi aut lanæ coccineæ) quantitate in flammam projicienda multum laboremus. Cum enim hac de re nil nobis comperti ſit, æquum eſt ut aures apertas Hebræorum traditioni præbeamus; cum præſertim nil cauſæ ſit, cur quis eam mendacii ſuſpectam habeat; nulla lucri vel gloriæ umbra nobis apparente, quæ Judæos hic a veritate ad fabulas Judaicas detorquere poſſet. Audiamus itaque Maimonidem, cui plerique ſubſcribunt Hebræorum magiſtelli: *ſacerdos*, ait [e] ille, *ſumebat lignum cedrinum & hyſſopum, ad palmi magnitudinem, & lanam cocco tinctam, ad pondus quinque ciclorum.*

Hyssopus, hac in lege memorata, litem paulo graviorem inter doctos movit: nam variæ herbarum ſpecies apud auctores occurrunt quæ *hyſſopi* nomine cenſentur, nec ſatis conſtat quænam illa ſit quæ in textu deſignatur. Sed nil opus eſt, ut nos litem illam noſtram faciamus, aut variis hyſſopi ſpeciebus & figuris deſcribendis curioſius immoremur. Id unum noſtra refert ſcire, hyſſopum nempe exiguum humilemque fruticulum fuiſſe, e parietibus, vel (quod *Bocharto* placuit) juxta parietes, erumpentem. Hoc e verbis hiſtoriæ ſacræ diſcitur: *& diſſerebat* [Salomon] *de arboribus, a cedro quæ eſt in Libano, usque ad* [f] האזוב *hyſſopum, quæ egreditur in pariete.* Plura de hyſſopo Judæorum ſtudioſi petant, e [g] *Bocharto*, [h] *Lud* De *Dieu*, [i] *Salmaſio*, [k] *Feſſelio*, aliisque, qui in hoc argumento cum laude non vulgari laborarunt.

Nos interim ad tertium, *coccum nempe bis tinctum*, una cum vitula comburendum, progrediamur. In Hebræo, שני תולעת δίβαφον vel *bis tinctum vermiculi* legimus. Nihil autem ad præſens inſtitutum facit, ut de hac loquendi formula (Incis minimum

a *Num.* 19. 5. b *Lev.* 4. 11. c *Herodot. in Euterp.* c. 41. d *Numer.* 19. 6. e *Tractat.* פרה cap. 3. §. 2. f 1 *Reg.* 4. 33. g De *Animal. Sac.* P. 1. L. 2. Cap. 50. col. 587. &c. h *Animadverſ. in Exod.* 12. 22. i *Tractat. de Hyſſop. & Cruce.* k *Adverſ. ſacr.* L. 5. Cap. 10.

triginta

triginta in Scripturis uſurpata) & illius ſenſu genuino, curioſe diſceptemus; & penſum illud multa cum laude abſolvit *Bochartus*, lib. ſæpius laudati P. 2. l. 4. c. 27. In præſenti ſcire ſufficiat, vocibus illis non ligulam aliquam, filum, vel pannum (quod multis viſum) ſed lanam, vermiculi ſanguine, h. e. colore coccineo vel purpureo, infectam, hoc in loco intelligendam. Sic enim verba legis exponenda docet Apoſtolus, ad *Hebr.* 9. 19. *Cum autem Moſes præcepta ſingula populo locutus fuiſſet, accepit ſanguinem vitulorum & hircorum*, μετ' ὕδατος καὶ ἐρίου κοκκίνου, *cum aqua & lana coccinea, & hyſſopo, & librum conſperſit*, &c. Quibus verbis loca illa in Lege ante oculos habuit Apoſtolus, ubi voces illæ שני תולעת in originali uſurpantur. SECT. IV.

Cum jam legis hujus intentionem expoſuerim, proximum eſt, ut illius rationem, (quantum per antiquitatis caliginem oculis offuſam liceat) explicare conarer. Onus grave admodum me in humeros ſuſcepiſſe, vel inde licet intelligere, quod illud interpretes plerique vix ſummis tactum digitis præterierint. Ipſi Judæi hoc in loco ne fabulari audent, ſed de eo ſic loqui ſolent, quaſi Elia ſuo, ad ſolvenda ἄλυτα venturo, linquendum exiſtimarent. *Maimonides* legem hanc inter nodos illos, quibus cuneum nullum invenire potuit, aperte numeravit: huic enim quæſtioni, [a] *cur purificatio* lepræ *facta fuerit, ligno cedrino, hyſſopo, cocco vermiculi, & duobus paſſeribus?* in hunc modum reſpondet, *mihi ne in hodiernum diem ullius ex illis vera conſtat ratio: quemadmodum nec ligni cedrini, hyſſopi & cocci vermiculi, in vacca rufa.* Ut rem in pauca contraham: interpretes pene omnes hic tacent, niſi quos maxime tacuiſſe oportuit; eos dico, qui Deo hanc legem ferenti voluntatem pro ratione ſtetiſſe, eamque pro mero legiſlatoris arbitrio & imperio ſancitam, aſſerunt. Et ratione.

Ut his itaque ora obſtruam, & lectorem forſan hærentem expediam, tres rationes aſſignabo, cur Deus hæc omnia, una cum vitula, comburi juſſit:

Earum prima eſt, ut ſingula, ad populi immunditias tollendas inſtituta, conſenſum & analogiam quandam cum ipſorum fine & uſu tueri poſſent. Si enim omnia ad aquam piacularem conficiendam inſtituta [nempe vitulæ cineres, aquam fontanam, hyſſopum, lanam coccineam, & lignum cedrinum] paulo propius aſpiciamus, ea omnia virtute quadam purgandi, vera vel credita, pollere reperiamus. Quantum cineres ad ſordes abſtergendas valeant, vel fœminis innoteſcit: atque inde factum arbitror, quod & ethnici ad eorum purgationes vitularum cineribus uterentur. Id moris inter ethnicos obtinuiſſe, diſertis veterum teſtimoniis, occaſionem magis aptam [b] nacti, probaturi ſumus. Ethnici vero, non ea de cauſa vitulæ cineribus ad februa utebantur, ut eorum ritus ad purgationis Judaicæ exemplar conformes redderent; tunc enim lignum cedrinum, hyſſopum, & lanam coccineam, æque ac cineres, uſurpaſſent: ſed quod uſus ille cum ipſa cinerum natura non male conveniret. Aquam etiam fontanam aut fluvialem purgandi facultate donatam eſſe, res notior eſt quam quod verbis egeat. Quid ligno cedrino ad purgandum virtutis a natura tributum eſt, non meum eſt in præſenti curioſius examinare: hominum autem opinionem ei plurimum tribuiſſe, inde conjicere datum eſt, quod lex Moſaica ligno illi, in aſperſione & purificatione legali, locum & uſum primarium pene ſemper dederit. Hyſſoporum etiam plurimum ad purgationem & puritatem valere, veterum fide receptum eſt. [c] *Chæremon* Ægyptiorum ritus explicans, aſſerit, eos herbæ illi virtutem purgatricem tribuiſſe, eamque, cum puritatis exercitiis vacarent, frequenter uſurpaſſe. Eam etiam appellat auctor *Etymologici* magni βοτάνην καθαρτικὴν, *herbam purgatricem*; [*] *Heſychius* etiam βοτάνην σμήχουσαν, *herbam abſtergentem* vel purgantem. Aſſerunt tamen nonnulli in hyſſopi natura nihil ineſſe σμηκτικὸν, ſed eam, ab uſu quem in purgandi ritibus olim habebat, appellationem illam accepiſſe. Sed alia omnia ſentit *S. Auguſtinus*, qui, in *Pſal.* 50. hyſſopum vocat *herbam humilem, medicinalem, purgandis pulmonibus aptam*; quod & e fide *Dioſcoridis* dixiſſe creditur: [d] *Voſſius* etiam veterum hyſſopum, thoracem, pulmones, tum etiam nervos, a pituitoſis humoribus purgandi vires habuiſſe refert. Lanam uſui eſſe poſſe ad corporis ſordes abſtergendas, res eſt apud omnes in confeſſo poſita: ideo vero cocco tingi debuit, ut locum in Dei ſacris eo dignius & honeſtius obtineret. Cum itaque his omnibus purgandi virtutem natura vel opinio dederat, quidni cum [e] *Procopio* cenſeamus, Deum iis partem præcipuam in inſigni illo gentis Judaicæ καθαρτικῷ componendo tribuiſſe; quod hic uſus eorum virtuti, vel veræ vel opinatæ, maxime conveniret?

a *Mor. Neb.* P. 3. c. 47. b Vid. Lib. 3. Diſſert. 3. c Ap. *Porphyr. de Abſtin.* l. 4. §. 6. * Voc. ὕσσωπ'. d De *Phyſiolog.* & *Theolog. Gentil.* l. 5. c. 23. e *Hyſſopus adhibetur huic ceremoniæ, habet enim vim purgandi.* Procop. in Levit. p. 350.

SECT. IV. Secundo: Deus lignum cedrinum, hyſſopum, & lanam coccineam, ſimul cum vitula comburi juſſit, forte quod more veteri receptum eſſet, horum omnium oblatione Deum propitiare. Arbores olim, easque ſæpius odoriferas, (qualis eſt cedrus) Deo in ſacris datas fuiſſe, neminem antiquitatis cognitione vel leviter imbutum latere poteſt. Teſtem itaque unum & alterum, in re tam confeſſa, citaſſe ſufficiat. Horum unus auctor eſt in omnifario arborum uſu verſatiſſimus, qui diſerte dicit, [a] *nulla* fuiſſe *veterum ſacrificia, in quibus arbores, earumve partes partem haud exiguam ſibi non vendicarint: nam vel principaliter adolebantur fructus, vel arborum frondes, rami, ligna*, &c. *Porphyrius* etiam odoratarum arborum θυμίασιν in ſacrificiis antiquitus uſitatam [b] aſſerit: & ut verbis ejus fidem aſtruat, addit, τὸ δὲ ἀρχαιότητα τῶν εἰρημένων θυμιαμάτων ἰκανῶς τις ἂν ἐπιβλέψας, ὅτι πολλοὶ καὶ νῦν ἔτι θύουσι συγκεκομμένα τῶν εὐωδῶν ξύλων τινά. *Dictorum vero ſuffituum antiquitatem perſpiciat quispiam, qui perpenderit multos etiam adhuc ligna quædam odorata fruſtillatim conciſa adolere.* Sed & herbas locum in ſacris multo antiquiorem, quam arbores odoratæ, habuiſſe, ex eodem *Porphyrio* diſcimus: ὁ τούτων [θυμιαμάτων] ἔθυον πρότερον, inquit ille, ἀλλὰ χλόης, &c. *Primum, non aromatum iſtorum, ſed herbæ virentis, primitiis ſacra faciebant; eam, veluti quandam naturæ fertilis lanuginem, manibus decerpentes.* Hiſce conſona quæ occurrunt apud *Ovidium*, ſic antiquiſſimos (quos ipſe norat) ſacrificandi ritus referentem, lib. 1. Faſt.

Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus aduſta foco.

Nec herbas ſolummodo, ſed & lanam, ex more vetuſtiſſimo, Numini olim oblatam, non uno in loco docet *Porphyrius*; cui & [c] *Sophoclem* adjungimus, ſacrum Diis gratum ſic depingentem,

Ἦν μὲν γὰρ οἰὸς μαλλὸς, ἦν δ' ἀμπέλου
Σπονδή τε καὶ ῥὰξ εὖ τεθησαυρισμένη·

Sacro inerat ovium vellus: inerat vitium
Latex, & uva cui ſuus perſtat vigor.

Lanam etiam puniceo colore infectam, Athenienſes (ab Ægyptiis forſan edoctos) Diis ſuis obtuliſſe, teſtatur auctor [d] *Etymologici* magni: Οὐκ ἔστιν ἄνθος, ἀλλὰ φοινικοῦν ἔριον διαπεποικιλμένον, ᾧ χρῶνται πρὸς τὰς ἱερουργίας Ἀθηναῖοι· i. e. *Non flos eſt* (quod putavit *Didymus*) *ſed lana punicea, varie diſtincta qua Athenienſes in ſacris utebantur.* Ubi, per ἔριον φοινικοῦν, nulli dubio locus eſt, quin lanam colore rubeo imbutam intellexit; nam φοινικοῦν, ἐρυθρὸν, πυῤῥὸν, auctori illi ſynonymæ ſunt aut ſenſus cognati voces. Neque veteres in ſacrificiis ſolummodo, ſed etiam purgandi ritibus, lanis colore ruſo tinctis uſi videantur. Nam [e] *Clemens* ἔρια πυῤῥὰ, *lanas rufi coloris*, inter alia, κατά τινας ἀκαθάρτους καθαρμοὺς *ad purificationes quasdam impuras*, a Magis olim uſurpata, numeravit. Lanam autem, ſacris hiſce muniis dicatam, eo colore tingebant veteres, forſan ut color ille laudatiſſimus rei tam vulgari gratiam & dignitatem aliquam conciliaret: nam lanas cocco tinctas multo in pretio apud Orientales habitas, [f] *Bochartus* Veterum teſtimoniis haud paucis extra dubium poſuit. Cum itaque non abſimile ſit vero, morem illum, ligna odorata, herbas, lanam etiam (eamque ſæpe coccineam) offerendi, ante datam Legem inter Gentes obtinuiſſe; non abhorret a fide, Deum (qui & alios ethnicorum ritus ad uſus ſacros tranſtulit) lignum cedrinum, hyſſopum, & lanam bis tinctam, ſibi dicari voluiſſe; partim, ne ritus ejus novitate ſua Judæis offendiculo eſſent, partim etiam ut hæc omnia, una cum bove ruſo, ſibimetipſi, vero creaturarum omnium Domino, vindicaret. Nam hæc omnia Deo ſacrificii nomine data fuiſſe pateat, quod in ipſum [g] flammæ medium, quandoque & [h] ventrem ardentis vitulæ, projicerentur.

Tertio: Deus hæc tria una cum vitula comburi voluit, cum reſpectu forſan ad aſpergillum quo in purificationibus, e præſcripto Legis, utebantur. Sic enim fiebat [i] aſpergillum, ut faſciculus hyſſopi, tribus caulibus conſtans, filo coccineo ad baculum cedrinum alligaretur: & aſpergillo illo, cum ſanguis victimarum, tum [k] aqua luſtra-

a *Aldrovand. Dendrolog.* Lib. 1. p. 139. A b De *Abſtin.* L. 2. §. 5. c Ap. *Porphyr. de Abſtin.* L. 2. §. 19. d In voc. Ἡραιοκαλλίς. e *Clem. Alex. Strom.* Lib 7. p. 843. 20. f De *Animal.* P. 2. l. 4. Cap. 27. & L. 5. Cap. 10. g *Num.* 19. 6. h *Maimon.* in פרה c. 3. §. 2. i *Maimon.* ubi ſupr. Cap. 11. §. 1. k Vid. *Targ. in Pſal.* 51. 9.

tionis,

tinnis, aſpergebatur. Aſpergillum illud in leproſi purgatione uſurpatum fuiſſe, ſatis e Moſe diſcimus: [a] *accipiet autem ſacerdos lignum cedrinum, lanam coccineam & hyſſopum, & aſperget*, &c. Ejuſdem aſperſorii uſum, cum domum lepra infectam luſtrarent ſacerdotes, inſtitutum legimus, *Lev.* 14. 49. Eoſque vix unquam inſtrumentum diſſimile in uſu habuiſſe, e verbis Apoſtoli non obſcure colligatur; [b] *& accepit* Moſes *ſanguinem vitulorum & hircorum cum aqua, lana coccinea, & hyſſopo, & aſperſit librum & totum populum.* Quamvis enim in hiſtoria Moſis populum aſpergentis, *Exod.* 24. 7, 8. nulla vel lanæ vel cedri fiat mentio, ea Apoſtolus uſurpata dicit; non quod hoc a ſpeciali Spiritus revelatione accepiſſet, ſed quod probe noſſet, ita morem gentis, aſpergendi ceremoniam peragentis, antiquitus habuiſſe.

Mirum eſt autem, quam vapulent interpretum ingenia, ut rationes aliquas extundant, cur Deus lignum cedrinum, lanam coccineam, & hyſſopum, in purgatione quavis uſurpari juſſerit: eas autem, utpote aqua ipſa luſtrali plerumque frigidiores, miſſas facio. Non opus eſt ut in alto vel profundo inſtitutionis hujuſce rationes inveſtigemus, cum apertæ ſint & pene cuivis obviæ. Nam Deus hyſſopum, [c] præcipuum aſperſionis inſtrumentum, inſtituiſſe videtur, quod herba illa, folia parvula, frequentia, tenera, leviter etiam villoſa, habens, in aquam aut ſanguinem immerſa, humorem ſtatim imbiberet, & eundem excuſſa facile emitteret; adeoque ad aſperſionis uſum a natura pene facta & conſecrata videretur. Lignum cedrinum, cum odoratum eſſet & inter ligna principatum teneret, manubrii quam decori loco eſſe poſſet, cui hyſſopum, lana coccinea in filum ducta, decenter alligarent.

Quum itaque aſperſorium e tribus hiſce conficeretur, Deus ea omnia in vitulæ rogum mitti voluit. (1°.) Ut communibus purgandi inſtrumentis igni traditis, nemo ea mundandi facultate, niſi quam ab inſtitutione divina hauſiſſent, donata ſomniaret. (2°.) Ut hac ceremonia doceret, hujus vitulæ combuſtionem propter aſperſionem fieri, ſine qua immunditiæ legales minime tollerentur. Hinc [d] illud Apoſtoli, *ſi ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ* [e] *ῥαντίζουσα aſpergens inquinatos, ſanctificat ad emundationem carnis*, &c. (3°.) Ut quivis aqua hac luſtrali, aſpergilli virtutem continente perfuſus, ſe non minus vere purgatum crederet; quam ſi aqua e ſacro illo ſacerdotum aſpergillo miſſa perfunderetur. His omnibus inde aliquid momenti accedat, quod hyſſopus & cedrus ligula coccinea ligari, & in aſperſorii formam compingi, ſolerent, (ſi [f] *Maimonidi* credimus) cum in ignem mitterentur.

SECT. V.

De aqua purificationis, e commiſtis Vitulæ combuſtæ cineribus conficienda.

Cum Lege curatum eſſet, ut vitula perfecte ruſa, nullo vitio notata, quæque jugum nunquam ſubiiſſet, ad ſacerdotem mactanda duceretur; Deus id inſuper mandati dedit, ut, vitula tota combuſta, cinis ejus, cœtui filiorum Iſrael, in aquam purgationis & expiationis a peccato ſervaretur. Hoc e Legis præſcripto conſtat, [g] *colliget autem vir mundus cineres vitulæ, & effundet eos — in loco puro, ut ſint multitudini filiorum Iſrael in cuſtodiam* & *in aquam aſperſionis.* Hac Lege tenebantur Iſraelitæ, vitulæ ruſæ cinerem ſancte habere & perpetuo conſervare, & paululum ex eo, cum uſus exigeret, aquæ fontanæ immiſcere; ut vaſa, veſtimenta, tentoria, & ſimilia, mortuo contaminata, aqua juniciis illius cinere condita aſperſa, purgarentur; & homines, qui, ob leviores aliquas & quotidianæ incurſionis immunditias, a ſanctuario populique communione arcebantur, aqua illa luſtrali conſperſi & mundati, Deo & ſacris reſtituerentur. Hinc aqua hoc ritu parata, nunc [*] מי נדה *aqua ſeparationis*, nunc [h] מי חטאת *aqua expiationis*, & a *Chaldæo* [i] מי אריותא *aqua aſperſionis* appellatur; quod ſcilicet ab aliis ſeparati ob immunditiem contractam, hac aqua aſperſi pro mundis & expiatis haberentur.

Ut autem legis jam dictæ ſenſum eo clarius explicem, duplici quæſtioni reſpondendum cenſeo, (1°.) Cur *aqua* illa *aſperſionis* e commiſtis vitulæ ruſæ cineribus conficienda eſſet? (2°.) Unde vitulæ illi maxima illa, & pollutos mundandi & mundos polluendi, poteſtas conceſſa fuerit?

a *Levit.* 14. 4. b Ad *Hebr.* 9. 19. c *Pſal.* 51. 9. d Ad *Hebr.* 9. 13. e *Ideo & ὕδωρ ῥαντισμοῦ, aqua inde facta a Græcis dicitur*, Num. 19. 9. f *Tract. de vac. ruf.* c. 3. §. 2. g *Num.* 19. 9. * *Num.* 19. 9. h C. 8. 7. i Inc. 19. 9.

SECT. V.

Cur aqua aſperſionis e vitulæ cineribus conficienda eſſet.

Primo: cur *aqua* illa *aſperſionis* e commiſtis vitulæ ruſæ immolatæ cineribus conficienda eſſet? Reſpondeo difficile eſſe, rationem aſſignare quæ pro certo & indubitato eſſe poſſit, cum Moſes hujus inſtituti rationes omnes tacite præterierit. Arbitror autem, (ſi tamen conjicere liceat) Deum his de cauſis aquam illam hoc ritu confici voluiſſe:

(1°.) Ut leviores immunditiæ, ex incauto ſcil. ſepulchri aut oſſis humani contactu oriundæ, ſacrificio quidem, quanquam levioris impenſæ & multis communi, tollerentur. Huic rationi lucis & auctoritatis nonnihil addunt illa [a] *Toſtati* verba, voluit Deus, ut *omnes incurrentes immunditias ceremoniales purgarentur per ceremonias:* quoniam autem *nihil erat magis ceremoniale in lege veteri quam ſacrificium, voluit fieri per ſacrificia. Quia tamen immunditiæ erant multum communes quas homines multoties incurrebant, grave eſſet nimis* ſi *in qualibet earum deberet offerri ſacrificium aliquod:-- quia ſemper cogerentur vacare ceremoniis iſtis in quibus expenderent magnam temporis partem*, ſed & plurimi *non ſufficerent ad iſtos ſumptus*, ſi *quoties contaminarentur, darent ſacrificium. Deus* itaque *elegit alium modum: quod ſcil. in immunditiis ſpecialibus & magnis, fieret expiatio per ſacrificia, ſicut in* [b] *immunditia lepræ & fluxus ſanguinis & --ſeminis, & immunditia Nazaræorum: in immunditiis autem communibus, voluit fieri expiationem per ſacrificia; non quod offerretur ſacrificium pro qualibet, ſed unum pro omnibus.* Illud autem *erat quod immolaretur vitula ruſa pro toto populo, & conſervatis cineribus ejus fieret aſperſio de illis cum aqua, & ſic quilibet per ſacrificium vitulæ* illius *purgabatur.* Ideoque aſperſio cinerum hujus victimæ, quid analogum habuit aſperſioni ſanguinis ad alias purgationes requiſitæ.

(2°.) Deus Iſraelitas purgandi conditionibus hac lege præſcriptis aſtringi voluit, ut eorum *aqua aſperſionis* a gentium *aqua luſtrali*, clare diſcerneretur. Nam Gentes, aqua ritu aliquo magico ſacrata, vel aqua in qua [c] titionem ardentem ab ara ſumptum extinxerant, myſteriis ſuis initiatos purgare ſolebant. Ægyptios aqua ulla alia ſe luſtrare, quam unde biberant [d] Ibides, religio prohibebat. Alii aqua tantum marina ad purgationes utebantur. Voluit itaque Deus, ut *aſperſionis aqua*, materia peculiari, a gentium aqua luſtrali diſtingueretur; ut Iſraelitæ, aquam ad Legis præſcriptum confectam in purgationibus eorum uſurpantes, indicarent, ſe gentem peculiarem eſſe, ſemetipſos Deo & legi ſuæ dedicaſſe, & ſuperſtitioni Gentilium nuncium remiſiſſe. Ab hac mente non longe abiit [e] *Guilielmus Pariſienſis*, qui de Legis ablutionibus agens, hæc habet: *aquam expiationis per ſacerdotes adhiberi voluit* Deus, -- *& mandationes iſtas novo ritu fieri, ut a ritibus ſuperſtitionis longe fierent* Iſraelitæ.

(3°.) Deus Iſraelitas aqua, vitulæ cinere condita, mundari voluit, ut ad animalis illius, tam ſancte apud Ægyptios habiti, contemptum ducerentur. Nam aureum vitulum in pulverem redegit Moſes, & Iſraelitis bibendum dedit; ut, hoc ritu docti, contemnere diſcerent, quod antea pro Numine habuerunt. [f] *Joſias* etiam idola, in pulverem redacta, *ſparſit ſuper ſepulchra populi qui ſacrificaſſet iis*, nempe ut populus contemnere diſceret idola, quæ ad eandem cum ipſis mortuorum oſſibus ſortem damnata videbantur. Cum itaque Ægyptii vitulas impenſius adorarent, & Iſraelitæ [moris Ægyptii memores & tenaces admodum] in cultum conſimilem propenderent; quidni liceat opinari, Deum ſtatuiſſe, ut vitulæ cineres aqua commiſti, lixivii loco ſervirent ad eorum immunditias eluendas; quo ſcilicet Iſraelitæ, uſu tam vili moniti, numen illud Ægyptium ſugillare diſcerent, & cultus ille vitulinus non minore apud Hebræos infamia, quam Ægyptios honore, tandem acciperetur?

(4°.) Deus vitulæ ſibi immolatæ cineres cum *aſperſionis aqua* commiſceri voluit, forſan ut populus, aquam illam ad purgandum adhibens, Jehovam ejus auctorem agnoſceret, eique (pene imprudens & quaſi aliud agens) cultum exhiberet. Deus (quod [g] alibi probamus) aſperſiones illas inſtituit, ut ejus inſtituta, qua fas eſſet, ad ſeculi morem & ingenium populi ceremoniis illis addictiſſimi, accommodaret: nec quiſquam, Hebræorum ruditatem bene æſtimans, opinari poteſt, Deum, cum *aquam expiationis* inſtitueret, ritum plane novum & a ſeculi moribus averſum, induxiſſe. Cum itaque populus ille ad luſtrationes & aſperſiones illas, e longo uſu, plurimum propenderet: Deus etiam, ut eorum animos cultui ſuo conciliaret, ritus eoſdem inter ejus ſacra toleravit; ea tamen lege & conditione, ut eorum aquæ luſtrali aliquid Deo ſa-

a In *Numer.* 19. Quæſt. 4. p. 446. E b Vid. *Lev.* c. 12. & c. 14. & c. 15. c *Caſaub. in Theophraſt. charact.* 16. περὶ [illegible] d *Ælian. de Animal.* L. 7. c. 45. e Lib. de *Legib.* cap. 11. p. 41. C f 2 *Par.* 34. 4. g Lib. 3 Diſſert. tert.

crum

crum & oblatum admiſcerent, & ſic ad cultum Jehovæ tribuendum arte & ingenio quodam perducerentur. Et a populo proculdubio, aquæ luſtralis uſu privari, quam aqua ad Dei præſcriptum compoſita luſtrari, gravius habebatur.

(5°.) Deus piacularis hujuſce vitulæ cineres ad uſum tam ſacrum ſeponi voluit, forſan ut ſuperſtitioni occurreret, apud Ægyptios & alias gentes, invaleſcenti. Nam Ægyprios ea ſuperſtitio tenuir, quod ruforum animantium cineres cum contumelia tractarent, eoſque maxime averſarentur. *Ægyptii*, referente [a] Manethone, *homines Typhonios combuſſerunt vivos, & cineres eorum ventilando diſſiparunt atque aboleverunt:* per Typhonios autem Ægyptii intellexerunt τῶν ἀνθρώπων τοὺς ὁμοχρωμάτους τῷ Τυφῶνι (uti loquitur [b] *Diodorus*) *homines ejusdem coloris quem habuit Typhon*, quem & rufum fuiſſe perhibebant. Et quamvis antiqui nil tale literis conſignarint, veriſimile eſt Ægyptios, boves etiam *Typhonios*, i. e. rufos, combuſſiſſe, & eorum cinerem, tanquam pollutum & profanum quiddam, ventis diſſipandum tradidiſſe. Deus itaque, ut Ægypti ſuperſtitioni ridiculæ contradiceret, vitulam, quam Ægyptii coluerunt, comburi, & cinerem, quem illi tanquam pollutum diſſiparunt, colligi juſſit, & in uſum ſacrum cuſtodiri. Neque lex hæc, cum Ægypti tantum, ſed & aliarum gentium, ſuperſtitione pugnaſſe videatur. Nam gentibus antiquis ſua non deerant καθάρματα, victimæ quædam publicæ, quarum ſanguis effuſus, mala avertere, Deos ad molliorem ſententiam flectere, & crimina gentis expiare, credebantur. Hæc autem piacula publica tam impura habebantur, quod more ſolito, [c] cineres eorum in mare projicerent, aut ventis diſſipandos traderent. Aliter autem Hebræorum lege moreque comparatum erat: quamvis enim juvencæ piaculares, ad eorum immunditias expiandas, inſtitutæ fuerint; horum tamen καθαρμάτων cineres religioſe cuſtodire, iiſque ad aquam luſtralem conficiendam uti, debuerunt.

(6°.) Par erat, ut vitulæ cinis & aqua fontana jungerentur, ut piaculum integrum eſſet, & ceremonialis peccati reatum ſimul & immunditiem tolleret. Nam cinis ille, non vitulæ ſolummodo, ſed vitulæ pro peccatis oblatæ, cinis erat, eumque peccati reatum tollere poſſe, facile crederetur: nec fidem difficilem invenit, aquam fontanam, vitulæ præſertim cinere conditam, [d] ad carnis immunditiem eluendam valere potuiſſe.

Secundo: dicendum ſupereſt, cur vitulæ rufæ, ſingularis illa, & pollutos mundandi & mundos polluendi, poteſtas concedebatur? Eam pollutos mundaſſe conſtat, quod ὕδωρ ῥαντισμοῦ, e commiſtis vitulæ cineribus factum, gentis totius immunditias expurgaret: nec minus claret, eam mundos polluiſſe, quod, quicunque operam vitulæ immolandæ vel minimam dedit, aut ejus carnem aut cineres incautus tetigit, labem contraxit, non niſi carnis & veſtium lotione eluendam. Mirari ſatis haud poſſit quispiam, rem eandem effectus tam contrarios producere potuiſſe.

Cur vitula mundos pollueret & pollutos mundaret.

UT hunc nodum ſolvam, tres rationes afferam, cur vitula hæc effectus tam contrarios producendi virtute donata fuerit:

(1°.) E legis uſu factum eſt, ut animalia omnia ad peccatum & immunditiem tollendam ſepoſita, puritatem quidem offerentibus, maximam autem immunditiem ſibi-ipſis, conciliarent: prout aqua ad manus a ſordibus purgandas uſurpata, lavanti quidem munditiem affert, dum interim puritatis propriæ jacturam patitur. Ille cui hircum piacularem dimittendi provincia demandara eſt, & ſacerdos qui juvencum pro expiatione combuſſit, immundi facti ſunt, nec iis ad Sanctuarium aditus conceſſus, [e] donec veſtes & corpora abluiſſent; eo quod populi immunditiæ in animalia illa, prout corporis ſordes in aquam purgatricem, tranſire, eiſque adhærere crederentur. Eadem perſuaſio ethnicorum animos occupaſſe videtur, qui teſtante [f] *Porphyrio*, a victimæ alicujus ad Numen placandum oblatæ tactu, religioſe abſtinuerunt. Hunc etiam in modum, animal immunditiæ neſcium, per adhærentes populi impuritates, immundum factum eſt, forſan ut imaginem Chriſti vivam exhiberet, [g] *qui peccatum neſcivit, pro nobis* antem omnibus *peccatum factus eſt*.

(2°.) Deus eidem victimæ & mundandi & polluendi facultatem dedit, forſan ut puerilem aliquam de rebus mundis & immundis opinionem, quam populus imbibiſſe videtur, tacite redargueret. Nam carnes immolatas nonnunquam tam ſanctas & puras pronunciavit, quod ſanctitatem rei alicui, vel tactu leviſſimo, impertirent; quandoque vero tam impuras decrevit, quod nulli tangendæ eſſent, niſi moleſtum immun-

a Ap. *Plutarc.* in *Iſid.* p. 380. D b *Hiſt.* L. 1. p. 79. c *Sard.* de *rit.* *Gent.* l. 3. c. 19. d *Hebr.* 9. 13.
e *Levit.* 16. 24, 26, 28. f Lib. 2. de *Abſt.* § 44. g 2 *Cor.* 5. 21.

 ditiæ

SECT. VI. ditiæ purgandæ laborem ſubituro. Nonnunquam iiſdem victimis [a] mundandi & coinquinandi virtutem tribuit. Deus autem leges tam incertas de rerum munditiis tradidit, forſan ut Iſraelitæ nihil ſua natura mundum aut immundum eſſe cognoſcerent, vel ut a rituum legalium (quibus tædii multum, parum autem bonitatis inerat) amore ſenſim abducerentur.

(3°.) Sic inſtitutum videtur, ut Deus diverſis Ægyptiorum de vitula rufa ſententiis occurreret, easque tacite reprehenderet. Nam Ægyptii animal illud, quatenus vitulam, honore divino, quatenus rufum, odio capitali, proſequebantur. Ut itaque ſententiam illam de ſanctitate vel divinitate quadam bovi fœmellæ inſita reprehenderet, vitulam hanc pro maxime impuro haberi voluit; quaſi mundum illud animal, per ſacrilegos Ægypti mores & dogmata, naturæ ſuæ jacturam feciſſet, & infra ſpeciei ſuæ dignitatem cecidiſſet. Cum autem Ægyptii animal idem, coloris ſui gratia, odio & contemptui maximo haberent, Deus ipſos vaccæ rufæ cineres ad populi purgationes adhiberi voluit; ut ſe victimam illam rubedinis cauſa minime repudiare, ſed potius eo majoris æſtimare, teſtaretur.

SECT. VI.

Solvuntur adverſæ partis argumenta.

UT ſententia mea firmiore ſtet pede, & Lector fidem eo faciliorem jam dictis adhibeat, ad ſextam penſi mei partem jam accedo, nempe ut ſolvam argumenta quæ ſententiæ meæ fidem maxime infirmare videantur.

Obj. 1. HORUM primum ita ſe habet: legis hujus origo a ceremoniis in cultu Typhonis uſitatis arceſſi nequit, cum jam conſtet, Moſem Typhone antiquiorem fuiſſe, & Ægyptios, ætate Moſis, Typhonis nomen aut facta ne fando quidem accepiſſe. [b] *Bochartus* enim multis, nec facile ſpernendis, contendit argumentis, Typhonem eſſe Moſem perſonatum, & præcipuas Moſis res geſtas, fabulis licet involutas, in Typhonis hiſtoria latitare. Atque huic opinioni calculum nuper adjecit auctor, eruditionis nomine merito celeberrimus.

AT hujus argumenti nervos duplici reſponſo incidere poſſimus: (1°.) Typhon hic Ægyptius Moſem antiquitate ſuperare non immerito cenſeatur. Refert enim [c] *Manetho* (cujus nnn eſt omnino ſubleſta fides) regem Ægyptium, ad requiem & tutamen Hebræorum in Ægypto commorantium, civitatem *Avarim* iis præbuiſſe: ἔστι δ' ἡ πόλις, inquit, κατὰ τὴν θεολογίαν ἄνωθεν, Τυφώνιος· *Eſt autem hæc civitas, ſecundum theologiam antiquam, Typhonis.* Ex his autem haud obſcure colligitur, incolatus Ægyptiaci tempore, Typhonis nomen Hebræis innotuiſſe; & eo nomine vix quicquam clarius aut antiquius noſſe theologiam Ægyptiorum. Sic & *Philonem Judæum* exiſtimaſſe patet, quod toties Iſraelitas, nuper ex Ægypto liberatos, Typhonem coluiſſe referat. Varia illius teſtimonia hac de re ſimul congeſſit [d] *Bochartus*, ad quem, bona ſua cum venia, lectorem amandamus. (2°.) Collatio Mnſis cum Typhone per *Bochartum* facta, non probat Typhonem Ægyptium Moſem perſonatum fuiſſe, vel Moſe non vetuſtiorem. Nam, auctoris tam clari pace, nnnnulla de veterum Typhone dicta, mihi videntur admodum invite & obtorto quaſi collo ad Moſem trahi. Quin & alia, de Moſe quidem vere dicta, Ægyptii veteres, ex odio erga Moſem aut fabulandi pruritu, Typhoni ſuo tribuerunt. Cum enim Typhon mali omnis auctor, & apud Ægyptios cacodæmon quidam haberetur; multa Moſi propria Typhoni tandem adſcripſiſſe videntur, ut Moſem & Iſraelitas in odium traherent, & Moſes Typho vel ejus affinis eſſe crederetur. Exempli cauſa: finxerunt Ægyptii [e] [τὸν Τυφῶνα] γεννῆσαι παῖδας Ἱεροσόλυμον καὶ Ἰουδαῖον· Typhonem *filios genuiſſe Hieroſolymum & Judæum.* Hoc autem abſurdum & inſtar fabulæ non immerito habeatur, cum omnes norint, nomen Ἰουδαῖον recentius eſſe, & multis poſt Moſem & Typhonem ſeculis uſitatum. Veriſimile eſt itaque, recentiores Ægyptios hanc fabulam excogitaſſe, & ut odium eorum in Judæos inveteratum ſaturarent, eos a Typhone, i. e. cacodæmone, prognatos aſſeruiſſe.

Obj. 2. SECUNDO: ſi Deus ideo legem de vitula rufa tulerit, ut Typhonis cultum, & dogmata cum Typhonis cultu conjuncta, prorſus aboleret, & ut ſexus & coloris illius animal quod Ægypti ſuperſtitione maxime miniſtraſſet, ſibi & cultui ſuo vindicaret; diſ-

a Vid. *Lev.* 6. 26, 27, 28. b *Hieroz.* P. 1. l. 2. c. 34. c Ap. *Joſeph.* Lib. 1. contr. *Ap.* pag. 1353. 5.
d De *Animal. Sac.* P. 1. col. 340. e *Plutarc. in Iſid.* p. 363. C

ficile

ficile dictu eſt, cur noo & legem peculiarem ſanxerit, de bove nigro, quo *Oſiridem*, & maculato, quo *Apin*, coluiſſe feruntur Ægyptii. SECT. VI.

FACILE reſpondeo: quantum enim probabili conjectura colligo, Deus de hoe animali, non de aliis (licet Ægyptiacæ ſuperſtitionis objectis) legem tam diſcrtam dedit, (1°.) Ut hujuſmodi legibus modum poneret, nec inſtitutorum ritualium numerus in immenſum excreſceret. (2°.) Quod Ægyptii eirca vitulam rufam ἀντιδιαμέτρως fuiſſe, & majorem citca animal illud, quam pleraque alia, ſuperſtitionem exercuiſſe, videantur. Omnes enim Ægyptii vaccam in honore præcipuo, & eorum plerique rubedinem in contemptu, habuerunt; & coloris illius cauſa (qua erant ineptia) infeſto ſemper in rufos, aſinos, boves, & homines, animo fuiſſe perhibentur. Deus itaque vaccam rufam ſuum in honorem immolari voluit, ut omnem ſuperſtitionis Ægyptiacæ occaſionem tolleret; hoc inſtituto luculenter oſtendens, ſe vaccam non majoris quam alia animalia, nec rubedinem minoris quam alios colores, æſtimare. (3°.) Bos ruſus unicum illud animal erat, e bovino genere, quod Ægyptii Typhoni ſuo ruſo, eique ſoli, palam & ex profeſſo, ſacrarunt & immolarunt. Typhonis autem rufi nomine, Diabolum, [a] δράκοντα πυῤῥὸν; eos intellexiſſe, [b] *Cluverius* (ingenii præſtantis auctor) e collatis veterum teſtimoniis abunde comprobavit. Æquum itaque fuit, ut Deus bovem rufum, ſibi & ſacris ejus, lege diſerta vindicaret, quem unum Ægyptii Diabolo proprium voviſſent, eique ſoli tam aperta fronte ſacrificaſſent. (4°.) Cum Dcus boves & vitulos immolari, ſæpius in lege præcepiſſet, eoque religionem *Oſiridis & Apidis* abjectam & contemptam reddidiſſet; reſtabat tantum, ut ſibi vitulam rufam immolari præciperet, nempe ut legem cultui *Typhonis* inſigniter adverſam traderet, & forſan ut odium in aſinos, boves, aut homiues rufos, ab Ægypti moribus hauſtum, Hebræorum animis extirparet.

TERTIO: non nemo forſan hic dicet, nil opus eſſe, ut ad Ægyptum, ejuſque ritus obſcuros & ineptos, confugiamus, ut inde legis hujuſce rationem petamus; cum rationem magis e vicino petitam, & pene ſub manu natam, habeamus. Nempe Deus ideo vitulam undiquaque rufam nfferri juſſit, ut imaginem Chriſti propheticam, ſanguine proprio rubicundi, Judæis exhiberet. Atque hæc ratiu non conjecturis nititur, ſed Apoſtoli verbis ad Hebræos; [c] *nam ſi ſanguis taurorum & hircorum, & cinis juvencæ aſpergens inquinatos, ſanctificat ad carnis puritatem, quanto magis ſanguis Chriſti*, &c. Hæc etiam objectio novas ſibi vires acquirat e Chriſti & vitulæ rufæ circumſtantiis plane parallelis, quas auctoris eruditi verbis exhibere viſum eſt. “Primum inquit, colnr ille ruſus peccatum ſignat, auctore *Ieſaia:* [d] *ſi fuerint peccata* “*veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus,* “*velut lana alba erunt*. JEſum autem peccata hominum portaſſe, docent multa ſcri“pturæ loca. Labis expers eſſe jubetur vacca: JEſus ſanctus, innocens, impollutus “eſſe dicitur, in [e] epiſtola ad Hebræos; agnus immaculatus & incontaminatus in pri“ma [f] *Petri* epiſtola. Ἄζυξ eſſe debuit vacca: veteris legis jugum excuſſit Chtiſtus “JEſus, eique nos ſubduxit. Extra caſtra immolabatur vacca, in conſpectu omni“um: Chriſtus etiam [g] *ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam* “*paſſus eſt*. Immolationis hujus miniſter deſignatur Eleazarus, ſacerdos alter a ſum“mo pontifice: Caiphæ, principis ſacerdotum, juſſu captus eſt JEſus, eodemque quæ“ſitore & judice morti addictus. —— Jubetur Eleazarus ex crematæ vaccæ cineribus “aquam expiationis conficere, qua impuritates abluantur: *ſanguis Chriſti, qui per* “*Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam no*“*ſtram ab operibus mortuis.* Adeo ut Meſſiam olim ventutum, nullus typus expreſſius & ſignantius referre potuerit.

UT huic objectioni ſpecioſæ ſatisfiat, hæc duo dicenda cenſeo: (1°.) Nonnulla Chriſtum ſpectantia vitulæ rufæ circumſtaotiis analogis prædicta fuiſſe, pro veriſimili habeatur. Quamvis enim bono ſtomacho ſit oportet, qui comparationes illas omnes inter Chriſtum & vitulam illam inſtitutas novit concoquere; minime negandum eſt, in aliquibus vitulæ circumſtantiis, arcana quædam evangelica latuiſſe, quæ profanis oculis olim non patebant. Apoſtolus enim, Chriſti ſanguinem αἷμα [h] ῥαντισμοῦ vocans, ad [i] ὕδωρ ῥαντισμοῦ, hac in lege memoratum, alludere cenſeatur: & [k] *Pſalmiſtes*, homicidii reus, & Chriſti ſanguioe expiari cupiens, *hyſſopo* (utpote ſanguinis illius aſpergendi

Obj. 3ª.

a *Revel.* 12. 3. b *German. Antiq.* l. 1. cap. 31. per. tot. c Cap. 9. 13, 14. d *Jeſ.* 1. 18. e *Hebr.* 7. 26. f 1 *Petr.* 1. 19. g *Hebr.* 13. 12. h *Hebr.* 12. 24. i V. LXX in *Num.* 19. 9. k *Pſal.* 51. 7.

typo & ſymbolo) *purgari* petit. In his, & aliis, ita ſe exerit veritas, ut alio lumine non indigeat. (2°.) Hanc legem non ea ſola de cauſa ſancivit Deus, ut Chriſti vitam aut mortem ſymbolice prænunciaret. Apertum eſt enim, multa hac in lege præcepta ad ſignificatum Evangelicum ne torqueri quidem poſſe; Judæos etiam, ad intimas arcanorum cœleſtium medullas, quæ hac in lege latere dicuntur, minime penetrare potuiſſe. Certum eſt, ipſum illum populum legis ſuæ corticem ſolummodo tetigiſſe, ſi ideo tantum data fuiſſet, ut Evangelii doctrinas typorum nebulis & involucris obſcuraret.

Hæc ea ſunt, quæ ad hanc legem illuſtrandam maxima cum veri ſpecie dicenda cenſui. Si quis moleſte ferat, quod aliqua dubius dixiſſe, & hoc in Capite vocabula illa, *forte*, *veriſimile*, *videatur*, & hujuſmodi, juſto frequentius uſurpaſſe, videar; audiat *S. Hieronymi* verba, quæ apologiæ loco inſerviant, & huic capiti colophonem imponant: [a] *omnis hic locus obſcurus & dubius eſt, & debet nobis lector ignoſcere, ſi in his quæ ambigua ſunt, & nos pendulo incedimus gradu.*

CAP. XXVII.

Præceptum lucos in altaris vicinia plantari prohibens.

LEX ordine proxima, quæ Zabiorum ſuperſtitioni frontem adverſam gerit, occurrit nobis, *Deuter.* 16. 21. *Non plantabis tibi* אשרה *lucum*, כל עץ *ullam arborem, juxta altare Domini.* In hac autem lege explicanda, quo ſtrictius & accuratius procedat ſermo, in ſenſum primo, dein occaſionem, cauſam denique vel rationem diligentius inquirendum eſt.

SECT. I.

Verba legis explicantur.

UT legis hujus intentio clare percipiatur, opus eſt ut in vocum earum [אשרה & כל עץ] ſenſu indagando paululum verſetur induſtria noſtra.

אשרה quid.

Vox אשרה (nam inde ordiendum) *lucum* frequentius in Scriptura notat: ideoque Græci interpretes eam per ἄλση multoties interpretantur. Erant autem luci, loca proceris & vaſtis arboribus plerumque conſita, aris extructis ornati, & numinis alicujus cultui plerumque dedicati. In hoc conventum eſt apud omnes, qui nominis aliquid inter doctos obtinent. At præter tritam hanc & vulgo receptam vocis hujuſce notationem, ſignificatum quadruplicem (ni decipi contingat) in Scripturis obtinet. Nam,

1°.) Non tantum ad lucum, ſed & ſimulacrum aliquod ligneum, ipſius luci ſymbolum aut imaginem, indicandum aliquoties uſurpatur. Eo ſenſu venire videtur, *Judic.* 6. 25. nam ibi Scriptura, Gideonis geſta referens, deſtruxit, inquit, *altare Baal, & ſuccidit* האשרה *ſimulacrum quod* erat *ſuper illud.* Ita עליו verto non *juxta illud*, (cum interpretum vulgo) Seniorum auctoritate motus, qui hic ἐπ' αὐτὸ, i. e. *ſuper ipſum* altare transferunt: quod ſcil. idololatræ ſimulacrum luci ſuper aram ſublime poſuiſſent, ad morem nempe, quo Gentes in eorum ſimulacris diſponendis utebantur. Eo ſenſu vocem ſumendam cenſeo, 2 *Reg.* 23. 4. Ubi Joſiah præcepit, *ut educerent e templo Domini, vaſa omnia, facta* לבעל ולאשרה *ipſi Baal & luco:* nam ibi voce אשרה cenſetur proculdubio illud פסל האשרה *ſculptile luci*, quod Ahab, ad lucum repræſentandum *in domo Domini poſuiſſe* dicitur. Cenſentit Græca verſio, quæ voces Hebræas [b] [§] γλυπτὸν τῦ ἄλσυς reddit. His adde 2 *Reg.* 23. 6. ubi Joſiam *lucum*, i. e. luci ſimulacrum, *de templo Domini exportaſſe* legimus.

(2°.) Vox אשרה non tantum arborum congeriem, ſed & arborem ſingularem, quandoque denotat. Hoc e *Kimchio* nonnulli diſcendum ſentiunt, qui vocis hujuſce ſenſum [c] ſic interpretatur; כל עץ שעובדין אותו או נוטעין לכבוד מי שעובדים אותו יקרא אשרה i. e. *Omnis arbor quæ colitur, & quæ plantatur, in honorem numinis quod colunt idololatræ, dicitur* אשרה. Hoc, e lege forſan quam præ manibus habemus, colligendum

a *Comment.* in *Zachar.* 10. 1. T. 3. col. 1764. b 2 *Reg.* 21. 7. c Lib. *Radic.* voc אשרה

§ Apud *MS. Alex.* leguntur (male autem) γλυπτὸν τῦ ἄλσυς ἐν τῷ οἴκῳ.

censuit:

cenſuit: nam in ea, verba illa כל עץ *omnis arbor juxta altare* (i. e. ad cultum) *plantata*, vocem præcedentem אשרה exponere videntur. SECT. I.

(3°.) Vox hæc templum quandoque vel delubrum indicat. Eo ſenſu nobis occurrit, 1 *Reg.* 14. 23. *Ædificaverunt ſibi aras & ſtatuas*, ואשרים *& lucos, ſuper omnem collem excelſum, & ſubter omnem arborem frondoſam.* Hoc enim in loco, longe conſultius eſt vocem Hebræam per *templa* vel *delubra*, quam *lucos*, reddere: cum luci, nec *ſubter arborem frondoſam*, qui e frondoſis arboribus ipſi conſtant; nec *ædificari*, ſed plantari, niſi loquendi conſuetudine violata, dici poſſunt. Neque hæc vocabuli ſignificatio mira videri poſſit, cum & ethnici (Poetæ præcipue) lucorum nomine, templa non raro deſignarint. Hic appello [a] *Strabonis* verba: *Poeta* propter conſitarum arborum juxta templa perpetuam conſuetudinem, ἄλση καλοῦσι τὰ ἱερὰ πάντα· *omnia templa lucos appellant, etiam arboribus carentia.* Atque hac in re belle *Straboni* cum *Virgilio* convenit, qui *Triviæ* templum *lucum* [b] vocat:

Jam ſubeunt Triviæ lucos, atque aurea tecta.

(4°.) Nonnunquam vox hæc ad *Aſtarten* aut ſimulacrum *Aſtartes* notandum uſurpatur. Hoc facile conſtet, ſi textus ſequentes, ἐν παραλλήλῳ poſitos, attentius conſideremus.

Judic. 2. 13.	*Judic.* 3. 7.	1 *Sam.* 7. 3.
Et dereliquerunt Dominum, & ſervierunt לבעל ולעשתרות *Baali & Aſhtaroth.*	*Et obliti ſunt Domini Dei ſui, & ſervierunt Baalim* ואת האשרות	*Si revertatis ad Dominum, removete de medio veſtri, Deos alienos,* והעשתרות
LXX. Καὶ ἐγκατέλιπον αὐτὸν, καὶ ἐλάτρευσαν τῷ Βαὰλ καὶ ταῖς Ἀστάρταις.	Καὶ ἐπελάθοντο Κυρίου τοῦ Θεοῦ αὐτῶν, καὶ ἐλάτρευσαν τοῖς Βααλὶμ, καὶ τοῖς ἄλσεσι·	Καὶ περιεῖλον οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ τὰς Βααλὶμ, καὶ τὰ ἄλση Ἀσταρώθ. Aquila, τῆς Ἀστάρτης ἀγάλματα.

E tribus his, Hebraice & Græce collatis, Scripturæ locis, aperte colligo, voces eas עשתרות & אשרות ſono, non ſenſu, diſcrepare; & ad *Aſtarten*, *lucos*, & *imagines Aſtartes*, ſignificandas, promiſcue & indifferenter, uſurpari. * Erat enim apud ethnicos indifferens an Diis vel eorum imaginibus, vel eorum ſymbolis cultum exhiberent.

Hæc omnia ſatis evincunt, vocem אשרה non *lucum* ſolummodo, ſed & alia multa, ſignificatus ſui ambitu continere. Conſtabit autem vocem eam hic ſenſu latiore ſumendam eſſe, cum voces eas כל עץ (quod proximo incumbit) paucis explicuerim.

Hæc autem phraſis [כל עץ] quaſi petra ſcandali fuit, quam interpretes vix ulli pede inoffenſo prætererunt. Interpretes noſtri Anglicani voces eas, quaſi ἐμφατικῶς dictas, ita reddendas opinati ſunt: *Thou ſhalt not plant thee a grove of any trees near unto the altar of the Lord thy God, which thou ſhalt make thee.* Mihi vero voces illæ ἐξηγητικῶς dictæ videntur, & lex tota in hanc ſententiam interpretanda: "*non plantabitis* אשרה qua voce כל עץ * [lucum, arborem, luci ſculptile, ſimulacrum Aſtartes, columnam aut imaginem ligneam] vetitum intelligatis. Sic legem integram, rationibus minime ſpernendis inductus, interpretandam cenſeo: nempe, Quid per כל עץ intelligendum.

(1°.) Sic interpretes Græci legem transferunt, οὐ φυτεύσεις σεαυτῷ ἄλσος· πᾶν ξύλον παρὰ τὸ θυσιαστήριον τοῦ Θεοῦ σου ὃ ποιήσεις σεαυτῷ· i. e. *Non plantabis tibimetipſi lucum, nullum lignum juxta altare Dei tui ſtatues* aut *formabis tibi.*

(2°.) Judæi veteres hanc legem, non de luco tantum, ſed & ſimulacro ligneo, vel arbore quavis in altaris confinio plantata, intelligendam cenſuerunt. Hac de re nemo dubitare poteſt, qui credere velit [c] *Hecatæo*, hæc de Judæorum templo & altari referenti, ἄγαλμα δὲ οὐκ ἔστιν [αὐτοῦ] οὐδὲ ἀνάθημα τὸ παράπαν, οὐδὲ φύτευμα — οὐδὲν, οἷον ἀλσῶδες, ἢ τι τοιοῦτον· *Simulacrum, aut aliquod ſignum ſacrum, ibi nequaquam eſt, nec ulla plantatio, veluti lucus, aut aliquid hujuſmodi.*

(3°.) Vox אשרה proprie quidem & per ſe ſumpta, lucum e quibusvis arboribus

a *Geogr.* Lib. 9. pag. 632. C b Lib. 6. *Æneid.* verſ. 13. * Vid. *Selden.* de D. *Syr.* Syntag. 2. Cap. 2. * *Uladislaus* Poloniæ Rex *juccidit ſylvas quas non ſecus quam ſanctas & Deorum habitacula Samagitæ venerabantur. Juxta illud Poeticum;* — habitarunt Dii quoque ſylvas. *Mat. à Michov.* de *Sarmat.* L. 2. Cap. 2. c Ap. *Joſeph.* L. 1. cont. *Apion.* pag. 1349. 10.

 [* quer-

SECT. II. [* quercubus, cupreſſis, ulmis, aliis] conſtantem denotat: adeo ut voces illæ, כל עץ otioſæ plane forent, niſi ad ſenſum vocis אשרה paululum explicandum & ampliandum adderentur.

(4°.) Verbum ſequens נטע duo ſignificata habet, *plantavit* & *infixit*; & non de arboribus tantum, ſed rebus etiam omni vita carentibus, in Scriptura dicitur: ideoque, hoc in loco, non tantum ad arbores & lucos, ſed ſigna vel ſimulacra lignea, altaribus affigi ſolita, denotandum uſurpari poterat.

His de ſenſu vocum earum intellectis, lex ea tam plana jam reddita eſt, ut nihil aſperitatis, offenſionis nihil, habere videatur.

SECT. II.

Occaſio legis enarratur.

TENEBRIS a verborum ſenſu fugatis, quænam hanc legem ferendi cauſa vel occaſio fuit, proximo expediendum eſt. Huic autem dubio facile ſatisfiat, cum quisque, literis ſacris aut profanis exercitatior, intelligat, antiquos idololatras lucos Deorum ſuorum religioni ſacrare, aras etiam & ædes eorum ſacras in luco vel juxta arborem frondoſam collocare ſolitos. Sic orientalium conſuetudinem antiquitus habuiſſe, diſcere licet e plurimis Scripturæ locis, quibus aras & lucos aut arbores conjuncta reperiamus, *Exod.* 34. 13. *Deut.* 12. 3. *Judic.* 6. 25. 2 *Reg.* 21. 3. & 23. 6. 2 *Par.* 34. 7. *Jeſ.* 17. 8. & 27. 9. *Ezec.* 6. 13. 2 *Chronic.* 17. 6. Cadmum hunc morem ex Oriente ſecum in Græciam tranſtuliſſe, & nomen * *Aſcra* oppido in Bœotia, a luco querno ibi conſecrato, impoſuiſſe, non inconſulto conjectat [a] *Heinſius*; cum lucus אשרה in Scriptura vocetur, & apud *Heſychium* Ἄσκρα, δρῦς ἄκαρπος, interpretetur. Sed undecunque hæc *lucorum* religio in Europam fluxerit, certum eſt eam non tantum apud Syros, aliosque ex Oriente populos, ſed Græcos, Romanos, Germanos, Britannos, alios, plurimum antiquitus increbuiſſe. Id crebris antiquorum teſtimoniis firmatum reperiat lector, ſi per otium conſulat *Pined* de *rebus Salom.* l. 7. c. 10. §. 2. *Camart.* de *reb. Elia*, cap. 8. ſ. 10. *Selden.* de *Diis Syr. Syntag.* 2. c. 2. *Kircher. Oedip. Ægypt.* T. 1. pag. 311. *Hoſpin.* de *Orig. Templor.* l. 1. c. 1. *Pet. Fabr. Semeſtr.* l. 3. pag. 17, 18, 19. *Menoch.* de *Rep. Hebr.* l. 4. c. 1. *Cluver. Antiq. German.* lib. 1. cap. 34. alioſque. Cum itaque lucos, eorum numinibus conſecrandi conſuetudo, plurimum inter ethnicos invaluiſſet; frequentem eorum uſum huic legi ferendæ occaſionem feciſſe, non facile dubitandum eſt.

Quod autem priſca ſuperſtitio lucos tanti faceret, iiſque, ad cultus ſui munia præſtanda, tam frequenter uteretur, variæ rationes aſſignari poſſunt.

(1°.) Ea erat lucorum amœnitas, ut tanquam illecebra quædam, homines ſacra facturos eo pelliceret & invitaret. Sic enim in lucis illis, ad hominum animos alliciendos, comparata erant omnia; quod fieri vix potuit, quin magnum ſui amorem & deſiderium, in vulgi præſertim animis, accenderent. Cum loci eſſent, altis, denſis, & virentibus arboribus ornati, eorum umbra ſimul & aſpectus multum voluptatis & refrigerii præbuit, in Oriente præſertim, ubi perpetuo Solis ardore torrentur omnia. Judæos hac arborum denſitate, & aliis locorum eorum deliciis illectos, ad lucos confluxiſſe, ſatis e Scriptura conſtat: *Hoſ.* 4. 13. *Super capita montium immolaverunt, & ſuper colles adoleverunt, ſubter quercum & populum & terebinthum: quia bona umbra ejus.* Eandem rationem vim magnam habuiſſe ad alliciendos ethnicos ad nemora, nos docent [b] *Poeta* illa,

Lucus in urbe fuit media, lætiſſimus umbra:
Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido
Condebat ——

Gentes itaque, ſi longius abeſſet lucus, eorum ſacra ſub [c] arbore denſiori, & ad ſolis calorem propulſandum aptiori, plurimum procurabant. Nec arborum umbra ſolummodo, ſed proceritas & pulchritudo, plurimum amœnitatis & illecebræ lucis addidere. Nam luci religioni ſacri, non e frugiferis, ſed arboribus pulchris & in altum ſurgentibus,

* *Præcellentes arbores, ut robora, quercus Deos inhabitare dixerunt* Boruſſi veteres, *ex quibus ſciſcitantibus reſponſa reddi audiebantur.* Erdm. Stell. de Boruſ. Antiq. L. 2. * Vid. *Bochart. Phaleg.* P. 2. Lib. 1. Col. 434. 50.
a *Ariſt. Sac.* c. 8. p. 21. b *Æneid.* lib. 1. v. 445. c Vid. *Jerem.* 2. 20. *Ezec.* 6. 13. & 20. 28.

tibus, plerumque componebantur. Fidem huic aſſertioni peto e *Cyrilli Alexandrini* [a] verbis, ἄλλο τὸ ἀλσῶδες ξύλον, ἄλλο τὸ καρποφόρον· Εἰς ἄλση ὅταν φυτεύωσι, ξύλα φυτεύουσιν, οὐ τὰ καρποφόρα, οὐ σύκην, οὐδ' ἄμπελον, ἀλλὰ μόνον, τέρψεως χάριν, ἄκαρπα ξύλα. i. e. *Aliud lignum nemoroſum* [i. e. lucis proprium] *alind frugiferum. Propter lucos cum plantant, non plantant ligna frugifera, ficum ſcil. vitem, & hujuſmodi, ſed ſolummodo, delectationis cauſa, ligna infrugifera.* Quibus ipſiſſimis verbis (hoc obirer moneo) utitur [b] *Origenes*, verbis illis [1] *Jeremiæ* [*ſubtus omne lignum frondoſum*] lucem allaturus. Sed in callem redeo: *Origenis* & *Cyrilli* fidem liberat *Herodotus*, qui [c] ſic nobis depingit Dianæ templum, Ἔστι δ' ἔσωθεν ἄλσος δενδρέων μεγίστων πεφυτευμένον περὶ νηὸν μέγαν, ἐν τῷ δὴ τὤγαλμα ἔνι *Interius autem lucus eſt ingens maximarum arborum plantatarum circa templum in quo ſimulacrum eſt.* Et paucis interjectis, οὐρανομήκεα δένδρεα, *arbores in cælum euntes* vocat, plantatas ad viam qua Mercurii templum adeunt. Hanc lucorum amœnitatem cauſam nnn minimam fuiſſe, qund idnlolatræ ad lucos illos, Lege licet invita, tam facile ducerentur, e verbis [d] prophetæ ſecure colligo; *induxi eos in terram*, —— *&* viderunt *omnem collem excelſum, & omnem ſylvam denſam, & ibi ſacrificaverunt:* quaſi oculi, locorum eorum amœnitate capti, duces eſſent in peccato, & homines ad ſacra ibi facienda provnearent. Cum itaque Deus legem de ſacris omnibus ad locum a ſeipſo eligendum afferendis edidiſſet, continuo ſubjungit, [e] *cave tibi, ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videbis:* h. e. "Ne "loci hujus, aut arboris illius, amænitatem ita intuearis, ut, ea ſeductus, eum loco "a me inſtituto præferendum cenſeas. Oculis tuis, hac in re, judicium minime de"ferendum eſt. Et quidem opus erat, ut Iſraelitæ ſibi ab oculis caverent ſuis, cum loca vix [f] ulla, niſi paſcuis læta, vel nemorum umbris jucunda, vel fontibus irrigua, vel alia aliqua ratione oculis adblandientia, a Diabolo, ad ritus ejus obeundos, eligerentur.

(2°.) Diaboli ratinnibus plurimum expediebat, ut hnmines officia religioſa peracturi in locis hiſce nemoroſis frequentes convenirent. Nam hujuſmodi loci caliginoſi ritibus ejus obſcœnis & abſurdis ſecure peragendis inſerviebant. Ad ſuperſtitionem etiam augendam erant quam maxime accommodati. In lucis enim cultui profano ſacratis, inuſitatæ proceritatis & vetuſtatis arbores, profunda ſilentia, ſancta quædam & nativa rudiras, arborum denſitate fugata dies, horrida ſpectacula, arbores Deorum imaginem exhibentes, & ſimilia, molles homines ad religionem compoſuerunt, iiſque prnculdubio Numinis ibi latentis fidem fecerunt, ſummam etiam rerum ibi geſtarum admirationem & reverentiam incuſſerunt. Lucos hujuſmodi fidem & affectum Gentilibus injicere ſolitos, ex *Ovidio* diſcimus, Faſt. 3. 295.

Lucus Aventino ſuberat niger ilicis umbra,
Quo poſſis viſo dicere, Numen ineſt.

Ab iis haud multum abludunt [g] *Senecæ* verba: *ſi tibi occurrit vetuſtis arboribus & ſolitam altitudinem egreſſis frequens lucus, & conſpectum cæli denſitate ramorum aliorum alios protegentium ſubmovens: illa proceritas ſylva, & ſecretum loci, & admiratio umbra, in aperto tam denſa atque continua, fidem tibi Numinis facit.* Ita nempe nati factique ſunt homines, quud inſolita omnia, & naturæ ordinem prætergreſſa, Numini tribuant, eaque religione quadam tacti intueri ſoleant. Nec ratione tantum, ſed & ipſorum ethnicorum teſtimonio, notum eſt, hujuſmodi lucos ingentem admirationem & horrorem quendam religioſum idololatris incuſſiſſe. Nam *Lucanus*, poſtquam *Gallorum* lucum ſacrum circa *Maſſiliam* accuratiſſime deſcripſiſſet, [h] addit,

—— medio cum Phœbus in axe eſt,
Aut cælum nox atra tenet, pavet ipſe ſacerdos
Acceſſus; dominumque timet deprendere luci.
Hanc jubet immiſſo ſilvam procumbere ferro.
Sed fortes tremuere manus: motique tremenda
Majeſtate loci, ——

His non prorſus abſimilia, quæ *Virgilius* habet, ſic de *Arcadum* luco ſacro [i] canens:

a In *Jerem. Homil.* 4. p. 41. b *Homil.* 4. in *Jerem.* p. 72. B c In *Euterp.* cap. 138. d *Exec.* 20. 28. e *Deut.* 12. 13. f *Exec.* 6. 3. & 13. g Epiſt. 41. h Lib. 3 v. 423. *&c.* i *Æneid.* Lib. 8. v. 347. &c.

1 Doctiſſimus *Huetius* ſatis docuit *Homilias* illas in *Jerem.* revera eſſe *Origenis*; & *Balthazar. Corderium* plurimum erraſſe, qui *Homilias* 19. Græce edidit e *Scorialenſi Bibliotheca*, ſuamque interpretationem adjunxit, *Cyrilli* nomine præfixo. Vid. *Huetii* Origeniana. Lib. 3. Cap. 2.

SECT. II.

Hinc ad Tarpeiam ſedem, & Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim ſilveſtribus horrida dumis.
Jam tum religio pavidos terrebat agreſtes
Dira loci: jam tum ſilvam ſaxumque tremebant.
Hoc nemus, hunc, inquit frondoſo vertice collem,
(Quis Deus, incertum eſt) habitat Deus, ——

Cum itaque luci Diaboli cultum & cauſam modis omnibus adjuvarent; Diabolus lucorum religionem toto niſu promoviſſe facile cenſeatur.

(3°.) GENTES antiquæ tanto cultu & affectu erga lucos ferebantur (uti multis viſum eſt) quod eorum uſus facer πατροπαράδοτος eſſet, & ab Abrahamo, multarum gentium patre, ad poſteros propagatus. Nam Abraham [a] habitaſſe dicitur באלני ממרא *in querceto Mamre*, [b] ibi altare ſtruxiſſe, ſacrificia Jehovæ obtuliſſe, Angelos etiam [c] hoſpitio accepiſſe: ut pateat, quercetum illud, non tam Abrahamo domicilium, quam Deo templum, præbuiſſe. Huc etiam facere videtur locus ille celebris, *Geneſ.* 21. 33. *Abraham plantavit nemus in Beer-ſheba, & invocavit ibi nomen Dei:* ubi *Symmachus* & *Aquila* pro אשל *nemore*, δένδρων φυτείαν poſuere. [d] Alibi etiam tranſiiſſe dicitur אלון מורה עד *uſque ad quercum More juxta Sichem*, & Deus locum illum traditione oraculi perinſignis illuſtraſſe. Hiſtoria illa Abrahami circa quercus ſæpe commorantis, ibique munia religionis obeuntis, anſam dedit [e] viri docti verbis: *ex iis forte quæ de quercubus*, Mamre & Schecemitano, *feruntur, nata eſt non modo* [f] *Judæorum (qui ſub quercubus idola colebant, & ſacrificabant Diis ſuis) ſed & gentium religio, quæ arbores in* [g] *numinum templa conſtituit, & quercum Jovi ſacram fecit.* Sic & auctor [h] ille, cui magnum nomen fecerunt literæ, judicavit: nam de Abrahamo loquens, *ex nemore*, inquit, *quod plantavit in Beerſabee, ut invocaret ibi nomen Domini, propagata videtur apud ethnicos lucorum ad profanos Deorum cultus & ſacrificia conſerendorum conſuetudo.* In eandem ſententiam non eunt ſed currunt alii, quorum nomina tacite prætermitto. Sed obſtant multa, quo minus huic opinioni, prima licet fronte ſpecioſæ, aſſenſum præbeam. Nam Abrahamum, ſacra facturum, lucos cæteris locis, aut querceta (Druidum ritu) cæteris lucis, prætuliſſe, fabulæ vel in ſomnio ſimile non immerito habeatur. *Lucifuga* quidem & abſurda Gentilium ſacra, loca quæ lucem adimerent, & ipſo aſpectu horrorem incuterent, quæſiiſſe cenſeantur: at vix credi poteſt, veri Dei cultores, nullius criminis aut noxæ conſcios, lucos obſcuros & ſuſpicioni locum præbentes, ad ritus eorum obeundos eligere voluiſſe. Abraham quidem tentorium [i] *juxta quercetum Mamre* fixiſſe legitur, & [k] alibi, אשל arborem plantaſſe juxta *puteum juramenti.* Sed e locis illis aliquid certi colligere velle temerarium eſt; cum veriſimile ſit Abrahamum arborem, quercum plerumque, tentorio ſuo vicinam habuiſſe, non cultus ſed * refrigerii cauſa, vel ut arbore illa, tanquam nota & inſigni, locus quo jam degebat vicinis innoteſceret. Opinioni huic inde robur accedat, quod Judæorum regio, [l] ſcriptorum ſacrorum & *Homeri* ſeculo, quercuum abundantia inclareſceret. [m] *Homerus* enim Typhonem ſepultum dicit,

Χώρῳ ἐνὶ δρυόεντ', Ἰούδης ἐν πίονι δήμῳ·

In agro quercubus abundanti, Judæ *inter opimum populum.*

Sic enim [n] vir egregie doctus verſum illum integritati ſuæ priſtinæ reſtituendum, & transferendum probat. Utut ſit, apertum eſt loca plurima in ſacris literis memorata [[o] El Paran, [p] Elon Bachoth, [q] Elon More, [r] Elon Meonenim, [s] Elon Tabor, & [t] Elon Beth Hanan] a quercubus ibi florentibus nomen inveniſſe, & poſteris innotuiſſe. Cum itaque Abrahamus in terra ob querceta commorantem quandoque reperiamus.

(4°.) SENTIUNT aliqui lucorum uſum tam longe lateque propagatum fuiſſe, quod antiquiſſimi generis humani patres eos templorum loco ſæpius habuiſſent, eos-

a *Geneſ.* 13. 18. b C. 15. 9. c C. 18. 1, 2. d *Gen.* 12. 6. ubi *LXX* habent ἐπὶ τὴν δρῦν τὴν ὑψηλήν· e *Dickenſon. Delph. Phœnic.* in Append. pag. 38. f *Ezec.* 16. 13. *Hoſ.* 4. 13. g *Plin.* l. 12. c. 1. h *Huet. Demonſtrat. Evang.* Prop. 4. Cap. 11. Sect. 2. i Παρὰ τὴν δρῦν τὴν Μαμβρῆ· *LXX* in *Gen.* 13. 18. k *Geneſ.* 21. 33. * *Geneſ.* 18. 4. l *Jeſ.* 2. 13. *Ezec.* 27. 6. m *Iliad.* 2. n *Dickenſ. Delph. Phœn.* c. 2. o *Gen.* 14. 6. p *Gen.* 35. 8. q *Gen.* 12. 6. r *Judic.* 9. 37. s 1 *Sam.* 10. 3. t 1 *Reg.* 4. 9.

que

SECT. III.

que ſacris officiis ibi præſtitis poſteritati commendaſſent. Inter eos ſic *Medus* noſter de lucis & quercetis agens, ſententiam exprimit: [a] *hujuſmodi loca Patriarchæ ſacris obligaſſe putandi ſunt, non tantum pro neceſſitate vitæ ruſticæ & paſtoritiæ, ſed etiam ex ritu & more priſco. Quale enim in principio Deus fecit hominibus habitaculum, talia & illi fecerunt Deo. Hominem in Paradiſo collocavit Deus, homines Deo plantarunt ſacros Paradiſos*, i. e. lucos. *Hæc nimirum vera* lucorum *origo: in quibus principio Patriarchæ Deum verum, poſtea multæ gentes multos quoque Deos, ſunt venerati.* In eandem ſententiam plenis velis ſertur jam laudatus [b] *Cluverius: lucorum conſecratio*, ait ille, *ex vetuſtiſſimo more, atque adeo ab ipſo Adamo, profluxit. De Fennis, Germanica gente*, Tacitus, *in libro de Germania:* nec aliud infantibus ferarum imbriumque ſuffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur. Huc redeunt juvenes, hoc ſenum receptaculum. *Eodem vel ſimile ritu primum mortalium Adamum cum uxore & liberis habitaſſe, haud dubium eſt. Quum itaque ſacrificia iisdem in locis Deo faceret, in quibus ipſe habitabat, id eſt, in luco ſeu nemore; poſteri quoque ejus eundem morem ad multa ſecula obſervarunt, non modo Celtæ noſtri, ſed omnes pariter gentes.* Hujus ſententiæ ſumma, ni ſallor, huc redit: prima nemorum & lucorum plantatio in uſum ſacrum & civilem ſuit, & Patrum antiquorum, ea templorum loco habentium, exemplo cohoneſtata. At idolorum cultu invaleſcente, luci illi principio ſacri quidem & honeſti, ritibus alienis & impuris commaculati ſunt adeo, ut in mera proſtibula & Dæmonum latibula tandem degenerarent. Hinc etiam præceptum eſt Iſraelitis, ut lucos omnes ſuccidecent, & a lucis in altaris vicinia plantandis abſtinerent. At vero cum nefas ſit exiſtimare, Patriarcharum religionem locis hiſce caliginoſis indiguiſſe; cum etiam e Patriarchis unus Abrahamus (ob [e] rationem etiam peculiarem) *lucum* aut *quercum plantaſſe* dicatur; hanc opinionem vix tenui probabilitatis ſpecie decoratam arbitror.

Sed quicquid ſit, ſatis e jam dictis intellectum eſt, lucos olim in uſum frequentem abiiſſe, & cum gentium templis arisque ſœdere perpetuo conſociatos ſuiſſe. Eam autem conſuetudinem legi huic, lucos & arbores omnes in altaris vicinia prohibenti, occaſionem dediſſe, non facile dubitationem admittit.

SECT. III.

Ratio legis magis illuſtratur.

CUM jam legis hujus occaſio me ſatis exercuerit, proximum eſt, ut illius rationem nondum ſatis compertam, in lucem proferam. Quantum itaque legiſlatoris intentionem rationis & hiſtoriæ luce percipere licet, hiſce de cauſis hanc legem ſtatuit:

(1°.) Quod ſeculi conſuetudo lucos Diis inſeris pene proprios feciſſet, eosque cultus τοῖς Baalim [i. e. mortuis heroibus] præſtiti ſigna luculenta conſtituiſſet. Nam gentes antiquæ lucos ſuos heroibus, tanquam ſepulchra vel delubra & habitacula conſecraſſe videntur. Inde ſepulchrorum una cum lucis in Scriptura frequens mentio: nempe, 2 *Reg.* 23. 15, 16. *Contrivit Excelſum in pulverem, & combuſſit lucum: & vertit ſe Joſiah, & vidit ſepulchra quæ* erant *ibi in monte, & tulit oſſa e ſepulchris*, &c. *Jeſ.* 65. 3, 4. *Populus eſt qui me coram ſemper provocant, qui ſacrificant in hortis* [i. e. [c] lucis idololatricis] *qui habitant in ſepulchris*, &c. Quibus verbis *Prophetæ lucorum* depingi videntur, qui in lucorum ſepulchris frequentes habitabant, & in lucis illis, horrendis ceremoniis dirisque votis, inſerorum manes elicere, eosque de futuris interrogare ſolebant. Hæc omnia a conſonis ethnicorum dogmatis & moribus aliquid lucis & fidei mutuari poſſunt. Eos enim in lucis, heroum ſepulchra poſuiſſe, probant *Poetæ* [d] illa,

> —— *luco tum forte parentis*
> *Pilumni Turnus ſacrata valle ſedebat.*

Et [e] *Ciceronis* verba, *vos Albani tumuli atque luci, vos inquam imploro atque obteſtor.* Cum inſtituto præſente conjuncta eſt lex ea, quæ inter [f] Etruſcorum veterum ſtatuta numeratur, *ſi quis ſepulchrum proprium non habuerit, in nemoroſa ſylva ſepeliatur.* Apud ethnicos etiam, Manes & Heroum animæ lucos tenere credebantur: nam *Virgilius*, ethnicæ theologiæ callentiſſimus, eos ita loquentes introducit, *Æneid.* 6. v. 673.

a *Diſſert.* de *ſanctit. Relat.* b *German. Antiq.* Lib. 1. Cap. 34. p. 283. 10. c Vid. *Grot.* in loc. d *Æneid.* 9. ver. 3. e *Orat.* pro *Milon.* f *Etruſc. Fragm.* L. 3. p. 176.

SECT. III.

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.

Et *Servius*, ad locum illum *Virgilii*, *Æneid.* 1. v. 445.

Lucus in urbe fuit, ——— hæc annotavit;

Ubicunque Virgilius lucum ponit, ſequitur-- conſecratio. -- Dicuntur enim heroum animæ lucos tenere: & in 3. *Æneid.* v. 302. ait, *in lucis* habitare *manes piorum, qui Lares viales ſunt.* Conſtat itaque [a] *Nic. Perottum* lucorum legem & ritum probe tenuiſſe, qui lucum ſic nobis deſcriptum dedit; *lucus nequaquam caduus eſt, ut ſylva*, ſed *potius manu conſitus religioſusque*, & *alicui Deo vel alicujus hominis cineribus conſecratus. Ideoque* vel *circa delubra Deum*, vel *circa ſepulchra poſitus eſt, & a luce ſacrificiorum lucus appellatur.* E jam dictis elucet ratio, cur Iſraelitæ τῶν *Baalim & lucis* una *ſervire* ſolerent, *Judic.* 3. 7. 2 *Reg.* 17. 16. quod nempe luci, τῶν Baalim, i. e. Heroum, ſepulchra eſſent; & eorum Manes in lucis iis vagari, eoſque præſentia ſua conſecrare, crederentur. Ideoque luci in ejuſdem cultus & honoris ſocietatem cum ipſis Heroibus venire, non indigni cenſebantur. Hinc etiam aſſequi liceat, cur luci e [b] cupreſſis non raro conſtarent; quod nempe cupreſſus arbor [c] feralis eſſet, & longo uſu mortuorum ceremoniis propria & pene conſecrata. Cum itaque Gentiles lucos ſuos τῶν Baalim & eorum cultui plerumque conſecrarent, lege cautum eſt, ne cultus Deo vivo præſtitus ſuperſtitionis tam craſſæ ſpeciem aliquam præ ſe ferret.

(2°.) DEUS altare ſuum luco circumcingi noluit, ut omnem impudicitiæ alicujus anſam & ſpeciem a cultu ſuo longe removeret. Lucos circa aras ejus plantari voluit Diabolus, ut in iis cultores ſui opera omnia tenebras quærentia ſecuri perpetrarent. Nec eventus conſilio defuit: nam luci, ramorum denſitate caliginoſi, meræ libidinis latebræ fuerunt; loca illa, quibus idololatræ, ſacra carnalia in Bacchi, Veneris, aut Priapi honorem peragentes, in omnes libidinum ſpecies, lucem minime paſſuras, effundebantur. Hoc fido teſte firmo, Hiſtorico nempe ſacro, ſic populi morem [d] referente: *ædificaverunt ſibi aras & ſtatuas, -- ſuper omnem collem excelſum, & ſubter omnem arborem frondoſam: & effæminati fuerunt in terra, & fecerunt omnes abominationes gentium.* Et capite ſequente, Aſæ pietatem memorans, inquit, [e] *inſuper & Maacam, matrem ejus, amovit, ne eſſet princeps* in ſacris Priapi, *& luco* ejus quem conſecraverat. E Prophetarum etiam verbis inferre licet, lucos ſacra quædam proſtibula fuiſſe, quibus ethnici Deos ſuos *religioſis delictis* (e *Cypriano* loquor) ſecuri coluere. Sic enim *Ieſaias* Judæorum mores perſtringit: [f] *numquid non vos ſceleſti, qui ſubter omne lignum frondoſum incaleſcitis*, nempe in Venerem; quod in lucis altari circumjectis libidini ſe darent proſtituti pudoris homines. Idem e [g] *Jeremia* colligendum: *a ſeculo confregi jugum tuum, & dixiſti, non ſerviam: nam ſuper omnem collem ſublimem, & ſub omni arbore frondoſa, tu meretrix diſcurrebas.* Paria occurrunt apud *Hoſeam*, populi peccata recenſentem, Cap. 4. v. 13; 14. Lucos omni libidine & fœditate ſpurcos fuiſſe, e ſcriptis etiam Antiquorum diſcimus: nam *Euſebius*, de luco in Phœnicia Veneri ſacrato [h] loquens, σχολή τις ἦν, inquit, κακοεργίας πᾶσιν ἀκολάστοις, πολλῇ τε ῥᾳστώνῃ διεφθαρόσι τὸ σῶμα, &c. *Erat illic ſchola quædam nequitiæ, omnibus impuris hominibus, & qui corpus ſuum omni licentia corruperant, aperta.* Et ſtatim poſtea: *illegitimi mulierum concubitus & adulteria, fœda & nefaria flagitia*, in luco illo, *tanquam in loco ab omni lege & rectore vacuo, peragebantur.* Hinc & [i] Horatius *patrum caſtos lucos* non injuria dixit. Cum itaque ſic ſe haberent luci, ne cultus Dei quicquam cum operibus hiſce tenebrarum commune habere videretur, altare ſuum apertum eſſe voluit, & nullis arboribus circumpoſitis obſcurari. Hanc rationem probat *Philo*, de templo Hieroſolymitano ſic [k] ſcribens: *lucus nullus eſt intra* ejus *ambitum, -- quoniam verum templum non poſtulat amœnitates, ſed ſeveram caſtimoniam.*

(3°.) DEUS hanc legem dedit, ne forte populus, in idololatriam proclivis, lucis & arboribus (modo altari ſuo vicinis) cultum exhiberet. Nam gentes antiquiores eo veſaniæ abierunt, ut arbores *antiqua religione ſacras* haberent, & lucis divinitatem quandam ineſſe crederent, ceremoniis religioſis obſervandam. Aſſertioni noſtræ fidem faciunt Antiquorum teſtimonia paſſim obvia. [l] *Curtius*, Indorum inſtituta referens, *Deos*, inquit, *putant quicquid colere cœperunt, arbores maxime, quas violare, capitale eſt.* Moris hujuſce teſtis etiam accedat [m] *Theophylactus*: εἰς τοσοῦτον ἀνοίας ἐξετραχηλίσθη ἡ

a *Cornucop.* Col. 165. 30. b Τὸ δὲ ἐφ' ἡμῶν Κυρνάσιον ἄλσος κυπαρίσσων μάλιστα πλῆρες *Pauſan.* L. 4. pag 362. Vid. *Procop.* De *Bel. Gothic.* L. 4. Cap. 3. pag. 57. B c *Funeris ara mihi ferali cincta cupreſſo — Convenit.* Ovid. Triſt. L. 3. Eleg. 13. d 1 *Reg.* 14. 23, 24. e 1 *Reg.* 15. 13. f Cap. 57. com. 4, 5. g Cap. 2. 20. h De *Vit. Conſtantin.* lib. 3. cap. 55. i *Carmin.* lib. 1. C. 12. k Lib. 2. de *Monarch.* pag. 822. A l *Hiſtor.* Lib. 8. §. 31. m *Comment.* in *S. Jo.* cap. 4. pag. 616. A

φύσις,

Sect. III.

φύσις, ὥστε καὶ δένδρεσι ὡραίοις διὰ τὸ κάλλος θύειν, κυπαρίσσοις, καὶ πλατάνοις, καὶ τοῖς τοιούτοις. *Eo dementiæ pervenerat* hominum *natura, ut & arboribus ſpecioſis propter pulchritudinem ſacrificarent, cupreſſis* nempe, *platanis, & ſimilibus.* Hoc etiam e luculentn *Zonaræ* teſtimonio apertius conſtat: nam *Abaſgorum*, ad Juſtiniani uſque temnora ethoiciſmum retinentium, mores reſerens, [a] hæe habet, μέχρι μέντοι τότε καὶ τῆς τῶν χριστιανῶν θρησκείας ἦσαν ἀμύητοι, ἄλση δὲ καὶ ὕλας ἐσέβοντο καὶ τὰ δένδρα ἐξ ἀφελείας βαρβαρικῆς εἰς Θεοὺς ἐγ[illegible]ζοντα, &c. *Ad illa uſque tempora religionem Chriſtianam ignorabant, lucos ſylvaſque colebant, arbores quoque e barbara quadam ſimplicitate in Deorum numerum adoptabant.* Hunc aurem cultum lucis & arboribus, variis ceremoniis exhibebant: nam arbores pleraſque huic aut illi numini [b] vovere ſolebant, & proprias conſecrare: eas vittis & lucernis decorare: vota ad eas nuneupare, & tabellas appendere: hoſtium ſpolia illic depooere: viatores ad eas, tanquam ad Dei alicujus aram aut ſimulacrum, gradum ſiſtebant: iis Deorum nomina vel imagines inſculpebanr: eas denique ſecare aut violare, ſummum nefas & piaculum exiſtimabanr. Hæc omnia (nobis licet inepta & fidei abſona videantur) mulris veterum teſtimoniis extra dubium poſuit [c] *Philippus Rubenus*, ad quem moris hujus ethnici ſtudioſos amandamus. Hoc religionis monſtrum & ludibrium inter Iſraeliras etiam obtinuiſſe, teſtatur hiſtoria ſacra, *Judic.* 3. 7. *Obliti ſunt Domini Dei ſui, & ſervierunt Baalim,* ואת האשרות *& lucis.* Quo in loeo, ut per *lucos*, non idola in lucis poſita (quod pleriſque viſum eſt) ſed arbores ipſas in luco plantatas, intelligamus, ſuadent expreſſa textus verba & [d] Græcorum verſio. Quo vero lueos illos rlte colerent & propitiarcot, eos, ethnieorum ritu, [e] *lucorum prophetas* & aoriſtites habuiſſe legimus. Ethnicorum ritu, dixi: eos enim lueorum ſacerdotes habuiſſe, vetus inſcriptio, quam [f] *Gutherius* memorat, opinari ſuadet:

C. BETVO. C. F
SACERDOTI. III. LVCORVM. PR.
VMBRIAE.

Hane fatalem lueos & arbores eolendi luem Iſraelitas infeciſſe, probabilius habeatur, quod perſuaſio de divinltate quadam arboribus inſira latiſſime pervagata ſit olim, & gentem vix ullam intactam reliquerit & intemeratam. Deus itaque, ut omnem ſuperſtitionis tam ridieulæ lateque propagatæ ſpeciem & occaſionem de medio tollerer; lege eavit ne eultus officia juxta lueos aut arbnres aliquas peragerentur. Norat ſcilicet populi illius, ſæpe licet in ejus verba jurati, mobilem & fluxam fidem; eosque, anſa quavis oblara vel arrepta, ad morem & ingenium ethnicum certo ruituros.

(4°.) Deus arborem aut lueum alrari ſuo vicioum vetuir, forte ne populus ad loeum ea nota clarum & inſignem, religionis eauſa frequenter convenitet. Nam altare, luci vel quercus ſrondoſæ vieinitate decoratum, facilius innoteſcere poſſet, quam ſi in deſerto vel alio aliquo loco, nulla nota celebri, ſtrueretur. Hane interdicti rationem aſſert [g] R Levi: *ſolebant*, inquit, *idololatræ plantare arborem juxta altaria ſua, ut ibi congregaretur populus.* Hæc opinio *Maimonidis* etiam conſenſum meruit, his verbis expreſſum; מפני שהיה זה דרך ע״ז נוטעין אילנות וגו׳ [h] *Quoniam ritus is erat idololatricus, arbores nempe juxta* altaria ſua *plantare, ut ibi conveniret populus, ideo Deus lucum plantandi licentiam Iſraelitis denegavit.* Atque ea de eauſa מצבה *titulum* aut *ſtatuam* legibus interdictam [i] aſſerit, *quod* ſcil. *opus eſſet ideo conſtructum, ut publicus ad illud conventus fieret.* Cum autem juſſiſſet Deus, ut Iſraelitæ omnes in Tabernaculi vel Templi vicinia conveotus ſuos agitarent; nullum lucum, nullam arborem, titulum nullum, juxta alrare ſuum colloeari voluit; ne populus eo confluerer, (quod in gentium moribus frequentiſſimum erat) & idololatriæ cauſam præberet Iſraelitis, aut Proſelytis in vera Dei fide eulruque non ſatis inſtructis & confirmatis. Quamvis itaque pii viri altaria, alibi quam juxta tabernaeulum & templum, quandoque ſtruxerint, nullos unquam arborem aur lucum juxta altaria ſua poſuiſſe legimus: nempe ut altarium ſuorum ſitus, privarus & ſolitarius, indiearet; ea non in locum conventus religioſi, ſed ad cultum extraordinarie præſtandum, conſtucta ſuiſſe.

(5°.) Temporum antiquiorum conſuetudo lueum aut arborem juxta altare plantatam culrus idololatrici ſignum inſallibile feciſſe videatur. Nam [k] reges plerique omnes a pie-

a *Annal.* Tom. 2. Lib. 15. in *Leon. Iſaur.* pag. 100. C
b *Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Iaccho, Formoſa myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo.* Virgil. Eclog. 7.
c *Elect.* Lib. 2. Cap. 34.
d Καὶ ἐλάτρευσαν τοῖς Βααλὶμ καὶ τοῖς ἄλσεσι
e 1 *Reg.* 18. 19.
f De *Vet. jur. Pontific.* L. 3. c. 4.
g Ap. *Schindler. Lexic. Pent.* Col. 135.
h *Halac. Avod. Zar.* Cap. 6. §. 12.
i Ub. ſupr.
k 2 *Reg.* 18. 4. 2 *Reg.* 23. 14. 2 *Par.* 14. 3. & 17. 6.

Cap. XXVIII. Sect. I.

tate commendati, [*Hezekiah, Joſiah, Aſa, Jehoſaphat,*] lucos ſuſtulerunt; & reges qui apoſtaſiam a Deo meditati ſunt, lucos plantaſſe dicuntur. Luci pene ſemper cum ſtatuis & imaginibus, tanquam ejuſdem συνεργῷ νόμματος inſtrumenta, & non minus certa idololatriæ documenta, in [a] ſacris literis conjunguntur. Porro, tanta neceſſitudo inter lucos & idola interceſſit, ut *luci* quandoque pro idolis, quandoque *idola* pro lucis, in Scriptura ſubſtituantur. *Luci* pro idolis ſimul adoratis poni videntur, *Jud.* 3. 7. *Dereliquerunt Dominum, & ſervierunt Baalim* ואת האשרות *& lucis:* eo autem in loco, *lucos* non de arboribus tantum ſed & idolis ibi cultis intelligendos eſſe, probat locus [b] ille parallelus; *& dereliquerunt Dominum, & coluerunt Baalim* ואת עשתרות *& Aſhtaroth*, ubi & verſio Græca τοῖς Ἀσέρταις habet. Idola quandoque pro lucis ponuntur, in quibus colebantur: viz. 1 *Sam.* 7. 3, 4. *Ponite a vobis Baalim & Aſhtaroth:* ibi enim LXX Aſhtaroth per [*] τὰ ἄλση Ἀσταρὼθ interpretantur. Ex eo uſu factum eſt, ut cultus idololatricus, per lucos & luci plantationem [c] ſæpius innuatur; & אשרה *lucus* vocabulum infame ſit, & vix unquam in Scriptura bene audiat. Cum itaque luci idololatriæ ſigna eſſent, eique intime adeo conjungerentur, Iſraelitis arbores aut lucos altari vicinos plantare vetitum eſt; ut omnis anſa vel ſpecies idololatriæ tolleretur, & forſan ut apertus & plane ſingularis altaris ſacri ſitus & aſpectus, illud non in vulgaris alicujus numinis honorem cultumque ſtructum eſſe declararet.

C A P. XXVIII.

De lege qua columna quævis ab altari removetur.

SI quis legem hanc integram attentius intueatur, facile percipiat, in ea hæc tria, *luci plantationem, ligni vel arboris in altaris vicinia poſitionem, columnæ* denique *erectionem*, Judæis interdicta. Neque hoc acuti [d] *Coccei* fugit oculos, qui totam legem ſic ad verbum interpretatur; [e] *non plantabis lucum*, vel *ullam arborem apud altare Jehova Dei tui. -- Et non eriges tibi cippum* aut *columnam.* Duæ primæ legis hujuſce partes nos hactenus occupatos tenuere: nunc poſcit ordo ut in partem tertiam oculos defigamus. Ut autem ordine juſto procedat ſermo, quæſtionibus hiſce quinque reſpondere debeo: *primo*, quid hic voce מצבה cenſeri debet: *ſecundo*, qualis מצבה vel *columna* præcipue hac in lege vetita eſt: *tertio*, quænam erat legis hujus inſtituendæ occaſio: *quarto*, quales erant veræ legem illam ſanciendi cauſæ: *quinto*, cur Deus columnam in altaris confinio ſitam odio habuiſſe dicitur: *ſexto*, his auctarii vice nonnulla ſubjungam conſectaria.

S E C T. I.

Quid hic voce מצבה *cenſeri debet.*

CUIVIS in ſacris literis verſato notum eſt, vocem מצבה res naturæ diverſæ in Scriptura denotare. Atque hæc diverſitas notationum variis ſententiis de vocis hujus uſu ſenſuque, hac in lege locum fecit. Meum erit primo ſententias vulgo receptas in medium proferre & refutare, quod inde magnus aditus ad ſententiam veram aſſequendam & confirmandam mihi patefiet.

Ordior itaque a ſententiis receptis, ſed a vero (ni fallor) aberrantibus: ſunt autem iſtæ quatuor.

Prima, [f] magiſtrorum eſt, qui voce מצבה hic opus qualecunque notari volunt, velut etiam altare ſeu id genus aliud, ideo conſtitutum & erectum, ut conventus publicus, ad ſacra illic peragenda, fieret. [g] *Maimonidem*, hac in re, ſuum & aliorum ſenſum exprimentem audiamus: מצבה שאסרה בתורה היא בנין שהכל וגו׳ *ſtatua* ſeu *titulus interdictus in Lege, opus erat ideo conſtructum, ut publicus ad illud conventus fieret. Idque etiamſi fieret veri Numinis cultus gratia.* At magiſtros illos (utpote literarum humaniorum plerumque rudes) non niſi caute, ne dicam timide, audiendos exiſtimo, etiam

a *Deut.* 16. 21, 22. 1 *Reg.* 14. 23. 2 *Reg.* 23. 14. *Deut.* 12. 3. & 7. 5. *Jeſ.* 17. 8. 27. 9. & 57. 5.
b *Judic.* 2. 13. c *Mic.* 5. 14. 1 *Reg.* 14. 15. 1 *Reg.* 16. 33. d *Lexic.* in voc. אשרה
e *Deuter.* 16. 21, 22. f *Maimon.* de *Idolol.* Cap. 6. §. 8. g *Maimon.* ub. ſupr.

* *Aquila* verſio eſt, τὰ Ἀσέρτας ἀγάλματα.

cum

cum legum ſuarum ſenſus & origines illuſtrare ſatagunt. Ruditatis illius, legis hujus explicatio jam dicta nimis illuſtre documentum eſt. E teſtimoniis enim ſacris & profanis ſtatim produccudis abunde conſtat, idololatras antiquos (quorum motibus hic interdictum eſt Iſraelitis) מצבות *columnas* in altarium ſuorum vicinia ſtatuiſſe; nun ut populus ibi conveniret, ſed in columnis illis cultum ſyderibus aut heroibus exhiberet. Cum autem magiſtri Judaici (qua erant ruditate) de more iſto inter ethnicos frequenti nihil accepiſſent, in hanc ſenteotiam facile conceſſerunt, gentes nempe columnas hic vetitas erexiſſe, non ut ritus, ſed conventus, ſolennes agerent. Nec difficile videtur, opinionis hujus originem conjectura conſequi: Scriptura nempe [a] duas aut tres columnas, easque ſub arbore ſitas, memorat, & Iſraelitas ibi conventus ſolennes habuiſſe, refert; atque inde Magiſtri forſan anſam arripuerunt opinandi, gentes olim eodem conſilio columnas omnes erexiſſe. Sed textus hujuſce cohærentiæ multo accommodatius eſt, ut vox מצבה hic loci columnam ad uſum idololatricum locatam notare cenſeatur; cum jam palam fecerim, Deum *luci* vel *arboris* juxta altare plantationem verſu præcedente vetuiſſe, quod cultus profani ſigna eſſent & inſtrumenta, iisque, ſeculis antiquioribus, homines ad idololatriam frequenter abuterentur. SECT. I.

Sententia ſecunda *Moſe Nachmani* patrono gaudet, eamque [b] *Fagius* his verbis expreſſam exhibet: *ſtatua lapis unus eſt & grandis qui inter altare & lucum prominebat, in quo idolorum myſtagogi conſtituti ſuas cantiones voce & inſtrumentis muſicis recitarunt.* Atque huic opinioni non leviter obſtare videntur auctores antiquiores, qui de hujuſmodi conſuetudine inter idololatras olim obtinente ne verbum habent. Hanc itaque *Nachmanidis* hiſtoriolam inter figmenta *Rabbinorum* numero, qui fiogere malunt aut neſcire quam ignorantiæ ſuæ medelam a ſcriptis Gentilium petere.

Sententia tertia *Grotii* eſt, qui מצבה hoc in loco, [c] *lapidem ingentem in hiſtoria alicujus monimentum, ad quem concurſus fieri ſolebat*, notare ſentit; & in illius ſententiæ ſubſidium in medium profert, illa [d] *Geneſeos* loca, quibus *Jacobus* מצבות ſtatuas, ut rerum memorabilium ſigna, poſuiſſe dicitur. Hic autem *Grotii* ſententia fundo male fido nititur: quamvis enim vox ea, locis modo citatis, hujuſmodi monimentum notet, peſſime ſequetur inde, vocem illam eo ſenſu ſemper & ubique capiendam. Huic etiam opinioni ne valeam aſſentiri, faciunt exempla illa plurima, ſtatim producenda; unde liquet מצבה vel *columnam* antiquiſſimum idololatriæ monimentum extitiſſe, & frequentem columnarum uſum in gentium religionibus occaſionem huic interdicto præbuiſſe.

Quarto: auctor verſionis Vulgatæ מצבה *ſtatuam* interpretatur, quaſi vocem illam ſimulacrum aut figuram humanam (qund vulgo *ſtatua* denotat) ſignificare crederet. At hic etiam a genuina vocis hujus intentione deviatum arbitror: nam *Levit.* 26. 1. ubi lex hæc paulo clarius edita eſt, מצבה tanquam res ab omni ſimulacro vel imagine fictili diſtincta prohiberur. Et LXX, hoc in loco, vocem eam, non [illegible] ſed στήλην reddunt: Græcis autem interpretibus, ubi bene, nemo melius, quamvis ubi male, vix quisquam pejus, Scripturas interpretatur.

Cum falſæ vocis hujuſce notiones jam detegantur, proximum eſt ut ſignificatus ejus genuinus e media vetuſtatis caligine in lucem proferatur. Quantum itaque conjicere liceat, מצבה hac ſaltem in lege, triplici ſignificatione gaudet. Nam

(1°.) Columnam faſtigio altiuſculo dotatam, in altaris vicinia plerumque conſtitutam denotat. Hunc eſſe maxime proprium vocabuli ſenſum norunt omnes, qui quicquam eommercii cum literis Hebraicis habuere: nec mihi fas eſt in re tam trita & apud omnes recepta diutius immorari.

(2°.) Columnam notat cultui prufano dicatam, & figura ſua peculiari a columna quavis alia (ſacra vel civili) diſtinctam & ſeparatam. Quantum enim res a ſeculo noſtro tam remota conjecturis aſſequenda eſt, ſignificatio vncis מצבה ſub *Moſis* ætatem, mutata fuit, eaque columnas plurimum altiuſculas, & forma pyramidali factas denotavit. Neceſſe enim eſt ut ea ætate ſignificatio peculiaris, & cum ſuperſtitione conjuncta, huic voci tribueretur; aut lex hæc, qua uſus τῆς מצבה prohibetur, φωνὴν ἄδηλον ederet, & nemo tunc temporis illius inteotionem certo intelligeret, aut ſatis capere poſſet, cur magis Iſraelitis, quam eorum patri, [e] *Jacobo*, מצבה ponendi copia denegata eſt. His omnibus, loco aptiora dato, plus lucis fideique ſum allaturus,

(3°.) מצבה ſenſum plus ſolito latiorem hie gerere videtur, & non *columnam* tan-

a *Judic.* 9. 6. *Joſh.* 24. 26. b *Comment.* in *Deut.* 16. 22. c *Annotat.* ad *Deut.* 16. 22.
d *Geneſ.* 28. 18. 31, 52. e *Geneſ.* 35. 14. & 20.

SECT. II.

tum notare, ſed ſaxum, ſtipitem, truncum (verbo) quicquid olim ſymboli vice juxta altare ponebatur. Cum enim Gentes his omnibus cultum exhiberent, æquum eſt ut hæc omnia ſub nomine מצבה hic interdicta cenſeantur. Et ſane Judæns antiquiores ita ſe perſuaſos habuiſſe, nemo dubitare potis eſt, qui fidem dabit [a] *Hecatæo*, hæc de Judæorum templo & altari referenti; ἄγαλμα δὲ ἔστι, οὐδ' ἀνάθημα τὸ παράπαν' οὐδὲ φύτευμα -- οὐδὲν, οἷον ἀλσῶδες, ἤ τι τοιοῦτον *Simulacrum, aut aliquod ſignum ſacrum, ibi nequaquam eſt, nec ulla plantatio, veluti lucus, aut aliquid hujuſmodi.*

SECT. II.

Qualis Matſebah, *vel columna hæc in lege vetita eſt.*

CUM gentes antiquæ varias columnarum ſpecies in ceremoniis ſuis uſurpaverint, ordinis mihi propoſiti lege jam teneor oſtendere, qualis præcipue columna hic interdicta cenſeatur. Ut itaque negotium mihi datum felicius expediam, *primo*, præcipuas columnarum ſpecies inter gentes olim uſitatas paucis explicatas dabo: *ſecundo*, ad eas columnas digitum intendam, quas Deus, hac in lege, præ cæteris inhibuiſſe videatur.

PRIMO, præcipuas columnarum ſpecies, inter gentes olim uſitatas, illuſtrare conabor. Hic autem, methodi gratia, hoc in anteceſſum monendum cenſui, nempe veterum columnas in tres claſſes (ſacras, civiles, & profanas) diſtribui poſſe. *Sacras* voco, quæ in memoriam beneficii alicujus egregii divinitus accepti, ſpontanea hominum pietate erigebantur: *civiles* haberi volo, quæ ad ædificia firmanda, ſepulchra decoranda, vel alia quævis vitæ communis commoda promovenda, conſtitutæ ſunt: *profanas* jure voco, columnas cultui profano miniſtrantes a Diaboli myſtis excogitatas, & in illius tantum ſacris uſum & locum invenientes. Duas priores columnarum ſpecies, utpote cum re præſenti minime conjunctas, levi pede tranſilio, & ad columnas quas dixi *profanas*, me totum confero, de quibus legem hanc quam præ manibus habemus, intelligendam eſſe, non facile dubitandum eſt. Cum autem facultatis meæ non ſit, columnas iſtiuſmodi ad calculos revocare, vel accurata methodo diſponere; mihi liceat eas juxta varios earum reſpectus digerere, ne ſermo meus omnis methodi lege ſolutus, & vagari potius quam procedere cenſeatur. Ut rem ipſam putem: columnæ jam dictæ, reſpectu *materiæ*, *formæ*, *finis*, *figuræ*, *quantitatis*, *qualitatis*, *loci* denique vel *ſitus* dividi vel diſtribui poſſunt. Eas autem, ſub quovis reſpectu, breviter explicare conſultum erit, quia lucis haud parum ad hujus interdicti mentem ſenſumque genuinum inveſtigandum nobis accommodabunt.

INPRIMIS itaque, columnæ profanæ reſpectu *materiæ* ſpectandæ veniunt, & ſub ea notione, in ligneas & ſaxeas dividantur. Idololatras antiquiures hujuſmodi, columnas præ cæteris coluiſſe, ſententia tam recepta & confirmata eſt, ut ſatis ſit unius [b] *Clementis Alexandrini* teſtimonium ad illius patrocinium advocare. Οἱ τῶν ἀνθρώπων παλαιότεροι ξύλα ἱδρύοντο περιφανῆ, καὶ κίονας ἵστων ἐκ λίθων· *Qui hominum erant antiquiores, ligna erigebant inſignia, & columnas ponebant ex lapidibus.* Cum *Ægyptus* ſaxo, ob calorem & duritiem facile præſerendo abundaret, ſymbola ſacra plerumque ſaxea; in Syria vero & alibi, [c] ξύλινα plerumque χειροποίητα fuiſſe videantur.

SECUNDO: columnæ, reſpectu ad *formam* habito, ſpectari poſſunt, & in meras & mixtas dividi, cum utræque in ritibus ethnicis locum obtinuerint. Columnas meras, quæ figuram ſimplicem & uniformem gerebant, quales Obeliſci, pyramides, columellæ templis lneatæ, aliæque ſimiles, in ſcriptis ethnicorum obviæ. Mixtas appellari volo, quæ ſigna vel ſimulacra in ſummitate ſerebant, ut, in edito & propatulo ſita, ab omnibus colenda proponerentur. Multa moris exempla præbent *Pauſaniæ* ſcripta: unum in [d] *Achaicis*, his verbis memoriæ pruditum: ἐπίθημα δὲ καὶ ἐς ἐμὲ ἔτι στήλη τε ἦν ἐπὶ τοῦ χώματος, καὶ Ἡρακλῆς ἐπειργασμένος· *Etiamnum, ætate mea, imminet terræ aggeri columna, cui Herculis ſignum inſiſtit.* Et [e] alibi, de Jovis ara loquens, inquit, πρὸ δὲ τοῦ βωμοῦ κίονες δύο, ὡς ἐπὶ ἀνίσχοντα ἑστήκασιν ἥλιον· ἀετοὶ δὲ ἐπ' αὐτῶν ἐπίχρυσοι · ἐπεποίηντο· i. e. *Ante aram duæ eminent pilæ ad Solis fere exortum: inſiſtunt aquilæ inauratæ pervetuſti operis.* Ex his lucis aliquid accipiant [f] *Arnobii* verba: *ex gentibus tranſmarinis acciti*

a Ap. *Joſeph.* L. 1. contr. *Apion* pag. 1349. 10. b *Cohort.* ad *Gent.* p. 40. 20. c Vid. Lxx in *Levit.* 26. 30. d Lib. 7. Cap. 17. pag. 566. e In *Arcadic.* Lib. 8. Cap. 38. pag. 679. f Adverſ. *Gent.* Lib. 7. pag. 243.

ſunt

ſunt Dii quidam, delubraque his facta, & in altioribus columnis ſigna quadam & ſimulacra ſunt conſtituta. Hunc morem ob oculos habuiſſe videtur [a] *Titus*, cum, eo procurante, imagines Cherubicæ bello captæ, in æneæ columnæ faſtigio (ridendæ forſan) exponebantur. Sed jam forſan extra callem oberrare videar. SECT. II.

Tertio: reſpectu *finis* & *uſus* dividi poſſunt, cum e columnis modo dictis, quædam Diis ſuperis, quædam heroibus fato functis, ſacræ fuerint, & eorum cultui dedicatæ. Veteres idololatras Diis ſuperis (ſoli, lunæ, & ſyderibus) columnas apice acuto & alto dotatas conſecraſſe, vel in triviis innoteſcit. Refert etiam [b] *Euſebius* Phœnices & Ægyptios minorum gentium Deos, i.e. heroas in Deorum ordinem relatos, adoraſſe, & in eorum honorem στήλας τε καὶ ξόανα *columnas & ſtatuas ligneas* erexiſſe.

Quarto: columnæ modo dictæ, reſpectu *figura* novam diviſionem capiunt, in pyramidales, nempe conicas & quadrangulares. Columna pyramidalis *lapis* plerunque *fuit in figuram metæ cujuſdam ſenſim ad proceritatem conſurgens excelſam, &, ut radium imitetur, gracileſcens pauliſper ſpecie quadrata in verticem productus anguſtum.* Hic me tueor auctoritate [c] *Ammiani Marcellini*, qui iiſdem pene verbis ad hujuſmodi columnam deſcribendam utitur. Columna conica lapis etiam erat formam rotundam in ſummitate ferens, & faſtigio ſe non multum attollente fabrefactus. Columna quadrangularis non multum receſſit a quadrata, quam & ethnici in altarium confinio non raro ſtatuerunt. Hic fidem *Pauſaniæ* teſtor, cum [d] Athenienſes eorum *Hermas* figura quadrangula feciſſe, [e] Phocences etiam, ad Sibyllæ ſepulchrum, *Mercurium* ſimili figura ſtatuiſſe refert.

Quinto: columnæ de quibus ſermo præſens inſtituitur, reſpectu *quantitatis* dividi, & in majores & minores, longas & breves diſtribui poſſunt. Ordinis primi ſtatuas plerumque στῆλαι appellabant, eaſque Diis majoribus (ſoli, lunæ, ſyderibus) nuncupabant. Ordinis ſecundi columnæ plerumque στήλαι dictæ ſunt, Diis gentium minorum, heroibus nempe, *Baalim* in Scriptura vocatis, conſecratæ. Ad hujuſmodi columellas reſpectus haberi creditur loco illo [f] *Chronicorum*, quem ſic vertunt Lxx, καὶ ἔστησε [1] στήλας τῶν *Baalim.*

Sexto: ratione *qualitatis* in *rudes* & *dolatas* aut *politas* diſtribui poſſunt. Illæ temporum rudiorum, i.e. antiquiorum, ἀργαὶ; hæ vero ſeculis citerioribus originem invenerunt, cum ſcilicet homines rudiora quædam cælandi principia didiciſſent. Statuas utriuſque generis in gentium ceremoniis uſum habuiſſe, multis oſtendam teſtimoniis, cum locus paulo commodior ſe obtulerit.

Septimo: columnæ, reſpectu *loci* vel *ſitus*, in ſocias vel ſolitarias diſtribuantur. Socias appello, quas ethnici, tanquam congeneres, cum aliis conſociabant, & in altaris circuitu quandoque collocabant. Solitarias voco, quæ ſolæ quaſi ſecum ſtabant, utpote Soli, vel inſigni alicui heroi, conſecratæ. In hanc claſſem venire debent obeliſci, coloſſi, pyramides, & aliæ molis alicujus ſtatuæ, a cæteris ordinis ejuſdem ſeorſim poſitæ. Columnas ordinis primi Lxx videntur ob oculos habuiſſe, cum referunt [g] *Joſiam purgaſſe Hieroſolymam*, ἀπὸ τῶν ἀλσέων, καὶ ἀπὸ τῶν περὶ βωμῶν, *a lucis, & rebus circa aram ſtantibus:* i. e. Columnis, indiviſis pene lucorum & altarium ſociis. Sed hujuſmodi *ſtelarum* exempla minus obſcura præbent *Pauſaniæ* ſcripta: [h] ille cum equi cujuſdam monumentum memoraſſet, κίονες δὲ ἑπτὰ, inquit, οἱ τοῦ μνήματος τούτου διέχουσιν οὐ πολὺ ὡς ἀστέρων τῶν πλανητῶν φασὶν ἀγάλματα· *Prope abſunt columnæ ſeptem, quas errantium ſeptem ſtellarum ſigna eſſe aiunt.* Et [i] alibi, de *Mercurii* ſigno verba faciens, ἑστήκασι, inquit, ἐγγύτατα τοῦ ἀγάλματος τετράγωνοι λίθοι, τριάκοντα μάλιστα ἀριθμὸν &c. *Prope ipſum Dei ſignum lapides fere triginta erecti ſunt quadrangula figura: ſingulos, certis Deorum nominibus appellantes, venerantur.*

Ad ſecundam provinciæ meæ partem jam tranſeat ſermo: ut oſtendam ſcilicet, an hac lege columnæ omnes jam recenſitæ, an earum ſolummodo ſpecies aliquæ, ab altari removentur. Sic itaque ſententiam meam paucis exprimo: generalibus hujus interdicti verbis, non minus *columna*, quam *lucus* & *plantatio*, quævis ab altaris vicinia longe removetur. Judæi veteres hanc ſententiam ratam fecerunt ſenſum tam latum

a Vid. *Chronic. Alexandr. pag.* 585. b *Præpar. Evang. Lib.* 1. *Cap.* 9. *p.* 33. A c *Lib.* 17. *Cap.* 4. *p.* 168. d Ἀθηναίων τὸ σχῆμα τὸ τετράγωνόν ἐστιν ἐπὶ τοῖς Ἑρμαῖς *Lib.* 4. *Cap.* 33. *pag.* 361. e *Ib. Lib.* 10. *Cap.* 12. *p.* 827. f 2 *Paral.* 33. 3. g 2 *Paral.* 34. 3. h *Lib.* 3. *Cap.* 20. *p.* 262. i *Lib.* 7. *Cap.* 22. *p.* 579.

1 Juxta *Edit. Complut.* θυσιαστήρια

SECT. III. laxumque huic legi tribuentes, ur quodvis ἄγαλμα, ἀνάθημα, φύτευμα, ἤ τι τοιῦτον, ab altari rejecerunr, ut liquer e jam adducto *Hecatæi* reſtimonio. Hinc etiam paulo firmior evadat hæc ſenrentia, quod viri prophetici columnam aut arborem aliquam in altaris confinio ſtatuiſſe, nuſquam leganrur; quanquam leges alias rituales quandoque violare non dubitarent. Et ſi hac in re rationi judicium deferatur, hanc ſenrentiam ferer proculdubio; vero nempe ſimillimum eſſe, non minus כל מצבה *columnam omnem*, quam כל עץ *arborem omnem*, hac in lege prohiberi. Hoc eo probabilius evadat inde, quod columnæ locum non minus frequentem, quam arbores, in ſacris ethnicis invenirenr, & gentes utraque cultu profano pariter inquinarent.

S E C T. III.

Qualis erat legis hujus inſtituendæ occaſio.

HANC legem, prour alias pleraſque bonas, a malis aliquibus ævi moribus anſam rraxiſſe, nemo conſultus facile dubirabit. Quid enim lege lata caveret Deus, ne Iſraelitæ lucum, arborem, columnam (res in ſe pulchras & innocuas) in altaris confinio collocarenr, niſi quod eo ſeculo cultus profani ſigna eſſent aur inſtrumenta, adeoque malis moribus occaſionem adminiſtrarent? ut autem huic legi lucem clariorem afferam, quæ jam dicenda ſunr, in hunc ordinem digerentur: oſtendam (1°.) veteres idololatras juxta altaria columnas erigere, iiſque cultum exhibere ſolitos. (2°.) Moris hujus ethnici rationem inveſtigabo. Probaturus ſum (3°.) morem illum idololatricum legi huic occaſionem & originem præbuiſſe.

OSTENDAM primo, veteres idololatras, juxta altaria plerunque, columnas erigere iiſque cultum exhibere, ſolitos. Ad moris autem hujuſce probationem non leve momentum ferat Scriptura ſacra, qua, in gentium veterum ceremoniis, altaria & columnæ roties conjuncta reperiantur: nempe *Deuter. 7. 5. Earum altaria deſtruetis*, ומצבתם *&* [a] *columnas earum confringetis, & lucos earum ſuccidetis.* Legem congenerem habemus *Deut. 12. 3. Et conteretis aras earum, & confringetis* את מצבתם *columnas earum & lucos earum comburetis.* Hæ leges vim novam rribuunt legi cognatæ in *Exodo* datæ, Cap. 34. 13. *Altaria eorum frangetis*, ואת מצבתם *& ſtatuas eorum confringetis, & lucos eorum ſuccidetis. 2 Paralip. 14. 3. Et removit* Aſa *altaria aliena.* & *confregit columnas, & ſuccidit lucos.* Non abſimile reſtimonium præbet hiſtoria ſacra, *2 Chronic. 34. 4. Deſtruxerunt aras Baalim coram eo*, והחמנים *& columnas ſolares ſuccidit, & lucos*, &c. *Hoſ. 10. 1. Prout multiplicavi fructum ejus, multiplicavit altaria, & quemadmodum benefeci terræ ejus, ſic benefecerunt columnis.* His accenſeri poteſt obſcurus ejuſdem [b] Prophetæ locus, quo זבח & מצבה *ſacrificium* & *columna*, ranquam res eo ſeculo congeneres, conjungir Scriptura. Ad hunc morem, in genrium culru receptiſſimum, alluſum viderur, *Jeſ. 19. 19. In die illo erit altare Domino in medio terræ Ægypti* ומצבה *& columna juxta terminum ejus Domino.* "Quaſi dixiſſet "propheta, ipſi Ægyptii, hodie licet notæ nigrioris idololatræ, olim ad frugem redi-"turi ſunr, & illi qui aras olim & columnas inſignes, in rerræ præſertim finibus, in "Deorum falſorum honorem & cultum erexerunr, eas randem in honorem Jehovæ ſta-"tuent; hoc eſt, Deum verum, eodem zelo & ſtudio quo falſos olim, adorabunr. Sacris hiſce, duo ſubjungam profana moris hujuſce teſtimonia, quæ *Pauſaniæ* debeo. Primum occurrit in *Eliacis*, ubi poſtquam *equeſtris Neptuni* & *equeſtris Junonis* aras memoraſſet; continuo [c] addit, πρὸς δὲ τῷ κίονι, Διοσκούρων· *Adhæret autem columnæ* (aræ nempe Junonis) *ara Caſtrorum.* Et [d] alibi, poſtquam aræ Jovis Lycæi mentionem fecerat, addit, πρὸ δὲ τοῦ βωμοῦ κίονες δύο, ὡς ἐπὶ ἀνίσχοντα ἑστήκασιν ἥλιον. *Ante aram duæ eminent columnæ, ad Solis fere exortum.* E teſtimoniis hiſce ſacris & prophanis, ſatis elucet moris jam dicti veritas.

PARS penſi mei ſecunda poſtulat, ut moris illius ethnici rationem inveſtigarem. Impeditum eſt quidem in re tam antiqua & obſcura judicare: quantum autem conjectura conſequi licer, moris hujus inirium uni cauſæ, ſaltem præcipue, tribuendum eſt: columna nempe Numinis illius vice fungebatur cui ſacrum offerebatur, illudque optime repræſentare cenſebatur. Hæc aſſertio ſat fidei & lucis hauriat ex uno illo [e] *Clementis Alexandrini* teſtimonio: Σημαίνει ὁ στῦλος, τὸ ἀνεικόνιστον τοῦ Θεοῦ· ὁ δὲ πεφω-

a Καὶ τὰς στήλας αὐτῶν συντρίψατε· Lxx in loc. b *Hoſ. 3. 4.* c Lib. 5. Cap. 15. p. 414. d Lib. 8. Cap. 37. p. 679. e *Stromat.* Lib. 1. p. 418. 35.

τισμένος

τετμημένος στῦλος, πρὸς τῷ τὸ ἀνεικόνιστον σημαίνειν, δηλοῖ τὸ ἑστὼς καὶ μόνιμον τοῦ Θεοῦ, καὶ τὸ ἄτρεπτον αὐτοῦ φῶς, καὶ ἀσχημάτιστον· *ſignificat autem columna, Dei non poſſe effingi imaginem. Illuminata autem columna* (qualis erat Moſis) *præter hoc quod ſignificat non poſſe effingi imaginem, Dei quoque ſtabilitatem, & immutabilem ejus lucem, quæque non poteſt figurari.* Πρὶν γ' οὖν ἀκριβωθῆναι τὰς τῶν ἀγαλμάτων σχέσεις, κίονας ἱστάντες οἱ παλαιοί, ἔσεβον τούτους ὡς ἀφιδρύματα τοῦ Θεοῦ· *Prius itaque quam imaginum habitus accurate perfecteque facere* tenerentur, *veteres, columnas erigentes, eas colebant, tanquam Dei repræſentamina & ſimulacra.* Hæc noviſſima *Clem. Alexandrini* verba. cum citaſſet [a] *Montacutius* noſter, ſtatim ſubjungit, "uti reor, διὰ τὸ στάσιμον καὶ ἀμετάβλητον, quod columna Dei immutabi"lem & invariabilem naturam repræſentet. Nec ſane viri docti conjecturam nullius æſtimandam cenſeo. Alias moris hujuſce cauſas in medium attuli, cum legem affinem, [b] *non ſtatuetis columnam ullam*, explicarem; & ibi, magis ex inſtituto, rationes ejus inveſtigarem. Liceat itaque materiam eandem hic redeuntem levi pede tranſilire, & lectorem ad ea quæ [c] ſuperius dicta ſunt, amandare. SECT. IV.

Deventum eſt jam ad tertiam præſentis penſi partem, paucis abſolvendam; ut ſcilicet oſtendam, morem quem dixi Gentilium legis hujus inſtituendæ cauſam extitiſſe. Ut rem paulo luculentius exprimam: apud exteros uſu veteri receptum erat, lucum, arborem, aut columnam, altari vicina conſtituere; ut hac ratione, altaribus ſuis honorem paulo majorem conciliarent, & ipſorum ſacra majore eum ſolennitate & ſuperſtitione celebrarent. Cum itaque ſic more ſeculi comparatum eſſet, lege cautum eſt ne Dei altare quicquam (hac in parte) commune cum altari diaboli retineret, ſed additamento quovis apocrypho nudatum ſtrueretur. Metus nempe cauſa ſuberat, ne vulgares (quas diximus) altarium ethnicorum appendices malis illis anſam præberent, quæ ſacris ethnicis frequenter adhærebant. Non eſt enim vel ſimili vero, Deum, lucos, arbores, columnas, (res gratia ſingulari commendatas, & in uſu poſitas) altari ſuo prohibere voluiſſe, niſi quod mali gravioris ſpeciem ferrent, aut malis aliquibus, ſuo loco recenſendis, occaſionem miniſtrarent.

S E C T. IV.

Quales erant veræ legem illam ſanciendi cauſæ.

CUM *Moſes* legis hujuſce rationes tacite prætererit, nobis ad veritatem nonniſi probabili conjectura collimandum eſt. Quantum itaque conjectura colligo, Deus legem hanc ob rationes ſequentes Hebræorum populo dediſſe videatur.

(1°.) Secula rudiora columnam ſymboli & ſimulacri divini loco ſtatuebant, eique non raro numinis vice cultum tribuebant; adeo ut hujuſmodi columna, ſi altari Moſaico vicina adſtitiſſet, cultui profano vel illius ſuſpicioni, locum aperiret. Secula antiquiora, cum ſcilicet accuratus imaginum uſus nondum invaleſceret, columnas imaginis loco ſtatuiſſe & adoraſſe, multis veterum teſtimoniis evinci poſſet: ſed ego paucis in præſens contentus ero. E teſtibus illis mihi primus occurrit [d] *Clemens Alexandrinus* quem laudavi modo: refert ille, Græcos antiquiores, ſub columnæ informis imagine *Bacchum* coluiſſe, verſu illo a veteri Poeta mutuato;

Στῦλος Θηβαίοισι Διώνυσος πολυγηθής·

Exhilarans Bacchus Thebanis eſt columna.

Aſſerit idem [e] *Clemens*, ut *Bacchi* Thebis, ſic & *Apollinis* imaginem Delphis, columnam fuiſſe; quod & probat e poematis antiqui fide, cui titulus *Europia*, quod jam fruſtra deſideramus. Hiſce conſentanea [f] *Pauſaniæ*, de civitate *Corinthi* loquentis, verba: ἔστι δὲ Ζεὺς Μειλίχιος, καὶ Ἄρτεμις ὀνομαζομένη Πατρῴα, σὺν τέχνῃ πεποιημένα οὐδεμιᾷ· Πυραμίδι δὲ ὁ Μειλίχιος, ἡ δὲ κίονί ἐστιν εἰκασμένη· i. e. *Sunt etiam Milichii Jovis, & Dianæ, cui Patroæ cognomentum, ſigna rudia & ſine ulla arte facta. Milichius pyramidis*, Patroa *columnæ figuram habet.* Huc faciunt ejuſdem auctoris illa in [g] *Achaicis*, τὰ δὲ παλαιότερα καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι, τιμὰς Θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι· *Ita more veteri factum eſt apud Græcos omnes, ut rudes lapides, loco ſimulacrorum, divinos honores obtinerent.* Græci

a *Diatrib.* contr. *Seld.* de *Decim. Cap.* 3. *p.* 491. b *Levit.* 26. 1. c Vid. Cap. hujus Libri 22.
d *Stromat.* L. 1. pag. 418. 30. e Id. pag. 419. f In *Corinthiac. p.* 132. g Lib. 7. p. 579.

Ppp ppp 2 hae

Sect. V.

hac in re nihil noviter aut diverſe a gentium aliarum inſtitutis feciſſe videntur: nam ſatis conſtat, Ægyptios columnas illas inſignes (obeliſcos dico & pyramides) honore divino affeciſſe, Syros & Chananæos antiquiores hic Ægyptizaſſe, probant honores illi ſingulares quos olim τοῖς [a] *Chammanim* columnis eorum ſolaribus, exhibebant. Tyrios ejuſdem vanitatis affines fuiſſe, fidem facit [b] *Philo Byblius* referens, *Uſoum*, Hypſuranii fratrem, columnas duas Tyri, *vento* unam, *igni* alteram, conſecraſſe iiſque ſacrificiis & aliis ceremoniis cultum reddidiſſe. Nec hujuſmodi religionem a nominis Romani gravitate prorſus abhorruiſſe, teſtantur eorum [c] numiſmata quædam, pyramidis, metæ, vel lapidis faſtigiati figuram præferentia. Sed moris hujuſce probationi nimis operoſe forſan immorari videar, cum e ſuperius adductis Scripturæ teſtimoniis abunde conſtet, idololatras antiquos aras & columnas connubio quaſi ſtabili conjunxiſſe; proculdubio ut columnas illas (Tyriorum ritu jam dicto) ſacris oblatis colerent & honorarent. Cum itaque columnas altari vicinas erigere, & oblato ſacro venerari, gentium pene omnium uſu receptum & confirmatum eſſet; ſi Deus columnam in altaris ſui vicinia toleraſſet, mori tam profano connivere, & idololatriæ non occaſionem tantum, ſed & apologiam, præbere videretur.

(2°.) Ut ſpecies & aſpectus altaris Moſaici plane ſingularis, & ab altaris ethnici cujuſvis habitu cultuque longe diſcrepans; illud Numinis cultui cum numinibus ethnicis nullam cognationem aut ſimilitudinem habentis conſecratum indicaret. Cum enim altaria gentium, ubivis obvia, lucis, arboribus, columnis, aut his omnibus, inſtruerentur, & nil ſimile circa Moſis altare diſcerni poſſet; inde non difficulter inferendum erat, illud Numinis cultui ſacrum eſſe, cum Diis aliis nihil commune habentis; ſed ab eorum natura & ingenio non minus disjuncti & alieni, quam ipſius altare ab aris Deorum vulgarium honori dedicatis. Hinc etiam cuivis, hebeti licet, promptum erat intelligere, Deum Iſraelis & Deos alienos in cultus ejuſdem communionem venire non poſſe, cum altari cultuque tam diſſimili gauderent, & altaris Moſaici forma, plane diſtincta & ſingularis, Dei unius doctrinam aperte ſatis enunciaret.

(3°.) Mos iſte, columnam juxta altare ſtatuendi, ab *Ægypti* religionibus anſam traxiſſe videatur. In hanc opinionem inclinat animus, non tantum quod ſuperſtitioſi ritus pene omnes ab *Ægypto* fluerent; ſed quod ſtatim ab egreſſu ex *Ægypto*, Deus ab hoc more præcipue ſe averſum oſtendit, & in eam mala graviora comminatur, Textu illo jam ſæpe laudato, *Lev. 26. 30. Diſſipabo excelſa veſtra, & ſuccidam* Chammanim *veſtra, & ponam cadavera veſtra ſuper cadavera idolorum veſtrorum, & anima mea vos abominabitur.* Nam eo in loco (quod alibi docen) altaria nomine Excelſorum, & columnæ Solares voce *Chammanim*, intelligenda ſunt. Hoc & eo ſimilius eſt vero, quod חמנים & מצבות ut voces notionis cognatæ ab auctoribus ſacris uſurpentur. Hoc etiam oſtenſum eſt alibi, nec crambe recocta lectoris curioſi gratiam repertura eſt. Cum autem hic locus aliquid obſcuritatis habeat, ad opinionis meæ ſubſidium, ſuperſtitionis Ægyptiacæ monumenta vetuſtiſſima, pyramides etiamnum ſuperſtites, advocare liceat. Cum itaque mos hic (uti probabile videtur) ab Ægypto fluxerit, ſi Deus illum inter ſuos toleraſſet, aliis Ægypti moribus aditum præſtruxiſſet; Iſraelitas etiam & Ægyptios, rituum ſimilium communione, pluſquam par erat ſibi mutuo conjunxiſſet.

Alias hujus interdicti rationes in promptu habeo: eas autem Sectione ſequente, utpote loco magis opportuno, redditurus ſum.

S E C T. V.

Cur Deus columnam in altaris confinio conſtitutam odio habere dicitur.

QUOD proxime reſponſum deſiderat, eſt hujuſmodi: cur Deus columnam, cum ſociis inſtrumentis, non rejicere ſolummodo, ſed & *odio habere*, dicitur? Nam lex integra, Latine reddita, ſic ſonat; *non plantabis lucum, vel ullam arborem apud altare Jehovæ, & non eriges tibi columnam* אשר *quam odio habet Dominus Deus tuus.* Hic אשר particula numeri ſimul & generis incerti (uti noſtrum *which*) huic dubio materiam dedit, an ſingulariter hic intelligenda ſit, ut ad ſolam *columnam*; an pluraliter, ut ad *lucum* & *arborem* etiam, reſpectum gerat: adeo ut Deus hæc tria, apud ejus altare poſita, pari odio proſequi cenſeatur. Ut rem brevi conficiam: vocem illam hic

a Vid. Cap. hujus Libr. 25. b Ap. *Euſeb. Præp.* Lib. 1. Cap. 10. p. 35. c Vid. *Marſham. Can. Chron.* p. 56.

ſenſu

ſenſu plurali capiendam cenſeo, eo quod certum ſit idololatras antiquos, lucum, arborem, columnam, ad cultum profanum pariter uſurpaſſe; eaque omnia Dei altare pariter inquinare voluiſſe. Deinde, LXX (quod opinioni meæ firmamentum eſt maximum) vocem אשר ſenſu plurali capiunt, verſum integrum ſic interpretantes; *Οὐ ποιήσεις σεαυτῷ στήλην, ἃ ἐμίσησε Κύριος ὁ Θεός σου.* SECT. V.

His *ἐν παρόδῳ* dictis, ad rationes expediendas me jam accingo, cur Deus a tribus illis (arbore, luco, ſtatua) apud ejus altare poſitis abhorreret adeo; cum præſertim res eſſent non minus ab omni crimine quam ratione alienæ. Ex iis itaque hæc primas habeat:

(1°.) Hæc tria, juxta Dei altare conſtituta, Dæmonem ipſum Deo ipſi *σύμβιον* ipſumque cultum & imperium cum Jehova diviſum habere, denotare videbantur. Hæc enim in Dæmonis ceremoniis uſum frequenter invenerunt, & ideo in altaris alicujus confinio ponebantur, ut Solis, Lunæ, Syderum, aut herois alicujus in Deos relati locum occuparent, & eo nomine ſacri cujusvis oblati cultum & honorem participarent. Nam populus Iſraeliticus *τῶν Baalim* & *lucis* cultum præſtitiſſe dicitur, nec ratio ulla vel meditanti ſe dabit, cur columna vel lucus apud altare (præcipuum cultus divini locum & inſtrumentum) poneretur, niſi ut, vice Numinis, oblato ſacro coleretur. Ea de cauſa proculdubio *Chammanim*, i. e. Columnæ Solares, ſublimes, [a] ſupra altare, conſtitutæ ſunt, ut omnium oculis paterent, & quivis ſacrificaturus adveniens eas adoraret. Cum itaque Gentes hæc tria juxta Dei altare collocarent, ut honoribus divinis afficerentur, Deo contumelia vix verbis aſſequenda offerebatur: nam hac ratione non tantum profani cultus objectis & inſignibus honor ſingularis habebatur, ſed altare Deo ſoli ſacrum in criminis tam tetri partem trahebatur, & ipſi Diabolo ſervire cogebatur; adeo ut cultus hujuſce participes inde non tantum idololatræ, ſed & ſacrilegi fierent, & ſumma Dei majeſtas non tantum imminuta eſſet, ſed plane contempta & ludibrio habita. Neceſſe itaque fuit, ut hæc tria, quocunque pene loco ſita, Deo male grata forent; at in altaris ſui vicinia prorſus odioſa.

(2°.) Tria illa (lucus, arbor, columna) juxta altare ſita, omnifariam idololatriam complectebantur; cum in iis idololatrici cultus objecta omnia, ſaltem ſymbolice comprehenderentur. Ut rationis hujuſce momenta clare percipiantur, obſervandum eſt, idololatras antiquos, Soli, Lunæ, ſociis etiam Syderibus, in luco, utpote arborum majorum & minorum congerie, cultum præſtitiſſe: eos etiam arborem, ſublimi vertice notabilem, Solis ſymbolum habuiſſe, eique cultum, tanquam Solis vicario, detuliſſe: columnis etiam & obtuſis ſimulacra quædam impoſuiſſe, ut in iis honorem heroibus (i. e. viris egregiis in Deorum numerum aſſumtis) redderent, eosque [b] ſupra mortalium ſortem elevatos indicarent: columnas autem acutas, aut pyramidi ſimiles, ſtatuiſſe, ut in iis radii ſolaris imaginem contemplari poſſent, & in iis, tanquam Solis hieroglyphicis, Soli cultum exhiberent. Cum itaque hæc tria prophani cultus objecta omnia (vel proprie vel ſymbolice) continerent, ut iis venientibus idolorum turma venire videretur; iis haud immerito Deus odium hoſtile denunciavit, utpote ſibi & legibus ſuis quam maxime repugnantibus.

(3°.) Hæc tria, Deorum falſorum & cultus profani ſymbola erant; adeoque Deum tacite mendacii arguebant, qui ſe Deum unum zelotypum, & conſortis impatientem, toties appellaverat. Deus idoli cujuſque cultum vetuit, ut nullum ſe *priorem* pati poſſet; hæc etiam Deorum falſorum ſymbola altari ſuo conjungi noluit, ut ſe nullum [c] ſibi *parem* ferre poſſe, teſtaretur. Ipſa altaris Moſaici nuditas & aſpectus ſimplex & ſolitarius aperte docuerunt, illud ſacrum eſſe Deo ſimplici & conſortis neſcio; ei nempe qui Solem, Lunam, ſydera, vel heroem aliquem, eodem cultu vel altari cum ſeipſo junctum, dedignatur, abominatur. Hanc eſſe legis hujus intentionem probabilius habeatur, quod [d] verſu pene proximo, Deus mala graviora viro illi comminetur, qui Deos alienos, (Solem, Lunam, aut ſydera) coluit, aut una cum Deo vero religioſe veneratus eſt. Summa jam dictorum huc redit: e variis Scripturæ locis intelligi datur, Iſraelitas, Jehovæ quidem, ſed [e] una cum Diis alienis, honorem cultumque non raro præſtitiſſe; ut Deum & dæmonem juxta colentes, utriuſque gratiam & auxilium experiri poſſent. Deus interim, ut huic malo remedium adhiberet, iſtiuſmodi cultum mixtum non tantum diſerte & expreſſe, ſed etiam ſymbolice & ſub figura, vetuit. Deus hoc feciſſe putetur, cum diſerte præcepit ut [f] ſolus ipſe coleretur, & omnes cultus profani teſſeras

a 2 *Chron.* 34. 4. b Vid. *Plin. Nat. Hiſt.* L. 34. Cap. 5, 6, 7. c *Jeſ.* 42. 8. *Mat.* 4. 10. d *Deut.* 17. 2, 3. e *Zeph.* 1. 5. 2 *Reg.* 17. 22. 1 *Sam.* 7. 3, 4. f *Exod.* 22. 20. *Joſ.* 24. 19.

SECT. VI.

(lucum, columnam, & ſimilia) ab altari ſuo removeri juſſit. Hæc autem omnia a Dei altaribus arcebantur, ut inde conſtaret, nihil [a] communionis aut commercii inter Jehovam & gentium Deos intercedere.

(4°.) Deus hæc odio habuit, forte quod religionem patriarchalem in contemptum, vel idololatriæ patrocinium, ducerent. Nam *Abrahamus lucum in Beer-ſheba plantaſſe*, & ibi ritus ſacros obiiſſe [b] dicitur: [c] alibi tranſiiſſe fertur עד אלון מורה uſque *ad quercum more juxta Sichem*, proculdubio ut arborem illam excelſam ad cultum ſimul & refrigerium uſurparet. *Jacobus* etiam patriarcha מצבה *ſtatuam* vel *columnam* erexiſſe legitur, & oleum, in ſummo vertice, libaminis vice effudiſſe. Poſtea vero, cum diaboli fraude ſic factum eſſet, ut hæc omnia in profani cultus inſtrumenta & indicia degenerarent; neceſſe fuit ut Deus *procul ite profana* diceret, & iis acceſſum ad altare denegaret; ne ſcilicet uſus eorum idololatricus, tunc paſſim invaleſcens, mori conſimili inter Hebræos anſam præberet, & patris antiquorum cultum, horum uſu præſtitum, ſuſpectum aut contemtum redderet.

Aliæ rationes hujus interdicti poſſeot excogitari: ſed in re tam obſcura, & a ſeculo noſtro tam remota, non licet conjecturis nimis indulgere.

SECT. VI.

Auctarii vice, nonnulla ſubjunguntur Conſectaria.

UT methodi mihi propoſitæ partes omnes abſolvantur, ſupereſt ut nonnulla ſubjungam Conſectaria, quæ lucem paulo majorem toti argumento fœnerentur.

Primo: Deus duplici lege columnas erigendi facultatem ſuſtulit, neutra vero ſupervacanea fuit, ut uſu ſuo deſtituta. Harum prima nobis occurrit, *Levit.* 26. 1. quam ſie vertunt Septuaginta, στήλην (ἐκ) ἀναστήσετε ὑμῖν. Altera nobis obvia eſt *Deut.* 16. ult. quam verbis illis affinibus interpretantur, *οὐ στήσεις σεαυτῷ στήλην apud altare* ſcilicet, quod ſæpius inculcatum eſt. Ex iis prima redundare putetur, quæ columnas omnes; aut ſecunda quæ columnas apud altare ſitas, id eſt, quaſdam, inhibere videatur. Utcunque neutra ratiooe vel uſu ſuo caruit: cum enim Iſraelitæ [illegible] eſſent, & in omnia gentium inſtituta projectiſſimi; columnas idololatricas ubique locorum (ad morem ethnicorum) erigere potuiſſent, niſi lex illa generalis obſtitiſſet. Cum etiam gentium uſu receptum eſſet, columnas apud altaria ſua conſtituere, Judæi proculdubio columoas etiam altari ſuo vicioas erexiſſent, niſi Deus legem quam dixi ſecundam mori huic oppoſuiſſet.

Secunoo: Judæorum magiſtri videntur a genuina legis hujus intentione non parum aberraſſe. Nam eorum præfectus, *Maimonides*, voce מצבה non *columnam* intelligi voluit, ſed [d] ſtructuram quamvis ideo conſtitutam, ut ad eam conventus publicus fieret, ad ſacra illie, etiam Deo vero, peragenda. *Maimonidem* autem, hac in re, veritatem fugiſſe, ſatis e jam dictis inooteſcat: nam inde liquet, Moſem hac in lege, non tam מצבה quam מצבה in altaris vicinia conſtitutam, vetuiſſe; eamque non ut conventibus publicis obicem poneret, ſed ſacris in idolorum honorem, ritu gentium, peragendis. Et proculdubio *Maimonides* & Rabbinuli ſui errorem tam craſſum nunquam imbibiſſent, ſi libros ethnicorum vel ſummis digitis attigiſſent, & eorum morem columnas ad altaria ſtatuendi & adoranda vel per ſomnium intellexiſſent.

Tertio: quoad ritus cultus, multum diſcriminis inter tempora *ante* & *poſt* Legem interceſſit. Ante Legem, [e] Abrahamus plantavit lucum, [f] Jacobus erexit στήλην, & [g] Moſes duodecim στήλας altari ſuo vicinas erexiſſe dicitur. Lege vero his interdictum eſt, partim ut cultus profani, tune latius invaleſcentis, omnis anſa tolleretur, partim ne quid ornatus altari alicui profano accederet, unde populus ab altari Moſaico ad altare vel cultum alienum alliceretur.

a 2 *Cor.* 6. 14, 15, 16. b *Geneſ.* 21. 33. c *Gen.* 12. 6. d *Halac. Avod. Zar.* Cap. 6. §. 8. e *Geneſ.* 21. 33. f *Geneſ.* 35. 14. g *Exod.* 24. 4.

CAP. XXIX.

Lex utriuſque ſexus apparatum confundi & promiſcue uſurpari prohibens.

Sect. I.

INGENIO miro, vi magna, pollet ſuperſtitio: nihil enim tam abſonum fidei, tam adverſum rationi, quod non perſuadeat; nihil tam inſolens & ab humanitate devium, quod non cogat. Nam gentium omnium quibus ullus honeſti ſenſus inerat uſu receptum erat, ut viri & fœminæ non minus corporis habitu quam oris ſpecie ab invicem diſcernerentur; & nonnullis veſtium commutatio non tantum honeſtati, ſed pene [a] naturæ, contraria videbatur. At eo tandem idololatras antiqoos perduxit ſuperſtitio, ut viri veſtem muliebrem induerent, & dignitatem virilem (qua licuit) exuere, pium & numini gratum exiſtimarent. E ſuperſtitioſo illo ſeculi more lex ea nata videtur quæ proximo nobis occurrit explicanda, *Deuter.* 22. 5. *Non induetur mulier veſte* vel *apparatu viri, nec vir utetur veſte mulieris.* Ne vero ſermoni meo de hac lege quid obſcuritatis inſit, illius intentioni primo, dein & cauſæ vel origini, lucem paulo majorem afferre conabor.

SECT. I.

De legis intentione & ſcopo.

DE legis hujus intentione ſenſuque tres opiniones inter doctos invaluere. Nam Tres ſententiæ.

1ª. PRIMO: hac opinione fuerunt aliqui, quod indiſtinctus veſtium uſus, hac in lege quidem, ſed in militia ſolummodo, prohibeatur. *Joſephus* enim (ad mentem proculdubio Judæorum veterum) hanc legem inter diſciplinæ militaris præcepta numerat, ſic verba παραφράζων: [b] φυλάσσεσθε δὲ, μάλιστα ἐν ταῖς μάχαις, ὥστε μήτε γυναῖκα ἀνδρικῇ σκευῇ χρῆσθαι, μήτε ἄνδρα στολῇ γυναικείᾳ· *Cavete vero, maxime in bello, ut neque mulier apparatu virili utatur, neque vir ſtola muliebri.* Quid *Joſephum* & alios in hanc ſententiam traxit, e jam dicendis facile conjiciendum eſt.

2ª. SECUNDO: plerique legem hanc eo ſenſu quem verba præ ſe ferre videntur, intelligendam ſeotiunt, eaque ſexum unum alterius habitum inducere, adeoque ſexum alienum ſimulare, prohiberi. In hac ſententia, plerıſque Patres, Synodos antiquiores, interpretes modernos, & alios clarioris famæ ſcriptores, conſentire, ſat probant eorum plurima, quæ [c] nuperus auctor cnngeſſit, teſtimonia. Huic autem ſententiæ, ſpecioſæ licet, aſſentiri neſcio, quod Phariſæi (modo verum referat [d] *Epiphanius*) γυναικείοις ἱματίοις *muliebribus palliolis* uterentur: fidem autem excedit, illos ſcrupuloſæ religionis homines veſtes ſexui ſequiori proprias induere voluiſſe, modo diſertis hujus præcepti verbis adverſari crederentur. Deinde: prorſus incredibile eſt, Hebræorum gentem, tot ſanctis legibus & legum vindicibus inſtructam, lege ſcripta carere potuiſſe, quæ a veſtibus mere muliebribus eos coerceret. Judæi proculdubio, ipſa natura magiſtra, a facto abſtinuiſſent, quod in gentis opprobrium cederet, & explendæ libidinis occaſionem miniſtraret. Hiſce firmandis inſerviuot [e] *Diogenis Laertii* verba: *legis gemina eſt diſtributio, altera ſcripta, altera vero non ſcripta.* Prior illa civilis eſt, *qua Remp. adminiſtramus: qua vero citra ſcripturam eſt, ea* natura *& uſu* proficiſcitur; οἷον, τὸ μὴ γυμνὸν πορεύεσθαι εἰς τὴν ἀγορὰν, μηδὲ γυναικεῖον ἱμάτιον περιβάλλεσθαι *quale* eſt, *nudum in foro ambulare non debere, aut uti veſte muliebri*, ταῦτα γὰρ οὐδεὶς νόμος κωλύει, ἀλλ' ὅμως οὐ πράττομεν, διὰ τὸ ἀγράφῳ νόμῳ κωλύεσθαι· *Hac enim lex nulla prohibet, ſed ab iis faciendis abſtinemus, quod lege non ſcripta prohibeantur.* Cum itaque gentes exteræ, ſolo naturæ inſtinctu, a veſtis fœmineæ uſu, tanquam more infami & ipſi naturæ contrario, penitus abhorrerent; nemo ſibi conſulto perſuadere poteſt, Deum ideo tantum hanc legem ſtatuiſſe, ut Judæos a cultus muliebris uſu cohiberet; quaſi e luto tam craſſo facti eſſent illi, ut oullum honeſti vel decori ſenſum retinerenr.

TERTIO: ſentiunt alii, lege hac de ſexus utriuſque veſtitu lata, Deum ritum aliquem Zabiorum religione ſacrum vetuiſſe. Hi *Maimonidem* ducem ſequuotur, qui ſic Vera.

a *Non videntur tibi contra naturam vivere, qui commutant cum fœminis veſtem?* Senec. ad Lucil. Ep. 122.
b *Antiq. Judaic.* L. 4. Cap. 8. pag. 173. 25. c *Gul. Prynn. Hiſtriomaſt.* paſſim. d *Hæreſ.* 16. e Lib. 3. de *Vit. Philoſ.* in *Platon.* pag. 89. E

Sect. I. legem explicat, quaſi cultus idololatricus & numinis alicujus (maris & fœminæ) ſacra, magis quam ipſa veſtium commutatio vel ſexus diſſimulatio, hic prohiberetur. Auctoris ipſius verba Latine reddita, ſic ſonant: [a] *Iſtud autem eſt propter quod dicit ſcriptura*, non accipiat mulier arma viri, neque vir induatur veſte muliebri: *invenies enim in libro* artis magicæ, טומטום dicto, *præcipi, ut vir induat veſtem muliebrem pictam, quando ſtat coram ſtellu* Veneris, *ſimiliter, ut mulier induat viri loricum & arma bellica, cum ſteterit coram ſtella* Martis. Huic opinioni, rationibus hiſce perſuaſus, aſſenſum præbeo:

Confirmatur. (1°.) Apertum eſt, eam verbis legis, probe intellectis, maxime convenire. Sic enim ſe habet Hebræa veritas: לא יהיה כלי גבר על אשה ולא ילבש גבר שמלת אשה quæ LXX ſeniores in hæc verba reddiderunt: οὐκ ἔσται σκεύη ἀνδρὸς ἐπὶ γυναικί, οὐδὲ μὴ ἐνδύσηται ἀνὴρ στολὴν γυναικείαν· Hanc autem ſententiam his verbis apre quadrare pateat, ſi verba nonnulla de ſenſu vocis כלי in anteceſſum faciamus. Lector itaque monendus eſt, Hebræum כלי late admodum patere, & præter *vaſa* proprie dicta, veſtimenta & arma, in ſignificationis ſuæ ambitu continere. Hunc enim ſeoſum exprimit, *Geneſ.* 27. 3. *Sume* כליך hoc eſt (uti *Targum* explicat) זינך *arma tua*, pharetram ſcilicet & arcum venationis inſtrumenta. *Judic.* 9. 54. & vocavit puerum portantem כליו ubi *Targum* habet זיניה *armu ejus.* 1 Sam. 31. 10. *Et poſuerunt* את כליו *in templo Aſhtaroth:* ubi LXX, καὶ ἀνέθηκαν τὰ σκεύη αὐτοῦ εἰς τὸ Ἀσταρτεῖον, & *Vulgata* auctor, *poſuerunt arma ejus in templo Aſhtaroth.* Hiſce congruum eſt, quod in Scriptura paſſim occurrant כלי מלחמה *vaſu*, i. e. *arma belli.* Hic etiam vocem כלי ſenſu præcipue bellico capieodam eſſe, me non ſioe ratiooe perſuaſum habeo: nam, (1°.) Hunc ſenſum voci tribuit *Chaldæus Paraphraſtes*, qui hoc in loco כלי per תקון זין *oruatum bellicum* interpretatur. (2°.) Hunc ſenſum confirmat Græcorum verſio: nam σκεύη & σκευὴ de inſtrumentis aut armis bellicis apud exteros auctores uſurpantur: ideoque ſcholiaſtes aotiquus, in Ariſtophanis σφῆκες, vocem σκευὴ per πανοπλίαν explicat. (3°.) Hac in lege, *mulier* כלי גבר *inſtrumentu viri*, *vir* autem שמלת אשה tantum *veſtitum mulieris* induere, prohibetur. Hinc obvium eſt colligere, aliud per כלי viri quam, שמלת fœminæ, denotari: alias enim oulla ratio nobis occurrit, cur Deus, de viro & fœmina loquens, uno eodemque vocabulo non uteretur. (4°.) Hac in lege, nnn dicitur, *fæmina non ſumet* כלי איש *vaſa viri*, ſed כלי גבר *arma* vel *vaſa fortis & bellicoſi;* nam hioc orta eſt vox גבור quæ *virum potentem*, virtute & auctoritate bellica inſignem, denotat. (5°.) [b] *Joſephus* doctorum proculdubio Judaicorum veſtigiis inſiſtens, hanc legem rem bellicam ſpectare dicit, eamque inter diſciplinæ militaris inſtituta numerat. Huic autem opiniooi verba legis anſam dediſſe, non facile dubitandum eſt. E jam dictis aperte perſpicitur, legem hanc [mulieri arma virilia, & viro veſtem muliebrem, geſtare prohibentem] e diametro Zabiorum ritibus adverſari. Nam illi Veneri ſacra ſolennia varie faciebant, &, pro ſacrorum ritu, *fæmina loricam* aut *viri ſtolam* induebant.

(2°.) Hinc etiam cauſa credeodi datur, Deum ritum aliqoem idololatricum hac in lege vetuiſſe, quod illius transgreſſor, βδέλυγμα *abominatio Domino* appelletur. Nam legis integræ verba ſic ſe habent: *mulier vaſu virilia non ſumet, nec vir utetur veſte muliebri: nam* תועבה *abominatio eſt Domino Deo tuo, qui hæc fucit.* Hoc autem vocabulum, cum de idololatria vel rebus idololatriam ſpectantibus occurrit mentio, frequentius uſurpatur. Hoc proclive eſt obſervare, cuivis Moſis & Prophetarum (Ezechielis præcipue) ſcripta non oſcitanter perlegenti. Quanti [c] *Lyranus* hoc argumentum habuit, e verbis ejus intelligitur: *prohibetur hic, quod mulier non portet arma viri, -- quod pro tunc ſuperſtitioſum eſſet: quia gentiles mulieres in ſacris Martis portabant armu viri, & in ſacris Veneris viri portabant ornamenta mulierum & inſtrumenta earum, utpote colum, fuſum, & ſimilia.* Atque *ideo ſubditur*, abominabilis eſt apud Deum, qui facit hæc: *abominatio enim in -- Scriptura communiter capitur pro idololatria, ſeu pro aliquo ad idololatriam pertinente.*

(3°.) Rationi conſentaneum eſt opinari, Deum hanc legem ritui idololatrico oppoſuiſſe, quod proculdubio, nec viri fœminæ veſtem induere, nec Deus ea de re legem ferre, voluiſſeot; niſi ſuperſtitio (quæ ſemper coegit ad turpia) ritus illius uſum, nomine religionis, impoſuiſſet. Non eſt credibile, viros ullos bene moratos, a decoro & ſexus ſui dignitate tam longe recedere voluiſſe, ut veſte muliebri amicti in publicum prodirent: hoc enim pro turpiſſimo habitum eſt, non apud Romanos tantum

a *Mor. Neb.* P. 3. Cap. 37. pag. 264. Col. 2. b *Ub. ſupr.* c *Comment. in Deut.* 22. 5.

&

& Græcos, ſed & Gentes pleraſque omnes, [a] *εἰ μὴ ἄρα οἱ βάρβαροι ταῖς θηλυπρεπεστέραις τῶν ἐσθήτων ἔχαιρον* (Julii pollucis verbis utor) *niſi forte barbari quidam veſtibus muliebribus delectarentur.* Apud alios omnes, veſtimentum muliebre mollis & delicati hominis argumentum habebatur, & vix uoquam, niſi pœnæ loco & per ignominiam, uſurpatum. Nec meipſum inducere poſſum, ut cenſeam, Deum hac de re legem ferre voluiſſe, niſi ſexus utriuſque apparatum confundere, non tantum in morem, ſed & cultum abiiſſet. Niſi enim ſuperſtitio vetuiſſet, proculdubio publici morum cenſores, eos omnes qui ſexus alterius habitum ſumerent, utpote violatæ pudicitiæ & decori reos, pœna ſeveriore coercere voluiſſent. Ideoque non magis opus erat, ut Deus veſtium commutationem, quam pleraque alia contra decorum & modeſtiam peccantia, lege lata prnhiberet; niſi ſeculi religio morem tam impurum ſuaſiſſet, eique ſanctitatem quandam conciliaſſet. SECT. I.

JAM dicta dubitare non ſinunt, hac in lege, fœminam arma viri geſtare, præcipue prohiberi. *Præcipue* cautus dixi: nam diligenter obſervandum eſt, vocem כלי non *arma* ſolummodo, ſed & *veſtimenta* quandoque, denotare; ut lex hæc eorum etiam idololatrarum moribus, qui fœminis, idolorum ritus obeuntibus, *veſtem* ſolummodo virilem induebant, opponi cenſeatur. Inde fides accedat opinioni noſtræ, quod e multis veterum teſtimoniis appareat, hanc veſtium commutationem ritum idololatricum fuiſſe, & in gentium pene omnium ceremoniis locum haud obſcurum tenuiſſe. Phœnices ritum illum in moribus ſacris habuiſſe, *Servii* verba cauſam opinandi præbent: [b] *Veneris in Cypro ſimulacrum* eſt, corpore & veſte muliebri, cum ſceptro & ſtatura virili, *quod Ἀφρόδιτον* vocant: cui viri in veſte muliebri, & mulieres in virili veſte ſacrificant. In Cypro vero multas olim Phœoicum colonias fuiſſe [1] *Bochartus* argumentis minime contemnendis aſſerit. Aſſyrios etiam hoc ritu Venerem coluiſſe, refert [c] *Julius Firmicus:* nam de Veoere, ab eorum ſacerdotibus culta, differens; inter alia, *ſacerdotum ſuorum chorus*, inquit, ei *aliter ſervire non poteſt*, *niſi effæminent vultum, cutem poliant, & virilem ſexum ornatu muliebri dedecorent.* Et paulo poſt, *exornant muliebriter neutritos crines, & delicatis amicti veſtibus vix caput laſſa cervice ſuſtentant.* Aſiaticos alios morem huic affinem tenuiſſe, e *Philochori* [d] verbis ratum fiat: ille enim, in Atthide, Venerem *affirmat eſſe lunam, & ei ſacrificium facere viros cum veſte muliebri, & mulieres cum virili.* Idem uſus apud Græcos inolevit: cum enim Bacchi ſolennia agerent, phallorum pompam excipiebant [e] *Ithyphalli γυναικεῖαν ἔχοντες στολὴν muliebrem induti ſtolam.* Athenienſes ejuſdem ſuperſtitionis affines fuiſſe, cum ὠσχοφόρια celebrarent, teſtatur *Proclus* in *Chreſtomathia*, ubi ait, τῷ χορῷ δὲ δύο νεανίας κατὰ γυναῖκας ἐσταλμένους, &c. *Chori autem adoleſcentes duo, muliebri veſte induti, palmitem geſtantes plenum maturis uvis, feſtum auſpicati ſunt.* Argivi etiam, referente [f] *Polyæno*, menſis cujuſque novilunia celebrabant, τὰς μὲν γυναῖκας ἀνδρείοις χιτῶσι καὶ χλαμύσι, τοὺς δὲ ἄνδρας πέπλοις γυναικείοις ἀμφιεννύντες· *Mulieres virilibus tunicis & chlamidibus, viros autem peplis muliebribus amicientes.* Germanos antiquos hunc ritum in mores accepiſſe, e [g] *Taciti* verbis conjicere licet, *apud Naharvalos antiquæ religionis lucus oſtenditur: præſidet ſacerdos muliebri ornatu*, &c. Apud *Coos* morem eundem viguiſſe, *Plutarchus* memoriæ prodidit: παρὰ Κῴοις [h] inquit, ὁ τοῦ Ἡρακλέους ἱερεὺς ἐν Ἀντιμαχίᾳ γυναικείαν ἐνδεδυμένος ἐσθῆτα, καὶ τὴν κεφαλὴν ἀναδέμενος μίτρᾳ κατάρχεται τῆς θυσίας· *Apud* Coos *Herculis ſacerdos in Antimachia muliebri indutus veſte, capite vittato, ſacrificium auſpicatur.* Nec Romanos ritum illum gravitate ſua prorſus indignum habuiſſe, e [i] *Plutarchi* quæſtione collign; *cur Idibus Januarii permiſſum eſt tibicinibus* [quorum erat ſacrificiis præcinere] *per urbem circuire, veſtem indutis muliebrem?* E teſtimoniis hiſce liquere cenſeo, veſtium commutationem ritum idololatricum fuiſſe, & in uſu frequenti poſitum, apud gentes pene omnes quarum nomina & inſtituta temporis injuriam nnndum ſubiere. Hæc autem cauſam opinandi non levem afferunt, hunc ritum apud idololatras etiam antiquiores, [Ægyptios, Syros, aliosque] plurimum invaluiſſe. Eſt itaque rationi & Legis totius intentioni conſentaneum, ut ſentiamus, Deum hanc legem & illi ritui contrariam ſtatuiſſe, ut cultus profani memoriam omnem aboleret, & hominum tam perditorum imagines e populi ſancti conſpectu longe removeret.

a *Onomastic.* Lib. 7. Cap. 13. *Segm.* 50. b Ad *Æneid.* Lib. 2. v. 632. c De *Error. profan. relig.* pag. 6. d Apud *Macrob. Sat.* L. 3. Cap. 8. e *Heſych.* in Ἰθύφαλλοι. f *Strategem.* L. 8. pag. 606. g In Libel. de *German. morib.* pag. 137. h *Quæſt. Græc.* p. 304. C i *Quæſt. Roman.* pag. 277. E

1 Vid. *Bochart. Geogr. Sacr.* Part. 2. L. 1. Cap. 3.

Sect. II.

SECT. II.

Ratio legis inveſtigatur.

UT huic legi lucem paulo pleniorem afferam, rationes jam reddendæ ſunt, cur Deus habitum uni ſexui proprium commutari, & commutationem illam tanquam rem exeerandam aut abominandam prohibuerit.

Rationes falſæ tres.

Ut autem aditum apertum & inoffenſum ad rationes hujus præcepti veras habeam, conſultum erit, primo, rationes quæ dari ſolent ad ſtateram rationis examinare.

Harum præcipua eorum eſt, qui ſentiunt Deum hanc legem ſaoxiſſe, ut honeſtatem publicam conſervaret, nec porta lata libidini pateret, ſi cuivis ſexum ſuum diſſimulandi licentia concederetur. Hanc rationem his verbis illuſtrat [a] Philippus Camerarius: *in lege divina non abſque gravi cauſa*, tam *arcta prohibitio* eſt, *ne in veſtitu talis confuſio fiat, ut unus ſexus ab alio dignoſci & ſegregari nequeat, & libidinibus, & aliis inhoneſtis actionibus hac* ratione *veluti feneſtra aperiatur.* Conſentit [b] *Cunæus*, ſic legis hujuſce cauſam exprimens: *nolebat ſexus utriuſque apparatum cultumque perverti aut confundi immortalis Deus, propterea quod maxime contrarium id honeſtati erat, ad quam nos fecit – formavitque.* Fatendum eſt quidem, hanc legem [ſenſu latiore ſumptam] flagitiis & amoribus inhoneſtis opportunitatem haud exiguam abſtuliſſe; cum viri & fœminæ, ſexum mentientes, luxuriam licentius & occultius exercere poſſint. Non eſt autem facile creditu, Deum ea ſola de cauſa hanc legem ſtatuiſſe: hic enim (quod antea docui) viris *ſtolam muliebrem*, fœminis *arma virilia*, geſtare vetitum eſt: armis autem virilibus nihil ineſt illecebræ vel lenocinii, nec quiſquam loricam & gladium inter arma, quibus amor vincit omnia, numeravit. Nec minus fidei diſſonum eſt, remp. Hebræorum, tot ſanctis legibus inſtructam, lege diſerta, ad honeſtatem tantum publicam conſervandam, indigere potuiſſe. Præterea, lectori verba legis attente conſideranti pateat, viro & fœminæ, non tam veſtium commutationem & ſexus diſſimulationem, quam veſtium commiſtionem & affectatam ſexuum confuſionem, hac in lege prohiberi. Hic enim inhibetur, ne mulier *arma* [non veſtimenta] *viri* ſumeret, aut vir שמלת veſtem aliquam [c] exteriorem ſexui inferiori peculiarem, indueret. Atque hæc interpretatio, non minus idololatrarum moribus, quam legis verbis, ad amuſſim convenit: nam illi, ritus ſuos obeuntes, pro maribus & fœminis ſe gerebant, utriuſque ſexus veſtes induebant, & ita ſeparabant, ut inter viros fœminæ & inter fœminas viri (veluti gryphi quidam & ænigmata realia) viderentur.

(2°.) Nonnulli ſe perſuaſos habent, Deum veſtimenta ſexui propria commutari vetuiſſe, ut vir, ſexus ſui veſtem intuens, animum viro dignum ſumeret, & nihil a dignitate & fortitudine ſexus virilis alienum faceret; & fœmina, veſte muliebri monita, ſe mitem præſtaret, intra ſepta modeſtiæ ſe perpetuo contineret. Hanc rationem ſic illuſtriorem reddit [d] Philo: *voluit* lex *virum ſe ut ſexum decet gerere, præſertim in veſtitu: quem cum die noctuque circumferat, talis eſſe debet ut eum ſemper decori honeſtatiſque admoneat. Sic & mulierem ornans, pro dignitate, vetat virilem veſtem ſumere*, πόῤῥωθεν, ὡς ἀνδρογύνους, ἤτοι καὶ γυνάνδρας, φυλαξάμενος *longe ſubmovens tum effœminatos viros, tum plus æquo viriles fœminas.* Sed (ut libere loquar) hæc ratio *Philonis* ingenium, magis quam judicium ſapit: cum enim ipſa natura, virum ſe fortem & conſtantem, mulierem ſe mitem & modeſtam, præſtare doceat; minime probabile eſt, aut Deum veſtes ipſas harum virtutum monitores inſtituere, aut Iſraelitas, modo naturæ vocis immemores, ad quotidiana veſtium ſuarum monita diligentius attendere, voluiſſe.

(3°.) Sentiunt alii, Deum hanc legem ſtatuiſſe, quod hæc veſtium commutatio, naturæ ſimul & rationis dictamini prorſus adverſetur. Eſt enim rationi congruum, ut ii quos Natura ſexu diſcrevit, veſtitu diſcernerentur, ut corporis habitus cum oris aſpectu conveniret, ut non minus factis quam verbis [e] veracem ſe probaret quiſque, & caſtitatem (præcipuum generis humani decus) coleret, eique nullas inſidias fallaci veſtitu ſtrueret. At neque ratio hæc a lectore judicii paulo ſolidioris probari poteſt,

a *Oper. Subciſiv. Centur.* 2. Cap. 76. b *De Rep. Hebr.* Lib. 2. Cap. 22. c *Nam LXX. vocem Hebræam, non per ἱμάτια ſed στολὴν, reddunt.* d Lib. de *Fortitud.* pag. 739. B e *Infames habentur merito qui muliebri habitu ſe oſtentant, quos neſcias utrum falſas mulieres, an falſos viros melius vocem.* S. Aug. Soliloq. Lib. 8. Cap. 16. Tom. 1. Col. 381. F

cum

cum nuſquam legamus Hebræorum mores eo mollitiæ & luxuriæ devolutos, quod veſtes muliebres tam frequenter induerent, ut lege carerent quæ gentem a more tam inhoneſto cohiberet. Et eo proclivius eſt credere, morem illum infamem nunquam inter Hebræorum viros obtinuiſſe, quod pauci homines, gentes autem multo pauciores, in hiſtoria memorentur, qui ſexus alterius veſte frequenter uterentur. Nihil itaque probabilitatis habet, morem hac in lege Judæis interdictum fuiſſe, quem vel ipſæ gentes exteræ prorſus infamem, & a dignitate ſexus virilis alienum, cenſuerunt. SECT. II.

RATIONIBUS hiſce vulgaribus merito repudiatis, ad veras hujus præcepti rationes reddendas me accingo. Quantum itaque ſummi legiſlatoris conſilia conjecturis indagare licet, tribus de cauſis, Iſraelitis hanc legem feciſſe videatur. Rationes veræ quænam.

PRIMO: virilis & muliebris apparatus uſus & confuſio, ſignum cultus profani [Veneri præcipue & Marti præſtiti] ſeculis antiquioribus habebatur. Aſſertionis hujusce fides non ſoli nititur Maimonidis * jam adducto teſtimonio: refert enim [a] Guilielmus Pariſienſis, *Cacogræcum* quendam librum ſcripſiſſe *de ſtationibus ad cultum Veneris*, ibique *inter alia ſacrilega*, præcepiſſe, ut qui ritum illum neſandum peragit, in capite ſuo coronam fœmineam gereret; ut etiam omnes in veſtibus mulieri propriis ſacra Martis exercerent. Cum enim Venus *amorum*, Mars autem *armorum*, præſes haberetur; idololatræ veteres in eam ſententiam veniſſe videntur, non alios Veneri cultum gratiorem exhibituros, quam qui ſexus mollioris veſte ſe Deæ ſiſterent; nec alias Marti in ſacris ejus acceptiores futuras, quam quæ in armis conſpicerentur. Cum itaque ſic ſe haberent ethnicorum mores, omnes habitum a ſexu ſuo alienum nocte præſertim, induentes, in ſuſpicionem facile venirent, ſe Martis aut Veneris ſacra meditari; adeoque ſcandalum darent infirmis, quibus exemplo ſuo ad idololatriam præire viderentur.

SECUNDO: ritus hic e craſſa Gentilium theologia oriebatur, & Numini ſexum utrumque, tacite & figurate, tribuebat. Idolorum ſexum, nec Sacra Scriptura ſemper diſtinguit, nec priſca Gentilium theologia. Eorum enim myſtis ſagacioribus alte perſuaſum eſt, Lunam, Venerem, Aſtarten, Dagonem, Baalem, & alios e Deorum ſuorum grege, naturam utramque continere. Hac de re fuſius egerunt, [b] *Gyraldus*, [c] *Seldenus*, [d] *Schedius*, [e] *Sheringhamus*, * *Morus*, & eorum auctores, facile (ſi ferat animus) a lectore conſulendi. Apud ethnicos itaque, ut ſacra omnia Deo, quem ἀνδρόγυνον exiſtimabant, eo magis convenirent; curatum eſt, ut ſacerdotes myſtæque omnes ſexus alterius apparatum induerent, ut ſexum utrumque continere, adeoque Dei ſui naturam proxime referre, viderentur. Hanc ritus hujuſce rationem *Philochoro* placuiſſe, e [f] *Macrobio* diſcimus: nam *Philochorus*, inquit, *in Atthide, eandem* [Venerem] *affirmat eſſe lunam, & ei ſacrificium facere viros cum veſte muliebri, mulieres cum virili: quod eadem & mas æſtimetur & fœmina.* Cum itaque ritus ille theologiam ethnicam oleret, & e ridiculo naturæ divinæ conceptu naſceretur; Deus hanc legem ſummo cum conſilio tradidit: ut conceptum tam craſſum & rationis expertem (ritus illius originem) tacite reprehenderet.

TERTIO: Deus hunc ritum illicitum fecit, quod mores & dogmata longe peſſima promoveret; nempe (1°.) Maleficia, quibus antiquæ gentes enutritæ ſunt. *Conſueverunt enim malefici & malefica in veſtibus aut de veſtibus* hiſce mutatis *libidinis maleficia exercere; & hoc nos in libris eorum ſæpe legimus*, inquit modo laudatus [g] *Guilielmus*. Hanc autem ejus flagitii cauſam refert: *credebant decepti* viri *applicatione veſtium muliebrium, maxime in ſacris Veneris, conjungi ſibi ac conciliari amore fortiſſimo corda mulierum, propter quas hoc* faciebant: *ſimiliter & deceptæ mulieres id ipſum credebant de viris & virilibus veſtimentis.* (2°.) Veneris exercitia maxime flagitioſa. Cum enim mulieres arma viri ſumerent, Veneris (quam nonnulli ἑρμαφρόδιτον effinxerunt) effigiem gerere, ipſo habitu virili modeſtiæ nuncium remittere, & viros ad amplexus illicitos pene vocare, videbantur. Cum etiam viri veſtem muliebrem induerent, habitus ipſe Veneris maſculæ imaginem quandam ferebat, & illa veſtium permutatio recta ducebat ad propudioſam illam γενέσεως ἐναλλαγὴν *ſexus permutationem*, quam [h] auctor *Sap. Salom.* inter mores idololatricos numeravit. Huc faciunt quæ apud [i] *Julium Firmicum* leges de Aſſyriis & Ve-

* Vid. pag. 524. [a] Lib. de *Legib.* Cap. 13. pag. 42. H [b] *Hiſt. Deor.* Synt. 1. [c] De *Diis Syr.* Synt. 2. Cap. 2. [d] De *Diis German.* Syngram. 1. cap. 9. [e] De *Orig. gent. Angl.* pag. 313, 314, 328. * *Alex. Mor.* Not. in *Act.* 17. 18. [f] *Saturnal.* L. 3. Cap. 8. [g] *Ub. ſupr.* pag. 43. A [h] Cap. 14. 26. [i] De *error profan. relig.* p. 6, 7.

SECT. I.

nete ab eorum ſacerdotibus culta differentem. Ait enim, eos *vultum* effœminare, *ſexum virilem ornatu muliebri* dedecorare, — *in ipſis templis — muliebria pati, & hanc — impudici corporis labem glorioſa oſtentatione detegere.* His affines *Aſtartes* antiſtites, qui [a] קדשים *Cinædi*, *Sodomitæ*, appellant. Ne in hac cloaca diutius hæreamus: ritus ille moribus impuris & impudicis locum tam amplum præbuit, quod ex ipſis ethnicis aliqui, eum a *Como* [luxuriæ & ebrietatis dæmone] originem duxiſſe crederent. Nam *Philoſtratus*, inter alia de *Como* dicta, συγχωρεῖ δὲ ὁ Κῶμος, * inquit, καὶ γυναικὶ ἀνδρίζεσθαι, καὶ ἀνδρὶ θῆλυν ἐνδύναι στολὴν, καὶ θῆλυ βαίνειν· *Comus & mulieri virum agere, & viro ſtolam induere muliebrem, muliebriterque incedere permittit.* (3°.) Ritus ille dogma peſtiferum, de ſexus utriuſque numine, non parum confirmabat. Nam ideo viri veſte muliebri, Veneri fœminæ, fœminæ vero armis virilibus inſtructæ, Marti maſculo, cultum tribuerunt; quod Deos illos Hermaphroditos exiſtimarent, & ambiguus ille cultoris habitus eorum ſexui dubio maxime convenire crederetur. Cum autem dogma illud per ſe craſſum eſſet, & maleficiis, caſtrationibus, aliiſque ritibus abſurdis, occaſionem adminiſtraret; Deus hunc ritum vetuit, ut dogma illud (unde pullulavit) aperte refelleret, & ex hominum animis tandem eradicaret. (4°.) Hic ritus Deorum falſorum imitationem & invocationem in mores inducebat. Nam qui arma viri cum fœminæ veſte ſociavit, *Venerem* ὁπλοφοροῦσαν, aut ei [b] cognatam *Friggam*, imitari non immerito cenſebatur. Si quis etiam, ſexus alterius veſtibus indutus, coram Venere vel Marte compareret, hoc ritu Deos hoſce fictitios invocare credebatur. Nam e [c] *Concilio Trullano* & [d] *Aſterio* colligere licet homines, veſte muliebri tectos, in publicum prodiiſſe, anni præcipue redeuntis initio, cum Deos impenſius colerent, & eorum favorem & auxilium ſolennius implorarent.

Cum itaque ritus ille, cultus profani ſignum eſſet apertiſſimum, e Gentilium theologia pullularet, ad venerem maſculam, objecta religionis ſpecie, duceret, & malorum aliorum molem ſecum traheret; Deus hanc legem ei ſapienter objecit, & perſonam omnem, quæ veſtem a ſexus ſui more diſcrepantem (animo ſuperſtitioſo) gereret, βδέλυγμα [non abominandam, ſed] *abominationem* pronunciavit.

CAP. XXX.

Lex qua ſemen mixtum in vinea prohibetur.

A Ritu, in Martis & Veneris cultu frequenti, tranſiens, ad legem eam me jam confero, qua ritus in Bacchi & Cereris honorem uſitatus inhiberi videtur. Nobis autem occurrit, *Deuter.* 22. 9. לא תזרע כרמך כלאים *Non ſeres vineam tuam mixto ſemine, ne ſemen quod ſeminaveris, & proventus vineæ tuæ, pariter polluantur.* De hac obſcura lege dicturi, quo ſermonem diſtinctum & apertum habeamus, (1°.) Verborum ſenſum (qua licet) inveſtigabimus. (2°.) Genuinam legis cauſam aſſerere conabimur. (3°.) Noſtrum erit, ad objectiones præcipuas reſpondere.

SECT. I.

Verborum ſenſus inveſtigatur.

QUO legis hujuſce mentem ſenſumque dextre capiamus, uſui fuerit quid voces illæ, תזרע & כרמך : כלאים hic notent, diligentius inveſtigare.

כלאים diu originis obſcuræ & ignotæ vocabulum, literaturæ orientalis conſulti Æthiopicum tandem invenerunt, & illud, *duplex, geminum, duo diverſa,* lingua illa notare, junctis ſuffragiis aſſeruerunt. Hunc ſignificatum [e] *Bochartus*, pro linguarum cognitione qua valuit, multis exemplis e *Teſtamento Æthiopico* adductis, huic voci confirmavit. Hunc ſenſum vocabuli firmat etiam *Levit.* 19. 19. ubi כלאים de brutis, ſeminibus, & veſtibus, uſurpatur, & in iis duas diverſas ſpecies indicat, quas lex ceremonialis commiſcere vetuit. Neque tacendum, quod LXX vocabulum illud, nunc

a 1 *Reg.* 15. 12. * *Icon.* Lib. 1. pag. 766. b Nam *Frigga* Saxonum Dea *ejuſque ſtatua, muliebri habitu amicta, ſed arcu gladioque virili armata, traditur.* Sheringham. ub. ſup. p. 314. c *Canon.* 62. & 65. d *Homil.* in *feſt. Calendarum.* e *De Animal. ſacr.* L. 2. col. 244.

per

per διὸς, nunc per διάφορον, interpretentur. Nil opus eſt, ut rei tam claræ & confeſſæ plus otil impendatur. SECT. II.

Vocabulum כרמך Judæi & Chriſtiani pletique omnes generaliter accipiunt, & legem hanc de non ferendis [in agro, vel in vinea] generis diverſi ſeminibus intelligendam arbitrantur. Sed multo ſimilius eſt vero, de vinea tantum hic agi. Nam

(1°.) Vox כרמך ſuffragante toto Lexicographotum conſenſu, hunc tantum ſignificatum obtinet, & a Græcis interpretibus vix uſpiam, niſi per ἄμπελον & ἀμπελῶνα, reddi ſolet.

(2°.) Procul abeſt a veri ſimilitudine, Deum hac lege cautum voluiſſe, ne quis in agro ullo ſemina mixta ſereret. Tunc enim lex ea populi commodo nulla de cauſa plurimum obſtitiſſet, cum in agris quibuſdam, ſi ſemen e tritico & ſiligine, vel faba & piſo, componatur, uberiot meſſis provenire ſoleat. Sed & obſervare juvet, vix ullam legem ritualem, a Deo datam, populi commoda minuiſſe, vel ullum rei familiari detrimentum attuliſſe.

(3°.) E teſtimnniis & argumentis ſtatim producendis liquidn conſtabit, Deum legem hanc profanis Zabiorum moribus ex adverſo poſuiſſe. Quantum autem e ſemeſis hiſtoriæ reliquiis intelligcodum eſt, Zabii illi generis diverſi ſemina, non circa agri ſed vineæ culturam verſati, miſcuerunt.

Hic forte dicet non nemo locum illum parallelum, *Levit*. 19. 19. interpretationi meæ repugnare: ita enim ſe habet, שרך לא תורע *Agrum tuum non ſeres diverſo ſemine*. Sed hæe objectio nobis non multum obſtat: nam *agrum*, eo in loco, pro *vineto*, i. e. agro vitibus conſito, ſumendum eſſe, docet hic locus, quo Spiritus S. (ut errori alicui obviam iret) שרך per כרמך interpretatur, ſic etiam vocabulum שרי dicto *Levitici* loco, exponendum eſſe, a LXX diſcimus, qui illud per ἀμπελῶνα vertunt. Hoc autem eo magis notatu dignum cenſeo, quod licet שרי centies in Scripturis occurrat, LXX nunquam niſi eo uno in loco vocem eam per ἀμπελῶνα reddant. Objectioni occurritur.

Vox ultima תורע diſceptationi alicui materiam dedit. Multi vocabulum hoc ſenſu laxo admodum ſumendum ſentiunt, ut non tantum *ſerere*, ſed & *inſerere* ſimul & *plantare*, denotet. Atque hic ſenſus a ſynagogæ doctnribus, inter res judicatas ponitur: nam illi junctis ſententiis contendunt, varii generis [a] vites ſimul plantare, & ſurculum alterius generis arboti inſerere, hac in lege prohiberi. Alii tamen, veritate magis amica, ſentiunt, *ferendi* ſolummodo ſignificatum huic voci tribuendum: atque hac de re nos dubitare non ſinunt perpetuus hujus vocabuli uſus in Scriptura, [b] *Græcorum* verſio, & ipſa legis verba: nam *ſemina* (de quibus lex ſtatim loquitur) non plantari vel inſeri, ſed tantum ſeri, dicuntur.

SECT. II.

Ratio legis hujus trutina rationis expenditur.

Priusquam de genuina legis tatione ſermonem inſeram, rationes aſſignari ſolitas examinabo, quod earum examen ad veritatem illuſtrandam & confirmaodam non parum conferat. Aliorum rationes examini ſubjiciuntur.

Inter eas, prima ſit eorum qui ſentiunt, Deum ſeminum commiſtinnem hac lege vetuiſſe, ut pnpulum ejus a nimia lucri cupiditate cohiberet. Hæe ratio *Theodoriti* calculum obtinuit: nam [c] ille hanc legem explicans, τὴν ἀπληστίαν, inquit, ἐκκόπτει ὁ Θεὸς, *inexplebilem aviditatem amputat Deus*. Et ſtatim, τῷ παραβαίνοντι δίδωσι ζημίαν, ἐκέλευσε γὰρ ἑαυτῷ τὰ τοιαῦτα προσφέρεσθαι, &c. *Indicta mulcta* legis *transgreſſori*, *caſtigat* Deus *lucri cupiditatem: nam hæc ſibi ipſi offerri jubet*. Ratio hæc, primo licet aſpectu ſolida, ſi altius animo perpenderis, nullius momenti reperietur: nam ſi Deus lucri cupidini obſtare voluiſſet, populum ſuum a puro potius quam mixto tritico ſerendo cohibuiſſet. Deinde, ſi huic rationi quid ſolidi ineſſet, Deus heterogenea ſerendi poteſtatem nobis Chriſtianis denegaret, potius quam Judæis, quibus, inter alia vitæ præſentis commoda [d] meſſem uberem promiſiſſet.

(2°.) Deus (uti viſum eſt aliis) hanc legem dedit, quod ſemina diverſa, ſulcis

a *Prohibuit lex conjungere diverſa vitium genera.* Maim. *in* Mor. Neb. P. 3. c. 37. b Οὐ καταφυτεύσεις τὸν ἀμπελῶνα σα' *LXX* in *Deut*. 22. 9. c *Quæſt*. 23. in *Deuter*. d *Deuter*. 28. 11.

 iiſdem

SECT. II. iiſdem mandata, terræ ſuccum exhaurirent; & crudelitatis ſpeciem haberet, tributi plus æquo gravis exactione vel terram onerare. Hanc rationem ſuffragio ſuo [a] *Joſephus* ornavit, ſic legem explicans; τὴν ἀμπέλοις κατάφυτον γῆν μὴ σπείρειν [δεῖ] ἀρκεῖ γὰρ αὐτῷ τρέφειν τοῦτο τὸ φυτὸν, καὶ τῶν ἐξ ἀρότρου πόνων ἀπηλλάχθαι· *Agrum vitibus conſitum ſeminare non* licet: *ſufficit enim quod hanc plantam nutriat, nec opus eſt ut & aratro vexetur.* Ac hanc rationem vix mentione, multo minus operoſa refutatione, dignam judico: norunt enim omnes, rerum ruſticarum non plane rudes, ſemen purum, non minus quam mixtum, terræ ſuccum deprædari. Deinde: ſi Deus, terræ cura ductus, hanc legem tradidiſſet, proculdubio ſemina varia, non in vinea tantum, ſed & pomario, ſerere vetuiſſet.

(3°.) Dicunt alii, Deum ſeminum diverſorum miſtionem vetuiſſe, ne ſibi invicem alimentum detraherent, & præ nimia denſitate ſe mutuo corrumperent aut debilitarent. Huic rationi ſubſcribit [b] *Philo*, dicens, Deum ſemina mixta ſeminari noluiſſe, ἵνα μὴ ἑκάτερα τὰ εἴδη βλάπτηταί τε καὶ ἀντιβλάπτῃ, τὰ ἕτερα τῶν ἑτέρων τὴν τροφὴν παρασπώμενα· *Ne altera ſeminis ſpecies ab altera lædatur, dum ſibi invicem alimentum ſubtrahunt.* At nec ratio illa flocci facienda: cuivis enim e ruſticorum ordine notum eſt, ſemina mixta in iiſdem ſulcis optime convenire, & e mixtione illa, proventum uberiorem non raro provenire. Hoc ipſa legis verba docent: *ne* המלאת *plenitudo meſſis*, i. e. abundantia ex ea miſtione proveniens, *tota polluatur*. Adde ſi libet, haud facile credi poſſe, Deum ita cum Judæis agere voluiſſe, quaſi vix primis agriculturæ vel prudentiæ rudimentis imbuerentur, & quaſi ſationi tam damnoſæ operam daturi eſſent, niſi Deus eorum rationibus lege tam provida conſuluiſſet. Hujus argumenti vim ſic paucis exprimit [c] Guilielmus Pariſienſis: *ridiculum eſt in hoc Dominum voluiſſe conſulere populo ſuo, in quo nullo conſilio* indigere potuit.

(4°.) Alii legis hujus originem ex ipſius naturæ principiis & inſtitutis petendam aſſerunt. Lege proſpectum eſt, inquit [d] *Joſephus, ut ſemina pura & impermixta, non duorum ſimul aut trium generum, ſeminemus*, οὐ γὰρ τῇ τῶν ἀνομοίων κοινωνίᾳ χαίρει ἡ φύσις, *non gaudet enim natura diſſimilium communione.* Sentit etiam *Philo*, Deum ſemina vitibus commiſceri vetuiſſe, [*] σπαρτὰ γὰρ δένδρεσι, καὶ δένδρα σπαρτοῖς ἀνοίκεια· quod *ſegetes & arbuſta nulla natura affinitate* vel *ſimilitudine conjungantur.* At ſi ratio illa quicquam momenti habuiſſet, Deus non minus metalla quam ſemina heterogenea commiſcere vetuiſſet, & ſemina mixta non minus ab agris & pomariis quam vineis ablegare voluiſſet.

(5°.) Nonnulli Deum de hac aliiſque rebus minutis legem dediſſe ſentiunt, tantum ut Iſraelitæ legibus ejus obedientiam plenam & plane ſervilem exhiberent. Nam leges e ſolo legislatoris arbitrio profluentes, ſubditorum tantum exercent obedientiam, & iis unam relinquunt obſequii ſubmiſſi gloriam. Hanc equidem opinionem patronos haud paucos inveniſſe fateor: at mihi perſuadere nequeo Deum leges ullas arbitrarias Iſraelitis impoſuiſſe tantum ut eorum obedientiam exercerent, & ipſe obſequii ſervorum ritu præſtiti voluptate frueretur. Nec unquam a me impetrare potero, ut ea ratione ritus a Deo qua Turcæ ceremonias a Mohammede præſcriptos aſſeram. Cum enim quæritur, cur præceptum ſit, ut *Caabam* [templum Meccanum] ſepties circuirent, ut in circuitione [e] properarent, ut lapillos in vallem *Mena* conjicerent, & hujuſmodi alia nec naturæ nec rationi conſentanea facerent; aperte fatentur intellectui humano non patere, quid ſibi velint iſta, nec legibus illis quicquam ineſſe quod animum ad eas amplectendas incitet. [f] *Cum enim*, inquiunt, *percipit intellectus rei alicujus ſcopum, fit aliquo modo natura ad eam propenſior, quæ propenſio ſuppetias fert mandato, unaque cum eo intellectum adoritur, adeo ut non appareat in eo plena ſervitus & obedientia.* Proinde dicunt, [g] ſe *obedientiam Deo præſtare ex mera mandati reverentia, nullis hac in re menti & intellectui partibus conceſſis.* At nil opus eſt ut ritus divinitus inſtitutos ratiocinio tam frigido vindicemus, cum e jam dictis & poſtea dicendis appareat homines ſub Vet. Teſtamento [ſi ratio temporum habeatur] λατρείαν non niſi λογικὴν Deo præſtitiſſe.

Sententia probabilior. Aliorum opinionibus de legis hujuſce ratione repudiatis, ut lectoris expectationi pro virili parte ſatisfaciam, quid ipſe ſentio paucis expediam. Mihi itaque probabile videtur, hanc legem alicui gentium antiquiorum dogmati ritaique frontem adverſam

a *Antiquit.* L. 4. Cap. 8. pag. 164. 45. b Lib. de *Creat. Princip.* pag. 732. A c Lib. ſup. laud. pag. 43. D d *Antiquit.* L. 4. Cap. 8. pag. 165. * *Ub. ſupr.* p. 731. D e Vid. *Abulph. Hiſt. de Morib. Arab.* pag. 30. f Vid. *Pocock.* not. in *ſpecim. hiſt. Arab.* pag. 313. g Ib. pag. 315.

gerere.

gerere. Cum enim veterum religio rebus pene ſingulis tutelæ cauſa certos Deos ad- **Sect. II.**
dixiſſet, adeoque frumentum Cereri, vites Baccho conſecraſſet, & eorum præſidio concredidiſſet, veriſimile eſt ita veteri gentium uſu receptum fuiſſe, ut ſemina mixta [triticum forſan & hordeum] inter vites aut vitium ordines ſeminarent; nempe ut ritu illo ſe Cereris & Bacchi cultores indicarent, vineas eorum curæ & præſidio commendarent, eorum benignas influentias tacite implorarent, & a conſociatis eorum Deorum operibus, quorum dona commiſcebant, ſe proventum uberiorem expectare reſtarentur. Huic opinioni non rei tantum probabilitate ſed ratione multiplici perſuaſus, addixi mentem. Nam,

Primo: non temere creditur, Zabios antiquos hunc ſemina mixta ſeminandi ritum ſolenniter uſurpaſſe. *Maimonides* enim inter alia de Zabiorum cultu ſcripta, librum [a] citat cui titulus הגבטיה עבודת ubi ſe ſcriptum inveniſſe dicit, *quod conſueverint Zabii ſimul ſerere hordeum & uvas paſſas, exiſtimantes non bonam*, i. e. fertilem, *futuram vineam niſi hoc modo fieret*. Hic etiam teſtis accedat *Rabbi Joſiah*, ſic ab [b] eodem auctore memoratus: *non poſſum hic non mirari dictum quoddam Rabbi Joſia, in quo docet*, tria iſta, triticum, hordeum, & uvas paſſas, uno jactu manus eſſe ſeminanda & projicienda. *Sed nullum mihi dubium eſt, quin illud hauſerit ex viis Amoraorum.* Ipſe vero cauſam nullam comminiſci poſſum cur Zabii vel Amoræi vites & fruges in agro conjungerent, niſi ut Bacchum ſimul & Cererem honorarent, eoſque cultu & opere conſociarent.

Secundo: præfatio illa ſolennis & imperio plena, in parallelo [c] *Levitici* loco huic legi præmiſſa, non obſcuro eſt indicio, Deum hanc legem ſtatuiſſe, ut populum a more & inſtituto aliquo ſuperſtitioſo cohiberet. Ibi enim, legem de heterogeneis populo traditurus, in hæc verba præfatur; *ego Dominus, ſtatuta mea cuſtodite:* quaſi dixiſſet apertius, "ſtatuta ſequentia minuta forte videri poſſint, & pro libitu ve- "ſtro violanda. Vobis autem ſufficiat quod ipſe, cœli terræque Dominus, exigua il- "la vobis *cuſtodienda* dederim. Quicquid itaque gentilium magiſtri dicant ſtatuantve, "nemo leges eas niſi auctoritati meæ ſpretæ pœnas daturus violare præſumat.

Tertio: hac ratione conceſſa, legis totius ſenſus expeditus erit, & cauſa legi addita cum ea bene conveniet & cohærebit. Lex enim, integre propoſita, ſic ſe habet: *non ſeres vineam tuam mixto ſemine*, פן תקדש *ne polluatur totum illud, cum ſemen quod ſeris, tum proventus vinea.* Quaſi dixiſſet legislator, "ſeminum diverſo- "rum in vinea ſatio ritus eſt ab idololatris excogitatus, ut per eum tanquam ſignum "editum vineas ſuas Cereri & Baccho conſecrent, eas eorum tutelæ commendent, & "in eas Deorum ſuorum benignum influxum tacite comprecentur. A ritus itaque "tam profani uſu prorſus abſtineatis, ne ſemen & vineæ fructus inde *polluantur*, & "tanquam [d] ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων, pro profanis & immundis habeantur. Huic interpretationi non obſtat vocabulum תקדש *quod conſecrandi, ſanctificandi*, ſenſu ſumi ſolet. Norunt enim omnes qui Hebraice vel hiſcere norunt, radicem קדש ſæpe quidem *ſanctificandi*, quandoque vero (per ἀντίφρασιν) *polluendi*, ſignificatum gerere. Hoc ſenſu, ni fallor, occurrit *Hag.* 2. 13. *Et ad omnem cibum* היקדש *an ſanctificabitur?* Ubi *Targum* habet היסתאב *an polluetur?* nec male, nam verſ. 14. ejuſdem capitis vox ea per היטמא *an polluetur*, illuſtratur. Hunc ſenſum huic voci dandum cenſuit *Onkelos*, qui תקדש hoc in loco per תסתאב *pollutum ſit* interpretatur. Eandem interpretationem ſuo etiam ſuffragio & exemplo firmarunt interpretes Anglicani, qui ſic legem reddunt; *Thou ſhalt not ſovv thy vineyard vvith divers ſeeds, leſt the fruit of thy vineyard be defiled.*

Quarto: peculiares ritus hic vetiti circumſtantiæ [materia, modus, locus, & affectus] aperte docent, eum profanum eſſe & auctori Diabolo tribuendum. (1°.) *Materia:* quænam autem hæc materia, vel quæ ſemina mixta, verbis hiſce prohibeantur, non niſi probabili conjectura colligendum eſt. *Maimonides*, e Zabiorum monimentis, aſſerit, eos *hordeum & uvas paſſas ſimul ſerere conſueviſſe.* Rabbi Joſiah, magus (aut fallor) antiquus, *tria iſta, triticum, hordeum, & uvas paſſas, uno manus jactu, ſeminare* docuit. Hos autem Rabbinos, non minus cum veritate, quam ſemetipſis, pugnare ſentio: nam vox כלאים (quod antea monui) *duo* tantum *diverſa, conſociata* vel *commixta*, denotat; & nemo niſi mente motus, *uvas paſſas*, ſpe fructus alicujus unquam ſeminavit. Neque opus erat ut quis uvas paſſas (ſiquid inde commodi rediret) in agro vitibus jam conſito ſeminaret. Probabilius exiſtimo Zabios in vinea ſementem facturos, triticum tantum & hordeum una miſcuiſſe; quod ea præcipue grana Cereris

a *Mor. Neb.* P. 3. cap. 37. b Ibid. c *Levit.* 19. 19. d *Act.* 15. 20.

SECT. III. tutelæ traderentur, & idololatræ horum [a] præcipue granorum incrementum vehementer exoptarent. Seminum autem tam diſcordium conjunctio diabolum proculdubio magiſtrum habuit, qui ἀνταρτικὸς auctor eſt, naturæ leges violare docet, & totis viribus id agit ut miſceat & perturbet omnia. (2°.) Ritus hujus peragendi *modus* peculiaris erat & ſerendi legibus adverſus. Si quid enim fidei dicto illo *R. Joſiæ* tribuendum ſit, triticum & hordeum, diverſam licet anni tempeſtatem & agri culturam poſtularent, *uno manus jactu* ſerebantur. Idem & ipſa verba legis innuunt. Quis autem opinari poteſt ritum a ratione & more recepto averſum adeo Deum aut hominem auctorem habuiſſe? (3°.) Idem & *locus* ille peculiaris indicat quo ſemina mixta ſerebantur. E verbis enim legis, Maimonidis teſtimonio, & R. Joſiæ dicto jam nunc citatis eluceſcit, quod ſemina heterogenea non in agro, ſed vinea ſerer entur. Cur autem hujuſmodi ſatio vineæ ſoli propria eſſet, rationem ipſe nullam inveſtigare potis ſum, niſi quod ritus eſſet, in Bacchi ſimul & Cereris honorem uſurpatus, vel a diabolo, pro mero arbitrio inſtitutus. (4°.) Ritus hic vetiti *effectus* plane ſingularis indicat eum profanum eſſe, & rituum Magicorum numero accenſendum. Ritus autem effectum e verbis legis intelligimus: *ne polluatur tum ſemen quod ſeris, tum proventus vineæ.* Quaſi dixiſſet legiſlator: " ſi Zabiorum ritu ſemina generis diver"ſi una ſeminaveris, e ritu illo idololatrico tota meſſis, tota vindemia, [המלאה *ple"na*] quanta quanta fuerit pollutionem trahet [b] igne ſolo expiandam; & proventus "integer (tanquam animal mundum idoli nomine mactatum) impurus prodibit, vetitus, & abominandus.

QUINTO: ratio jam data firmior & fide dignior habeatur, quod rationes aliæ omnes debiles ſunt & ſoliditate omni deſtitutæ. Mecum ſentiet lector, ſi rationes aſſignari ſolitas ad rationis ſtateram revocet ipſe, vel ea quæ a me ſuperius adducta ſunt ad earum vanitatem detegendam, veris momentis æſtimare dignetur.

SECT. III.

Ad objecta reſpondetur.

UT lectori, in noſtram forte ſententiam ituro, ſcrupulum omnem eximamus, objectioni quadruplici neceſſario reſpondendum eſt.

Obj. 1ª. PRIMA ſic ſe habet: vox illa תקדש hoc in loco non pollutionem legalem, ſed phyſicam, ſeminis corruptione vel perditione factam notare videatur. Nam ſi Deus pollutionem legalem, & non potius phyſicam [e ſeminum heterogeneorum confuſione facile oriundam] ea voce deſignaſſet, credere par eſt, eum hanc loquendi formulam, פן תקדש *ne forte polluatur ſemen quod ſeris*, uſurpare noluiſſe. Nam pollutio illa *phyſica*, i. e. corruptio meſſis, e nimia denſitate proveniens non ſemper accidit; *legalis* autem e ſatione mixtorum, modo ritus idololatricus fuiſſet, certo & ſemper eveniſſet, nec ſermoni tam dubio locum reliquiſſet.

Sol. AT ea loquendi formula cauſam noſtram adjuvat, eventum non dubium, ſed certum, denotans. Nam locutio huic affinis occurrit, *Geneſ.* 3. 3. *Non comedetis ex ea*, פן תמתון *ne* [certo] *moriamini.* Adeo ut ea verba de pollutione phyſica nequeant intelligi: cum raro accidat ut mixtorum ſatio tam uberem proventum pariat, ut ipſa copia agricolam inopem faciat, exhauſta terra immenſo ſuo oneri ſuccumbente. Deinde quamvis ea ſeminum confuſio ſemen utrumque corrumpere poſſet; non facile dictu eſt, eam viris inter ariſtas eminentis, proventum corrumpere potuiſſe.

Obj. 2ª. OBJECTIONEM ſecundam *Bonfrerii* verbis exprimam. Ratio, [c] inquit ille, *quam plerique adferunt -- quaſi hanc ſeminum permixtionem in honorem* Dæmonis aut ſtellæ alicujus *idololatræ facerent, mihi non placet, & plane videtur commentitia; cum ex nullo auctore* probari poſſit, morem illum inter veteres idololatras receptum fuiſſe.

Sol. HÆC autem objectio ſcrupulum ne minimum in animis noſtris generare debet: *Maimonides* enim, qui Zabiorum libros & ritus perſpectos habuit, teſtatum reliquit, ſe in libris eorum ſcriptum inveniſſe, quod conſueverant ſemina diverſi generis ſimul ſeminare, perſuaſi vineam alias fructum maligne edituram. Atque hoc teſtimonium non parum commendat firmatque conſentaneum R. Joſiæ dictum, quod Maimonides ab oblivione vindicavit. At ſi Maimonides & R. Joſiah ſiluiſſent, ipſa ratio doceret, Deum ritui profano in Dæmonis aut ſyderis alicujus honorem uſitato, hanc legem adverſam ſtatuiſſe. Quid enim Deus Judæos magis quam Chriſtianos a mixtis ſerendis

[a] Vid. *Joel.* 1. 11. [b] Vid. *Jonathan. Paraphr.* in loc. [c] *Comment.* in *Levit.* 19. 19.

cohi-

eohibuerit, niſi quod mixtorum ſatio, certo ritu peracta, ceremonia magica fuerit, olim in uſu frequenti poſita eique priſca ſimplicitas multum virtutis ad fertilitatem pro- mnvendam artribuerit? Hiſce fidem conciliat ipſum ſuperſtitionis ingenium & conſuetudo: nam natura quidem homogeneis, ar ſuperſtitio heterogeneis [qualia ſunt, triticum, hordeum, & vites,] miſcendis plurimum occupatur. Veritas interim fateri cngit, *e nullo auctore* claſſico *probari poſſe*, *morem hunc inter veteres idololatras receptum fuiſſe*, quod antiquiora gentilium ſcripta injuria temporis intercciderint. Non longe tamen ab hoc more recedit, quod e veterum ſcriptis refert [a] *Seldenus*; Athenienſes nempe, πᾶν σπέρμα εἰς χύτραν ἑψήσαντες, *omnigena ſemina in olla elixantes*, *Baccho & Mercurio ſacrificaſſe*; gentes etiam alias, per πανσπερμίαν, *omnium ſeminum mixtionem*, & παγκαρπίαν *omnigenos fructus* una collectos & oblatos, Diis frugum largitoribus honorem tribuiſſe, ſi forſan hoſtias lautiores deſiderarent. SECT. III.

TERTIU: ad ſententiæ noſtræ fidem minuendam dici poteſt, *Joſephum* & *Philonem* (in patriis legibus multum proculdubio & erudite verſatos) nobis aperte adverſari. Nam e teſtimoniis ſuis jam adductis apparet, eos exiſtimaſſe Deum non ad idolatriam extirpandam ſed naturæ ordinem conſervandum hanc legem ſtatuiſſe. Obj. 3ª.

DE *Joſephi* & *Philonis* teſtimoniis nobis adverſantibus nun eſt quod multum laboremus; cum eorum auctoritas non magis nobis, quam eorum auctoritati ratio reſragetur: cum etiam e multis exemplis alibi notatis liquido conſtet, eos multo melius cultus ſui ritus quam rituum ſuorum rationes intellexiſſe. *Joſephum* quod ſpectat, vix a riſu tempero, cum eum legum ritualium rationes reddentem audio; eumque cauſam juſtam nimis verbis [b] *Bocharti* dediſſe cenſeo, *Joſephus, utut ſacerdos, Judaicarum tamen legum interpres quandoque peſſimus*, &c. Sol.

(4°.) FORSAN & id nobis objiciet aliquis quod nulla conſter ratio cur Zabii veteres Bacchum & Cererem una coluiſſe, vel ritum hac lege vetitum in eorum honorem ſimul uſurpaſſe cenſeantur. Ideoque legem hanc origini falſæ, vel omni probabilitate deſtituræ tribuiſſe videar. Obj. 4ª.

SED & hæc objectio facili opera diluatur: nam ratio duplex in promptu eſt, cur illi Bacchum & Cererem, in vineæ præſertim cultura, ſimul adoraſſe atque invocaſſe putentur. Nam (1°.) Gentilibus a primis uſque Gentiliſmi natalibus uſitatum erat, Deum marem & fœminam ſimul agnoſcere, & utrumque (ſi res exigeret) una colere & invocare. Nam Græci, Jovem & Junonem, Saturnum & Rheam: Sidonii, Baalim & Aſtaroth; Ægyptii, Oſirin & Iſin; Arabes, Luciferum & Venerem, Dionyſum & Uraniam; Syri, Bacchum & Cererem; Romani, Martem & Ilythiam, Neptunum & Thetidem; plerique populorum, Solem & Lunam, tanquam numina conjuncta coluere. Sexus etiam utriuſque Deos invucare pro religionis parte habebatur: *Demoſthenes* enim Deos Deaſque omnes in principio *Orationis* invocat: & a *Platone* in *Timæo* legis vice traditur, Ἀνάγκη Θεοὺς τε καὶ Θεὰς ἐπικαλεσαμένους εὔχεσθαι. (2°.) Hæc religio vinearum & agrorum cultores præcipue tenuiſſe videatur. Nam [c] *Varro* rationem optimam agros colendi traditurus, duodecim Deos, ſex mares & fœminas totidem invocandos docet, qui *maxime agricolarum duces* habebantur: nempe Jovem & Tellurem, Solem & Lunam, Bacchum & Cererem, Robigum & Floram, Bonum eventum & Lympham, quibus (ex incuria forſan) addit Minervam & Venerem, quarum uni procuratio oliveti, hortorum alteri, demandatur. Sol.

E jam dictis aperte colligo, Talmudicos alioſque Circumciſionis magiſtros, a legis hujus intentione & origine miſere aberrare. Nam illi non minus ligna quam ſemina heterogenea hoc præcepro comprehenſa, & inſitionem arboris unius ſpeciei in aliam, lege ἑτερογενείας interdictam aſſerunt. Huic opinioni *Maimonides* adeo penitus adhæſit, quod arborum diverſi generis inſitionem non tantum Iſraelitis ſed & [d] Noachidis illicitam pronunciaverit. At apertum eſt legem hanc ſemina tantum heterogenea ſerendi licentiam tollere: nec facile conſultus quiſpiam ſibi perſuadere poterit, Deum populi ſui commodo adeo adverſari voluiſſe, ut arborum inſitionem, communi gentium uſu probatam inhiberet. Patet etiam eos ab intentione legis longiſſime recedere, qui ſentiunt Deum, כלאים nomine, ſemina omnia generis diverſi, vel in agro commiſcere vetuiſſe. Lege hac id tantum (ob rationes jam dictas) inhibetur, ne vites & fruges commiſcerent. Neque cautus quiſpiam opinari poteſt, Deum communis vitæ rationibus adeo obſtare voluiſſe, ut fabam & piſum, triticum & ſiliginem, lentes & zizania (modo libitum eſſet) iiſdem ſulcis mandare prohiberet. Concluſio Capitis.

a De *Synedr.* L. 3. cap. 13. pag. 266. b De *Animal. ſacr.* P. 1. L. 2. col. 491. c Lib. 1. de *re ruſtic.* c. 1. d *Hal. Melac.* cap. 10.

CAP. XXXI.

CAP. XXXI.

De lege qua vetitum eſt, arare bove & aſino ſimul.

ARGUMENTI vicinitate motus ad legem proximam jam ſtylum converto, quæ forte prima fronte judicantibus, frivola & legiſlatore ſummo prorſus indigna videatur. His autem verbis traditur, *Deuteron.* 22. 10. *Non arabis bove & aſino ſimul.* Lex hæc aſpectu primo clara videtur captuque facilis: at rem altius perpendenti obſcura admodum & difficultatibus haud exiguis implicata reperietur. Quam obſcura & plane cæca ſint hic omnia, percipere licet ex interpretum quorundam ſilentio, & incertis aut pugnantibus aliorum conjecturis.

Verba legis exponuntur.

UT legis tam obſcuræ tenebras diſcutiamus, conſultum erit ut in verborum ſenſu perveſtigando, ſtudii nonnihil impendamus.

HIC aurem primo dicendum occurrit, quid per *bovem & aſinum* inrelligendum. Nonnulli legem hanc ad quodvis animal heterogeneum ſe extendere, eamque ſub nomine *bovis & aſini*, conjunctionem quamvis imparem & diſſimilem prohibere, ſentiunt. Ita [a] *Joſephus* judicavit: βουσὶ, inquit, ἀροῦν τὴν γῆν, καὶ μηδὲν τῶν ἑτέρων ζῴων σὺν αὐτοῖς ὑπὸ ζεύγλην ἄγοντας ἀλλὰ κατ' οἰκεῖα γένη· Jubet eos arare terram, nullum aliud animal ſub jugum agentes, ſed ejuſdem generis. Sic & *Jonathan* hanc legem explicat: *non arabis bove & aſino*, וככל ברייתא בתרין זינין קטירין כחדא *nec ullis jumentis duarum ſpecierum ſimul junctis.* Et *R. Selomo*, הוא הדין לכל שני מינין שבעולם *Hæc eſt lex de omnibus animalibus duarum ſpecierum, quæ in orbe ſunt.* Eandem ſententiam tuetur *Hiſcuni*, dicens, *lex hæc extendi debet ad omnes diverſas ſpecies, ut ſunt equus & bos, camelus & equus.* Hæc opinin [b] *Maimonide* etiam patrono gaudet. Ab horum auctorum judicio nonnulli paululum diſſident, & legem non ad omnia generis diverſi animalia extendi volunt. Sentiunt enim Deum animal ſolummodo mundum, quale eſt bos, & immundum, quale eſt aſinus, copulare vetuiſſe. Per illos itaque ſpecies diverſas jungere licet, modo ne una munda ſit, altera immunda. Huic opinioni *Maimonides*, a ſeipſo diſſidens, favere videtur, in [c] *Tractat.* כלאים ubi ait, כל העושה מלאכה בשני מיני בהמה או חיה וכו׳ *quiſquis opus aliquod faciens, duabus ſimul utitur ſpeciebus animalium, [ſive feræ ſint, ſive domeſticæ] quarum una eſt munda, altera immunda, vapulat ubicunque locorum eſt, quia in lege dictum eſt*, non arabis bove & aſino ſimul.

MI quod attinet, eos ad veritatem multo propius accedere credo, qui textus verbis adhærentes, (a quibus niſi ratione cogente nunquam abeundum eſt) ea de animalibus tantum ibi expreſſis, *bove & aſino*, interpretantur. Hunc ſenſum amplectitur *Philo, Aben-Ezra*, & plerique omnes, perſuaſi Deum hanc legem, beſtiarum præcipue cura ductum, ſtatuiſſe; ne ſcilicet debilior, fortiori juncta, labori impar eſſet & ſub illius gravitate ingemiſceret. Hunc ſenſum cæteris præferendum cenſeo, quod vocabulum כלאים (in [d] cæteris legibus heterogenea prohibentibus uſitatum) hac in lege ferenda minime uſurpetur: non dicirur enim, *non arabis* כלאים *diverſis* animalium *ſpeciebus*, ſed ſpeciatim, *non arabis bove & aſino.* Hunc ſenſum aſtruunt etiam antiquorum mores; quos boves aut aſinos [e] ſæpius, nuſquam autem camelos aut equos, ad terram colendam adhibuiſſe, in Scriptura legimus. Vix autem credi poteſt, hac lege cautum fuiſſe, ne camelus aut equus bovi vel aſino aranti jungeretur; cum ſeculis antiquioribus nulli (quod ſcimus) horum animalium opera ad arandum uterentur.

PROXIMUM eſt, ut vocabulo תחרש *arabis*, ſenſum ſuum brevirer aſſeramus. De ſenſu vocis hujus haud adeo inter doctos convenit: prout enim aliqui per *bovem & aſinum*, omnia animalia, ſic & alii per תחרש *arare*, omnia opera denotari ſentiunt; ita ut vetetur duo animalium genera plauſtro trahendo, vel cuivis oneri ferendo ſimul adhibere. Hoc præceptum tam late patere putarunt *Maimonides, Raſi, Bechai*, aliique ex Hebræorum doctoribus haud facile enumerandi. Me vero a magiſtris illis ipſa legis verba ad arandi opus reſtricta diſſentire cogunt: non enim dicit Deus,

a *Antiquit.* l. 4. cap. 8. pag. 164. 45.
b *Hoc præceptum, præter bovem & aſinum, quaslibet duas ſpecies comprehendit.* Mor. Neb. P. 3. cap. 49.
c Cap. 9. §. 7.
d Vid. Lev. 19. 19. & *Deut.* 22. 9.
e Vid. *Jeſ.* 30. 24. & 32. 20. *Eſdr.* 5. 43.

nullum

nullum opus efficies, non rhedam trahes, nulla onera portabis, ſed *non arabis*, bove & aſino, jugum idem ſubire coactis. Deinde ſuadet ratio ut vocabulum חרש de nullo niſi *arandi* opere intelligamus, cum nullum aliud opus ſit quod bovis & aſini viribus conjunctis peragatur. Bos enim aratro quidem vires ejus accommodare ſæpe cogitur, vix unquam autem ad onus portandum uſurpatur. Præterea non leve momentum apud me habet quod leges aliæ de heterogeneis datæ ritus vineæ tantum vel agri culturam ſpectantes interdicant. Hæc omnia me judice ſenſum legis clarum & apertum reddunt. CAP. XXXI.

CUM jam ſenſum legis teneamus, ad illius rationem explicandam inoffenſo pede tranſeamus. Veriſimile eſt itaque, morem e Zabiorum veterum uſu profluentem, & huic legi cauſam & materiam præbuiſſe. Ut rem propius tangam: veteres idololatræ, terram colentes, bovem & aſinum, animalia licet ἑτερόζυγα, idem jugum ferre cogebant; ut conjunctione hac iniquiſſima, tanquam ſigno & ſacramento quodam, ſe Dæmonis nomine ſementum facere, & benignum illius influxum in agros ſuos implorare profiterentur. Deus autem hunc ritum lege contraria prorſus abolevit, ne populus ejus Dæmonis opem & gratiam petere, vel ſpem in mendacibus gentium ceremoniis pluſquam Dei promiſſis collocare videretur. Ratio legis inveſtigatur.

IN hanc ſententiam rationes ſequentes animum induxerunt:

PRIMO: animalium roboris & naturæ diſſimilis conjunctio ſignum videtur ad uſum magicum apprime accommodatum. Si enim ad ſigna alia magica a Dæmone inſtituta animos advertamus, obſervare pronum eſt, Diabolum confuſioni plerumque ſtuduiſſe, & eas ceremonias inſtituiſſe quæ magnam illam naturæ legem, *pares cum paribus congregari debere*, maxime violarent. Nam ceremoniæ illæ, *ſeminum heterogeneorum miſtura, hœdi in lacte matris coctio, præternaturalis ille fœminam vitiandi modus* a [a] Maimonide memoratus, *apparatus virilis & muliebris confuſio*, [b] γυάικων ἐπαλλαγὴ, inter ritus profanos poſitæ, Dæmonem auctorem habebant, & aliquid naturæ ordini & ſimplicitati repugnans inducebant. Diabolus autem hujuſmodi ceremonias gratiores habuit, quod nec Deum nec hominem auctorem ſaperent, ſed ſui ipſius (qui turbare & miſcere ſolet omnia) characterem gererent. Ordo naturalis & cauſæ ſecundæ, voluntatis divinæ ſigna ſunt: Diabolus itaque per ordinem naturæ turbatum, & miſturas a ratione & uſu diſcordantes, ſemetipſum prodit. Inde factum eſt forte, quod Deus hominis cum beſtia mixturam, qua nihil ſceleratius aut deteſtabilius, תבל [c] *confuſionem* tantum vocet; ut innueret peccatum illud eo nomine ſatis execrabile, quod ea conjungat quæ natura ſeparavit; adeoque ritus idololatricos, confuſione plenos, imitari vel referre videatur.

SECUNDO: bos & aſinus animalia ſunt natura tam diſſimili donata; quod fidem fere excedat, antiquos agricolas, niſi ſuperſtitione motos, ea eidem aratro alligare voluiſſe. Notum eſt enim, animalia illa æquo paſſu non incedere, adeo ut neceſſe eſſet ut bos aſinum æque ac aratrum non raro traheret. Nec animalia illa pari facilitate ad agricolæ nutum & arandi negotium flecti poterant, cum bos ad aratrum trahendum natus factusque ſit, aſinus autem animal contumax ſit & oneri ferendo aptius. Sed & animalia illa robore tam diſpari prædita ſunt, quod idem jugum ferre nequeant, aut viribus æquis aratrum trahere. Nil opus eſt ut hac de re latius & copioſius agam, cum experientia quotidiana [d] *Calphurnii* verba firmet, *ne pecora quidem, eodem in jugo, niſi paria ſuccedunt.* Huc maxime faciunt *Euclionis* illa, apud [e] *Plautum*,

> *Venit hoc mihi* Megadore *in mentem, te eſſe hominem divitem,*
> *Factioſum; me item hominum pauperum pauperrimum.*
> *Nunc ſi filiam locaſſim meam tibi, in mentem venit,*
> *Te bovem eſſe, & me eſſe aſellum: ubi tecum conjunctus ſiem,*
> *Ubi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego aſinus in luto.*

Nec minus ad rem præſentem opportuna *Paulini* ad *Auſonium* ſcribentis verba: *pag.* 472.

> *Diſcuſſiſſe jugum quereris me, quo tibi doctis*
> *Junctus eram ſtudiis. Hoc ne geſtaſſe quidem me*
> *Aſſero: namque pares ſubeunt juga: nemo valentes*
> *Copulat infirmis; neque ſunt concordia frœna,*
> *Si ſit compulſis menſura jugalibus impar,*
> *Si vitulum tauro, vel equum committis onagro.*

a *Mor. Neb.* P. 3. Cap. 37. b *Levit.* 18. 22. *Sap.* 14. 26. c *Levit.* 18. 23.
d *Declamat.* 29. e In *Aulular. Act.* 2. *Scen.* 2.

CAP. XXXI.

Proinde boves ἰσοφόρους compulari vult *Homerus*, *Odyſſ.* σ. v. 372. ἴσως φέροντας καὶ ἕλκοντας, *qui onus æquale ferant aut trahant*, ut ibi *Scholiaſtes*. Et *Palladius* lib. 4. Tit. 11. *Illud ante univerſa curandum eſt, ut viribus ad trahendum* boves *comparentur æquales, ne valentioris robur alteri procuret exitium.* Quo pertinet *Ovidii* illud,

Quam male inæquales veniunt ad aratra juvenci?

Cum itaque ratio doceat jumenta tantum paria ad aratrum cogere, bos autem & aſinus, nec paſſus, nec roboris, nec indolis paritate vel ſimilitudine jungantur; ſed præ cæteris animalibus, naturam habeant ab ejuſdem jugi communione (ne dicam & arandi opere) averſam & alienam; difficile creditur homines animalia illa eidem aratro, [a] ordinarie ſaltem & frequenter adjungere voluiſſe, niſi diabolus ſpe fructus uberioris, facto tam abſurdo & ridiculo conſequendi, eos pene dementaſſet.

TERTIU: legis verba bovem & aſinum in *arandi* tantum opere conjungi prohibentia documento ſunt, Deum hanc legem ritus idololatrici tullendi cauſa ſtatuiſſe. Judæi quidem opera plane omnia, junctis animalium diverſorum viribus perficienda, lege ἑτερογενείας interdicta ſentiunt. At meris eorum dictatis nun eſt quod multum tribuamus: nam leges quidem morales in arctum cogere ſolent, eaſque in ſenſum vix ultra verba diſerta patentem interpretari: leges autem ceremoniales, tanquam phylacteria ſua, πλατύνειν ſolent, eaſque per analogiam & rationis (uti videtur) paritatem explicare. Cum autem hujuſmodi leges nativa bonitate deſtitutæ ſint, & originem ſuam mori alicui ſpeciali olim obtinenti plerumque debeant; longe conſultius & æquius videtur, eas κατὰ τὸ ῥητὸν interpretari. Sic legem quæ jam inter manus verſatur exponendam cenſeo, ut nil aliud quam quod vox ipſa præ ſe fert, hic *arandi* vocabulo intelligatur. Nam de iis tantum animalibus hic mentio facta eſt, quibus antiquitus in arandi opere plurimum utebantur; & Deus proculdubio voce ſignificatus latioris uſus fuiſſet, ſi quid aliud præter arandi negotium hic intelligi voluiſſet. Quid autem interdictum eſt ne ad arandum bos & aſinus ſolummodo conjungerentur, niſi quod hujuſmodi conjunctio in agrorum tantum cultura locum haberet, & mira virtute ad uberem meſſem producendam pollere crederetur? Nam referente [b] *Maimonide*, veteres Zabii *maximas & utiliſſimas* ritibus ſuis *ineſſe dicebant virtutes, ad agriculturam;* ut rudis plebecula, eadem fide imbuta, eo facilius ad planetarum & Dæmonum cultum ritibus illis præſtandum alliceretur.

QUARTO: lex hæc media ponitur inter duas leges, Zabiorum moribus oppoſitas, & ea de cauſa datas ut omnis magiæ & idololatriæ ſpecies e rebus exularet. Nam verſu 9. proſpectum eſt ne Iſraelitæ vineas eorum ſemine mixto ſererent; eo quod Zabii cum vineis colendis operam darent, inter vites aut vitium ordines generis diverſi ſemina ſpargerent; ut ritu illo Dii (vinearum præſides) propitii, vineæque magis fructuoſæ redderentur. Et verſu 10. cautum eſt ne veſtes miſtas, e lana & lino contextas gererent; quod hujuſmodi veſte Zabii veteres innoteſcerent, eamque (ni male conjicio) ſub certa ſyderum conjunctione induerent; ſpe freti multa inde commoda gregibus, hortis, & rebus ſuis omnibus inde reditura. Nobis itaque facile perſuadeamus, verſu hoc medio, animalia diverſi generis aratro ſimul alligare vetitum eſſe; quod Zabii ſementem facturi, bove ſimul & aſino arare ſolerent, ut agro ad Dæmonis præſcriptum culto meſſe lætiore fruerentur. Nullam enim veri ſpeciem habet, Deum hoc præſertim in loco, leges heterogeneas commiſcere voluiſſe. Præterea præcepta hæc tria [de ſeminibus, animalibus, & veſtibus, heterogeneis] tanta materiæ affinitate & ſimilitudine conjunguntur, quod ad fidem difficile ſit ea finem & ſcopum diſſimilem habuiſſe.

QUINTO: legis hujuſce ratio jam reddita veritati vicinior exiſtimetur, quod rationes aliæ omnes quæ doctis hactenus arriſere ſoliditate omni deſtitutæ videantur. Quæ quidem afferre ſolent, veritatis ſpeciem habent, at ſi propius intueare, nauci non ſunt.

NAM (1°.) Nonnulli hanc legis illius cauſam eſſe volunt, quod neceſſe ſit ut aſinus utpote bovi robore inferior, nimis ſatigetur, ſi idem cum bove jugum ſubire cogatur. Hanc rationem ſic explicat & confirmat [c] Philo: *lex rationem habet juſtitiæ, adeo ut ne arationem quidem fieri permittat jumentis imparibus robore, vetans ſub idem jugum agi juvencum & aſinum,* ἵνα μὴ πιεσθῇ δυνάμει τῷ ἐξισωθέντι μᾶλλον τὸ ἀσθενέστερον ἀπολ-

a *Lex nulla ſtatuta ſancivit, niſi de iis quæ communiter & ordinarie ſolent fieri.* Maim. Mor. Neb. P. 3. Cap. 37.
b *Mor. Neb.* ub. ſupr.
c De *Creat. Princip.* pag. 731. B

λῦται

CAP. XXXI.

λάθῃ βιασθὲν, ἀπείπῃ καὶ προκάμῃ· *Ne forte dum contendit cum robuſtiore infirmior, laſſus ſuccumbat operi, & in labore deficiat.* Senſum eundem verbis diverſis exprimit *Aben-Ezra:* השם חמל על כל מעשיו כי אין כח החמור ככח השור *Deus omnium quæ condidit miſeretur, non enim idem eſt robur aſini ac bovis.* At ratio illa rem ſerio cogitanti non facile ſatisfacier: vix enim credibile eſt, ullos niſi mente excefferant, animalia roboris imparis eidem jugo ſubdere voluiſſe; cum apertum ſit omnibus animalia ἑτερόζυγα (uti vocant LXX) arandi opus impedire potius quam promnvere voluiſſe. Animalia pari robore donara conjungere adeo docet rario, quod Ulyſſes equum & aſinum aratro junxit, tantum ur inſanus eſſe crederetur. Neutiquam iraque probabile eſt Deum legem illam ſcriptam dediſſe, rantum ne roboris inæqualis animalia jungerentur, (hoe enim lex nara vetuit) ſed tantum ur rirum magicum abolerer.

(2°.) Siai nerſuadent alii, Hebræorum præcipue doctores, hanc legem datam fuiſſe, *ne forte* יבאו להרכעה *coirent diverſa animalium genera, & opus creationis labefactareut, quo Deus beſtias terræ,* [a] למינה *juxta ſpecies ſuas, feciſſe dicitur.* Horum rationem probat [b] *Grotius* dicens, *lex hac occaſiones tollit, ne quid fiat contra legem quæ eſt* Lev. 19. 19. *de non commiſcendis* nimirum *diverſi generis animalibus.* At nec ratio illa priorem ſoliditate ſuperat: conſtat enim pauca admodum animalia, oneri vel aratro apta, cum genere diverſo coire ſolita; & raro vel nunquam auditum arbitror, camelum cum equa, equum cum bove fœmina, vel bovem cum aſina miſcuiſſe. Deinde: rationi huic inrerpretum ſenatus adverſari videtur, dum voces שור & חמור *bovem* & *aſinum* denotanres per vocabula generis tantum maſculini reddunt. Præterea: [c] LXX vocem שור per μόσχῳ *vitulum* transferunt, quem ætas ſua tenerior ad Venerem minus aptum reddit.

(3°.) Alii Deum hanc legem tuliſſe ſentiunt, quod aſinum ad arandi opus minus habilem & idoneum natura finxerir. Hæc rario [d] *Simeoni* de *Muis* apprime placuir: *arbitror*, inquit ille, *vetuiſſe Deum bovem ſimul cum aſino ſub jugum mitti, quod aſinus oneribus ferendis aptior ſit quam -- aratro: eſt enim animal contumax & parum tractabile. Mihi hoc omnium placet maxime, ſimplicius enim videtur magiſque in promptu.* At nec ratio illa rigidum examen patietur: cum aſini olim tam frequenter ad juga vocarentur, quod in Græcis interpretibus ὄνος & ὑποζύγιον ſynonyma ſint, & multis in locis indifferenter uſurpata. Sed ſi aſinus animal contumax eſſet, & *bovi aratori* minus apte jungeretur, Judæorum agricolæ proculdubio, nullo licet oraculo moniti, ab illius uſu abſtinerent. Nemo unus niſi ſibi & rebus ſuis male volens, animali aliquo, natura prorſus invita & averſa, ad arandum ureretur: nec opus erat ur Deus legem ferret, quam nemo niſi ioſana Zabiorum ſuperſtitione correptus unquam violare voluit.

(4°.) Alii cauſam myſticam hujus præcepti proferunt: nam *Baal Hatturim*, myſterium hac prohibitione involutum explicans, ait, רמז שלא ישתתף צדיק עם רשע *Innuitur nihil juſto cum improbo debere eſſe commercii.* Atque hæc ſententia talo firmiore ſtare creditur, quod verbis [e] *Apoſtoli*, μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις ad verba legis alluſum videatur. *In quam ſententiam*, inquit [f] Bochartus, *inclino libentius, eo quod* כלאים *id eſt, animalia diverſi generis,* ἑτερόζυγα *nominent Græci interpretes, quorum ſunt iſta:* Lev. 19. 19. Οὐ κατοχεύσεις τὰ κτήνη σου ἑτεροζύγῳ· At neque hanc rationem magis cum veritate conjunctam arbitror: cum enim Deus connubia & fœdera omnia cum Gentibus vicinis inira alibi ſæpe & aperte vetuiſſet; quid legem illam hic etiam repetitam daret eamque verbis ſymbolicis & obſcuris traderet? E verbis Apoſtoli perperam colligitur, Deum hanc legem tuliſſe ad conjugium & commercium cum erhnicis ænigmatice prohibendum: cum alluſiones e quavis materia peti poſſint, & ad illuſtrandum potius quam confirmandum argumentum adduci ſoleant. Faceſſat itaque & illa quorundam auctorum hariolatio.

Ritum initiis ethnicis ortum hac in lege vetitum eſſe, me probaſſe cenſeo: nec quicquam jam supereſt niſi ur ea quæ dicta ſunt, contra quadruplicem objectionem muniantur. Objecta diluuntur.

Prima hujuſmodi eſt: ſat conſtat veteres Hebræorum magiſtros, ad unum omnes, ſeorſum a nobis ſentire, & de ritu aliquo magico hic vetito, in ſcriptis eorum omnibus ne verbum facere. Judæorum autem magiſtri, (qui in Moſis legibus &

a *Gen.* 1. 25. b *Comment.* in *Deut.* 22. 10. c Οὐκ ἀροτριάσεις ἐν μόσχῳ καὶ ὄνῳ· LXX in *Deut.* 22. 10. d *Var. Sacr. col.* 2937. e 2 *Cor.* 6. 14. f De *Animal. Sac. P.* 1. *L.* 2. *col.* 187. 20.

CAP. XXXI.

earum cauſis perſcrutandis ætatem terere ſolent) cumprimis audiendi, nec ab eorum ſententia & auctoritate, cum de legum earum ſenſu agitur, facile recedendum.

Respondeo: magiſtros illos de factorum ſuorum ritu diſſerentes, ſecuri plerumque & ſine ſcrupulo graviore audiamus. Eorum autem verbis, ubi de legum ſuarum ratione loquuntur, fides lente admodum & non niſi cauto examine præmiſſo tribuenda eſt. Multis enim exemplis alibi probatum dedi, *Joſephum*, *Philonem*, *Talmudicos*, alioſque *Maimonide* ſeniores, in hoc argumento [legum Judaicarum ratione] talpa cæciores fuiſſe, & rationibus ſpecioſis magis quam ſolidis acquieviſſe. Nec mirum: cum Hebræorum magiſtri (ſi paucos admodum excipias) humanioris literaturæ prorſus ignari fuerint, & rerum ethnicarum ignorantiam devotionis matrem exiſtimaverint. Neceſſe fuit ut a ratione legum earum frequenter aberrarent, quibus Gentilium ritus (ignoti Judæis) occaſionem præbuerunt.

Secundo: dici poteſt, inde ſententiam meam in falſitatis ſuſpicionem venire, quod hujuſmodi bovis & aſini conjunctio inter ritus profanos a *Maimonide* recenſitos minime reperiatur; nec ullius hiſtorici teſtimonio probari poſſit, idololatras antiquos hunc ritum in uſu habuiſſe.

Causæ noſtræ non multum officit objectio iſta, quod multi proculdubio veteris idololatriæ ritus e temporum antiquiorum caligine nondum emerſerint, e quorum cognitione multæ leges Moſaicæ lucis haud parum eſſent accepturæ. Si ab inſtituto ſermone diſcedere liceret, leges aliquot enumerarem, quibus aliqui gentium ritus (quorum memoria deleta eſt) originem tribuerunt. Ævi vetuſtas multa veterum monumenta nobis invidit, quæ Chaldæorum & Ægyptiorum ritus memoriæ conſignarant. Nil cauſæ eſt igitur cur ſententiæ meæ veritas in dubium vocetur, quod ritus hujus ne ſugientia veſtigia in temporum antiquiorum hiſtoria deprehendi poſſint. Hic ſatis ſit nobis quod teſtis antiqui defectus tot argumentis veriſimilibus abunde compenſetur. Ubi veritas obſcura eſt, veriſimilia, [modo multa, eaque cognata & facile cohærentia] non ſatis conſulto contemnuntur.

Tertio: nonnemo forſan urgebit, bovis & aſini conjunctionem rem ridiculam eſſe, & ad ſplenem ſolummodo movendum accommodatam, nec ullam ritus tam præpoſteri rationem aſſignari poſſe: quod itaque probabilitatis vel ſpecie careat, Diabolum ſpiritum impurum & aſtutum, hunc ritum inſtituere voluiſſe, nec aſtutiam nec malitiam auctoris ſui referentem.

At neque hæc objectio ſententiæ meæ fidem labefactat: nam ratio, Diaboli ſcopo & ingenio conſentanea, reddi poſſit, cur ritum tam anomalum & riſu dignum inſtituerit. Nam primo: bos animal divinum & ſuperis acceptum, aſinus animal magicum & inferis ſacrum, habebatur: erat itaque conjunctio illa mori Gentilium maxime conſentanea, qui terram colentes, Deos Superos & Inferos invocabant, ut utroſque labori ſuo propitios experirentur. Deinde: Diabolus, non equum & aſinum, ſed bovem & aſinum eodem jugo ſociari voluit, forte quod (ſeculis antiquioribus) ea ſola animalia ἑτερόζυγα eſſent (uti vocant [a] LXX) & juga diverſa ſubire ſolerent. Ei nempe ſolenne erat ea conjungere quæ natura ſimul & uſus ſeparaſſet, ut Deo & homini ſe contrarium oſtenderet; & omnibus apertum eſſet, ritum nec naturæ nec uſui conſonum, Diabolum auctorem habere, & proinde omnes, inſtituto tam abſurdo conformes, ſe Diaboli partibus addictos eſſe, cumque tacite invocare teſtarentur. Nec opinioni noſtræ repugnat, quod adverſarius objicit, nullam nempe malitiæ vel impuritatis diabolicæ notam aut veſtigium in hujuſmodi conjunctione licet inæquali deprehendi poſſe. Nam ſubdole curatum eſt, ne ritus ille plane pravus aut impurus eſſet, ne forte ſuſpicionis aliquid hominibus ingenii non mali ſubortum, eos a ritus illius uſu prorſus averteret & deterreret. Jam reſtat ut ab ictu teli acutioris nobis caveamus: nam,

Quarto: nonnulli dicent proculdubio, Deum hanc legem dediſſe, non ut idololatriam, ſed animalium generis diverſi coitum & confuſionem impediret. Hoc ex eo evincitur, quod loco illo parallelo, *Levit.* 19. 19. (ubi leges iterum occurrunt, mixtionem in ſolo & veſtitu prohibentes) lex ea, *Jumentum tuum non admittes animalibus heterogeneis*, legis de qua ſermo factus eſt hactenus locum occupat. Hoc autem indicio eſt, legem utramque eodem collimaſſe, & Deum heterogeneorum συζυγίαν & coitum, tanquam cauſam & effectum vetuiſſe. Huic opinioni coloris aliquid allinit *Maimonidis* teſtimonium: *nullam aliam ob cauſam*, inquit [b] ille, *prohibita videtur diverſorum animalium in quocunque opere conjunctio, quam ut hac ratione impediatur, quo minus ſeſe*

[a] In *Lev.* 19. 19. [b] *Mor. Neb. P.* 3. *cap.* 49.

com-

commiſceant: ut e. gr. quando dicitur, non arabis bove & aſino ſimul: *nam ſi ita conjungerentur, facillime contingere poſſet, ut unum quandoque cum altero commiſceretur.* Ut huic objectioni cumulate ſatisfiat, opus eſt ut ordine legum nonnihil turbato, pedem referam ad *Lev. 19.* ubi lex occurrit, & de illa ſermonem ex profeſſo faciam. CAP. XXXII.

C A P. XXXII.

Lex animalia generis diverſi commiſcere prohibens.

LEX ad cujus explicationem ſtudia jam dirigo, his verbis expreſſa legitur, *Levit. 19. 19.* בהמתך לא תרביע כלאים Græci ſic vertunt, τὰ κτήνη σου οὐ κατοχεύσεις ἑτεροζύγῳ i. e. *Pecora tua non dabis in admiſſuram animali alterius jugi.* De hac autem lege docti non unum idemque ſentiunt, aliis eam prorſus eandem cum lege Capite ſuperiori explicata; aliis eam plane diverſam, eique nulla cognatione conjunctam aſſerentibus. Ipſe veritatem in medio ſitam, & leges eas omnino ſororias arbitror; & inde factum eſſe, quod,

——Facies non una duabus,
Nec diverſa tamen, qualem decet eſſe ſororum.

Ut animi mei ſenſus & legis hujus intentio clarius innoteſcant, (1°.) In verborum ſenſum diligentius inquirendum eſt. (2°.) Legis ratio perveſtiganda. (3°.) Solvenda ſunt argumenta ſententiæ jam aſſerendæ repugnantia.

NE circa ſenſum legis ancipites hæreamus, inquirendum eſt primo, quod voce בהמתך ſit intelligendum. *Joſephus*, *Philo*, *Maimonides*, *Talmudici*, & plerique alii, vocem hanc ſenſu latiſſimo ſumendam ſentiunt, ita ut hic cautum ſit ne ullæ diverſæ animalium ſpecies concubitu miſceantur. Eorum teſtimonia congeſſit *Cl.*[a] *Bochartus*, cujus doctæ paginæ volenti patent. Neceſſe eſt autem, ut ii qui hoc interdictum tam late patere volunt, ſcrupulos haud paucos religioſis injiciant; cum animalia quædam in duarum ſpecierum quaſi confinio vivant, nec facile dicas huic an illi familiæ accenſeri debeant. Hinc & Hebræorum magiſtri, circa animalium quorundam concubitum, in ſententias ancipites diſtrahuntur. Deinde: modo lex hæc nullum omnino volucrium aut beſtiarum heterogenearum concubitum pateretur; Judæis incubuiſſe videtur, animalia quædam libidini vagæ indulgere ſolita, vigili oculo cuſtodire, ut ea intra ſpeciei ſuæ ſeptum continerent. Et apud Hebræos, paſtores conditionibus iniquis officio ſuo fungebantur, ſi quid veri habeant[b] *Philonis* illa; τράγον οὐδεὶς ἐάσει ποιμὴν Ἰουδαῖος ἐπιβαίνειν ὀϊάδι, οὐδὲ κριὸν χιμαίρᾳ, οὐδὲ βοῦν ἵππῳ· εἰ δὲ μή, τίσει δίκας. *Hircum nullus paſtor Judæus ſinet in ovem ſcandere, neque arietem in capram, neque bovem in equam. Aut ſi fecerit, dabit pœnas.* Hic itaque Judæos deſerendos, & legem hanc de animalibus tantum domeſticis, iiſque jugum ſubire ſolitis, intelligendum arbitror. Nam LXX (qui verſionem ſuam adornarunt, priuſquam ſuperſtitio Phariſaica inter Judæos invaluerat) ſic legem transferunt: τὰ κτήνη σου οὐ κατοχεύσεις ἑτεροζύγῳ· Ex his autem colligere promptum eſt, interpretes illos exiſtimaſſe, non omnium animalium heterogeneorum, ſed tantum arationi & jugo inſervientium, miſturam hac in lege prohiberi: alias enim cauſam ipſe vel comminiſci nequeo, cur vocem כלאים (quam verſu ſequente διάφορον reddunt) hic per ἑτερόζυγον interpretentur. Verſionem Græcam non parum confirmat ſenſus genuinus vocis בהמתך quam *jumentum tuum* reddimus. Nam vox בהמה cum ך annexum habet, ſemper animal mite & domeſticum, [homini ad vehendum, edendum, aut trahendum datum] nunquam autem ferum vel ſylveſtre denotat. Sufficiat locum unum in medium proferre, quo vox ea ad animalia manſueta & domeſtica, quatenus a feris & ſylveſtribus diſtincta, ſignificandum uſurpatur: nempe *Levit. 25. 7.* Cum enim ibi præcepiſſet Deus ut meſſem integram, anno quovis ſeptimo ſponte naſcentem, intactam relinquerent; *erit*, inquit, *advenæ & peregrino*, ולבהמתך ולחיה *& animali tuo, & beſtiæ quæ* eſt *in terra tua:* h. e. Bobus aſiniſque,[c] feris etiam quæ paſſim in agris degunt nullius poteſtati ſubditæ. His accedat quod vox hæc בהמתך per *bovem* & *aſinum*, animalia mitia, in parallelo[d] illo *Deuteronomii* loco, explicari videatur.

In legis ſenſum inquiritur.

a De *Animal. Sacr. P. 1. Lib. 2. cap. 22.* b *Lib. 2.* de *legib. ſpecial. p. 784. A* c Τοῖς κτήνεσί σου, καὶ τοῖς θηρίοις τοῖς ἐν τῇ γῇ σου LXX. d *Cap. 22. 10.*

CAP. XXXII.

Voces Hebreæ, לא תרביע proximo explicandæ, ſi proprie & ſtricte reddamus, hunc tantum ſenſum fundunt, *non facies concumbere:* ut lege hac heterogeneorum miſtura, hominum potius vitio & ingenio, quam brutorum appetitu vel paſtorum incuria facta prohiberi videatur. Atque hic ſenſus non minus animalium naturis quam legis verbis, convenit: [a] *certum eſt enim, non appetere facile individuum unius ſpeciei coire cum individuo alterius ſpeciei, niſi manibus illi fuerit ſuperpoſitum; ſicuti videmus leviſſimos illos homines facere, qui generationem mulorum adjuvant & promovent.* Cum his paria faciunt *D.* [b] *Thomæ* verba: *animalia diverſarum ſpecierum non commiſcentur de facili ad invicem, niſi hoc per homines procuretur.*

Ratio legis inveſtigatur.

Explicato verborum ſenſu, & ordine propoſito ita poſtulante, proximo legis hujus occaſionem & cauſam e tenebris in apricum proferam. Quantum itaque inter medias antiquitatis tam remotæ tenebras percipere darum eſt, idololatræ veteres, agris eorum colendis occupati, bovis & aſini non minus corpora quam labores miſcere ſtudebant; ſerio perſoaſi ſe laboris ſui fructus uberes percepturos, ſi animalia illa ad miſturam a naturis ſuis alienam adeo, arte aliqua perducerentur. Ne itaque ritus illius, a nominis Judaici pietate & gravitate quam maxime abhorrentis, anſa vel ſpecies extaret aliqua, lege una cautum eſt, ne diverſi generis animalia ad congreſſum, altera ne ad aratrum ſimul admitterentur. Ne quis hæc a me pro arbitrio ficta ceoſeat, ea ſubjungam argumenta quæ animum meum ad hanc ſententiam perduxerunt.

Primo: lex hæc ejuſdem commatis ambitu continetur, quo duæ leges aliæ, quæ proculdubio ad Zabiorum mores & ritus eliminandos tradebantur. Sic enim ſe habet integrum comma: [c] *Jumentum tuum non facies coire cum altera ſpecie: agrum tuum non ſeres mixto ſemine; & veſtis diverſis ſpeciebus contexta non aſcendet ſuper te.* Deum leges haſce poſtremas Gentiliſmi ritibus oppoſuiſſe, reſtimoniis & aliis argumentis illuſtribus alibi demonſtraſſe videar: nec facile dubitari poteſt, quin illi legi conjunctio ſumma ſit cum legibus hiſce duabus, & quod mori alicui profano tunc obtinenti non minus adverſetur. Niſi enim Deus & hanc legem ad morem aliquem idololatricum oppugnandum tradidiſſet, leges nulla naturæ vel ſcopi ſimilitudine junctas conſociaſſet, & in ipſa lege heterogeneorum mixturam prohibenre legislator heterogenea miſcuiſſet. Iſraelitis etiam, in legis ſuæ mente ſenſuque perveſtigando deſudantibus, errandi occaſionem dediſſet. Cum enim certo conſtaret, Zabiorum mores legibus ultimis ferendis cauſam præbuiſſe; proclive eſſet opinari legem priorem (duabus hiſce conjunctam, eaſque maxima materiæ ſimilitudine referentem] ſcopum & originem conſimilem habere, & cum reſpectu ad morem aliquem idololatricum interpretandam eſſe.

Secundo: legis hojus, heterogenea commiſceri vetantis, locum occupat lex aſinum & bovem eidem aratro conjungi prohibens, nempe *Deuteron. 22. 10.* ubi leges de כלאים *commixtis* repetitas inveniamus. At vero niſi quis pertinacius obſiſtat, me ſatis probaſſe cenſeo, legem bovem & aſinum ad idem jugum & aratrum vocare prohibentem, ritui alicui profano (cujus memoriam dies longa delevit) adverſari. Ideoque non abhorret a vero Deum & hanc legem, de non admittendis heterogeneis (cujus illa vicem ſupplet) ad ſuperſtitionem potius, quam ſpecierum confuſionem vitandam tradidiſſe.

Tertio: ritus hac lege vetitus, ritibus magicis & idololatricis antiquitus uſitatis, proxima ſimilitudine conjungebatur. Nam auctore diabolo, Zabii veteres cultus & ritus eorum obeuntes, naturæ ordinem turbare & res nullo nexu vel affinitate cohærentes commiſcere ſolebant. Id impenſius egit antiqua ſuperſtitio, ut ſexus, animalia, ſemina, perſonæ, veſtes, fila, ſacra, numina, omnia natura vel uſu ſeparata, confuſe & promiſcue conjungerentur. Hæc omnia facile probari poſſent, ſi ſineret hujus incepti ratio ea multis exequi. En tantum me cogit inſtitutum præſens, ut obſervem, diabolum olim diverſorum animalium conjunctionibus ſe plurimum oblectaſſe. Nam [d] *Guilielmus Pariſienſis,* de commixtionibus animalium naturæ norma minime regulatis agens, *nefanda,* inquit, *opera & maleficia, -- de facibus ex hujuſmodi commixtione procreatis fiebant: -- & hæc opera leguntur in libro qui dicitur* [e] neumich *ſive* nevemich, *& alio nomine vocant* leges Platonis, *qui liber totus eſt de hujuſmodi commixtionibus, &* ideo *vocatur* leges Platonis, *quia contra leges natura eſt.* Cum itaque diabolus olim in ritibus ejus, res omnes, animalia præcipue, nulla naturæ ſimilitudine conjuncta commiſcere ſoleret; mihi non temere perſuadeo, conjunctionem bovis & aſini, lege præſenti vetitam, inter idololatriæ veteris inſtituta numerandam eſſe. Erant enim aoimalia

a *Maim.* Part. 3. cap. 49. b 1a. 2. *Quaſt.* 102. *art.* 6. c *Lev.* 19. 19. d Lib. de legib. cap. 12.
e Corrupte forſan, pro νόμιμα.

illa

illa non tantum heterogenea, ſed (uti vocant *Septuaginta*) ἑτερόζυγα, h. c. natura ſimul CAP.
& uſu, a Deo & hominibus, ab invicem ſeparata. Adeo ut eo forte ſeculo, male ſa- XXXII.
gax Dæmon animalia nulla reperire potuit, quorum commiſtio naturæ ſuæ confuſionis avidæ magis arrideret.

Quarto: ſi varias ritus hic vetiti circumſtantias [materiam, formam, finem, & ſubjectum] oculis intentis contemplemur, in eo characteres inſtituti diabolici facile percipiamus. (1°.) Materiam: erat enim ritus ille, ſi materiam ſpectes, animalium generis diverſi commiſtio, multo forſan opere & ingenio procurata. Ritus itaque tam præpoſterus, impurus, & abſurdus erat, quod nulli, ne per febrim aut ſomnium, in mentem venire potuerit; niſi diabolus confuſionis & impuritatis auctor, eum in animum ejus induxiſſet. (2°.) Formam: hæc in eo ſtabat, ut commiſtio illa non ſola brutorum cupidine, ſed hominum [unius, aut plurium] ope & ingenio procuraretur. Hoc ex ipſa lege dicitur, לא תרביע *non facies coire jumentum tuum cum animali diverſæ ſpeciei.* Inde forſan occaſio data decreto quod [a] Synagngæ theologi ſtatuerunt: *vapulat quiſpiam, non ſolum cum manu ſua intromiſit* כמקחול בשפופרת *ut ſtylum in calamum, ſed ſi duntaxat marem provocavit ad conſcendendum in fæminam, aut voce ſua incitavit, percutitur percuſſione rebellionis*, i. e. fuſtigatione. *Licet tamen in uno ſtabulo claudere duo animalia, & qui videt concumbere, non tenetur ea ſeparare.* Non eſt autem credibile quenquam ritui tam impuro & operoſo laboris aliquid impendere voluiſſe, niſi Dæmonis inſtinctus ab omni mente & modeſtia eum abduxiſſet. (3°.) Finem: nulli enim, niſi mente moti vel oraculo Dæmonis inducti, ritum tam ridiculum uſurpare voluerunt, ſerio perſuaſi ſe fauſtis auſpiciis ſementem facturos, modo ritu illo inter arandum uterentur. Idololatras enim bovem & aſinum ad commiſtionem illam, inter arandum provocare ſolitos, e lege [b] parallela non obſcure colligendum eſt. (4°.) Ipſum etiam ritus hic interdicti ſubjectum clamat, eum ad Diabolum auctorem referendum eſſe. Nam e jam dictis probabile factum eſt, idololatras antiquos bovem tantum & aſinum commiſcere ſtuduiſſe. Quis autem bovem & aſinum ad commiſtionem (qua nihil ab animalium eorum natura & uſu longius abeſt) irrirare voluiſſet, niſi Dæmone motus, qui ob cauſam jam dictam, commiſtionem illam magis impenſe deſideraſſe videatur?

Quinto: Deum hanc legem ſuperſtitionis alicujus impediendæ cauſa dediſſe credibilius habeatur, quod evidenter appareat, eum hic, non omnium animalium heterogeneorum, ſed bovis tantum & aſini, congreſſum prohibere. Mulos enim [beſtias aſino & equa prognatas] apud Hebræos multo in uſu & pretio fuiſſe, ſatis e Scriptura conſtat. Mulos in uſu fuiſſe, [c] frequens eorum mentio ſub Davidis præcipue tempora non obſcure probat. Nec in uſu tantum ſed & pretio erant hæc dubii generis animalia: cum enim Salomon in regem inaugurandus eſſet, David eum *mula regia* inſidentem ad Gihonem deduci juſſit, *1. Reg. 1. 33.* Regis filios ſuper mulos equitaſſe legimus, *2 Sam. 13. 29.* & muli inter donaria a vicinis regibus Salomoni quotannis oblata numerantur, *1 Reg. 10. 25.* Hæc anſam opinandi præbent, antiquos Hebræos hanc legem non de omnibus animalibus diverſi generis intelligendam cenſuiſſe: aliter enim mulorum propagationem impedire voluiſſent, nec eos magnatum ſella dignos habuiſſent. Sentiunt equidem nonnulli mulos toties in Scriptura memoratos, aut caſu genitos, aut aliunde advectos, nec Judæos ad eorum procreationem quicquam operæ vel ſtudii contuliſſe; ſed beſtias illas ambigenas, aliorum vitio vel incuria prognatas, ad uſum ſuum licite convertiſſe. Huic autem ſenrentiæ fidem adimere videntur *Philonis* [d] verba, τὰς ὀρεῖς ἔνιοι τῶν ὑποζυγίων ἁπάντων προτιμῶσιν, ἐπειδὰν τὰ σώματ᾽ αὐτῶν πέπηγε καὶ σφόδρα νενεύρωται, &c. *Mulos quidam præferunt jumentis omnibus, quo bene compacta nervoſaque habeant corpora, & in equarum paſcuis ſtabuliſque aſinos prægrandes quos* κήλωνας *vocant, nutriunt ad gignendam iis ſobolem.* Cum itaque muli animalia eſſent tam nervoſi & robuſti corporis, cum etiam (quod addere liceat) ad vehendum aptiores eſſent, quod nec tarditatem aſini haberent, nec impetum & ferociam equi; vix credibile eſt Deum populi ſui commodo adeo obſtare voluiſſe, ut animalis illius procreandi ſtudium lege diſerta prohiberet. Certe Judæi illi de quibus *Philoni* ſermo, quique aſinos prægrandes, mulos procreandi cauſa nutriebant, eorum genituram minime vetitam aut illiciram habuerunt. Hebræorum etiam mores nullum huic npinioni locum relinquunt, quod illi mulis nullis niſi caſu genitis aut aliunde adductis

a *Maim. Tract.* כלאים *c. 91. §. 1, 2.* b *Deut. 22. 10.* c *Vid. Pſal. 32. 9. 1 Par. 12. 40. 2 Sam. 13. 29.* d *Lib. 2. de legib. ſpecial. p. 784. B*

CAP. XXXII.

licite & honeſte uterentur. His adde, quod neutiquam probabile ſit Hebræos tot mulos, ut equorum numerum ſuperaſſe videantur, alere voluiſſe, ſi eorum genituram lege ἑτερογενέας interdictam cenſuiſſent: quin potius ea ſpeciei confuſæ bruta, tanquam legis ſuæ violatæ monimenta & ſcandala publica, e regni finibus expellenda decreviſſent. Cum itaque ſatis ſolide probaſſe videar, non omnium animalium generis diverſi congreſſum hac lege prohiberi; non temere colligo, bovis tantum & aſinæ commiſtionem hic interdictam, eamque Zabiiſmi veteris inſtitutis annumerandam eſſe.

Sexto: hinc etiam argumentum ad rationem ſupradictam confirmandam ſumi poſſit, quod hujus interdicti rationes vulgo redditæ, nec ſolidæ, nec legis divinæ majeſtati congruæ videantur. Nam (1°.) *Diverſi generis jumentorum coitus*, inquit [a] Joſephus, ***minime ſunt admittendi***, δέος γὰρ ἐκ τούτου μὴ διαβῇ καὶ μέχρι τῶν ἀνθρώπων ἡ περὶ τὸ ὁμόφυλον ἀτιμία· *Verendum enim ne hoc exemplo & ad homines contemptus ſui generis perveniat: ut ſolent a minimis principiis res in pejus proficere.* Joſephi ſententiam probat [b] *Theodoritus:* [a] ἀπαγορεύει τοίνυν τῶν ἑτερογενῶν τὴν ὀχείαν οἷον ἵππου καὶ ὄνου· ἵνα μὴ διαβῇ ἀπὸ τῶν ἀλόγων εἰς τοὺς λογικοὺς ἡ παράνομος μίξις· *Heterogeneorum coitum prohibet, puta equi & aſinæ, ne a brutis animalibus ad ratione prædita tranſeat commixtio illegitima.* At ratio illa ad ſtateram vocata levitatem prodit: nam Deus non tantum lege diſerta ſed & pœna capitali indicta, [c] Judæos a commixtione cum brutis coercuerat; nec opus erat ut legem novam, præſertim obſcuriorem daret, ne ad mores fœdiſſimos ipſa humanitate reclamante degenerarent. (2°.) Alii heterogeneorum commixtionem prohiberi volunt, quod naturæ legibus repugnaret. Hæc ratio *Philoni* placuit: *diverſorum generum*, ait [d] ille, *nulla eſt conſociatio, quæ ſi quis miſcet*, ἄδικος, νόμον φύσεως ἀναιρῶν, *injuſtus* eſt, *naturæ legem*, quantum in ſe eſt, *e medio tollens.* At & illa ratio veri ſpecie fallit: nam generum diverſorum commixtio, mori quidem, non autem legi naturæ adverſatur: nullas enim ſpecies deſtruit, nec vim aliquam animalium quorundam naturis repugnantem infert. (3°.) Nonnulli hanc legem datam arbitrantur, ne rerum ſpecies confunderentur, ſed omnia primæ Creatoris ordinationi reſponderent. At rationis illius vanitatem ſatis evincit omnium temporum experientia: conſtat enim ſpecies animalium primitus inſtitutas minime deficere, ſed manere diſcretas, apud gentes illas quibus Deus hanc legem de non admittendis animalibus diſparibus nunquam dedit. Nam animalia pleraque ad primum Creationis ordinem conſervandum, naturæ quodam inſtinctu feruntur; ideoque raro admodum extra ſpeciei ſuæ limites ſibi ſocium quærere, vel Venerem diſparem exercere ſolent.

Ad objecta reſpondetur. Ut veritas paulo clarius eluceat, & ad partes noſtras inclinet pendens forſan adhuc lectoris animus, proximo (quod ordo praſcriptus exigit) objectionibus hiſce tribus occurrendum eſt.

Obj. 1ª. Primo: dici poteſt, inde conſtare ſententiam meam a vero remotiorem, quod hæc animalia [bos & aſinus] utpote nulla naturæ ſimilitudine ſibi invicem conciliata, a coitu abhorreant; nec fando auditum ſit, bovem aſinam, aut aſinum bovem fœminam iniiſſe: ideoque ratio ferre non poteſt, ut commiſtio bovis & aſinæ ſuperſtitionis evitandæ gratia hic interdicta cenſeatur.

Sol. At hic nodus haud multum ſtringit: quamvis enim boves aſinarum congreſſum plerunque fugiant, eos tamen a coitu prorſus abhorrere, nemo paulo conſultior aſſeret; cum a *Philone* memoriæ proditum ſit, Judæorum paſtores pœnas dediſſe, [e] ſi βοῦν ἵππῳ ἐπιβαίνειν, *bovem in equam ſcandere* permiſiſſent. Mihi itaque facile perſuadeo, bovem (regionibus præcipue calidioribus) naturam a miſtura cum aſina non prorſus averſam habuiſſe. Sed ut promam ingenue quod cenſeo, veriſimile eſt animalia illa, utpote nulla naturæ affinitate juncta, raro miſcere voluiſſe, niſi agricolæ, vi vel arte aliqua uſi, eos averſos licet & invitos, ad coitum adduxiſſent. Quantum enim Diaboli μεθοδείας intelligere licet, ille boves & aſinos jugo ſimul & coitu conjungi voluit, quod utraque conjunctio ab eorum animalium natura & uſu eſſet maxime averſa & aliena. Tunc enim conſtare poſſet, horum animalium conjunctionem & commiſtionem Diaboli auctori tribuendam eſſe, ſi vim quandam eorum naturis offerre, & aliquid abſurdi, quod homini non facile in mentem veniret, continere videretur.

Ob. 2ª. Secundo: nonnullis forſan hæc a ratione & veritate aliena videbuntur, quod

a *Antiq. Jud.* L. 4. c. 8. p. 165. b *Quæſt.* 27. in *Levit.* c *Lev.* 18. 23. & c. 20. 15, 16. *Deut.* 27. 21. d *Lib.* de *Creat. Princ.* p. 731. A e Loc. jam. laud.

lex

lex hæc de non admittendo jumentorum generis diverſi coitu, parallela dicatur legi illi [a] *Deuteronomii*, qua Judæi bovem cum aſino ſubjugare prohibentur. Certum enim eſt animalia illa [bovem & aſinum] minime coire potuiſſe, cum utraque generis maſculini fuerint. Nam animalia quæ hac in lege Græci vocant ἑτερόζυγα cognato *Deuteronomii* loco שור & חמור appellantur: at Hebræorum ſcholæ tyronibus innoteſcit, voces illas maſculinas eſſe, adeoque generis tantum illius animalia denotare poſſe. CAP. XXXII.

Sol. HAC difficultate, duplici reſponſo nos expediamus: (1°.) Jam dicta non probant leges eas plane diverſas eſſe, nec ulla cognatione cohærere. Non eſt enim veritati conſentaneum, vocem שור maſculinam ſemper eſſe, & bovem maſculum perpetuo denotare: nam pro *vacca* ponitur *Exod. 34. 19.* ubi Deus *quicquid aperit vulvam τῦ* שור *bovis fœminæ* ſibi ſeparat; & *Levit. 22. 28.* ubi שור ſimul cum fœtu ſuo mactare prohibet. Sic vocem hic ſumi debere, probabilius habeatur, quod Deus [miſſis, פר: אביר aliiſque vocabulis bovem tantum maſculum notantibus] hac voce שור cujuſvis ætatis & ſexus bovem indicante, uſus fuerit. Nec minus a vero abit quod de חמור dicitur: nam vocem illam, fœminam æque ac marem aſinum, notare, nos docent illa Legis [b] verba; *omne adaperiens matricem* חמור ubi *Targum* habet דחמרא *aſinæ*. Sed utcunque ſe habeant iſta, vel pueris notum eſt, generis maſculini vocabula ad ſexum utrumque notandum frequenter uſurpari. (2°.) Hoc etiam reſponſo (quod ego probabilius exiſtimo) præſens objectio diluatur: leges illæ duæ, nec prorſus eædem fuere, cum ritus diverſos, nec diverſæ tamen, cum ritus affines & eodem tendentes prohiberent. Ne quid huic reſponſo lucis aut fidei deſit, legis hujus & illius occaſionem paulo explicatius enunciandam cenſeo. Moſis ætate Diabolus id noctis hominum animis offudiſſet, quod eorum nonnulli crederent ſe meſſem uberem habituros, ſi bovem & aſinum eidem aratro jungerent, & id enixius agerent ut inter arandum ad coitum perducerentur. Cum autem ritus ille multis nominibus execrandus eſſet, & quandoque non omnino, vel non niſi multo cum negotio peragendus; nonnulli moderate delirantes, bovem & aſinum arationis opere ſolummodo conſociabant, hunc ritum [ni fallor] ad meſſem lætiorem producendam valere ſomniantes. Cum autem homines utroque ritu in honorem Dæmonis uterentur, Deus utrumque vetuit; primo vero commiſtionem animalium eorum, quod ritus maxime deteſtabilis eſſet & aperte diabolicus; poſtea vero bovis & aſini ſυζυγίαν, quod a priori non longe abeſſet, ad eum recta duceret, & in eo plerumque perficeretur. Hinc ad veram cauſam perveniri poſſe cenſeo, cur lex ea, *non arabis cum bove & aſino*, cum legibus rerum naturæ diverſæ commiſtionem prohibentibus conjuncta [c] veniat; cur in locum legis illius, *non facies jumentum tuum coire cum animali alterius ſpeciei*, [d] ſurrogetur; cur etiam LXX legem quam præ manibus habemus ita verterint, τὰ κτήνη σου οὐ κατοχεύσεις ἑτεροζύγῳ.

Obj. 3ª. TERTIO: nonnemo forſan & hoc argumento contra ſententiam meam pugnaturus eſt: Jumentorum generis diverſi commiſtio, vi & arte procurata ritus erat indecorus, impurus, & confuſus adeo, quod non ſola ſuperſtitione laboraſſe vel peccaſſe facile cenſeatur. Ipſe itaque legis hujuſce cauſam, nec ſolam nec præcipuam hactenus attigiſſe videar.

Sol. IPSE quidem legis hujuſce cauſam tantum generalem hactenus aſſignavi. Fatendum eſt autem, ſi res ad particularia deducatur, Deum varias ob cauſas hoc edicto curaſſe, ne Judæi diverſi generis animalia data opera commiſcerent: (1°.) Ut cultum Veneris & Priapi tacite ſugillaret, in quorum honorem perditi homines conjunctiones illas impuras procuraſſe videantur. (2°.) Ut Iſraelitæ nihil agerent quod ab honeſto vel decoro diſſideret, aut gentibus impuris, e terra promiſſionis ejiciendis, ſeipſos aſſimilarent. (3°.) Ne Judæi, ritu illo, ſe Dæmonis nomine terram colere, & illius favorem ambire, profiterentur. (4°.) Quod idololatræ, ſi [e] *Pariſienſi* credimus, *iſtas conjunctiones animalium diverſorum generum, in operibus ſuis* facerent *juxta conjunctiones planetarum, & quaſdam alias conſtellationes, credentes ex hoc opera ſua proſperari.* Ideoque, inquit, *voluit Deus removere vanitatem credulitatis ipſius a cordibus eorum, tanquam radicem idololatriæ, ne per eam Creatore relicto ad ſtellarum ſervitia traherentur.*

a Cap. 22. 10. b *Exod. 13. 13.* c *Deut. 22. 9, 10, 11.* d Confer. *Deut. 22. 10.* cum *Lev. 19. 19.* e Lib. ſæpe laud. cap. 12.

CAP. XXXIII. SECT. I.

C A P. XXXIII.

Lex qua veſtis e lana & lino mixta prohibetur.

CUM jam tenebras quas legi de animalibus diſparibus longa dies obduxerat, diſcuſſiſſe videar, par eſt ut ſermo meus alveum priſtinum repetat, & ad legem proximam non minus tenebris involutam ſe tandem conſerat, qua veſtis e filis diſparibus contexta prohibetur. His autem [a] verbis concepta legitur: לא תלבש שעטנז צמר ופשתים יחדו *Non indues veſtem mixtim contextam, e lana & lino ſimul.*

S E C T. I.

Verborum ſenſus inveſtigatur.

UT eo magis aperte & expedite procedat ſermo, par eſt ut in legis ſenſu perquirendo primum nos exerceamus. A legis autem ſenſu exordio ſumpto, inveſtigandum occurrit, quid hic per שעטנז quid per צמר ופשתים quid etiam per לא תלבש intelligendum.

שעטנז Vox eſt in cujus origine ſenſuqoe perquirendo, docti multum ſudoris impenderunt, nec adhuc forſan res ad liquidum explorata eſt. Conſtat e [b] *Mayero*, varias eorum ſententias enumerante, alios vocem eam, Chaldæam, alios Ægyptiam, alios mixtam, alios peregrinam, exiſtimaſſe. Sententias eorum omnes ſuſe perſequi longum eſſet. [c] *Bochartus* aliam vocis hujus originem dedit, quam auctoris ipſius verbis accipiat lector: *videtur eſſe compoſita ex* שעט ſaat, *&* נז nez. *Ad prius alludit Arabum* סוט vel סאט ſaat, *quod* miſcere *eſt*, *proprie res liquidas*, *ſed & alia quavis*, *puta oves*, *greges*, *& ſimilia. Et* נז nez, *Hebrai* textum *reddunt. Itaque eum ſimul miſcentur duo heterogenea*, *potuit id vocari* שעטנז ſaatnez. *In* שעט *&* סוט Aain *&* Vau *permutata ſunt*, *ut in Syro*, טון *pro* טען Hæc ille, literaturæ ſimul & ingenii præcellentis auctor. Ejus autem conjecturam veritate maxime propitia ſactam arbitror: nam ut mittam ſummam hujus etymologiæ concinnitatem, Seniores, obi בלאם שעטנז occurrunt, [d] *ἐκ δύο ὑφασμένον e duabus* ſpeciebus *contextum* habent. Deinde patet e lege non tantum בלאים ſed שעטנז prohibente, vocem hanc aliquid ultra ſignificatum vocabuli בלאים denotare: in veſte vero quid hoc eſſe potuit niſi [e] *mixtura* vel *contextura*? Præterea: cum lex hæc hic & [f] alibi, cum legibus rerum ſpeciei diverſæ commiſtionem & confuſionem inhibentibus conſocietur; e ſociis ejus cognoſcatur, & lanæ linique *miſturam* vel *contexturam* prohibere cenſeatur. Apertum eſt itaque *Grotium* ingenio ſuo nimis indulſiſſe, cum Romanorum ſuperſtitionem circa Flaminicas ſuas, Judæorum legi lanam & linum in veſte prohibenti, reſpondere dixerit. Nam in parallelum *Levitici* locum hæc habet: *ſic Romani credidere*, *ſi Flaminica inventa eſſet*, *tunicam laneam lino habuiſſe conſutam*, *ob eam cauſam piaculum eſſe commiſſum.* Judæo vero vetitum erat, tunicam e lana & lino *contextam*, Flaminicæ tunicam laneam lino *conſutam* gerere; more (niſi me ſallat opinio) ab Ægyptiis hauſto, apud quos lana quid impurum habita eſt, & omnibus miniſterio alicui ſacro operam dantibus interdicta.

CIRCA ſenſum genuinum vocum earum, צמר ופשתים *lana & lini*, litis aliquid inter doctos ortum ſentio. Nonnulli ſcilicet in ea ſunt opinione, quaſi ratione analogica, Deus omnes alias in panno miſturas hac in lege vetuiſſet. Nam [g] Arabs interpres in Suecia manuſcriptus legis verba ſic reddit, *non induetis veſtes mixtas ex lana & lino*, *& his ſimiles.* Huic autem opinioni Talmudici refragantur, in [h] Kelaim, ubi inquiunt, אין אסור בכלאי בגדים אלא צמר ופשתן *Nullum*, *in veſtibus*, *heterogeneum prohibitum eſt*, *præter lanam & linum.* Hac in parte Talmudicis adhærendum cenſeo, quod vox ea generalis, שעטנז quamvis texturam mixtam denotans, hic ad lanæ & lini commiſtionem reſtringi, & per voces eas exponi videatur. In [i] *Levitico* quidem vox tantum שעטנז uſurpatur, hic autem ne errori alicui porta pateat, ei lanam & linum ſubjungit Moſes: nam in *Deuteronomio*, non raro explicate dicitur, quod in *Levitico* involute ſi-

a *Deut.* 22. 11. b *Philolog. ſac. P.* 1. *pag.* 137. 138. c De *Animal. ſac. P.* 1. *col.* 487. d *Lev.* 19. 19. e Nam *Jonathan* vocem per עירבובין exponit. f *Lev.* 19. 19. g Ap. *Bochart.* de *animal. P.* 1. *col.* 487. 10. h *Cap.* 9. 10. §. 1. i *Cap.* 19. 19.

gnificatum

gnificatum eſt. In hac ſententia plerique Judæorum doctores acquieſcunt, niſi quod inhibere ſoleant, ne bombycinum, ſericum, camelorum lana, vel alia generis diverſi fila, cum lino miſceantur; ne quiſquis ea miſcuerit, [a] *propter externam ſpeciem*, Dei legem violaſſe videretur, adeoque ſcandalum infirmis dari poſſet. Quid hac in re prudentia religioſa quandoque ſuadeat, non meum eſt in præſens ſolicite determinare. Id apud me certum eſt & exploratum, nihil hac in lege diſerte prohiberi, præter mixturam lini & lanæ ovillæ; quæ in re veſtiaria uſum [b] præcipuum antiquitus habebant, quibus etiam contextis, idololatræ (quod ſtatim oſtendimus) in eorum ceremoniis utebantur. SECT. II.

Quid ſibi velint illa verba, לא תלבש *non indues*, e collato *Levitici* loco ſæpe memorato non difficulter intelligatur: בגד כלאים שעטנז לא יעלה עליך hoc eſt, *veſtis e duobus diverſis contexta non aſcendet ſuper te.* E quibus intelligere eſt, veſtes proprie ſic dictas, quas *induere* licet, & *quæ ſuper* corpus *aſcendere* ſolent, hac in lege prohiberi; non autem pulvinaria, ſtragula, lectos, tapetes, & id genus alia tegumenta, luxui forte neceſſitati ſervientia. Nihil in verbis jam ſupereſt de quo lector quæſtionis aliquid magis quam habere poteſt.

S E C T. II.

Aliorum rationes examinantur.

LUCE paulo majore verbis allata, proximo legis hujuſce cauſas ab aliis aſſignatas in trutina rationis examinabo, ut ratio vera ſtatim reddenda fidem faciliorem inveniat, & ad ejus confirmationem pateat aditus nullis obſtaculis obſtructus aut impeditus.

Inter eas autem prima *Philonis* * eſt, qui Deum hanc legem, de non texenda una tela e materia duplici (lana linoque) tuliſſe dicit, *eo quod* ἐπὶ τούτων οὐ μόνον ἡ διαφορότης ἀκοινώνητον, ἀλλὰ καὶ ἡ ἐπικράτεια θατέρου ῥῆξιν ἀπεργαζομένη μᾶλλον ἢ ἕνωσιν, ὅταν δέῃ χρῆσθαι. *Hac non ſolum propter ſpeciei diverſitatem male conveniunt, ſed firmitas alterius rupturam potius efficit quam unionem, cum in uſum recepta ſunt.* Hanc autem rationem ſoliditate deſtitutam probat experientia: norunt enim omnes, quibus rerum uſus aliquis, fila linea laneis commixtis firmitatem addere. Sed ſi fila linea & lanea tam male convenirent, proculdubio Judæi rei familiaris ſtudioſi, nulla licet lege moniti, ab iis commiſcendis abſtinere voluiſſent.

(2ª.) Josephi eſt, qui ſenſum ſuum ſic explicat: [c] *nemo veſte e lana & lino contexta uti debet*, τοῖς γὰρ ἱερεῦσι μόνοις ταύτην ἀποδεδεῖχθαι· *Eſt enim hujuſmodi veſtis ſacerdotum propria.* At nec ratio illa cordato ſatisfaciet: quamvis enim nonnulla Pontificis & ſacerdotum vulgarium indumenta, laneum aliquid admiſtum habuiſſe, fateri cogat non *Joſephi* tantum auctoritas, ſed & Scripturæ veritas; Hebræorum tamen conſenſu firmatum eſt, eos veſtibus hiſce mixtis indutos nunquam in publicum prodiiſſe, eaſque, [d] *niſi miniſterii ſui tempore*, nunquam induiſſe.

(3ª.) Legis hujuſce ratio *Iſidori Peluſiotæ* eſt, qui Deum hac lege Judæos ligaſſe ſentit, [e] πᾶσαν μὲν ποικιλίαν, καὶ βλακείαν, καὶ τὸν καλλωπισμὸν ἐξορίζων, *ut omnem variegandi artem, & mollitiem, nimiumque ornatus ſtudium, ex eorum animis eliminaret, & morum honeſtatem & gravitatem ſanciret.* At ſi Deus ea de cauſa hanc legem ſtatuiſſet, juſſiſſet potius ut non niſi lana & lino contextis uterentur: conſtat enim homines ornatus aut deliciarum ſtudioſos, lanam & linum nunquam commiſcere, ſed id ante alia corare, ut lana & lino molliſſimo puriſſimoque veſtiantur. Deinde, ſi Deus ad ornatus aut luxus ſtudium eliminandum hanc legem tradidiſſet, proculdubio non lanæ tantum & lini, ſed lini & ſerici mixturam vetuiſſet.

(4ª.) Calvini eſt: *exigua res* eſt, [f] ait ille, *filum minus ſubtexere craſſiori: & forte hac induſtria ad uſum communem profuiſſet.* —— *Noluit tamen Deus veteri populo id permittere, ne paulatim ad majorem licentiam delapſi, gentium moribus & inſtitutis ſe addicerent.* Hic autem acumen in *Calvino* deſidero: nam ſi Deus filorum heterogeneorum commiſtionem, apud ethnicos uſu frequentem, ideo vetuiſſet, ne populus Iſraeliticus ad alios ethnicorum mores ſenſim prolaberetur; proculdubio & alias miſturas

a *Kelaim. c. 9. §. 2.* b *Lev. 13. 59. Hoſ. 2. 9. Prov. 31. 13.* * *Lib. de creat. princip. p. 731. C* c *Antiq. Jud. lib. 4. cap. 8. p. 162. 20.* d *Vid. Selden. de Synedr. l. 3. c. 11. p. 139.* e *Epiſt. lib. 3. Ep. 84.* f *Comment. in Deut. 22. 11. p. 176.*

SECT. III.

[aromatum, metallorum, liquorum, & ſimilium] gentium uſu receptas, inhibuiſſet. Deinde: cum lanæ & lini contextura *ad uſum communem profuiſſet*, fidei diſſonum eſt Deum illam prohibere voluiſſe, niſi ob cauſam multo graviorem, & (Moſis ævo) cuivis obviam; id eſt, niſi manifeſtum fuiſſet, morem idololatricum hanc in veſtitu commiſtionem prorſus infamem reddidiſſe.

(5ª.) Simeonis de *Muis*, qui legem hanc, dogmatis alicujus ſacratioris, ſub imaginis involucro, tradendi cauſa datam opinatur. [a] *An putas*, ait ille, cum *Deus veſtem prohibuit ex lana ſimul & lino texere, agrum ſemine diverſo conſerere, arare bove & aſino, nihil aliud ſpectavit quam veſtem aut agrum*? At neque hanc rationem ſcopum legis attingere cenſeo, cum myſteria (ſi quæ ſint) ſub legem earum involucro latitantia, ſeculorum omnium captum hactenus effugerunt. Deus magno molimine nihil egiſſet, ſi tot leges de rebus naturæ diverſæ non commiſcendis, myſterii alicujus nunquam intelligendi cauſa tradidiſſet.

(6ª.) Theodoriti eſt & aliorum, qui nos legibus hiſce myſtice doceri ſentiunt, [b] πράξεις ἐναντίας μηδαμῶς ἐπιτηδεύειν· *Non eſſe dandam operam contrariis actionibus.* Huc inclinat opinio [c] Grotii: *hæc*, inquit, *omnia* de heterogeneis præcepta commendant τὸ ἀκίβδηλον· Ad hæc proxime accedunt [d] *Bocharti* verba: *ſi quis quærat quorſum Deus lanæ cum lino mixtionem Iſraelitis interdixerit, cum res per ſe ſit prorſus* ἀδιάφορος, *pauca habebo quæ reſpondeam: —— Veteribus aſſentior, qui Deum volunt ſuos hoc ritu vocaſſe ad morum ſimplicitatem.* Eandem ſententiam lumine aliquo donavit auctor nuperus, de lege mixturam in veſtitu prohibente loquens: *rationem*, inquit ille, *ob quam ſapientiſſimus legiſlator hanc legem populo ſuo tulerit, operoſe inveſtigare ſuperſedeo. Non tamen vanos puto, eos qui credunt, id factum fuiſſe eadem de cauſa, qua eodem capite*, XIX Levit. *Deus omnem mixturam in agris, in ſatis, in animalibus, prohibuit, ſcil. ut, quemadmodum Deus omnes opiniones monſtroſas & hereſes, omnem hypocriſin, omnemque mixturam veri & falſi, boni & mali, impiorum & piorum, in agro ſuo ſpirituali, id eſt in Eccleſia, ferre non poteſt; ita etiam eum magnopere cupere, ut unuſquiſque omnes vires intendat, ne mens vitia contrahat, & impietatem cum virtutibus copulet. Ne animus ſit duplex, aut deteſtanda hypocriſi tanquam veſte duplicis materiæ tectus, ſed ut omnia ſint ſimplicia ſincera & nuda, ante oculos Dei.* Hanc autem rationem fucatam tantum & fallacem exiſtimo, eamque refutatione vix dignam exiſtimarem, niſi quod magnis nominibus cohoneſtetur. Nullo enim argumento fulta eſt: nec veriſimile eſt Deum verbis dubiis & omni ſimplicitate deſtitutis τὸ ἀκίβδηλον commendare voluiſſe. Si Deus hanc legem ideo dediſſet Iſraelitis; ut eos ſimplicem & minime fucatis moribus gentem eſſe doceret; ſe proculdubio verbis apertis, & ad populi illius hebetioris captum magis accommodatis, exprimere voluiſſet. Quis unquam legem, ad mores tantum formandos populo rudi datam, ænigmatis & ambagibus involutam tradidit? Quis etiam quatuor leges una ſancivit, ut unam eandemque doctrinam myſtice traderet, & involveret potius quam inculcaret? Minus operoſum fuiſſet, uno ſpiritu præcipere, ut rebus omnibus naturæ diverſæ commiſcendis abſtinerent.

(7ª.) Maimonidis eſt, qui lanæ & lini commiſtionem Judæis interdictam aſſerit, quod apud exteras gentes eſſet in uſu frequenti poſita. Magiſtrum illum ea ſententia fuiſſe, verba ejus non obſcure docent: [e] *hæc eſt ratio præcepti*, de non induendo veſtimento ex diverſis generibus confecto, *quod videlicet temporis illius ſacrificuli idololatrarum ita ſolerent incedere.* Hic autem a *Maimonidis* ſententia paululum diſcedendum cenſeo, cum alibi probatum dederim, nihil ex mero contradictionis ſtudio in toto rituum Legalium apparatu præceptum fuiſſe, & Deum Judæos ethnicis diſſimiles & ab iis diverſos, non autem adverſos aut ſtudioſe contrarios eſſe voluiſſe.

S E C T. III.

Vera legis ratio quæ fuerit.

CUM jam legis ſenſus in aperto ſit, & rationes vulgo datæ tam facile vanitatis arguantur; inſtituti mei ratio poſtulat ut cauſam ejus veram & genuinam in lucem proferam. Quantum itaque de re tam obſcura & antiqua judicare liceat, veri-

a *Comment.* in *Pſal.* 119. *verſ.* 129. b In *Lev. Quæſt.* 27. c In *Lev.* 19. 19. d De *Animal. ſac.* P. 1. col. 491. e *Mor. Neb. Part.* 3. c. 37.

ſimile eſt mixtæ veſtis uſum apud Zabios antiquos plurimum invaluiſſe, eos veſtem illam tanquam ordinis & ſuperſtitionis ſuæ notam & documentum uſurpaſſe, magnam ei virtutem ad lanæ & lini incrementum promovendum tribuiſſe, & hujusmodi veſtem cum eorum, nocturnis præcipue, ceremoniis conjunctiſſimam fuiſſe: Deus itaque lanam & linum in veſtitu commiſcere vetuit, quod illius prohibitio magnam utilitatem haberet, ad populum ſuum a Zabiorum ſuperſtitionibus avertendum, ad omnem etiam cultus profani ſpeciem a gente ſancta longe removendam. SECT. III.

Ut huic rationi fidem afferam, probandum eſt, (1°.) Veteres idololatras hujusmodi mixtam veſtem in uſu frequenti habuiſſe. (2°.) Mixtæ veſtis uſum cum eorum ſuperſtitione conjunctiſſimum fuiſſe. (3°.) Deum, ob rationem jam dictam, veſtis illius uſum hac lege prohibuiſſe.

Primo: veteres idololatras hujuſmodi mixtam veſtem, in eorum præcipue ceremoniis, frequentius uſurpaſſe. Hæc autem ſententia non temere rejicienda eſt, quod argumentis non contemnendis probari videatur. Zabios mixtæ veſtis uſui addictiores.

Nam (1°.) *Maimonides*, in Zabiorum ritibus & inſtitutis verſatiſſimus, teſtatum [a] reliquit, eos, *tum plantas*, h. e. linum, *tum animalia*, lanam ſcilicet, *ad veſtimentum unum adhibuiſſe; ac præterea annulum, qui ex metallo aliquo erat, in digitis geſtare ſolitos.* Non longe hinc abeunt quæ [b] Cl. auctor e ſcriptis Arabicis, de Zabiorum gente refert: *ſi die qui* Saturno *attribuitur, hora prima, induti ejus ſigillo (quod juxta figuram atque operam ipſi propriam confectum ſit) ac veſtibus ipſi peculiaribus, ab ipſo, precum formulis illi proprie convenientibus, quid viſum fuerit petierint ex illis quæ ab ipſius effectis & influxu pendeant, exauditum iri ſtatuunt*, &c.

(2°.) Quantum gentium antiquiorum uſus, a nobis tanto temporis intervallo remotos, percipere licet, lana & linum pene ſemper diviſa erant, nec magis eodem in panno, quam hordeum & tritieum eodem in ſolo jungebantur. Nam *Levitic.* 13. 47, 48. ubi de veſtibus lepra infectis agitur, veſtium tantum a lana, lino, vel pelle confectarum, mentio facta eſt. Et *Ezec.* 44. 17. Veſtes laneæ & lineæ ſibi mutuo opponuntur, quaſi nulla veſtis ex utroque commiſta ſeculis illis ſimplicioribus in uſu verſaretur. Hoc eo probabilius, quod [c] *Herodotus* Babyloniorum amictum referens, ἐσθῆτι, inquit, τοιῇδε χρέωνται, κιθῶνι ποδηνεκέϊ λινέῳ· καὶ ἐπὶ τοῦτον ἄλλον εἰρίνεον κιθῶνα ἐπενδύνει, καὶ χλανίδιον λευκὸν περιβαλλόμενος. *Amictu tali utuntur: duabus amiciuntur tunicis, una linea uſque ad pedes demiſſa, cui alteram laneam ſuperinduit: poſtremo candidam pænulam circumjicit.* Quaſi ſeculi antiquioris ſimplicitas ibi minus corrupta maneret, & amictus ſui ſimplicitate ſe proderet. Sed nil opus eſt ut *Herodotum*, aut alios teſtes peregrinos nobis arceſſamus, cum ipſum *Moſem* moris hujuſce teſtem domeſticum habeamus. Cum enim lanæ & lini, æque ac animalium & ſeminum generis diverſi, miſturas una prohibuerit; haud abſurde colligo, miſturas haſce omnes a more ſeculi pariter alienas, & a nullis uſurpatas niſi quos ſuperſtitio a more & ratione averſa corripuiſſet.

(3°.) Hinc etiam eredi poſſit, veſtem e lana & lino factam Zabiorum propriam fuiſſe, eoſque veſtem mixtam geſſiſſe, ut per eam, tanquam ordinis & ſuperſtitionis ſuæ notam & ſymbolum diſcernerentur; quod Deus verbis immediate ſequentibus, formam veſtis peculiarem & a gentium aliarum uſu diſcrepantem Iſraelitis ſuis aſſignaverit; dicens, *funiculos facies tibi ſuper quatuor angulos veſtimenti quo operies te*, quaſi ſic apertius paulo locutus fuiſſet: "homines Diis alienis addicti, non minus veſtem quam "cultum alienum, & ab uſu veteri recedentem excogitarunt: non enim animalium pel-"libus, aut ſimplici lino vel lana, ſed veſte ex utriſque miſta induuntur: ut ipſo corpo-"ris habitu diſcernantur, & ipſa veſtis ſuæ peregrinitate, ſe Diis peregrinis inſervire, pa-"lam profiteantur. Ne itaque quicquam commercii cum idololatris & eorum ritibus "habere videamini, veſtis illius pollutæ in Zabiiſmi ſignum ſeparatæ, uſu vobis inter-"dico: vos autem veſtem *funiculis* diſtinctam geſtare jubeo, ut habitu peculiari vos "gentem peculiarem & ſeparatam indicetis; & inſigni illo vos famulos mihi uni devo-"tos eſſe, teſtimonium non minus apertum exhibeatis. Hunc ſenſum verborum probat *Jonathan*, in cujus [d] paraphraſi leges haſce duas conjunctas & uno quaſi ſpiritu legendas inveniamus: *non induetis veſtimentum intermixtum, lana & lino permixtis ſimul: verum veſtium linearum fila facietis ad quatuor oras veſtium veſtrarum*, &c.

(4°.) Satis e ſupra dictis apparet, ſeminum diverſorum commiſtionem, bovis & aſini conjunctionem, Jumentorum diverſi generis admiſſuram, ritus plane profanos fuiſſe,

a *Mor. Neb.* Ub. ſupr. b *Pocok.* Not. in *ſpecim. Hiſt. Arab. p.* 140. c *Lib.* 1. *cap.* 195. d *Paraphr.* in *Deut.* 22. 11, 12.

SECT. III.

& in Deorum fictitiorum cultum excogitatos. Cum itaque lanæ & lini contextus, cum heterogeneis hiſce commiſtionibus in *Levitico* ſimul & *Deuteronomio* conjungatur, & una prohibeatur; rationi conſentaneum eſt, ut ritus eos omnes ſumma propinquitate conjunctos, & omnes in Deorum falſorum honorem uſitatos fuiſſe cenſeamus.

Mixtam veſtem cum ſuperſtitione veteri conjunctam fuiſſe.

A D ſecundam penſi mei partem me jam accingo, nempe ut oſtendam, mixtæ veſtis uſum cum Zabiorum ſuperſtitione vel idololatria conjunctiſſimum fuiſſe. Hanc autem officii mei partem non infeliciter abſolviſſe videar, ſi mixtæ veſtis uſum, Zabiorum ſuperſtitioni, tanquam *cauſam*, *effectum*, & *ſignum*, conjunctum fuiſſe demonſtravero.

Io itaque primo probandum ſumo, veſtem ſcilicet e diverſis filorum generibus confectam cultus extranei *cauſam* fuiſſe, & ad ejus propagationem non parum contuliſſe. Cum enim Hebræorum animi, veſtium ſimilitudine, gentibus eſſent conciliati; ad conſuetudinem cum iis colendam primo, tandem & mores eorum induendos facile perducerentur. Apud Hebræos vox eadem, מדות *mores* & *veſtes* denotat: & certum eſt, mores & veſtes apud omnes gentes conjunctiſſima fuiſſe, veſtes etiam peregrinas apud Hebræos moribus peregrinis aditum ſemper aperuiſſe. Hinc anſa data Dei per prophetam verbis: *Zephan. 1. 8. Viſitabo ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina.* Quo in loco minime ſentiendum eſt, Deum gentis Judaicæ levitatem tantum & mollitiem reprehendere; quaſi finitimorum veſtes, ob novitatem aut luxum, propriis anteponerent; ſed quod veſtes peregrinæ Deos & ritus alienos inducerent, vel jam inductos indicarent. Ideoque S. Hieronymus *veſte peregrina indutos* de iis interpretatur, *qui pro Dei cultu venerati ſunt idola.* Ab hoc ſenſu proxime abeſt *Jonathan Chaldæus*, ſic textum explicans; *animadvertam in omnes magnates, in eos denique qui perſtrepunt ad cultum idolorum.* Huic interpretationi favet contextus, & illa Seniorum verſio ἐκδικήσω — ἐπὶ πάντας τοὺς ἐνδεδυμένους ἐνδύματα ἀλλότρια: quaſi hujuſmodi veſtimenta Θεῶν, quos vocant, ἀλλοτρίους affinitate proxima jungerentur. Hæc eo propiora veritati cenſeantur, quod Politicorum filii norent, aliquid fatale malique ominis, in habituum receptorum mutatione latere, & novas veſtium formas morum & legum novarum plerumque prodromos. *Helvetii* itaque, morum veterum tenaciſſimi, non ita [a] pridem *ſanciverunt, ut qui avitum veſtimentorum habitum mutarit, peregrinumque aſſumſerit, aut deponeret, a publicis honoribus, muneribus, & magiſtratibus excluderetur, & exſors viveret.* Cum itaque veſtium peregrinitas ad cultum peregrinum & morum corruptelam duceret, Deus, ut incommodis ex hoc fonte emanaturis occurreret, veſtes miſtas, idololatris peculiares, & forte nuper excogitatas, Iſraelitis interdixit.

Secundo: lanæ cum lino in veſte miſtio, non ſine probabili ratione, profani cultus *effectus* habeatur. Cum enim Deorum, & forte ſyderum, quorundam conjunctio magnum in re ruſtica momentum habere crederetur; veriſimile eſt, idololatras antiquos miſturam illam, in ſeminibus, jumentis, & veſtibus, in uſu habuiſſe, ut ſyderum aut deorum conjunctiones amicas & benignas repræſentarent, & eo ritu benignum eorum influxum, in hortos, agros, greges, vineas, omnia, tacite implorarent. Conjectura hæc aliquid fiduciæ ſibi petat e [b] *D. Thoma* verbis: commixtio *animalium diverſæ ſpeciei* vetita eſt, *ad deteſtationem idololatriæ Ægyptiorum qui diverſis commixtionibus utebantur in ſervitium Planetarum, qui ſecundum diverſas conjunctiones habent diverſos effectus, & ſuper diverſas ſpecies rerum.* Et ſtatim poſtea, de legibus diſparia commiſcere prohibentibus verba faciens, *omnes illæ commixtiones*, inquit, *in agricultura ſunt prohibitæ ad literam, in deteſtationem idololatriæ; quia Ægyptii in venerationem ſtellarum diverſas commixtiones faciebant, & in ſeminibus, & in animalibus, & in veſtibus repræſentantes diverſas conjunctiones ſtellarum.* Rem hanc ſic paulo luculentius exprimit [c] Guilielmus Pariſienſis: *idololatræ -- volebant inſinuari, -- per hujuſmodi commixtiones & conjunctiones, agricolas & paſtores ad ſtellarum ſervitium obligatos, quia ſtellarum favore & beneficio putabant, & lanæ copiam in animalibus, & lini in agris, provenire. Propter hoc ergo lanam & linum ſimul in veſtibus conjungebant, ut ipſo habitu hanc ſuperſtitionem profiterentur, & utramque copiam a ſtellis provenire confiterentur. Utrumque autem iſtorum erant ſtellarum ſervitium, videlicet tam profeſſio quam confeſſio antedicta;* eoque magis *quia hujuſmodi, conjunctiones lanæ & lini in veſtimentis faciebant cum obſervatione conjunctionis ſtellarum.* Cum itaque ſic moribus olim comparatum eſſet, Deus haſce miſturas lanæ & lini nul-

a *Philip. Camer. Meditat. Hiſt. Centur. 3. p. 284.* b *Prim. ſecund. qu. 102. art. 6.* c Lib. laud. de *Legib. p. 43.*

lum

lum in gentis ſibi dicatæ moribus locum habere permiſit, quibus idololatræ ſyderum aut Deorum conjunctiones imitari, eorum etiam benignum influxum agnoſcere & implorare videbantur. SECT. III.

TERTIO: veriſimile eſt, antiquiora ſecula veſtem e lana & lino contextam animi Zabiiſmi peſte correpti *ſignum* & argumentum habuiſſe. Cum enim hujuſmodi veſtis olim Zabiorum pene propria eſſet, & in uſum communem inter Hebræos minime reciperetur, cum etiam ad conjunctionum cœleſtium exemplar facta crederetur; fieri non potuit quin animi ad idola vergentis indicium haberetur. Inde factum eſt forſan quod Judæi vulgares in hominem veſte miſta tectum pedibus & unguibus involarent, zelo (ni fallor) a ſeculis antiquioribus propagato, quibus hujuſmodi veſtem, utpote cultu ſyderum & idolorum infamem, odio maximo proſequebantur. Quibus intemperiis agerentur ſi quis hac vetita veſte indutus ſibi obviam fieret, e verbis [a] *Maimonidis* aperte colligamus: *qui viderat* כלאים *veſtem, e lana & lino, ipſa lege vetitam, ſuper proximum ſuum, etiamſi in platea incederet, inſiliebat in eum, ipſamque dilacerabat illico ſuper eum* ואפילו היה רבו שלמדו חכמה *idque etiamſi eſſet magiſter ejus, qui ſapientiam eum doceret.* Ideo vero mixtæ veſtis aſpectus eo zelo Judæos inflammavit, quod animi ſuperſtitioſi ſignificatio minime dubia ſeculis antiquioribus haberetur.

MULTIS & certis argumentis patere jam cenſeo, veſtem e lana & lino contextam, olim Zabiorum uſu peculiari dehoneſtatam, cum eorum etiam dogmatis & moribus intime conjunctam fuiſſe. Eo me jam ducit methodi præſcriptæ filum, ut oſtendam Deum veſtis illius uſum hac in lege vetuiſſe, quod illius nomini Zabiorum conſuetudo maculam nigriorem aſperſiſſet, quod ſeculo illo cultus profani ſpeciem ferret, & illius uſus Zabiorum dogmatis & inſtitutis adblandiri videretur. Opinioni huic animum addixi, quod per probabilis ſit, & majorem probabilitatem hauriat e ſequentibus argumentis. Deum hanc legem tuliſſe ad prævertendam idololatriam.

PRIMO: extra dubium eſt, veſti mixtæ nil mali ineſſe, unde ſuſpicari quis poſſit Deum illius uſum rei ipſius cauſa prohibuiſſe. Conſtat enim (modo rem ſua luce claram illuſtrare liceat) Hebræos veſtes e lana vel lino factas, nunc ſimul nunc ſeorſim, prnut cœli conditio poſtularet, induere ſolitos. *Eripiam lanam meam & linum meum*, inquit [b] Deus, quibus regebant *nuditatem ſuam:* h. e. veſtes e lana aut lino factas. Nec Hebræorum vulgus ſolummodo, ſed & ſacerdotes, nunc lineas, nunc laneas tunicas ſibi induebant. Hoc inde colligo, quod iis laneæ veſtis uſus interdictus ſit, tantum cum [c] templi miniſteriis occupati eſſent. Nec hujusmodi veſtis ſacerdotum plebi ſolummodo, ſed & dignitati pontificiali convenire credebatur: nam in *Chaldaica* [d] *paraphraſi*, oleum ab Aaronis vertice, על אמרא דלבושׁ *ſuper agnum veſtis ejus*, h. e. ſuper oram veſtis pelle agnina ſuffultam, defluxiſſe dicitur. Cum itaque lana & linum res eſſent per ſe bonæ, & in uſum communem receptæ; quid eſt quod Deus (qui nil temere & pro arbitrio ſtatuit) veſtem ex utroque contextam prohiberet, niſi quod hujusmodi veſtis, Zabiorum eſſet, & ab eorum uſu ſuperſtitioſo magnam mali ſpeciem contraxiſſet?

SECUNDO: Deus hanc legem verbis adeo ſpecialibus & ſollicite reſtrictis exprimit, quod vel ipſa hæc ἀκρίβεια fidem faciat, ſpecialem aliquam Zabiorum conſuetudinem, & veſtem Sectæ illi peculiarem, in ea prohiberi. Nam caurum eſt primo, ne שעטנז *contexturam mixtam* induerent: ne vero vox illa generalis errori locum faceret, & Iſraelitæ quamvis in veſte miſturam vetitam exiſtimarent; vox ea reſtringitur ad צמר ופשתים *lanam & linum* tantum: deinde ne quis erraret, voces illæ לא תלבושׁ *non indues*, legis totius ſenſum magis in arctum cogunt. Adeo ut lex ea non vetet lanam & linum conſuere, ſed contexere vel commiſcere; nec lanæ & pili vel ſerici & lanæ, vel lini & goſſipii, ſed lanæ & lini ſolius miſturam inhibeat; nec minus apertum eſt, nnn ſtragula vel tapetes, ſed indumenta e lana ſimul & lino facta, verbis illis interdicta. De Pythagoreis itaque, Judæorum ſimiis, teſtatur [e] Iamblichus, *eorum veſtes candidas & puras fuiſſe*, ὅσα δὲ τὰ στρώματα ἱματιλινὰ *ſtragula vero ex lana & lino conſtitiſſe.* Quid autem ſummus legislator de minutiis illis tam ſollicite curaret, & miſturas in panno tam caute & reſtricte prohiberet, niſi ut ipſum quaſi ulcus tangeret, & lex ea cum Zabiorum dogmatis & moribus adverſa fronte pugnaret? Cum enim illi [f] lanam & linum conjunctæ ſyderum aut idolorum ſuorum benignitati ſe de-

a *Halac. Kelaim. cap.* 10. §. 29. b *Hoſ.* 2. 9. c *Ezec.* 44. 17. d In *Pſal.* 133. 2. e De *Vit. Pythagor. cap.* 21. f *Hoſ.* 2. 5, 9.

SECT. III.

bere crederent, fidem illam non verbis & factis tantum, ſed ipſis eorum veſtibus agnoſcerent, & forte veſtibus hiſce commixtis induti coram ſtellis & idolis comparerent; Iſraeliris hac lege vetitum eſt, veſtes e lana ſimul & lino factas induere, ne Zabiorum fidem profiteri, vel quid commune cum eorum moribus idololatricis habere, viderentur.

TERTIO: hinc etiam opinionis hujus argumentum ſumo, quod indumenta quædam e lana & lino conſtantia, Hebræorum plebi, ſacerdotibus, ipſi etiam Pnntifici, geſtare conceſſum eſſet, ubi nulla Zabiiſmi vel idololatriæ ſuſpicio ſuboriri potuiſſet. Hebræorum plebem quod attinet, aſſertionis meæ veritatem probat eorum * ציצת *fimbria* lanea, veſtimento lineo ſic annexa, ut inde *Schaatnez*, duplicis materiæ veſtis, conficeretur. Sic iraque *Jonathan* legem *fimbrias* illas inſtituentem [a] explicat: *veſtium linearum fila fimbriarum ex lana, erunt vobis permiſſa, ut illa faciatis ad quatuor oras veſtium veſtrarum, quibus amiciemini per diem.* Sacerdotibus indumentum e lana & lino commiſto conſtans geſtare licuiſſe, ſat probat eorum *balteus*, quem Scriptura ſacra ex lino & lana colorata [ex *hyacintho*, *purpura*, *coccino*, *&* *lino retorto*,] confectum [b] docet; adeo ut eum שעטנז fuiſſe, pro comperto habeatur. Summi pontificis etiam indumenta quædam [Cingulum, Ephod, & Pectorale] e lana & lino contexta fuiſte, Scriptura docet, & antiquiores Hebræi mulris in locis clamant. Ex utriſque, nuper teſtimonia ram clara protulit [c] vir eximie doctus, ut nullum ea de re dubitationi locum reliquiſſe cenſeatur. Utcunque diſertum *Joſephi* teſtimonium, quod huc attinet, præterire nequeo. Ille vero de legibus agens heterogeneorum commiſtionem prohibentibus, hanc tanquam a Moſe dictam [d] memorat. Μηδεὶς δὲ ὑμῶν [1] καλῶς τὴν ἐξ ἐρίου καὶ λινοῦ στολὴν φορείτω· τοῖς γὰρ ἱερεῦσι μόνοις ταύτην ἀποδεδεῖχθαι h. e. interprete Gelenio, *nemo veſte e lana & lino contexta utatur. Hæc enim ſolorum ſacerdotum eſt.* Quæ ſane *Joſephi* verba minus arrentis Scripturæ lectoribus admirationem non levem incutiant, cum lex hujusmodi veſtem prohibens non minus ſacerdotem quam populum ligare videatur. *Cl. Bochartus*, ut ſeſe hoc nodo impeditum liberet, *Joſepho* mendacis notam inurere non dubitat. Nam citatis jam dictis *Joſephi* verbis conrinuo [e] ſubjungit, hoc *eſt oppido falſum. Nam quicquid habetur legum*, Levit. 19. *&* Deut. 22, *ubi veſtis heterogeneæ uſus interdicitur, tam ſacerdotes & Levitas reſpicit, quam reliquas Judæorum tribus. Nihil ibi reperias peculiare plebi. Et vero licet ſacerdoti variæ veſtes aſſignentur, byſſinæ, purpureæ, coccineæ, hyacinthinæ; tamen illarum nulla pars ex tali miſtura conſtitit. Quin certi miniſterii tempore [f] lanearum veſtium uſus ſacerdotibus prorſus fuit interdictus.* Hæc ille: at certe non licet hac difficultate, tam facile (ne dicam, abſurde) nos explicare: cum enim *Joſephus* e ſacerdotum domo ortus eſſet, æquum eſt eredere eum probe tenuiſſe veſtes, quibus in templo, quibus etiam in oppido, ſacerdotes utebantur; & eum nihil in re tam levi, tam nota, veritati injurium literis mandare voluiſſe. Si quicquam a ſacerdotum uſu alienum tradidiſſet, quivis ex ima Judæorum plebe eum mendacii arguete potuiſſet. Cum iraque *Joſephus* aſſerit, *ſacerdotibus ſolis conceſſum fuiſſe, veſtem e lana & lino contextam gerere*, manifeſtum eſt, eum de Ephode cum Pectotali, Pontifici proprio; balteo etiam, ſacerdotibus omnibus communi, neceſſario intelligendum eſſe. Verum ne longius de ſpatio curriculoque deflectere videar, hæc omnia ad inſtitutum præſens jam accommodabo. Quæ jam dixi probant, Hebræorum vulgo, כלאים veſtem materiæ duplicis induere licuiſte; nec religionem inhibuiſſe, ne ſacerdotes & Ponriſex maximus, veſtimentis aliquibus e lana & lino confectis in duti, templo miniſtrarent. Ratio in aperto eſt: cum Hebræi vulgares religioni vacantes veſtem quam dixi miſtam gererent, ipſa veſtis forma lege præcepta, idololatriæ vel ſocietatis cum Zabiis initæ ſuſpicionem omnem ab iis amoliri poterat. Cum etiam ſacerdotes templi miniſterio vacarent, & ibi animi Deo vero devoti ſatis aperta præberent argumenta; veſtis miſtæ, licet alias inſamis, uſus iis concedebatur. Illis ipſum [g] ſabbatum violare permiſſum, cum in templo laborarent, & ipſa loci & miniſterii ſui ſanctitas eos a legis contemptæ ſuſpicione liberaret. Iis etiam Dei cultum jam procuranribus indultum erat, veſtem mixtam induere (alias ethniciſmi notam & voluntatis in idololatriam propenſæ documentum) quod ipſa miniſterii ſui ſanctitas omnem criminis tam tetri ſuſpicionem longe removeret. Inde forte ratio petenda, cur [h] ſacerdo-

* *Num.* 15. 38. a *Vid. Jonath. Paraph.* in *Deut.* 22. 12. b *Exod.* 39. 29. c *Joh. Braun.* de *veſtit. ſacerd. Hebr. L.* 1. *c.* 5. d *Antiq. lib.* 4. *c.* 8. *p.* 162. 20. e *De animal. ſac. P.* 1. *col.* 491. f *Ezec.* 44. 17. g *Mat.* 12. 5. h *Vid. Selden.* de *Synedr. L.* 3. *p.* 139. *& Johan. Braun*, ub. ſupr. *L.* 2. *c.* 25. *p* 847.

1 Καλῶς τήν· Ita ſe habent *Edit*; quinque autem *MSS.* & *Vet. Interp.* κλωστήν·

tibus,

tibus, extra miniſterii ſui tempus, *veſtes materia duplicis* gerere minime permitteretur. E jam dictis haud obſcure colligo, Deum hanc legem ad omnem idololatriæ ſpeciem & occaſionem tollendam ſtatuiſſe; quod hac cauſa ceſſante, nec populus nec ſacerdotes ad eam obſervandam ſtricte tenerentur.

Videar jam leges haſce quatuor, heterogenea commiſcere prohibentes, e tenebris in lucem, aut ſaltem crepuſculum protuliſſe: nec quicquam jam ſupereſt, niſi ut, coronidis loco, ea quæ jam dixi omnia in enmpendium redigam. Summa itaque de legibus hiſce doctorum huc redit: Zabii veteres rudem populum perſuaſum tenuerunt, eorum vineas, agros, greges, hortoſque, fœcundos futuros, modo certis ritibus ſydera vel dæmones, vinearum & agrorum præſides, colerent & propitios redderent: hæc autem omnia peſſum itura, eoſque nec potum, nec cibum, nec veſtes habituros, niſi heterogeneorum miſturis, ad eorum præſcriptum factis, eorum præſidium agnoſcerent, eorumque benignum influxum, in vineam & agrum, lanam & linum, hiſce nutibus & ſignis implorarent. Deus itaque miſturas omnes more profano factas, lege lata ſuſtulit; ne locus aliquis Zabiorum dogmatis & inſtitutis ſupereſſet, nec populus ejus, lanam & linum, vinum & oleum, greges & fruges, a [a] Deo recepta, ſyderum aut idolorum conjunctionibus amicis accepta referre videretur.

C A P. XXXIV.

De Lege qua Eunuchi arceantur ab Eccleſia Dei.

LEGUM Moſaicaram ſeries, & præſentis incœpti ſcopus, me jam recta ducunt ad legem illam illuſtrandam qua Eunuchi Dei eccleſia ſunt interdicta. [b] Illius verba ſic ſonant, ſi lex Hebraice loquens audiatur; לא יבא פצוע דכא וכרות שפכה בקהל יהוה quæ *Arias Montanus* ſic ad verbum reddit; *non ingredietur læſus attritione*, nempe teſtium, *& abſciſſione veretri*, *in eccleſiam Domini*. Ut autem huic legi, conjecturis incertis aut allegoriis audacibus adhuc obſcuratæ, lucem afferam, hunc ordinem mihi præſcribendum cenſui;

Primo, genuinum legis hujuſce ſenſum in apertum proferam.

Secundo, legis hujuſce promulgandæ rationem luci reſtituere conabor.

Tertio, objectionibus quæ ſunt alicujus momenti ſatisfaciam.

Cum aut tres illas penſi mei partes perimpleverim, apertum erit & hanc legem gentium inſtitutis adverſari; & ideo ſancitam fuiſſe, ut inhumanos ſacerdotum ethnicorum mores eliminaret.

S E C T. I.

Legis prædictæ ſenſus explicatur.

UT legis hujus explicandæ negotium ἐμμεθόδως exequar, *primo*, varias interpretum opiniones, de legis illius mente ſenſuque traditas, in trutina rationis explorabo: *ſecundo*, ſenſum verborum, quantum ipſe judico, maxime commodum & expeditum, in medium proferam.

Primo: varias eas opiniones de ſenſu legis examinabo, quæ fidem inter interpretes hactenus invenerunt. Ex iis autem, notæ celebrioris ſunt hæ quatuor: Sententiæ de legis ſenſu falſæ.

(1°.) Sentiunt Hebræi (*Jonathan*, *Maimonides*, *R. Salomon*) aliique rerum Hebræarum peritiores, hic *eccleſia* nomine totum populum Iſraeliticum venire; & *ingredi in eccleſiam*, idem valere, ac jure civis, jure commercii, jure connubii cum Iſraelitide, cum Iſraelitis denique commiſceri. Huic opinioni conſequens eſt, ut *non ingredi in eccleſiam* ſenſum plane contrarium ferat; & phraſis illa civium jura Eunuchis abnegare, eoſque virgines Hebræas ducendi facultate privare, cenſeatur. Cum autem Hebræorum fœminæ liberns vehementius exoptarent, non opus erat lege quæ eas a connubio cum Eunuchis cohiberet: nec veriſimile eſt, Eunuchos animum ad matrimonium appellere voluiſſe, quibus partes maſculæ, fractæ, abſciſſæ vel debilitatæ. Præterea: non indignum eſt obſervatu, *Mamzerem* quidem & *Ammonitam*, uſque ad generationem de-

a *Hoſ.* 2. 8, 9. b *Deuter.* 23. 1. c *Deuter.* 23. 1, 2, 3.

SECT. I. cimam ab ingreſſu in eccleſiam * cohiberi: ſed ingreſſus ille ſolis eunuchis, non poſteris eorum, interdictus eſt, quod nempe generationi impares eſſent & inhabiles.

(2°.) PERSUASUM eſt aliis, per *eccleſiam Dei*, magiſtratus, judices, & ſeniores populi, qui nempe *congregationem Iſraelis* repræſentant hic intelligendos. Quaſi dictum eſſet, "nulli quibus adempta virilitas magiſtratum gerent in *Iſraele*, nec locum in "concilio, Synedrio, vel conſeſſu ſeniorum, occupabunt. Nonnullos huic opinioni ſtuduiſſe, pateat e *Munſteri* [a] verbis; *putant* aliqui, ingredi eccleſiam *non ſimpliciter intelligendum, cum quis ſe aliis immiſcet; ſed arceri a dignitate aliqua, aut honeſto officio in eccleſia Domini.* Videntur autem in hanc ſententiam eo propiores, quod magiſtratus virum poſtulet; cum eunuchi plerunque ſint ignavi, & non minus animo quam corpore fracti & effœminati.

SED hæc omnia ne veri ſpeciem præ ſe ferunt: magiſtratus & ſeniores populi, nomine *eccleſiæ Dei* vix unquam in Scriptura cohoneſtantur. Patet etiam e ſacris literis, non tantum [b] *Pharaonem*, [c] *Ahaſuerum*, [d] *Nebuchadnezarem*, & [e] *Candacem*, eunuchos primarios aulæ ſuæ miniſtros habuiſſe; ſed etiam reges Iſraelis [f] eunuchos in palatiis eorum retinuiſſe, (vel a gentibus, aut morbo vel clade tales effectos) iisque primæ notæ præfecturas & officia, etiam militaria, concrediſſe. Ad moris hujuſce veritatem aſſerendam unus ille ſufficiat [g] *Chronicorum* locus, *convocavit David omnes principes Iſrael, — & eos qui præerant ſubſtantiæ & poſſeſſionibus Regis, filioſque ſuos, cum eunuchis, & potentes & robuſtiſſimos quosque in exercitu*, &c. ubi videmus eunuchos, non inter molles & ignavos, ſed inter primarios aulæ & exercitus officiarios recenſeri. Non eſt autem vel ſimile vero, Davidem ſemiviros illos aulæ vel exercitui ſuo præficere voluiſſe, ſi lex Moſaica nullius officii vel magiſtratus exercendi copiam eunucho conceſſiſſet.

(3°.) VOX *eccleſia* (uti quidam opinantur) pro communi Hebræorum cœtu ſumitur, in templum, ſynagogam, aut proſeucham, religionis ergo convenire ſolito. Atque huic opinioni quadrat, ut phraſis illa, *non ingredi in eccleſiam*, templum & ſynagogam poteſtatem eunucho denegare, ſacra publica vel praſtandi vel participandi privilegium tollere, eumque a cœtu fidelium arcere, cenſeatur. At longe abeſt a veriſimili, Deum ſapientem & miſericordem tam ſevere cum hominibus, non ſuo, ſed aliorum plerunque vitio, virilitate ſpoliatis, agere voluiſſe, ut caſum in crimen verteret, & illius gratia miſeros homunciones a ſacris omnibus excluderet, cœtu piorum interdiceret, adeoque (ſi rem rite æſtimemus) a ſpe vel medio ſalutis eos amoveret. Nonnullos equidem e Gentilium grege talem immanitatem in eviratos exercuiſſe, verba *Dioclis* apud [h] *Lucianum* cauſam opinandi præbent; neque principio Bagoæ *fas erat, — cum eunuchus eſſet, philoſophiam & pulcherrima illius præmia ſibi vindicare;* ἀλλὰ τὰς τοιάτες ἐχ ὅπως τύτων ἀποκεκλεῖσθαι ἀξιῶν, ἀλλὰ καὶ ἱερῶν αὐτῶν καὶ περιῤῥαντηρίων, καὶ τῶν κοινῶν ἁπάντων συλλόγων· *Sed & tales non ſolum ab his excludendos cenſuit, ſed & ab ipſis ſacris & aſpergillis, & publicis omnibus conventibus.* Abſit autem ut talis immanitas *patri miſericordiæ* tribuatur: ſed & eam longe abfuiſſe, pateat e [i] Lege, qua ſacerdoti cui facti vel abſciſſi teſtes, acceſſus ad altare & ingreſſus intra velum interdictus eſt; ſacra tamen; imo ſanctiſſima participandi licentia ei concedebatur, nec a ſacerdotum congreſſu vel conſortio prorſus excludebatur.

(4°.) INTRARE *in eccleſiam Domini*, nonnulli nil aliud notare ſentiunt, quam commercium habere cum Iſraelitis, eorum ſocietate familiariter uti; adeoque *non ingredi*, ab eorum contubernio & conſuetudine, tanquam capita profana, ſegregari. Non enim iniquum erat, ut Lex eos ab hominum ſocietate removeret, qui manus temerarias ſibiipſis injeciſſent, & ſeſe quaſi extorres ab utroque ſexu, ſua ipſorum nequitia, reddidiſſent. Hanc opinionem Judæis antiquioribus arriſiſſe, e verbis [k] *Joſephi* non temere colligendum eſt: Γάλλας ἐκτρέπεσθαι, καὶ σύνοδον φεύγειν τὴν μετ' αὐτῶν, ἀφελομένας αὐτὰς τὸ ἄῤῥεν καὶ τὸν τῆς παιδοποιίας καρπὸν &c. *Spadones abominare & averſare, qui virilitate & genitura ſe ipſi privaverunt, quam nobis Deus ad incrementum & multiplicationem addidit. Procul arcendum eſt hoc genus, quod non modo poſteritatem quantum in ſe eſt, ſed multo ante propriam innocentiam & puritatem perdidit.*

AT neque hæc ſententia quid ſani continet: e variis enim Scripturæ locis non difficulter intelligitur, eunuchos in Hebræorum palatiis, caſtris, & populi miniſteriis, aſ-

* *Deut.* 23. 1, 2, 3. a *Comment.* in *Deut.* 23. 1. b *Geneſ.* 40. 2. c *Eſth.* 2. 3. d *Dan.* 1. 3. e *Act.* 8. 27. f *Vid. Schindler.* Lex. voc. סרס & *Dieteric. Antiq. Biblic. pag.* 391, 402. g 1 *Paral.* 28. 1. h *Dialog.* cui tit. ΕΥΝΟΥΧΟΣ pag. 536. B i *Levit.* 21, 20, 22, 23. k *Antiquit. Judaic. Lib.* 4. c. 8. p. 172.

ſiduus

SECT. I.

ſiduos fuiſſe; iiſque gentis totius ſocietate & uſu familiari frui licuiſſe. Queritur itaque apud Prophetam eunuchus, tantum quod [a] *arbor arida* eſſet, & ſpe prolis orbatus viveret; ſolus autem peregrinus, quod *a populo Domini*, eorum nempe commercio & uſu quotidiano ſejungeretur. *Joſephum* quod attinet ei [b] *Talmudiſtas* ex adverſo ſtatuamus: illi nempe legem *de caſtratis* non de conſortio eorum qualicunque fugiendo capiunt; ſed eam de nuptiis eorum cum Iſraelitide intelligendam docent.

Cum ſententias de legis hujus intentione paſſim receptas jam refutaverim, id proximo incumbit, ut ejus ſenſum genuinum in medium feram. Si quid itaque in tanta caligine mihi percipere conceſſum ſit, ſummus legiſlator hanc legem, non toti Judæorum, ſed ſoli ſacerdotum genti dedit: ut ſi quis ex iis virilitatis abſciſſæ vel debilitatæ vitio laboraret, eum ab ingreſſu *in eccleſiam Dei*, h. e. ab introitu in ſanctuarium, ab acceſſu ad altare, & ſocietate ſacerdotum utriſque miniſtrantium, cohiberet. Hæc opinio ex argumentis ſequentibus non parum firmitatis hauriat.

Sententia vera.

(1°.) Manifestius eſt quam ut negari poſſit, hanc legem, cumprimum lata erat, ſolos ſacerdotes devinxiſſe. Moſes enim, corporis vitia recenſens, unde filii Aaronis ad ſacerdotium exercendum inepti reddebantur, hæc [c] habet, inter alia; *vir omnis cui fuerit -- ſcabies vel impetigo, vel qui fuerit contuſus* (aut vulneratus) *teſticulo, ad velum non ingredietur, & ad altare non accedet.* Si autem hæc verba cum lege præſente curate conferantur, nulli dubio locus erit, quin *ingredi ad velum*, in *Levitico*; & *intrare in eccleſiam Dei* in *Deuteronomio*; ſenſum eundem ferant; adeoque lex utraque cum reſpectu ad ſacerdotes ſolummodo ſit interpretanda. Nihil enim cauſæ video, cur lex eadem primo ſacerdotes ſolos, tandem Judæos omnes, tenuiſſe cenſeatur.

(2°.) Ad hanc ſententiam aſtruendam momenti non parum habet locus [d] ille *Threnorum*, quo eccleſia per *ſanctuarium Domini* tanquam phraſin ſynonymam, explicari videatur; *vidit gentes ingreſſas in ſanctuarium ejus de quibus præceperas ne intrarent in eccleſiam tuam.* Ex his autem verbis indubitate colligo, *eccleſiam Dei*, hoc in loco, de ſanctuario ejus (quod ſolis ſacerdotibus ingredi fas erat) intelligendam eſſe; nam ea Prophetæ verba locum [e] illum *Deuteronomii* reſpicere, dubitari nequit.

(3°.) Christiani veteres interpretationem iſtam probaſſe videantur, legem hoc ſenſu captam in mores eorum transferentes. Apud eos enim decretum eſt de eunuchis, non quidem a populi Chriſtiani cœtu, ſed a ſacerdotio, in æternum removendis. Hujus rei fidem ſatis amplam faciunt plurimi illi Conciliorum antiquorum Canones, unde pateat eviratos ſacerdotibus accenſeri minime potuiſſe. Hic mihi otium fecit, qui Canones illos congeſſit, [f] *Fileſacus*, ad cujus ſcripta curioſos amandare liceat. His addo, (quod pluſquam ſimile eſt vero) legis hujus, ſenſu jam dicto captæ, notitiam ad nonnullos e Romanis tandem perveniſſe, & verbis illis [g] *Claudiani* de caſtratis occaſionem tribuiſſe?

Hi nullas meriti vittas, ſemperque profani:

Hoc eſt, "hi nunquam digni viſi ſunt, qui ſacerdotum inſignia vel officia gererent; "ſed tanquam plebs profana, ſemper habiti ſunt, non minus a ſacerdotum quam viro-"rum ordine rejiciendi,

(4°.) Vix credibile eſt, ullos, niſi ſacerdotio dicatos, partes genitales ſibi demere voluiſſe. Sed a vero non abhorret, officio tam ſacro deditos non raro partes eas amputaſſe, ut voto quaſi perpetuo res Venereas abdicarent, Deo & ſacris abſque libidinis remora miniſtrarent, nec a ſacerdotibus ethnicis, plerumque caſtratis, puritate vel caſtitate ſuperari viderentur. At nil cauſæ comminiſci poſſum, cur quis ex ordine laico partes haſce tam ſæpe violaret, ut lege opus eſſet quæ eum ab hac inſania revocaret.

Ea plerunque jam videar illuſtraſſe, quæ (hac in lege) explicationis alicujus lucem deſiderabant.

a *Iſ. 56. 3.* b *Seld. de jur. Nat. & Gent. Lib. 5. c. 16.* c *Levit. 21. 20, 22, 23.* d *Cap. 1. 10.*
e *Deut. 23. 3.* f *Select. Lib. 1. cap. 11.* g *Lib. 1. in Eutrop. v. 330.*

SECT. II.

S E C T. II.

Legis jam explicatæ rationes inveſtigantur.

LEGIS cui jam lucem attuli, variæ rationes excogitari poſſunt: tres autem ex iis veritatis ſpecie præ cæteris commendatæ, lectori forte ſatisfaciant. Ex iis ſit hæc.

Ratio legis 1ª. PRIMA: ſacerdos vir erat altaris & ſanctuarii miniſterio mancipatus, adeoque munere in eccleſia Dei maxime venerabili cohoneſtatus. Erat itaque muneris ſui dignitati congruum, ut corpore virili, ſpecioſo, & nulla macula notabili, gauderet; ne populus (qui κατ' ὄψιν judicat) eum contemptui haberet, & ipſius cauſa ſanctuarii & officii ſui ſanctitas contemptui & pollutioni exponeretur. Huic rationi ſatis præſidii præbet locus ille [a] *Levitici* quem citavi ſupra: *nemo e ſemine Aaronis, cui macula aliqua, -- intrabit intra velum, neque accedet ad altare, ne polluat ſanctuarium meum;* i. e. ne pollutioni vel opinioni minus ſanctæ & honorificæ anſam offerat. Hic loci ſenſus, & proinde legis ratio jam data, inde firmior evadat, quod, capite jam dicto, defectus aliquis in partibus maſculis, iis corporis vitiis annumeretur, quæ homines plerunque ridiculos faciunt, aut eorum dignitatem & gratiam non parum apud plebem minuunt. Sic enim ſe habet lex integre repetita: [b] *homo de* filiis Aarnn *non accedet ad miniſtrandum*, ſi fuerit *cæcus*, *ſi claudus*, *ſi grandi vel torto naſo*, *ſi fracto pede vel manu*, *ſi gibbus*, *ſi manus*, *ſi albuginem habeat in oculo*, *ſi jugem ſcabiem*, *ſi impetiginem* in toto corpore *vel contuſus ſit teſticulo.* Satis innoteſcit, hominum plebem homunciones iſtiuſmodi maculis dehoneſtatos naſo plerunque ſuſpendere, & ad primum eorum aſpectum a cachinnis & dicteriis ægre temperare. Præ aliis autem corporis maculis & dehoneſtamentis, partium earum quibus viri ſumus amiſſio vel debilitatio hominem ſannis exponere ſolebat olim, & in contemptum trahere. Exectorum genus nullius æſtimii fuiſſe apud genres pleraſque veteres, e [c] *Xenophonte* dicitur, ubi air ἄδοξοι ὄντες οἱ εὐνοῦχοι παρὰ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις· Ab eo non multum diverſus abit *Diocles* apud [d] *Lucianum*, aſſerens, *eunuchum* δυσοίωνον θέαμα *ſpectaculum inauſpiciatum & occurſu infauſtum:* & ſtatim poſtea, *eum neque virum eſſe, nec mulierem*, ἀλλά τι σύνθετον, καὶ μικτὸν, καὶ τερατῶδες, ἔξω τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως· *ſed quiddam ex utroque compoſitum & conflatum, planeque monſtrum ab hominum natura ſpecieque alienum.* Et tandem *eunuchum* ἀμφίβολόν τι ζῶον ἀτεχνῶς *animal eſſe quoddam varium atque anceps* aſſerit, *non aliter quam cornices, quæ nec inter columbas, nec inter corvos numerari queant.* Multa alia convicia & dicteria in eunuchos jactata, & in veterum ſcriptis paſſim obvia, recenſere poſſem: non eſt autem conſilii mei argumentum tam ingratum ſermone liberiore proſequi.

2ª. SECUNDO: ſi conjecturæ locus hic eſſet, dicerem, Deum eos quibus veretrum abſciſſum ab eccleſia ſua removiſſe, quod circumciſionis nota carerent, qua Deo dicati, & a profano gentilium grege diſcreti, fuerant. Non erat ex juſto vel decoro, ut illi in ipſum Dei ſanctuarium, tanquam interioris admiſſionis famuli, reciperentur, qui admiſſionis ſuæ in eccleſiam Judaicam ſignum ordinarium perdidiſſent: nec rationi conſonum erat, ut Deus ſingularia ſacerdotum privilegia iis indulgeret, qui ne vulgaris Judæi notam gerere, vel gratiam & favorem ordinarium mereri, videbantur.

3ª. RATIO legis hujuſce tertia (ni fallor) hæc erat, ut nempe ſacerdotes in Domini familiam aſciti, a ſacerdotum ethnicorum moribus abhorrerent, qui partes eorum maſculas abſcindere ſolebant, aut arte & induſtria debilitare. Cum enim ſalaces ipſorum caudas & partes vicinas abjeciſſent, facile credebant ſe in caſto ſemper futuros, & vitam acturos cum officii ſui ſanctitate convenientem; ſe gratiam etiam Deorum ſuorum inituros, qui non tantum hominibus adverſantur, ſed & humanitati. Ut autem ratio illa fide firmiore recipiatur, hæc duo probare debeo, (1°.) multos diaboli ſacerdotes partes viriles abſcindere ſolitos aut debilitare. (2°.) Deum hanc legem moribus & perſonis hiſce male ſanis oppoſuiſſe, & ideo ſanxiſſe, ut ſacerdotes ſui, ritus magis humanos & mites exercentes, Deum & cultum illum cui miniſtrabant ipſi, hominum ſtudiis & affectibus commendarent.

PROBANDUM eſt primo, ſacerdotes dæmonis altaribus & miniſterio mancipatos,

a *Cap. 21. verſ. 21, 23.* b *Verſ. 17, 18, 19, 20.* c *Cyri inſtit. L. 7. p. 196. C* d *Dialog.* cui tit. *Eunuchus; p. 536. C & 537. B*

partes

partes ipſorum viriles amputare ſolitos aut arte debilitare. Hoc autem teſtimoniis & exemplis evinci poteſt, haud facile rejiciendis. Ex iis primum ſit illud *Senecæ* apud *S. Auguſtinum*, qui ſic ritus inſanos [a] perſtringit miniſtrorum ethnicorum; *ille viriles ſibi partes amputat, ille lacertos ſecat, -- tantus eſt perturbatæ mentis & ſedibus ſuis pulſæ furor.* Hiſce gemina nobis occurrunt alibi nempe *Lib.* 7. de *Civit.* cap. 26. Refert etiam [b] *Lucianus*, ſacrorum miniſtros, quos *Gallos* vocat, in *Rheæ* honorem ſe caſtrare ſolitos; quoſdam inſuper [c] adoleſcentes, ad templum Deæ Syriæ ſe conferentes, enſe diſtricto partes ipſorum genitales execuiſſe. Sacerdotes, Dianæ Epheſiæ miniſtrantes, naturas ipſorum effœminaſſe, adeoque virgines ſacras cuſtodiæ ſuæ mandatas habuiſſe, teſtatur [d] *Strabo.* His accenſeri poſſunt Magnæ Matris Deorum ſacerdotes, quorum diſſectiones virilium, & alia flagitiorum monſtra, ex [e] *Apuleio* diſcat lector, ſi orium & pudor ferant. Hæc omnia credibiliora cenſeantur, quod carnis inciſiones τεμνοθυσίας, partium obſcœnarum cultus, στίγματα ferro inuſta, raſuræ capitum, volutationes in cœno, & iſtiuſmodi *ritus triſtes ſordidique*, frequentes fuerint inter idololatras, & utramque pene paginam cultus profani fecerint. Ut hoc argumentum bene deſinat, ſubjungam [f] *Clementis Alexandrini* verba: ἴδοιτο τις ὑμῶν τὰς παρὰ τοῖς εἰδώλοις λατρεύοντας, &c. *Videat veſtrum aliquis eos qui adorant ſimulacra, ſordida coma & veſte lacera deformatos, a lavacris quidem omnino abſtinentes, exereſcentibus unguibus efferatos,* πολλοὺς δὲ καὶ τῶν αἰδοίων ἀφῃρημένους, *multos etiam & pudendis privatos.*

PROBANDUM eſt proximo, Deum hanc legem inhumanis hiſce ſacerdotum ethnicorum moribus oppoſuiſſe; & eam ideo latam fuiſſe, ne ſacerdotes ejus ſexum ipſorum abdicare, vel ſacerdotum ethnicorum ἱεροῖς imitari, viderentur. Ad hujus ſententiæ veritatem aſtruendam, argumenta ſequentia momenti non parum habeant:

(1°.) RITUS ille, partes viriles amputandi, diu ante datam legem, inter ſacerdotes *Ægypti* receptus, & in honore habitus, fuiſſe videatur. Apud Ægyptios id uſu receptum fuiſſe, diſcere licet ex [g] *Herodoto*, [1] qui ſacerdotes Heliopolitanos eunuchos fuiſſe, memoriæ prodidit: hoc etiam [h] *Athenæus* innuere videtur, cum (*Anaxandridis* teſtimonio nixus) Ægyptios ſacerdores exectos fuiſſe ſcribit. Teſtimoniis illis eo ſecurius innitamur, quod [i] *S. Hieronymus Potipharum* eunuchum ſimul & templi Heliopolitani pontificem fuiſſe referat, & hoc ex ipſorum Hebræorum ſententia ſe narrare dicat. Atque hæc eo minus a fide aliena cenſeo, quod ſacerdotes Græci & Romani (rituum Ægyptiorum æmuli) virilia præcidere pium arbitrati ſunt. Ea ſententia fuiſſe Græcos, indubitanter inde colligo, quod Athenienſium ſacerdotes ritum illum inſanum in moribus habuiſſe, fidem faciat [k] *S. Hieronymi* teſtimonium; *Hierophantas Athenienſium, uſque hodie cicuta ſorbitione caſtrari; & poſtquam in Pontificatum fuerint allecti, viros eſſe deſinere.* Hujuſmodi mores Romanos etiam infeciſſe, e [l] *Juvenale* ſatis intelligitur, *Iſidis* aut *Cybeles* ritus & ſacerdotem primarium ſic deſcribente;

—— Ecce furentis
Bellonæ, matriſque Deum chorus intrat & ingens
Semivir, obſcœno facies reverenda minori;
*Mollia qui * rapta ſecuit genitalia teſta.*

Quibus verbis ſacerdotem ſummum, *Iſidi* ſacrum, deſcriptum dedit, eumque ob teſtes abſciſſos *ſemivirum*, & quod membrum corporis obſcœnum imminutum habuerat, *reverendum*, quem etiam, quod Gallorum choro ſuperior eſſet, *ingentem*, appellavit. Ex eo autem honore, quo Romani ſacerdotes hujuſmodi *ſemiviros* affecere veniſſe cenſeo, quod poſtea imperator [2] Alagabalus, *matris Deum ſacra accepit, -- & genitalia ſibi defixit, & fecit omnia quæ Galli facere ſolent*, referente [m] *Lampridio.* Cum itaque jam dicta non obſcure probent, *Ægypti* ſacerdotes *exciſiones* iſtas in uſu ſimul & honore habuiſſe; pluſquam ſimile eſt vero, Deum eas alicubi in lege prohibuiſſe & dehoneſtaſſe: cum præſertim clare pateat, eum inhumanas carnium *inciſiones*, gentium cultu recep-

a De *Civit. Dei. Lib.* 6. *cap.* 10. *T.* 7. b *Lib.* de *Dea Syr. p.* 1062. A c *Pag.* 1075. B d *Geogr. Lib.* 14. *pag.* 950. A e *Metamorph. Lib.* 8. f *Admonit.* ad *Gent. p.* 74. 5. g *Lib.* 2. h *Deipnoſoph. Lib.* 7. *p.* 300. A i *Lib. Quaſt. Hebr* in *Geneſ. Tom.* 2. *col.* 542. k *Lib.* 1. *adverſ. Jovinian. T.* 4. *P.* 2. *col.* 192. l *Lib.* 2. *Satyr.* 6. *verſ.* 510. * *Sic legendum cenſeo, non rupta, uti habent impreſſa.* m *Hiſtor.* §. 7.

1 *Herodotus* loquitur non de ſacerdotibus ſolis, ſed aliis Ægyptiis, οἱ τὰ αἰδοῖα περιτάμνονται Lib. 2. §. 36, 37.
2 De vero etymo *Alagabali*, vid. *Salmaſii* notas in *Lamprid. Heliogab.* §. 1. qui contra ſententiam *Scaligeri* & *Caſaubon*, docet *Alagabalum* fuiſſe numen Emeſenorum, & *Heliogabalum* illius eſſe ſacerdotem.

 tiſſimas.

SECT. II.

tiſſimas, in *Levitico* vetuiſſe. Ubinam autem Deus legem tulit, huic inhumano ritui repugnantem, niſi in hoc capite [a] *Deuteronomii*, me neſcire fateor. Fatendum eſt, hanc legem τοῦ ἐκτομαῖ illis inhumanis e diametro repugnare; qua nempe curatum eſt, ut ſacerdotes evirati non tantum ab altari ſed & eccleſia Dei, arcerentur, adeoque non minore dedecore apud Hebræos, quam honore apud Ægyptios, afficerentur.

(2°.) Cum corporis vitia maculæque variæ, *Levitici* 21°, recenſeantur, filium Aaronis ab altari cohibentia, & inter ea teſticulorum fractio vel contuſio numeretur; obſervatione dignum eſt, legem cujus explicationi jam ſtudeo, maculas eas omnes ſilentio præterire, & defectum ſolummodo virilium hic iterum ingerere, eumque paulo fuſius explicare. Quid autem Moſes, prætermiſſis aliis corporis vitiis quæ hominem ſacerdotio exequendo minus idoneum reddiderunt; hoc ſolum ingereret iterum & explicatius traderet; niſi quod infamis ille corporis defectus Sanctuarium maxime pollueret, & Dei ſacerdotes Diaboli ſacerdotibus affines redderet? nam verendum erat, ne hæc morum & corporum ſimilitudo vim magnam haberet ad amicitias pernicioſas inter hos & illos conciliandas; & ne ſcandalum daret Iſraelitis infirmioribus, inter Deum & *Baalem* claudicantibus.

(3°.) Deum legem hanc, ad morem quem dixi barbarum & idololatricum abolendum, inſtituiſſe, credibile cenſeatur; quod cum legibus aliis ad cultum idololatricum præcavendum datis conjuncta reperiatur. Hoc liquidum erit, ſi in legum earum quæ proxime ſequuntur ſenſum & ſcopum diligentius inquiratur. Earum prima, Latine reddita, ſic ſonat; [b] *non ingredietur* ממזר *in eccleſiam Domini*, *uſque ad decimam generationem*. Vox hæc *Mamzer* torquet interpretes, & ab iis torquetur invicem. Plerique ſpurium, alii e nuptiis inceſtis ortum, nonnulli e congreſſu quovis Dei legibus damnato prognatum, ea voce notari ſentiunt. Mens inclinat ut ſentiam, quemvis patre vel matre peregrino propagatum, ſeu ſtupro ſeu conjugio genitus eſſet, ea voce denotari. Vox enim a זר *alienigena*, *peregrinus*, originem ducit, & ἀλλογενὴς (*alio loco* vel *genere natus*) a [c] Lxx redditur. Hæc ex iis elucere videntur, quæ [d] Libro ſuperiore dicta ſunt, ad quæ, brevitatis ergo, Lectorem amandare liceat. Lex proxima verbis hiſce promulgata eſt, [e] *Ammonita & Moabita*, *poſt decimam generationem*, *non intrabunt eccleſiam Domini*, *in æternum*. i. e. Hi nec in Tribuum ſacrarum cenſum venient, nec ad jura connubii, vel commercii cum gente Iſraelitica in æternum admittentur. Ideo vero alienigenæ, Moabitæ præſertim & Ammonitæ, ab ingreſſu in eccleſiam Judaicam, legibus hiſce duabus, arcebantur; eo quod verendum erat ne idololatriæ contagio recrudeſceret, & ſacra omnia peſſum irent, ſi peregrinis iſtis, ſuperſtitionis ethnicæ peſte correptis, ingreſſus in eccleſiam, & alia civium jura, concederentur. Hæc ratio paulo firmior evadat [f] *Theodoriti* teſtimonio: *Lex in perpetuum vetat* Iſraelitas *miſceri cum Ammonitis & Moabitis*, διὰ τὴν ἀσέβειαν *propter impietatem ad quam tentaverunt* eos *adducere*, *adornantes fœminas*, καὶ διὰ τούτων αὐτοὺς εἰς τὴν τῶν εἰδώλων λατρείαν ἀγρεύσαντες· *& per eas ad cultum idolorum* Iſraelitas *allicientes*. Cum itaque lex iſta quæ caſtratos ſpectat, cum legibus hiſce duabus proxime conſocietur; cum etiam leges illæ duæ moribus ethnicis ἀντίθετον ſecretam continerent, & in idololatriæ remedium traderentur; æquum eſt, ut lex hæc e ſociis legibus noſcatur, & ea etiam ad mores ethnicorum opponendos & abolendos data cenſeatur.

(4°.) Vix poſſibile eſt cauſam vel ſpecioſam aſſignare, cur Deus hanc legem traderet, niſi ut morem quem dixi barbarum, inter *Ægypti* ſacrificulos & alios invaleſcentem, eccleſiæ ſuæ finibus exterminaret. Nam omnes aliæ corporis maculæ vel defectus, apud [g] Moſen enumerati, qui Aaronidem ſacerdotio inidoneum reddiderunt, hominum oculis obvii fuerunt, & eorum cauſa ſacerdos & officium ejus non parum apud plebem in contemptum abierunt. Cum autem pudor inſitus partes generationi ſervientes velare doceat, adeoque partium earum defectus quivis ex hominum conſpectu removeatur; fieri non potuit, ut macula vel defectus aliquis in partibus tam ſtudioſe velatis, ſacerdotem in contemptum apud plebem traheret. Ratio itaque ſuadet opinari, Deum hanc legem ea præcipue de cauſa ſtatuiſſe, quod ſacerdotes *Iſidis* aliique virilia deponere ſolerent; & id jam curaret Legislator Optimus, nequa moris tam inhumani ſpecies inter altaris ſui miniſtros appareret, vel Deus illum probare videretur.

(5°.) Hinc etiam ſententia mea paulo firmior evadat, quod, ſi lex Moſis & mos

a Cap. 23. 1. b *Deut.* 23. 2. c Vid. LXX. in *Zachar.* 9. 6. d Cap. 6. Sect. 3. pag. 105.
e *Deut.* 23. 3. f In *Deuter.* Quaſt. 26. g *Levit.* 21. 18, 19, 20.

ille

ille gentium (circa caſtratos) una conferantur, ea pugnam & ἀντίθεσιν διαμετρικὴν contine- SECT. II.
re percipiamus. Hoc e paucis exemplis elucebit.

NAM primo, apud ethnicos non more tantum ſed & lege ratum erat, ut nemo niſi cujus obſcœnitas amputata erat, ad ſacerdotii vel muneris alicujus ſacratioris exercitium admitteretur. In argumento male grato, unum ſufficiat, *Tatianum Aſſyrium*, [a] teſtem produxiſſe: [Ῥέα] ἣν οἱ ἀπὸ τῶν Φρυγίων ὀρῶν Κυβέλην φασὶν, ἀποτμήσεις αἰδοίων νενομοθέτηκε διὰ τὸν ἐρώμενον ταύτης Ἄττιν· Rhea *quam in Phrygiis montibus Cybelen vocant, exſectionem virilium lege inſtituit propter adamatum ſibi Attin.* E contra, lege Moſaica curatum erat, ut nemini ſanctuarium ingrediendi, vel ſacerdotii fungendi, copia concederetur, modo partes illas amiſerat quibus viri perhibemur.

PORRO: inter ethnicos, quivis e Gallorum gente, ſexum commutare, & non minus veſtes, quam partes viriles abjicere, & fœmineas aſſumere tenebatur. Hoc e [b] *Luciani* fide refero: poſtquam enim fuſe tradidiſſet, Deæ Syriæ ſacerdotes, zelo fanatico abreptos, partes ipſorum viriles enſe diſtricto deſecare ſolitos; continuo addit, ἐς ὁκοίην δὲ οἰκίην τάδε ἀπορρίψῃ, ἐκ ταύτης ἐσθῆτά τε θήλεην, καὶ κόσμον τὸν γυναικήιον λαμβάνει· *In quamcunque autem domum hæc abjicit, ex ea & veſtem fœmineam, & ornatum muliebrem accipit. Atque hæc quidem in caſtrationibus faciunt.* Inter Hebræos autem, ne quis mori tam peſtifero pateret aditus, [c] Lege cautum eſt, ne vir aliquis veſtem fœmineam ſumeret.

DEINDE: apud ethnicos, ille cui virilitas amputata, magno in honore habebatur. Hoc ſatis elucet e modo laudatis *Satyriſtæ* verbis:

—— Et ingens
Semivir, obſcœno facies reverenda minori.

Eſt enim *deſcriptio*, [d] Lubino judice, *ſummi ſacerdotis* Iſidis, *qui ſemivir ob abſciſſos teſtes, & in* ingenti *exiſtimatione, ob ſuperſtitionem; reverendus* autem, *quod obſcœnum corporis membrum minus habeat.* Hac de re ne dubitandum exiſtimo, quod ipſi [e] Dii gentium notæ clarioris, *Jupiter*, *Bacchus*, *Attis*, *Oſiris*, caſtrati perhibeantur. Lex Moſis interim, ut mori & opinioni tam abſurdæ contraveniret, [f] ſacerdotes virilitate ſpoliatos, inter nanos, gibbos, ſimos, ſcabioſos, & hujuſmodi perſonas, plerunque ridiculas, numeravit, iiſque ingreſſum in Dei eccleſiam denegavit.

PRÆTEREA: Gentes duplicis generis eunuchos, quoſdam teſticulis tantum, quoſdam partibus omnibus viro propriis, orbatos habuerunt. Eunuchus ordinis primi θλαδίας, ſecundi (ni fallor) ἀποκεκομμένος, appellatus eſt. *Attis* in hac claſſe collocari debet, ſi quid veri ferant [g] *Ovidii* verba de *Atti* dicta:

—— Onus inguinis aufert,
Nullaque ſunt ſubito ſigna relicta viri.

Ex adverſo lex Moſis eunuchiſmum ordinis utriuſque ſuſtulit, verbis quæ LXX ſic interpretantur; οὐκ εἰσελεύσεται θλαδίας, οὐδὲ ἀποκεκομμένος, εἰς ἐκκλησίαν Κυρίου· Nullum in ſanctuario, vel inter ſacerdotes, locum concedens homini, qui corporis ſui integritatem hoc vel illo modo mutilaverat.

SUB ethniciſmo denique, caſtrati ſanctitate præcellere, adeoque munere ſuo digniores eſſe, cenſebantur. Nam Archi-Gallus, a *Tertulliano* memoratus, ironice quidem, ſed ex more Gentilium [h] *ſanctiſſimus* appellatur. Auctoris verba ſic ſonant: *Archigallus ille ſanctiſſimus -- ſanguinem impurum lacertos quoque caſtrando libabat.* [1] Attis etiam, cui demeſſa fuere genitalia, *Deus ſanctus*, ex opinione nempe Gentilium, apud [i] *Arnobium* dictus eſt. Caſtrati nempe, non tantum ſexum utrumque, ſed ſexus utriuſque libidinem, abdicare, & caſtitati perpetuæ ſeipſos dicare, cenſebantur; eam autem Gentiles in præcipua *ſanctitatis* parte poſuerunt. Atque hac de cauſa forte ſacerdotes illi profani, quos *effeminatos* vocat [k] *S. Hieronymus*, קדשים *ſanctuli*, per irriſionem, a *Propheta* dicebantur. Interea loci, liquidum eſt, legem Moſaicam non minus huic opinioni, quam ipſi caſtrandi mori, repugnare. Tantum enim abeſt, ut lex

a *Orat. contr Gentes* §. 12. *p.* 31. b *Lib.* de *Dea Syr. pag.* 1075. C c *Deut.* 23. 1. d *Comment.* in *Juvenal. Lib.* 2. *Sat.* 6. *v.* 514. e *Clem. Alexand.* in *Protrep.* f *Levit.* 21. 18. g *Faſtor. Lib.* 4. *verſ.* 241. h *Apologet.* §. 25. *p.* 24. D i *Lib.* 5. *adverſ. Gentes.* k *Comment. in Hoſ. c.* 4. *Tom.* 1. *col.* 1261, 1662.

1 *Arnobius* ita ſe habet: *Pinus illa — qua in matris infertur ſanctum Dea, nonne illius imago eſt arboris, ſub qua ſibi Attis virum, demeſſis genitalibus, abſtulit?* Pag. 184.

Sect. III. hujuſmodi ſemiviris eximiam ſanctitatem tribuat; ut eos præ cæteris pollutos pronunciet; & eorum ingreſſum in ſanctuarium, ei pollutionis aliquid affricare doceat, *Levit.* 21. 23. Neque polluti tantum, ſed maxime ſcelerati, cenſebantur, ab omnibus quibus aliquid ſani ſenſus inerat. Inter eos [a] *Lactantius* io eos invehitur, *qui virilia ſua ferro metant, & quod eſt ſceleratius, ut ſint religionis antiſtites.* Eundem pene ſenſum exprimunt [b] *Minucii Felicis* illa, *cui* [c] *teſta* [1] *ſunt obſcœna demeſſa, quomodo Deum violat, qui hoc modo placat? cum ſi eunuchos Deus vellet, poſſet procreare, non facere.*

Jam dicta clare ſatis evincunt, hunc morem ethnicum & legem Moſaicam directe inter ſe oppoſita eſſe, & prorſus *ἐναντία* continere. Hæc autem pugna non obſcure probat, Deum legem illam eo præcipue conſilio ſtatuiſſe, ut huic mori ſe adverſum ſiſteret, & nullus locus mori tam ridiculo in eccleſia ſua relinqueretur.

His inductus argumentis, ad hanc opinionem torus accedo, legem nempe de eunuchis a ſanctuario arcendis, hoc in loco ſancitam denuo & clarius expreſſam fuiſſe, ut uſitatas ſacerdotum ethnicorum *ἐκτομὰς* e medio tolleret, & omnem inſtituti tam execrandi ſpeciem a Dei ſacris longe removeret.

S E C T. III.

Variis occurritur opponentium argumentis.

ARGUMENTIS jam dictis adverſantia, in duas acies diſtribuamus; aliis contra legis hujuſce ſenſum & interpretationem, aliis contra rationem & originem ſupra dictam militantibus.

Contra legis hujus interpretationem & ſenſum modo redditum, tribus contenditur argumentis.

Ex iis ſic urget primum. Si forma legis hujus attente conſideretur, prompte percipiamus, eam non de ſolis ſacerdotibus, ſed de Judæorum etiam vulgo, interpretandum eſſe. Verbis enim concipitur ſenſum generalem præ ſe ferentibus nec ad ſolam ſacerdotum gentem facile reſtringendis. Sic enim ſe habent ipſa legis verba, *non intrabit* (ſit Tros Tyriuſve) *qui læſus attritione teſtium, aut abſciſſo veretro mutilus, in eccleſiam Dei.* In hoc ſenſu, interpretum pene omnium, Judæorum ſimul & Chriſtianorum, calculi conveniunt; pleriſque omnibus hanc legem Populum & Clerum juxta devinxiſſe ſentientibus.

Hanc equidem ſententiam apud interpretes pleroſque fidem invenire, non inficias iverim. At huic opinioni tam facile ſuffragium minime tribuiſſent, ſi ad parallelum illum [d] *Levitici* locum curatius attendiſſent; *vir omnis e ſemine* Aaron, *cui macula in eo, qui cæcus, aut claudus, —— vel teſticulo contuſus, non ingredietur intra velum.* Deinde niſi legis hujus ambitu, ſoli filii Aaronis, id eſt, ſacerdotes, contineantur; neceſſe fuit, ut Hebræorum omnium partes pudendæ, reclamante licet modeſtia, ſæpius inſpicerentur, ne forte quid vitii lateret quod eos ab ingreſſu in eccleſiam jure cohiberet.

Secundum argumentum petitur a ſenſu genuino locutionis illius, *ingredi* in קהל יהוה *eccleſiam* vel *congregationem Domini.* Ea nempe non ſignificat introitum in ſanctuarium, vel admiſſionem ad cœtus & omnia jura ſacerdotum; ſed admiſſionem ad ſocietatem politicam Hebræorum, ita ut quis gratiis & privilegiis gauderet omnibus quibus Iſraelita juxta legem Judaicam frui poſſet; immunitate ſcilicet ab uſura præſtanda, libertate ducendi virginem Iſraeliticam, privilegio anni ſeptimi & Jubilei, aſcriptione in numerum cœtus Iſraelitici, aliiſque populi ſancti privilegiis. In opinionis autem hujusce patrocinium varia [e] Scripturæ loca proferri poſſunt (quibus *eccleſia* totum populi cœtum denotat) multa inſuper & magna nomina, huic interpretationi fidem conciliantia.

Huic argumento, ſpecioſo licet, in parato reſponſio eſt. Fatendum eſt quidem hanc phraſin, (*non ingredi in eccleſiam*) in aliquibus Scripturæ locis, excluſionem a ſocietate politica Judæorum, a jure connubii, aliiſque modo memoratis Hebræorum privilegiis, denotare: at rem acrius perpendenti, difficile erit eam, hoc ſenſu captam, de eunuchis intelligere. Nulla nempe conſtat ratio, cur Deus eunucho, tantum quod modis indignis habito, jura civica denegaret: & [f] alienum videtur a Dei benignitate, eunu-

a *Inſtitut. Lib.* 1. 5. 9. p. 258. b *Pag.* 227. *& Cap.* 24. *Davies.* c Ita lego, nec libros impreſſos qui ibi *exta* habent mendo vacare cenſeo. d *Levit.* 21. 17, 18, 23. e *Numer.* 20. 4. *Judic.* 20. 2. f *Jeſai.* 56. 4, 5

1 *Heraldus* exiſtimat, *Minucium* ſcripſiſſe, *cui execta ſunt obſcœna, demeſſa*: Ouzelius autem *teſta* eſſe ſimplicius; & provocat ad *Plinium*, Lib. 35. Cap. 12. *Samia teſta matris Deum ſacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputant.*

chum

chum ſpretum antea, & ſpe prolis, & ipſo peneſexu ſuo, privatum, jure aliquo civis Iſraelitici ſpoliare; vel homuncionis tam calamitoſi dolorem & contemtum novo dolore & dedecore cumulare. Sed oec opus erat ut jus connubii ab eo qui partes genitales amiſerat, lege lata tolleretur; cum veriſimile ſit, hujuſmodi ſemivirum nec jure connubii uti voluiſſe, nec officium maritale perimplere potuiſſe.

Tertio: nonnulli forſan & hoc argumeuto contra ſententiam meam de ſenſu legis hujuſce pugnaturi ſunt. Certum eſt, hanc locutionem *(non intrabit in eccleſiam)* in aliis omnibus Scripturæ locis, ſenſu plane diverſo capieodam eſſe. Ut omnis hac de re dubitandi anſa præſcindatur, operæ prerium erit, locos eos omnes attentius intueri, quibus hæc loquendi forma ſeſe obviam præbet. Occurrit autem iterum, [a] Capitis hujuſce verſu ſecundo; *non ingredietur* Mamzer *in eccleſiam Domini*, *uſque ad decimam generationem:* & commate proximo, *Ammonites & Moabites*, *etiam poſt decimam generationem*, *non intrabunt eccleſiam Domini*, *in æternum:* commate inſuper octavo, *qui nati fuerint ex iis* (Idumæo ſcilicet & Ægyptio) *tertia generatione intrabunt in eccleſiam Domini.* His autem in locis, *intrare in eccleſiam Dei*, eſt, eum populo ſancto matrimoniis jure commiſceri, Tribui alicui accenſeri, a Judæis originariis nulla diſcriminis oota ſeparari, privilegiis denique gaudere ſingulis, Judæo cuivis ordinario natalium jure debitis. Ex adverſo: *non ingredi in eccleſiam*, a ſocietate. Judæorum politica excludi denotat; ita ut excluſus, nec jus civis apud Hebræos obtineat, nec jure connubii vel commercii gaudeat, nec parem admiſſionem ad Templum cum Judæis habeat. Atque hæc interpretatio firmitatem hauriet ex aliorum locorum collatione qui ad leges modo citatas reſpectum gerunt. Horum primus occurrit *Nehem. 13. 1. In die illo lectum eſt in libro Moſis*, -- *& inventum eſt ſcriptum in eo*, *quod non ingrediatur Ammonites & Moabites in eccleſiam Dei in æternum.* Atque hoe textu io eccleſia frequenti lecto, ſtarim additur [b] *ſeparaverunt omnem mixturam* (virorum ſcil. & fœminarum alienigenarum) *ab iſraele.* Locus ſecundus ita legitur, *Thren. 1. 10. vidit Gentes ingreſſas in ſanctuarium ejus, de quibus præcepiſti quod non intrabunt in eccleſiam tuam.* Ex his autem ſatis clare patet, *ingredi in ſanctuarium*, & *intrare in eccleſiam Dei*, duo diverſa ſignificare.

Sso neque hæc objectio me multum premit: non inficior enim phraſin illam *(ingredi in eccleſiam)* ſenſu jam dicto, locis modo citatis, intelligendam. Eam autem aliter interpretandam eſſe [c] verſu primo, ubi de eunuchis occurrit ſermo, argumenta quæ *Sectione* ſecunda protuli, fareri cogunt. Ut rem clarius exprimam: neceſſe videtur, ut *eccleſiam Dei*, cum eunuchi mentio eſt, de ſanctuario & ſacerdotum cœtu eo loci convenientium interpretemur: aliter autem phraſio illam capiamus, cum de Mamzerim, Idumæis, Moabitis, Ægyptiis, verba fiunt. Ut rem breviter expediam: phraſis illa, varie, & pro ratione ſubjectæ materiæ, ſemper intelligenda eſt: & veritatis hujus ignorantiæ trihuendum videtur, quod ioterpretes pene omnes a genuino legum in initio Capitis [d] hujuſce traditarum ſenſu prorſus aberraverint.

Jam ſenſus & interpretatio legis quam præ manibus haheo, contra adverſantium argumenta ſatis munita & defenſa cenſeatur. Proximo, ad eorum argumentorum examen convertendus eſt ſermo, quæ nonnulli forſao ad legis hujuſce rationem labeſactandam adducturi ſunt.

Horum primum hujuſmodi eſt: veterum non pauci legem hanc ad ſenſum cauſamque myſticam & allegoricam referendam ſentiunt. Nam [e] *Clemens Alexandrinus*, eunuchum, τὸν ἄθεον τρόπον, τὸν τῆς θείας καὶ γονίμου δυνάμεως ἐστερημένον, *more atheum virtute divina & genitali privatum, notare* ſentit. Et [f] alibi, εὐνοῦχος, inquit, ὁ ἄγονος καὶ ἄκαρπος, καὶ πολιτείᾳ καὶ λόγῳ· *qui ſterilis eſt nec fructum profert, vel vita inſtitutione, vel ſermone.* Sententia non abſimilis [g] *Theodorito* placuit, qui lege hac τὸ ἄγονον τῆς ψυχῆς *ſterilitatem animæ* ſignificari dicit, *cum alienum ſit a Deo*, *bonorum operum fructus non producere.* Conſentit [h] *Beda*, qui hoc loco perſtringi dicit, eos *omnes qui molliter vivunt*, *nec opus vere virile* præſtant, atque adeo *in congregatione* ſeu *numero ſanctorum permanere non poſſunt.*

Responsio in promptu eſt. Rationes haſce myſticas & allegoricas utpote mera plerunque ignorantiæ aſyla, caute admodum audiendas arbitror. Multi ſcilicet auctores, legem exponentes, ubi aqua iis hæret, a ſenſus literalis anguſtiis, ad ſenſus

a *Deuter.* 23. 2. b *Verſ.* 3. c *Deut.* 23. 1. d *Deut.* 23. 1, 2. e *Cohort. ad Gent.* p. 21. 25.
f *Stromat. L.* 3. p. 556. 21. g *Quæſt.* 21. in *Deuter.* h In *Deuter.* c. 23. *Tom.* 4.

SECT. III. allegorici libertatem tranſvolare, & inde quidlibet ex quolibet formare, ſolent. Deinde: ſatis apertum eſt, hujuſmodi rationes myſticas plerunque meros eſſe luſus & fœtus imaginationis, ſola concinnitate quadam ſuffultas; & ipſarum auctores in craſſos errores, tenui veri ſpecie non raro ſeducentes. Veritatis hujus exemplum propono *Theodoritum*, cujus auctoritate jam premor: poſtquam enim hanc legem *animæ ſterilitatem* perſtringere, docuiſſet; ſtatim ſubjungit, *ſicuti ſterilitatem interdicit*, ὥσπερ γὰρ τὴν στεῖρων ἐκβάλλει κακόν *ita fructum malum ejicit. Non enim ingredietur*, inquit, *ex meretrice natus in eccleſiam Dei.* Sed hæc imaginatio, prima fronte concinna & ſpecioſa, inde clare redarguitur; quod vox *Mamzer* (uti probatum eſt [a] alibi) non hominem *e meretrice natum* ſignificat; ſed ethnicum, alienigenam, idololatram. His addi poteſt, quod ratioois hujuſce myſticæ magiſtri eam e *Philonis Judæi* fontibus hauſiſſe videantur: [b] ille nempe, per *ſpadonem* & *eunuchum* hac in lege intelligendum ſentit τὸν τῆς σοφίας ἄγονον, *eum qui ſapientiam*, id eſt, actiones ſapientia refertas, *gignere* vel proferre *nequit*, *nec apud ſe dogmata ad vitam excolendam utilia retinet.*

Objectio ſecunda ſic ſe habet. Non ſemel a me dictum eſt, legem eam cui illuſtrandæ jam ſtudeo, primitus inſtitutam fuiſſe, ne [c] ſacerdos tabernaculum pollueret, ſi corpore minus integro miniſtraret. Perperam itaque jam aſſignaſſe videar aliam hujus præcepti cauſam, ut nempe Dei ſacerdotes a ſuperſtitionis ethnicæ ſpecie omni longius abeſſent, & a ſacerdotum ethnicorum furoribus abhorrere diſcerent.

Responoeo: lex ea, loco illo *Levitiei* tradita nullum alium finem aut uſum, præter jam dictum, ſpectaſſe videtur: prout autem, *Deuteronomii 23.* repetita & explicatius inculcata, cauſam & uſum ulteriorem habuiſſe cenſeatur. Quid enim Moſes ſacerdotum defectus in pede, manu, tergo, oculo, cute, multoſque alios in *Levitico* memoratos, io *Deuteronomio* tacite præteriret, & ibi partium ſolummodo pudendarum vitia repeteret, & expreſſius inculcaret: niſi ut immanibus ſacerdotum ethnicorum moribus in Iſraelem inducendis ſeipſum opponeret, & aperte doceret ſe morem hujuſmodi ſanguineum in ſacerdotibus & ſaeris ejus ne tolerare voluiſſe?

(3°.) Sententiæ meæ, tot licet argumentis confirmatæ, hæc etiam objectio proponi poteſt: mos ille myſtarum ethnicorum virilia rejiciendi, lege Moſaica multo recentior eſſe, non temere cenſeatur: ideoque veri ne ſpeciem quidem præ ſe fert hanc legem eo conſilio datam fuiſſe, ut omnis anſa moris illius ioter Iſraelitas inducendi præſcinderetur.

At neque hæc objectio me multum vexat: nam exempla ſuperius adducta clare probant, Ægyptios antiquos officiis ſacris exequendis eunuchos præfeciſſe: eos autem legem Moſaicam antiquitate ſuperare, nemo conſultus unquam dubitavit. Nec ſacerdotes Ægyptii tantum, ſed & Phœnicii, *Baalis* nempe miniſtri nequiſſimi, morem illum caſtrandi ſervaſſe videantur: eos enim carnificinam quandam in ſeipſos exercuiſſe conſtat, [d] *ſe cultris & lanceolis incidentes donec ſanguine perfunderentur*: norunt etiam rerum & rituum ethnicorum peritiores, iociſiones carnium & exciſiones virilium ritus quaſi gemellos fuiſſe, & ſuperſtitionem ethnicam utroſque pari zelo & inſania retinuiſſe. Utcunque, juniorum gratia, oonnulla ſubjungam vererum teſtimonia, unde conſtet ritus illos cognatione propinqua ſe mutuo attigiſſe, & comites pene indiviſos fuiſſe, ubicunque vigebat ſuperſtitio. Hoc e [e] *Seneca* verbis haud obſcure colligo: *ille viriles ſibi partes amputat*, *ille lacertos ſecat*, &c. Refert etiam [f] *Lucianus*, de cultoribus Deæ Syriæ loquens, alios ſeipſos *cubitis vulnerare*, alios partes maſculas amputare ſolitos. Idem ex [g] *Arnobio*, ſic gentes alloquente, colligendum: *dicite vos*, *evirati iſti molleſque*, *quos intereſſe vobiſcum in iſtius numinis videmus ſacris*, *quidnam iſthic habeant negotii? -- & cur more lugentium cadant cum pectoribus lacertos?* Huc faciunt etiam [h] *Tertulliani* verba, *Archigallus ille ſanctiſſimus -- ſanguinem impurum lacertos quoque caſtrando libabat.* Alia ritus utriusque conjunctim uſurpati teſtimooia ſubjungi poſſent, ſi [i] *Pignorius*, [k] *Voſſius*, alii, hanc provinciæ meæ partem non præoccupaſſent. Cum itaque jam dicta fidem faciant, Legem ſuperſtitioſas carnis inciſiones antiquitate vincere; & exciſinnes iſtas, de quibus jam ſermo eſt, ritus affines fuiſſe, ſæpe etiam conjunctim uſurpatos; nihil eſt cur utrique parem antiquitatem tribuere vereamur, aut Legem ἐκτομὰς illas io *Deuteronomio*, æque ac ἐντομὰς in *Levitieo*, vetuiſſe dubitemus.

a Vid. Lib. 1. cap. 6. §. 3. p. 105. b Lib. de *Temulent.* p. 271. C. c *Levit.* 21. 20, 23. d 1 *Reg.* 18. 28. e Ap. *S. Auguſt.* de *Civit. Dei*, Lib. 6. Cap. 10. T. 7. col. 159. f Lib. de *Dea Syr.* p. 1075. g Lib. 5. Adverſ. *Gent.* p. 168. h Ut. ſupr. *Apologet.* p. 24. D i Lib. de *Magn. Deum Matris initiis.* k De *Orig. Idolol.* L. 2. cap. 53, 54.

CAP.

C A P. XXXV.

Lex ſcorta maſcula & fœminea tolerari vetans.

LEX ea qoam ſpectat Capitis hujuſce titulus legenti ſe obviam dabit, *Deuter. 23. 17. Non erit* קדשה *meretrix e filiabus Iſrael, neque erit* קדש *Sodomita* [vel meritorius puer] *e filiis Iſrael.* Quibus verbis, non ſeorta vulgaria, quæſtus aut voluptatis ſolius cupidine corporum ſuorum copiam facientia prohibentur; ſed *ſcorta* (quæ vocant) *ſacra*, fœdo alicui gentium Numini dicata, & turpitudinem omoem in illius honorem exercentia. Nempe Phœnices, Ægyptii, Chaldæi, aliique notæ celebrioris idololatræ, Numinum ſuorum ſacris, congreſſibus impuris & ab uſu naturæ alienis, initiari ſolebant; & ſexus utriusque perſonas habebant, quæ ſi corpora ſua ſpurcis amplexibus eoram idolis dehoneſtarent, Diis obſequium pergratum præſtare credebantur. Cum itaque Judæi in gentium earum, non usque adeo remotarum, mores & inſtituta propenderent; hac lege cautum eſt, ne ulli e gente ſancta corpora ſua in Numinis alicujus fictitii honorem publicarent, aut myſteriis ethnicis turpitudine aliqua ſeipſos addicerent aut initiarent. Neceſſe eſt ut de hoe argumento, eaſtis licet aoribus haod adeo grato, ſermonem habeam, quod eo me jam cogat inſtituti ratio, & quæ jam dieenda ſunt, ad legum nonnullarum intellectum penitiorem ſaciaot.

Ut itaque quæ in animo jam habeo methodiee proſerantur, oſtendam, (1°.) Veteres idololatras ſexus utriusque ſcorta habuiſſe, numini alicui ſœdo ſolenniter conſecrata, quæ in illius ſaeris aut templis, vulgato corpore eultum & obſequium ei præſtare credebantur. (2°.) Deum ſcortis hiſce ſacris præcipue hanc legem oppoſuiſſe, ne religionem gentemque ſibi dicatam tanto opprobrio affici pateretur.

Gentes ſcorta quæ vocant ſacra habuiſſe.

Primo: probandum ineumbit, geotes antiquas ſcorta maſcula & fœminea, Diis ſuis ſacrata, in eorum templis pudorem ſuum proſtituentia, habuiſſe. Hujus itaque veritatis teſtem locupletem affero *S. Athanaſium*, qui de gentium veterum moribos & numinibus verba faciens, hæc [a] habet, γυναῖκες — ἐν εἰδωλείοις τῆς Φοινίκης πάλαι προεκαθέζοντο, ἀπαρχόμεναι τοῖς ἐκεῖ θεοῖς ἑαυτῶν τὴν τοῦ σώματος αὐτῶν μισθαρνίαν, &c. *Olim certe Phæniſſæ mulieres*
1 *ante idola proſtituebantur, virginitatis imminutæ pretium Diis ſuis, primitiarum loeo, offerentes; perſuaſæ oblatione illa meretrieia Deam placari, ſibique propitiam reddi:* ἄνδρες δὲ τὴν φύσιν ἀρνούμενοι, καὶ μηκέτι εἶναι θέλοντες ἄῤῥενες, τὴν γυναικῶν πλάττονται φύσιν, &c. *Viri quoque ſexu ſuo abdieato, nee ſe amplius mares eſſe ferentes, mulierum naturam affectaverunt, tanquam ita honorifica grataque Matri Deorum facturi eſſent.* Morem affinem apud Babylonios obtinuiſſe, teſtatur [b] *Herodotus:* ὁ δὲ αἴσχιστος τῶν νόμων ἐστὶ τοῖσι Βαβυλωνίοισι, ὅδε· δεῖ πᾶσαν γυναῖκα ἐπιχωρίην ἱζομένην ἐς ἱρὸν Ἀφροδίτης, ἅπαξ ἐν τῇ ζόῃ μιχθῆναι ἀνδρὶ ξείνῳ, &c. *Una iisdem Babyloniis lex eſt omnibus modis fœda: nempe omnibus mulieribus indigenis commune eſt, ſemel in vita ad Veneris templum deſidentibus, eum externis viris conſuetudinem habere.* His affinia de Babyloniorum ſcortis Belo devotis, habet epiſtola *Jeremiæ, Barucho* ſubnexa; quorum ſenſum nemo percipere potuit, niſi hæc *Herodoti* hiſtoriola ſacem prætuliſſet. Hic etiam (ut progrediar) locum habent verba [d] *Strabonis*, hæc de Comana Cappadociæ & templo illic Deæ Lunæ ſacro referentis: *eo conveniunt homines ſub exitu Deæ*, Lunæ, *undique ex urbibus & agris ad feſtivitatem, & multi peregrini ſacrifieia Deæ exhibendi gratia ibi degunt:* καὶ πλῆθος γυναικῶν τῶν ἐργαζομένων ἀπὸ τοῦ σώματος, ὧν αἱ πλείους εἰσὶν ἱεραί· τρόπον γάρ δή τινα μικρὰ Κόρινθος ἐστὶν ἡ πόλις, &c. *Multæ etiam mulieres eorpore quæſtum facientes, quarum pleræque ſunt ſacræ. Nam urbs hæc quaſi parva quædam eſt Corinthus, quod hie quoque propter multitudinem meretricum Veneri ſacrarum multi peregre agant, & feſtos dies agitent.* Straboni & argumento præſenti conſentanea ſunt [e] *Alexandri* ab *Alexandro* verba: *Corinthi ſupra mille* proſtitutæ *in templo Veneris aſſiduæ degere, & inflammatæ libidine quæſtui meretricio operam dare, & velut ſacrorum* miniſtræ, *Deæ famulari* ſolebant. Atque hæc conſuetudo longe lateque diffundebatur, ſiquid vero cognatum habeant *Alexandri Sardi* [f] verba: *ante nuptias ſolebant Heliopolitæ in* Veoeris *templo proſtare; — Amorhææ ſeptem diebus in Syria, Armenia in templo Deæ Tanaidis* aut Anaitidis. Unde mos

a Orat. contr. Gent. Tom. 1. Part. 1. p. 24. B b Hiſt. L. 1. c. 199. c Com. 43. d Geogr. Lib. 12. p. 837. C e Genial. Dier. Lib. 6. c. 26. f De morib. Gent. l. 1. c. 3.

1 Ἐν εἰδωλείοις, in templis idolorum.

CAP. XXXV.

ille natus eſt conjectu non eſt difficile, cum certum ſit pleraque gentium ſacra Spiritui impuro principia ſua debuiſſe.

Legem hanc de ſcortis illis intelligendam.

Secundo: id mihi negotii jam datum eſt, ut oſtendam, non meretrices vulgares [libidinis publicæ victimas] ſed ſcorta ſacra, quæ ſcil. in numinis alicujus honorem corpora ſua fœdis amplexibus violandâ præbuerunt, hac in lege prohiberi. Ut itaque hujus conjecturæ veritatem aſſeram, ſequentibus contendam argumenris.

(1°.) Voces illæ קדש & קדשה hac in lege poſitæ, non vulgaria proſtibula, ſed viros & fœminas [in honorem numinis impuri] turpitudinem prodigioſam exercentes, aut munia quædam ſactatiora in Idolorum templis & myſteriis obeuntes, frequentius in Scriptura denotant. Vox קדש inprimis pathicum aut cinædum notat, qui (idoli alicujus gratia) libidine præpoſtera ſe iniri patitur. Cum enim vnx קדשה ſexus ſequioris ſcortum ſignificet, credere par eſt vocem alteram קדש ſcortum maſculum, [virum muliebria pati ſolitum,] ſignificare. Hunc ſenſum ferre videtur, 1 *Reg.* 14 24. ubi poſt alia Judæ flagitia in idolorum cultu perpetrata, Hiſtoricus ex improviſo refert, *tunc* קדש *in terra fuiſſe.* Quæ verba (ni ſallor) ad hanc legem ſpectanr, & aliquem nigrioris notæ peccatorem indicant, qui in gratiam idolorum fœdiore aliquo flagitio ſeipſum commaculavit. Ideoque facile nobis perſuadeamus eo nomine cinædum venire, qui eo nequitiæ proceſſit, ut ipſum quaſi ſexum ejus abdicaret, eumque ſumma ignominia afficeret, ut numini ſuo impuro cultum & obſequium exhiberet. Locus huic affinis occurrit, 2. *Reg.* 23. 7. ubi Joſiah inter alia idololatriæ monumenta *ſuſtuliſſe* dicitur בתי הקדשים h. e. interprete *Ar. Montano*, *domos* ſcortorum maſculorum. His ob loci affinitatem addi debet *Hoſ.* 4. 14, ubi Deus populum gentium veſtigiis inſiſtentem increpans, *viſitabo*, inquit, *ſuper filias veſtras cum fornicatæ fuerint, & ſuper ſponſas veſtras cum adalteraverint; quoniam ipſi cum meretricibus converſabantur*, ועם הקדשות *& cum effœminatis ſacrificabant.* Quam vocem [a] *Aquila* ἐνηλλαγμένας, i. e. mutatos, *interpretans, hoc oſtendere voluit quod ſuam naturam mutaverint, & de viris facti ſint fœminæ.* Nec ab *Aquilæ* mente multum receſſit ille Parrum doctiſſimus ſic textum explicans; *ſciendum quod in preſenti*, קרשות *meretrices* ἱεράς, i. e. *ſacerdotes* Priapo *mancipatas vocet. In aliis autem locis viros exſectos libidine*, קרשים vocatos *legimus. Hi ſunt quos hodie Roma, matri non Deorum ſed Dæmoniorum ſervientes*, Gallos *vocant: eo quod de hac gente*, Romani *truncatos libidine in honorem* Atys *(quem eunuchum Dea meretrix fecerat) ſacerdotes illius mancipárint.* Huc attinent quæ Cl. *Grotius* annotavit in Cap. 1. ad *Rom.* verſ. 24, 25, 26, 27. ad quem lectorem remittimus, ſi de hoc argumento plura cognoſcendi ſtudio teneatur.

(2°.) Expositionem jam datam a contemptu vindicanr exemplaria Græca, quæ poſt hæc verba, *non erit ſcortum de filiabus Iſrael*, hæc explicarionis cauſa ſuperaddunt; οὐκ ἔσται τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραήλ, καὶ οὐκ ἔσται τελισκόμενος ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ· Ubi quamvis de origine quidem & ſenſu germano vocum earum [τελεσφόρος & τελισκόμενος,] diſſentiant eruditi; ſatis tamen inter eos convenit, voces eas hominem denotare qui ſacrilegos Paganorum ritus ſectatur, & eorum myſteriis, ſcortationibus & neſandis miſturis initiatur. Hac de cauſa [b] LXX vocabulum קדשים *ſcorta maſcula, catamitos*, nunc per τετελεσμένους *initiatos*, nunc per τελετὰ *ſacrificia* reddant; quod nempe ſtupra & libidines præpoſteræ initiationum & aliorum myſteriorum ethnicorum pars magna eſſent, iisque nexu perpetuo conjungerentur. E dictis haud injuſte colligo Græcos interpretes exiſtimaſſe, non ſimplicem ſcortationem, ſed ſcortationem in numinis ethnici honorem, & initiationis idololatricæ cauſa perpetratam his verbis inhiberi.

(3°.) Sensum legis cui ipſe ſtudeo, confirmat parallelus ille *Levitici* locus, quo ſcorta publica prohibentur. Locus quem in oculis fero, nobis occurrit, *Levit.* 19. 29. *Non publicabis filiam tuam, ut facias ſcortari eam.* Hanc autem legem [c] *Seldenus* noſter ad antiquos *Mylittæ* ritus, & fœminas in illius honorem ſe publicantes (quarum ex *Herodoto* mentionem feci modo) ſpectaſſe ſentit. Nec inconſulto, ſatis enim e legis ipſius verbis apparet; eam de ſolenni aliqua filiæ publicatione, patre non annuente tantum, ſed & cogente, facta intelligendam eſſe: at vero prorſus abſimile eſt, patres ullos filiarum ſuarum pudori & honori male adeo conſulere voluiſſe, ut eas publicarent & ſcortari facerent, niſi ut eas Deæ *Mylittæ* initiarent, & ritu tam impuro Numinis illius gratiam filiabus ſuis conciliarent. Vix quiſquam pater niſi ſuperſtitione cœcus, ipſi filiæ ſuæ leno fieri voluit. Sic etiam legem hanc interpretari docent verba huic

a Vid. *S. Hieronym. Comment.* in loc. Tom. 3. col. 1261, 1262. b *V. LXX.* in 2. *Reg.* 23. 7. & 1 *Reg.* 15, 12. c De *Diis Syr.* Syntag. 2. c. 7.

legi

CAP. XXXV.

legi proxime cohærentia, *ne fornicetur terra, & tota impleatur ſcelere:* Si enim pater unus & alter filias ſuas, religionis cauſa & ad *Venerem* demerendam, fornicari feciſſent; fieri vix potuit quin exempli tam peſtiferi virus in vulgus diffunderetur, & tandem tota terra in religioſum quoddam lupanar degeneraret. Populus ſerio perſuaſus fornicationem numini gratam & acceptam eſſe, caſtitati proculdubio renunciare, & in omnem licentiam ſolutus, belluarum ritu, vagis libidinibus indulgere voluiſſet. Hic opportuna ſunt maxime *Athanaſii* de Paganis antiquis agentis, [a] verba; *cum viderent Deos ſuos iſtiuſmodi rebus*, cædibus & ſtupris, *delectari*, *ſtatim eos iisdem delictis æmulati ſunt: egregium facinus arbitrati, ſi exempla eorum quos ſummos cenſebant, imitarentur: atque inde factum eſt, ut homicidiorum omniumque libidinum ſceleribus ſuccubuerint: nam propemodum omnes civitates omnibus libidinibus ſcatent, ob morum immanitatem quam in Diis ſuis conſpiciunt.*

(4°.) Hinc etiam adducor ut cenſeam legem hanc de *ſcortis* (uti audiunt) *ſacris* intelligendam eſſe, qood conſtet Hebræorum reges, idololatriæ extirpandæ ſtudioſos, קרשים [ſcorta numini alicui impuro mancipata] de medio ſuſtuliſſe: cum e locis bene multis meretricum vulgarium mentionem facientibus elucear, Hebræorum magiſtratus vulgaria ſcorta, licet e filiabus Iſraelis, impune habuiſſe. Nam lege cautum eſt ne ſacerdos [b] ſcortum in uxorem ſumeret, ſed *puellam de populo ſuo* a congreſſu virili integram. Quis credat Hebræos nullas e gente ſua vitam meretriciam agentes habuiſſe, qui [c] legit *Jephtham* filium fuiſſe fœminæ meretricis; duas meretrices coram *Salomone* litigaſſe, & verſu ſequente prohiberi, *ne offeratur merces proſtibuli in domo Dei?* In *Proverbiis* etiam fœminæ pervulgatæ oon ſemel occurrit mentio. At ſacer Hiſtoricus, tanquam rem inſolitam & prodigii ſimilem refert, quod [d] קרש ſcortum ſacrum *in terra fuerit*, cum regno præeſſet Rehoboam. Hæc argumento ſatis evidenti ſunt, Hebræorum Magiſtratus hanc legem de ſcorto tantum ſacro, non de qualibet fœmina corpore quæſtum faciente ſolitos interpretari. Nam a meipſo nunquam impetrare potero ut cenſeam, eos ſcorta vulgaria ferre, vel impune dimittere voluiſſe, modo ſcipſos ad ſcorta plane omnia de medio tollenda, hac lege devinctos exiſtimaſſent.

(5°.) Lex hæc ad ſcorta quæ dixi ſacra ſpectare cenſeatur, quod e ſcriptura pateat, Iſraelitas in omnes gentium conterminarum mores impuros inclinaſſe, ſpeciatim etiam in idolorum honorem corpora ſoa quandoque publicaſſe. Prout enim patres aliqui e gente Iſraelitica [e] filios ſuos Molocho comburendos tradidere, ſic & alii [f] filias ſuas *Mylittæ* ſtupro conſecrandas prabuere. Locis inſuper haud paucis fit ſermo de קרשים & קרשות ſexus utriuſque ſcortis, dæmoni alicui ex profeſſo conſecratis, & in lucis, ædiculis, aut locis aliis ad impuritatem ſeparatis, Venerem turpiſſimam exercentibus. Nec a vero forſan aberrabit conjectura mea, ſi in locorum eorum numerum textum [g] illum perobſcurum referam, quo cavetur, ne ſacerdos in uxorem accipiat *mulierem* זנה וחללה *meretricem aut profanam*. Multum hic æſtuant interpretes, ut expediant quid *fæmina profana* nomine hoc in loco cenſeri debeat: nam apertum eſt, fœminam aliquam, torum virilem expertam, a meretrice & vidua diſtinctam, hic intelligendam. Aliorum conjecturis referendis immorari nolo: mihi veriſimilius eſt *profanæ* nomine hic venire fœminam, quam aliquis ſub religionis prætextu, & in numinis alicujus profani honorem corrupiſſet. Hæc enim quamvis ad frugem ſe recepiſſet, nec proprie meretricis nomine vel infamia digna videbatur; [h] *profana* tamen erat, & a toro ſacerdotis ableganda. Huic interpretationi nonnihil fiduciæ conciliant LXX, qui ſic verba transferunt, γυναῖκα πόρνην καὶ βεβηλωμένην οὐ λήψονται· *Mulierem meretricem & profanatam non accipient*. Probabile eſt autem, LXX vocabulo illo [βεβηλωμένην] fœminam idolis olim mancipatam & in eorum ſacris vitiatam denotaſſe; quod vox ea de rebus uſu idololatrico contaminatis uſurpari ſoleat & quod vocem ejuſdem familiæ & ſignificatus uſurpent, ubi de ſcortatione idololatrica, vel ſcortis idolo devotis & initiatis occurrit ſermo; nempe loco illo *Levitici* cap. 19. 29. cujus jam ſæpe memini, quem in hæc verba transferunt, οὐ βεβηλώσεις τὴν θυγατέρα σου ἐκπορνεῦσαι αὐτήν· Eodem etiam utuntur vocabulo, cum ad hiſtoriam, de Iſraelitis coitu idololatrico *Belphegori* [i] initiatis, deventum eſſet. *Numer. 25. 1.* Καὶ ἐβεβηλώθη ὁ λαὸς ἐκπορνεῦσαι εἰς τὰς θυγατέρας Μωάβ. Mulieres enim idolis actu meretricio conſecratæ, viros admittentes,

a *Orat. cont. Gent. Ub. ſupr. p. 24.* D b *Lev. 21. 7.* c *Jud. 11. 1.* d *1 Reg. 14. 24.* e *Lev. 18. 21.* f Ib. c. 19. 29. g *Lev. 21. 7.* h Eam *profanam dicunt* Hebræi, *quæ nata eſt ex repudiata a ſacerdote*, vel *quæ ex Paganiſmo converſa eſt ad Judaiſmum.* Munſter. in *Lev. 21. 7.* i τῷ Βεελφεγὼρ ἐτελέσθησαν LXX in *Pſal. 106. 28.*

CAP. XXXVI. SECT. I.

eos Veneri, Priapo, vel alteri cuipiam idolo initiare, id eſt, *profanare* credebantur. Nonnihil ex hoc impurum Gentilium ritu traxiſſe videntur Hophni & Phinehas, qui (gentium more) mulierculas ſacrorum miniſtras, in ipſo Tabernaculi confinio dehoneſtabant. Cum e locis jam dictis appareat, Iſraelitas ad ſcorta gentium ſacra & earum initiationes impuras, animos & affectus propenſiſſimos habuiſſe; ratio & intentio Legis opinari ſuadent, Deum hanc legem poſuiſſe ut omnem inſtituti tam profani & a gentis Iſraeliticæ ſanctitate alieni memoriam & veſtigium aboleret.

C A P. XXXVI.

Lex ſtupri & canis pretium ſacris inferre prohibens.

INTER leges cum Zabiorum inſtitutis ex adverſo pugnantes, locum poſtulare videtur lex ea quæ nobis occurrit, *Deuter. 23. 18.* & interpretibus moleſtiam non levem exhibet: *non feres mercedem proſtibuli, nec pretium canis*, in *domum Domini Dei tui: -- quia abominatio* eſt *utrumque apud Dominum Deum tuum.* Hic multum ſe torquent interpretes, ut rationem extundant cur Deus [non equi, vel aſini vel ſuis, ſed] *canis pretium;* cur etiam ſtupri mercedem una cum canis pretio, ſacris inſerri prohibuerit. Inſtituti præſentis eſt hujus præcepti ſenſum genuinum, vetuſtate temporis tantum non deperditum, in integrum reſtituere; [a] legem etiam illuſtrare quæ in verſione Græca textui ſuperadditur, & inter hanc & præcedentem legem (lucernæ vice) media collocatur. Ne vero confuſa dicendi ratio novas huic legi tenebras offundat, de utroque illius membro ſeorſim dicturus ſum.

S E C T. I.

De primo legis membro, quo Deus proſtibuli pretium in domum ejus inferri vetuit.

HUIC legi ſeu legis membro, cauſam dediſſe videntur gentes antiquæ, quibus in more erat, donaria, pecunias, veſtes elegantes, vel alia aliqua violatæ pudicitiæ præmia, Diis & eorum Sacrariis offerre; nempe ut inde, templorum ſtructuræ reficerentur, ſacerdotes alerentur, hoſtiæ redimerentur, & in hujus aut illius obſcœni numinis honorem ſe corpora vulgare teſtarentur. Cum itaque Iſraelitæ Gentilium ſimii eſſent, & impetu cœco in eorum ſtatuta ruerent; hac lege cautum eſt, ne gentium ritu proſtibuli pretium, vel quicquam pretio illo comparatum, Dei templo conſecrarent. Ut aſſertioni huic fidem luculentam faciam, docendum eſt, (1°.) Gentibus antiquis in more fuiſſe, pecunias aut alia quæſtu meretricio comparata, numinibus ſuis eorumque templis conſecrare. (2°.) Deum hanc legem mori illi gentili contrariam ſtatuiſſe. (3°.) Cur Deus omnia moris illius veſtigia deleri, & ſtupri pretium a ſacris ejus amandari voluit.

Gentes proſtibuli mercedem idolis dedicaſſe, probatur teſtimoniis, Michæ.

PRIMO: docendum eſt, ethnicos antiquiores, pecunias & alia quæſtu meretricio comparata, Diis eorumque templis, tributi nomine ſolvere & conſecrare ſolitos. Gentes antiquiores id moris habuiſſe, multis evinci poteſt auctorum antiquæ fidei teſtimoniis.

E ſcriptoribus illis primus occurrit *Micah*, qui ſtipem meretriciam idolo dicatam diſerte memorat: nam apud eum, Cap. 1. v. 7. ſic legitur: *& omnia ſculptilia ejus concidentur, & omnes mercedes ejus comburentur igne; -- quia de mercede meretricis congregata ſunt, & uſque ad mercedem meretricis revertentur;* hoc eſt, exponente *S. Hieronymo*, idola, donaria, ornatus & ſupellex idololatrica, mercede meretricia comparata, ad aliam meretricem, Niniven, ducentur: ut exitum ortu ſuo dignum capiant, & igne conſumpta in nihilum redigantur. Quamvis hæc expoſitio probabilitate ſua non careat, non præter rem erit hic interponere, quod alicubi memoriæ reliquit *Athenæus* nempe Gentes, Deorum ſive templorum donaria quandoque meretricibus obtuliſſe. Sed ut pertexam quod exorſus ſum:

NON *Micah* tantum, ſed & *Jeremiah*, modo genuina ſit epiſtola [b] *Barucho* ſubnexa,

a Οὐκ ἔσται τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραήλ.

b Cap. 6. v. 43.

teſti-

teſtimonium præbet, ad inſtitutum præſens accommodatum: nam de Beli templo & Babyloniorum ſcortis agens, *mulieres*, inquit, *circundata funibus, in viis* templo vicinis *ſedent*, θυμιῶσαι τὰ πίτυρα: *cum autem aliqua earum attracta ab aliquo pertranſeuntium, dormierit cum eo, proxima exprobrat, quod non digna ſit habita, ſicut & ipſa, nec funis ipſius diruptus ſit.* Quid ſibi velint iſtæ phraſes, θυμιῶσαι τὰ πίτυρα, *circundata funibus*, & *funem dirumpere*, non eſt aut otii aut inſtituti noſtri curioſius indagare. Phraſibus illis explicandis operam non infeliciter impenderunt, [a] *Martinus Delrio*, [b] *Martinus* de *Roa*, [c] *Schedius*, [d] *Seldenus*, [e] *Grotius*, aliique, ad quos ſe conferant lectores quibus otium ſuppetit. Id unum cum inſtituto præſente conjunctum eſt, nempe ut obſervemus, fœminas illas, in viis ad numinis ſui templum ducentibus ſedere, corpora in illius honorem vulgare, & vulgari pudoris præmium numini ſuo ſacrare ſolitas. Hoc equidem non dicit Propheta; ſatis autem ex [*] *Herodoto* intelligitur, qui verbis apertioribus impurum illum Babyloniorum ritum memoriæ conſignavit: ἐν τεμένεϊ Ἀφροδίτης κατέαται στέφανον περὶ τῇσι κεφαλῇσι ἔχουσαι θώμιγγος πολλαὶ γυναῖκες, &c. *Ad templum Veneris ſedent multæ mulieres, nodis corollisque tempora revinctæ, e quibus aliæ accedunt, aliæ diſcedunt. Nam diverticula undecunque ſic funiculis diſtincta aditum præbent externis* ad *mulieres illas, quam cuique libuerit eligendam. Porro cum* ſemel *illic* conſederint, *non prius domum* regrediuntur, *quam hoſpitum aliquis pecuniam mulieri in* ſinum *conjecerit, & cum eadem a fano ſeorſim abducta rem habuerit.* Hoſpitem *autem illum qui pecuniam obtulit dicere oportet*, tangi ego tibi Deam Mylittam imploro. -- *At vero pecuniam illam quantulacunque ſit non eſt fas rejicere: ſiquidem in ſacrum convertitur* uſum.

E filo non multum diſſimili contexta eſt hiſtoriola illa [f] *Vincentii le Blanc*, quæ Latine reddita ſic ſonat: " Juxta oppidum Arabicum, *Maſar* dictum, Templum olim Veneri dicatum ſtetit, ubi puellæ (quæſtus aut voluptatis gratia) ſe proſtituebant. Meretrix autem clarioris notæ, cui nomen *Ameliga*, nullam concubitus mercedem a perſonis ditiſſimis accipere dignata eſt; ſed eos fide data tantum obſtrictos tenuit, aliquid pauperibus erogare, his verbis additis: *Deam Ameligam colite, cui vos hæc offertis.*"

VERBORUM multitudine hic ſuperſedeo, quod aſſertionis meæ veritas ex aliis teſtimoniis ſtatim producendis, paulo clarius elucebit.

SECUNDO: provinciæ ſuſceptæ ratio jam poſtulat ut oſtendam, Deum legem hanc eo præcipue conſilio ſtatuiſſe, ut omnem moris tam profani & a caſtitate religionis alieni veſtigium & memoriam aboleret. In hanc autem ſententiam his adducor argumentis: Deum mori illi hanc legem objeciſſe.

(1°.) Ex iis quæ capite ſuperiori dicta ſunt, aperte ſatis intelligitur, Deum morem ethnicum, huic affinitate propinqua conjunctum, lege præcedente vetuiſſe. Sic enim ſe habent legis illius verba: *non erit* קדשה *meretrix e filiabus Iſrael, nec erit* קדש *cinædus e filiis Iſrael.* His autem verbis (quod antea probaſſe videar) ſcorta ſexus utriusque, fornicatione Dæmonum myſteriis initiata, & eorum pudicitiam non tam libidinis quam ſuperſtitionis cauſa proſtituentia prohibentur. Cum autem illa ſexus fœminei ſcorta quæſtum publicato corpore quandoque facerent, cumque in uſum ſacrum converterent; æquum eſt opinari Deum hanc legem ſanxiſſe, ut affinem illum, quæſtum fornicatione comparatum ſacris addicendi morem inhiberet: nempe ut omnibus innoteſceret, eum illa Dæmonis & libidinis mancipia non *ſimpliciter* prohibere; ſed ea permittere nolle, quamvis ethnicorum ritu fornicationis vectigal ærario vel templo ſolverent. Niſi Deus hanc legem ob cauſam jam dictam dederit, non eſt facile dictu cur legi præcedenti ſubnectatur.

(2°.) NIHIL uſitatius apud alias gentes, quam ut mulieres idolo ſacræ, pudicitiam proſtituerent, & pudicitiæ proſtitutæ pretium idoli ſui templo vel altari conſecrarent. Hunc morem apud Babylonios obtinuiſſe, ſatis e modo citatis *Herodoti* verbis intellectum eſt. Phœnices etiam id moris habuiſſe, teſtatur [g] S. *Auguſtinus*, cum ait, *an tres* Veneres ſunt, *una virginum*, -- *alia conjugatarum, alia meretricum? cui etiam Phœnices donum dabant de proſtitutione filiarum, antequam jungerent eas viris.* Apud Africanos, fœminas templo Veneris vulgato corpore dotem quæſiiſſe, non ſine probabili ratione creditur: de *Sicca* nempe, colonia Africana, hæc poſteritati narravit [h] Valerius Maximus: *Sicca eſt fanum Veneris, in quod ſe matronæ conferebant; atque inde procedentes ad*

a *Diſq. Magic.* l. 3. P. 1. *Quæſt.* 3. ſect. 2. b Lib. *ſingul.* 3. cap. 9, 10, 11. c *Sched. de Diis Germ.* p. 82. d De *Diis Syr.* Synt. 2. cap. 2. e *Not. in Baruc.* 6. 42, 43. * Lib. 1. c. 199. f *Peregr.* Part. 2. cap. 23. p. 178. g De *Civit. Dei* Lib. 4. c. 10. Tom. 7. col. 96. B h Lib. 2. c. 15.

Sect. I. *quæſtum, dotes corporis injuria contrahebant.* Ægyptios a more illo non prorſus alienos fuiſſe colligo, quod *Lucianus*, de moribus eorum in terra Bybliorum uſitatis loquens [a] referat, eos, inferias Adonidi peragentes, *capita tondere* ſolitos, γυναικῶν δὲ, inquit, ὁκόσαι οὐκ ἐθέλουσι ξυρέεσθαι, τοιήνδε ζημίην ἐκτελέουσι, &c. *E mulieribus autem quæcunque tonderi nolunt, talem pœnam exolvunt: unum quidem diem ad quæſtum corpore faciendum* foro *proſtant: forum autem illud ſolis peregrinis exhibetur: & quod inde mercedis auferunt, hoc Veneri in ſacrificium datur.* Moris ejusdem apud Cyprios obtinentis, teſtis eſt [b] *Juſtinus*, cum ait; *mos erat Cypriis, virgines ante nuptias ſtatutis diebus dotalem pecuniam quæſituras, in quæſtum ad littus maris mittere, pro reliqua pudicitia libamenta Veneri ſoluturas.* Huic affine teſtimonium nobis præbet [c] Jul. Firmicus: *audio Cinyram Cyprium templum amicæ meretrici donaſſe. Ei erat Venus nomen. Initiaſſe etiam Cypriæ Veneri plurimos, ——ſtatuiſſe etiam ut quicunque initiari vellet, ſecreto Veneris ſibi tradito, aſſem in manum mercedis nomine Deæ daret.* Græcos ab hoc more non receſſiſſe, ſat probant exempla illa plurima [d] Græcarum meretricum, quæ Deorum templa vel ſimulacra e muneribus meretriciis conſtituiſſe perhibentur. Moris hujusce fidem firmat [e] *Clemens*, qui in myſteriis Veneris, nummum ei datum ab initiatis memorat. Apud Rnmanos etiam, fœminas formæ proſtitutæ quæſtu ditatas, Venerem donariis honoraſſe, eique gratiam reddidiſſe, multis evinci poſſet, niſi quod ſtylus noſter in hac cloaca juſto diutius hæſiſſe videatur. Cum e jam dictis appareat, hunc morem ſe longe lateque olim diffudiſſe, ut fœminæ corpore vulgato quæſtum facerent, & hoſtias aut alia aliqua templis inſervientia quæſtu illo compararent; hinc veriſimile factum eſt, Deum mori tam impuro lateque propagato, legem hanc tanquam obicem oppoſuiſſe. Hic enim legis divinæ ſcopus eſt & intentio præcipua, ut ritus gentium impuros, ſi præſertim in uſu frequenti poſitos & in religionis parte habitos, diſerte prohibeat & a gente ſancta longe arceat. Neque per ſe credibile eſt, Deum ritum tam turpem, & ipſam auctoris imaginem exprimentem, nulla cenſura notatum præterire voluiſſe.

(3°.) Ne minimam probabilitatis ſpeciem præ ſe fert, Deum contra oblationes mercede meretricia partas legem ferre voluiſſe, niſi populi mores animique, gentium conterminarum exemplo corrupti, hujusmodi legem ſanciendi cauſam feciſſent: nec minus ab omni probabilitate remotum eſt, tantam veſaniam Hebræorum animos incedere potuiſſe, ut hoſtiam, turpitudinis pretio partam, Deo ſancto ſacrificarent; niſi quod, apud Ægyptios, aut alios e vicinia populos, (in quorum mores proni ſemper erant) hujusmodi conſuetudo viguiſſet.

Et quare. Tertio: dicendum ſupereſt, cur Deus omnia moris hujuſce veſtigia deleri, & non ſtuprum tantum, ſed & ſtupri mercedem, ab ejus domo removeri juſſerit. Quantum itaque legislatoris Optimi conſilia conjectura aſſequi valeo, his de cauſis hanc legem dediſſe cenſeatur.

(1°.) Ut domus ejusque ſacra, ab impuritatis vel ſpecie remotiſſima, cum illius natura ſanctiſſima conſentirent, & Deum Iſraelis cum ſtercoreis ethnicorum numinibus nihil affinitatis habere teſtarentur. In Gentilium ſacris & ſacrariis ita comparata erant omnia, ut eorum religio, publica tantum ſtupri & libidinis profeſſio videretur. Eorum enim ceremoniæ obſcœnæ, ſacerdotes fœminæ, myſteria lucifuga, [illegible], initiationes impuræ, luci tenebricoſi flagitio culvis fiduciam conciliantes, & hujusmodi alia libidinis indicia vel inſtrumenta, in Gentilium cultibus uſitata, Dæmonis impuri naturam referebant, eosque ſacra ſua omnia in illius honorem præſtare luculenter indicabant. E diverſo: ritus & inſtituta Moſaica, pura erant & ubique gentium [illegible], nec quicquam auri vel oculo caſtiſſimo moleſti vel ingrati continebant. Cum enim ritus illi ſigni loco eſſent, quo Dei veri cultores a Dæmonis impuri mancipiis diſcernerentur; conſentaneum erat ut cum puriſſima Dei natura conſentirent, nec quicquam impuritatis alicujus macula notatum continerent: nempe ut hac ratione, cultum illum ritualem in honorem *Sancti Iſraelis* inſtitutum & præſtitum eſſe clarius innoteſceret.

(2°.) Deus oblationes meretricis præmio comparatas omnino repudiavit, ne populus inde libidinis occaſionem arriperet, & tandem in omnem vitæ propudioſæ licentiam ſolveretur. Nam ſi ſtupri mercedem ſibi oblatam accepiſſet Deus, pronum eſſet impuris hominibus opinari, eum dono corrumpi poſſe, & libidini, unde lucrum perceptum eſſet, veniam facile conceſſurum. Et proculdubio fœminæ ſimpliciores,

a *De Dea Syr.* p. 1058. B. b *Hiſt.* Lib. 18. cap. 5. c *De error. profan. relig.* p. 15. d *Vid. Athenæum,* l. 13. c. 3, 4, 5. & *Arnob. advers. Gent.* l. 6. p. 200. e *Cl. Alexandr. in Protrept.* p. 13. 00.

mercede

mercede conductæ, cuivis corporis ſui copiam facile præbuiſſent, modo Deum, (adſit verbis reverentia) in prædæ partem veniens, connivere, & libido religionis faciem induere videretur. Cum itaque commate præcedente cautum fuiſſet, ne qua meretrix, aut fornicator eſſet e gente Iſraelitica; continuo additur, *non offeres mercedem proſtibuli in domo Domini Dei tui:* quaſi legiſlator ſenſum ſuum ſic, paulo luculentius, expreſſiſſet: “ nolo quempiam, mihi ſancto fœdere devinctum, Dæmonis aut libidinis mancipium ſe publice profiteri. Et ne quis color tam impuro vitæ generi e religione quæratur; nemo mihi quicquam offerat violatæ pudicitiæ mercede emptum partumve; quaſi peccatis ſuis veniam, aut ſibiipſi peccandi licentiam, inde redempturus. “ Nemo ſe Diabolo vendat, ut inde valeat in templum & altare meum ſumptum ampliorem facere. SECT. I.

(3°.) Deus proſtibuli mercedem a domo ſua rejecit, ne dono tam ſordido ſacrarii ſui dignitas & majeſtas læderetur. Merces arte aliqua [a] turpi & infami parta turpis ſemper viſa eſt, nec integro honore accipienda. Præ cæteris autem, quæſtus arte meretricia factus, apud omnes honoris ſenſu tactos ſemper ſordebat, & infamiæ notam rebus, & perſonis inprimere cenſebatur. Sic *Severus* exiſtimavit; [b] *lenonum* itaque *vectigal & meretricum & exoletorum in ſacrum ærarium inferri vetuit, ſed ſumptibus publicis ad inſtaurationem theatri, & circi, -- deputavit.* Ita cenſuit [c] *Arnobius*, qui Gentibus id probro objicit quod ſimulacra, e muneribus olim meretriciis facta, timere ſolerent & venerari. *Simulacra iſta*, inquit, *quæ vos terrent, quæque templis in omnibus proſtrati atque humiles adoratis, oſſa, lapides, æra ſunt, argentum, aurum, teſta*, &c. *ex ornatibus fortaſſe meretriciis, aut ex muliebri mundo, -- ex cacabulis, olluis, -- lucernis, aut ex aliis obſcænioribus vaſculis congeſta, -- in formas quas cernitis exierunt.* Cum itaque ſtupri pretium apud antiquos res vilis & infamis haberetur, Deus Sacrarii ſui dignitati & reverentiæ conſulens, donaria omnia ſibi e quæſtu meretricio dicata repudiavit. Ratio hæc eo facilius inveniat fidem, quod poſt legem contra proſtibula (loco quem dixi [d] parallelo) traditam, proxima ſuccedat lex de *Sanctuario reverendo*. Deinde hac in lege proſtibuli merces & cania [animalis maxime vilis & abjecti] pretium, quaſi pari infamia laborarent una prohibentur.

(4°.) Deus hanc legem ſtatuit, ne ſi & ipſe meretricum donaria vel ſacrificia donariis illis acquiſita, ſacris ejus inferri permiſiſſet, ipſe gentium ritus, in cultu Veneris uſitatos, imitari vel probare videretur; donaria illa, tanquam animi ſacris ejus addicti documenta recipere; meretricum [illegible], tanquam ſibi ſautori debita, boni conſulere; earum etiam moribus impudicis annuere, religionis nomine peſſime licet abuterentur.

Nulli hæc omnia conſideratius expendenti, mirum videri poſſit, quod apud Deum, hujoſmodi donaria [de fornice ſcilicet ad Sanctuarium allata] pro *abominatione* habeantur.

Leges haſce duas (*non erit proſtibulum e filiabus Iſrael*, &, *mercedem proſtibuli non feres in domum Domini*,) Gratiis haud iratis illuſtraſſe videar. Quoniam autem inter leges haſce, LXX [e] legem jam dictam mediam collocent; quod etiam lucis aliquid modo dictis afferat; operæ pretium autumo, in illius ſenſum primo, dein originem vel interponendi rationem diligentius inquirere, de quibus eruditi, quovis pene ſeculo, ſtudio & calore non exiguo decertarunt. De legis inventione Græca hic interpoſitæ:

De ſenſu legis tres opiniones obtinuere: nam

(1°.) Non pauci legem ſic interpretandam cenſuerunt, *ne ſit vectigal pendens inter filios Iſrael*, ac ſi Deus Hebræorum gentem Romanis aut aliis vectigalem eſſe vetuiſſet. Hac ſententia fuerunt olim, Theudas, Judas Gaulonites, Simon Galilæus, aliique Judæi ſeditioſi, qui hac lege, tanquam machina præcipua, ad plebem contra Romanos excitandam utebantur. Chriſtus autem, [f] conſilio ſimul & exemplo docuit, has voces minime trahendas eſſe ad vectigalium immunitatem inducendam. Senſu,

(2°.) Nuperus auctor hanc legem non de vectigali civili, Reipublicæ, ſed tributo meretricio, Templo, ſolvendo, exponendam cenſuit. *Et hic*, inquit, *eſt verus ſenſus & vera interpretatio loci, qui merito viſus eſt difficilis, non antiquis tantum patribus, ſed & illis quoque qui eos præceſſere, Judæis; utpote quorum complures ita eum acceperint, ut quod Moyſes ſcripſit de utriuſque ſexus ſcortis, vectigal templo e turpi corporis*

a *Nullius rei turpis merces decora eſt.* Tertul. de *cult. femin.* 1. 5. 2. p. 150. C   b Lamprid. in vit. *Sever.*   c Lib. 6. ad. *Gent.* ub. ſupr.   d *Lev.* 19. 29. 30.   e Οὐκ ἔσται τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραήλ, καὶ οὐκ ἔσται τελισκόμενος ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ. LXX in *Deut.* 23. 17.   f *Marc.* 12. 17. *Mat.* 17. 27.

SECT. I. *quaſtu conferentibus, ipſi de omnibus Judæis intelligendam eſſe crediderint, ac ſi legiſlator voluiſſet nullum omnino inter Judæos publicanum eſſe debere, nec ullum perſolvendum eſſe tributum.* Miror autem virum doctum, ratione tam levi motum, Patribus ipſis ignorantiæ notam inurere potuiſſe. Ne multis immorer: non eſt vel ſimile vero, meretricibus hic interdictum eſſe; ne fornicationis ſuæ vectigal templo ſolverent; cum id ipſum verbis immediate ſequentibus inhibeatur, cum etiam eadem lege non tantum mulier τελεσφόρος, ſed etiam vir τελισκόμενος, a gente ſancta removeatur: nam rationi conſentaneum eſt, ut τελεσφόρος ſenſu conveniat cum voce τελισκόμενος, quam *Heſychius*, & alii grammatici, viro docto fatente, τετελεσμένον ἀνδρόγυνον, vel μεμυημένον, interpretantur.

(3°.) SENTENTIA *Theodoriti* eſt, quam ipſis [a] auctoris verbis expreſſam audiamus: τελεσφόρον τοίνυν καλεῖ τὸν μυσταγωγοῦντα, τελισκόμενον δὲ τὸν μυσταγωγούμενον. Teleſphorum *vocat eum qui Gentilium ſacris initiat:* Teliſcomenum *vero, qui ſacris eorum initiatur.* Hic vocum earum ſenſus eo magis arridet, quod lege præcedente, non de tributo fiat ſermo, ſed fornicatione, qua ſacris idololatricis initiari ſolebant; quod etiam conſentaneum ſit, ut voces ſexum utrumque ſpectantes, ſenſus affinitate conjunctæ cenſeantur. Ab hac ſententia prope abeſt eruditus [b] *Nobilius*, qui in hæc verba legem transfert; *non erit teletas ferens de filiabus Iſrael: & non erit initiatus de filiis Iſrael.* Teletas autem explicans, *in eam*, inquit, *ſententiam venio, fuiſſe ſacra impudica, quibus quæ ſe obſtringerent fœminæ, myſteria quædam portarent, ſicut canephoræ apud Athenienſes.* Ad hanc ſententiam affectu proniore fertur animus, quod vox ea τελεσφόρος, apud auctores vere Græcos, *vectigal pendentem* vix unquam denotet; nec *Heſychius*, *Suidas*, *Phavorinus*, *Stephanus*, hunc ſignificatum ei voci tribuant.

De origine. SENSU legis qua licuit inveſtigato, jam in illius originem vel interponendi cauſam propius inſpiciendum eſt. Cum enim Hebræa veritas hanc legem non agnoſcat, examine dignum videtur cur Seniores eam addiderint, & hac ratione ſibi quidlibet in ſacris audendi licentiam ſumpſerint. Hic autem in tres partes itum eſt ab interpretibus.

NAM (1°.) Dicunt aliqui, legem verſioni Græcæ reſpondentem, ætate Seniorum, in exemplaribus Hebraicis extitiſſe; poſtea vero, Judæorum magiſtros fontem Hebræum turbaſſe, & in hoc aliiſque locis innumeris, exemplar originale corrupiſſe. Hæc autem opinio nullam apud me fidem invenire poteſt, quod auctoritate nulla ſuffulciatur, quod ſenſus integritas hujuſmodi legem hic prorſus inutilem & ſupervacaneam probet, quod incredibile ſit Deum Judæos (modo regi gentili ſubditos) a vectigali ſolvendo cohibere voluiſſe, quod etiam nulla ratio ſatis gravis appareat cur Judæos fraudis alicujus, hoc in loco ſuſpectos habeamus. Hic auctor modo laudatus ſe importunius ingerit, dicens: *manifeſtum eſſe Judæos hunc locum expunxiſſe, vel quod eum non intelligerent, vel quod verbis Chriſti lucem afferret, vel potius ne in perſolvendo gentibus tributo legis ſuæ prævaricatores eſſe viderentur.* Cum autem in paraphraſi Chaldaica, Syriaca, Hieroſolymitana, nulla legis hujus expunctæ veſtigia reperiantur; cum etiam Judæi multas alias leges, in textu hodieque repertas, non intelligerent; cum etiam vix credibile ſit, Hebræorum gentem, per orbem terrarum diſperſam, in tantum facinus conſpirare potuiſſe; abſit ut conjecturis hiſce palea levioribus inducti, Scripturæ corruptæ crimen iis impingamus, a quo vel maxime ſemper abhoruerunt.

(2°.) [c] GROTIUS aliique ſe perſuaſos habent, hanc legem, *ex alia verſione*, in textum Græcum irrepſiſſe; *eorum* ſcilicet *interpretum qui* קדשה & קדש *ſumebant ſenſu initiationis idololatricæ.* Hanc autem ſententiam nulla veriſimilitudine ſubnixam arbitror, quod re bene penſitata pateat, interpretes Græcos eam, non ſine gravi ratione, textui Hebræo ſubjunxiſſe.

(3°.) PLERIQUE alii legis hujus originem ad Græcæ verſionis auctores referendam ſentiunt. Horum ego ſenſum vero maxime conſentaneum arbitror, quod LXX voces eas, קדשה & קדש aliis in locis, initiationis idololatricæ ſenſu ſumpſerint. Nempe 1 *Reg.* 22. 47. *Et ſuſtulit reſiduum* הקדש ubi LXX habent, καὶ τὰς λοιπὰς τῶν τετελεσμένων Locus huic affinis occurrit, *Hoſ.* 4. 14. *& ſacrificaverunt* [illegible] הקדשות a LXX ſic redditus, καὶ μετὰ τῶν [1] τετελεσμένων ἔθυον Hiſce proxime jungitur 1 *Reg.*

a *Quæſt.* 28. in *Deut.* b *Not.* in *Sep.* ad *Deut.* 23. c Annot. ad *Deut.* 23. 17.

1 Apud MS. Barberinianum legitur, & Verſionem *Aquilæ*, ἐνδιηλλαγμένων *Symmach.* [illegible] *Theodotion.* καὶ τῶν [illegible] [illegible]

15.

15. 12. *Et tranſire fecit* הקדשים *e terra*, quem Græci ſic ioterpretantur, καὶ ἀφεῖλε [1] τοὺς τελετὰς ἀπὸ τῆς γῆς· Cum itaque LXX voces eas, קדש & קדשה per τελετὰς & τετελεσμένους, alibi non ſemel expoſuerint; eorum mori conſentaneum eſt, ut eas hoe in loco, per τελεσφόρος & τελισκόμενος (ſenſus eognati vocabula) reddidiſſe cenſeaotur. Ideo vero LXX vocabulo קדשה πόρνης & τελεσφόρα ſignificatum dederint, & ex una lege Hebraica, duas (uti videtur) Græcas feceriot; ut morum integritati conſervandæ eo magis conſulereot, & omnibus ſatisfactum eſſet, eum iis qui de fornicatione ordinaria, tum iis qui de fornieatione in gentium initiis uſitata, legem haoc intelligendam cenſuerunt. SECT. II.

SECT. II.

De membro legis altero, quo pretium canis Tabernaculo dicare vetitum eſt.

AD alterum legis membrum me jam recipio, quo ſie deeernitur, ***non*** offeres ***pretium canis in domo Domini Dei tui,—quia abominatio*** eſt, &c. Si quis hujus præcepti ſuperficiem tantum intueatur, non poſſit non mirari, quod Deus non ***canem*** tantum, ſed מחיר כלב ***pretium canis***, non reſpuat ſolummodo, ſed & ***abominetur***; cum præſertim canis præ cæteris animalibus, homini præſidio ſit & oblectamento. Inde factum, quod interpretes ingenii ſui nervos intenderint, & hujus præcepti ſenſus & cauſas tam varias excogitarint, ut eorum lectores admiratione ſuſpenſos expediant & a cruce liberent. Cum autem eorum plerique ne per nebulam quidem (abſit verbis invidia) legis hujus originem & cauſam viderint; aliquid operæ in illius explicatiooe impenſum, lectori non minus gratum futurum cenſeo, quam inſtituto præſenti conſentaneum.

UT itaque ſuſceptum opus felicius expediam, eonſultum erit, a verbis legis exordium ſumere; quibus ut lueem afferam, quærendum eſt, quid per ***canem***, quid etiam per ***pretium canis***, intelligendum ſit. Quid *canis* nomine cenſendum.

QUÆRENDUM eſt primo, quid hac in lege, ***canis*** nomine cenſendum ſit? Huie dubio variæ doctorum ſententiæ cauſam præbuere: nam (1°.) *Abarbanel*, *Junius*, [2] *Feſſelius*, [3] *Simeon* de *Muis*, alii, ***canem***, hoc in loeo figurate ſumendum ſentiuot; & ea voce, cinædum, puerum meritorium, ſcortum maſculum, (cujus verſu præcedente mentio facta eſt) intelligendum. Cinædum autem ***canem*** hie appellari putant, quod animal illud impudentia ſimol & libidine repræſentet. Hæc opinio probabilior habetur, quod impuri homines hoe eoovitio notentur in [a] Sacris, & [b] *Martialis* hominem omni pudore vacuum ***canem*** vocet. At, ſiquid ipſe judico, rationi ſimul & Scripturæ ſimplicitati magis convenit, ut legem hanc de cane vero potius quam methaphorieo datam cenſeamns. Nam *legislatores*, uti mooet [c] *Bochartus*, *tropis & metaphoris uti non ſolent, ſed edicta ſua verbis propriis efferre, ne ulla ſubſit æquivocatio.* (2°.) Opinati ſunt alii, Deum hae lege curaſſe ne quis mercedem, pro admiſſura canis venatiei vel paſtoralis aeceptam offerat. Ea erat opinione [d] *Joſephus* cujus hæc ſunt verba: μηδ᾽ ἂν ἐκ ὀχείας κυνὸς, ἤτοι θηρευτικοῦ ἢ ποιμνίων φύλακος, λάβοι τις μισθὸν, ἐκ τούτου θύειν τῷ Θεῷ. Hune ſequutus *Caſtellio*, ſic verba reddidit: ***admiſſura canis***, venatici vel paſtoralis, ***pretium, in Jova Dei tui templum, ullum ob votum ne inferto.*** Hujus ſententiæ tutelam & patrocinium ſuſcipit [e] *Bonfrerius*: poſtquam enim illa *Joſephi* verba protuliſſet, ***hac***, inquit, ***mihi—veriſimilior videtur explicatio, ſiquidem mihi non dubium, his verbis etiam aliquid turpe indicari, ratione cujus turpe ſit & indecorum Deo id offerri, vel ex eo ſacrificari. Deinde ſatis indicat Joſephus verbis illis quæ fuerit hujus legis ex mente Judæorum explicatio. Quis autem credat, Judæos, maxime ſacerdotes, cujuſmodi extitit Joſephus, non intellexiſſe—quæ ad ſacrificia & oblationes pertinebant?*** His accedat, quod pretium pro admiſſura canis eum annexa proſtibuli mereede non male eohærere videatur. Huie interpretationi ſpecioſæ licet, adduei non poſſum ut aſſenſum præbeam: nihil enim probabilis cauſæ video, cur Deus primum legis hujuſce membrum verbis claris & apertis, hoe autem obſcuris & figuratis traderet. Sed & raro auditum eſt, queoquam pro canis admiſſura pretium aliquod (quod alicujus valoris eſſet & templo dignum) unquam oumeraſſe. Neque

a *Apoc.* 22. 15. b Lib. 4. *Epigr.* 52. c De *animal. ſac.* P. 1. L. 2. Cap. 56. Col. 690. 70. d *Antiq.* L. 4. C. 8. p. 162. 15. e *Comment.* in *Deut.* 23. 18.

1 Juxta *Edit. Complut.* τοὺς τετελεσμένους.
2 *Adverſ. ſac.* L. 2. cap. 29. §. 10.
3 *Var. ſacr.* ex *Deut.* col. 2739.

Sect. II.

fidem habet Deum quicquam niſi quod olim uſitatum erat, hac in lege vetuiſſe: Gentes autem admiſſi canis pretium templis ſuis addicere ſolitas, ab hiſtoriæ fide & omni veri ſpecie longe removetur. Judæos quod attinet, facile fieri potuit, ut vera legis hujuſce ratio eos lateret, cum tot ſeculis Moſe poſteriores eſſent, & e Novi Teſt. ſcriptis appareat, eos non minus a legis Ceremonialis quam Moralis ſenſu genuino turpiter aberraſſe. Nec *Joſephi* leges Judaicas explicantis judicio tuto innitendum eſt: cum interpretationes ejus erroneæ, ſæpius in hoc opere memoratæ, ſat probent, eum, leges Moſaicas, Muſis omnibus invitis & iratis, interpretari ſolitum, & legum earum ritus multo melius quam rationes intellexiſſe. (3°.) Perſuaſum eſt aliis, *canis* nomine, hic illius primogenitum intelligendum eſſe: ſentiunt enim opinionis hujuſce patroni, canis primogenitum, niſi hic exceptio facta fuiſſet, æſtimari, redimi, ejuſque pretium Deo offerri debuiſſe. Hæc opinio patronos invenit, [1] *S. Auguſtinum*, *Lyranum*, *Abulenſem*, *Cajetanum*, [2] *Martinum* de *Roa*, alioſque. At ratio me cogit & ab hac ſententia diſſentire: quis enim credat, canis primogenitum, niſi lex hæc obſtaret, redimendum fuiſſe: cum animal illud in latebris parere ſoleat, & catulos uno partu plures edere, adeo ut quinam ex illis redimendus eſſet, nemo homo dignoſcere potuiſſet? Nec minus fidei difficile eſt, Deum legem [a] eam de primogenitis animalium immundorum redimendis, ad omnia viliſſimæ ſortis animalia extendi voluiſſe: tunc enim felis aut ſimiæ catulus primogenitus, agno, columba, vel forte ſiclo [non ſine damno fortunæ tenuioris hominibus oneroſo] fuiſſet redimendus. Satis clare ſuperiora demonſtrant, *canem*, hoc in loco, nec figurate ſumendum eſſe, pro cinædo ſcil. aut canis admiſſura; nec ſtricte, pro canis primogenito; ſed proprie lateque, pro omni animali quod *canis* nomine vulgo deſignamus.

Quid per *pretium canis* intelligendum.

Secundo: quæritur, quodnam ſit illud *pretium canis*, quod in Sacrarium inferre vetitum eſt. Sed circa rem hanc non eſt quod ſollicite laboremus, cum vox Hebræa מחיר pecuniam notet, aut aliud quodvis ἀντάλλαγμα, quod emptor dedit, ſibi juris in rem aliquam acquirendi cauſa. Ideoque LXX voces Hebræas per ἄλλαγμα κυνὸς conſulto reddunt: nam & vox ea pecuniam denotat, aut quidvis aliud in compenſationem ab emptore datum. Senſum tam laxum & [b] *Maimonides* huic legi tribuit, cum ait, *ſi aliquis ſocio dixerit, en tibi agnum hunc pro iſto cane, aut ſi canem permutaverit cum aliquot beſtiis, aut avibus, aut aliis hujuſmodi, omnia iſta ſunt interdicta.* Niſi lex hæc obſtitiſſet, canis, quanquam non ex lege, ex [c] voto forte redimi debuit, ſi quis domeſticum hoc animal Domino conſecraſſet.

Legis cauſam ab Ægypti moribus arceſſendam eſſe.

Cum jam depulſis errorum nebulis, hujus præcepti ſenſus elucet; id ſupereſt, ut ambage ſemota, legis hujuſce cauſam & originem ediſſeramus. Veriſimile eſt itaque, Zabios antiquos, Ægyptios inprimis, canem zelo ſtudioque plane ſingulari coluiſſe; Deum etiam canem, ejuſque pretium, a templo ſuo lege lata removiſſe, ut egregium illud Ægypti numen quaſi ſugillaret, & Iſraelitæ non minore contemptu, quam Ægyptii cultu & honore canem proſequerentur. Ut huic rationi fidem aſtruam, duo mihi probanda incumbunt: (1°.) Zabios antiquos, Ægyptios inprimis, canem præcipua quadam veneratione proſecutos fuiſſe. (2°.) Deum legem hanc ad eorum ſuperſtitionem redarguendam & eliminandam tradidiſſe.

Primo: illud fundamenti loco præſtruendum eſt, Zabios antiquos, Ægyptios inprimis, canem præ multis aliis animalibus impenſe coluiſſe. Sagacem Ægypti gentem eo inſaniæ devenire potuiſſe, ut honorem ſacrum beſtiis impertirent, res eſt pene ſupra captum credulitatis poſita, multis tamen veterum teſtimoniis comprobata. Nos in præſens illo [d] *Diodori Siculi* teſtimonio contenti ſumus: σέβονται ἔνια τῶν ζώων Αἰγύπτιοι καθ' ὑπερβολήν, οὐ ζῶντα μόνον, ἀλλὰ καὶ τελευτήσαντα· οἷον τάς τε αἰλούρους, καὶ τοὺς ἰχνεύμονας, καὶ τὰς ἰκτίδας, καὶ κύνας· i. e. *Animalia quædam Ægyptii ſupra modum, non viva tantum, ſed & demortua venerantur, ut feles, ichneumones, muſtelas, & canes.* Eos autem cultum præcipuum canibus exhibuiſſe, teſtatur [e] *Plutarchus*, cum ait, πάλαι μὲν τὰς μεγίστας ἐν Αἰγύπτῳ τιμὰς ὁ κύων ἔσχε· *Antiquitus canis maximis in Ægypto honoribus afficiebatur.* *Plutarchi* teſtimonio fidem eo firmiorem tribuamus, quod appareat, Ægyptios *honoris* illius *maximi* canibus exhibiti multa dediſſe documenta. Cum enim ovis hic, hircus alibi, canis ubique & ab omnibus Ægyptiis, in honore habebatur: nam [f] *Strabo* canem tribus illis animalibus quæ ἅπαντες κοινῇ τιμῶσιν Αἰγύπτιοι, *Ægyptii omnes*

a *Num.* 18. 15. b In *Iſſur. Mizbeah.* c. 4. ſ. 16. c *Levit.* 27. 9, 10, 11. d *Biblioth. Hiſt.* L. 1. p. 74. B. e In *Iſid.* p. 368. f *Geogr.* Lib. 17. p. 1166. C

1 *Quæſt.* in *Deut.* L. 5. T. 3. Part. 1. col. 569. 2 *Singular.* L. 3. c. 13. p. 229.

commu-

communiter colunt, annumeravit. Hinc in fabulam tandem & jocum abierunt: nam *Juvenalis*, de Ægypro loquens, *Satyr. 15. verſ. 8.* inquit, —— *illic* SECT. II.

Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.

Sed & canis obitum majore dolore, quam cujuſvis alterius *animalis funeri* proſequebantur: nam [a] *Herodoto* teſte, *in quibuſcunque ædibus felis ſuo fato periit*, οἱ ἐνοικέοντες πάντες ξυρῶνται τὰς ὀφρύας μόνας, *omnes earum incolæ ſola raduntur ſupercilia*: παρ' ὁτέοισι δ' ἂν κύων, πᾶν τὸ σῶμα καὶ τὴν κεφαλήν· *In quibus autem canis* moritur, *totum corpus & caput.* Idem & a [b] *Diodoro Siculo* memoriæ proditum eſt. Cultus etiam ſingularis inſigne eſt [c] τοῖς Ἰσιείοις προηγεῖσθαι τὰς κύνας κατὰ τὴν πομπήν· *quod canes in Iſidis feſto pompam antecederent;* & quod Ægyptii menſa communi, cum hoc ſolo animali uti dignarentur; quod etiam feles *Bubaſti* ſolummodo, canes autem per totam Ægyptum, [d] *aromatibus conditi*, ἐν ἱεραῖς θήκαις *ſacris in loculis* ſepelirentur.

Duæ vero rationes a ſuperſtitionis Ægyptiacæ natura petitæ reddi poſſunt, cur Ægyptii canem eo honoris divini gradu collocarunt. Primam *Æliani* verba ſuggerunt: [[e] ὅταν] ἀνατέλλῃ τὸ ἄστρον ὁ κύων, &c. *Cum ſtella canis exoritur*, -- *cum ipſo pariter Nilus ſeſe attollens irrigationem invehit, & in agros redundat: quapropter canem*, ſtellam, ὡς ἄγοντα τόδε τὸ γόνιμον ὕδωρ καὶ παρακαλοῦντα, τιμῶσιν Αἰγύπτιοι· *ut aquæ fertilis inductorem colunt;* & canem animal, utpote Caniculæ ſymbolum, in cultus illius communionem vocant. Ratio ſecunda, cur Ægyptii canem tam ſacrum habuerint & præcipue venerandum, erat, quod Anubis aut Mercurii, numinis eorum maximi, ſymbolum & imago viva crederetur. Ejus rei fidem firmabunt teſtimonia ſectione ſequente magis opportune producenda.

E jam dictis patere cenſeo, Ægyptios canem præcipua religione coluiſſe. Proximo probandum incumbit, Deum ideo hanc legem ſtatuiſſe, ut ſuperſtitionem tam inſulſam ludibrio exponeret, ejuſque ſpeciem omnem ab Iſraelitis, in Ægypti mores propenſiſſimis, longe removeret. Ne quis huic opinioni fidem neget, ad eam confirmandam ſequentia proponam argumenta: Variis argumentis evincitur.

(1°.) Nulla ratio ſatis ſolida dari poteſt, cur Deus ipſum *canis pretium* a Sanctuario rejiceret, niſi quod animal illud novam immunditiem ab uſu idololatrico contraxiſſet, & illius pretium, modo ſacris addictum, ſuperſtitioni Ægyptiacæ anſam & aditum præbuiſſet. Nam Judæi aliorum animalium, immundorum licet, pretia ſacerdotibus afferre, [f] lege diſerta tenebantur. Eos etiam hanc legem obſervaſſe, dubitare non ſinunt religio & [g] *Philonis* verba: *hæc jure divino debentur ſacerdotibus: ex armentis boum & ovium caprarumque gregibus, ipſi juvenci, arietes & hirci, quippe cibo puri & ſacrificio; pro equis autem, aſinis, camelis, & ſimilibus æſtimationis non iniquæ pretium.* Huc ſpectant illa S. [h] *Hieronymi: primogenita mundorum animalium accipiunt ſacerdotes: immundorum pretia.* Cum autem Deus, equi, aſini, cameli, & aliorum immundorum, pretia libens acceperit, quid canis pretium non rejecit ſolummodo, ſed & *abominatus* eſt? Demus animal illud beſtias omnes impuritate ſuperare, (quod tamen evinci nequit) nil opus erat ut Lex caveret, ne ipſum illius pretium ſacris addiceretur; quaſi aurum & argentum, vel forſan ovis, canis loco ſubſtituta, impuritatem contraxiſſent. Niſi itaque Deus ob eam quam dixi cauſam hanc legem tulerit; ratio nulla momenti vel ponderis alicujus, aſſignari poteſt, cur *canis* unius *pretium* ſacris inferri prohibuerit; cum præſertim canis multa alia animalia dignitate & uſu ſuperet & in generis humani præſidium & oblectamentum naſci videatur.

(2°.) Hinc etiam opinandi cauſa naſcitur, morem idololatricum poſteriori legis hujuſce membro materiam tribuiſſe; quod aperte conſtet, ritum profanum membro priori cauſam præbuiſſe. Sectione ſuperiori probatum dedi, primum legis membrum de ſcortis (uti vocant) ſacris intelligendum eſſe, quæ ſcilicet honoris numini alicui fictitio perhibendi gratia, corpora ſua publicabant, & quæſtum inhoneſto corporum uſu factum templo dedicabant. Nobis itaque facile perſuadeamus, poſterius etiam legis hujuſce membrum, a more aliquo idololatrico [eo nempe quem dixi] originem & anſam accepiſſe; cum ratio non ſinat credere, Deum leges duas nulla affinitate junctas conſociare voluiſſe.

(3°.) Phrasis illa [*nam utrumque abominatio* eſt *Domino*] documento eſt, eandem

a In *Euterp.* cap. 66. b *Hiſt.* Lib. 1. p. 75. c *Id.* Ib. p. 78. d *Herodot.* in *Euterp.* cap. 67. e De *animal.* L. 10. c. 45. f *Numer.* 18. 15, 16. g Lib. de *honorib. ſacerdot.* p. 831. B h *Epiſt.* ad *Fabiol.* Tom. 2. Col. 576.

SECT. III. aut pretium canis uſui alicui idololatrico olim inſerviiſſe. Nam in ſcriptis Moſaicis uſu frequens eſt, ut idola, ritus etiam mediaque omnia cum idolorum cultu conjuncta, *Jehovæ abominationi eſſe* dicantur. Nec promptum eſt rationem reddere, cur Domino, uou canis tantum ſed & *pretium canis*, abominationi eſſet; niſi quod canis aut ejus pretium locum eximium in Ægypti ceremoniis obtineret, & id ante alia curaret Deus, ue cultus ejus quicquam cum abſurdis Ægyti ritibus commune retinere videretur.

(4°.) Ad ſententiam noſtram firmandam non vulgare momentum affert, legis Moſaicæ conſuetudo: quæ ſcilicet ea animalia vilius æſtimare docet, quibus Ægyptii præcipuum honorem tribuebant, & ea maxime deprimere ſolet, quæ illi proxime ad eorum Deos evehebant. Cum enim, ex. gr. vacca Iſidi ſacra eſſet, & animal apud Ægyptios religione ſacratiore cultum; Deus eam maximo cum contemptu tractari juſſit, cum vaccam rufam offerri, & lixivium e cineribus ejus fieri voluit, ad peccata & quaſi ſordes gentis totius eluendas. Cum etiam arietem [utpote Ammoni ſactum, & Syderis eo nomine dicti ſymbolum] honore modi & menſuræ neſcio proſequerentur; Deus agnum maſculum in quavis Hebræorum familia occidi & comedi voluit, domus etiam cujuſque limen illius ſanguine commaculari; ut omnibus apertum eſſet, Deum non minore contumelia, quam Ægyptii honore, animal illud afficere ſtuduiſſe. Cum inſuper hircus (quod e Scriptura conſtat) impenſe coleretur, hircus electus eſt, qui in die Expiationis, populi peccatis & mille contumeliis onuſtus iu deſertum mitteretur. Cum itaque ſuperſtitio Ægyptiaca canem honoribus eximiis cumulaſſet; eique præcipuum inter Deos eorum brutos locum aſſignaſſet; legis mori conſentaneum eſt exiſtimare, Deum ex altiſſimo dignitatis ſuæ gradu canem dejicere, & inſignis alicujus ignominiæ uotam ei inurere voluiſſe. Nec certe quicquam magis in animalis illius dedecus & ignominiam excogitari potuit, quam quod nec canem uec pretium canis in illius domum inferri pateretur.

(5°.) Sententiam noſtram paulo firmiorem, aut ſaltem lectori gratiorem, reddat eruditi *Bocharti* teſtimonium. Cum enim de lege ageret, canis pretium templo efferre prohibente; non *defuit cauſa*, [a] inquit, *cur Deus id ſpeciali lege prohibere voluerit. In Ægypto, unde nuper exceſſerant Iſraelitæ, cum lex eſt Moſi data, canis impenſe colebatur.*

SECT. III.

Cur mercedem proſtibuli & pretium canis offerre, ſimul prohibetur.

CUM legis hujuſce membra, diviſim ſpectata, ſtylum meum ſatis exercuerint, & in eorum rationibus inveſtigandis pro parte mea verſatus fuerim; penſi mei nondum abſoluti ratio ſuadet, ut de iis conjunctim ſpectatis agerem, & (adhuc obſcuram) conjunctionis hujuſce rationem in lucem promerem. Quantum itaque conjectura colligere datum eſt, *mercedem proſtibuli* & *pretium canis* offerre, duplici de cauſa, conjunctim [una eademque lege] prohibetur.

(1°.) Prostiauli merces & canis pretium uullo labore conſtant, & inter lucra honeſte facta non facile numerantur. Merces enim proſtibuli voluptate tantum, eaque inhoneſta; & pretium canis rei viliſſimæ jactura, comparatur. Canem ita olim habitum fuiſſe, diſcere licet e *Salomonis* [b] verbis, *canis vivus melior eſt leone mortuo;* quibus leonem cani, præſtantiſſimam viliſſimæ opponit beſtiæ. Et ni fallat conjectura, legem hanc, aut rationem ejus analogicam, præ oculis ejus habuit David, eum diait, [c] *non offeram Domino* עלות חנם *oblationes gratis*, h. e. quæ gratis mihi conſtant, aut viliſſime. Quamvis autem rationi huic momenta ſua non deeſſe cenſeam, adduci tamen non poſſum ut credam, Deum ea ſola ratione motum, hæc duo conjunctim & uno quaſi ſpiritu prohibuiſſe. Conſtat enim e canibus alios in deliciis haberi, alios, domus aut gregis cuſtodiæ ſervientes, multo pluris æſtimari, nec inter animalia vilioris pretii numerari ſolitos. Sed ſi canes pretii tam vilis eſſent animalcula, nondum conſtat ratio, cur Deus hæc duo pariter *abominaretur;* quaſi piaculum in ſacra, non minus grave, canis pretio, quam proſtibuli mercede, oblata committeretur. Certe proſtibuli merces per ſe ſpectata, lucrum erat inhoneſte factum, & probroſum libidinis monumentum:

a De *Animal. ſac.* P. 1. Lib. 2. col. 691. b *Eccleſ.* 9. 4. c 2 *Sam.* 24. 24.

tum: quatenus autem templo data, ſuperſtitionis ethnicæ memoriam refricabat: at pretium canis nil inhoneſti in ſe habuit, nec libidinem donanti, quamvis pauperta- tem forſan exprobravit. Cum itaque ratio illa non plene ſatisfaciat, dicendum cenſeo. SECT. III.

(2°.) Verisimile eſſe, Deum hæc duo pariter interdixiſſe, ut Iſidem & Anubim vel Mercurium [Deorum Ægyptiorum par nobile] tacite ſugillaret, & eorum ritus cum omnibus cultus tam profani monimentis pariter & conjunctim extirparet. Nam Ægyptiis, æque ac aliis gentibus modo memoratis, in more erat, eorum Deam Iſidem ſtupris colere, & lucrum ſtupro comparatum illius templo conſecrare. Scelera illa, in Iſidis templo & in illius honorem commiſſa ſpectare videntur *Ovidii* verba,

> *Nec tu* [1] *Niligenam fieri quid poſſit ad Iſin*
> *Quæſieris*, ——

Et illa *Juvenalis*, *Satyr. 6.* verſ. 487.

> —— *Jamque expectatur in hortis,*
> *Aut apud Iſiacæ potius ſacraria lenæ.*

Ubi vetus ejus *Scholiaſtes* hæc habet: *apud templum Iſidis, lenæ, conciliatricis: quia in hortis templorum* ejus *adulteria committuntur.* Impuras autem fœminas, in Iſidis honorem corpora proſtituentes, Deam ſuam lucri ſtupro comparati participem feciſſe, mores ubique gentium recepti dubitare non ſinunt. Et eo dementiæ tandem proceſſit Ægypti ſuperſtitio, ut canis ibi veneratione non vulgari exciperetur, quod Anubi vel Mercurio ſacer eſſet, ejuſque ſymbolum & imago crederetur. Refert enim *Diodorus Siculus*, Ægyptios Anubin ſuum ſub imagine caput caninum repræſentante venerari ſolitos: τὸν Θεὸν, [a] inquit, τὸν παρ' αὐτοῖς καλούμενον Ἄνουβιν παρεισάγουσι κυνὸς ἔχοντα κεφαλήν. Inde κυνοπρόσωπος Ἑρμῆς a [b] *Luciano*, & κυνοκέφαλος Ἄνουβις ab [c] *Athanaſio*, & aliis auctoribus paſſim, appellatur. Hinc & illud *Virgilii*, *Æneid. 8.* verſ. 698.

> *Omnigenumque Deum monſtra, & latrator Anubis.*

Sic enim illius tituli ratinnem exponit *Servius*: Anubis latrator dici videtur, quod *canino capite pingitur.* Ne in re nota nimius ſim: Canis & Anubis aut Mercurius ea ſimilitudine & affinitate juncti credebantur, quod Anubis vel Mercurius canis nomen habuerit, & Mercurii canis. Anubin canis nomen ſortitum fuiſſe, *Plutarcho* teſte aſſero, qui ſermonem cum re præſenti conſentaneum habens, Ἄνουβις, [d] inquit, τὸν τοῦ κυνὸς ἐπίδηλον ἔχει. Canes etiam Mercurii nomen habuiſſe patet, quod ipſe *Thoyt* vel *Taaut* ab Ægyptiis dictus eſſet, Ægyptii vero *Taa* vel *Tao* inclamare [e] ſolerent, cum canes ad cibaria diripienda provocarent. Cum itaque *Iſis* & *Anubis* tam clara eſſent Ægypti numina, quorum uni proſtibuli mercedem, alteri canem (forſan & pretinm canis) Ægyptii conſecrarunt; conſentaneum eſt opinari, Deum legem hanc utrique numini pariter oppoſuiſſe. Ratio hæc lectori non diſplicebit, opinor, extra fidei articulos modeſtæ conjecturæ locum facile conceſſuro.

Apud aliquos forſan hæc omnia carebunt fide, quod Iſis & Mercurius nulla ritnum ſocietate, vel affinitate quavis alia conjungantur; quod Ægyptii proſtibuli mercedem Iſidi, nunquam autem canis pretium Mercurio dedicarint; quod etiam non conſtet ratio, cur canis Mercurio ſacer eſſet, aut Ægyptii Deum tam celebrem in imagine vel ſymbolo tam vili colerent. Sed hæc omnia ſententiæ meæ non multum obſtant: nam quanta neceſſitudo Iſidi cum Mercurio intercederet, e [f] columna Ægyptiaca, Iſidi erecta, ſacris literis inſcripta, ſatis intelligitur: ἐγώ Ἶσις εἰμί, ἡ βασίλισσα πάσης χώρας, ἡ παιδευθεῖσα ὑπὸ Ἑρμοῦ, &c. *Ego Iſis ſum, regina* hujus *regionis, a Mercurio erudita. — Ego ſum quæ in Canis ſidere exoritur*, &c. Apud eundem [g] *Hiſtoricum*, in Iſidis pompa locum primum cani, Mercurii ſymbolo, tributum legimus. Veriſimile eſt etiam, Ægyptios ab animalis tam ſacri (ſi forte venditi) pretio ſuperſtitioſe abſtinuiſſe, & illud tanquam rem ſacram & devotam, Mercurii templo dedicaſſe: hoc au- Objectis occurritur.

a Lib. 1. p. 77. A b Lib. de *ſacrif.* p. 186. D c *Orat.* cont. *Gent.* Tom. 1. Part. 1. p. 21. C
d Lib. de *Iſid.* & *Oſir.* p. 368. T e *Pignor. Menſ. Iſiac.* p. 41. f Ap. *Diodor. Sic. Hiſt.* L. 1. p. 23. C
g Ub. ſupr.
1 Vid. *Ovid. Amor.* L. 2. verſ. 25. Alii autem legunt *linigeram*, quia ſacerdotes lineis veſtibus erant induti.

7 F tem,

CAP. XXXVII. SECT. I.

tem, in hac antiquitatis tam remotæ caligine, eum pertinacia non aſſeverabo. Neque conjectu difficile eſt, cur Ægyptii Mercurium aut Anubin eorum, canis imagine & ſymbolo, repræſentare ſolerent & adorare. Cum enim Mercurius, olim eximii prophetæ nomine [a] claruiſſe, leges Ægyptiis tradidiſſe, eos ſcientiis tam ſacris quam civilibus inſtruxiſſe, literaturam hieroglyphicam Deorumque cultum docuiſſe, adeoque ſingulari mentis acie & ſolertia valuiſſe, crederetur; canis utpote animalis maxime ſagacis, figura & ſymbolo non inepte exprimebatur. Hiſce conſonat *Servius*, in jam citatum *Virgilis* carmen, ubi ait, *Anubis*,-- quem *Mercurium eſſe volunt*, *canino capite pingitur*, *quia cane nihil ſagacius.* Huic rationi calculum eo libentius apponamus, quod Ægyptii veteres canis hieroglyphico, ad prophetam, ſcribam, aut perſonam quamvis aliam, ſcientiæ & acuminis ſingulari laude clariorem, deſcribendam uterentur. Fidejuſſorem meum dabo *Horum* Ægyptium, qui arcanas Ægyptiorum literas ex profeſſo interpretatur: ἱερογραμματέα, [b] inquir ille, ἢ προφήτην -- βουλόμενοι γράφειν, κύνα ζωγραφοῦσι· *Scribam ſacrum vel prophetam -- deſcribere volentes*, *canem pingunt.* Sed hæc forſan ab inſtituto noſtro paululum disjuncta & remota videantur.

CAP. XXXVII.

Lex de profeſſione triplici, poſt oblatas decimas & primitias facienda.

CUM in eo jam verſetur induſtria noſtra ut leges Zabiorum uſui contrarias illuſtremus, locus ille perobſcurus, *Deuteron.* 26. 13, 14. ſilentio minime prætereundus eſt. Ibi vero, ſolutis decimis & primitiis omnibus, Iſraelitæ ad hanc ſolennem profeſſionem publice faciendam aſtringebantur: *ſuſtuli quod ſanctum* eſt *e domo* mea, *etiamque dedi illud Levitæ*, *peregrino*, &c. *Non comedi ex eo in luctu meo*, *neque abſtuli ex eo* בטמא *in immundo*, *neque dedi ex eo pro defuncto.* Qui ſane locus multa paſſus eſt ab interpretibus, nihilo tamen illuſtrior factus: nec unquam loco tam obſcuro lucis aliquid affulſurum cenſeo, niſi ad mores ethnicorum veterum, decimas aut primitias offerentium, ſtudioſius attendamus; & loci ſenſum, non e conjecturis interpretum, commentariis Judæorum, aut ipſis verbis (in ſenſum alienum facile detorquendis) eliciendum ſtatuamus. Circa rem hanc ſcrupulum omnem lectori forſan eximemus, ſi tria profeſſionis hujuſce membra ſigillatim expendamus, iiſque ſenſum ſuum germanum reſtituamus.

SECT. I.

De profeſſione prima, *non comedi ex eo*, *in luctu meo.*

CUM omnia decimarum & primitiarum nomine Deo debita præſtitiſſet Iſraelita; doli mali ſuſpicionem omnem a ſeipſo, verbis hiſce removere tenebatur, [c] *non comedi ex* iis באני *in dolore meo.* Varietas opinionum de legis hujus intellectu ſimul & ſanciendi cauſa, doctis hic aquam hærere luculenter oſtendit.

Ratio legis affertur: SIQUID in tanta caligine mihi videre datum ſit, Iſraelitæ poſt oblatas primitias & collectas fruges, ad hanc profeſſionem publice faciendam devincti erant; ne quis aditus idololatriæ pateret, nec Iſraelitæ, frugibus collectis, ritus Ægyptios exercuiſſe crederentur. Nam ea, ſuperſtitione dicam an inſania, fuerunt Ægyptii veteres, ut cum frugibus colligendis aut primitiis offerendis operam dediſſent, dolori ſupra modum indulgerent, & omnia luctu planctuque miſerrimo perimplerent.

Illuſtratur: SUPERSTITIONEM illam ridiculam apud Ægyptios uſitatam fuiſſe, locupletiſſimo [d] *Diodori Siculi* teſtimonio confirmatur: κατὰ τὸν θερισμὸν τὰς πρώτας ἀμηθέντας τάχυς θέντας τοὺς ἀνθρώπους, κόπτεσθαι πλησίον τοῦ δράγματος, καὶ τὴν Ἶσιν ἀνακαλεῖσθαι· καὶ τοῦτο πράττειν ἀπονέμοντας τιμὴν τῇ θεῷ τῶν εὑρημένων κατὰ τὸν ἐξ ἀρχῆς τῆς εὑρέσεως καιρόν. *Tempore meſſis oblatis ſpicarum primitiis*, *plorare*, Ægyptii, *juxta manipulos plangere*, *Iſidemque invocare* ſolent: *hoc idcirco faciunt*, *ut honorem pro inventis*, *Deæ ſub prima inventionis tempus retribuant.* Ab his non multum diſſentiunt quæ *Julius Firmicus* de moribus Ægypti refert: [e] *in adytis habent idolum Oſiridis ſepultum: hoc annuis luctibus plangunt*,

a Vid. *Diodor. Sic. Hiſt.* L. 1. p. 14. A & *Euſeb. Præp. Evang.* L. 2 p. 46. b *Horapol. hieroglyph.* 39.
c Καὶ οὐκ ἔφαγον ἐν ὀδύνῃ μου ἀπ' αὐτῶν· *LXX.* d *Hiſtor.* lib. 1. p. 13. B e De *error. prophan. relig.* p. 4.

radunt

radunt capita, ut miſerandum caſum regis ſui turpitudine dehoneſtati defleant capitis, tundunt pectus, lacerant lacertos, &c. His poſt nonnulla interpoſita, ſubjungit: horum funerum & luctuum *defenſores eorum addere volunt rationem phyſicam; frugum ſemina Oſirim dicentes eſſe, Iſin terram, Typhonem calorem: & quia maturata fruges calore ad vitam hominis colliguntur, & a terra conſortio ſeparantur, & rurſus appropinquante hyeme ſeminantur. Hanc volunt eſſe mortem Oſiridis cum fruges reddunt. Inventionem vero cum fruges genitali terra fomento concepta, nova rurſus cæperint procreatione generari.* Phœnicas etiam aliquid huic mori cognatum habuiſſe, ex [a] *Euſebio* diſcimus: nam refert ille, vetuſtiſſimos ex iis terræ fructus utiliſſimos Deorum inſtar coluiſſe, ac deficientes (quod ſit certo anni tempore) cum lachrymis & ejulatu proſecutos. Auctoris verba ſunt: ἔλεον καὶ οἶκτον καὶ κλαυθμὸν βλαστήματι γῆς ἀπιόντι ἀνέθεσαν· *Miſericordiam, commiſerationem, fletum* & ejulatum *ſeneſcenti terræ germini conſecrabant.* SECT. I.

Cum itaque veteres Ægyptii, & alii forſan idololatræ, lachrymis luctuque ſqualidi primitias offerrent, & poſt collectas fruges ritus plerumque triſtes & funeri conſentaneos exercerent; qui Deum primitiarum & decimarum oblatione coluerat, ſancte coram Domino profiteri debuit, *ſe nihil ex iis in luctu ſuo comediſſe;* nempe ut hac ratione ſe a ſuperſtitionis illius Ægygtiacæ ſuſpicione liberaret, nec ritibus illis abſurdis clam præſtitis, Iſidem aut Terram fructuum largitorem agnoſcendo ſeipſum dehoneſtaſſe crederetur. Ad hanc ſententiam his inductus argumentis inclinat animus: Et argumentis confirmatur.

(1°.) Hæc opinio cum genuinn vocis אני ſenſu maxime convenire videtur. Nam hac voce ſummam doloris acerbitatem indicari pateat, quod eam LXX non ἐν λύπῃ, vel ἐν πένθει, ſed ἐν ὀδύνῃ μου, præter morem transferant. Præter morem dixi: nuſquam enim vocem און per ὀδύνην vertunt niſi [b] *Geneſ.* 35. 18. ubi mentio *Rachelis* incidit partus doloribus ad mortem excruciatæ. Cnnſtat itaque LXX luctum acerbiſſimum & partus doloribus affinem hac voce denotari cenſuiſſe. Manifeſtum eſt autem hac vocis notatione nullam ſententiæ meæ magis aptam & accommodatam aſſignari poſſe. Nam ethnici Oſiridis [[c] aut Adonidis] obitum, i. e. ſeneſcentem & deficientem terræ fructum, dolore acerbiſſimo & ὀδύνης nomine digniſſimo proſequebantur. Quamvis hoc e jam dictis fidem accipiat, addam tamen [d] *Ammiani Marcellini* teſtimonium: *evenerat autem iiſdem diebus annuo ſolis curſu completo* Adonia *ritu veteri celebrari, amato Veneris ut fabula fingunt apri dente ferali deleto, quod in adulto flore ſectarum eſt indicium frugum. Et viſum eſt triſte, quod --- urbem principumque domicilium introeunte imperatore nunc primum, ululabiles undique planctus & lugubres ſonus audirentur.* Et alibi luctus ingentis imagininem exprimere ſtudens, exemplo mulierum in Adonidis aut Oſiridis feſto lamentantium utitur. Nam juvenem regium in ætatis flore extinctum memorans; [e] *femina*, inquit, *miſerabili planctu, in primævo flore ſucciſam ſpem gentis ſolitis fletibus conclamabant; ut lacrymare cultrices Veneris ſæpe ſpectantur in ſolennibus Adonidis ſacris, quod ſimulacrum aliquod eſſe frugum adultarum religiones miſtica docent.* At hæc: [f] *Lucianus*, ritus in ſacris *Adonidis Bybli* peractos referens, inter alia, μεγάλα, inquit, πένθεα ἀνὰ τὴν χώρην ἵσταται, *magni luctus per totam regionem inducuntur.* Cum itaque Gentes, Ægyptii præſertim, cum fruges colligerent aut primitias offerrent, dolori ſupra modum indulgerent; non male colligo, Deum poſt collectas fruges & oblatas primitias, hanc profeſſionem publicam inſtituiſſe, ne quis locus mori tam profano & ridiculo ſupereſſet: alias enim nulla conſtat ratio cur און voce dolorem acerbum [ὀδύνην] indicante hic uteretur.

(2°.) Mos ille luctuoſus a cultus Iſiaci primordiis inter Ægyptios obtinuiſſe videatur. Refert enim jam laudatus Hiſtoricus, Ægyptios, Iſidem ſuam frugum inventricem hoc argumento probare ſolitos, quod ille, *juxta ſpicarum manipulos plorandi* ritus [g] *ab antiquo ſervaretur.* Cum itaque ritus ille, κατὰ τὸν θερισμὸν *meſſis tempore ſervatus*, Moſe vetuſtior eſſet, & non minus a ratinne quam religione diſſideret; facile credi poteſt hac lege cautum eſſe, ne quis e gente ſancta mori tam ridicule profano quid cognati retineret. Sic enim moris hujuſce cultores perſtringit [h] Julius Firmicus: *cur plangitis fruges terræ, & creſcentia lugetis ſemina? Ad ſuſtentationem generis humani hæc omnia divina ſummi Dei liberalitate donata ſunt. Agenda ſunt ſummo Deo gratia propter hoc, nec eſt ſummi Dei lugenda largitio. Deflete potius quod erratis, & quod errorem veſtrum reſtauratis ſemper luctibus plangite.*

a *Præpar. Evang.* L. 1. c. 9. p. 28. A B. b Τὸν ὀδύνης μου LXX. c *Nam Oſirin. non alium ab* Adonide probat *Heinſ.* Ariſtarc. ſac. cap. 1. d Lib. 22. Cap. 9. p. 322. e Lib. 19. Cap. 1. p. 209. f Lib. de *Dea Syr.* p. 1058. B g Μαρτύριον δὲ φέρειν τῆς εὑρέσεως τῶν εἰρημένων καρπῶν τὸ τηρούμενον παρ' αὐτοῖς ἐξ ἀρχαίων νόμιμον· *Diodor. Sic. Hiſt.* L. 1. p. 13. B h Ub. ſup. p. 5.

Sect. I.

(3°.) Cum Hebræi collectionis feſtum agerent, lætitiæ cui ſimilem totus annus non vidit indulgere ſolebant. Sic enim e ſcriptis eorum antiquioribus feſti mores deſcibit auctor [a] ille, rerum Hebraicarum peritiſſimus; *ex lacernis veſtimentorum cingulorumque ſacerdotum, ellychnia fecerunt quibus accenderunt lampadas, & non erat in tota Hieroſolyma platea ulla, quæ non coruſcaret ex iſta irradiatione. Viri religioſi & devoti ſaltarunt coram iis, in manibus etiam habentes ardentes faces, & cantica decantarunt & doxologias. Levitæ cum cytharis, nabliis, cymbalis, aliiſque inſtrumentis muſicis abſque numero ſteterunt in 15. gradibus*, &c. Hic ſe verſant & fatigant Hebræorum filii, tantæ jucunditatis & lætitiæ rationem reddituri: nuſquam enim præceptum legimus, ut feſtum illud præ aliis omnibus tanta cum lætitia & tam hilari ſolennitate celebrarent. Dicerem ipſe, ſi quis hic divinationi locus eſſet, antiquiores Eccleſiæ Judaicæ præſides feſtum collectionis lætitia tam ſingulari coli voluiſſe; ut populus eo longius abeſſet a gentilium uſu, qui ritibus plerunque triſtibus Deos coluere, cum præſertim a frugum collectione ceſſaturi. Ethnici [b] עצבים Deos mortuos & dolore proſequendos coluerunt, ideoque ritus eorum ſordidi plerumque triſteſque fuerunt, ut Deorum ſuorum naturam exprimerent, & omnia luctus cujuſdam funerei ſcenæ reſponderent. Ritus hoſce triſtes & funeri conſentaneos [c] *Julius Firmicus* gentibus exprobrat, cum ait, *lugete mortuos veſtros & ipſi ſimili morte morituri. Mittite regibus veſtris, ut vultis inferias,——Lugete Liberum, lugete Proſerpinam, lugete Attin, lugete Oſyrin, ſed ſine noſtra contumelia dignitatis.* Ethnici vero ſacra hæc lugubria præcipue poſt collectas fruges obiiſſe videantur. Nam *Plutarchus*, de Græcis agens, καθ' ἣν ὥραν, [d] inquit, τὰς [καρπὰς] ἀπὸ δένδρων ὁρῶσιν ἀφανιζομένας—καὶ ἀπολείποντας· *Quo tempore* fructus *arborum omnino defeciſſe & abolitos eſſe cernebant*, πολλὰ θάπτουσιν ὅμοια καὶ πενθοῦσιν ἔπραττον, *multa in morem ſepelientium & lugentium agitabant.* Hic etiam non importune repeti poſſit quod *Euſebius* in Phœnicum theologia refert; eos nempe terræ fructus utiliſſimos Deorum inſtar coluiſſe, ac deficientes, quod fit certo anni tempore, cum lacrymis & ejulatu proſecutos. Cum itaque Judæi, *collectionis feſtum* agitantes, lætitiis omnibus incederent, & omnem luctus aut doloris alicujus ſpeciem ſtudioſius ablegarent, ut feſtum illud eo longius diſtaret a lacrymoſis gentium ceremoniis, ſtatim a collectione frugum uſitatis; rationi conſentaneum eſt opinari, Deum hanc profeſſionem palam & aperte fieri voluiſſe, ne quis collectis frugibus triſtes hoſce ritus, in Iſidis aut Oſiridis honorem privatim exerceret.

Objectioni triplici ſatisfactum eſt.

Superest ut iis occurramus objectionibus, quæ non nemini forſan ſententiæ meæ fidem infirmare videantur.

Obj. 1ª.

Harum prima ſic ſe habet: Iſraelitæ ſe nihil e decimis aut primitiis *in luctu* comediſſe, profiteri tenebantur, non ut ſuperſtitionis alicujus Ægyptiacæ ſed legis divinæ violatæ, ſuſpicionem omnem a ſeipſis amoverent. Nam Dei lege [e] ſemel iterumque ſtatutum erat, ut eorum decimis & primitiis in lætitam effuſi, coram Domino veſcerentur.

Sol.

At hæc objectio nihil firmitatis habet, cum ipſæ leges illæ datæ fuerint ut Iſraelitæ diverſi eſſent ab Ægyptiis aliiſque populis, qui ceremoniis plerunque triſtibus utebantur, cum præſertim, in cultu, terræ fruges ſpectante, præſtando verſarentur. [f] Plutarchus *ſacra* quædam *triſtia, riſus expertia, ac lugubria*, ab Ægyptiis & Græcis *obeunda* memorat. Ægyptios autem præter cæteros hæc ſacra lugubria feciſſe, notat [g] *Lucianus:* nam ille de Ægyptiorum & aliarum gentium ritu ſacrificali loquens, αἱ δὲ θυσίαι, inquit, καὶ παρ' ἐκείνοις αἱ αὐταί· πλὴν ὅτι πενθοῦσι τὸ ἱερεῖον, καὶ κόπτονται περιστάντες ἤδη πεφονευμένον· *Porro ſacrorum peragendorum idem ferme apud illos ritus, niſi quod hoſtiam luctu proſequantur, eamque jam mactatam circumſtantes* defleant. Sacra illa lugubria ſeculis antiquioribus apud Ægyptios obtinuiſſe, cauſam opinandi præbet [h] *Philo* qui Hebræos Ægypto nuper egreſſos, & loci moribus imbutos, in vituli cultu *hymnos lamentis ſimiles concinuiſſe* refert. Hic mihi in mentem opportune venit Bacchus, (idem qui & Oſiris Ægyptius) qui a בכה *lamentari*, flere vel *ululare* [i] dictus eſt, quod illius ſacra gentes multo cum fletu & ululatu celebrarent. Deus itaque ritibus feſtiſque ſuis nihil lætius aut jucundius eſſe voluit, ne cultus in ejus honorem peractus quicquam cum Oſiridis, Iſidis, aut Bacchi, cultu lugubri commune habere videretur.

Obj. 2ª.

(2°.) Nonnemo forſan hic nobis opponet interpretum ſenſum, qui de luctu in amicorum funeribus, [non in Iſidis, Adonidis aut Oſiridis ritibus] uſitato, locum il-

a *Lightfoot.* in *S. Joh.* c. 7. verſ. 2. b *Jeſ.* 48. 5. *Hoſ.* 13. 2. c Ub. ſupr. p. 14. d Lib. de *Iſid.* p. 379. A e *Deut.* 12. 17, 18. & 14. 26. f Χρῶνται ἐπὶ ταῖς σκυθρωπαῖς καὶ ἀγελάστοις καὶ πενθίμοις θυσίαις &c. Lib. de *Iſid.* p. 378. D g Lib. de *ſacrific.* p. 187. B h Ὕμνους τὸ ὅλον θρήνων οὐδὲν διαφέροντας &c. *Philo* lib. 2. de *Vit. Moſ.* p. 677. D i *Heinſ.* in *Non.* p. 7.

lum

Sect. II.

lum interpretandum ſentiunt. Nam inquiunt, ſi quis dolori funebri vacans e decimis comediſſet, decimæ illæ pollutionem contraxiſſent, nec Levitæ, viduæ vel peregrino, menſæ ſuæ aſſidere licuiſſet. Nam [a] *panis lugentium* pollutus habebatur, nec cuiquam ex eo comedere fas erat niſi pollutionem lotione moleſta expiandam ſubituro. Ne itaque cujusvis luctus funebris fraudi eſſet Levitæ, viduæ vel peregrino, quos ex præſcripto [b] Legis ad anni tertii decimas participandas advocare debuit; præceptum eſt ut quiſque fraudis illius ſuſpicionem omnem a ſeipſo removeret, & ſe nihil e re ſacra dolentem comediſſe, ſolenniter & Deo teſte adhibito affirmaret.

Sol.

At ſi quid hæc objectio momenti haberet, conſultius erat ut Iſraelitæ ſolutis decimis, aperte profiterentur ſe nihil e portione ſancta, *in immunditie* comediſſe: cum immundities non luctu tantum funebri ſed multis aliis modis contracta, pollutionem cibis affricaret, & homines a polluti menſa cohiberet. Deinde: ita Lege curatum eſt, ut nullus huic fraudi locus eſſe potuerit, cum anni tertii decimæ (de quibus inprimis hic locus intelligendus eſt) e privatorum [c] domibus efferri debuerint, & [d] *in portis* tanquam repoſitoriis publicis reſervari. Eo itaque, Levita, vidua, peregrinus, omnes quibus res anguſta domi, ſe [e] conferebant; non ad privatorum ædes luctu ſorte funebri ſqualentes & impuras. Præterea: cum Judæi quamplurimi nullos e neceſſariis ſuis, per multa annorum curricula deſideraſſent; hujuſmodi profeſſio ſæpe ludicra foret & otioſa, ſi vox אוני luctum tantum funebrem denotaret.

Obj. 3ª.

Hoc & alii forſan in adverſum dicent, quod vox ea באוני non ſtricte pro *dolore*, ſed figurate pro *calamitate* vel neceſſitate, doloris cauſa ſumenda videatur. Quaſi ſenſus eſſet, "e decimis Deo & egeno ſacratis, egeſtate licet preſſus non comedi: nihil ex "iis, etiam paupertate vexatus detraxi in uſus meos. Non ſi miſerum me finxit ege"ſtas, ſacrilegum etiam & injurium finget.

Sol.

At & opinionis hujuſce patronos a loci ſenſu deviare cenſeo, quod Hebræorum plerique rerum omnium ubertate fruerentur, nec ſe decimas & primitias, re licet anguſta vexatos, integre ſolviſſe profiteri poterant. Deinde: profeſſionis hujuſce verba, ſic intellecta, nulla cum ſequentibus affinitate cohærere poſſunt: nam e jam dicendis apparebit, ea moribus idololatricis eo ſeculo receptis, frontem adverſam gerere. Neutiquam autem probabile eſt, Deum plane diſſona & hiulca, uno commate, una profeſſione publica, contexere voluiſſe.

SECT. II.

De profeſſione ſecunda, *non abſtuli ex iis in qualibet immunditia.*

AD profeſſionis hujus partem ſecundam jam tranſeo, ab auctore *Vulgatæ* ſic redditam, *nec ſeparavi ea* [בטמא] *in qualibet immunditia*. Hic autem inter diverſas interpretum ſententias, longe operoſius eſt ſenſum verum invenire, quam falſum refutare.

Judæorum interpretatio.

Synagogæ magiſtri veteres vocem טמא per *immunditiem* explicant: ut hic ſit ſenſus: "cum decimæ res ſacræ ſint, earum ſanctitatem minime violavi, eas comedens cum immunditia aliqua laborarem. Hunc ſenſum magiſtrorum puncta olim tuliſſe, *Maimonidis* verba cauſam opinandi non levem præbent; [f] *qui decimas ſecundas comedit, in immunditie vapulat, quia dictum eſt*, non ſubduxi ex iis pro immundo, ——*præputiatus pro immundo* habetur, *& ſi ille decimas ſecundas comedit jure vapulat.*

Rejicitur.

Hic autem Judæis conſentire nequeo, quod (ſi bene memini) nullibi cautum ſit ne quis immundus ad decimas edendas admitteretur. Deinde: cum Deus decimas illas, Levitæ, peregrino, viduæ, ſervo, aliiſque paupertate gravatis dari juſſerit; vero prorſus abſimile eſt, eum quempiam ex iis inedia ſorte perituris, a decimis illis participandis inhiberi voluiſſe, tantum quod in præſens impuritate aliqua Legali laboraret. Præterea: ſolennis illa profeſſio ideo præcepta videtur, ne quis in ſolutione decimarum doloſe verſaretur: nam præceptum eſt primo, ut unuſquiſque ſancte coram Domino affirmaret, ſe penitus *abſtuliſſe e domo ſua quod ſanctificatum eſt, & dediſſe Levitæ*, &c. Et ne dolo malo, vel illius ſuſpicioni, locus adhuc ſupereſſet; quod generaliter dictum erat, verbis ſpecialibus exponere tenebatur, dicens, *non comedi ex eo*

a *Hoſ.* 9. 4. b *Deut.* 26. 12. c *Deut.* 26. 13. d *Deut.* 14. 28. e *Deut.* 26. 12.
f In *Maaſar. Schem.* cap. 3. §. 1, 4.

SECT. II. *in luctu meo, nec ſubduxi ex eo in immundo*, &c. Adeo ut apertum ſit, hæc verba de fidelitate potius quam munditie offerentis intelligenda, eaque deviationem a præſcripto Legis in oblationis materia ſpectare, magis quam offerendi modo. His accedat quod vox in Hebræo, non ſit בטמאה *in immunditia*, ſed בטמא *in immundo*. Hanc eſſe germanam vocis illius poteſtatem, norunt omnes qui leviorem aliquam literaturæ Hebraicæ tincturam imbiberunt. Huic etiam notationi vocis & Græci ſuffragantur, qui בטמא non per ἐν ἀκαθαρσίᾳ, ſed εἰς ἀκάθαρτον interpretantur.

Expoſitio probabilior, duplex. CUM Judæorum interpretatio non quadret in legis hujuſce ſenſum grammaticalem eamque aliis nominibus ſuſpectam habeam; duas alias adducam, rationi ſimul & legis verbis [ni me fallar opinio) magis conſentaneas.

1ª. HARUM prima ſit hæc: *non ſubduxi* furtim *aliquid ex eo in immundum locum:* quaſi profeſſionis hujuſce pars hæc mori Gentilium frugum collectarum partem aliquam in locis immundis [domibus nempe privatis, aut idolorum templis] comedentium, ἐν διαμέτρῳ opponeretur. Nam gentes antiquas Deos ſuos, ἰδίᾳ κατὰ δύναμιν, τὴν εὐφημίαν καὶ ἀπαρχὰς καρπῶν *bonis verbis & frugum primitiis, privatim oblatis, pro facultatum modulo* coluiſſe, conſtat e *Draconis* lege quæ apud [a] *Porphyrium* legitur. *Maimonides* etiam, Zabiorum ritus circa primos arboris cujuſque frugiferæ fructus referens, id eos obſervaſſe [b] dicit, *ut pars illorum offerretur, pars in idoleio comederetur.* * Idololatras antiquos a frugum collectione vacantes, hujuſmodi ritibus Deos ſuos [Iſin & Oſirin præcipue] coluiſſe, teſtimonia ſtatim producenda fidem ampliorem facient. Cum itaque Gentes in ædibus privatis aut idoleiis, frugum collectarum partem aliquam Iſidi vel Oſiridi conſecrare ſolerent; omnes decimis & primitiis exolutis ſancte profiteri tenebantur, ſe nihil e portione ſacra, *in loco tam immundo* comedendum ſubduxiſſe. Hæc interpretatio eo pulchriorem veri ſpeciem præ ſe fert, quod hic verſus præcedentis interpres eſſe, ejuſque ſenſum explicatius reddere videatur. In verſu vero præcedente, quiſque ſolutis decimis ſe fidelem præſtitiſſe, verbis hiſce teſtari tenebatur; [c] *penitus abſtuli ſanctificatum e domo mea, & dedi Levitæ*, &c. Quinetiam ſemel atque iterum lege juſſum eſt, ne [d] decimæ, vel res aliæ Deo ſacratæ, in domibus privatis, ſed [e] loco ſancto, quem nempe Deus electurus eſſet, ederentur: conſtat autem e poſtrema commatis [f] hujuſce clauſula, verba hæc [*non abſtuli* בטמא] ideo dici debuiſſe, ne qui primitias aut decimas obtuliſſet, legem aliquam de rebus tam ſacris latam violaſſe crederetur.

2ª. QUAMVIS autem hæc interpretatio probabilitate ſua non careat, nequeo tamen temperare mihi quo minus & aliam afferam, Textus verbis [forſan & intentioni] non minus conſentaneam. Eſt autem hujuſmodi: *non abſtuli ex eo, in* uſum *immundum*, h. e. plane profanum, impurum, ſuperſtitioſum, aut idololatricum. Hunc ſenſum firmare videtur illa Græcorum verſio, οὐκ ἐκάρπωσα ἀπ' αὐτῶν εἰς ἀκάθαρτον. *Non abſtuli fructus* illius *partem, ad immundum aliquod:* eo enim ſenſu vox affinis ἐκαρπώσατο [g] alibi a Græcis uſurpatur. Hic ſenſus Anglicanis etiam interpretibus arriſit, qui ſic verba tranſtulerunt; *I have* not *taken avvay* ought *thereof for* any *unclean* uſe. Non eſt autem cur hæc profeſſio, ſenſu jam dicto ſumpta, ſupervacanea vel inutilis habeatur: nam idololatræ veteres, cum primum fruges collegiſſent, earum partem aliquam ad uſus idololatricos, magicos, & (carnaliter) impuros ſeparabant. Hoc e *Julii Firmici* verbis intelligi datur: poſtquam enim cultores Iſidis & Oſiridis, *terræ fructus plangere* ſolitos, ſermone ſatis acri perſtrinxiſſet; addit, [h] *pone propter fruges vota reddi numinibus* illis, *quid addis inceſtum, quid adulterium, quid errantibus hominibus & ſimpliciter peccare cupientibus de ſacris tuis malum monſtras exemplum?* Ex his non difficulter intellectum eſt, idololatras illos Deum ſuum *Frugiferum* (ſic enim [i] Oſiridem vocabant) oblatis frugibus honorantes, ritus obſcœnos & immundos exercuiſſe, & Cererem & Bacchum Veneri miniſtrare coegiſſe. Ne quis itaque rem *ſanctificatam* uſu tam vili & immundo polluiſſe crederetur, omnem criminis tam tetri ſuſpicionem hac ſolenni profeſſione coram Domino facta, a ſeipſo amoliri tenebatur.

a De *abſtin.* l. 4. ſ. 22. b *Mor. Neb.* P. c. ſ. 37. * Cum perceperant fruges, antequam veſcerentur, Diis libare inſtituerunt: & cum agros atque urbes Deorum munere poſſiderent, partem quandam templis, facelliſque ubi eos colerent, dicaverunt. *Cenſorin.* de *die natal.* Cap. 1. p. 3. c בערתי i. e. *Ignis inſtar e medio ſuſtuli, removi.* d *Deut.* 12. 18. e Et. 14. 22, 23. f *Deut.* 26. 13. g Vid. *LXX.* in *Joſh.* c. 12. h Lib. de *error. prof. relig.* p. 4, 5. i ——— *Seu te roſeum Titana vocari,* ——— *ſeu præſtat Oſyrim Frugiferum.* Stat. Thebaid. 1. *ſub fin.*

SECT. III.

Sect. III.

De profeſſione tertia, *non dedi ex iis mortuo.*

UT qui decimas & primitias ejus exolviſſet, fidem ſuam ab omni doli mali ſuſpicione liberaret, nec quicquam e devotis fructibus in uſum alienum ſacrilege pervertiſſe crederetur; ſe nihil ex iis למת *mortuo dediſſe*, ſancte coram Domino ſolenniter affirmare tenebatur.

Hebræorum ſententia:

Hebræi hæc verba de impenſis funebribus interpretari ſolent: quaſi ſenſus eſſet: "nihil e rebus Deo ſacris in rem funebrem expendi, nempe loculum feralem, [a] convivium "funebre, pompam, lintea ſepulchralia, erectionem ſepulchri, vel alios aliquos fune"rum ſumptus, in quos alii forſan ſacra hæc expendi poſſe cogitarent. Hunc ſenſum probat *Jonathan*, ſic locum illuſtrans, *neque dedi de eo involucra pro anima mortui.* Conſentit auctor *Vulgatæ*, ſic verba transferens, *nec expendi ex his quidquam in re funebri.*

Rejicitur.

At hic etiam a magiſtris Hebræorum diſſentire cogor: nam Iſraelitæ proculdubio verba hæc tam ſolenniter efferebant, ut ſuſpicionem peccati alicujus eo ſeculo frequenter admiſſi, a ſeipſis propulſarent. At res eſt a fide omni remotiſſima, Iſraelitas decimas & primitias (res Deo ſeparatas) tam frequenter ad mortuos honeſte ſepeliendos furtim ſubtraxiſſe, ut opus eſſet hac ſolenni profeſſione, qua ſeipſos ab omni fraudis illius ſuſpicione liberarent: Deinde: ſi quis decimas Deo & ſanctis ejus debitas furto ſurripere voluiſſet: veriſimile eſt, eum vivorum potius quam mortuorum cauſa tanti ſacrilegii reatum ſubire voluiſſe. Præterea: vocis hujuſce ſenſui [b] grammaticali, & legis ſimplicitati conſonum eſt, ut hæc verba de re aliqua mortuo vere data, potius quam de impenſis mortuorum cauſa factis interpretemur.

Opiniones aliæ, tres.

Cum itaque Judæorum interpretationi nil ſani ineſſe compertum ſit, ne muneri meo deeſſe videar, genuinum loci ſenſum (quantum vetuſtatis nebulæ patiuntur) inveſtigare conabor. Sat ſcio me negotium operoſum & plane lubricum ſuſcepiſſe, cum vox ea למת ſenſus tam varios admittat, & ſententiis diverſis occaſionem præbeat. Nam,

1ª.

Primo: vox ea *generaliter* ſumi poteſt, ita ut quemvis mortuum aut neceſſarium morte nupera ſublatum denotet. Quaſi ſenſus hic eſſet, "nullam primitiarum aut de"cimarum partem ſubtraxi, ut eam tanquam cibum ἐναγισμὸν, ad amici alicujus mortui "loculum collocarem. Notum eſt enim, idololatras antiquos in eo errore fuiſſe, ut mortuorum animas circa ſepulchra vagari, iiſque cibos neceſſarios eſſe crederent; eoſque pie facere, qui panem & vinum ſepulchris imponerent, ut ea guſtarent mortui, vel iis oblectarentur. Errorem illum a primis uſque Gentiliſmi ſeculis, ad [1] *S. Auguſtini* tempora propagatum fuiſſe, probant ſancti Patris, [c] verba: *miror cur apud quoſdam infideles hodie tam pernicioſus error increverit, ut ſuper tumulos defunctorum cibos & vina conferant; quaſi egreſſæ de corporibus animæ carnales cibos requirant.* Ne vero tam peſtiferi moris & dogmatis improbitas invaleſceret, lege curatum eſt, inquiunt aliqui, ut quivis decimas ſolvendi munere perfunctus, ſerio ſancteque affirmaret, ſe nihil ex iis ut mortuo cœnam parentalem faceret detraxiſſe. Huic opinioni ſavet modo laudatus [d] *Auguſtinus:* nam hæc verba explicans, [non dedi ex iis mortuo] *an per hoc*, inquit, *prohibet parentalia, quæ obſervare ſolent gentes?* Ei [e] *Malvenda* conſonat, ſic locum exponens, *fortaſſe hic profitetur Iſraelita, ſe nihil ex ſacratis illis trietericis decimis in cœnas defunctorum impendiſſe, aut ſilicernia feciſſe.* Ea mente fuiſſe videtur interpres *Syrus*, qui ſic textum reddit; אנא ולא מכת מנה למיתא *Nec propoſui ex eo mortuo.*

Refellitur.

Hanc autem ſententiam ipſe rejiciendam arbitror, quod nulla ratione vel idoneo teſtimonio ſuffulciri poſſit. Quamvis enim hujuſmodi περίδειπνα vel epula feralia, ſæ-

a *Jerem.* 16. 7, 8. *Ezec.* 24. 17. b Non enim dicitur למתים *mortuis*, ſed למת *mortuo.* c *Serm.* 15. *de ſanctis.* d *Quæſt.* in *Deut.* L. 5. *Qu.* 47. Tom. 3. part. 1. Col. 574. e *Comment.* in *Deut.* 26. 14.

1 Sermo iſte ad quem *Spencer.* provocat, judicio Lovanienſium, incerti eſt auctoris; licet hodie ſub *Auguſtini* nomine legatur in *Romano Breviario*. *Auguſtino* abjudicant etiam *Verlinus* & *Vindingus*: uſum enim conferendi cibos & vinum ſuper tumulos defunctorum, quem *Sermonis* hujus auctor mirari ſe dicit, in Africa frequentem viderat *Auguſtinus*, ut patet Tom. 1. in Lib. *Confeſſ.* 6. cap. 2. De *moribus Eccleſiæ*. c. 34. &c. Vid. *Appendicem* Tom. 5. *S. Auguſtini*; & *Præfata* in *Sermon.* 190.

SECT. III. pius occurrant in gentium antiquiorum monumentis; nuſquam tamen legitur ethnicos cibos eorum ſepulchrales pararuros, decimas aut primirias ad hunc uſum ſepoſuiſſe. Cibo & potu vulgari deſunctorum Manibus parentabant, nec fas & jura ſinebant, ur porrio aliqua Deo ſacra ſepulchris imponeretur.

2°. SECUNDO: vox ea למת *ſpecifice* ſumi poteſt, ita ut certam mortuorum ſpeciem, heroas nempe, vel mortuos in Deorum nnmerum relatos, indicet. Quaſi ſenſus eſſet: "primirias & decimas, Deo vivo ſacras, mortuis aut heroibus divinitare donatis, ethnicorum ritu, nequaquam obtuli; ur eorum gratiam inirem, & terræ fructus eorum "benignitati vel ſolertiæ me acceptos habere profiterer. Neque hæc interpretatio nova cuiquam aut inſolens videri poſſit, cum gentium numina *mortuorum* nomine in Scripturis innoteſcanr; *Pſal.* nempe 106. 28. *Et comederunt ſacrificia* מתים *mortuorum*, h. e. idolorum, quæ τῶν Baalim aut Heroum defunctorum ſimulacra fuerunt. Hue forre ſpectat locus ille inſignis, *Jeſ.* 8. 19. quem ſic Græci transferunt, τί ἐκζητοῦσι περὶ τῶν ζώντων τοὺς νεκρούς; *quare de vivis mortuos interrogant?* Ex eo mortuorum cultu factum eſt, ut ethnica religio ceremoniis triſtibus & funebribus ſcarerer adeo; quod [a] *Tertullianus* idololatriam *parentationis ſpeciem* haud inepte appellaverit. Mortuos hos in Deorum ordinem cooptatos, gentes antiquas primitiis oblatis conciliare ſolitas, res per ſe credibilis eſt, & veterum teſtimoniis confirmata. Morem illum lege lata ſancivie *Triptolemus:* cum autem vetus illud *Triptolemi* ſtatutum temporis injuria collapſum eſſet, reſtituit [b] *Draco* lege his verbis concepta; Θεσμὸς ἀΐδιος τοῖς Ἀτθίδα νεμομένοις, &c. *Sanctio æterna eſto viris Atticam incolentibus, eaque in perpetuum rata ſit:* Θεοὺς τιμᾶν καὶ ἥρωας ἐγχωρίους, &c. *Dii & Heroes indigenæ publice ſecundum ritus patrios colantur, privatim vero bonis verbis & frugum primitiis, pro facultatum modulo.* Cum itaque gentibus uſitatum eſſet, τὰς Baalim vel [c] mortuns Heroas fructuum primiriis venerari, & Iſraelitæ προπετῶς ethnicorum morem ſequerentur; promptum eſt opinari, Deum ideo verha hæc, ooſt oblatas rriennii fruges tam ſolenniter efferri voluiſſe, ur ipſa profeſſionis hujus ſolennitas & religio populum illum a *mortuorum* eulru, & frugibus in eorum honorem offerendis coerceret. Fatendum eſt itaque ſententiam hanc rarionibus ſuis non carere: quanquam ſi textus verba & idololatriæ veteris conſuetudo preſſius expendantur, ſententia proxima me judice probabilior invenietur: nam

3°. TERTIO: vox ea *ſignanter* & *emphatice* ſumi poteſt, ur Heroem aliquem fato functum noret, præ cæteris inſignem, & frugibus & ſolenniter oblatis coli ſolitum. Quaſi ſenſus eſſet: "ſancte profiteor, me fructus omnes Deo ſacros Deo obtuliſſe, nec eorum "partem vel minimam Iſidi dediſſe vel Oſiridi, quorum funus Ægyptii mœſti celebrant, & quibus fructuum ſuorum primitias conſecranr; proventum uberiorem futurum exiſtimantes, ſi frugum datores (uti vocant) munuſculo aliquo demereri ſtudeant. Huic opiniuni fidem non defuturam cenſeo, ſi paulo exactius argumenta ſequentia perpendantur.

(1°.) Ei *Septuaginta* non obſcure favent, qui vocem למת ſic emphatice transferendam cenſuerunt; οὐκ ἔδωκα ἀπ' αὐτῶν τῷ τεθνηκότι· *non dedi ex iis* illi *mortuo:* quaſi voce illa notari crederent Heroem aliquem nominatiſſimum, quem Ægyptii *mortuum* κατ' ἐξοχὴν appellarunt, quem etiam, præ cæteris e מתים *mortuorum* Deorum numero coluerunt. Hoc & eo probabilius, quod Ægyptii aliique multos Deos [d] mortuos, Oſirin autem præcipue, colerent, eumque rerræ fruges elargiri crederenr.

(2°.) GENTES, Ægyprii præſertim, Oſirim ſuum ritu tam triſti coluerunt, ur aperte conſtaret eos Deum illum fictitium, qua *mortuum*, [ſub ea ipſa notione] venerari. Ægyptios Oſiridis ſacra ritu lugubri coluiſſe, *Julii Firmici* reſtimoniis evinci poſſit. Ille vero, de moribus Ægypti loquens, hæc [e] habet: *in ſacris ſuis (quæ myſteria vocant) addunt tragica funera & funeſta calamitatis metuenda certamina.* Et ſtarim poſtea, *in adytis habent idolum Oſiridis ſepultum: hoc annuis luctibus plangunt, radunt capita, ut miſerandum caſum regis ſui turpitudine dehoneſtati deflcant capitis,-- lacerant lacertos*, &c. Dein, paucis interpoſitis, hæc addit: *ſic annuis ſacris cum honore terræ funeris iſtius pompa componitur; & cum perſuadetur hominibus quod colant terram, miſeri funeris venerantur exitium.* Eoſdem ritus lugubres, Syros, Byblios, alioſque cognato Adoni perſolviſſe teſtatur [f] *Lucianus.* Poſtquam enim ritus lugubres in illius cultu peractos retuliſſet, addit, ἐπεὰν δὲ ἀποτύψωνταί τε, καὶ ἀποκλαύσωνται, πρῶτα μὲν κα-

a Lib. de *ſpectac.* cap. 12. p. 78. b Ap. *Porphyr.* περὶ ἀποχ. l. 4. §. 22. c *Pſal.* 106. 28. d *Lugete mortuos veſtros,—Lugete Liberum, lugete Proſerpinam, lugete Attin, lugete Oſyrin,* &c. Jul. Firm. Ub. ſup. p. 14. e Ub. ſup. p. 3, 4. f Lib. de *Dea Syr.* p. 1058. B

ταγίζουσι

ταγίζουσι τῷ Ἀδώνιδι, ὅκως ἐόντι νέκυϊ. *Poſtquam autem ſe tondendi ac deplorandi finis factus eſt; primo quidem inferias Adoni peragunt, perinde ac mortuo tum exiſtenti, & capita radunt, quemadmodum Ægyptii mortuo Api.* Quin, ut eo clatius & apettius indicarent, ſe Adoni vel Oſiri qua mortuo, cultum exhibere; cum illius feſtiva ſolennitus ageretur, gentes aliquæ ſimulachra mortuorum cadaveribus ſimilia fingebant quæ more funerum efferebant, & ſepulchro condebant. Huic mori *Plutarchus* teſtimonium perhibet: [a] Ἀδωνίων γὰρ εἰς τὰς ἡμέρας ἐκείνας καθηκόντων, εἴδωλα πολλαχοῦ νεκροῖς ἐκκομιζομένοις ὅμοια προὔκειντο ταῖς γυναιξί, καὶ ταφὰς ἐμιμοῦντο κοπτόμεναι, καὶ θρήνους ᾖδον. *Adonidis ſacris in hos dies incurrentibus, mulieres ſimulachra quaſi mortuorum cadavera frequentes efferebant pro more feſtivitatis, funeraque & ſepulturas imitabantur plangebantque, & feralia carmina concinebant.* Et ut omnia huic ſcenæ luctuoſæ convenirent, ſacrificium pro more feſtivitatis *Adoni* oblatum, Καθέδρα [b] vocabatur: *quod inde reor eſſe deductum*, inquit [c] Perrus Caſtellanus, *quod* πένθους ἡμέρας ἐπὶ τετελευτηκόσι, *luctus dies ſuper defunctis* ethnici καθέδρας appellarent. Cum itaque Ægyptii, aliique Adonidis aut Oſiridis ritus obeuntes, id enixius agerent ut eum qua mortuum colere crederentur; ſuadet ratio ut vocabulum למת de numine illo, *mortui* nomine culto & celebrato interpretemur.

CAP. XXXVIII.

(3°.) Ut eo magis cohæreant omnia, non eſt hic taeite prætereundum, quod erhoicis in more eſſet omne genus fructuum offerte, cum Adonidis aut Oſiridis ſacra ſoleoniter obſervarent. Religionis hujuſce teſtem adduco *Theocritum*, ſic ritus Adonios deſcribentem, *Idyl.* 15. v. 111.

Ἀρσινόα πάντεσσι καλοῖς ἀτιτάλλει Ἄδωνιν·
Πὰρ μὲν οἱ ὥρια πάντα ὅσα δρυὸς ἄκρα φέροντι.

Arſinoe multifariis bonis ornat Adonim.
Juxta enim matura jacent, quæcunque arborum apices ferunt.

Si hæc omnia ſedulo conferantur, aperte conſtabit opinionem meam textus hujuſce verbis adamuſſim convenire, nihil coactum aut male cohærens continere; profeſſionem etiam illam, poſt oblatas decimas & ptimitias inſtitutam, ad arcendam idololatriam medium fuiſſe cumprimis aptum & accommodatum. Capitis totius clauſula.

CAP. XXXVIII.

Lex qua cautum eſt, ne ſacerdotes radantur, ſed tondeantur.

ID ſummo conatu ſtudioque egi hactenus, ut leges præcipuæ, Zabiorum moribus adverſæ, codice Moſaico contentæ, luce paulo clariore ſtatuantur. Atque hic lectoris patientiam liberarem, niſi quod legem unam nobis offerat *Ezechielis* prophetia, Zabiiſmo non minus adverſaotem, e cujus explicarione lux haud exigua nonnullis *Pentateuchi* legibus oriatur. Eſt autem hujuſmodi: [d] *caput ſuum neque radent* ſacerdotes, *neque comam nutrient*, ſed *tondentes tondebunt capita ſua.* Hujus præcepti ſenſus adeo obvius eſt & in media luce poſitus, ut vix oculos lippientes latere poſſit. Ea nempe præcepti mens eſt: ne ſacrorum miniſtri ſeipſos ad vivam cutem aut calvitiem raderent, nec eorum cæſariem prolixam & incultam gererent; ſed utriuſque extremi vanitatem declinantes, capita touderent ſolummodo, adeo ut nec cutis pateret, nec vultus tegeretur. Cum itaque legis ſenſus nemini dubius aut obſcurus eſſe poſſit, ad alia explicatu difficiliora & interpretis opera ſtudioque digniora, ſermonem convertam. Ideoque meum erit. (1°.) Legis hujuſce fontem & originem apetire. (2°.) Illius rationem genuinam paucis exponere & confirmare. (3°.) Rationes vulgo redditas io examen vocate, & earum levitatem patefacere.

a In *vit. Alcib.* pag. 200. C
b Vid. *Heſych.* in καθέδρα.
c *Synt.* de *feſt. Græc.* p. 8.
d *Ezec.* 44. 20.

SECT. I.

SECT. I.

Hujus præcepti fons & origo detegitur.

Hac de re conjecturæ duæ.

PRIMO: meæ partes erunt, hujus præcepti fontem & originem aperire. Sat ſcio provinciam difficilem me ſuſcepiſſe: cum enim lex hæc nullibi apud Moſem occurrat, (qui *caput radere*, non autem *comam nutrire*, vetuit) videri poſſit, Deum legem hanc non per Moſem, ſed Ezechielem primo tradidiſſe. E diverſo cum in hoc capite, lex hæc inter alia præcepta pure Moſaica media collocetur; & certum ſit, Deum leges rituales tradendi partes Moſi demandaſſe; ratio non ſinit credere, Deum legem hanc unam ritualem *Ezechielis* ſolius miniſterio dare voluiſſe. Ut itaque hunc nodum expediam, de legis hujus origine duas proponam conjecturas, de quibus lector pro libitu ſuo ſententiam ferat.

1°. PRIMO: veriſimile eſt Moſen has leges [quamvis haud conjunctim] diu antea ſacerdotum genti tradidiſſe, & *Ezechielem* eas auctoritati priſtinæ reſtituiſſe, cum forte vitio temporum in deſuetudinem abiiſſent. Nam *Levit.* 21. verſ. 5. lex ea ſacerdotibus præſcripta legitur, [1] *non radent caput nec barbam eorum;* hæc etiam verſ. 10. ſub. [a] Pontificis perſona, toti ſacerdotum familiæ data cenſeatur; *ſacerdos maximus inter fratres ejus*, ראשו לא יפרע *caput ſuum non diſcooperiet*, *veſtimenta non ſcindet.* Sic equidem *Vulgata* auctor hanc legem reddit: mihi vero multo magis ſe probat eorum ratio, qui voces Hebræas hoc ſenſu interpretantur, *caput ſuum non reddet vacuum* ſeu *liberum*, a raſione nimirum & cultu, ita ut coma (quod in luctu fieri ſolet) prolixa, neglecta, & inculta relinquatur. Huic interpretationi calculum adjecit *Onkelos*, ſic locum explicans, ית רישיה לא ירבי פירוע *in capite ſuo ne nutriat comam.* Illius veſtigiis inſiſtit *Jonathan*, legis hujuſce mentem ipſis iiſdem verbis exprimens. Hunc etiam ſenſum *Arabs*, *Perſa*, *Fagius*, *Schindlerus*, aliique præferendum cenſuere. Huic interpretationi vim addit locus ille parallelus, *Lev.* 10. 6. *Capita veſtra ne* תפרעו *reddatis vacua* ſeu *libera*, h. e. exponente utroque *Targumiſta*, לא תרבון פירוע *ne augeatis*, ſeu *alatis cæſariem*, more ſcil. Ægyptiorum, qui capitis & barbæ crines in luctus & mœroris ſignum nutriebant. His affinitate juncta videntur illa de leproſo verba, [b] *& caput ejus erit* פרוע *liberum*, [a novacula nempe vel forcipe] in luctus teſtimonium. Hunc ſenſum *Chaldæus* inſuper, [c] *Arabs* etiam, huic loco tribuit. Nec inconſulto: cum enim ſequatur, *& labrum ejus cooperiet;* neceſſe eſt ut verba præcedentia de *capite aperto* perperam intelligantur; niſi credatur antiquos in mœrore conſtitutos, caput apertum, os autem velatum ſimul habuiſſe, adeoque luctum eorum ritu plane contrario ſignificaſſe. Cum itaque tot exempla, & teſtimonia, interpretationi noſtræ præſidium præbeant; conjectura rationi conſentanea eſt, *Ezechielem* legis hujuſce partem primam e verſu quinto, poſtremam e verſu decimo capitis [d] jam laudati deſumpſiſſe.

NEQUE ſententiæ noſtræ obſtare debet Græcorum verſio, τὴν κεφαλὴν [2] οὐκ ἀποκιδαρώσει, *caput ejus non nudabit cidari.* Nam certum eſt, ſacerdotes in ſolenni ſacrorum celebratione, capita ſua ſemper obtegere debuiſſe; nec opus erat ut nova aliqua lege caveret Deus, ne capita ſua cum ſacris intereſſent cidari vel pileo ſacerdotali denudarent. Nec ad ſententiam noſtram evertendam ſatis firmitatis habet, quod nonnulli forſan objicient; vocem nempe [e] יפרע [*denudandi* ſenſu ſumi ſolitam] poſtulare, ut eam cum reſpectu ad ſacerdotis pileum potius quam comam interpretemur: non enim ignoratum eſt eruditis, hanc vocem eum etiam quem dixi ſignificatum continere.

2°. SECUNDO: ne conjectura illa lectori minus allubeſcat, aliam in medium proferam, quæ forte non minus concinna, & Legis totius ſcopo conſentanea videatur. Eſt autem hujuſmodi: Propheta legem illam [*non radent caput*, *nec barbam*] non κατὰ τὸ ῥητὸν, ſed κατὰ τὴν διάνοιαν, expoſuiſſe, & præceptum de quo jam agitur, non e legis illius verbis, ſed ſenſu & intentione generali accepiſſe cenſeatur. Quamvis enim [ſi legis illius corticem tantum intueamur] nihil in ea præter crinium raſionem prohi-

a Vid. *Grot.* in *Levit.* 21. 10. b *Lev.* 13. 45. c Qui ſic reddit, *& caput ejus erit incultum.*
d Viz. *Lev.* 21. 5, 10. e In *Lev.* 21. 10.

1 Hebraica vertenda ſunt, *non calvitium inducent capiti ſuo, neque angulum barbæ ſuæ radent.*
2 Apud *MS. Oxonienſem.* οὐκ ἀποκιδαρώσει & *Scholia Romana*, ἄλλος φησί, οὐκ ἀποκιδαρώσει.

beatur;

beatur; ſi tameo illius occaſionem & contextum altius perpendamus, facile percipiamus Deum non tantum *caput radere*, ſed & *comam nutrire*, ea in lege vetuiſſe. Nam apud Ægyptios in more erat, nunc capite raſo, nunc coma promiſſa & inculta, luctum funebrem indicare: cum itaque ſatis e contextu pateat, Deum capitis raſionem, tantum qund luctus funebris indicium vetuiſſe; rationis paritas opinari docet, comam nutritam & incultam, utpote luctus feralis indicem, legis illius intentioni non minus adverſari.

Si itaque huic aut priori conjecturæ aſſentire liceat, credendus eſt Propheta legem hanc e *Levitico* in ſcripta ſua tranſtuliſſe, eamque a Moſe quidem originem, ab *Ezechiele* vero ſanctionem oovam accepiſſe.

SECT. II.

Ratio legis exquiritur.

Cum jam legis hujus originem perſpectam habeamus, ordo poſtulat ut in illius ratione perquirenda & aſtruenda laboris aliquid impendamus. Quantum autem rem, non minus opinionum varietate quam temporum vetuſtate, perplexam & obſcuram percipiamus, ideo ſacerdotibus caput radere vel comam negligere prohibetur, quod capitis raſio ſimul & neglectus ritus funebres eſſent, & in luctus teſtimonium pariter uſitati. Ut huic rationi lucem & firmitatem feram, oſtendendum eſt, (1°.) Capillos abraſos & neglectos (aut promiſſos) luctus funebris indices fuiſſe, & apud Ægyptios aliosque in ſuorum funeribus uſitatos. (2°.) Deum ea de cauſa caput radere & comam nutrire vetuiſſe. (3°.) Cur Deus ritibus iis, tantum quod funebres eſſent, ſacerdotibus interdixir.

Ostendendum eſt primo, capillos abraſos, aut promiſſos & neglectos, luctus funebris indices fuiſſe, & apud Ægyptios & alios in ſuorum funeribus uſitatos.

Antiquos luctum indicaſſe, capillis quandoque, abraſis,

Capillos tonſos aut abraſos luctum funebrem antiquitus indicaſſe, fidem faciunt multa e ſcriptis divinis & humanis facile petenda teſtimonia. *Jobus*, filiis ejus fato præmaturo abreptis, [a] *ſurgit, veſtes lacerat*, ויגז *& caput* ſuum *tondet*. Idem & Hebræos antiquiores in rebus luctuoſis feciſſe & obſervaſſe, nos docent [b] *Propheta* verba; *morientur magni & parvi in terra hac: non ſepelientur, neque plangent eos, neque incidetur, neque* יקרח *decalvabitur propter eos.* Huic affinis eſt [c] ille *Micha* locus: *decalva teipſam, & tonde teipſam ob filios deliciarum tuarum, dilata calvitium tuum ſicut aquila.* Quod Ægyptii cute tenus, in luctu funebri præſertim raderentur, e [1] *Diodoro* diſcimus: refert enim ille, totam familiam in Ægypto radi ſolitam, ſi canis (animal religioſe habitum) in domo quapiam obiiſſet: ξυρῶνται πάντες οἱ κατ᾽ οἶκον ὄντες ὅλον τὸ σῶμα, καὶ ποιοῦνται πένθος *Omnes in domo illa totum corpus raduntur, & in luctu ſunt.* Eundem in luctu funebri tondendi morem apud alias gentes obtinuiſſe, probant multa illa Veterum teſtimonia, quæ hic addi poſſent, ſi falcem meam injicere vellem in [d] *Kirchmanni*, [e] *Junii*, vel [f] *Bocharti* meſſem. Ideo vero Gentiles in amicorum funere toti radebantur, quod hoe ritu luculenter indicarent, ſe jam ornatus & elegantiæ ſtudium ſeponere, & omni voluptati nuncium remittere, niſi quam capitis deſideratiſſimi memoria præbeat.

Et quandoque neglectis.

Utcunque nonnulli in luctus gravioris indicium more plane contrario utebantur, & capillos, olim eleganter tonſos & compoſitos, incultos demittere ſolebant, eoſque cervices ſuas nullo ordine circumfluere ſinebant. Hunc morem Ægyptios mœrore confectos obſervaſſe, ſcriptum reliquit *Herodotus*, lib. 2. cap. 36. ubi ait, *apud alios, ritus eſt, ſtatim in funere* proximi, *capita deglabrare*: Αἰγύπτιοι δὲ ὑπὸ τοὺς θανάτους ἀνιεῖσι τὰς τρίχας αὔξεσθαι, τάς τε ἐν τῇ κεφαλῇ καὶ τῷ γενείῳ, τέως ἐξυρημένοι *Ægyptii vero* in ſuorum funeribus *ſinunt capillos creſcere, antea caput & barbam tonſi.* Sic ab antiquo morem apud Ægyptios habuiſſe probabilius exiſtimetur, quod rebellibus e medio ſublatis, cautum ſit, [g] *ne quis caput detegeret, aut veſtem laceraret*; *Jonathan* autem (quod ſupra monui) ſic locum explicet, לא תרבון פרוע *nolite nutrire comam,*

a Cap. 1. 20. b *Jerem.* 16. 6. c Cap. 1. v. 16. d De *funer.* Rom. l. 2. c. 13. & 14.
e *Comment.* de *coma*, c. 5. f De *Animal. ſac.* P. 1. col. 478. 479. g *Lev.* 10. 6.

1 Vid. *Biblioth. Hiſtor.* Lib. 1. p. 75. B

SECT. II. nempe ad ſunebrem Ægygti morem, unde nuper exiiſtis. Et hodierni Judæi, conſuetudine forſan a majoribus transmiſſa, cum amicos elatos deflent, *intra triginta dies nec lavantur, nec tondentur;* ſi [a] *Sehindlero* & [b] *Buxtorſio* referentibus fidem habeamus. Si quis in hoc argumento plura deſideret, legi velim quæ in hanc rem ſcripſerunt, *Alexand.* ab *Alex. Junius, Kirehmannus, Geyerus, Doughteius*, aliique.

Deum hos ritus quia funebres, inhibuiſſe.

SECUNDO: probandum incumbit Deum ideo caput radere, eomam etiam nutrire vetuiſſe, quod Ægyptii aliique, in luctu præcipue funebri, ritibus illis uterentur. Hic mirum videri non debet, quod in Ægypti funeribus, nunc comam paſſam & promiſſam, nunc raſam aut tonſam, uſitatam audiamus; cum ſingulis fere ſeculis hominum mures & affectus immotari ſoleant, & coma, vel ſecta vel promiſſa, ornatus nativi contemptum [luctui convenientem] indicet. Multis autem non opus eſt argumentis, ut evincam ritum utrumque ſacerdotibus interdictum fuiſſe, quod iis Ægyptii aliique in funeribus uterentur. Apertum eſt enim, *Ezechielem* legem hane, e [c] *Levitico* ſumptam, ſcriptis ejus inſeruiſſe: ibi vero poſtquam Deus ea lege [*ne mortuorum cauſa ſeipſos polluerent*] familiam ſacerdotalem devinxiſſet; iis interdicit ne capita raderent aut comam nutrirent, i. e. ne capita ſua, deformi crinium reſectione vel neglectu, in luctus funebris teſtimonium dehoneſtarent. Deinde: dubitari nequit, quin lex ea moribus quibus Iſraelitæ diutius aſſueverant [h. e. Ægyptiacis] potiſſimum opponeretur: de Ægyptiis autem memoriæ proditum eſt, quod comam, nunc radere, nuue promittere ſolerent, cum luctui graviori, funebri præſertim indulgerent.

Cur ritus illi, quod funebres, interdicti.

DICENDUM ſupereſt, cur Deus titibus hiſce, tantum quod funebres eſſent, cultus ſui miniſtris interdixit. Duas itaque tationes hujus interdicti reddimus:

PRIMO: ritus illi una cum aliis olim in luctu funebri uſitatis, in religionem tandem abierunt, & cultus mortuis præſtiti pars magna facti ſunt. Nam [d] *Lucianus* de ſacerdotibus Deæ Syriæ devotis agens, τὰς κεφαλὰς, inquit, ξυρέονται, ὅκως Αἰγύπτιοι ἀποθανόντος Ἄπιος· *capita detondent, quemadmodum Ægyptii, quando* apud ipſos *mortuus eſt Apis.* Et *Plutarchus*, in *Iſide*, de ſacrificulis Ægypti loquens, aſſerit ξυρεῖσθαι τὰς κεφαλὰς διὰ τὸ πένθος, *eorum capita in luctus* teſtimonium *radi* ſolita. Sed exemplum multo luculentius & ad rem præſentem accommodatius nobis præbet apocryphum [e] *Baruchi* ſcriptum: ubi, de Babyloniis & eorum idolis verba faciens, inquit, *in domibus* [i. e. templis] *eorum ſacerdotes ſedent, habentes tunicas ſciſſas, & capita & barbam raſam —— Quorum capita nuda ſunt.* Ideo vero ceremoniis hiſce omnibus in templis ſuis utebautur, quod *veſtem ſcindere, barbam radere*, & *caput nudare*, luctus funebris indicia eſſent, adeoque Diis ſuis, qui revera homines mortui erant, apprime convenirent. Ex eodem more funebri factum eſt, quod *apud Deos ſuos* (uti ſequitur) *miſerabile elamarent*, quod in luctu fuueris fieri amat. Cum itaque ritus illi funebres, non tantum in morem, ſed & religionem abiiſſent, noluit Deus ut ſaeerdotes ejus capita vel raſa vel comata gererent; ne ſacrorum ethnicorum curam gerere, & homiuum mortuorum [non Dei vivi] miniſtri crederentur. Ratio hæe inde fidem acquirat, quod omnia luctus indicia, in mortuorum ſolenuibus uſitata, ſacerdotibus interdicta ſint. Iis enim in luctu funebri, nec barbas radere, nec capita deglabrare, nec veſtem ſcindere, vel capitis pilos uutrire ſas erat, nec iis nudo capite ſacra procurare concedebatur. Quid autem hæc omnia ſacerdotibus illicita fecit Legislator, niſi ut omnem νεκρολατρείας, [f] tunc temporis late propagatæ, ſpeciem a ſacris ejus amoveret, & euraret ne ſacerdotes ipſi tam profanæ conſuetudinis exemplum præbere viderentur? Si Dei ſacerdotes dolentis perſonam ſuſcepiſſent, aut Ægyptii ſacrificuli tonſuram imitati fuiſſent; cultus idololatrici tunc ubique recepti ſe graviter ſuſpectos reddidiſſent; & Iſraelitæ forſan ſacerdotum mores in partem pejorem interpretati, ad ritus ethnicos & ſacra mortuorum tranſiiſſent. Cum enim Hebræorum animi inter Deum & *Baalim* fluctuarent, levi quovis momento in partem pejorem impelli poſſent. Huic rationi non nbſiſtit, quod ſacerdotibus permiſſum eſſet, ritibus hiſce funebribus uti ſuper obitu patris, matris, ſororis, aut cujuſvis alterius, iis proximo ſanguinis nexu cohærentis: eum enim ſacerdotes propinquorum ſolummodo funera, more ſolito celebrarent; cuivis conſtare poſſet, quod ritibus quos dixi funebri-

a *Lexic. Pentag.* voc. פרע b *Synag. Judaic.* cap. 49. c Viz. Cap. 21. 5. & 10. d Lib. de *Dea Syr.* p. 1058. B e Cap. 6. v. 31. f *In iſtis profanis religionibus, ſciatis mortes eſſe hominum conſecratas.* Jul. Firmic. ub. ſup. p. 8.

bus

bus, non e Gentiliſmi ſtudio, ſed affectus naturalis inſtinctu, & ad luctum ſolummodo teſtandum uterentur. SECT. III.

(2°.) Seculis antiquioribus, carnes morticinas edere, corpora mortuorum attrectare, funeribus eorum intereſſe, ritus funeri proprios obire, vel operam quamvis aliam funeri dare, profanum quiddam & a ſanctitate ſacerdotali alienum habebatur. Apud Romanos itaque ſacrorum lege receptum erat, ut ſacerdos omnis, imprimis maximus, a mortuorum contactu, viſu, ritibus & exequiis abſtineret. Hoc multis Veterum teſtimoniis probatum dederunt, [a] *Grotius*, [b] *Dougtheius* noſter, aliique, quos adeat, ſi quis harum rerum ſtudio teneatur. Ideo vero ſacrorum miniſtri a funeribus & ceremoniis funus olentibus abſtinere tenebantur, quod aliquid immundi & a ſacrorum puritate alieni, funerum curatoribus adhærere videretur; quod etiam Sacrorum honos & Sanctuarii reverentia non niſi ceremoniis quibuſdam peculiaribus integra conſervari potuiſſet. Deus ipſe hanc aſſignat cauſam, cur Altaris & Sanctuarii ſui miniſtros funere pollui, vel in re funebri verſari prohibuerit. *Levit. 21. 1, 5, 6. Loquere ad ſacerdotes filios Aaron, & dices ad eos ne contaminetur* ſacerdos *in mortibus civium ſuorum. Non radent caput, nec* [1] *barbam, neque in carnibus ſuis facient inciſuras. Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen* ejus: *incenſum enim Domini*, & *panes Dei ſui offerunt, & ideo ſancti erunt.*

SECT. III.

Rationes vulgo datæ ad examen vocantur.

DEVENTUM eſt jam ad ſupremam penſi noſtri partem, ut nempe rationes hujus præcepti, quæ reddi ſolent, ad examen vocemus, easque falſi convincamus. Harum autem prima & primaria ſic ſe habet:

(1°.) Gentibus pene omnibus in more erat, ut ſacrificuli ſui, capite raſo vel comato, tanquam habitu & charactere peculiari, a vulgi plebe diſcernerentur. Si itaque ſic ora & capita tuliſſent Dei ſacerdotes, ſcandalo fuiſſent infirmis, qui forſan eos idololatriæ ſocios & anteſignanos habuiſſent. Gentium autem ſacerdotes, hic raſos, comatos illic, pro vario populorum ritu, inceſſiſſe, ex [c] *Herodoti* verbis cognoſcatur; οἱ ἱρέες τῶν Θεῶν τῇ μὲν ἄλλῃ κομέουσι, ἐν Αἰγύπτῳ δὲ ξυρῶνται· *Deorum ſacerdotes alibi quidem comati ſunt, in Ægypto autem raſi.* Hæc *Herodoti* verba multis firmantur Veterum teſtimoniis: nam *Plutarchus*, vulgi opinionem reprehendens, [d] negat λινοστολίαν καὶ ξύρησιν *veſtem lineam & raſuram* Iſidis ſacerdotem facere. Et *Laertius*, lib. 8. de *Eudoxo* loquens, ſcribit, eum in Ægypto apud ſacerdotes fuiſſe ξυρόμενον τε ἥβην καὶ ὀφρῦν, *raſum pubem & ſupercilia.* Atque hinc factum, quod phraſes illæ, *grex calvus* apud [2] *Juvenalem*, προφῆτας ἐξυρημένοι apud [3] *Lucianum*, & *ſacerdotes calvi* apud [4] *Minucium Felicem*, ſignanter, ad prophetas & ſacerdotes Ægyptios notandos uſurpentur. Hic mos olim ab Ægypto forte propagatus, etiamnum obtinet, ubi nondum exolevit ethniciſmus: nam [e] *Lucas de Linda*, ritus *Japonenſium* referens, *illi*, inquit, *quibus ſacrorum cura commiſſa eſt, mento & capite raſo incedunt.* Nec minus vero conſonum eſt, quod refert *Herodotus*; quod ſcilicet apud alias gentes, rerum ſacrarum antiſtites a vulgo, coma & barba promiſſa diſtinguerentur. Apud aliquas gentes ita morem habuiſſe, eumque a numinum ſuorum crinitorum exemplo profluxiſſe, data opera docet [f] *Hadrianus Junius*, ad quem curioſos amandamus.

Ratio 1ª.

Quamvis autem ratio hæc primo quidem aſpectu concinna & ſpecioſa videatur, ſi eam ſpectemus attentius, illius nævos & fallacem ſpeciem facile percipiamus. Nemini enim parallelum [g] illum *Levitici* locum conſulenti obſcurum eſſe poteſt, Deum coma ſecta ſimul & promiſſa [non quod cultus ethnici, ſed] quod luctus funebris indices eſſent, ſacerdotibus ejus interdixiſſe. Deinde: cum ſuperius adducta probent, Ægyptios in luctu funebri, nunc raſos, nunc comatos inceſſiſſe; legum divinarum ſimplicitas opinari ſuadet, Deum legem hanc Ægypti moribus oppoſuiſſe; cum præ- Rejicitur.

a *Annot. ad Levit.* 21. 11. b *Analect. ſac.* P. 1. Excurſ. 50. c In *Euterp.* cap. 36. d In *Iſid.* p. 352. C. e *Deſcrip. Orb.* pag. 138. f *Comment. de coma*, cap. 3. g Cap. 21. 1, 5.

1 Vid. pag. 582.
2 *Satyr. 6. v.* 532.
3 *De Sacrif.* p. 187. A
4 Pag. 165. & Cap. 21. *Davies.* Apud *Minuc. Felic.* Iſis per Titum filium cum Cynocephalo ſuo *& calvis ſacerdotibus* luget. —— *Elegans lectio*, inquit Heraldus, *quam MS. Regius repræſentat. Ante in omnibus editionibus*, & aliis ſacerdotibus.

SECT. IV. ſertim gentium aliarum mores Iſraelitas, in Ægypto natos & innutritos, latuiſſe putentur. Ratio itaque me ab opinionis hujuſce patronis diſſidere cogit.

Ratio 2ª. Neque (2°.) cum iis facio, qui lege cautum ſentiunt, ne ſacerdotes capillos ſuos prorſus abſcinderent, aut nimium promitterent, ut decoro ſtuderent, nec profeſſionis ſuæ dignitatem ulla ratione dehoneſtarent. Nam caput, inquiunt, coma nudatum, apud gentes pleraſque ridiculum habitum eſt & morionum proprium: & capilli turpiter promiſſi, ſine lege vel cura penduli, militi vel barbaro, potius quam homini ſobrio & bene morato convenire videntur. Hanc rationem calculo ſuo dignam habuit *S. Hieronymus*, ſic legem [a] explicans: *quod ſequitur*, caput ſuum non radent, neque comam nutrient, *perſpicue demonſtrat, nec raſis capitibus ſicut ſacerdotes cultoreſque Iſidis* & *Serapidis, nos eſſe debere: nec rurſus comam demittere, quod proprie luxurioſorum eſt, barbarorumque & militantium; ſed ut honeſtus habitus ſacerdotum facie demonſtretur.*

Nullius habita. At illa ratio non facile lectoris conſulti punctum obtinebit: nam *Lev. 21. 5.* (unde Prophetam *Ezechielem* hanc legem hauſiſſe diximus) verbis diſertis inhibetur, tantum ne ſacerdotes caput aut barbam raderent, non autem ne comam nutritent aut augeri ſinerent. Quid autem, niſi quod comæ reſectio ritus lugubris eſſet, & apud Ægyptios, cum ſe luctui darent, frequentius uſitata? Deinde: Levitæ & leproſi, cum puritati operam darent, [b] *omnes carnis ſuæ pilos radere tenebantur;* & ſacerdotes ipſi [c] comam nutrire, cum voto Nazaræatus obſtringerentur. Ex his efficitur, comam ſectam vel prolixam ſacerdoti minime vetitam fuiſſe, quod hæc vel illa ab honeſti norma deflecteret, & illa ad Iſiacorum ſuperſtitionem, hæc ad militum aut barbarorum feritatem nimis accedere videretur.

Ratio 3ª. (3°.) Nonnulli Deum comam raſam ſimul & intonſam vetuiſſe ſentiunt quod utraque contra Naturæ legem & intentionem peccare videatur. Cum enim Natura parens ſupercilia pilis ad ornatum veſtiverit, & hominum capita denſo pilorum tegmine donaverit, ut humorum affluxus nonnihil ebiberent, & aeris aut animalculorum injurias propulſarent; qui capita aut ſupercilia novaculæ ſubmittunt, Naturæ legem & ſcopum inſuper habere putentur. Cum etiam gentium omnium conſuetudo [optimus interpres Naturæ] comam promiſſam, velaminis & ornamenti loco, ſexui molliori dederit: Naturæ intentionem male intelligere videntur, qui comam alunt, camque intonſam & per terga fluentem gerunt.

Repudiatur. At nec ratio illa lectori ſagaciori facile ſatisfaciet; nam (ut alia taceam) cum lex hæc inter tot leges mere ceremoniales inventa ſit, vero prorſus abſimile eſt, eam e Naturæ dictatis ortum petere, & ſociis legibus vix ulla cognatione devinciri.

SECT. IV.

Capitis & inſtituti præſentis Concluſio.

De legis hujus origine & inſtituendi cauſa, prout captus eſt meus, ſermonem jam habui; eamque legibus a Moſe datis accenſendam eſſe, argumentis haud inertibus probatum dedi.

Ex iis autem quæ de hac & aliis naturæ cognatæ legibus in medium protuli, manifeſto deprehenditur, Hebræornm leges haud paucas, ὡς ἐπὶ πολὺ, Zabiorum ſtudiis & inſtitutis diſſonare; Deum etiam legibus illis, Iſraelitas a ſuperſtitioſis, Ægypti præcipue moribus, quibus etiamnum inhærebant, avocare, & ad veram religionem reformare ſtuduiſſe. His autem eo diutius & operoſius immoratus ſum, ut inſtitutis divinis, e vetuſtatis tenebris in lucem diemque protractis, honorem conciliarem; & Chriſtiani pædagogia Judæorum & ſuperſtitione Gentilium penitius intellecta, temporis ſui felicitatem momentis ſuis æſtimare diſcerent.

Operis mei non tam iniquus æſtimator ſum, ut cenſeam me leges omnes, ad Zabiiſmum extirpandum traditas enumeraſſe vel explicuiſſe. Prout enim ex iis nonnullæ tam apertæ ſunt & in ipſa luce poſitæ, ut expoſitionis alicujus face prælata

a *Comment. in Ezec.* 44. Tom. 3 col. 1029. b *Num. 8. 7.* c *Num 6. 5.*

non

non indigeant; ita & aliæ proculdubio tam obſcuræ, ut facultatis meæ non eſſet eas percipere vel interpretari. Cum oblivio jam pene obruerit antiquiora hæc, mihi (non minus quam lectori) facile eſt opinari leges aliquas, ethnicorum ſuperſtitioni repugnantes, induſtriam aut captum meum effugiſſe. Multa proculdubio Moſis inſtituta paulo clarius intelligeremus, niſi temporis invidia deſideratiſſima quædam gentium antiquiorum monimenta nobis eripuiſſet. Et forte lucis haud parum inſtitutis hiſce perantiquis accedere poſſet, ex iis quæ in Hiſtoricorum ſuperſtitum ſcriptis, nobis adhuc ignota, deliteſcunt. Exorietur itaque, uti ſpero, ſtudioſus aliquis, qui cœptum meum olim conſummabit, & ea quæ ipſe, propter antiquitatis inſcitiam aut ingenii tarditatem, docere non potui, e Veterum monumentis eruet & in lucem evocabit. SECT. IV.

INTEREA temporis obſervare juvet, Deum, non tantum ſub *Vet. Teſtamento*, ſed & *Novo*, leges aliquas, ethnicorum moribus διαῤῥήδην oppoſitas inſtituiſſe. Cum autem Diſſertatione ſequente, hoc ſatis aperte docuiſſe videar, eam libro huic, Appendicis vice, ſubnectere conſentaneum habui.

DISSERTATIO
IN
LOCUM ILLUM VEXATISSIMUM,

Actorum 15. 20.

Quæ propter ARGUMENTI vicinitatem & ſimilitudinem LIBRO præcedenti ſubnectitur.

PRÆFATIO.

CUM *S. Paulus*, & ejus *συνεργὸς S. Barnabas*, in Antiochia junctis operis Evangelium annunciarent, quidam falſi fratres, e Phariſæorum ſecta, turbas in ea eccleſia non leves excitarunt. Illi nempe doctrinam, de neceſſitate Legis ad ſalutem conſequendam obſervandæ, præfracte defenderunr, eique nomen & mandatum Apoſtolorum, falſo licet, nbtenderunt. Inde lite inter Phariſæos & Gentiles ad fidem nuper converſos orta, de communi partis utriusque ſententia decretum eſt, ut lis illa ad Apoſtolos & Presbyteros, Hieroſolymis agentes decidenda referretur. Re itaque ad Apoſtolos & Presbyteros delata, & inter eos penſiculate verſata & mature diſcuſſa, tandem in hoc conventum eſt; ut Chriſtiani ex Gentilitate converſi a circumciſione & legis jugo immunes eſſent, iiſque [a] *nihil oneris imponeretur, quam ut abſtinerent a pollutis per idola, fornicatione, ſuffocato, & ſanguine.* In hoc autem Decretum Apoſtolicum laboris aliquid impendere conſultum duxi, quod libro huic tanta materiæ cognatione conjungatur, ut mutua luce ſe invicem donare poſſint; quod etiam Theologi plerique omnes in eo explicando conatu irrito laboraſſe, & difficultates in eo contentas non tam ſolviſſe quam evitaſſe videantur. Ut autem de re tam obſcura perſpicue loquar, ſermonem meum intra limites hoſce coercere placet: (1°.) Genuinum decreti ſenſum explicatum dabo. (2°.) Rationes illius quæ reddi ſolent ad examen vocabo. (3°.) Decreti rationem veram dabo, eamque teſtimoniis & aliis argumentis confirmabo. (4°.) Adverſantium objectiones in rationis trutina perpendam, & earum levitatem patefaciam. (5°.) Enrum etiam errorem redarguam, qui, Decreti hujus auctoritate nixi, ſanguinis eſum Chriſtianis illicitum arbitrantur.

CAP. I.

Genuinus loci ſenſus explicatur.

UT ad hujus interdicti rationem & interiorem quaſi medullam penetremus, opus eſt ut in ipſo cortice pauliſper hæreamus, & vocis cujusque ſenſum genuinum, qua licet inveſtigemus.

a *Act.* 15. verſ. 20. & 29.

SECT.

SECT. I.

Quid per ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων *hic intelligendum.*

EXORDIUM ſumimus a vocibus illis, ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων, quæ primo nobis occurrunt explicandæ. Quo vero diſtincte procedat ſermo, locutionis hujus intentioni primo, dein & origini lucis aliquid afferre conabimur.

CIRCA locutionis hujus intentionem non eſt quod multum hæreamus. Nonnulli quidem, vocibus illis, omnia in cultu idolorum uſurpata [patinas, cultros, altaris lapides, & ſimilia] denotari ſentiunt, quæ nempe Judæi pro pollutis habebant, & inter vetita recenſebant. Sed vocem ἀλισγήματα, hoc in loco, non de pollutione quavis, ſed cibo & potu ſimulacro vel idolo devotis aut oblatis uſurpari, ne dubitandum arbitror. Nam quæ hic ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων, *polluta per idola*, hoc ipſo in [a] capite & [b] alibi εἰδωλόθυτα vocata reperiamus. Vocum earum intentio præcipua quænam.

HÆC autem ἀλισγήματα vel εἰδωλόθυτα, in quatuor genera diſpertire licet: nam,

PRIMO: quædam cibi erant, quos ethnici certis ceremoniis Deo vel idolo conſecrabant, cum jam menſis apponerentur. Nam (1°.) nonnunquam ad ipſam menſam, priuſquam cibos guſtaſſet quiſpiam, pars aliqua de pane vel extis in focum *porricitur* (utor verbo ſacrificali) & vinum igni inſperſum vel *Jovi* libatum eſt. Ethnicos hunc morem ſervaſſe, docent *Virgilii* illa;

> [c] *Juppiter omnipotens, cui nunc Mauruſia pictis*
> *Gens epulata toris, Lenæum libat honorem.*

Pars autem illa, ſic in focum data, Græcis ἀκροθίνια, Latinis *profecta* vel *proficia* dicebatur, & per partem illam prælibatam menſa integra Diis ſacra & devota cenſebatur. (2°.) Quandoque Gentiles, Deorum ſuorum nomine ſolenniter invocato, menſam ſuam conſecrabant. Nam *Dido* apud * *Virgilium*, his precibus hoſpitalem menſam ſacram reddit:

> *Juppiter (hoſpitibus nam te dare jura loquuntur)*
> *Hunc lætum Tyriiſque diem Trojaque profectis*
> *Eſſe velis, noſtroſque hujus meminiſſe minores.*
> *Adſit lætitiæ Bacchus dator, & bona Juno.*

(3°.) Quandoque numinis alicujus imaginem, tanquam menſæ genium & tutelam, in menſa ſtatuebant, eamque ritu illo conſecrabant. Hunc morem ſpectant *Arnobii* [d] illa, *ſacras facitis menſas ſalinorum appoſitu, & ſimulacris Deorum?* Ex eo more factum eſt, quod Herculem imprimis *Epitrapezium*, quaſi menſarum præſidem, appellarent. Eum itaque hoc charactere donavit [e] *Statius*,

> ——*Caſtæ genius tutelaque menſæ.*

Si quis hæc fuſius explicata cupit, adeat [f] *Lipſium* & [g] *Scaligerum*. In hoc argumento mihi ſufficiat ſumma rerum capita delibaſſe.

SECUNDO: generis alterius ἀλισγήματα vel εἰδωλόθυτα fuere, cum quis animal aliquod menſæ deſtinans, idolo vel numini ſuo illud mactaret aut nuncuparet. Hoc autem ſe facere veteres idololatræ *verbis* aut *factis* teſtari ſolebant. (1°.) Quandoque *verbis* id indicabant: cum nempe, Dei ſui nomine ſolenniter invocato vel celebrato, animal aliquod ad cibum jugularent. Hic ritus Orientalibus olim uſu tam frequens erat, quod [h] *Mohammedes* legem dederit, qua [1] Suis animalis iſtius eſu interdicitur, *ſuper quod laudes dictæ ſunt aliis quam Deo*, h.e. quod idoli alicujus nomine mactatum, eique ritu illo conſecratum eſt. Omnes itaque qui ab idololatria receſſerant, animalia ſua mactantes, dicebant בשם אללה *in nomine Dei*, quæ verba qui proferret, dicebatur אחל *laudem dicere*. Hæc nobis referunt [i] *Conſtant. L'Empereur* & [k] *Lud.* de *Dieu*, viri

a *Cant.* 29. b *Act.* 21. 25. c *Æneid.* Lib. 4. verſ. 206. * *Æneid.* 1. verſ. 735. d Lib. 2. contr. *Gent.* p. 91. e *Sylvar.* l. 4. *Sylv.* 6. v. 32. f *Saturnal. Sermon.* l. 1. c. 2. g In *Feſt.* ad voc. *Menſa.* h In *Sura. Bacar.* i Not. in *Jacchiad.* in *Dan.* pag. 19. k *Comment.* in *Act.* 15. 20.

1 Vid. *Alcoran.* *Sur.* 2. verſ. 175. ubi *Mohammedes* ait, *certe* Deus *interdixit vobis morticinum, & ſanguinem, & carnem porci; & id, ſupra quod,* dum immolaretur, *invocatum eſt aliud nomen, quam Dei.* Vid. etiam pag. 132

 litera-

Sect. I. literarum & rituum Orientalium conſultiſſimi. (2°.) Quandoque *factis* teſtatum dabant idololatræ, ſe animal in uſum menſæ mactandum idolo nuncupare; cum ſcilicet animalis illius ſanguinem in apertis campis effunderent, eumque nullo pulvere coopertum relinquerent. Idololatras antiqoiores hoc ritu Diis ſuis animalia comedenda ſacrare vel nuncupare ſolitos, non difficulter intelligitur e lege illa quam Deus Iſraelitis, dum in Deſerto vitam agerent, obſervandam dedit, *Levit.* 17.3,4,5,6,7. E legis hujuſce verbis facile conſulendis, patet & promptum eſt, idololatras animalium in uſus proprios mactatorum ſanguinem in campis effudiſſe, & animalia ritu illo mactata Dæmonibus oblata vel ſacrata habuiſſe; nempe quod eorum ſanguinem (quem Dæmonum cibum credebant) iis obtuliſſent, eomque in campis deſertis effudiſſent, [a] quibus illi adeſſe & præeſſe cenſebantur. Deus autem, ut mori huic obviam iret, animalia omnia comedenda coram Tabernaculo mactari, & eorum ſanguinem ſuper altare ſpargi voluit; adeo ut Iſraelitæ in deſerto θεοθύτοις, prout aliæ gentes εἰδωλοθύτοις, quotidie veſcerentur.

Tertio: alia fuerunt idolnthyta, cum animali mactato, pars aliqua nomini vel idolo daretur, parres autem reſiduæ ſacerdotibus aut offerentibus in cibum cederent. Hæc iterum in *ordinaria* & *extraordinaria* diſtribui poſſint: *ordinaria* voco quæ in uſu vulgari verſabantur, & in quovis epulo locum obtinebant. Eam enim religionem ſervarunt idololatræ, quod nullum ad uſus domeſticos mactarent animal, quin deo alicui partem adolerent, & is qui ſecus faceret, velut impius & inhumanus notaretur, & ἄθυτα ἱερὰ κατεδίειν, vulgi proverbio diceretur. Hinc factum etiam, obſervante [b] *Petro Caſtellano*, quod apud Græcos paſſim, quodvis animal, cujus carnibus ad eſum utebantur, ἱερεῖον appelletur, qoemadmodum τὸ ἱερεύειν, non tantum *ſacrificare*, ſed ad edendum *mactare* denotet. Ad hanc obſervationem firmandam auctor ille ſatis exemplorum e Græcis attulit. *Extraordinaria* voco, [c] partes eas animalis idolo ſolenoiter oblati, quibus epulum, in idoleio plerunque ſtruebant offerentes, quo ſacerdotes & familiares convivas invitabant. Moris hojus exempla ſæpius occurrunt ethnicorum veterum paginas evolventi: ſed iſtis immorari ounc intempeſtivum arbitror. *Id* tantum obiter obſervandum eſt, qood in Idolothytis ordinariis, Dæmones cum idololatris, in extraordinariis, idololatræ cum Dæmonibus, convivari & communionem colere viderentur.

Quarto: inter ἀλισγήματα vel *polluta per idola*, numerari poſſint ea, quæ gentium religio Dæmonibus [tanquam cibum proprium] reſervaſſet, iiſque non tam ritu peculiari, quam generali decreto & opinione conſecraſſer. In hunc cenſum *ſanguis*, & (ejus gratia) *ſuffocatum* venire debent. Prout ſub Vet. Teſtamento, quædam ritu ſpeciali Deo ſacra fuerunt, ut res omnes devotæ vel altari datæ; quædam decreto & uſu generali, ut decimæ & primogenita; ſic etiam res inter ethnicos comparatæ ſunt: nam idolothyta modo dicta, ritu ſpeciali; ſanguis autem, fide & uſu paſſim recepto, Dæmonibus addicebatur, & omnes ſanguinem effuſum, aut ἔναιμον (ſanguinem una cum carne) comedentes, Dæmonum conſortes & ὁμοτράπεζοι habebantur. Aſſertionis hujuſce probationem bene firmam, cum ſe dabit locus opportunus, allaturi ſumus.

Jam dicta ſatis liquido probant, varii generis idolothyta inter ethoicos obtinuiſſe, eoſque vix quicquam, niſi hoc vel illo modo per idola pollutum comediſſe. Nec facile dubitari poteſt, quin ea *Concilii Apoſtolici* mens eſſet, ut Gentiles converſi (modo ſcandali periculum ſubeſſet) a variis hiſce *pollutionibus idolorum* abſtinerent. Hic autem (ni fallor) illa præcipue prohibentur idolothyta, quibus Gentiles illi gentiliſmi reliquias alte retinentes in delubro veſcebantur. Nam ipſe locus anſam ſatis amplam ſuſpicandi præbuit, eos idolothyta comedere, ut fœdus cum Dæmonibus inirent, & ſibi cum idololatris arctius amicitiæ vinculom intercederet. Apoſtolus etiam (qui *Concilii Hieroſolymitani* pars magna fuit) idolothytis aliis veſcendi licentiam indulgens, cibos idolo ſacratos [d] ἐν εἰδωλείῳ comedendi morem prohibet. His accedat, quod ille modus idolothyta-comedendi maxima apud Chriſtianos antiquiores infamia laboraret: nam (ut alios jam taceam) a [e] *Concilii Ancyrani* patribus, οἱ ἀπαντήσαντες εἰς τὰ εἴδωλα *qui ad idola pranſi ſunt*, carbone nigrinre nnrati ſunt. & decretum ſeverum factum eſt περὶ τῶν συνεστιαθέντων ἐν ἐθνικῇ ἑορτῇ, ἐν τόπῳ ἀφωρισμένῳ τοῖς ἐθνικοῖς· *De iis qui in*

a Vid. Lib. 3. *Diſſert.* 8. b De *carn. eſu.* l. 1. cap. 1. c *Sacra tulere ſuam, pars eſt data catera menſis.* Ovid. Met. 12. v. 154. d 1 *Cor.* 8.9,10. e *Canon.* 4. & 7. Apud *Bevereg. Pandect. Canon.* Tom. 1. pag. 377-381.

feſto

feſto ethnico, in loco gentilibus deputato, convivati ſunt, h. e. in templo vel delubro, ubi Gentiles frequentes convenerunt, & eorum ſolennes & ſacras epulas plerumque celebrarunt. Sect. II.

In eam curam & ſtudium incumbendum eſt proxime, ut locutionis hujus origini aliquid lucis afferatur. Locutionis hujus origo. Quantum autem illius originem ratione ſcrutari licet, referri debet ad interpretes Græcos, a quibus vox hæc, aut alia radicis ejuſdem, ad panes, carnes, aut vina, ſimulacris oblata, denotanda non ſemel adhibetur. Nempe *Dan.* 1. 8. ubi *Daniel* ſecum ſtatuiſſe dicitur, ὡς ὁ μὴ [1] ἀλισγηθῇ, *quod non pollueret ſe menſa Regis, nec vino vel potu ejus.* Et apud [a] *Malachiam menſa Domini* profanari dicitur, propter ἄρτους [2] ἠλισγημένους, i. e *panes pollutos*, aut idolothyta, quibus, uti videtur, *menſa Domini* h. e. altare, polluta fuerat. Huc apprime faciunt *Sirachidæ* [b] illa, ἀλισγήσει τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἐν ἐδέσμασιν ἀλλοτρίοις, *inquinabit animam ſuam cibis profanis* aut *peregrinis:* nam cibus idolis oblatus, non minus eleganti [c] euphemia θῦμα ἀλλότριον, quam cultus idolis exhibitus עבודה זרה θρησκεία ἀλλότριος *cultus peregrinus* aut *profanus*, appellari poſſit. *Heſychius*, textus illos, aut hunc ex *Actis* locum reſpiciens, ἀλισγηθῇ per συνειδῇ, & ἀλίσγημα per μετάληψις τῶν μιαρῶν θυσιῶν, interpretatur.

SECT. II.

Quid etiam per ἀπὸ τῆς πορνείας.

Ad ſecundum hujus interdicti membrum [καὶ ἀπὸ τῆς πορνείας] quod doctis pleriſque tot moleſtias attulit, jam procedendum eſt. De verborum ſenſu, ſententiæ variæ, Circa ſignificatum vocis hujuſce [πορνείας] in opiniones contrarias diſceſſum eſt ab interpretibus.

Multis contendit *Salmaſius*, πορνείας nomine, artem πορνικήν, profeſſionem meretriciam, & pudicitiam publice venalem, ab Apoſtolis interdictam. Salmaſii: Nam inquit [d] ille, πορνεῖον & πορνεία *de his dicitur proprie, tum maſculis quam fœminis, qui ad quæſtum in fornice ſedebant, & corpus ſuum venale habebant.* Hinc & eos in culpam vocat, qui vocem *ſcortationem* vertunt, *quam melius*, inquit, *cum veteri interprete*, fornicationem *tranſtuliſſent*.

Alia omnia cogitavit [e] *Heinſius*, nempe πορνείας hic pro θυσίᾳ πορνικῇ *meretricis oblatione* ſumendum eſſe, & ἀλισγήματα τῆς πορνείας victimas proſtibuli mercede partas, prout ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων res idolis oblatas, deſignare. Heinſii: Adeo ut, ſi *Heinſium* audiamus, ſanctæ Synodi mens eſſet, cavere ne Gentiles, Chriſti fidem profeſſi, eibis aut hoſtiis quæſtu meretricio comparatis ſe contaminarent.

Sentit [f] *Beza*, *Jacobum*, & poſtea *Synodum*, πορνείας, *ex more Prophetarum*, hic *ad idololatriam tranſtuliſſe, non craſſam illam & ſine exceptione deteſtandam, ſed quam illorum temporum &* tunc *exorta contentionis circumſtantia requirebant*, nempe *accubitum in idoleo*, ad idolothyta participanda. Bezæ:

Ab his diverſus abit doctiſſimus *Heideggerus:* nam, *Synodi Hieroſolymitanæ* ſententiam explicans, [g] inquit *fornicationem* hic *prohibitam ſane credimus, ſed talem quæ--pro ſcortatione non habebatur, ſive a Judæis ſive a Gentilibus, ſed pro re natura ſua indifferente. Intelligo autem* πορνείας *in polygamia & divortiis: -- Fuiſſe autem hoc genus* πορνείας *inter Judæos & Gentiles, tum uſitatum, tum in vili habitum, abunde conſtat.* Heideggeri:

Curcellæus aliique bene multi, vocem πορνείας, in ſignificatione uſitatiſſima, & pro [h] commixtione ſoluti cum ſoluta, ſumendam arbitrantur. Curcellæi: Nam Apoſtolorum ſeculo, fornicatio non habebatur (inquiunt) a Gentibus pro peccato; ideoque cauſa metus erat, ne Gentiles modo converſi, non parum veteris fermenti retinentes, Veneris illecebris nimis indulgerent, niſi fornicationem diſerte prohibuiſſent.

Ad præſens inſtitutum non multum refert, hujus aut aliorum ſententias ad ſtateram vocare, earumque omnium momenta penſitare: eas autem omnes in medium proferre conſultum duxi, quod inde lucis aliquid poſtea dicendis acceſſurum ſperavi.

a Cap. 1. v. 6, & 7. b Cap. 40. 29. c Vid. *Heinſ. Exercit. ſac.* in *Act.* 15. pag. 301. d De *trapezit. fœnor.* p. 455. 40. e Ub. ſupr. p. 303. f Not. in *Act.* 15. 20. g *Exegeſ. Act.* 22. 30. Cap. 12. p. 212. h *Diatrib. de eſu ſang.* c. 10.

1 Apud *Scholia*, μιανθῇ. & *Theodotion.* μεμολυσμένους.

2 MS. *Barberini* in margine, *Aquil. Symmach.*

Sect. III. Auctoris: Quatuor argumentis confirmata.

Sed miſſis aliorum ſententiis, a vero deflectentibus, bona lectoris cum venia meam proferam. Mihi vero maxime probabile videtur, Venerem omnem extra conjugialem, præcipue vero ſcortationem, πορνείας nomine verbis hiſce deſignari.

Ao hanc ſententiam accedere, ſequentia me cogunt argumenta.

(1°.) Vox ea frequenter in ſacris literis, ad omnem Veneris inhooeſtæ ſpeciem & gradum notandum uſurpatur. Inceſtum: 1 ad *Cor.* 5. 1. *Auditur inter vos*, πορνεία, καὶ τοιαύτη πορνεία *fornicatio & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes nominatur, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat.* Hunc itaque Corinthium *inceſtum fornicatorem* non male vocavit [a] *Tertullianus*. Adulterium: *Mat.* 5. 32. *Omnis qui dimiſerit uxorem ſuam* παρεκτὸς λόγου πορνείας *extra cauſam fornicationis, facit eam mœchari.* Et [b] alibi, εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ *niſi ob fornicationem.* Liquidius nihil eſt quam quod adulterium, iis in locis, nomioe πορνείας contineatur. Inde cauſa non levis data [c] *Grotii* verbis: *vox* πορνείας *extra controverſiam ſuo ambitu* μοιχείαν *adulterium comprehendit, ut apparet* Mat. 5. 32. *Scortationem* aut concubitum extra nuptias: *Gal.* 5. 19. *Epheſ.* 5. 3. *Coloſ.* 3. 5. Ad hos locos digitum tantum intendo, brevitatis ergo. Notat etiam vox hæc illam [d] παρὰ φύσιν βδελυκτὴν μίξιν, quam pæderaſtiam vel *ſodomiam* vocant. Nam vox ἐκπορνεύσασαι de Sodoma & civitatibus vicinis [e] uſurpatur, quæ *carnem alteram* ſectabantur; & πορνεύων ab Helleniſtis, pro קדש cinædo vel ſcorto maſculo [f] ſubſtituitur. Quid autem Apoſtoli vocabulo tam latæ ſignificationis uterentur, niſi ut quamvis Veneris illicitæ ſpeciem, [non ſcortationem ſolummodo] denotarent?

(2°.) In loco [g] illo parallelo, ubi φαγεῖν εἰδωλόθυτα & πορνεῦσαι conjunctim veniunt, vocem πορνείαν per μοιχείαν explicatam reperiamus, verſ. 21, 22. [h] *Eſt* autem μοιχεία *in lege Moſis concubitus viri cælibis, aut mariti cum nupta aliena: in Evangelio etiam mariti cum ea qua nupta non eſt.* A vero itaque non parum abfuit *Salmaſius*, cum [i] dixit, *falſum eſt, a mœchia ſub nomine* πορνείας *Apoſtolos* hic *abſtinendum præſcripſiſſe.*

(3°.) Gentes antiquæ moribus tam perditis erant, quod in feſtis & ſacris ſuis idololatricis, omne genus impuritatis Venereæ perpetrarent. Nam auctor Apocryphus, varia ſcelera in Gentilium ſacris & myſteriis uſitata [k] referens, in catalogi fine, μιασμὸν, γενέσεως ἐναλλαγὴν, γάμων ἀταξίαν, μοιχείαν, καὶ ἀσέλγειαν, memorat. Ideoque rationi conſonum eſt, ut hujus vocabuli ſenſus ad omnem libidinis gradum aut ſpeciem, cum ritibus & epulis ethnicis conjungi ſolitam, extendi cenſeatur.

(4°.) [l] Seldenus (auctor illuſtris) huic ſeotentiæ patrocinium præbet. Nam, inquit, *cum in lingua Helleniſtica illius ævi* πορνεία (uti poſtea [m] fornicatio) *ſignificaret omnimodum inceſtum ſeu illicitum concubitum, in illorum ſententiam propendeo, qui de* quovis *illicito concubitu locum capiunt;* – ut *eo vocabulo* denotetur – *idem ipſum quod nomine* ערוה turpitudinis *apud Talmudicos contueri ſolet.* Opinionis ſuæ rationes ab ipſo auctore petant ſtudioſi.

SECT. III.

Quid ſibi volunt illæ voces, καὶ ἀπὸ πνικτοῦ.

Verborum ordo poſtulat, ut ad τὸ πνικτὸν *ſuffocatum* jam tranſeat ſermo. Hoc autem præcepti Synodalis membrum triplici opinioni materiam præbet: nam

Primo: nonnulli vocabulum hoc ὑποβεβλημένον *ſuppoſititium* arbitrantur. Hanc opinionem manibus pedibuſque tuetur [n] *Curcellæus*, auctoritate fretus *Irenæi*, *Tertulliani*, *Cypriani*, *Hieronymi*, *Ambroſii*, *Auguſtini*, *Paciani*, *Gaudentii*; in quibus omnibus, hunc locum citantibus, vocabulum πνικτὸν deſiderari notat. Et *vox hæc* (uti [o] *Mori* fert opinio) *ab iis addita videtur, qui ſeptem hic præcepta Noe quærebant, ut conſtaret numerus.* Mihi vero religio eſt; in hoc decreto Apoſtolico lituram facere, cum *Syrus*, Patribus illis antiquior, præſentem lectionem agnoſcat, καὶ ἀπὸ τοῦ πνικτοῦ ומן רחניקא *& a ſuffocato* transferens. Eandem & *Originem*, qui vetuſtate paucis inferior eſt, ag-

a De *pudicit.* cap. 13, 14. b S. *Mat.* 19. 9. c Not. in *Mat.* 1. 19. d *Conſtitut. Apoſtolic.* l. 6. c. 28. e *Ep. S. Jud.* verſ. 7. f *Deut.* 23. 17. g *Apoc.* 2. 20. h Vid. *Grot. not.* in *Gal.* 5. 19. i De *trapezit. fœnor.* p. 443. k *Sap. Sal.* 14. 26. l Lib. 7. *de jur. nat. & gent.* cap. 12. p. 845. m Videtur *fornicatio eſſe genus cujuslibet illiciti coitus, qui fit extra* conjugium. Gratian. P. 2. cauſ. 36. quæſt. 1. c. 2. n *Diatrib.* de *eſu ſang.* c. 11. o *Alex. Mor.* not. in *Act.* 15. 20.

noviſſe

noviſſe pateat e verbis ejus poſt paginas aliquot allegandis. Huic etiam lectioni Chriſtiani veteres per multa ſecula teſtimonium præbuere, non tantum a ſanguine, ſed & ſuffocato, ejuſque ſpecie omni religioſe temperantes. Sed ratio gravior e jam dicendis orietur, cur vocem πνικτὸν Apoſtolicam, & πνικτοῦ minime poſtulandam cenſeam. Nec ab hac ſententia decedendum eſt, quod in auctoribus aliquot antiquioribus vox ea deſideretur: cum πνικτὸν, ſanguinem venis retentum notans, αἵματος voce ſatis expreſſum cenſuiſſe videantur. SECT. III.

SECUNDO: alii, πνικτὸν vocabulum γενικὸν habentes, illud ſenſu laxo admodum ſumendum ſentiunt, ita ut carnes omnes a ſanguine non ſatis accurate purgatas indicet. Ad hanc itaque claſſem revocant non tantum animalia, laqueo, ſuffocatione, plaga, vel tali aliqua ſicca morte pereuntia; ſed θηριάλωτα *a feris capta*, qualia ſunt perdices, lepores, & ſimilia, quæ falcone vel cane ad eſum occiduntur; & θνησιμαῖα *morticina*, quæ ſuo fato pereunt, ſine ulla ſanguinis emiſſione. Chriſtianos antiquiores hoc decretum ſenſu tam lato ſumtum obſervaſſe, documento ſit *Canon* [a] ille qui dicitur *Apoſtolorum*, qua tam Clericis quam Laicis inhibetur, Φαγεῖν κρέα ἐν αἵματι ψυχῆς αὐτοῦ, ἢ θηριάλωτον, ἢ θνησιμαῖον. Nullum autem apud me dubium habet, quin illi Chriſtianorum veterum mores & dogmata huic *Mohammedis* [b] interdicto cauſam & principium dederint: *prohibita ſunt vobis morticinum, & ſanguis, -- & ſuffocatum, & quod ictu, & quod lapſu mortuum eſt, -- & quod comederint feræ*, &c. Hic autem, non tantum a *Mohammede*, ſed & *Chriſtianis* illis antiquis, diſſentire cogor: nam

(1°.) MORTICINA & a feris lacerata non erant Gentilibus ad Deum converſis interdicta ſub Vet. Teſtamento. Hoc e lege manifeſtum eſt: *Deuteron* 14. 21. *Non comedetis* כל נבלה *ullum* [c] *cadaver. Peregrino qui* eſt *inter portas tuas* [i. e. pio incircumciſo] *dabis illud, & comedet illud, aut vende alienigenæ.* Hinc Judæi Veteres Proſelytum incircumciſum אוכל נבילות [*] *morticina comedentem* nuncuparunt. Nihil autem credibilitatis habet, morticina vel a feris capta Gentilibus *ad Chriſtum* converſis interdicta fuiſſe, cum ea comedendi licentia Gentilibus *ad Deum* converſis concederetur; vel Apoſtolos plus oneris hominibus ſub lege libertatis, quam ſub lege ſervitutis incubuit, imponere voluiſſe.

(2°.) MORTICINA & a feris capta, ſub pœna aliqua graviori, ne quidem Judæis interdicta ſunt. Nam de cibis illis lex ea ſancita legitur, *Levit*. 17. 15, 16. *Omnis homo, tam de indigenis quam de peregrinis, qui comederit* [d] *morticinum & raptum, lavabit veſtimenta ſua, & abluet ſe in aquis, & immundus erit usque ad veſperam.* Et cap. 22. 8. lex affinis occurrit, his verbis concepta; *& morticinum aut raptum non comedet, ut polluat ſe in eo.* Ex his apparet latum diſcrimen, inter ſanguinis, & morticini vel rapti comeſtores interceſſiſſe: nam illi capitis pœnam, hi vero pollutionem tantum breviuſculam & corporis lotionem ſubire tenebantur.

(3°.) HÆC opinio perantiqua fundamento male firmo ſuperſtruitur: quod nempe morticinum & a fera captum, æque ac ſuffocatum, ſanguinem retinerent, & eam ob cauſam Judæis pariter interdicerentur. Cuivis autem oculis apertis Legem intuenti pateat, morticinum & raptum vetita fuiſſe, quod cibi viliores eſſent, & canibus potius quam Dei filiis convenirent; quod etiam nativa quadam fœditate & immunditie laborarent, unde comeſtores immunditiem contraherent, non niſi lotione corporis eluendam & expiandam. Hæc itaque inter cibos impuros, & a gentis Iſraeliticæ ſanctitate diſſentientes, a [e] *Moſe* numerantur. Cum autem pro certo habeatur, leges de cibis immundis Gentiles converſos minime tenuiſſe; perperam creditur, morticinum & raptum *ſuffocati* nomine hic venire, vel hæc omnia Gentibus ad Chriſtianiſmum accedentibus interdicta fuiſſe.

OPINIO tertia eſt, quod vocabulo πνικτὸν carnes tantum data opera ſuffocatæ denotentur. Hanc opinionem ſaniorem duco, quod hunc ſenſum (non alium) vox ipſa præ ſe ferat. Deinde, cum lex hæc de re prorſus indifferente ſtatuatur, par eſt ut eam ſtrictius, & ad modum præcepti ritualis intelligamus. Præterea, vox ea (ni falli contingat) ad legem reſpicit, qua beſtiam aut avem [f] venatu captam ſuffocare vetitum eſt; & ubi ſanguis, morticinum, ſuffocatum, & a fera laceratum, ab invicem diſcernuntur, & ſpecialibus verbis prohibentur. Opinionis hujuſce rationes, cum tempeſtivum fuerit, in medium proferam. Porro: cum πνικτὸν & αἷμα tanquam Decreti

a *Canon*. 63. b Ap. *Pocock*. not. in *ſpecim. Hiſt. Arab*. p. 328. c Πᾶν θνησιμαῖον LXX. in loc.
* *Seld. de Jur. nat. & gent*. Lib. 7. cap. 1. p. 788. d Θνησιμαῖον, ἢ θηριάλωτον LXX. e Vid. *Deut*. 14. 19. 20, 21. & *Lev*. 11. 39, 40. f *Lev*. 17. 13.

hujus duo diſtincta membra ſtatuantur, æquum eſt ut πνικτὸν ad lepores, perdices, & alia notæ minoris animalia, laqueo vel manu ſuffocari ſolita, reſpicere cenſeatur; prout αἷμα ad oves, boves, & ſimilia, quæ ſanguinis effuſione plerunque mactabantur.

SECT. IV.

Et voces illæ, καὶ ἀπὸ τῦ αἵματος.

S. JACOBUS, ſacris diſciplinis Gentiles inſtruens, hoc etiam inter alia præcepta proponit, ut ἀπὸ τῦ αἵματος abſtinerent. Hic e Patribus nonnulli τῦ αἵματος abſtinentiam de homicidio capiendam cenſuerunt: ſic intellexit [a] *S. Cyprianus*, hunc ſenſum Decreto tribuens, *abſtinere vos ab idololatriis, & ſanguinis effuſione & fornicatione.* Sic etiam accepiſſe videtur *Tertullianus*, lib. de *pudicitiâ*: cap. 12, ubi *ſufficit*, inquit, *& hic ſervatum eſſe mæchiæ & fornicationi locum honoris ſui inter idololatriam & homicidium.* Alios & [b] *S. Auguſtinus* memorat, qui *intelligunt a ſanguine abſtinendum, ne quis homicidio ſe contaminet.* Ab his non multum abfuit *Theophylactus*, τὸ πνικτὸν per τὸν φόνον [c] explicans. Hic autem antiquos a Decreti mente toto cœlo diſtare, mihi facile perſuadeo: nam cautione tam peculiari nil opus erat, cum Judæorum ſimul & Gentilium leges eos ab homicidio ſatis cohiberent; & Gentiles, Chriſti fidem amplexi, cum ſacramentum dixiſſent Evangelio pacis, ad mandatum præcipue de homicidio vitando obſervandum adſtringerentur. Deinde, ſi Apoſtoli quicquam in hoc canone de homicidio fugiendo decernere ſtatuiſſent; procuIdubio Decalogi præcepta omnia neophytis e Gentibus obſervanda tradere voluiſſent.

MULTO itaque propius ad *S. Jacobi* mentem accedere videntur *Concilii* [d] *Trullani* patres, qui hoc in loco, αἷμα τῶν σφαττομένων ζώων, οἵῳ δήποτε τρόπῳ, *ſanguinem animalium mactatorum, quocunque modo* paratum, hauſtum, aut comeſtum, intelligendum dicunt. Nam inter gentes aliquas, in ſacris, & fœderibus animalis immolati ſanguine ſanciendis, uſitatum erat, ſanguinem crudum & pene vivum bibere. Apud eas autem quibus hoc fœdum & ferum videbatur, vinum ſanguinis loco ſubſtitutum eſt, & qui vinum potabant ipſo victimæ ſanguine imbuti cenſebantur. Alii ſanguinem arte quadam condiebant, & palato conciliabant, quos Concilium jam dictum damnat tanquam gulæ plus æquo ſtudioſus. Horum omnium confirmationem ad locum magis opportunum reſervamus.

ATQUE hæc primæ penſi mei parti [verborum explicationi] ſatisfaciant.

CAP. II.

Decreti hujus Apoſtolici rationes, aſſignari ſolitæ, in examen vocantur, & erroris arguuntur.

ABUNDE conſtat, interpretes, de decreti hujus celeberrimi ratione, ſententias inter ſe diſſidentes habuiſſe. Nos earum præcipuas ad examen vocabimus, quod multum conducant ad illius rationem genuinam illuſtrandam & confirmandam.

Ratio prima a præceptis Noachidarum petita.

PRIMO itaque: nonnulli decantata illa *Noachidarum* præcepta Decreto illo συλλήβδην comprehendi, & Gentilibus Chriſti fidem profitentibus imperari ſentiunt: nempe ut Gentiles iiſdem legibus fidelium cœtui jungerentur, quibus olim Hebræorum civitas *proſelytis porta* concedebatur. Ea ſententia *Schickardus* erat: nam ſeptem præcepta Noæ filiis data memorans, hæc, [e] inquit, *in primitiva Eccleſia Chriſtianorum, gentibus converſis, loco Moſaicæ legis rigidiſſimæ, ex decreto Apoſtolorum & Synodi Jeroſolymitanæ impoſita fuerunt,* A. 15. 29 Et [f] alibi, præceptis illis enumeratis, addit, *quæ eadem præcepta* Act. 15. *gentibus converſis, loco Moſaicorum imponebantur.* Huic opinioni multis verbis ſubſcribit Rev. [g] *Hammondus*, quæ ſic in compendium colligo: "Gentiles a paganiſmo "ad cultum Judaicum accedentes, erant duorum generum: *proſelyti juſtitiæ*, qui "circumciſi erant, & ad totam legem Moſaicam obſervandam aſtringebantur; & *pro-*

a Ad *Quirin.* lib. 3. Cap. 119. p. 353. b Contr. *Fauſt. Manich.* lib. 32. cap. 13. Tom. 8. Col. 457. A c Διὰ δὲ τῦ, ἀπέχεσθαι πνικτῦ, τὸν φόνον ἀπείργει. *Theoph.* in loc. d Vid. *Concil. 6. in Trull. can. 67. apud Beverег. Pand. Can.* T. 1. p. 236. e *De jur. reg. Hebr.* cap. 5. Theor. 17. p. 129. f *In Bechinath. Happeruſ. Diſp. 5. §. 6. p. 84.* g *In Act. 15. 29.*

"*ſelyti*

"*ſelyti portæ* a quibus obſervatio tantum ſeptem præceptorum, quæ *filiorum Noæ* vocantur, exigebatur. Hinc inter diſcipulos orta eſt illa controverſia, an Gentiles ad "Chriſtum tranſeuntes præceptis omnibus quibus *proſelyti juſtitiæ*, an iis ſolummodo "quibus *proſelyti portæ*, tenerentur? Et poſterius ab Apoſtolis affirmatur, in quorum "Decreto quædam e præceptis illis exprimi, cætera contineri videantur. Hæc omnia probare nititur vir dnctiſſimus: multa vero me tenent, ne aſſenſum præbeam: nam, CAP. II.

PRIMO: ſi præcepta ſanctæ Synodi & præcepta Noachidarum conſerantur, vel lippienti patebit, inter ea vix quicquam affinitatis intercedere. Nam ſi [a] Talmudiens & alios Hebræorum doctores audiamus, Noachidarum præceptum primum erat על עבודה זרה *de idololatria*, ne Diis alienis cultum exhiberent: ſecundum, על ברכת השם *de benedictione nominis ſanctiſſimi*, ſive *Numinis*, ut Deum omnium crearorem ritecolerent: rertium, על שפיכות דמים *de ſanguinis effuſione*, ne homicidium perpetrarent: quartum, על גלוי עריות *de revelatione turpitudinum*, ne vagis aut inceſtis libidinibus indulgerenr: quintum, על הגזל *de rapina*, ne furra vel rapinas exercerent: ſextum, על אבר מן החי *de membro animalis viventis* oon comedendo: ſeptimum, על הדינים *de judiciis*, ut Judices crearent qui juxta præcepta jam dicta jus adminiſtrarent. Quamvis autem apertum ſit, hæc præcepta Noachidarum vix ulla cognatione cum præceptis his Apoſtolorum cohærere; aſſerit auctor modo laudatus integrum eorum numerum in hujus Decreti verbis ſatis aperte contineri: primum ſcilicet & ſecundum in præcepto de idolothytis; tertium in eo de ſanguine quod Veteres de ſanguinis humani effuſione interpretantur; quartum in eo de fornicatione: quintum in verbis illis quæ nonoulla ſuperaddunt exemplaria, καὶ ὅσα ἂν μὴ θέλωσιν ἑαυτοῖς γίνεσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖν ſextum in præcepto de rebus ſuffocatis; ſeptimum, inquit, *de judiciis*, omitti potuit, quod Judæi, Romanorum potentiæ ſubditi, judicia publica tunc temporis non exercerent. Hic autem viro docto non niſi gnaviter errantis laudem deberi ſentio: an enim ratio ferre poteſt, Apoſtolos præceptum de idololatria, re ſemper illicita, mandatn de idolothytis, quibus aliquando veſci fas erat, exprimere voluiſſe? Et quis animum inducere poteſt, ur homicidium, hoc in loco, τῶν αἱμάτων, & membrum de vivo τῷ πνικτῷ oomine contineri ſentiat? Vel præceptum *de judiciis* omitti, Judæorum gratia potentiæ Romanæ ſubditorum; cum quæſtio jam propoſita Gentiles tantum ſpectaret, qui Chriſti legi & cultui ſe devoviſſcot? Verbis pluribus hac in re nil opus eſſe judico, cum tota hæc conjectura miſere claudicaret, niſi clauſula illa [καὶ ὅσα ἂν μὴ θέλωσιν, &c.] cootra fidem exemplarium prope omnium & hujus Decreti ſcopum, verbis interſeratur. Rejicitur.

SECUNDO: merito dubitari poſſit, an unquam præcepta illa (quorum apud Hebræos mentio tam frequens) Adami vel Noachi filiis, ante Moſis tempora mandarentur. Eorum enim in ſacris literis & *Joſephi* ſcriptis nc vel auram leviſſimam percipere licer. A probabilitate vero longe diſtat, ſcriptnres eos rem ram claram & literis aureis mandari dignam, modo veritati conſonam, ſilentio præterire voluiſſe; cum præſertim id agerent, ut celebriora omnia remp. Hebræorum ſpectantia memoriæ traderentur. Hoc argumentum ea luce præſulget, quod [b] *Joſephus Albo* ſe de præceptis hiſce loqui, לפי קבלת רז״ל *juxta traditionem Rabbinorum noſtrorum piæ memoriæ*, diſerte fateatur. Hoc & eo ſimilius eſt vero, quod ſi leges eas oculis intentis aſpiciamus, in earum nonnullis ingenii Rabbinici, quidlibet in ſacris audentis, lioeas & characteres facile percipiamus. Quis enim, exempli gratia, præceptum illud, *de membro vivi* non comedendo, principium ejus nugaci Rabbinorum ingenio debuiſſe non ſuſpicetur? Ægre creditur, tantam feritarem & barbariem, ſeculis illis antiquioribus, in humanam naturam cadere potuiſſe, ut vivas animalis miſeri carnes abſcinderenr & deglutirent: nec minus fidem excedit, Deum crudelitatem tam triſtem & infamem, maodato aliquo claro & literis expreſſo reſtringere noluiſſe, modo gentes antiquiores eo feritatis deveniſſent. Nonnullos hic dicturos auguror, diſerta lege cautum eſſe, *Geneſ.* 9. 4. ne quis animalis vivi membrum, ſanguine manans adhuc, in cibum ſumeret. At hunc ſenſum textus verba nē leviter inſinuare, ſed eum violenter & contra Rabbinorum antiquiorum ſenſum & mentem inde trahi, fuſe probavir [c] *Curcellæus*, ad quem (ne actum agam) lectorem amandare liceat. Deinde ingenium plane Rabbinicum olet ſeprenarius ille numerus, cujus ambitu Judæi præcepta Noachi filiis data contineri dicunt. Nam aperre conſtat, præcepta oonnulla Noachidis data [de parentibus honorandis, [d] de

a Ap. *Selden. de Jur. nat. & gent.* l. 1. c. 10. & de *Synedr.* L. 1. c. 2. b *Seph. Ikkar.* P. 3. c. 14.
c *Diatrib. de ſanguin. eju*, c. 4. d *Gen.* 38. 8. *Deut.* 25. 5.

CAP. II. uxore ducenda fratris ſine liberis defuncti, de admiſſione animalium diverſi generis (uti tradunt Hebræi) Noachidis interdicta] in hunc numerum ne cogi poſſe. Præterea: fermentum Judaicum olet vel ipſe præceptorum titulus: nam Judæi *filii Jacobi* vel Iſraelitæ dici volunt, & eo nomine eriſtas erigont: nos autem *Noachidas* cum probro vocant. Quanto cum faſtidio *Noachidarum* nomen reſpuunr, e verbis [a] *Gemara* manifeſtum eſt, איתקרו ישראל על שמיה דאברהם ולא על שם בני נח *Nomen ſortiti ſunt Iſraelita ab Abraha nomine, & minime a Noachidis. Tametſi nemo non videt, Abrahamum ipſum Noachidem fuiſſe, quo etiam* [b] *vocabulo* nonnunquam *in eorum commentariis nuncupatur.*

Tertio: cuivis decimum quintum *Actorum* attente legenti pateat, Apoſtolos de Proſelytis, aut eos in Eccleſiam admittendi ritu, ne cogitaſſe quidem, cum ſententiam ferrent. Nam ea tantum controverſia ad eorum arbitrium delata fuit, an Gentiles converſi ſe liberosque ſuos circumcidere, ritusque lege præceptos obſervare tenebantur? De Proſelytis, vel *juſtitia* vel *porta*, ne verbum factum eſt. Sed in re clara & expoſita plura dicere, verba perdere eſt; cum præſertim [c] *Seldenus* noſter hanc opinionem ſatis copioſe reſutaverit.

2a. Ratio a ſtatu rerum ante Moſaico ducta. Secundo: alii ſentiunt, Apoſtolos hæc præcepta Chriſtianis e Gentibus impoſuiſſe, non ot *Noachidarum* (quæ vocant) *pracepta*, ſed ut rerum ſtatum Noachidarum temporibus obtinentem revocarent; nec Gentiles converſi majori libertate gauderent quam Noachidæ, quibus etiam eſus ſanguinis & vagæ libidines interdicebantur. Hanc opinionem Veterum nonnullorum animis inſediſſe, ſatis e [d] *Tertulliani* verbis diſcitur: *adeo in Chriſto omnia revocantur ad initium, ut & fides reverſa ſit a circumciſione ad integritatem carnis illius, ſicut ab initio fuit; & libertas ciborum, & ſanguinis ſolius abſtinentia ſicut ab initio fuit; & matrimonii individuitas, ſicut ab initio fuit*, &c. Ita [e] *Clemens* ſenſiſſe videtur, qui ſic *Jacobi* ſermonem refert, *propterea judico non turbandos eos qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, ſed ſcribendum ad eos, ut abſtineant ſe* ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν ἐθνῶν, *a pollutionibus gentium, idolothyto, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione*, ὅπερ καὶ τοῖς πάλαι νενομοθέτητο τοῖς πρὸ τῦ νόμε φυσικῶς, Ἐνὼς, Ἐνὼχ, Νῶε, &c. *quæ quidem etiam antiquis ſancita fuerant, qui ante Legem ſecundum naturam vivebant, ut Enos, Enoch, Noah, Melchiſedec, Job, & ſi quis alius ejuſmodi fuit.* Pro eadem ſententia manibus pedibusque contendit *Curcellæus*, ut hoc præceptum de abſtinentia a ſanguine Chriſtianos in ſecula ligare cenſeatur.

Refellitur. AT neque hæc opinio fidem inveniet apud eos qui rationum ſequentium momenta perpendere dignabuntur.

(1°.) Plusquam probabile eſt, Noachidas haud obſtrictos fuiſſe ad nonnullas decreti hujus Apoſtolici partes obſervandas. Nam ſi [f] Judæorum teſtimonio niti liceat, Noachidæ ad fornicationem quam vocant ſimplicem evitandam non adeo arcte tenebantur. [g] *Seldenus* in hanc rem nonnulla Judæorum teſtimonia protulit, quæ ab eo repetat qui in hac materia curioſus eſt. Non immerito etiam in dubium veniat, an ab idolothytis omnibus abſtinuerint, cum Deus eorum eſu non niſi obſcure & indirecte (quod ſtatim obſervamus) ipſis Iſraelitis interdixerit. Quod autem ad πνικτῶν attinet, Hebræi nullam legem agnoſcunt ante Moſem, Noachi filios ab illius eſu cohibentem.

(2°.) Deus ob rationes primis mundi ſeculis peculiares, Noachidas a ſanguinis eſu cohibebat; nempe ut incolas mundi rudiores moribus humanis paulatim informaret, & caveret, ne carnes cruentatis ſaucibus & (ferarum ritu) tam avide devorarent, ut vel ipſa brutorum vita atque anima veſci velle viderentur. Deinde: cum Dei permiſſu ſacrificandi religio tunc temporis paſſim obtineret, & Deus animalium ſanguine propitiati crederetur; conſentaneum erat, ut ſanguini (victimarum vitæ atque animæ) peculiaris honos haberetur, nec erat e dignitate ſanguinis (ad munus tam ſacrum ſeparati) ut una cum carne in ventriculum abiret; & ejectione in latrinam dehoneſtaretur. Sed forſan ad illius interdicti ſcopum propius accedunt, qui ſentiunt Deum a ſanguine brutorum abſtinere præcepiſſe, ut mundi renaſcentis incolas a ſeculi antediluviani [h] feritate coerceret, & ut ii qui modeſtiam & clementiam quandam in ipſum brutorum ſanguinem exercere didiciſſent, ab humani ſanguinis effuſione religioſius abſtinerent. Deum ea de cauſſa legem illam ſtatuiſſe, ex ipſis ejus verbis haud obſcure

a Ap. *Seld. de Jur. nat.* &c. L. 1. c. 10. pag. 120. b Id. ib. c Ub. ſup. Lib. 7. cap. 1?. d Lib. de *Monogam.* cap. 5. p. 527. D e *Conſtit. Apoſt.* l. 6. c. 12. f *Inter præcepta Adamo & Noa data Judæi non ponunt interdictum ſcortandi.* Grot. in Act. 15. 20. g Ub. ſup. lib. 7. c. 5. h Gen. 6. 11.

collige-

colligendum eſt; [a] *tantum carnem eum anima ejus, ſanguine ipſius, non comedetis:* CAP. II.
ואך *nam profecto ſanguinem veſtrum animarum veſtrarum requiram de manu omnis beſtiæ, tum etiam de manu hominis, & de manu fratris.* Ubi τῷ ו vim cauſalis, non copulativi, (cum *LXX, Vulgato, Aria Montano*, aliiſque) tribuendam cenſeo; ut locus hunc ſenſum ferat, "ideo præcepi ut ab animalium ſanguine abſtineatis, ut eo longius "abſitis ab hominum ſanguine fundendo, qui eo apud me pretio eſt, quod ab homine, "vel bruto quovis, humani ſanguinis effuſi reo, pœnas ſeveras exigam. Nolim ita-"que ut beſtiarum ſanguinem comedatis, ne tandem eo feritatis abeatis, ut ſangui-"nem humanum primo vilipendere, dein effundere, tandem & ſitire incipiatis. Deum ſanguinis abſtinentiam ea mente præcepiſſe, fatetur [b] *S. Chryſoſtomus*, hanc legem explicans; ταῦτα δὲ ποιεῖ, ἄνωθεν προαναστέλλων αὐτῶν τὴν ὁρμὴν τὴν περὶ τὴν ἀνδροφονίαν· *Hoc autem facit ideo, ut primis illis temporibus eorum impetum & propenſionem ad homicidium comprimat.* Ab his non multum abeunt [c] *Merceri* verba: ſanguinis eſus prohibetur, *ne ab effuſione ſanguinis animantium, homines facile incitarentur ad effuſionem humani ſanguinis; ut videmus lanios beſtiarum fere crudeliores eſſe, & a ſanguine humano* non valde abhorrere.

(3°.) Rationem vel probabilem deſidero, cur Deus eadem inſtituta quæ Noachi temporibus obtinuerunt, ſub Evangelio reduxiſſe crederetur. Hæc enim Eccleſiæ jam adultæ non magis uſui eſſe poſſunt, quam veſtes infantis homini qui virilem ætatem attigit. Nil opus eſt ut pædagogia legis, ſanguinis eſum prohibentis, ad humanitatem informemur, qui in pacificam Chriſti fidem baptizati ſumus, & nomina pacis Evangelio dedimus. Nec opus eſt ut quis a ſanguine temperet, ne Dæmonum cibum participare, vel ſocietatem cum iis habere cenſeatur, cum jam ritus aut dogmatis illius idololatrici reliquiæ vix ullæ reperiantur. Nec ideo ritualibus inſtitutis locus eſt, ut Oeconomiæ Moſaicæ prodromi ſint, & legem ritualem gradatim introducant; cum Evangelii perfectio hujuſmodi legem aut Oeconomiam expectare minime patiatur. Sed vereor ne in hiſce plus æquo morari videar.

Tertio: viſum eſt aliis, iiſque longe plurimis, Apoſtolos hæc de idolothyto, ſanguine, ſuffocato, & fornicatione, de Jure Moſaico deſumſiſſe, eaque Gentilibus obſervanda præſcripſiſſe, ut ad Judæorum morem & infirmitatem ſeipſos accommodarent, donec libertas a Legis inſtitutis per Chriſtum parta iis paulo clarius innoteſceret. Cum enim Judæi ſe zelotas pro lege & Moſe gererent, fieri vix potuit ut eandem religionis ſocietatem cum Gentilibus inirent, ſi Moſem nullius æſtimare, & illius inſtituta rejicere viderentur. Ut itaque Judæorum gratiam & pacem redimerent Apoſtoli, & iis (qua licuit) offenſionis occaſionem præciderent, Gentilibus hiſce quatuor interdixerunt, a quibus Judæi ſic abſtinuerunt, quaſi lex & religio omnis in ea abſtinentia verteretur. 3ª. Ratio, a zelo petita quo Judæi Moſaica omnia proſequebantur.

In hanc ſententiam patronis nec paucis nec obſcuris cohoneſtatam, & ipſe pedibus irem, niſi me rationes haud leves impedirent. Fuſe refutatur.

Harum prima ſit hæc: nihil credibilitatis habet, Gentiles converſos Judæis æquioribus offendiculo futuros, niſi a rebus in interdicto Apoſtolico memoratis abſtinerent. Quamvis enim Phariſæi quidam χριστιανίζοντες, cæco Legis zelo ducti, Gentilibus ſpem omnem ſalutis adimerent, niſi circumciſioni aliiſque Moſis inſtitutis ſe ſubjicerent; longe alia mens erat Judæis qui animis erant æquioribus, & Legis intentionem melius intelligebant. Eos enim, pios e Gentibus ad ſpem ſalutis & communionem fraternam admiſiſſe, pateat e verbis Menaſſeh Ben Iſrael; [d] *veriſimile eſt omnes gentes ac nationes æque reſurrecturas ac Iſraelitas, juxta illud Veterum dictum*, PIIS E GENTIBUS MUNDI PARS ERIT IN FUTURO SÆCULO. In hanc ſententiam, *Ananiam, Tryphonem, Maimonidem*, alios inclinaſſe, ex eorum verbis a [e] *Grotio* citatis aperte conſtat. Non eſt itaque credibile, Judæos (ſaltem conſultos) Gentiles pios odio habere, vel eorum ſocietatem averſari voluiſſe, tantum quod ritibus Moſaicis aſtringi recuſarent.

(2°.) Modo Gentiles Moſis inſtituta contemptui habuiſſent, & eo nomine lo odia Judæorum incurriſſent; profecto decretum illud Apoſtolicum, ſanctiſſime licet obſervatum, ad eos demulcendos & conciliandos minime valere potuiſſet. Cum enim fornicationem ipſa Natura diu antea vetuiſſet, ſi rationem rite ſubducamus, tria tantum, ab ipſo Moſe vetita, (idolothytum, ſuffocatum & ſanguis) in illo decreto prohiben-

a *Gen.* 9. 4, 5. b In *Gen. Homil.* 27. *Edit. Benedict.* Tom. 4. pag. 262. B c *Comment. in Gen.* 9. 4.
d De *Reſurrec. Mort.* l. 2. c. 9. e De *Jur. bel. & pac.* l. 1. c. 1. §. 16.

CAP. II. tur. Neutiquam autem probabile eſt, Apoſtolos exiſtimaſſe, paucis & pauxillis illis ſe Judæorum gratiam redimere potuiſſe; cum præſertim Zelotæ illi de tota lege ſervanda litem moverent, & ſine ea gentes ſalvari non poſſe contenderent. Nam [a] *Clemens*, decreti hujus Apoſtolici occaſionem referens, ait, nonnullos e Judæis aſſeruiſſe, *ὅτι δεῖ περιτέμνεσθαι, καὶ τὰς ἄλλας ἁγνείας παραφυλάττειν*, *quod circumcidi oporteat*, *& alias* omnes legis *purificationes obſervare*. Si Gentiles itaque tam pauca, eaque leviora legis mandata præſtitiſſent, proculdubio Zelotis illis minime ſatisfactum fuiſſet; quin potius Moſem & ſemetipſos irrideri credidiſſent. Si Apoſtoli Judæorum infirmitati ſe accommodare ſtuduiſſent, & legem hanc, de ſuffocato, ſanguine & idolothyto non comedendis, in gratiam Judæorum [ne ſcilicet offenderentur] inſtituiſſent; leges Moſaicas multo plures Gentilibus imponere debuiſſent, aut ſaltem eas quas Judæi magis neceſſarias obſervatu credebant, & quibus omiſſis multo gravius oſtenderentur.

(3°.) Inde pateat Apoſtolos hæc omnia in gratiam Judæorum minime prohibuiſſe, quod Chriſtiani veteres, a ſuffocato & ſanguine, æque ac ſacrificiis, ſibi temperandum putarent, etiam cum Judæi longe diſſiti eſſent, & nullus metui locus eſſet, ne illi ſcandalizarentur. Hoc multis inſtantiis & exemplis probarunt [b] *Grotius* & [c] *Salmaſius*, duo illi Reip. literariæ proceres. Non eſt autem rationi conſentaneum, Eccleſiam primitivam (quæ procul omni dubio, decreti hujus Apoſtolici ſenſum probe tenuit) illud, ubi non aderant Judæi, obſervare voluiſſe, ſi Apoſtoli decretum illud ideo feciſſent, ne Judæi quid offenſæ caperent. Hoc argumentum ſic acuit [d] *Grotius: neque Chriſtiani veteres hoc præceptum accepere tanquam datum ea una ex cauſa, ut Judæorum offenſa vitaretur: nam ſi id eſſet, non obſervaſſent id præceptum cum certo vitæ periculo, ubi etiam non aderant Judæi: at hoc eos feciſſe conſtat*, &c.

(4°.) Si Apoſtoli ſanguinis eſu Gentilibus interdixiſſent, ne quid inde ſcandali naſceretur; neceſſe eſt ut huic interdicto Chriſtiani etiamnum obtemperarent. Multi ſunt enim e Judæis, in medio noſtri habitantes, quorum animi non leviter offenſi ſunt & alienati, cum vident Chriſtianos deliciis adeo gulæque deditos, ut præceptum de ſanguinis abſtinentia, vel ipſis Noachi filiis datum, violare non dubitent. Multi ſunt etiam e Chriſtianis, quos præcepti hujus tranſgreſſio graviter offenſos reddit: omnes nempe Græci, qui Occidentales per contemptum αἱματοφάγους vocant, & eo numine a nobis abhorrere ſolent. Sunt etiam in *Anglia*, *Gallia*, *Germania*, multi viri pietate graves, quibus eſus ſanguinis offenſionem parit, & quibus noſmet accommodare debemus, ſi decretum illud Apoſtolicum ſcandali vitandi cauſa conderetur.

(5°.) Rationi plane diſſonum eſt, Apoſtolos hæc e lege Moſis excerpere & excipere voluiſſe, ne Judæorum offenſam incurrerent, cum probe norant ſe Gentiles hoc pacto gravius offenſuros. Nam Apoſtoli Moſaica quædam Gentilibus obſervanda præſcribentes, Legis jugum (a quo ſibi male metuebant) eorum cervicibus imponere, & eorum libertatem in diſcrimen adducere viderentur. Cuivis enim objicere promptum eſſet, ſi Lex jam caſſa ſit & irrita, quid paucula illa de Lege excerpta etiamnum retinetis? Si non ſit, cur a carne porcina, & aliis Lege vetitis, non abſtinetis? Cur inter duos, Moſen & Chriſtum, ita claudicatis?

(6°.) Nuſpiam legitur, Apoſtolos ullas leges de ritibus Moſaicis obſervandis dediſſe, ne quidem Judæis ipſis, qui Chriſti fidem amplectebantur. *Paulus* equidem *Timotheum* [e] circumcidit, ut Judæorum iis in locis frequentium benevolentiam ſibi conciliaret: ipſe Hieroſolymis ritu Moſaico [f] ſe purificavit: voti reos, [g] caput totondit, ex præſcripto Legis: Judæi fideles in Templo frequentes [h] erant, & ritus obſervarunt, ne motibus occaſionem darent. Moſaica illa tolerarunt equidem Apoſtoli, charitatis gratia, & ut infirmitati Judæorum ſeipſos accommodarent: nam fieri non potuit ut illi, ritus a Deo traditos, uſu longo confirmatos, & nondum (quod norunt) abrogatos, ſtatim repudiarent. Nunquam autem compertum eſt, Apoſtolos de Moſaicis hiſce leges tuliſſe: quin potius ſolicite curatum eſt, ne mores Apoſtolorum, Judæorum imbecillitati nonnihil indulgentium, in conſequentiam traherentur. Dicit enim *S. Lucas*, Apoſtolum circumcidiſſe Timotheum, [i] *propter Judæos qui erant in locis illis*; oſtendens, id factum eſſe, tantum ut eorum offenſa vitaretur. Cum etiam *S. Paulus*, *Jacobi*, & presbyterorum ſuaſu ſeipſum purificaret; continuo additur, [k] *Gentiles quod*

a *Conſtit. Apoſt.* l. 6. c. 12. b Not. in *Act.* 15. 20. c De *fœnor. trap.* pag. 450. d Ub. ſup. e *Act.* 16. 3. f C. 21. 26. g C. 18. 18. h *Act.* 2. 46. i *Act.* 16. 1, 2, 3. k *Act.* 21. 24, 25.

attinet,

attinet, nos ſcripſimus & decrevimus, eos nihil tale obſervare debere. Cum itaque Apoſtoli præcepta nulla de Moſaicis obſervandis, vel *Judæis* impoſuerint; longe remotum eſt a veriſimili, Synodum Hieroſolymitanam leges ullas *Chriſtianis* dare voluiſſe, tantum quod Moſaicæ eſſent, & ne Moſes apud eos vileſcere crederetur. CAP. II.

(7°.) Cuivis animum ad caput 15. *Actorum* ſerio advertenti pateat, mentem Synodi Hieroſolymitanæ fuiſſe gentilibus integram a lege Moſaica libertatem adjudicare. Cum enim præfervidi quidam Phariſæi, Gentiles Moſis legibus obſtringi dicerent; clare liquet, *Paulum* & *Barnabam* primo, dein & *Petrum*, multis argumentis libertatem a legis jugo Gentilibus aſſeruiſſe. In eorum autem ſententiam & reliquos deſcendiſſe, non facile dubitandum eſt. Aſſerunt equidem interpretes haud pauci, *S. Jacobum*, contendentibus Apoſtolis & Zelotis illis, ſe medium interpoſuiſſe; & neque Moſaica omnia retinenda dixiſſe, ne Gentiles, neque omnia ſtatim rejicienda, ne Judæi, nimis offenderentur. Quid enim, inquiunt, *Jacobus* hæc Moſaica, ſeu Moſaicis affinia, Gentilibus impoſuerit; quid etiam, quatuor tantum præcepta traditurus, dun ſanguinem ſpectare voluerit; niſi ut hac media ſententia Judæorum & Gentilium animos conciliaret, & caveret ne res tantilla diſſidiis exitialibus Eccleſiam naſcentem ſcinderet? Addunt inſuper, quod e verbis ſequentibus abunde conſtet, *Jacobi* conſilium eo ſpectaſſe, ut pacaret Hebræorum animus, & curaret ne quis Judæus, propter ſanguinis eſum inter Gentiles uſitatum, gravatim reciperet fidem Chriſtianam. Hoc enim e *Jacobi* verbis eliciendum ſentiunt: [a] *Moſes enim, a temporibus antiquis, habet in ſingulis civitatibus qui eum prædicant in Synagogis, ubi per omne ſabbatum legitur.* Quaſi diceret: "cum Judæi Moſis legibus, ſanguinis eſum prohibentibus, aſſueti ſint; ſi Gentilibus "liberum ſanguinis uſum relinquamus, fieri non poteſt, quin ex re tam nova & Moſi "penitus adverſa, gravis offenſio Judæis oriatur. Eccleſiæ rationibus itaque, prout "nunc ſunt mores, apprime convenit, ut Gentibus eſu ſanguinis, ſive effuſi ſive intra "venas animalis retenti, prorſus interdicatur. Objectioni

Sed hæc omnia, ſi propius aſpiciamus, pellucida comperiamus: ſi enim *S. Jacobi* ſententia media fuerit inter Apoſtolos & Phariſæos, a *Paulo, Barnaba* & *Simeone*, diverſus abiiſſet, & libertatem a legis ritibus, quam illi Gentilibus integram aſſeruiſſent, ipſe mancam & mutilam reliquiſſet. Neque cum Apoſtolis tantum, ſed & cum ſeipſo pugnaſſet *S. Jacobus*, ſi, cum nihil moleſtiæ gentilibus dandum eſſe * decreviſſet, eos ad præcepta hæc, tanquam legis Moſaicæ partes, obſervanda devinxiſſet. Neque his obſtant verba ſequentia [*Moſes enim a temporibus antiquis*, &c.] quæ in ſenſum alienum detorqueri, cum id apte fiat, oſtenſurus ſum. Occurritur.

Satis eviciſſe videar, Synodum Hieroſolymitanam præcepta ſæpe dicta non e Moſe ſolo petiiſſe, nec ea Gentilibus, tantum ad lucriſaciendos Judæos, obſervanda præſcripſiſſe; adeoque ſententiam tertiam, de ratione Canonis hujus Apoſtolici, a tramite veritatis aberrare.

Quarto: Synodus Hieroſolymitana Canonem illum ſtatuiſſe creditur, ut malis occurreret e duplici fonte [Paganiſmo & Judaiſmo] tunc temporis in Eccleſiam emanaturis. Sic enim *Ludovicus Cappellus* hujus decreti mentem & ſcopum explicandum cenſuit: [b] *duo iſta priora, nempe* idolothyta & ſcortatio, *hic ideo commemorari videntur, quod jam tum forte gliſcere inciperet in Eccleſia Nicolaitarum error, qui utrumque horum licere docebant, uti liquet ex* Apoc. 2. verſ. 14, 15. *Duo autem illa poſteriora, nempe* ſanguis & ſuffocatum, *videntur addita, non quaſi eorum uſus ſit in ſe illicitus, ſed ut daretur aliquid infirmitati Judæorum fidelium, qui ab his duobus vel maxime abhorrebant; neque potuiſſent facile in animum inducere, ut converſarentur & conviverent familiariter, cum illis quibus ſanguinis & ſuffocati uſus fuiſſet licitus, & in quotidiano fere victu uſurpatus.* 4a. Ratio, a conditione ſeculi Apoſtolici petita,

At & ea ratio ad ſtateram vocata levitatem prodet: non eſt enim facile creditu, Apoſtolos Canonem illum conſilio difformi decreviſſe; nempe partim ut Nicolaitarum errorem expellerent, partim ut Judæos infirmiores demulcerent. Dein, ſi Apoſtoli Legis inſtitutis Gentiles devinxiſſent, ſecum pugnaſſent ipſi, qui in Synodo illa Gentiles a Lege liberos eſſe decreviſſent. Præterea fieri non potuit, quin duo illa Moſaica, Gentilibus impoſita, malis ingentibus aditum pateſacerent. Nam onera illa ſemel ſuſcepta non eſſent abſque gravi ſcandalo tandem deponenda: Judæi proculdubio animo in Chriſtianos offenſiore fuiſſent, ſi mancum & ſimulatum illud obſequium Legi præſtitiſſent: Gentiles, ſabbata, ciborum diſcrimen, purificationes, aliaque Legis inſtituta, negligentes, Judæis αὐτοκατάκριτοι viderentur: Gentilium etiam odium aut Rejicitur.

a *Act.* 15. 21. * *Act.* 15. 19. b *Hiſt. Apoſtol.* pag. 14.

7 M 2 offen-

CAP. III.

offenſionem ſubiiſſent Apoſtoli, ſi Moſaica aliqua ipſis (ad libertatem vocatis) impoſuiſſent.

SECT. I.

5a. Ratio, a Judæorum offenſione ſumpta.

Quinto: ſentiunt alii, Synodum Hieroſolymæ coactam harum rerum abſtinentiam præcepiſſe, non ut Gentiles legi Moſaicæ reverentiam aut obſequium exhiberent, ſed ut Gentes & Judæi, ſimul habitantes, in unius Eccleſiæ communionem unanimes conſpirarent, ſublatis rebus hiſce quæ vehementius eos diſſociare atque alienare poſſent. Si enim Gentes converſæ ſimulacris immolata paſſim in cibum adhibuiſſent, a mutua converſatione Judæos deterruiſſent, ſuſpicantes id eſſe argumentum gentium ad ethnicismum & idololatrian redeuntium. Eſus ſanguinis & ſuffocati, propter uſum antiquiſſimum Judæis incredibiliter odinſus, familiaritatem interturbaſſet & convictum tædioſum reddidiſſet. Cum etiam fornicatio *ſimplex*, apud multos e Gentibus, nec mala nec probroſa haberetur, ſanctæ Judæorum genti offendiculo eſſe poſſet, & in cauſa cur ſocietas Chriſtiana, inter Judæos & Genres, in ipſis Eccleſiæ velut incunabulis difficilius iniretur. Apoſtolos ea de cauſa Gentes hac lege tenuiſſe, ſe perſuaſos habuerunt, [a] *Binius*, [b] *Calixtus*, [c] *Grotius*, [d] *Seldenus*, aliique non obſcuri viri.

Repudiatur.

At neque ratio illa, rem diligenter expendenti ſatisfaciet. Nam primo: neutiquam probabile eſt, eſum ſanguinis aut ſuffocati [puta leporis aut perdicis laqueo capti] impedire potuiſſe, quo minus Gentiles & Judæi, converſi familiariter conſueſcerent & in unum coaleſcerent. Quamvis enim Judæi, lege vincti, ſanguinis eſum exhorteſcerent; probe norunt legem illam gentes exteras non obligare: ideoque fieri non potuit, ut æquiores Judæi ſanguinis aut ſuffocati (qua talium) eſum in Gentili culparent; aut eo nomine Gentilis congreſſum & convictum ſugerent. Neque credibile eſt, fornicationem Judæos tam graviter offendiſſe, eosque a Gentilibus diſſociaſſe; cum in Judæos etiam (ſaltem nonnullos) hæc ſaba cudi poſſet, cum etiam Gentiles in Chriſti familiam cooptari, Fornicatores ab eorum [e] cœtu ſegregarent, fornicationem inter crimina nigrioris notæ numeranres. Quamvis autem hæc omnia Judæis moviſſe ſtomachos, eosque a Gentilibus alienaſſe concedamus; nondum conſtat ratio cur, hæc *ſola* Gentilibus interdicta ſint, cum Judæi carnis porcinæ non minus quam ſanguinis eſum fugerent; & non tantum *idolorum*, ſed & rerum, perſonarum, & ciborum, legaliter immundorum, *pollutiones* averſarentur.

CAP. III.

Ratio vera, cur hæc quatuor, eaque ſola, & ſimul, Gentilibus nuper converſis interdicta ſunt, aſſignatur, & fuſe confirmatur.

Ne lectorem nodis & difficultatibus hujus interdicti diutius impeditum teneam, ad illius ſcopum & intentionem genuinam explicandam me ſtatim conferam. Quoniam autem penſi mei pars hæc obſcurior ſit, & ſermonem paulo prolixiorem poſtulet, curandum eſt inprimis, ut ordine ad rem præſentem accommodato ſingula digerantur. Primo itaque, rationem aſſignabo cur hæc omnia Gentibus converſis prohibentur. Secundo, rationem illam teſtimoniis divinis & humanis confirmabo. Tertio, alia producam argumenta, quæ ſententiæ meæ lucem & fidem pleniorem afferant. Quarto, rationem reddam, cur hæc ſimul, & ſola, (non plura) Gentilibus hic interdicta ſint.

SECT. I.

Ratio vera, cur hæc omnia Gentibus converſis probibentur.

Hujus interdicti ratio duplex.

E Superius adductis abunde conſtat, Apoſtolos non ideo mandatum de abſtinendo ab idolothyto, fornicatione, ſuffocato, & ſanguine, Gentibus impoſuiſſe, ne in Judæorum offenſionem inciderent, & Moſis inſtituta nullius æſtimare viderentur. Quantum itaque mihi percipere conceſſum eſt, hæc quatuor Gentilibus ad Chriſtia-

a Not. ad *Concil. 3. Hieroſol.* col. 21.
b *Georg. Calixt. in Act. 15. p. 61.*
c Not. in *Act. 15. 20.*
d *De Jur. nat. & gent.* l. 7. c. 12.
e *1 Cor. 5. 11.*

niſmum

niſmum migrantibus interdicta ſunt, ob rationem duplicem, PRIMARIAM ſcilicet & SECUNDARIAM. SECT. I.

PRIMARIA, ni fallor hæc erat; quod hæc omnia locum præcipuum in gentium ritibus & inſtitutis obtinerent, & Gentiliſmi vel idololatriæ *cauſæ*, *comites* & *ſigna*, ſeculis Apoſtolicis, eſſent & haberentur. Unde neceſſe erat, ut Gentes ad Chriſtum converſæ ab iſtis inprimis abſtinerent, ut conſtaret, ſe idololatriæ, communi gentium errori, nuncium remiſiſſe; nec quid obſtare, quo minus Judæi conſultiores amicitiæ dextram illis porrigerent, & in eandem cum iis eccleſiam & ſocietatem coaleſcerent. Ne vero conjectura hæc noſtra ſua ſpecie careat, in anteceſſum probare conabor, Primaria, quod hæc fuerint idololatriæ,

PRIMO: quod hæc omnia *cauſæ* fuerint idololatriæ. Hoc autem negotium facili opera perficiatur: nam idolothytum & fornicationem quod attinet, facile credi poteſt, eorum illecebras hominum animis noctem offudiſſe, eoſque ad idolorum delubra ſæpe traxiſſe; cum plerique homines, e plebe præcipue, ſupra gulæ delicias & ventris voluptates nihil ſapiant. Homines lenociniis hiſce pellectos, ad idololatriæ ſolennitates confluxiſſe, *Tertullianus* olim obſervavit: [a] *quæ idololatriæ ſolennitas*, inquit ille, *ſine ambitione cultus & ornatus? In illa laſciviæ & ebrietates, cum plurimum victus & ventris & libidinis cauſa frequententur.* Cum itaque Diabolus hoc perſpectum haberet, Pſeudo-prophetas in Eccleſiis, [b] *Corinthi*, [c] *Pergami*, [d] *Thyatiræ*, & alibi plantatis excitavit, qui gentiles converſos idolothytum edere & fornicari docuerunt; ut viam facilem & inoffenſam ad ethniciſmum veterem aperirent, & homines ventris & Veneris lenociniis illecti, ad ritus & cultus antiquos facile reverterentur. Ex his (ni fallor) lucem ſatis amplam hauriat locus ille ſubobſcurus, ad *Hebr. 12. 15, 16. Proſpicientes ne quis deficiat a gratia Dei: neque radix amaritudinis ſurſum germinans obturbet, & per illam inquinentur multi. Ne quis ſit ſcortator, aut profanus, velut Eſau, qui propter unam eſcam vendidit jus primogeniti:* ſic enim hunc textum explicandum cenſeo: "cavete ſedulo, ne quis [e] ab Evangelii gratia ad ethniciſmum defectionem faciat: ne- "quia veteris ethniciſmi radix, nondum penitus evulſa repullulet, & inde [f] οἱ πολλοὶ fi- "delium vulgus, ethnicam pollutionem contrahant. Et ut explicatius loquar, ne quis "inter vos fornicator oriatur, aut ethnice profanus, qui ut Eſau, ἀντὶ βρώσεως μιᾶς, pro- "pter eſcam aut diſcum unum, in epulo ſcilicet Idololatrico, jure cæleſtis hæreditatis "excidat. Hunc loci ſenſum præferendum judico, non tantum quod bene cohæreant omnia, & βρώσεως μιᾶς hic dicta, [g] περὶ βρώσεως τῶν εἰδωλοθύτων commode ſatis intelligatur; ſed quod Gnoſtici hic tacite perſtringi cenſeantur, qui fornicationis & epuli idololatrici lenociniis, multos, ad fidem amplectendam nuper adductos, ad veteris ethniciſmi vomitum reſorbendum pellexerunt. Deinde: cum voces illæ, ῥίζα πικρίας, e [h] Græca *Deuteronomii* verſione deſumtæ, ſuperſtitionis Ægyptiacæ radicem quandam, Hebræorum animis altius inhærentem, denotent; quidni voces eædem ethnici fermenti reliquias aliquot nondum ſatis expurgatas, hic etiam notare cenſeantur? At ſi hac in re Scriptura ſiluiſſet, ipſa ratio doceret, lautis epulis & ſolutæ libidinis illectamentis nihil apud plebem efficacius ad propagandam idololatriam excogitari potuiſſe. Ideo enim gentium idololatria, rationi diſſona licet & ridicula, per tam longa terrarum ſpatia ſeipſam propagavit, & in hominum animis radices tam altas egit, ut unum Dei brachium ad eam de mundo extirpandam ſufficeret; quod nempe libidini fræna laxaret, & frequentibus epulis, crapulis, & ſtupris, hominum carnalium ſtudia ſibi devinciret. Neque vero fornicatio tantum & epulum ex immolatis, ſed ſanguinis eſus & ſuffocati, inter cauſas idololatriæ numerari poſſint. Cum enim ſanguis olim *Dæmonum cibus* haberetur, ſanguinis effuſi, vel ſuffocati [h. e. ſanguinis intra venas contenti] comeſtores, Dæmonum conſortes eſſe, eorumque [i] menſam & cibum participare dicebantur. Qui vero menſam & cibum Dæmonum participabant, hoc ritu fœdus ſolenne cum iis inire, in eorum etiam verba & ſacra jurare cenſebantur. Cauſæ

SECUNDO: probandum eſt, eſum idolothyti, ſanguinis & ſuffocati, fornicationem etiam, idololatriæ comites fuiſſe conjunctiſſimos. Hoc autem citra pulverem & ſudorem fieri poteſt. Eſum enim idolothyti quod ſpectat, obſervatio protrita eſt, idolo- Comites,

a Lib. de *Idolat.* c. 7. p. 86. A b *1 Cor.* 10. c *Revel.* 2. 14. d *Rev.* 2. 20. e *Prepoſitio* ἀπὸ. *& etiam quæ ſequuntur*, oſtendunt ὑστερεῖν *poſitum eſſ.* ἀντὶ τοῦ ἀφίστασθαι Bez. in loc. f *In Manuſcripto hoc loco eſt* μιανθῶσιν οἱ πολλοὶ, *id eſt*, plebs, *quæ a doctoribus facile corrumpitur.* Grot. in loc. g *1 Cor.* 8. 4. h Vid. LXX *in Deut* 29. 18. i *Per morticinum & a beſtiis captorum prohibitionem, non oportere* participes fieri *menſæ Dæmoniorum præcepit Deus.* Iſych. Hieroſolymit. Comment. in Lev. 22.

SECT. I. latras antiquos, poſtquam Deos ſuos ſacrificio propitiaſſent, in eorum delubris epolum e reſiduis ſacrificii partibus adornaſſe; quod ritu illo, cum Diis ſuis quaſi convivari, iiſque conjungi & permiſceri ſibi viderentur. Eſum ſanguinis ritum fuiſſe in myſteriis idololatricis exerceri ſolitum, ſatis e Chriſtianorum antiquiorum moribus intelligatur: nam illi Gentilium [a] *botulos eruore diſtentos* & eorum ſacrificia pariter averſati ſunt; & ſe Chriſtianos probarunt, non minus cum ſanguioem edere, quam cum idola oblato thure colere recuſarint. Hine itaque *botuli* illi, a *Tertulliano*, [b] *Chriſtianorum tentamenta* dicebantur. Fornicatinnem idololatriæ comitem fuiſſe dubitari nequit: nam ſi veterem idololatriam paulo propius intueamur, omnia ſic inſtituta comperiamus, ut libidinem accenderent, & idololatræ genus omne Veneris illicitæ ſecuri perpetrarent. Nam Dii ipſi fœditatis & ſpurcitiæ præſides erant, & Jovis adulteria, Veneris amores, Cupidinis laſciviæ, Floræ proſtibula, Priapi turpitudines, & Bacchi crapulæ, homines ad ſornicationem tanquam ſtimuli coegerunt: ritus eorum plerunque fœdi fuerunt, & ab omni caſtitate alieni: templa clauſa & ſubobſcura, ne quis in eorum ſacra nefaria importunus irrumperet: luci denſis arboribus conſiti, tenebras in ipſa Meridie libidini gratiſſimas adminiſtrarunt: aræ plurimum in lucis, montibus, aut juxta ſpecus & antra ſtruebantur, ut juxta eas operam libidini ſecure darent. Hinc [c] *Tertullianus* idololatriam ſic loqui facit: *ego quidem idololatria ſæpiſſime mœchiæ occaſionem ſubminiſtro. Sciunt luci mei, & mei montes, & vivæ aquæ, ipſaque in urbibus templa, quantum evertendæ pudicitiæ procuremus.* Ideoque non ſine cauſa fornicator & idololatra tam frequenter in ſacris literis conjunctim occurrunt, nempe *1 Cor. 5. 11.* & *6. 9. Epheſ. 5. 3.* & *5. Galat. 5. 19, 20. 1 Cor. 10. 6, 7, 8. Coloſſ. 3. 5. Apoc. 17. 4, 5. c. 21. 8.* & *22. 15.*

Et ſigna. TERTIO: probandum reſtat, idolothytum, ſcortationem, eſum ſanguinis & ſuffocati, ſigna fuiſſe Gentiliſmi, vel idololatriæ & ſocietatis initæ cum Dæmonibus. Hac in re cauſæ meæ cardo præcipue vertitur: ut itaque veritati huic fidem cumulate faciam, de quatuor hiſce ſigillatim agam, & ea omnia Gentiliſmi ſigna fuiſſe probatum dabo.

[1] AB idolothytis autem vel cibis immolatis & idolo ſacratis exordium ſumam. Nempe ſeculo illo nihil uſu tritius apud ethnicos, quam ut hoſtiæ parte præcipua Dæmonibus oblata, convivium e reliquiis inſtituerent, & illud ſæpe domi, ſæpius in ipſo Dæmonis templo celebrarent. Cum autem bujuſmodi convivium, in idolorum honorem, & e cibis idolo ſacratis inſtitutum eſſet; illius participes, cultum idolis exhibere, menſæ Dæmonum accumbere, eum iis ſocietatem colere & fœdus facere, totam denique religionem ethnicam profiteri cenſebantur. Coovivii ex immolatis participationem hæc olim ſignificaſſe, e verbis Apoſtoli, de Iſraelitis agentis, non obſcure diſcitur; [d] *ne igitur idololatræ fiatis, ſicut quidam eorum, ut ſcriptum eſt, ſedit populus ad edendum ac bibendum, & ſurrexerunt ad ludendum.* Hinc evidens eſt, Apoſtolum, epulis hiſce ſacrificalibus intereſſe (quibus omni voluptati opera genialis impendebatur) apertius idololatriæ ſignum habuiſſe, quam ipſum idolum oblato ſacro venerari. Idem apparet e verbis Apoſtoli, quibus eorum mores arguit, qui in templo, ad idolorum menſam idolothyta comedebant: [e] *nolo vos ſocios fieri Dæmoniorum: non poteſtis calicem Domini bibere & calicem Dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & menſæ Dæmoniorum.* His Apoſtoli verbis [f] *Origenis* illa lucem fœnerantur: ἡμεῖς μὲν ... ἐπὶ βρώμασι καὶ πόμασι, τὸ συνεστιᾶσθαι δαίμοσι τρόπον ἄλλον ... ἴσμεν, &c. *Nos certe, quantum ad cibum & potum attinet, neſcimus alium modum veſcendi cum Dæmonibus, quam ſi quis in turba edat victimarum exta, & bibat vinum libatum Dæmoniis.* Hinc a gentium dapibus immolatis, Chriſtiani veteres omni ſtudio ſe ſemper illibatos conſervarunt. Hoc e [i] *Minucio Felice* colligo: nam *Cæcilii* verbis, *præcerptos cibos, & delibatos altaribus potus abhorretis;* hæc ſtatim regerit Octavius, *ſacrificiorum reliquias & pocula delibata contemnimus.* Præ cæteris autem immolatitiis, Chriſtiani ſeveriores ea fugiebant, quæ in ipſis idolorum templis aut delubris (quod uſu [g] frequens erat) edenda proponebantur: nam idolothyta in εἰδωλείῳ comeſta, tacitam vel apertam idololatriæ approbationem & profeſſionem indicare credebantur.

(2°.) FORNICATIO omnigena ſignum erat idololatriæ, & hominis adhuc Gen-

a *Tertul. apologet.* c. 9. p. 10. B b Ub. ſupr. c Lib. *de pudicit.* cap. 5. p. 557. D d Ad *Cor.* c. cap. 10. v. 7. e *1 Cor.* 10. 20, 21. f *Cont. Celſ.* l. 8. p. 397. g Vid. *Judic.* 9. 27. & c. 16. 23. *Amos* 2. 8. *1 Cor.* 8. 10.

i Vid. *Minuc. Felic.* p. 106. & 345. & Cap. 38. *Davies.*

tiliſmi

Digitized by Google

tiliſimi reliquias alte retinentis. Signum erat idololatriæ, quod idololatræ veteres, ii- SECT. II
que ſoli, ſe tam licenter, inter idolorum ſacra præſertim, in adulteria & ſcortationes effunderent, quod fornicator & idololatra, concupiſcentia effrænata & idololatria, promiſcue in Scripturis uſurpentur. Hoc multis inſtantiis evinci poſſet, ſi [a] clarus e noſtris Scripturarum interpres hanc provinciam non præoccupaſſet. Nec minus fornicatio frequens indicium erat hominis, in Gentilium mores & partes, voluntatis inclinatione propendentis. Nam Scriptura de fornicatione, & libidine nullis legibus conſtricta, tanquam vitio Gentilium pene proprio, & non minus a Chriſtianorum converſatione quam fide alieno loquitur. 1 ad *Theſſal.* cap. 4. v. 4, & 5: *ut ſciat unusquisque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore:* μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας, *ſicut & gentes quæ ignorant Deum.* 1 Petr. 4. 3. *Sufficit nobis præteritum vitæ tempus* τὸ θέλημα τῶν ἐθνῶν κατεργάσασθαι *ad voluntatem gentium exequendam, cum inceſſimus in laſciviis, concupiſcentiis, comeſſationibus,* &c. Ad Epheſ. 4. 17, 18, 19. *Hoc itaque dico & teſtificor in Domino, ne vos amplius ambuletis, ſicut reliquæ Gentes, in vanitate mentis ſuæ, tenebris obſcuratam mentem habentes,* &c. *Qui poſtquam dedoluerunt, ſeſe tradiderunt impudicitiæ, ad patrandam impuritatem omnem,* &c. Et cap. 2. 2, 3. De infidelibus agens, *inter quos*, inquit, *& nos aliquando converſati ſumus, in cupiditatibus carnis noſtræ, facientes voluntates carnis*, h. e. indulgentes adulteriis, ſcortationibus, & vinolentiis. [b] Alia loca jam dictis affinia, brevitati ſtudens, tacite prætermitto.

(3°.) SANGUINIS eſus, pro certo cultus idololatrici & ſocietatis cum Dæmonibus initæ ſigno, ſeculis antiquioribus habebatur. Ut huic aſſertioni fidem & lucem feram, ἐν παρόδῳ monendum eſt, Antiquos pene omnes, ethnicos pariter & Chriſtianos exiſtimaſſe, Dæmones veſci ſanguine, eique tanquam pabulo ſuo, vehementer inhiare. [c] *Lucianus* (ut ab ethnicis ordiar) Deos Jovi aſſidentes memorans, eos *in terram deſpicere* dicit, *& quoquoverſum intento capite circumſpectare: & ſi forte quempiam ſacrum facientem vident*, εὐωχῶνται, inquit, πάντες, ἐπικεχηνότες τῷ καπνῷ, καὶ τὸ αἷμα πίνοντες τοῖς βωμοῖς προσχεόμενον, ὥσπερ αἱ μυῖαι. *epulantur omnes, nidori inhiantes, & muſcarum in morem ſanguinem exugentes circum aras effuſum.* Ab his non longe diſtant illa *Porphyrii*, de Dæmonibus ita [d] diſſerentis; οὗτοι οἱ χαίροντες λοιβῇ τε κνίσσῃ τε, δι' ὧν αὐτῶν τὸ πνευματικὸν πιαίνεται· ζῇ γὰρ τοῦτο ἀτμοῖς καὶ ἀναθυμιάσεσι, καὶ ποικίλως διὰ τῶν ποικίλων, καὶ δυναμοῦται ταῖς ἐκ τῶν αἱμάτων καὶ σαρκῶν κνίσσαις i. e. *Iſti ſunt qui libatione & nidore oblectantur, quibus ſpirituale corpus ipſorum pingueſcit: vivit enim id vaporibus & ſuffimentis, & varie ſecundum eorum varietatem, ſanguinis etiam & carnis nidoribus corroboratur.* Opinati ſunt etiam Chriſtiani veteres, *Origenes*, *Tertullianus*, *Minucius*, *Athenagoras*, aliique plurimi, dæmones ſacrificiorum ſanguinem avide conſectari, paſcique nidoribus quos evomunt ardentia victimarum viſcera. [e] *Origenes*, de Diis gentium agens, inquit, ἴσμεν τούτους δαίμονας ὄντας, τρεφομένους κνίσσαις καὶ αἵμασι, καὶ ταῖς ἀπὸ τῶν θυσιῶν ἀναθυμιάσεσι· *Scimus hos eſſe Dæmonas, & paſci ſanguinibus, nidoribusque a victimis exhalantibus.* Tertullianus, de præſtigiis dæmonis verba faciens, [f] *mentis*, inquit, *corruptelas agit furoribus & amentiis fœdis, ac ſævis libidinibus, cum erroribus variis; quorum iſte potiſſimus*, quod *hominum mentibus commendat ut ſibi pabula propria nidoris & ſanguinis procuret ſimulacris imaginibus oblata.* Eodem pene redeunt [*] *Minucii* illa: *morbos fingunt* dæmones, *terrent mentes, membra diſtorquent, ut ad cultum ſui cogant; ut nidore altarium vel hoſtiis pecudum ſaginati, remiſſis, quæ conſtrinxerant, curaſſe videantur.* [g] Athenagoram etiam hanc opinionem in animum induxiſſe, ſatis indicant illa de Gentilium geniis dicta: οἱ μὲν περὶ τὰ εἴδωλα αὐτοὺς ἕλκοντες, οἱ δαίμονές εἰσιν οἱ προειρημένοι, οἱ προστετηκότες τῷ ἀπὸ τῶν ἱερείων αἵματι, καὶ ταῦτα περιλιχμώμενοι· *Hi quidem qui ad idola eos pertrahunt, genii ſunt illi de quibus diximus, qui ſanguine ſacrificiorum gaudent eaque lambunt.* Hæc autem opinio de dæmonibus ſanguine paſcendis, temporibus antiquioribus hominum fidem tenuiſſe videatur: nam ideo (ni vacillet conjectura) præcepit Deus, ut effuſum animalis cujusque [h] ſanguinem pulvere cooperirent, ut ſuperſtitioſis hominum moribus occurreret, qui ad paſcendos dæmonas, ſanguinem ſemper apertum & intemeratum reliquerunt, & eo rito cultum quendam iis exhibuerunt. Hæc conjectura firmitatis aliquid acquirat e teſtimonio *Maimonidis*, hæc inter alia, de more Zabiorum, referentis; [i] *illi beſtiam aliquam mactantes, ſanguinem ejus colligunt in*

a *Hammond.* in *Rom.* 1. 29. & 1 ad *Cor.* 6. 5. 12. b *Rom.* 1. 24. 1 *Cor.* 5. 1. 9, 10. c Lib. *de ſacrific.* p. 185. A d De *Abſtin.* lib. 2. §. 42. e *Cont. Celſ.* L. 7. p. 355. f *Apologet.* c. 22. p. 21. 22. * Pag. 249. &c. & Cap. 27. *Davan.* g *Legat pro Chriſtian.* pag. 72. B h *Levit.* 17. 13. i *Mor. Neb.* P. 3. c. 46.

SECT. I. *vaſe vel ſcrobe, carnem etiam illius ſacrificii in circulo ſedentes comedunt; imaginantes, ipſis carnem edentibus, dæmones ſanguinem comedere, tanquam cibum ſuum.* Cum itaque ſanguis, *dæmonum cibus* habeterur, omnes illi qui ora cruore polluebant, cum dæmonibus communionem colere, communi quadam menſa cum dæmonibus uti, iiſque fœdere & affectu conjungi cenſebantur. Sic & idololatras antiquos exiſtimaſſe, pateat e *Magiſtri* jam laudati[a] verbis, quæ ex Arabicis expreſſa, ſic ſonant: *ſcito, Zabios ſanguinem quidem, tanquam rem execrandam valde fuiſſe averſatos: at nihilominus eundem edebant, credentes cibum eſſe dæmonum, eumque qui* ſanguinem *ederit, fratrem ſeu familiarem fore dæmonibus, quia omnes in una menſa edunt.* Hæc cum dixiſſet auctor ille, continuo[b] obſervat, Deum comminatione quadam peculiari homines a ſanguinis eſu coercere. Nam de comedente ſanguioem dicit Deus, [c] *ponam faciem meam in comedentem ſanguinem*, eodem, inquit, modo, quo de illo qui filium ejus Molocho immolat, [d] *ponam faciem meam in virum illum.* "Noo autem occurrit, ait ille, hæc "loquendi ratio in tertio aliquo præcepto, præter iſta duo, de idololatria & comeſtio-"ne ſanguinis: quia illius comeſtio ad ſpeciem aliquam idololatriæ ſpectavit, & ad cul-"tum dæmonum anſam & occaſionem præbuit.

(4°.) Non ſanguinis tantum, ſed & ſuffocati comeſtio, Gentiliſmi & fœderalis cujuſdam cum dæmooe conjunctionis indicium & ſymbolum olim habebatur. Hoc autem e triplici cauſa fiuxiſſe putetur: (1°.) Quod ſuffocata omnia ſanguinem, cibum dæmonum, intra venas concluſum contioerent; ut inde neceſſe haberent homines, ſanguinem cum reliqua carne comedere, adeoque dæmonum pabulum participare. Hinc evenit quod ſuffocata comedentes, dæmonibus communione forti & fœdere indiſſolubili conſtringi crederentur. (2°.) Quod olim *ſuffocatio*, docente[e] Guilielmo Pariſienſi, *modus quidem* eſſet *immolandi dæmonibus*, quibus *hac ratione* ipſam *animalis animam* offerebant idololatræ. Hic immolandi modus ſic apud *Indos* invaluit olim, quod telletur[f] *Strabo*, eos Diis omnibus ſuffocata tantum obtuliſſe. (3°.) Quod ſanguis, ubicunque eſſet, ſive effuſus ſive intra venas animalis contentus, res dæoonibus ſacra crederetur; & illius cauſa ſuffocata omoia in immolatorum aut cooſecratorum numero ponerentur. Omnis itaque ovem aut avem præcluſio ſpiritu necatum comedens, Idolothyta vel carnes dæmoni ſacratas edere, eique fœdere conjuogi cenſebatur. Sonum hilce concordem faciunt[*] *Alexandri Halenſis* illa: *dicunt quidam quod hæc eſt cauſa potiſſima quare prohibiti ſunt Judæi comedere animal raptum a beſtia, vel ſuffocatum; videlicet, propter ſanguinis admiſtionem. Nam ſuffocatio modus quidam erat immolandi dæmonis: & ideo prohibuit comedi ſuffocatum.*

Jam cauſam primariam hujus ioterdicti ſatis illuſtraſſe, & ſententiæ meæ fundamenta ſolide jacuiſſe videar.

Secundaria, quæ triplex. Ad cauſam ſecundariam ſe jam ſermo convertat, quæ triplex erat; uoa a parte Judæorum: a parte Gentilium nuper converſorum altera; a parte Geotilium ritus ethnicos adhuc retinentium tertia.

1°. A parte Judæorum. Prima, a parte Judæorum erat, ne quid iis offendiculo eſſet in Gentilium converſorum moribus, iiſque de Gentilibus aut Evangelio ſequius exiſtimandi cauſam daret. Cum enim fornicatio, ejus idolothyti, ſanguinis & ſuffocati cultum olerent idololatricum, & cum ethniciſmo intime jungerentur; ſi Gentiles converſi hæc omnia comediſſeot, aut vaga vel inceſta libidine ſe contaminaſſeot; ſuſpicandi cauſam præbuiſſent, ſe veteris ethniciſmi reliquias adhuc retinere, & ſub nomine Chriſtiano meros Gentiles agere. Hæc autem ſuſpicio Judæos irritaſſet, & impedimento fuiſſet, quo minus ullam familiaritatem cum iis exercerent, aut in eandem fidem & eccleſiam conſpirarent. Nam[g] *Judæorum* mentes *erroris ethnici vel ſpecie leviſſima offendebantur: cavendum* itaque *fuit ne vel leviſſima ſigna animi, vel ad idololatriam proni, vel in religione nutantes fideles* ederent. Deinde niſi Gentiles, Chriſtianiſmum profeſſi, ab idolothytis & aliis idololatriæ ſignis abſtinuiſſent; ſuſpicioni locum feciſſent, quaſi fides Chriſtiana non adeo longe ſejuncta eſſet ab idololatria, nec communio cum Dæmonibus & idolis illicita a Chriſtianis habita: inde vero Judæi proculdubio, quibus idololatriæ ſpecies omnis angue magis odinſa, fidem Chriſtianam in odium ducendi, & Chriſtianorum ſocietatem penitus averſandi anſam arripuiſſent.

2°. A parte Gentilium converſorum. Secundo: hujus Decreti ratio, a parte Gentilium haod ita pridem converſorum,

a Ub. ſupr. b Ibid. c *Levit.* 17. 10. d *Levit.* 20. 3. e Lib. *de legib.* c. 6. f Οὐ σφάττοντες τὸ ἱερεῖον, ἀλλὰ πνίγοντες. *Geogr.* lib. 15. p. 1036. B * *Sum. Theolog.* P. 3. Qu. 11. pag. 378. g *Sanct. Comment. in Act.* 15. 21.

hæc

hæc erat, ne ſi moribus cum ethniciſmo conjunctis aliquatenus indulgerent, eorum illecebris ad ethniciſmum iterum amplectendum inducerentur. Nam epulum idololatricum & fornicandi licentia plurimum in omni ſeculo valuerunt, ad vulgi animos a Deo ad idola detorquendos. Iſraelitæ talis epuli &[a] fornicationis illectamentis a Deo ad cultum Peoris abducebantur: [b] *Jezebel* apocalyptica & Baalami ſectatores hiſce machinis ad expugnandam Gentilium recens converſorum fidem utebantur: *Valentiniani*, aliique veteres hæretici, (quod ſtatim oſtendimus) ad corrumpendos hominum ſimplicium animos, iiſdem artibus utebantur. SECT. II.

TERTIO: veriſimile eſt etiam Apoſtolos, gratia Gentilium nondum plene converſorum, hoc Decretum ſtatuiſſe. Nam ſi Gentiles in fide Chriſtiana confirmati ritus illos uſurpaſſent, quæ tunc temporis idololatriæ *indicia vehementia* credebantur, fratribus illis infirmis ſcandalum dediſſent, & ethnicos in erroribus ſuis non parum confirmaſſent. Nam hac ratione [illegible] idololatris, animi in Dei unius fide nutantis ſignum edere, cum Dæmonibus communicare, omnia denique ad eorum culturam ſpectantia probare viderentur. Ut itaque brevi dicam: Apoſtoli hoc Decretum fecerunt, ut aliquos a Gentiliſmo abſtraherent, & eos qui jam Chriſtiani eſſe cœperant, in Chriſtianiſmo retinerent. 3ª. A parte non plene converſorum.

SECT. II.

Ratio ea firmatur teſtimoniis.

ORDO mihi præſcriptus id a me jam poſtulat, ut hujus Decreti rationem ſuperius adductam teſtium nonnullorum auctoritate communirem. Hanc itaque provinciam in me ſuſcipiam: eoque libentius, ne ratio illa plane nova & e meo tantum penu deprompta cenſeatur.

INTER teſtes meos, primas *S. Paulo* tribuo, cujus auctoritas demonſtrationis vicem habere debet. Ille vero poſtquam [c] *Corinthios* monuiſſet, ut ab idolothytis, in idolio præſertim comedendis abſtinerent; ſtatim addit, [d] *quapropter, dilecti fratres mei, fugite ab idololatria.* Hoc autem Apoſtoli monitum ſic illuſtrat *Grotius: bene hoc cohæret cum paulo ante dictis: ſi voſmetipſos aſſuefaciatis epulis in idolio, facile ubi gravior perſecutio incubuerit, ad pleniſſimam idololatriam devolvemini.* Teſtimonium affine præbet Epiſt. 1. ad *Corinth.* cap. 8. ubi publicum & frequentem idolothytorum eſum mala plurima Gentilibus fidei tenerioris allaturum aſſerit. Nam ver. 7. ἡ συνείδησις, inquit, αὐτῶν ἀσθενὴς ἔτι μολύνεται h. e. Eorum conſcientia minus inſtructa, talibus actibus, in vulgari opinione [de ſanctimonia quadam ab idolothytis illis accipienda] confirmatur. Et ver. 9. *Cavete vero ne hac libertas veſtra* (idolothyta nempe comedendi) πρόσκομμα *fiat infirmioribus*: h. e. ne illi qui cœtui Chriſtiano ſe nuper addiderunt, nec adhuc in fide vel ſcientia adoleverunt, exemplo veſtro perperam intellecto, ad ſecedendum a Chriſtianiſmo provocentur. Et v. 10. *Siquis*, inquit, *viderit te qui ſcientiam habes in idolio recumbentem, nonne conſcientia ejus, cum ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta?* h. e. "Si ipſe, qui tibi & aliis eruditus videris, carnes idolo "ſacras in idolio comedas, infirmus inducetur ad manducandum idolothyta, in hono- "rem ſcil. idoli, ſicut te facere exiſtimat, & idolorum culturæ nil mali ineſſe arbitrabi- "tur. His continuo ſubjungit, καὶ ἀπολεῖται ὁ ἀσθενῶν ἀδελφὸς, i. e. Paulatim deſinet eſſe Chriſtianus, exemplo tuo perſuaſus idolothyta eſſe mere ἀδιάφορα, nec eorum cauſa perſecutiones eſſe tolerandas. Hæc omnia abunde probant Apoſtolum Corinthios ab idolothytorum eſu cohibuiſſe, quod Gentilibus infirmis [i. e. ſcientia nondum inſtructis] offendiculo eſſet, iiſque vel non accedendi ad Chriſtianiſmum, vel ab eo recedendi occaſionem daret. Cum itaque *S. Paulus* eſum idolothyti, ad vitandam Gentilium offenſionem prohibuerit; æquum eſt opinari, Synodum, Hieroſolymæ coactam, eſum ſanguinis & ſuffocati ſimili de cauſa vetuiſſe; nempe quod non tantum carnes immolatitiæ, ſed etiam ſanguis & ſuffocatum, pro rebus idolo ſacratis apud ethnicos haberentur, & eadem pene generali natura & notione convenirent. Divinis.

TESTEM *S. Paulo* proximum citabimus auctorem *Clementis Romani* nomine circumlatum, & antiquitate ſaltem venerabilem. Ille vero *S. Jacobi* ſententiam referens, verbis ejus hunc ſenſum tribuit; [e] ***propter quod ego judico, non inquietandos eos qui ex*** Humanis, antiquis.

a *Num.* 25. 1, 2. b *Apoc.* 2. 14. & 20. c *Epiſt.* 1. cap. 10. v. 7. d Verſ. 14. e *Conſtit. Apoſt.* lib. 6. c. 12.

SECT. II. *gentibus convertuntur ad Deum*, ἀλλ' ἐπιστεῖλαι αὐτοῖς τοῦ ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν ἐθνῶν, εἰδωλοθύτου, καὶ αἵματος, καὶ πνικτοῦ, καὶ πορνείας *Sed ſcribendum ad eos, ut abſtineant a pollutionibus gentium, idolothyto, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.* Ubi neceſſe eſt, ut verba illa pluralia [ἀλισγήματα τῶν ἐθνῶν] pro generalibus habeantur, & de idolothyto, ſanguine, ſuffocato, & fornicatione, pariter intelligantur. Cauſa vero ne fingi poteſt, cur hæc omnia *pollutiones Gentilium* dicerenrur, niſi quod ad eorum cultum idololatricum juxta pertinerent. Nam εἴδωλον res olim tam fœda & polluta cenſebatur, quod a pollutione nomen ſortitum ſit; utpote גלול & שקץ dictum, quod a Græcis βδέλυγμα & μίασμα reddi ſolet. Quin & perſonæ omnes idoli cultu[a] *abominabiles* fieri; & ipſa fornicatio in honorem idoli commiſſa, novam inde ἀκαθαρσίαν haurire credebatur. Non eſt itaqoe temeritatis arguenda [b] *Bezæ* conjectura, ſic textum præſentem explicantis; " nil impedit quominus, voce ἀλισγημάτων repetita ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, poſ" ſimus hunc locum ſic interpretari, *a pollutionibus idolorum, & ſcortationis, & ſuffocatorum, & ſanguinis.* Sed ad *Clementem* iterum ſe recipiat ſermo: nam [c] alibi, de *S. Petro* loquens, eum docuiſſe refert, τραπέζης δαιμόνων μὴ μεταλαμβάνειν· λέγω δὲ εἰδωλοθύτων, νεκρῶν, πνικτῶν, θηριαλώτων, αἵματος· *Nihil ſumere de menſa dæmonum: hoc eſt*, (inquit ille) *de idolothytis, mortuis, ſuffocatis, a beſtia captis, ſanguine.* Hæc autem indicio ſunt, auctorem illum (quiſquis erar) exiſtimaſſe, εἰδωλόθυτον, πνικτὸν, & αἷμα, pari conſilio vetita fuiſſe; quod ſcilicet hæc omnia ſeculo illo, pro rebus Dæmoni ſacratis haberentur, & omnes ſanguinem aut ſuffocatum comedentes, cibi menſæque Dæmonum participes, & eorum ſocii quodammodo facti crederentur.

Ne vero *Clementem Romanum* ad parres meas obtorro collo traxiſſe videar, in medium proferam paolo diſertius *Origenis* teſtimonium. Ille vero mentionem faciens Epiſtolæ, qua Apoſtoli *neceſſariam tantum abſtinentiam (ab idolothyto, ſuffocato, & ſanguine) ſe profitentur* [d] *indicere;* hanc cauſam aſſignat moniti illius Apoſtolici: τὸ μὲν εἰδωλόθυτον θύεται δαιμονίοις, καὶ οὐ χρὴ τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον κοινωνὸν τραπέζης δαιμονίων γίνεσθαι· τὰ δὲ πνικτὰ, τοῦ αἵματος μὴ ἐκκριθέντος (ὅπερ φασὶν εἶναι τροφὴν δαιμόνων, τρεφομένων ταῖς ἀπ' αὐτοῦ ἀναθυμιάσεσι) ἀπαγορεύει ὁ λόγος, ἵνα μὴ τραφῶμεν τροφῇ δαιμόνων, &c. *Idolothyta ſacrificantur dæmonibus: nec debet homo Dei particeps fieri menſæ dæmonum. Suffocatis autem nobis interdicitur, quia ſanguis ex eis non eſt excretus, (cujus exhalatione dicunt paſci dæmonas) ne veſcamur cibo dæmonum, & ne forte ſimul nobiſcum edant dæmones, ſi ſuffocatum edamus. Quod autem de ſuffocato dictum eſt, ſatis indicat cur a ſanguine abſtineatur.*

Huc etiam ſpectare videntur [e] *Tertulliani* verba: *propterea Spiritus ſanctus conſultantibus tunc Apoſtolis vinculum & jugum* Legis *nobis relaxavit, ut idololatriæ devitandæ vacaremus.*

Modernis. Ne vero quod genus teſtium in hac cauſa deſideretur, duo ſubjungam Modernorum teſtimonia. Horum primum *Turriani* eſt, qui auctnris egregie docti laudem & characterem meruit. Ille vero de hoc decreto Apoſtolico fuſe loquens, [f] *neceſſarium* inquit, *erat, non veſci ſuffocato, quod propter ſanguinem retentum immolatitium erat, & -- cibus Dæmonum eſſe aſſerebatur; ut erat quoque neceſſarium, non veſci idolothyto & ſanguine, quatenus hæc omnia ad idolorum item culturam pertinerent.* Et paucis interpoſitis, hæc habet: *neceſſarium erat*, a ſanguine, ſoffocato, & idolothytis abſtinere: prour *Apoſtolico decreto tunc ſancitum eſt iis -- quibus erat inter gentes habitandum, apud quas ubique erant omnia plena idololatria: ubique erant immolatitia, ſanguis, & ſuffocatum, propter ſanguinem retentum: immo magna pars victus humani Dæmonibus dedicata.* Et [g] alio in opere, Conſtitutionem modo laudatam explicans, hæc infert, iis quæ in Conſtitutionem illam jam dixi conſentientia; Decretum Apoſtolicum ſanguinem & ſuffocatum prohiber, *quatenus ſcilicet erant immolatitia* inrer *omnes gentes idolorum cultrices, inter quas Chriſtiani verſabantur. -- Hæc autem ea ratione prohiberi, -- ſatis ipſius Decreti verba declarant: non enim dixit*, ur abſtineant a contaminatione idolothyti, ſed a contaminationibus idolothyti, & ſanguiois, & ſuffocati. *Hæc enim omnia erant* contaminationes, *quia omnis ſanguis habebatur Diis conſecratus, omne* etiam *ſuffocatum, propter ſanguinem retentum.*

Santentiam meam ſuo etiam ſuffragio decoravit *Sanctius*, interpres non e vulgo

a *Hoſ.* 9. 10. b *Annot. in Act.* 15. 20. c *Clement. in Homil.* 7. §. 8. d Lib. 8. Cont. *Celſ.* p. 396. e Lib. de *Idolol.* c. 24. p. 99. C f *Adverſ. Magdeburg.* l. 1. c. 5. col. 15. g *Explanat. Conſtitut. Apoſtolic.* p. 82. 3.

Romanen-

Romanenſium: ille rationem quærens *cur Apoſtoli de immolato, ſanguine, & ſuffocato præcepta dederint, multi,* [a] inquit, *multa dicunt: ſed dicendum videtur, id voluiſſe Apoſtolos, ut gentes hoc modo a gentibus ſecernerent, —— Quare ne remanerent aliqua antiquæ ſuperſtitionis reliquiæ, neque intercederet aliquid Chriſtianis cum idololatris commune, & quaſi vinculum, ab idolothytis cavere juſſerunt.* His poſt pauca, ſuperaddit, *accedit quod victimarum ſanguis acceptiſſimus exiſtimabatur Gentilium Diis, & ideo illis conſecrabatur; & ſuffocata,* referente Origene, *dæmonum cibus credebantur —— Quare genus quoddam videbatur ſuperſtitionis, ſanguine & ſuffocato veſci.*

Objectio.

Hic forſan aliquis ex adverſo regeret, quod hæc reſtimonia ſentenriam meam prodere, magis quam probare videanrur. Quamvis enim clare quidem aſſerant, Apoſtolos idolothyro, ſanguine, & ſuffocaro, Gentilibus interdixiſſe, quod eorum eſus ethniciſmum ſaperent; de fornicatione nihil dicunt, & ſilentio ſuo cauſam opinandi præbent; eos exiſtimaſſe Apoſtolos eam ob nativam ejus turpitudinem vetuiſſe, non quod fornicarioni eum idolnlatria tanta neceſſirudo vel affiniras intercederet. Apertum eſt ea ſententia fuiſſe *Turrianum*, cum ait, *fornicatio, etſi grave crimen eſt, non pertinet tamen ad contaminationem cultus idolorum,* Conſtitutione modo laudata veritam: adeo ut auctor ille, telam meam, ad inſtar Penelopes, texere & retexere videatur.

Satisfactum eſt.

Si quis hæc objiciat, ingenue fatendum eſt, teſtes meos omnes, excepro *Clemente,* fornicationem hoc decreto vetitam tacire præteriiſſe; eamque forſan non ob fœditatem aliquam ab idolis aſcitam, ſed ei naturaliter inſitam, hic interdictam cenſuiſſe. Sed quicquid ſit, nunquam animo meo perſuadere potui, Apoſtolos idolothytum, ſanguinem, & ſuffocatum, tantum quod idololatriæ ſigna vel inſtrumenta, prohibentes, cum iis fornicationem [rem naturæ protſus alienæ] conſociare voluiſſe, niſi quod & hæc eodem ſpectaret, & cum ſociis ejus uſu ſaltem conveniret. Quid enim induceret Apoſtolos, legis mnralis & ceremonialis inrerdicta commiſcere, de iis etiam ranquam obſervatu pariter neceſſariis loqui, niſi vinculo aliquo communi jungerentur? Anne credibile eſt, Apoſtolos exiſtimaſſe neceſſarium eſſe, fornicationem [lege Naturæ, lege Moſis, lege Chriſti, lege civili, ſcriptis etiam Apoſtolicis] ſæpe & centies interdictam, ſeorſim a cæreris vitiis & peculiari decreto prohibere? Annon tanti viri prævidere poterant, mulros eorum verba ſecus interpretari voluiſſe, & hinc anſam arripere ſuſpicandi, vel fornicationem (utpote cum adiaphoris interdictam) haud adeo grave peccatum eſſe, vel Chriſtianos hoc decreto non minus ad abſtinentiam a ſuffocato & ſanguine, quam fornicatione, in perpetuum obligari? Teſtes itaque meos (ne quid diſſimulem) hic dormitaſſe ſentio, & Apoſtolos fornicationem rebus hiſce mediis & indifferentibus adjunxiſſe, quod ad idololatriam ex æquo perrineret, eique non minus arcte jungeretur. Cum itaque ex hac parte claudicent jam adducta teſtimonia, eorum defectum aliis argumentis tedimere conabor.

SECT. III.

Et aliis Argumentis,

Probatur argumentis quatuor, ductis

ARGUMENTIS quæ ſola ratio miniſtrat, evincam proximo, Synodum Hieroſolymitanam hæc quatuor ideo veruiſſe, quod ethniciſmi ſigna eſſent & irritamenta, quod etiam abſtinentia ab iis omnem a Gentilibus nuper converſis idololatriæ ſuſpicionem amoverer, & præcipuas illas illecebras quidem homines novi adhuc, & inſtabiles ad ethniciſmum vererem amplexandum allicerenrur. Ex his autem argumentis,

A ſeculi Apoſtolici conditione.

Primum a ſeculi Apoſtolici ſtatu & conditione ducitur. Nam idololatria ſeculo illo, Gentilium error proprius erat, cum primo lacte hauſtus, & uſu inveterato confirmatus, error etiam qui longe lateque ſe diffudiſſet. Gentilium itaque Chriſti partibus adhærenrium intererat maxime, nt huic inprimis errori palam renunciarenr, & publicum aliquod animi ab idolis averſi documentum ederent. Nam hac ratione, Judæis quibus nihil idolo deteſtabilius, offenſionis anſam præciderenr; honorem fidei Chriſti conciliarent, eumque nullam cum *Beliale* communionem habere teſtarentur; ethnicos etiam Chriſtianiſmo nuper initiatos exemplo ſuo confirmarent; cum itaque tanti referret, ut Genriles ad Evangelium converſi publicum aliquod idololatriæ renunciatæ,

a *Comment. in Act.* 15. 20. §. 32, 33.

 ciatæ,

SECT. III.

ciatæ ſignum ederent, & omnem idololatriæ ſpeciem & ſuſpicionem procul a moribus ſuis amoverent; quam maxime credibile eſt, Apoſtolos ideo Gentiles converſos hoc decreto devinxiſſe, quod idolothyta, fornicatio, ſanguinis eſus & ſuffocati, veterem gentiliſmum ſaperent; & id ante alia curarent Apoſtoli, ut Gentiles inprimis ab omnibus idololatriæ cauſis aut ſignis abſtinerent.

A Decreti præcipuis circumſtantiis.

SECUNDO: a præcipuis hujus decreti circumſtantiis [ORDINE, MATERIA, CONNEXIONE,] non imbecille petatur argumentum. ORDINE: nam obſervatu non indignum cenſeo, quod in hoc interdicto, [[a] tribus vicibus inculcato] fornicationi ſemel ſecundus, bis ultimus, nunquam primus, locus aſſignetur. Cur autem idolothytum, ſanguis, & ſuffocatum (res licet indifferentes & quandoque licitæ) locum præcipuum hic obtinerent, mihi ne divinatione quidem datur intelligere; niſi fornicatio, tantum ut ethniciſmi comes & indicium, hic interdicta ſit, & eſus idolothyti, ſanguinis, & ſuffocati, quamvis peccatum minus, idololatriæ vel ethniciſmi ſignum majus & apertius haberetur. MATERIA: quid enim rebus tam exiguis vacarent Apoſtoli, ut de ſuffocatis (lepore, perdice, vel aliis animalculis, laqueo pereuntibus) legem conderent, & Chriſtianos ab eorum uſu tam ſolenni decreto cohiberent? An ut Judæorum infirmitati conſultum eſſet, qui ſanguinis eſum abominati ſunt, & pro legis obſervatione flagranti ſtudio contenderunt? Hoc nulli cordato probabile fiet, cum inſtitutorum legalium apparatus [b] ἐγγὺς jam eſſet ἀφανισμοῦ, cum etiam Apoſtoli libertatem a lege Moſaica Gentilibus integram aſſeruiſſent. Nil itaque dicendum reſtat, quam quod Spiritus S. eodem conſilio ſub Evangelio, quo ſub Lege, de rebus hiſce minutis præcepta dederit; quod ſcilicet in ceremoniis idololatricis locum principem haberent, & homines (eo ſeculo) Gentiliſmi maxime ſuſpectos redderent. Neque decreti materia tantum, ſed & partium CONNEXIO nobis argumentum præbet, quid enim idolothytum & ſuffocatum, ſanguis & fornicatio (res nullo cognationis nexu colligatæ) una jungerentur; niſi quod ethniciſmi comites eſſent, & in eo, tanquam eodem tertio, heterogenea illa convenirent?

A mutatis Eccleſiæ moribus.

TERTIO: aliud a mutatis Eccleſiæ Chriſtianæ moribus argumentum ſumo. Cum enim paſſim vigeret ethniciſmus, huic Decreto ſe morigeram præbebat Eccleſia, & [c] *ita tunc horrebant Chriſtiani ſanguinem pecoris, ut æque ac acerram & foculum in quo thus Diis eſſet adolendum, abominarentur ejus cibum.* Poſtea vero cum Gentiliſmus e rebus evaneſceret, & vix ulli Gentiliſmum profeſſi Chriſtianis immixti viverent; Eccleſiæ multæ libertatem ab hujus Decreti obſervatione ſibi vindicarunt. Inter eas Eccleſiam Africanam numerandam eſſe, pateat e luculento [d] *S. Auguſtini* teſtimonio: *quis jam Chriſtianus hoc obſervat, ut turdos* aut *aviculas non attingat, niſi quarum ſanguis effuſus eſt, aut leporem non edat, ſi manu a cervice percuſſus, nullo cruento vulnere occiſus eſt? Et qui forte pauci adhuc tangere iſta formidant, a cæteris irridentur. Ita omnium animos in hac re tenuit illa ſententia veritatis, non quod intrat in os veſtrum, vos coinquinat, ſed quod exit.* Sed utut olim ſe res habuerit, palam eſt, Eccleſias omnes, (Græcam & Æthiopicam excipias) jam a multis annorum centuriis, eſum ſanguinis & ſuffocati licitum habuiſſe, & hac lege Apoſtolica ſe ſolutas exiſtimaſſe. Hinc autem non abſurde collig., multos e Chriſtianis antiquioribus opinatos fuiſſe, Concilium Hieroſolymitanum hoc Decretum ſtatuiſſe, ut obviam irent idololatricis ethnicorum moribus, qui cibis idolo ſacratis plerunque veſcebantur, & myſteria ſua peragentes, ora ſanguine fœdabant, & licenter in omne genus ſtupri ferebantur. Quid enim Chriſtiani veteres, hac Apoſtolorum lege ſe quandoque ligatos, quandoque ſolutos exiſtimarent; niſi quod probe ſcirent, eam occaſioni (quam dixi) mutabili & temporariæ ſanctionem & originem ſuam debuiſſe?

A facili ſolutione dubiorum & difficultatum.

QUARTO: hinc etiam hypotheſi noſtræ fides accedat, quod ea conceſſa, difficultates omnes, hactenus interpretibus moleſtæ, ſtatim evaneſcent. Ut aſſertionis hujuſce veritas eluceat, quæſtiones difficiliores e Decreti verbis oriri ſolitas, in medium ſolvendas afferam.

1°. HARUM prima ſit hæc: cur fornicatio, jure Naturæ ſimul & Evangelii vetita, hic ſpeciali Decreto prohibetur? Vir doctiſſimus, nuper e vivis ereptus, huic dubio ſolvendo impar, ipſum illius ſubjectum tollendum cenſuit; dicens, [e] *non adeo congruum eſt opinari, opus fuiſſe peculiari præcepto & præſcripto Apoſtolico, ad eos qui Evangelium jam fuerant amplexati, contra fornicationem vulgari & communi notione ſumptam; cum*

a *Act.* 15. 20. Id. v. 29. & C. 21, 25. b *Hebr.* 8. 13. c *Salmaſ.* lib. ſup. citat. p. 451. d *Cont. Fauſt. Manich.* lib. 32. cap. 13. Tom. 8. col. 457. C e *Lightfoot. Hor. Hebr. & Talm. in Act.* 15. 20.

totus

totus tenor Evangelii contra eam præſcribat, *Epheſ.* 5. 3. & recenſeatur inter opera carnis quæ nos e regno cœlorum excludunt, *Galat.* 5. 19. *Epheſ.* 5. 5. *Hebr.* 13. 4. Hac ratione perſuaſus, πορνείας nomine, non fornicationem ſimplicem, ſed polygamiam hic interdictam contendit, quam Gentiles inter adiaphora numerarunt. Cumautem hæc opinio nullius auctoris probati teſtimonio muniatur, & vox πορνεία, hac notione ſumpta, vix uſpiam occurrat in *N. Teſtamento;* longe conſultius eſt, ut *fornicationem* hic *vulgari* & communi notione ſumendam cenſeamus. Neque nos ſententia movere debet, quod fornicationem hic *præcepto peculiari* vetitam reperiamus; cum hoc optimo conſilio factum fuerit. Hæc enim Apoſtoli ſcribunt iis, qui e Gentilibus, abdicato idolorum cultu, ſe Dei unius venerationi devoviſſent: iis autem id conſilii dederunt, ut ab omnibus ethniciſmi veteris indiciis, adjunctis, & irritamentis abſtinerent. In horum itaque cenſum venire debuit fornicatio, quæ prophani cultus appendix plurimum erat; atque hoc in loco, tanquam peccarum in *ſecundum* potius quam *ſeptimum* mandatum prohiberi videatur. SECT. III.

2°. (2°.) Hic quæri poteſt & ſolet, cur fornicatio, (Lege morali vetita) inter adiaphora & res in cibis uſurpatas hic recenſeatur. Hanc quæſtionem tam difficilem habuit [a] *Heinſius*, quod exclamet, *quis expediet, quare id quod ad moralem ſpectat legem, cum iis quæ ad ritualem* ſeu *ceremonialem ſpectant conjungatur, & ſic confundantur utraque?* Et quid ſcortationi commune cum cæteris qui poſtea ſequuntur cibis? Hic in omnia ſe verterunt interpretes, ut ſe perplexos & impeditos liberarent: *Beza* πορνείαν ſpiritualem ſcortationem interpretatur, & hoc in loco vult intelligi ſpeciem quandam idololatriæ, puta accubitum in idoleio ad idolothyta comedenda. [b] *Salmaſius*, voce πορνείας intelligendam ſentit, artem πορνικὴν, & quæſtum illum quem corpore publicato faciebant homines, in vulgarem libidinem proſtituti. Hoc enim Gentiles, inquit, inter adiaphora poſuerunt. [c] *Heinſius* hic ſignificari velit θυσίαν πορνικὴν, [d] Lege vetitam, h. e. victimam mercede meretricia comparatam: *ut primo de idolothyto, ſecundo de victima meretricis, tertio de ſuffocato, quarto de ſanguine agatur; ut omnes ſint cibi quibus in antiquo Fœdere interdictum* eſt. Hic autem naſum criſpat æmulus Criticus, dicens, *ut* πορνεία *unquam ſignificarit Græcis, ex meretricia mercede oblatam* θυσίαν! *nunquam id factum.* Nuperus auctor hunc nodum alia ratione ſolvendum cenſuit: *fornicationem hic prohibitam ſane credimus, ſed talem quæ judicio hominum pro ſcortatione non habebatur, ſive a Judæis ſive a Gentilibus, ſed pro re ſua natura indifferente. Intelligo autem* πορνείαν *in polygamia & divortiis. Fuiſſe autem hoc genus* πορνείας, *inter Judæos & Gentiles, tum uſitatum, tum in vili habitum, abunde conſtat, &c.* Opinio vulgo recepta eſt, hic de rebus agi mediis & indifferentibus, fornicationem autem in earum numero collocari, non quod talis eſſet, ſed quod ea tempeſtate gentium mores & mentes in eam corruptelam degeneraſſent, ut eam paſſim inter adiaphora numerarent. Opinionis hujus aſſertores multum laboris & operæ poſuerunt in corrogandis *Poetarum* & *Politicorum* dictis, ut inde conſtet, ethnicos fornicationem pro re levi & joci tantum materia habuiſſe. At vero durum & injuſtum videtur, Gentibus in univerſum omnibus ſenſum tam craſſum atque hebetem impingere, ut ſcortationem pro nihilo ducerent & adiaphoris accenſerent: cum jus naturæ & leges [e] *Romanorum* illam prohiberent, cum etiam e Gentilibus nonnulli vel amorem legitimum, ſed impotentem nimiumque, λυττῶντα καὶ ἄγριον δεσπότην exiſtimarent. Sed ſi demus ethnicos errore tam craſſo ductos fuiſſe, ut fornicationem rem levem & indifferentem exiſtimarent, nodus non ſolvetur inde, ſed ſtringetur arctius. *Nam quis credat*, inquit [f] Alex. Morus, *Apoſtolos in Concilium coactos adeo molli fuiſſe indulgentia, ut fœdum gentium errorem foverent imprudentes; quaſi cum Stoicis peccata facerent æqualia, ea promiſcue commemorando quæ lato limite ſeparantur? cur non duo decreta de rebus tam diverſis conderent?* &c. Adhuc itaque reſtat hic nodus, & æternum reſtabit, niſi dicatur Apoſtolos, hoc decretum ſancientes, rerum uſum potius quam naturam ob oculos habuiſſe; & ideo immolatum, fornicationem, ſuffocatum, & ſanguinem, una miſcuiſſe, quod ea omnia Gentiliſmi ſigna eſſent aut inſtrumenta, & ad eam aliquo modo pertinerent.

(3°.) Huic etiam quæſtioni, locus quem præ manibus habemus, anſam præbet cur abſtinentia ab idolothyto, fornicatione, ſuffocato, & ſanguine, tanquam pariter neceſſaria, Gentilibus imponatur? Nam illa omnia, nullo habito diſcrimine *neceſſariorum* titulo donata legimus, *Act.* 15. 28. Sed an abſtinentia a ſuffocato plane ne- 3°.

a *Exercitat. Sacr. in Act.* 15. *p.* 303. 20. b Ub. ſupr. p. 458. c *Exercitat. Sacr. p.* 304. d *Deut.* 23. 18. e *Vid. Heinſ.* ub. ſupr. p. 302. f *Annot. in Act.* 15. 20.

SECT. IV. eſſaria eſt, & annon magis ad vitandam fornicationem, quam ſanguinis eſum obligamur? in promptu reſponſio: hæc omnia ſeculo illo *neceſſaria* quidem, non autem *pariter neceſſaria*, vocabantur ab Apoſtolis. Tam arctam habebant hæc omnia cum Gentiliſmo conjunctionem, quod neceſſe eſſet ut neophyti omnes ab iis pariter abſtinerent. Non erat autem ex Apoſtolorum dignitate, ut minutiis inſiſterent, & neceſſitatis gradum cuivis abſtinentiæ proprium ſolicite definirent. His accedat quod fornicatio unius tantum præcepti violatio; ſed ejus idolothyti, ſanguinis, aut ſuffocati, totius Chriſtianiſmi rejectio, tunc temporis haberetur: erat itaque, cur abſtinentia ab omnibus iis, tanquam pariter neceſſariis, Gentilibus imponeretur. Erat etiam (quod obiter addo) cur fornicatio loco ultimo poneretur, cum eo ſeculo, peccatum minoris reatus & infamiæ fuiſſe videatur.

4ª. (4°.) HOC decretum Apoſtolicum huic etiam quæſtioni difficili locum fecit, cur illa quatuor (idolothytum, ſanguis, ſuffocatum, & fornicatio) hic ſpeciatim interdicta ſunt; alibi vero fornicatio tantum & idolothytum, ſuffocato & ſanguine tacite prætermiſſis? Nam *Pergamenſibus* id tantum crimini datum [a] legimus, quod *Baalami* ſectatores alerent, qui populum *fornicari & idolothyta comedere* docuerunt: id etiam in *Thyatira* [b] reprehenſum eſt, quod *Jezebelem*, populum *fornicari & idolothytum edere* docentem, impune pateretur. Apoſtolus ad [c] *Corinthios* ſcribens, eos ab idolothytis & fornicatione fuſe dehortatur, ſanguinis & ſuffocati mentione ne levi facta. At hypotheſis noſtra huic etiam nodo cuneum adaptabit: ſi enim pro dato ſumatur, Antiquitatem ſanguinem & ſuffocatum pro cibis Dæmoni ſacratis habuiſſe, & eorum eſum hic interdictum fuiſſe, quod olim ſanguinis & ſuffocati comeſtores Dæmonum ſocii & fœderati crederentur; hæc duo ad claſſem τῶν εἰδωλοθύτων revocari, & ſub eorum nomine deſignari facile cenſeantur. Et ſane rem ita ſe habere, probabilius exiſtimo, quod hæc tria [idolothytum, ſuffocatum & ſanguis] tanquam res ejuſdem familiæ, [d] duobus in locis conjungantur; & quod auctor literaturæ non ſpernendæ ſic mecum ſuffragetur, *crediderim hæc duo, ſuffocatum & ſanguinem, non primo ac* προηγουμένως *hic vetita, ſed velut appendices* τῶν εἰδωλοθύτων. Sed forſan auctor ille (quod in tranſitu moneo) minus a vero receſſiſſet, modo ſuffocatum & ſanguinem idolothytorum *ſpecies* potius quam *appendices* appellaſſet.

E jam dictis apertum arbitror, hypotheſi mea conceſſa, nodos & difficultates omnes facile ſolvi poſſe, quibus expediendis interpretes hactenus incaſſum laborarunt: eam itaque non ſine ratione cæteris præferendam ſentio. Jam ad ultimam capitis hujuſce partem pedem profero.

SECT. IV.

Cur hæc ſola, & ſimul, Gentilibus interdicta ſunt.

DUO hic nobis occurrunt breviter expedienda: primo, cur hæc *ſola* non plura Gentilibus interdicta ſunt? Secundo, cur hæc *ſimul*, non duobus aut tribus decretis ſeparata, Gentibus interdicta ſunt?

Cur hæc ſola. PRIMO: cum Gentiles non minus variis inſtitutis, quam numinibus devincti eſſent; non abſurde quæritur, cur Apoſtoli, Gentilibus fidem Chriſti capeſſentibus, a quatuor hiſce Gentiliſmi ſignis & inſtitutis (non pluribus) abſtinentiam impoſuerint? [e] *Grotius* huic dubio ſic reſpondendum cenſuit: Jacobus *non cenſet monendos pios ex Gentibus de iis quæ ſatis didicerant: Deum colendum, unum, & verum, non falſos: ei omnem exhibendam reverentiam: abſtinendum a cædibus, rapinis, injuriis, adulteriis, & inceſtis: -- jus cuique reddendum: ſed de iis monet quæ diſputationem recipere videbantur, & quæ Judæos poterant offendere*, &c. Cum his paria faciunt illa [f] *Curcellæi: Apoſtoli hic agunt de rebus quæ non ſunt ita evidenter turpes, ut naturæ lumen ad illas redarguendas ſufficiat; ſed de quibus adhuc dubitare* poſſent *proſelyti Chriſtiani, an ſibi eſſent permiſſa necne, quia vulgo inter ethnicos obtinebant, nec pro peccatis habebantur.* Hiſce conſona [g] *Salmaſii*, de hoc Decreto loquentis, verba: *idcirco nec de homicidio, nec de adulterio, nec de furto hic cavetur, ab his abſtinere oportere Gentiles Chriſti fidem ſuſcepturos; quia illa crimina etiam leges Gentilium publice puniebant.* Hæc autem præter omnem veri ſimi-

a *Apoc.* 2. 14. b Ib. v. 20. c Epiſt. 1. c. 6. 7, 8, 9, 10. d *Act.* 15. 29. & 21. 25.
e *Comment. in Act.* 15. 20. f *Diatrib.* ſup. laud. c. 10. g *De trapezit. fœnor.* p. 442.

litudi-

litudinem dicta ſentio: nam Gentiles ad fidem converſi de fornicationis iniquitate du- SECT.
bitare non poterant, cum illam Romanorum leges illicitam decernerent, eique totus IV.
Evangelii tenor contradiceret. Deinde: ſi ratio illa quid ſolidi contineret, Apoſtoli proculdubio Gentiles ab aliis actionibus cohibuiſſent, quarum obliquitatem in crepera Gentiliſmi luce percipere non poterant. Ratio itaque ſentire cogit, Apoſtolos hæc neophytis e Gentibus vetuiſſe, quod ethniciſmum (proprium Gentilium errorem) ſaperent, & idololatriæ, tanquam ſigna vel cauſæ proxime conjungerentur. Cum autem aliæ multæ Gentiliſmi cauſæ & indicia fuerint, nondum ſatis explicatum eſt, cur ſententia tam ſolenni decretum ſit, ut neophyti e Gentibus ab hiſce quatuor ſolummodo temperarent. Varias itaque tam ſingularis interdicti cauſas aſſignabo, ut earum ſaltem nonnullæ ſcopum attingere cenſeantur.

Prima ſit hæc: fornicatio, & eſus idolothyti, ſanguinis, & ſuffocati, idololatriæ ritus antiquiſſimi, & ubique gentium recepti, fuiſſe videantur. Fornicationem & eſum idolothyti comites idololatriæ fuiſſe perantiquos, indicio eſt hiſtoria Iſraelitarum, cultus vitulini ceremonias hoc ritu peragentium: [a] *ſurrexerunt in craſtinc, & obtulerunt holocauſta & pacifica: & ſedit populus ad edendum & bibendum: & ſurrexerunt* לצחק *ad ludendum* vel *ridendum*. Hic populum ad feſtum ſacrificale vel epulum ex immolato participandum ſediſſe, ſatis e textu clarum: quin & confirmat *S. Lucas:* nam populi mores circa vituli cultum occupati referens, [b] εὐφραίνοντο, inquit, ea voce lætitiam in [c] feſtis uſitatam denotans. Iſraelitas etiam, in hoc feſto idololatrico, ſe fornicatione contaminaſſe, e verbo צחק haud obſcure colligendum eſt. Nam, ſi [d] *Lyræ* credimus, vox ea *ludentem, idololatrantem, coeuntem*, aut *laſcivientem* ſignificat. Eo ſenſu vocem ſumſit *Potipharis* uxor, cum pudicitiæ ſuæ attentatæ *Joſephum* incuſaret: nam maritum alloquens, *venit*, inquit, *ad me ſervus Hebræus, quem adduxiſti nobis,* לצחק בי *ut illudat mihi;* h. e. ut mihi pudicitiæ læſæ dedecus & opprobrium inferat. Hic ſenſus non male convenit cum vocabulo παίζειν, quo LXX vocem צחק [e] hic interpretantur. Nam *Anna*, ut ab [f] omni pollutione Venerea ſe puram probaret, *nunquam*, [g] inquit, *cum ludentibus miſcui me*, h. e. laſcivis & in omnem libidinem ſolutis: ibi vero vocem Græcam pro *ludentibus*, fuiſſe παιζόντων, [h] *Hammondus* noſter non abſurde conjicit; nam in hodiernis exemplaribus Græcis pars illa periodi deſideratur. Huic interpretationi non leve momentum affert [*] *Fileſacus*, ita locum explicans; "cum ait "Scriptura, *ſedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere, intellige*, ait "Tertullianus. *ſancta Scriptura verecundiam, quæ luſum niſi impudicum non ita deno-* "*taſſet*. Sic illud *Geneſis*, cap. 26. de *Iſaac* ludente cum *Rebecca*, *S. Auguſtinus*, libro "contra *Fauſtum Manichæum*, explicat. In obſcœno carmine, rum *Martiale* ac ſimi-"libus, ejus vocis innumera extant exempla. *Quintilianus* Declamatione 260, con-"ceſſos adoleſcentiæ luſus dixit. *Seneca pater*, controverſ. 2. lib. 1. ad finem. Sic "in *Sardanapali* regis tumulo, apud *Athenæum*, lib. 12. c. 7. παίζειν, ſummus Orator "*ludere* vertit. Et vox Græca non aliud indicat quam voluptatum genus omne quod "ex lautioribus epulis conſequi ſolet. Sed ne forſan hæc expoſitio quid coacti habeat, ex alio loco paulo clariore fidem jam dictis petam; nempe *Numer*. 25. 2, 3. Ubi Iſraelitæ ſacrificia *Peori* immolata participarunt, & impuram Venerem cum filiabus Moabiticis exercuerunt. Sanguinis eſus (ut eo jam tranſeat ſermo) ceremonia profana non minus antiqua fuiſſe putetur. Nam teſte [i] *Maimonide*, Deus a ſanguine cohibuit Iſraelitas, quod illius comeſtio ritus in myſteriis Dæmoniorum uſitati ſpeciem gereret, & ad idololatriam craſſiſſimam viam ſterneret. Eſum etiam ſuffocati ritibus idololatriæ vetuſtiſſimis annumerandum eſſe, e 17°. *Levitici* facile colligendum eſt. Nam ibi inter alia gentium moribus oppoſita, præceptum eſt, ut, ave vel beſtia venatu capta, ſanguinem effunderent, eumque pulvere cooperirent; ne cum Dæmonibus ſocietatem inirent, [illegible] comedentes, aut circa ſanguinem ([k] ritu paſſim recepto) conventus & epula profana celebrarent. Cum itaque ritus jam dicti tam antiqui fuerint, adeoque longe lateque proculdubio propagati; par erat, ut malis his inveteratis enixius obſtarent Apoſtoli, & id inprimis agerent, ut hæ *radices amaritudinis* Gentilium animis & moribus altius inhærentes evellerentur.

Secundo: eſus idolothyti, ſanguinis, aut ſuffocati, & fornicatio, non tantum ritus ethnici fuerunt & idololatrici; ſed ritus ipſi quibus homines olim ethniciſmo,

a *Exod.* 32. 6. b *Act.* 7. 41. c Vid. *Luc.* 12. 19. & 15. 23, 24. & 16. 19. d *Not. in Gen.* 21. 9. e *Exod.* 32. 6. f Ἀπὸ πάσης ἀκαθαρσίας ἀνδρῶν g *Tob.* 3. 14. h *Tractat. de Idolat.* §. 25. Vol. 1. p. 255. * *Select.* Lib. 1. cap. 6. p. 75, 76. i *Mor. Neb.* p. 3. c. 46. k Vid. Lib. 2. cap. 15. §. 1. 2.

SECT. IV. initiabantur, & in dæmonum aut idololatrarum ſocietatem admittebantur. Homines idolothyti comeſtione Gentium ſacris initiatos fuiſſe vel illa *Pſalmiſtæ* non obſcure docent, [a] *initiati ſunt Beelphegor, & comederunt ſacrificia mortuorum.* Idem paulo clarius evincunt *S. Pauli* [b] verba, μηδὲ εἰδωλολάτραι γίνεσθε, *neque idololatræ fiatis, ſicut quidam eorum, ut ſcriptum eſt, ſedit populus ad edendum*, &c. Sacri nempe reliquias, quod in vituli honorem obtuliſſent. His innuit Apoſtolus, Iſraelitas, ipſa idolothyti comeſtione, in idololatrarum numerum tranſiiſſe, & Vituli cultui ſeipſos addixiſſe. Ideo vero participes idolothyti dæmonis aut idoli ſacris addicti vel initiati cenſebantur, quod eo ritu [c] *menſæ dæmonis* aſſidere, eum illo fœderaliter epulari, eique familiaritate quadam conjungi & quaſi commiſceri viderentur. Fornicationem etiam initiationis idololatricæ ritum fuiſſe, teſtimonio ſit locus ille [d] Deureronomii, *non erit* קדשה *meretrix e filiabus Iſrael, neque erit* קדש *ſcortum maſculum e filiis Iſrael;* ſic enim interpretes Græci locum interpretantur, οὐκ ἔσται τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραὴλ, καὶ οὐκ ἔσται τελισκόμενος ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ· *Non erit initiatrix inter filias Iſrael, nec initiatus inter filios Iſrael.* Sic verba Græca transfero, [1] *Theodoritum* ſecutus, qui τελεσφόρος interpretatur τὴν μυσταγωγοῦσαν *initiatricem*, τελισκόμενον vero τὸν μυσταγωγούμενον *initiatum.* Aliis etiam in [e] locis, LXX קדש & קדשה *initiandi* ſenſu reddiderunt. Neutiquam autem probabile eſt, interpretes eos vocabula illa [fornicatorem & meretricem ſignificantia] ſic reddere voluiſſe, niſi quod homines olim ceremoniis impuris & libidinoſis, idoli miniſterio ſacrari & initiari ſolerent. Homines etiam ſanguinis aut ſuffocati comeſtione, dæmonis aut idoli miniſterio & religioni ſeipſos addixiſſe, non facile dubitandum eſt; cum ſanguine fœdera ſanciri ſolerent, & idololatræ (quod ſtatim oſtendo) ſanguinem in ſacris eorum peragendis frequentius uſurparent. Cum itaque fornicatio, eſus etiam idolothyti, ſanguinis aut ſuffocati, non tantum ritus eſſent idololatrici, ſed ipſi ritus illi quibus homines ſe dæmoni devotos & idoli ſervos aperte profitebantur; conſentaneum erat, ut Apoſtoli ritus hoſce primarios decreto ſingulari prohiberent, & hac ratione idololatriam in primo quaſi flore enecarent.

TERTIO: ſeculis antiquioribus, maximum Eccleſiæ periculum a ritibus illis idololatricis imminuiſſe videatur. Nam Hæreſiatchæ veteres fornicationem & eſum idolothyti, doctrina ſimul & exemplo, in mores Gentilium reducere laborarunt. Legimus eos hujus doctrinæ fermento duas e ſeptem Eccleſiis Apocalypticis infeciſſe. Conſtat etiam alios ex eodem grege doctores, dogmatis [f] hujuſce peſtem inter Chriſtianos diſperſos propagare ſtuduiſſe. Nonnullos ejuſdem dogmatis aſſertores in Eccleſiam Corinthiacam irrepſiſſe, cauſam opinandi præbet Epiſtola *S. Pauli*, qua [g] Corinthios ab idolothyto & fornicatione tam ſolicite dehortatur. Doctores eos diſcipuli ſui primarii, [Nicolaitæ, Baſilides, Saturninus, alii] ſtudioſe ſequebantur. [h] *Irenæus* Nicolaitas *indiſcrete vixiſſe* refert, *nullam differentiam eſſe docentes in mœchando, & idolothyton edere.* Baſilides & Satutninus, [i] *Euſebio* referente, docuetunt ἀδιαφορεῖν εἰδωλοθύτων ἀπογευομένους, *indifferens eſſe victimas Diis immolatas deguſtare:* & eos omnes, *qui ad perfectionem myſteriorum, quæ apud ipſos agebantur, pervenire vellent,* τὰ αἰσχρουργότατα *turpiſſima quæque perpetrare oportere; nec ſe mundi hujus principes (uti ipſi vocabant) aliter evitare poſſe*, μὴ ἄχι πᾶσι τὰ δὲ ἀῤῥητοποιίας ἀποδώσαντας χρέα· *niſi unicuique eorum debita munera per obſcœniſſimam libidinem perſolverent.* Neque veteres hæretici doctrina tantum, ſed & exemplo, homines ad idolothyta comedendum & fornicandum incitarunt. Nam (ut alios jam taceam) hæc de Valentinianis memoriæ tradidit [k] Irenæus: εἰδωλόθυτα ἀδιαφόρως ἐσθίουσι, μηδὲ μολύνεσθαι ὑπ᾽ αὐτῶν ἡγούμενοι· *Idolothyta ſine ullo diſcrimine manducant, nec iis inquinari ſe arbitrantur:--ſunt etiam qui, carnis voluptatibus ad ſatietatem obſequentes, carnalia carnalibus & ſpiritualia ſpiritualibus reddi dicunt:* καὶ οἱ μὲν αὐτῶν λάθρᾳ τὰς διδασκομένας ὑπ᾽ αὐτῶν τὴν διδαχὴν ταύτην γυναῖκας διαφθείρουσιν, &c. *Quidam etiam ex iis occulte cum mulierculis hac doctrina imbutis ſtupri commercium habent.* Horum veſtigiis inſiſtens Baſilides, *contemnere* ſolebat *idolothyta* eaque *nihil arbitrari, ſed ſine aliqua trepidatione uti eis:* habebat *etiam* ([l] Irenæum audis) *& reliquarum operationum uſum indifferentem, & univerſæ libidinis.* Nuſquam equidem aperte dicitur, hos aut alios hæreticos antiquiores eſu ſanguinis & ſuffocati ſe contaminaſſe; non quod ſangui-

a Ἐτελέσθησαν τῷ Βεελφεγώρ· *LXX. in Pſal.* 106. 28. b *1 Cor.* 10. 7. c *1 Cor.* 10. 21. d Cap. 23. 17. e *Hoſ.* 4. 14. *1 Reg.* 22. 47. f *Jud. Ep. v.* 11. *2 Petr.* 3. 17. g *Ep.* 1. cap. 5, 6, 7, 8, 9, 10. h *Adv. Hæreſ.* l. 1. c. 27. i *Hiſt. Eccleſ.* l. 4. c. 7. p. 148, 149. k Lib. 1. adverſ. *hæreſ.* cap. 1. §. 12. l Lib. ejuſd. cap. 23.

1 *Theodoritus*, *Quæſt.* 29. in *Deuter.* ita ſe habet, τελεσφόρον τοίνυν καλεῖ τὴν μυσταγωγοῦσαν, τελισκόμενον δὲ τὸν μυσταγωγούμενον.

nem & ſuffoeatum fugerent in omnem nequitiam projectiſſimi nebulones, ſed quod hæc duo, pro rebus dæmoni ſacratis habita, ſub generali τῶν εἰδωλοθύτων nomine contineti cenſeantur. Cum itaque temporibus illis homines hiſce riribus pertinacius adhærerent, & illi mala maxima Eeclesiæ naſcenti minitari viderentur; neceſſe erat ut integra ſynodus iis obveniret, & neophytos omnes ad abſtinentiam ab iis decreto peeuliari devinciret. SECT. IV.

QUARTO: Apoſtolorum ætate, Judæi cordatiores abſtioentiam ab hiſce quatuor ſatis firmum communionis fraternæ vinculum exiſtimaſſe, & nihil aliud, tanquam pietatis κριτήριον & charitatis ſundamentum, a Genrilibus converſis expectaſſe videantur. E teſtimoniis enim jam adductis innoteſcat, Judæos olim ingenii mitioris ad frarernam communinnem & ſpem vitæ æternæ Gentiles admiſiſſe (licet legem Moſaicam non obſervarent) modo ſigno aliquo ſe Dei veri cultores indicarent, & vitam pie juſteque inſtituerent. Horum opinioni, divinitus inſtructus, ſubſcribit Petrus, *Act.* 10. 34, 35. *In veritate comperi, quod non eſt perſonarum acceptor Deus; ſed in omni gente, qui* [a] *timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt ei.* Cum itaque eſus idolothyti, ſanguinis, aut ſuffocati, maxime luculentum idololatriæ ſignum, ſeculis illis haberetur; cum etiam ſornicatio Gentilium ritus ſacros & mores civiles inficeret adeö, quod peccatum ethnicorum pene proprium eſſe videretur; non ſine tatione ereditur, Hebræos abſtinentiam ab hiſce quatuor, idololatriæ & impuritatis omnis abdicatæ documentum exiſtimaſſe, eamque tanquam unicam ſocieratis & communionis fraternæ conditionem proſelytis ſuis impoſuiſſe. Hoc eo probabilius habeatur, quod [b] eſus idolothyti, ſanguinis & ſuffocati, [c] ſornicatio inſuper omnigena, piis e Genribus inter Iſraelitas habitantibus inrerdicta ſuerint. Cum itaque abſtinentia a quatuor hiſce, proſelytis Judaicis neceſſaria, & Eccleſiæ Judaicæ communionis frarernæ conditio ſatis æqua videretur; non poterant Judæi (quibus moderari aliquid) ægre ferre, quod nihil magis a Synedrio Hieroſolymitano proſelyris Chriſtianis imponeretur: neque Gentiles converſi (quid penſi habentes) ad paucula illa ſibi impoſita ſtomachari poterant, cum par eſſet ut aliquod abdicati Gentiliſmi ſignum ederent, & olim proſelyti Judaici onus tam leve ferre non tecuſarenr.

QUINTO: idolothyti, ſanguinis, aut ſuffocati comeſtio, & fornicario, ritus ethnici ſuere maxime conſpieui, & ſrequentius uſurpari. Cum enim Gentes, alios in cultu, alios in vita communi ritus exercerenr; his omnibus in cultu ſimul & converſatione civili ſrequenter urebanrur. Ut obſervationis hujuſce veritas appareat, hæc quatuor ſigillatim ſpectabimus, eaque omnia in mores ethnicotum ſacros & civiles aeeepta ſuiſſe probaturi ſumus.

IDOLOTHYTI eomeſtionem (ut inde ſermo ſumat exotdium) inter Gentiles uſitatam fuiſſe, cum religioni vacarent, & Deos oblato ſacro colerent, omnibus innoteſcit, qui antiquitatum ethnicarum ſtudium vel digito tetigerunt. Hoe etiam [d] alibi de induſtria probatum dabo. Hanc itaque penſi mei partem, ſummis digitis tactam prætereo, & a Gentilium cultu ad converſationem civilem tranſeo. Eam autem idolothyti eomeſtione eonraminari, neeeſſe ſuit eum Gentiliſmus victus humani partem longe maximam dæmonibus olim dedicaret. Majorum enim animalium carnibus, niſi Deo alicui ſacratis, tam raro veſcebantur, quod oves, boves, ſues, & ſimilia, ἱερεῖα paſſim apud auctores appellentur: eſt autem ἱερεῖον, ut exponunt [e] Grammatiei, πᾶν τὸ θυόμενον θεῷ. Neque hic ſe eontinuit ethnicorum ſuperſtitio, circa cibos oeeupata: nam iis id moris erat, ut menſis aſſidentes, partem de pane & vino ſumtam, in aram (plerunque portatilem) injicerent; aut, ſi ara non adeſſet, in foeum, aræ vice: ut hoc ritu totum quod erant comeſturi Dils ſuis conſecrarent, iiſque jure quodam hoſpirali ſe devineirent. E jam dictis, Apoſtoli verba ad Corinthlos lucis aliquid aeeeptura eenſeo; [f] *quapropter ſi eſca offendiculo ſit fratri meo, non edam carnes in æternum, ne ſim offendiculo fratri meo.* Cum enim Gentilibus familiare eſſet, carnes edendas ritu aliquo Dæmoni vel idolo conſecrare; neceſſitas inde nara eſt, ut Apoſtolus earne nulla [vel immolatiria] veſceretur. Huic autem neceſſitati ſe parere velle profitetur, potius quam frater infirmus inde ſcandalum acciperet, h. e. exemplum ejus, perperam intellectum, in argumenrum idololatriæ vel ethniciſmi probati traherer.

NEC eſus idolothyti ſolummodo, ſed etiam fornicatio omnigena, gentium RELI-

a *Per* timorem Dei *apud Hebræos* univerſus *Dei veri* cultus *declarari* ſolet. Bez. in loc. b *Lev.* 17. 8, 9, 10, 12, 13. c Cap. 18 26. d Lib. 3. *Diſſert.* 1. cap. 7. *de epulis ſacrificial.* e Vid. *Salmaſ.* de *trapez. fœnore* pag. 445. f 1 *Cor.* 8. 13.

SECT. IV. GIONEM & CONVERSATIONEM fœdiſſime contaminavit. RELIGIONEM: Gentiles enim omnia πορνείας exempla, adulterium, inceſtum, Venerem maſculam, aliaque libidinis impuræ genera, in eorum ſacris habuerunt; ut quo longius abeſſent a puritate, eo ſpiritibus quos colebant immundis gratiora redderentur. Nam auctor apocryphus, μιασμὸν, γενέσεως ἐναλλαγὴν, γάμων ἀταξίαν, μοιχείαν, καὶ ἀσέλγειαν, inter alia ſcelera recenſet, quæ inter media Gentilium [a] μυστήρια καὶ τελετὰς admittebantur. Certe *Tertullianus* fornicationem tam indiviſum idololatriæ comitem exiſtimavit, quod dicere non dubitaverit, [b] *quis immundis ſpiritibus operatus, non conſpurcatus & conſtupratus incedit?* Ob ſtupra & ſpurcitias iſtas, cultus profanos [c] *S. Petrus* εἰδωλολατρείαις ἀθεμίτοις, & auctor [d] ille vetuſtus [1] λατρείαις ἀθέοις, appellavit. Fornicationem etiam Gentilium CONVERSATIONEM peſſime polluiſſe, diſcere licet e verbis Apoſtoli, Corinthios ſic alloquentis; [e] *ſcripſi vobis in epiſtola, ne commiſceamini cum fornicatoribus: non utique cum fornicatoribus hujus mundi, aut intemperantibus, aut* [f] *raptoribus, aut idololatris: alioquin debueratis de hoc mundo exiſſe.* Quaſi dixiſſet, "fornicatorum adeo jam plena ſunt omnia, quod ex ipſo mundo vobis emigrandum ſit, ſi ab iſtiuſmodi hominum conſortio prorſus abſtinere debeatis. *S. Petrus* etiam ethnicorum mores ita paſſim corruptos & depravatos innuit, ut vir caſtus & pudicus prodigii cujuſdam inſtar, inter eorum nonnullos haberetur. Sic enim alloquitur Chriſtianos pudicitiæ ſtudioſos, [g] *non concurrentibus vobis* εἰς τὴν αὐτὴν τῆς ἀσωτίας ἀνάχυσιν, ξενίζονται i. e. tanquam ad rei peregrinæ vel prodigioſæ ſpectaculum, obſtupeſcunt ethnici. Quamvis autem ethnici longe plurimi, ſeculo Apoſtolico, fornicationi licentius indulgerent; libido veteres Oſcos aut Obſcos, Lesbios, Phœnices, Corinthios, præ cæteris infames reddidiſſe videatur. Nam Oſci vel Obſci moribus erant impudicis adeo, quod auctore Feſto, [2] *ſtupra inconceſſæ libidinis, ab ejus gentis conſuetudine,* OBSCENA *dicerentur:* & Lesbii, Phœnices, & Corinthii, Veneri tam intemperanter obſequebantur, quod vocibus hiſce proverbialibus, [h] λεσβιάζειν aut λεσβίζειν, φοινικίζειν, & κορινθιάζειν, [*fornicari, libidinari*] principium & occaſionem dederint.

SI ad *eſum ſanguinis* jam tranſeat ſermo, eum etiam in Gentilium RELIGIONE ſimul & CONVERSATIONE frequentem reperiamus.

QUAM frequens in Gentilium RELIGIONE fuerit, inde ſatis intelligitur, quod in eorum ſacrificiis, fœderibus, ritibus magicis, conviviis ſolennioribus, conſecrationis etiam ceremoniis, illius uſus obtineret. In ſacrificiis: nam [i] *Pſalmiſta*, Gentilium Deos & ſacra reſpiciens, *non*, inquit, *libabo* נסכיהם מדם [k] *libamenta ipſorum quæ ſunt e ſanguine.* His autem verbis interpretes haud ignobiles [*Vatablus, Piſcator, Grotius*, alii] Syros perſtringi ſentiunt, *ſacrificiorum ſanguinem potare ſolitos.* In fœderibus: multis enim teſtimoniis evincunt, [l] *A Lapide*, [m] *Sanctius*, [n] *Grotius*, alii, familiare fuiſſe, non Scythis tantum & aliis incultis gentibus, ſed Romanis etiam omni genere humanitatis excultis, ſanguinem in fœdere pangendo bibere. Hunc morem Dominus noſter ob oculos habuiſſe videtur, cum calicem Euchariſticum his verbis conſecraret & inſtitueret; *hic calix ſanguis eſt meus novi fœderis, bibite ex eo omnes.* Et æquum erat, ut Chriſtus in Cœnæ ſacramento, non Hebræorum tantum ſed & gentium, in idem fœdus cooptandarum, mori & captui ſeipſum accommodaret. Ritibus magicis: ad hanc rem ſic admodum accommodate loquitur [o] *Maimonides*, ad quem ſæpe provoco: *licet ſanguis immundus & impurus admodum fuerit in oculis Ethnicorum, tamen ab illis comeſtus erat, eo quod exiſtimarent hunc eſſe cibum Dæmonum; & quod is, qui eum comedit, hac ratione communicationem aliquam cum Dæmonibus acquirat, ita ut familiariter cum illo converſentur, & futura ei aperiant,* &c. Conviviis ſolennioribus: hic auctorem libri *Sapientiæ* teſtem advoco, qui [p] θοίνην αἱμάτων, *epulum*, non vini, ſed *ſanguinis*, inter alia Chananæorum inſtituta memorat. Poſtremo: ſanguinis eſus ritus erat in Gentilium conſecrationibus uſitatus, eoque ſe Dæmoni ſacrabant ethnici, vel ſacratos eſſe profitebantur. Huic aſſertioni fidem deeſſe non patitur [q] *Lactantii* [3] teſtimonium:

a *Sap. Sal.* 14.23. b Lib. de *Idololat.* c. 1. p. 86. A c 1 *Pet.* 4.3. d *Orac. Sibyl.* l. 3. p. 475.
e 1 *Cor.* 5.9, 10. f Vid. *Hammond. Not.* in loc. g 1 *Pet.* 4.4. h Vid. *Lucian. Pſeudoloẜ.* p. 898. A. i *Pſal.* 16.4. k Σπονδὰς αὐτῶν ἐξ αἱμάτων *Aquil.* l *Comment.* in lib. *Sap.* 12.4. m In *Act.* 15. §. 25. n Not. in *S. Mat.* c. 26.27. o Ub. ſup. Part. 3. Cap. 46. fol. 173. 1. p Cap. 12.5. q Ap. *Elmenhorſt.* in *Arnob.* l. 5. pag. 166.

1 *Lactantius* Libro de *ira Dei*, §. 22. provocat ad *Sibyllæ* carmina, ubi legimus λατρείαις ἀθέοις.

2 *Stupra* &c. ſunt verba *Verrii* quem *Feſtus* laudat: *Feſtus* autem diverſa eſt ſententia; addit enim, *quod verum eſſe non ſatis adducor, cum apud antiquos omnes fere obſcena dicta ſint, quæ mala ominis habebantur: ut illa Vergilii teſtimonio ſint – obſcenas volucres: &, obſcenamque famem.*

3 Vid. *Lactant. Comment.* in *Statii Thebaid.* 5. p. 221. B

monium: *in ſacris Liberi conſuetudo talis eſt, ut occiſo capro ſacrati omnes ſanguinem bibant.* SECT. IV.

SI ad ethnicorum CONVERSATIONEM aut mores civiles oculos reflectamus, in iis etiam ſanguinis uſum & eſum familiarem admodum reperiamus. Nam Gentiles aliqui (ut erant ferinis moribus, ab eo acceptis qui a principio homicida eſt) ſanguine [a] crudo & e vulnere recenti manante, ferarum ritu, veſcebantur. Alii quos humanior conſuetudo tam feros eſſe non ſinebat, a ſanguine crudo temperabant; ſed edulia e ſanguine, variis modis condito & parato, confecta ſæpe comedebant. Habebant enim [b] Romani *Lucanica* ſua, quæ erant inteſtina ſanguine farta, cum adipe, polenta, & ſpeciebus quibuſdam aromaticis. Hiſce proxime conjuncti videntur, illi *botuli cruore diſtenti*, ſupra e *Tertulliano* memorati; quibus etiam, [c] *faſtidia ut excuterent palato*, frequenter in epulis utebantur. Inter Græcorum etiam fercula αἱματίτις χορδὴ, *inteſtinum ſanguine fartum* ab *Athenæo* recenſetur. Erat etiam μιμάρκυν, i. e. [d] *Heſychio* exponente, κοιλία ἢ ἔντερα τῦ λαγώα μεθ' αἵματος σκευαζόμενα· *Animalis ventriculus aut inteſtina cum ſanguine parata.* Jus etiam nigrum illud Laconum, ζωμὸς μέλας dictum, e ſanguine parabatur, & inde (teſte [1] *Polluce*) αἱματὶς vel αἱματία dicebatur. Hæc & alia e ſanguine confecta, ſanguinem in Gentilium cibis uſitatum probant: cum etiam ſeculis antiquioribus uſurpatum evincunt [e] *Homeri* illa:

Γαςέρες αἵδ' αἰγῶν κεῖατ' ἐν πυρὶ· τὰς δ' ἐπὶ δόρπῳ
Κατθέμεθα, κνίσσης τε καὶ αἵματος ἐμπλήσαντες·

Ventres hi caprarum jacent in igne: hos autem in cœna
Deponamus, pinguedine & ſanguine cum impleverimus.

JAM ad ultimum hujus interdicti membrum [τὸ πνικτὸν] orationem confero. Hoc autem nomine cenſeri debet animal aliquod ſpiritu præcluſo neci datum, unde ſanguis ejus, intra venas & viſcera concluſus, una cum reliqua carne neceſſario comederetur.

HOC in Gentilium cultu vel moribus ſacris locum ſæpius inveniſſe, non de nihilo mihi conjicere videor, cum legam verba [f] Prophetæ, de populo ritus ethnicos exercente ſermonem inſtituentis; על הדם *ſuper ſanguinem comeditis, & oculos veſtros levatis ad idola veſtra*, &c. Quamvis enim verſio *Chaldaica*, *Alexandrina*, & *Arabica* τὸ על per *ſuper* interpretentur, vox ea per *in* & *cum*, apud *Syrum* & *Vulgatum vertitur.* Sic autem hanc vocem nunquam reddidiſſent proculdubio, niſi quod idololatræ, cultus ſui munia peragentes, non tantum carne *ſuper* ſanguine, ſed *in* vel *cum* ſanguine (id eſt ſuffocato) ſæpe veſcerentur. Hæc aſſertio plura teſtimonia non deſiderat, cum præſertim ex hoc ipſo decreto pateat, eſum ſuffocati ritum fuiſſe Gentiliſmi celebrem, & in ſacris idololatricis uſitatum. Cum enim ſatis evictum ſit, Apoſtolos ab idolothyto, fornicatione & ſanguine, Gentiles converſos una cohibuiſſe, quod ethniciſmi comites eſſent, eique proxima neceſſitudine jungerentur; nihil promptius quam ut ſuffocati comeſtionem eodem ſpectare, eam non minus indiviſum ethniciſmi comitem, eoque nomine prohibitam fuiſſe cenſeamus. Nam abſonum a ratione videtur, Apoſtolos hic ἅμαρτα commiſcere & idolothyto, fornicationi, & ſanguini, πνικτὸν comitem adjungere voluiſſe: niſi affine fuiſſet, & in ſacris idololatricis parem locum & uſum habuiſſet.

NEQUE Gentiles ad ſacra tantum, ſed & menſas ordinarias, ſuffocatum frequenter adhibebant. Moris hujus argumentum ἀναντίῤῥητον eſt, quod ejus eſum, ante legem, ſub lege, & poſt legem, interdictum reperiamus. Ante legem, *Gen.* 9. 4. *Veruntamen* κρέας ἐν αἵματι ψυχῆς *carnem in ſanguine animæ ne comedatis.* Ibi vero [g] S. *Chryſoſtomus* κρέας ἐν αἵματι de *ſuffocato* [carne cum ſanguine] non imprudenter interpretatur. Sub lege; *Levit.* 17. 13. Poſt legem: hoc nempe decreto Apoſtolico, & [h] canone Apoſtolis tributo, qui φαγὼν κρέας ἐν αἵματι [ſuffocatum] Clericis ſub degradationis, Laicis ſub excommunicationis pœna prohibet. Prohibitio tam frequens cauſam opinandi

a *Sanct.* not. in *Act.* 15. §. 25. b Vid. *Salmaſ.* ub. ſupr. p. 449. c *Arnob.* contr. *Gent.* lib. 2. p. 73. d *Ad voc.* μιμαρκυν e *Odyſ.* Σ verſ. 44. f *Ezec.* 33. 25. g Τί ἐςι κρέας ἐν αἵματι ψυχῆς; τοῦτ' ἔςι, πνικτόν· *Homil.* 27. in *Geneſ.* T. 4. Ed. *Bened.* p. 262. B h *Canon. Apoſt.* 63. apud *Bevereg. Pand. Can.* T. 1. p. 41.

1 Vid. *Caſaubon.* in *Athen.* L. 9. cap. 6. col. 657. & *Polluc.* L. 6. cap. 9. Segm. 56.

non levem præbet, ethoicos olim [1] *κρεάδια πνικτὰ* (uti vocat *Athenæus*) in cibis frequenrer habuiſſe.

Cum jam conſtet, ethnicos hæc quatnor [idolothytum, ſornicationem, ſanguinem, & ſuffocatum] in uſu ſrequentius habuiſſe; pat erat, ut Apoſtoli hæc ſola, eaque decreto peculiati, prohiberent.

Cur hæc ſimul interdicta ſunt?

Alterum quod propoſui expediendum reſtat, cur ſcilicet Apoſtoli quatuor illa, *ſimul*, & conjunctim, [non *ſparſim* potius aut lege quadruplici] prohibuerint? Hoc autem non levi de cauſa ſactum cenſeo: oam,

(1°.) Hæc quatuor, in lege Moſaica, piis e Gentibus inter Iſraelitas commorantibus, una prohibentur. Nam idolothyti comeſtio, *Levitici* 17. a verſu 3. ad 9^m^. peregrinis æque ac Iſtaelitis interdicta eſt. Ibi nempe fuſe cavetur, ne quis, animal aliquod menſæ deſtinans, ſanguinem ejus in agris effunderet, & illud eo ritu (tunc paſſim obtinente) dæmonibus offerret & conſecraret. Nam veteres ethnici religioni ſe ſatis indulſiſſe, & eorum cibum ſacraſſe crediderunt, ſi animal comedendum [a] Numinibus oſtendiſſent, aut aliquid ſanguinis [non raro cum thure] eiſdem obtuliſſent. Verbis proxime ſequenribus, ſanguinem in cibis uſurpare, non Judæi ſoli, ſed etiam Gentiles advenæ. diſtricte prohibentur: [b] *quicunque* ſuerit *e domo Iſrael, aut e peregrinis qui peregrinantur in medio eorum, qui comederit ullum ſanguinem, ſtatuam faciem meam contra animam comedentem ſanguinem*, &c. Statim poſtea Legislator indigenas & advenas ab eſu ſuffocati cohibet: *verſ.* 13, 14. *Et quicunque* fuerit *e filiis Iſrael, aut e peregrinis inter eos. qui venatione ceperit beſtiam aut avem quæ comeditur, effundet ſanguinem ejus, & operiet illum pulvere.* His verbis eſum ſuffocati prohiberi, dubitati nequit; eo quod animalcula [tam terreſtria quam volatilia] venatione capta, ſuffocatione vel (quod perinde eſt) ictu manus aut accipitris, occidi ſoleant. Deiode [paucis interjectis, de morticino & lacerato, proxime ad ſuffocatorum claſſem accedentibus] [c] varia libidinis illicitæ genera, *πορνείας* nomine generali contenta, recenſentur, eaque non tantum indigenis ſed & advenis, interdicta ſunt: his verbis oimirum, *non facies ullas ex abominationibus iſtis omnibus, indigena vel peregrinus qui peregrinatur inter vos.* Cum ira que lex Moſaica, Proſelytis Judaicis, hiſce quatuor, *ſimul* & conjunctim interdiceret; & Hebræi ſorte ſaniores, prærer abſtinentiam ab hiſce quatuor, nullum idololatriæ abdicatæ teſtimonium ab advenis expectareor; non temere mihi perſuadere videor, Apoſtolos hæc omnia Gentilibus converſis *ſimul* & conjunctim inhibuiſſe, ut innuerent, ſe Moſis inſtituta (qua ratio ſerre poterat) obſervare paratos, & iniquum eſſe ut plus oneris proſelytis Chriſtianis quam olim Judaicis imponeretur. Hæc mihi non temere in mentem venire, verba proxima non obſcure probant: [d] *Moſes enim a temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus qui eum prædicent in ſynagogis, ubi per omne ſabbatum legitur.* Quaſi dixiſſet Apoſtolus: "cum Judæi Moſen maximi ſaciant, & e "longo uſu leges ejus ad unguem teneant; par eſt, ut hæc in præſens Gentilibus ad ec"cleſiam accedentibus imponantur, quæ Moſis legibus advenis obſervanda præſcribun"tur; ut ipſi Moſem non plane contemptui habere videamur, & Gentiles idololatriæ "renunciatæ teſtimonium a Moſe probatum exhibeant, unde Judæi nobiſcum ejuſdem "eccleſiæ fideique communione conjungi non recuſent.

(2°.) Hæc Apoſtoli Chriſtianis e Gentibus una vetuerunt, forſan ut conjunctis ethnicorum fraudibus occurrerent, qui ſecerunt omnia, ne Chriſtiani convivia ſua idololatrica deſererent, adeoque Gentiliſmo & idololatriæ nuncium remiſiſſe viderentur. Nam ea ſraus prima ſuiſſe videtur, quod Chriſtianos, non ad ipſum ſacrum in honorem idoli ſactum (quo nihil vilius aut odioſius habitum eſt) ſed ad feſtivas ex oblatis epulas invitarent. Ad eas autem a nonnullis eo libentius itum eſt, quod idolum *nihil* eſſe adeoque cibos oblatos nihil inde pollutionis haurire crederent. Cum autem nonnullis fraus illa ſuboleret, ethnici conviviis illis *botulos cruore diſtentos* intermiſcere ſolebant, ut ſanguine (Dæmonum cibo) botulis illis ingenioſe diſſimulato, ab eo forre minus abſtinerent, qui carnibus immolatis veſci noluiſſent, Ar vero ſi Chriſtiani nonnulli non minus a ſanguine ſepulro in botulis quam ipſis carnibus abhorrerent, fraus altera fiebat, & in eorum gratiam aliquid *πνικτὸν* inter cætera fercula proponebatur, ut certi eſſent non ſuiſſe immolatum, cujus ſanguis effuſus non eſſet. Si quis au-

a Vid. *Fortunat. Scac. Myrothec. ſac.* P. 3. cap. 60. b *Levit.* 17. 10, 11, 12. c Vid. Cap. 18. a verſ. 1°. ad 26. d *Act.* 15. 21.

1 Vid. *Caſaubon. Animadverſ.* in *Athenæum.* Lib. 2. cap. 24. col. 135.

tem

tem πνικτὸν ſugeret, ad epulas ethnicas, ſornicationis [earum individui comiris] ille- SECT. IV.
cebris alliceretur. Hanc conjecturam repetitiooe non indignam habui, quod ſpecioſa ſit admodum, & originem ſuam [a] auctori debeat, qui ſe Decreti hujus interpretem cæteris omnibus ſacile præferendum præſtitit. De conjecturæ ramen hujuſce veritate dubitandum cenſeo, quod idololatræ, diu ante ſeculum Apoſtolicum, idolothyto, ſanguine & ſuffocato, in ceremoniis & epulis eorum profanis, uſi videantur.

(3°.) VERISIMILE eſt, Apoſtolos hæc ſeparare noluiſſe, quod Gentiles in ſacris præcipue magicis, ea plerunque conjunctim uſurparent. Cum enim de cultus profani ceremoniis occurrit ſermo, quandoque ſornicatio & eſus idolothyti, quandoque ſanguinis eſus & idolothyti, nonnunquam idolothytum, ſuffocatum, ſanguis & fornicatio, conjuncta reperiuntur.

QUANDOQUE fornicario & eſus idolothyti: hæc enim locis ſupra laudatis, non ſine lectoris faſtidio recoquendis, conjuncta vidimus. Iis etiam apprime conveniunt, quæ de ſtuptis & altaribus, meretricibus & ſacrificiis, [b] una leguntur; de cubilibus etiam in Excelſo poſitis, quibus viri & ſœminæ, peractis ſactis idololatricis, ad epularum ſimul & Veneris voluptates capiendas, accubuiſſe cenſeantur. Ideo vero [c] Gentiles, oblatis ſacris, in remplis epulari ſimul & ſornicari ſoliti ſunt, ut ſe Deum ſuum qua ſpiritum immundum colere, ſe totos (animam & corpus) ei devovere, cum eo etiam quaſi commiſceri ſe velle luculenter indicarent.

QUANDOQUE ſanguinis eſus & idolothyti ſimul interdictus eſt: nempe *Levit.* 19. 26. *Non comedetis* על הדם *cum ſanguine* vel *ad ſanguinem*. Nam lege illa *Moſes* oculos reflexiſſe creditur ad mores ethnicorum, qui, cum rem ſacram facerent, non tantum animalis immolati, ſed ſanguinis etiam delibari partem guſtare [d] ſolebant, ut utroque ritu Diis ſuis arctiore ſœdere ſe devincirent. Cum vero multorum delicatior ſtomachus a crudo ſanguine protſus abhorreret, uſu ſrequens erat, ut illi carnes immolatas *juxta ſanguinem* effuſum ederent. Hoc autem ritu, delicati illi Deorum cultores ſanguinis eſum [e] ſimulare, & ſacrorum jura ſatis obſervare cenſebantur. Ad hunc aurem ſanguinis eſum, inrer Genres poſt oblara ſacta ſrequentiſſimum, alludere videntur *Ezechielis* illa, [f] *ſic dicit Dominus, dic omni volucri & omni beſtiæ agri, congregate vos--undique ad ſacrificium meum quod ego immolo pro vobis: grande ſacrificium ſuper montes Iſrael: & comedetis carnem, & bibetis ſanguinem: carnem fortium comedetis, & ſanguinem principum terræ bibetis*, &c.

ALIBI conjuncta nobis occurrunt hæc quatuor, idolothytum, ſuffocatum, ſanguis, & ſornicario: nempe *Ezec.* 18. 6. Qui *in montibus non comederit, & oculos ejus non levaverit ad idola domus Iſrael, & uxorem proximi ſui non pollueris*. &c. Hic duo tantum, eſus idolothyti montibus uſitatus, & fornicatio, [nam *adulterium* ea voce notari dixi] clare & aperte memorantur. At verbis hiſce ſanguinis & ſuffocati comeſtionem tacite ſignificari, non ſacile dnbitandum eſt; cum ſanguis & ſuffocatum cultus in [g] montibus peracti ſocii ſemper individui ſuerint, & locus [h] ille parallelus ſanguinis & ſuffocati mentionem non obſcuram faciat: *qui cum ſanguine*, [id eſt, ſuffocatum] *editis, & oculos veſtros levatis ad idola veſtra, & ſanguinem* [i] *effunditis*, ad bibendum. Hunc ſenſum auctoritate ſua munivit *Syrus*, ſic textum interpretatus: "cum "ſanguine comeditis, oculos veſtros ad idola veſtra attollitis, ſanguinem bibitis, &c. Duplex autem ratio (ne quis miretur) aſſignari poteſt, cur idololatræ, convivia ſacrificalia celebrantes, non ſanguinem tantum biberent, ſed etiam ſuffocatum (incluſo ſanguine pollutum) ederent: Nam primo: nonnulli e Diaboli convivis a ſanguinis eſu, tanquam odioſo & inhumano, prorſus abhorrebant; ideoque neceſſe fuit, ut iis πνικτὸν [caro una cum ſanguine cocta] apponeretur, ne aliter faſtidiens eorum ſtomachus epulis idololatricis intereſſe recuſaret. Deinde, veteres idololatræ ſuffocatione plurimum animalcula, [k] venatione capi ſolita, vita privaſſe videantur; ut ea Numinibus ſuis hoc ritu conſecrarent, & ipſi cibum idolis hac ratione ſacratum participarent. Hæc autem ſuffocata menſis & conviviis eorum appoſuerunt idololatræ, quod idolis eſſent oblata, & nonnulli cibis hiſce delicatioribus ineſcati, conviviis illis eo libentius ſe præſentes exhiberent.

a *Alex. Mor.* loc. ſup. citat. b Vid. *Ezec.* 23. 41. 2 *Reg.* 23. 7. *Hoſ.* 4. 13, 14. c *Ezech.* 16. 24
d Vid. *Maimon. Mor. Neb.* Part. 3. c. 46. col. 173. 1. e *In ſacris, quæ exhiberi non poterant, ſimulabantur: & erant pro veris.* Serv. in Æneid. l. 4. v. 512. f Cap. 39. 17, 18. g Vid. Lib. 2. c. 15. §. 1, 2, 3.
h *Ezec.* 33. 25. i *Καὶ αἷμα ἐκχεῖτε* Lxx in loc. k *Lev.* 17. 13.

CAP. IV.

CAP. IV.

Adverſa diluuntur argumenta.

UT ordinem mihi præſcriptum proſequar, proximo ſententiam meam ab argumentis in contrarium allatis liberare debeo. Si quid autem mihi præſentire contigit nonnulli contra ſententiam meam objectionum acie ſunt pugnaturi. Hujus autem anteſignani ſunt quinque;

Arg. 1m. NAM primo: dicet forte non-nemo, vix poſſibile fuiſſe ut vel fornicatio vel ſanguinis eſus idololatriæ teſtes aut indices haberentur, cum olim utraque paſſim apud homines Veneri vel gulæ deditos obtinerent; nec, ſi quis ſtupro vel ſanguinis eſu ſeipſum polluiſſet, ſciri poſſet, an id fecerat, ut carni indulgeret, an ut numini alicui fictitio cultum exhiberet. Hæc itaque ſententia fundameoto levi & lubrico niti videatur.

Sol. NON eſt quod hoc argumentum opinioni meæ fidem detrahat, cum fornicatio ad idololatriam & ethniciſmum ſpectans, ab eodem flagitio ad libidinem tantum explendam perpetrato, variis circumſtantiis diſcerni poſſet:

(1°.) LOCO: nam fornicatio idololatrica, in ipſo templo, luco, monte vel antro ſacro, in altaris etiam vicinia, non raro perpetrata eſt. Hoc multis Antiquorum teſtimnniis evinci poſſet, niſi nos hoc onere levarent, [a] *Marsinus de Roa*, [b] *Sanctius*, [c] *Henricus Urſinus*, aliique. Cum itaque Gentiles Dei templum polluerent, & ad ritus ſuos ethnicos transformarent; enrum ἀσωτία καὶ κῶμοι *luxus & conventus impuri* primo [d] memorantur, & ipſi ἐν τοῖς ἱεροῖς περιβόλοις *in ipſis templi porticibus* ſtupri conſuetudinem cum fœminis habuiſſe perhibentur.

(2°.) GRADU & menſura: Gentiles enim omnia πορνείας genera, adulterium, ſcortationem, inceſtum, Venerem maſculam, & alia [[e] inſaniæ potius quam] lididinis exempla, ſuis in ſacris habuerunt. Auctor itaque carminum Sibyllinorum, *hominum ab idololatria converſorum mores*, tanquam propheta, referens, inquit,

> ——[f] μετὰ δ' ἔξοχα πάντων
> Ἀνθρώπων, ὁσίης εὐνῆς μεμνημένοι εἰσὶν
> Καὶ πρὸς ἀρσενικοὺς παῖδας μίγνυνται ἀνάγνως,
> Ὅσσάτε Φοίνικές τ', Αἰγύπτιοι, ἠδὲ Λατῖνοι.
>
> ——*Deinde*,
>
> *Ante omnes homines, ſancti meminere cubilis:*
> *Nec maribus pueris ſcelerate congrediuntur,*
> *Sicut Phœnices, Ægyptuſque, atque Latini.*

(3°.) COMITE: nam idololatræ non raro cum ſcorto [uti audiebat] *ſacro*, id eſt, impura fœmina, numinis alicujus fictitii ſacris initiata, eique miniſtrare ſolita congrediebantur. Inde vero nullum dubitationi locum relinquebant, quin ſcelus illud in honorem numinis alicujus impuri perpetrarent. Hoc modo populus Iſraeliticus, in honorem idoli *Peor*, ſe ſcortari teſtabatur: nam fœminas quibuſcum illi miſcebanrur, Græci quidem θυγατέρας tantum Moabi, at S. *Cyrillus* eas ἱερείας vocat τὰς τοῦ Βεελφεγὼρ ἱερείας *mulieres ſacrificas Baal-Phegor*. Eodem conſilio diu poſtea עם הקדשות [g] *cum* [1] *initiatis ſacrificaverunt*, id eſt, cum fœminis [h] *impietatis ſacris imbutis & inſtructis*; ut ſcilicet, impuris harum fœminarum amplexibus, ſe libidinem in honorem profani numinis exercere, teſtatum darent.

(4°.) ADJUNCTO: nam fornicatio ritibus idololatricis accenſenda cum epulo ex idolothytis facto plerumque jungebatur. Proximus ab idolothytorum eſu gradus ad Venerem inconceſſam eſſe conſuevit, diſtento ventre novos libidini ſtimulos adjiciente. Moris hujuſce teſtem ſe præbuit *Chaldæus Paraphraſtes*, jam laudata Prophe-

a *Singular*. P. 1. lib. 2. cap. 10. b *Comment*. in *Hoſ*. 4. §. 66, 67. & in *Baruc*. 6 §. 39. c *Quæſt. Biblic*. §. 27, 28, 29. d 2 *Mac*. 6. 4. e *Quid de eis dicam, qui abominandam, non libidinem, ſed inſaniam — exercent?* Lactant. Inſtit. l. 6. c. 23. f Lib. 3. pag. 450. g Μετὰ τῶν τετελεσμένων ἔθυον LXX. in *Hoſ*. 4. 14. h Τετελεσμένας δὲ καλεῖ τὰς τὰ τῆς ἀσεβείας ὄργια μεμυημένας· *Theodor*. in loc.

1 Vid. pag. 568.

tæ

tæ verba [*cum initiatis ſacrificaverunt*] ſic interptetatus; *ipſi cum meretricibus ſocietate ſe jungunt, & cum ſcortó comeſſantur & potant.* Huic mori conformis *Jezebel* Apocalyptica, neophytos πορνεῦσαι [a] docuit & εἰδωλόθυτα φαγεῖν· Ex eo more profectum eſt forte, quod multi pſeudochtiſtiani, cum Chriſtianorum agapis intereſſent, *oculos haberent* [b] μεστοὺς μοιχαλίδος *plenos adultera:* quaſi ſacras illas epulas ethnicis affines exiſtimarent, aut eas, ad morem epuli idololatrici, cujus appendix plerunque fornicatio, celebrare vellent. CAP. IV.

(5°.) FREQUENTIA: nam fornicatio tam frequens erat inter idololatras, eorumque moribus & myſteriis arcte adeo jungebatur, quod ethniciſmo vigente, totus pene mundus in magnum quoddam lupanar abiiſſe videatur. Uſus ille late propagatus in cauſa fuit, quod Apoſtolus [in [c] epiſtolis pene omnibus] adhortationes ad vitandam fornicationem ingerat. Et ex eo more inter idololatras frequentato profectum eſt, quod *Oraculorum Sibyllinorum* auctor fugam idololatriæ per Veneris illicitæ fugam [d] explicet, cum ait,

> [1] Φεύγετε λατρείας ἀδίκους· τῷ ζῶντι λάτρευε·
> Μοιχείαν πεφύλαξο, καὶ ἄκριτον ἄρσενος εὐνήν·
>
> *Viventem colite, & cultus vitate profanos:*
> *Confuſumque maris lectum fuge, adulteriumque.*

Et [e] alibi, cultus Dei veri, turpitudini cum maſculis & fœminis patratæ ex adverſo ponitur,

> ———βλέψουσι δ' ἑνὸς θεοῦ εἰς μέγα κῦδος,
> Οὔτε φόνον ῥέξαντες ἀτάσθαλον,———
> Οὐδ' ἄρ' ἐπ' ἀλλοτρίης κοίτης πόθον αἰσχρὸν ἔχοντες,
> Οὔτ' ἐπὶ ἄρσενος ὕβριν ἀπεχθέατο στυγερήν τε
>
> ———*Suſpicientque Dei decus unius ingens,*
> *Nec diram facient cædem,*———
> *Nec vetitum alterius cupient fœdare cubile:*
> *Maſcula nec turpi maculabunt corpora tactu.*

De hoc autem argumento ſuperius ad ſatieratem dixiſſe videar.

SANGUINEM quod attinet, fieri non potuit quin illius eſus hominem in ethniciſmi & idololatriæ affectatæ ſuſpicionem adduceret, cum Gentium prope omnium conſtans eſſet & immota ſententia, *dæmones veſci ſanguine;* cum etiam omnes ſanguinis, crudi vel cocti, comeſtores, dæmonum cibum participare, iiſque fœdere & familiaritate quadam conjungi crederentur.

SECUNDO: mihi forſan & hoc argumentum opponent alii: ſi hæc omnia cultus idololatrici ſigna tam aperta fuiſſent, & cum eo tam arcte cohæſiſſent; Apoſtoli proculdubio nunquam ſcripſiſſent Gentilibus, ab idololatria non ita pridem converſis, ut ab eorum uſu temperarent. Cum enim idololatriæ paulo ante renunciaſſent, nihil periculi ſuberat, ne ad mores idololatriæ conjunctiſſimos tam cito relaberentur. Arg. 2m.

IMO vero multum erat periculi, ne Gentiles noviter convetſi ad ritus illos idololatticos denuo deſciſerent: nam (1°.) E [f] ſcripturis apparet, haud paucos Chriſtianiſmum profeſſos carnes immolatitias in ipſo εἰδωλείῳ comediſſe; & ad omnem Ethniciſmi turpitudinem ſe denuo contuliſſe. Horum typi fuiſſe videntur Iſraelitæ, quos *Baalam* ad eſum idolothytorum & fornicationem [g] ſeduxiſſe dicitur. Hæc autem exempla clare docuere, Gentiles qui ſe Chriſti legibus addixetant, ad fidem mutandam lubricos eſſe, adeoque opus eſſe, ut non præcepto tantum, ſed & ſolenni decrero, a ritibus idnlolatriam olentibus arcerentur. (2°.) Veriſimile eſt, multos e Gentilibus illis fide Chriſtiana non niſi leviter imbutos fuiſſe, & adhuc in ethniciſmi & Chriſtianiſmi quaſi confinio ſtetiſſe. Cum enim multi e Judæis ad Chriſtum converſi, ita fidem Sol.

a *Apoc.* 2. 20. b 2 *Pet.* 2. 14. c 1 *Cor.* 6. 15. 2 *Cor.* 12. 21. *Epheſ.* 5. 3. *Coloſ.* 3. 5. *Hebr.* 12. 16. d Lib. 3. pag. 475. e Lib. 4. p. 489. f *Apoc.* 20. 2 *Pet.* 2. 21, 22. g *Num.* 25. 1.

1 Apud *Lactantium*, Lib. de *ira Dei*, §. 22. ita legimus.
Φεῦγε δὲ λατρείας ἀνόμους, Θεῷ ζῶντι λάτρευε·
Μοιχείας τε φύλασσε, καὶ ἄρσενος ἄκριτον εὐνήν·

CAP. IV. Chriſtianam amplecterentur, ut etiam plurimum fermenti Judaici retinerent; facile credatur, multos e Gentilibus ita Chriſtianiſmum recepiſſe, ut ethniciſmum non prorſus abdicarent. Niſi itaque decretum illud ſanxiſſent Apoſtoli, quod neophytos in loco tam lubrico ſtantes confirmare poſſet; facile fuiſſet impoſtoribus (eo ſeculo [a] ψυχὰς ἀστηρίκτους ineſcare ſtudentibus) eos de gradu dejicere, & ad ethniciſmum iterum amplexandum ſolicitare. (3°.) Hæc omnia tam diu obtinuerant, ut in hominum non tam mores quam naturas abiiſſe videantur. Religio profana mundum pene univerſum diu inceſſerat; & ethnici religionis illius myſteriis, fornicatione, convivio ſacrificali, vel eſu ſanguinis, initiati fuerant. Hoc nullos niſi vetuſtatis ethnicæ plane rudes latere poteſt. Lapſus autem in religionem illam, vel ſaltem illius ſigna rituſque præcipuos, uſu longo confirmatos, tam pronus faciliſque fuit, ut opus eſſet Decreto tam ſolenni, Synedrii totius Hieroſolymitani ſententia ſancito, ad ſtabiliendos Gentilium infirmiorum animos.

Arg. 3m. Tertio: hoc forſan urgebunt aliqui, minime probabile eſſe Concilium Hieroſolymitanum abſtinentiam ab hiſce quatuor Gentilibus præſcripſiſſe, quod idololatriæ affectatæ ſpeciem gererent, & iis qui in Chriſtianiſmo nondum adoleverant, occaſionem præberent ad idololatriam deficiendi; eo quod multi alii ritus eſſent, non minus cum idololatria conjuncti, quos Apoſtoli prohibere debuiſſent, ſi ea ratione ducti novis gentium Chriſtianis abſtinentiam ab hiſce quatuor impoſuiſſent. Cuivis autem Apoſtolorum ſcripta vel limis oculis intuenti pateat, eos nullos ethniciſmi ritus alibi diſerte prohibuiſſe.

Sol. Huic objectioni triplici reſponſo ſatisfaciam: (1°.) Apoſtoli, cum hoc decretum condebant, id imprimis in animis habuiſſe videntur, ut inſtituta Gentilium in uſu maxime familiari poſita prohiberent. Volebant ſcilicet ut Gentiles χριστιανίζοντες non tantum ab idololatriæ crimine abhorrerent, ſed omni criminis tam tetri ſpecie; adeoque moribus eorum quotidianis nihil adhæreret, quod Judæos a propiore conſuetudine cum illis arceret, aut ſcandalum daret infirmioribus inter Chriſtum & Baalem adhuc hæſitantibus. Cum autem cibis nihil familiarius eſſet, aut obſervationi magis obnoxium; tria illa, [ſanguinem, ſuffocatum, & immolatum] vetuerunt: ut abſtinentia ab iis indicio eſſet, ſe nihil cum idololatris commercii habere, nec quicquam Gentilium moribus ineſſe, unde Judæis aut ethnicis aliquid offendiculi naſci poſſet. (2°.) Gentiles adhuc parvuli fuerunt, nec paſſa eſt eorum infirmitas, ut omnes antiqui Gentiliſmi reliquiæ protinus e medio tollerentur. Hac de cauſa, Chriſtus Apoſtolis, Apoſtoli multa Patribus & Epiſcopis eccleſiæ, docenda & reformanda reliquerunt; ut ſcilicet hominum infirmitati ſeipſos attemperarent, & ea traderent quæ rudibus & ſeveritatis Evangelicæ nondum patientibus allubeſcerent. Cum autem fides Chriſtiana radices altiores egiſſet, & in hominum animis diſciplinæ ſeveriori ſatis apta maturitas appareret; Eccleſiæ patres aliis inſtitutis idololatricis (prout uſus exigeret) eorum leges & canones oppoſuere. Veritatis hujus argumentum eſt Conſtitutio illa perantiqua, quæ decretum hoc Apoſtolicum imitari videtur; [b] ἀπέχεσθε οὖν [1] πάσης τῆς τῶν εἰδώλων πομπῆς, φαντασίας, πανηγύρεως, συμποσίων, καὶ πάσης θέας δαιμονικῆς, &c. *Abſtinete igitur ab omni idolorum pompa, præſtigiis, conventu, conviviis, & ab omni ſpectaculo dæmoniaco*, &c. (3°.) Libere magis quam vere dicitur, nullos alibi Gentiliſmi ritus in Apoſtolorum ſcriptis interdictos inveniri poſſe. Nam *Rodolphus Gualterus*, Apoſtoli verba de coma & veſtitu explicans; [c] magna, inquit, *erat* in Corinthiis *ſuperſtitionis culpa, quod eodem habitu, & fortaſſe iiſdem quoque geſtibus, in cœtibus ſacris uterentur, quibus a pueris in gentiliſmo aſſueverant. Et hoc potiſſimum ſpectaſſe videtur Apoſtolus, quando viros aperto capite, mulieres autem velato orare & prophetare jubet. Nam* Plutarcho teſte, *ſolebant viri inter gentes, & inprimis ii qui Romanorum legibus vivebant, Deos ſuos velatis capitibus adorare*, &c. — *E contra mulieres fere paſſis capillis ſacra celebraviſſe*, e Virgilio *& aliis colligi poteſt. —— Quia ergo non tam luxu quam ſuperſtitione peccabatur, & hac etiam in re ethnicorum atque infidelium ſimiles erant ii qui Chriſto nomen dederant*, S. Paulus *hanc cauſam diligenter tractat, docens tam viros quam mulieres decere, ut modeſtia & honeſtati in habitu quoque ſtudeant; imprimis autem, ut inter ſacra Chriſtiana ne habitum quidem gerant cum infidelibus & idololatris communem.* Ejuſdem ſententiæ

a 2 *Pet.* 2. 14. b Vid. *Conſtit. Apoſtol.* l. 2. c. 62. c *Comment.* in 1. ad *Cor.* 11. 4, 5.

1 *Alter. Cod.* ἄλλης *qui & poſtea pro* δαιμονικῆς *habet* σατανικῆς *quæ oſtendunt* (inquit Joan. Clericus) *Librariorum aut Criticorum audaciam.*

Pareus

Pareus erat, in locum eundem ſic ſcribens; *Judico, Apoſtolum hic reprehendere non ſimpliciter comam aut pileum viri prophetantis, ſed* κακοζηλίαν, *quod vel Philoſophorum more comati ad ſacra prodirent, vel paganorum ſacerdotum ritu quaſi ſacrificaturi, caput mitris redimirent.*

Arg. 4tm. QUARTO: dicent forte nonnulli, doctos hactenus, nec ſine ratione, cenſuiſſe, Apoſtolos hæc e Moſis inſtitutis excerpſiſſe, & Gentilibus Chriſti fidem profitentibus obſervaoda præſcripſiſſe, ne Moſem plane contemnere viderentur, adeoque facilius & familiarius cum Judæis, qui in ceremoniis Moſaicis adhuc hærebant toti, verſsrentur, eoſqoe tandem Chriſto lucrifacerent. Hanc enim ſententiam, per ſe probabilem, duplici ratioue firmare ſolent: nam primo, quid (inquiunt) Apoſtoli præcepta Moſaicis tam ſimilia Gentilibus injungereot, uiſi ut Moſi hoooris aliquid exhiberent? Quid etiam leges, præcipue de cibis inſtituerent, niſi quod cibi in familiari couverſatione frequentius occurrerent; & Apoſtoli obſtacula omnia remota cuperent, quæ impedire poterant, quo minus Judæi cum Chriſtisnis e gentibus amice viverent, & utrique tandem in religionis unius communionem coaleſcerent?

Solvitur. HANC equidem ſententiam inter Doctos noo diffitendum eſt paſſim obtinere, verum ut eis aſtipuler induci nequeo. Cum enim Judæi conteoderent, legem integram obſervatu neceſſariam eſſe, nullo modo credi poteſt, abſtinentiam tantum ab idolothyto, fornicatione, & ſanguine, rigidiores eorum animos emollire vel placare poruiſſe. Nec minus a fide diſtat, Apoſtolos Moſaica nonnulla Gentilibus imponere voluiſſe, eo ipſo in concilio, quo (conſenſu publico) decretum erst, oous legis Moſaicæ cuſtodiendæ non eſſe cervicibus eorum impooendum, qui Chriſto nomina tradidiſſeot. Præterea: cum ea controverſia mota eſſet, ao Gentilibus iocumberet legem obſervare; Apoſtoli, litis arbitri, de fornicatioue & ſuffocato reſponderunt, quæ vix ullam cum re præſente cognationem agnoſcere videbantur. Quid autem hujuſmodi reſponſum redderent Apoſtoli, niſi quod Gentiles couverſos præcipue ſpectarent, quos ab ethniciſmi affectati, msgis quam Judaiſmi contempti, ſpecie & ſuſpicione remotos eſſe; quos etiam Gentilibus infirmis, magis quam Judæis pertinacibus, ſeipſos accommodare voluerunt? His accedat, quod nil cauſæ fuit, cur Judæi a Gentilibus, tanquam Moſis contemptoribus abhorrerent, & cum iis eo nomioe familiariter converſari recuſarent, niſi a rebus hoc decreto vetitis abſtinerent. Nam idolothyta (quæ ſcilicet hic præcipue prohibentur) non niſi unico legis loco, eoque paulo obſcuriore, prohibentur; nempe *Exod, 34. 15. Ne forte fœdus ineas cum* habitatoribus *terræ, & cum Diis ſuis ſacrificant, quis te vocet, & comedas de ſacrificio ejus.* Cum autem hoc præceptum, de non comedendis idolothytis, non expreſſum eſſer, ſed obſcurius inſinuatum; proculdubio Judæi paulo humaniores Gentilibus hac in parte nonnihil indulgerent, nec ſtatim in crimen vocarent eos, quaſi Moſem plane contemnerent, niſi ab idolothytis abſtinerent. Neque, ſi Gentiles quandoque fornicati fuiſſent, æquum erat, ut iis legis Moſaicæ plane contemptæ dica ſcriberetur; nam fornicstio non tam legem ceremonialem (quæ tum in quæſtione verſabatur) quam morslem violavit, & fidei Chriſtianæ præcones hoc peccatum ſæpiſſime perſtrinxerunt; ideoque fieri uon potuit, ut apud Judæos, æqui rectiqe tenaciores, Chriſtiani, fornicationis cauſa, Moſis contemptores haberentur. Neque par erat, ut nota illa Geotilibus, cætera piis, inureretur, ſi quando ſuffocatum ederent; cum iis morticinum & laceratum (quibus ſanguinis haud parum ineſt) comedendi licentia [a] concederetur. Nec minus ioiquum erat, ut Moſis contemptores audirent converſi Gentiles, niſi a ſanguinis eſu ſe continerent; cum præceptum ſanguinis eſum prohibens Moſe multo antiquius eſſet, & ipſos *Noæ* filios obligaret.

RATINNES ad opinionem adverſam firmandam adductæ mihi nil ſolidi habere videntur: cum enim idololatræ coævi Apoſtolis, iiſdem fere ritibus & inſtitutis, quibus idololatræ Moſi σύγχρονοι uterentur; rationi par erat ut Apoſtoli [non minus quam Moſes, idololatriam abolere ſtudentes] præcepta quædam Moſaicis affinia traderent. Cum etiam Gentiles, animi idololatriæ dediti, vel ab ea alieni, teſtimonium frequentius & appertius in *cibis* exhiberent; par erat ut cibis, uſu idololatrico præter cæteros contaminatis, Gentilibus interdicerent. Sed hæc forte lectori faſtidium pariant, cum hanc ſententiam alibi de induſtria refutaverim.

Arg. 5tm. QUINTO: hic forſan inſtabunt adverſarii, dicentes, opinionem meam omnem inter Capitis hujuſce partes conſenſum, & συμφωνίαν tollere. Nam in Capitis exordio controverſiam inter Apoſtolos & Chriſtianos aliquot e Judæis motam legimus, de ne-

a Deut. 14. 21.

CAP. V. ceſſitate legis obſervandæ a Gentilibus, qui ſe Chriſtianorum cœtibus & legibus adjunxiſſent. Cum autem controverſia illa, ex utriuſque partis conſenſu, ad presbyterii totius Hieroſolymitani arbitrium referretur, reſpondiſſe dicuntur: [a] *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hac neceſſaria: ut abſtineatis ab immolato, & ſanguine*, &c. Quænam autem conjunctio inter quæſtionem & reſponſum intercedit, ſi Judæi de lege ſervanda, Seniores autem de idololatria tantum cavenda, locuti cenſeantur, & immolatitia, ſanguinem, & cætera prohibuiſſe, non quatenus lege vetita fuerint, ſed idololatriæ ſigna?

Diluitur. Huic objectioni reſponſio prompta eſt & facilis: tantum abeſt, ut notio noſtra inter Capitis hujuſce partes aut membra χάσμα faciat, quod ea tantum conceſſa omnia conſentient, & inter ſe belle cohærebunt. Hoc facile percipiat lector, ſi in animo ſecum conſideret, quali rerum ſtatu verſata eſt eccleſia, cum hoc decretum conderetur. Tunc enim Judæi multi, Chriſtianiſmo licet initati, legem urgebant obſervandam, tanquam unicum ſalutis conſequendæ medium, & communionis fraternæ vinculum: Apoſtoli vero Gentiles ab eo onere ferendo prorſus immunes aſſerebant, ne diſciplinæ Moſaicæ ſeveritate deterriti, molliorem ethniciſmum Chriſtianiſmo præferendum judicarent. Difficile vero fuiſſet Concilio illi, niſi δεξιῶς, inter hæc diverſa ſtudia & pugnantes ſententias, ita medium tenere, ut non in alterius partis offenſionem incurrerent. Cum autem S. *Petrus* & S. *Jacobus* luculentis argumentis eviciſſent, multos e Gentibus jam converſos eſſe, multos etiam e Gentibus propediem convertendos; tandem unanimi Concilii conſenſu decretum eſt, ut Gentiles a legis obligatione quidem liberi dicerentur, ita tamen ut ad abſtinentiam ab idolothyto, fornicatione, ſuffocato & ſanguine ſe devinctos intelligerent. Hoc autem prudenti temperamento curatum eſt, ne quid offenſionis acciperent nuper e Gentilibus facti Chriſtiani, quibus Apoſtoli quatuor ſolummodo Moſis inſtituta, eaque ex mera charitate & pro ratione temporum obſervanda præſcripſerunt. Hac etiam ratione, Judæi (quibus aliquid æquioris ingenii) demulceri, & Chriſtianorum ſocietati conciliari poſſent. Cum enim præceptum eſſet, ut ab hiſce quatuor, utpote ſignis idololatricis in uſu maxime frequenti poſitis abſtinerent; facile percipere poſſent, Apoſtolos a legis quidem obligatione & materia præcipua, non autem fine & uſu (idololatriæ ſcilicet abolitione) curando, Gentiles abſolviſſe. Nec fieri potuit, ut Judæi (niſi zelo Phariſaico accenſi) Gentilium ſocietatem fugerent, cum illi *a pollutionibus illis idolorum* abſtinerent, adeoque præcipuam [b] *Legis juſtitiam* (idololatriæ fugam atque odium) in ſeipſis *completam* indicarent.

Ita jam ſalebras omnes e medio ſuſtuliſſe videar, ut hæſitandi cauſa nulla relinquatur.

C A P. V.

Error eorum coarguitur, qui, hoc Decreto nixi, ſanguinis eſum Chriſtianis illicitum arbitrantur.

NEMINI jam obſcurum eſſe cenſeo, Concilium Hieroſolymitanum hoc Decretum ſtatuiſſe, ut Gentiles, ethniciſmi reliquias adhuc retinentes, ad veram religionem reformaret, eoſque ab iis imprimis inſtitutis ethnicis cohiberet, quibus olim Dæmonis myſteriis initiari ſolebant, quibus etiam ſe communionem intimiorem cum illo colere profitebantur.

His aperte confirmatis, facile videre eſt, hoc Decretum primævam obligandi virtutem amiſiſſe, cum illius inſtituendi cauſa jam ceſſaverit, & ritus hoc Decreto vetiti in oblivionem abierint. Hoc equidem præceptum Apoſtolicum nos hodieque teneret, ſi inter Gentes vivere contingeret, quæ moribus utuntur ethnicis, & immolatum, ſanguinem, & ſuffocatum, res Dæmoni ſacras habent, & eorum eſum ſocietatis initæ cum Dæmonibus argumentum arbitrantur. Ita cenſuit [c] *Turrianus:* cum enim *Illyricus* negaret, *ritus univerſales obſervandos eſſe*, dicens, *cur non ſervatur, abſtinere a ſanguine & ſuffocato*, juxta *decretum ab Apoſtolis toti Eccleſiæ injunctum?* Reſpondet ille: *immo vero ſervandum eſt; & ſervatur, ubicunque inter gentes* vivitur, *quæ idola adorant, & immolatitia* edunt. Cum in loco tam triſti res eſt, hoc decretum ſervari debet, ne ſanguinis aut ſuffocati comeſtio hominum infirmiorum conſcientiæ damno eſſet; & iis

a Act. 15. 28, 29. b Rom. 8. 4. c Ub. ſupr. Explanat. Conſtitut. Apoſt. p. 82. * 3.

instar

CAP. V.

inſtar teſtimonii religionis ethnicæ videretur. Sed in tam diſſimili rerum ſtatu verſamur hodie, quod idolorum veterum nomina vix innoteſcant, *idolothyta* jam vulgi captum excedant, & laboret hiſtoriæ fides, ut ſanguinem aut ſuffocatum olim Diabolo ſacrata fuiſſe credamus. Evanuit itaque hujus Decreti cauſa, nec magis Chriſtianos obligare poteſt, quam leges illæ Judæos, de lana & lino, hœdo in lacte matris cocto, tonſura orbiculari, & hujuſce ſortis aliæ; quibus ferendis mores idololatrici, jam prorſus aboliti & oblivioni traditi, occaſionem præbuerunt.

Hoc decretum nulli obligationis æternæ ſancitum.

His autem prorſus ignoratis, aut pro nihilo habitis, quodvis Eccleſiæ ſeculum multos peperit, qui Decreto huic obligandi poteſtatem in ſecula duraturam tribuerunt; exiſtimantes, Apoſtolos ideo hoc decretum ſanxiſſe, ut legem illam ante-Moſaicam, de non edendo ſanguine, vigori ſuo priſtino reſtituerent, eoſque ſanguinem & ſuffocatum, ſimpliciter & ipſorum cauſa vetuiſſe; non quod Gentilium ſacra cultumque ſaperent. Atque hæc opinio, rudioribus Chriſtianiſmi ſeculis, tam late propagata eſt, quod Chriſtiani plerique [cum Occidentales, tum Orientales] hujus decreti Apoſtolici reverentia ducti, a ſanguinis eſu temperaverint. Hinc anſa data [a] *Curcellæi* verbis; *ſi quo in dogmate gloriari liceat de traditionis univerſalitate & conſtantia, iſtud eſt vel inter prima*, SANGUINE NON LICERE VESCI. Neque hoc dogma [de illicito ſanguinis eſu] inter Antiquos tantum, ſed & aliquos, inter ævi recentioris Chriſtianos, patronos reperit. *Chriſtianus Becmannus* in eo defendendo Exercitationem ejus 26. impendit integram. *Curcellæus* etiam Diatriben ſcripſit, qua nervos ingenii ſui intendit omnes, ut huic Decreto vim perpetuam aſtruat, & ſanguinis eſum Chriſtianis interdictum probet, & ad barbaros ablegandum. Eo & [b] *Grotii* ſententia, quod miror, inclinaſſe videtur. Sed quid loquor hoſce privatæ ſortis homines, cum Eccleſia Græca & Æthiopica ſanguinis eſum damnent, & hoc decreto [nondum exoleto] nobis interdictum judicent? Græcam ita judicare, res notior eſt quam quod fidei meæ teſtes afferre debeam. Sic & Eccleſiam Æthiopicam opinari, dubitare non ſinunt eruditi *Ludolfi* verba, de *Habeſſinis* [c] dicta: a ſanguine & ſuffocatis abſtinent, non vigore legis Moſaicæ, ſed ſtatuti Apoſtolici in Eccleſia Orientali ſemper, in Occidentali per multa ſecula, obſervati, & in Conciliis nonnullis repetiti: noſque reprehendunt, quod id in deſuetudinem paſſi fuerimus venire.

Horum argumenta ad ſtateram vocantur.

QUAMVIS autem hæc ſententia de tot ſeculorum & hominum conſenſu gloriari queat, aperte profiteor me nullam ſcire, tam fallacem veri ſpeciem præ ſe ferentem, & ratione omni ſolidiore minus inſtructam & communitam. Hoc facile percipiat quiſpiam, ſi rationes [ex hoc decreto plerunque depromptæ] ad opinionis hujuſce patrocinium adductæ diligentius examinentur.

NAM (1°.) In hoc Decreto, quatuor illa [non adiaphora, ſed] *neceſſaria* vocantur ab Apoſtolis. Sic enim repetitum occurrit, verſ. 28. *Nihil vobis oneris imponendum duximus*, ἀλλὰ τῶν ἐπάναγκες τούτων *præter hæc neceſſaria; ut abſtineatis ab idolothyto, & a ſanguine*, &c. Hinc οἱ ἐξ ἐναντίας multa cum fiducia colligunt, hanc legem nunquam abrogandam, ſed ad extrema ſeculi conſummati tempora duraturam. Si enim hæc mandata temporaria tantum fuiſſent, & durante tantum ſeculi more vel ſcandali metu Gentiles obligaſſent, minime digna videntur, quæ S. Synodus *neceſſariorum* titulo cohoneſtaret.

IN expedito reſponſio eſt: erant hæc præcepta [ſi demas unum] natura quidem adiaphora, ſed ſi finem & uſum ſpectemus, ex æquo neceſſaria. Cum enim Apoſtoli libertatem maximam [a lege nempe Moſaica, ciborum præcipue diſcrimine] Gentilibus indulſiſſent, ἐπάναγκες erat ut monerentur, iis non concedi πορνείαν, idolothytum, ſuffocatum, & ſanguinem; ne libertate ſua ad infirmorum ſcandalum & propriam ipſorum perniciem uterentur. Eam itaque intra certos limites reſtrinxerunt, caventes ne fornicationi (vulgari, ne dicam religioſo Gentilium vitio) fræna laxarent; nec idolothytum, ſanguinem & ſuffocatum (cibos tunc temporis infames) edendi licentiam ſumerent. Adeo, ut hæc præcepta (de cibis nempe) non eſſent ἁπλῶς & natura ſua, ſed ob conditionem temporum & hominum infirmitatem, obſervationis neceſſariæ. Hoc ex ipſis Apoſtolorum verbis non difficulter intelligitur: *viſum eſt nobis nihil oneris vobis imponere, præter neceſſaria hæc, ut abſtineatis*, &c. Quaſi dixiſſent: „nihil „oneris Judaici vobis imponi volumus, libertatem a lege Moſaica vobis integram aſ„ſerentes: pauca quidem præcepta Moſaicis affinia, vobis jam tradimus: ſed quæ „temporum conditio *neceſſaria* fecerit, & quæ nunquam ſancita fuiſſent, niſi neceſſi-

a *Diatrib. de eſu ſang. cap.* 13. b Vid. Grot. in Act. 15. ... *Hiſt. Æthiop. lib.* 3. *cap.* 6.

CAP. V.

tas a ſeculi moribus orta poſtulaſſet. Hæc paraphraſis eo minus a loci ſenſu devia cenſeatur, quod præceptorum moralium & in æternum obligantium neceſſitas adeo clara ſit, & oculo cuivis purgato maniſeſta, quod illa nuſpiam *neceſſaria* vocentur. Huic etiam paraphraſi fidem conciliat auctor *conſtitutionum* [a] *Apoſtolicarum*, qui ſic textum legit, *viſum eſt nobis nihil ultra imponere vobis oneris*, πλὴν τούτων τῶν ἐπ' ἀνάγκαις *præter hæc ex neceſſitatibus* aliquot imponenda. Nec infrequens eſt, ut ratio temporis id neceſſarium faciat, quod ſua natura indifferens eſt, & extra limites alicujus mandati poſitum.

(2°.) Aliud opinionis hujus argumentum ex eo ducitur, quod in hoc decreto, ſanguis & ſuffocatum cum fornicatione & idolothyto conjungantur. Cum autem ſanguis & ſuffocatum in eundem prohibitorum cenſum cum rebus aperte neceſſariis a concilio ſanctiſſimo referantur; rationi par eſt, ut ea quoque, neceſſaria [non adiaphora & pro tempore prohibita] cenſeantur. Hoc argumentum palmarium habet *Curcellæus*: nam *fornicationis*, [b] inquit, *prohibitio valde turbat eos, qui putant hic ſolum agi de rebus indifferentibus, quæ non niſi propter offendiculi metum ſunt vitandæ*. Et poſtea: proculdubio *Apoſtoli* fornicationem *non fuiſſent in Conſtitutione ſua adhibituri, ſi de rebus natura ſua indifferentibus, & propter ſcandalum ſolum vitandis, tractaſſent*.

Hæc equidem difficultas diu multumque torſit eruditos & erroribus ingentibus occaſionem dedit. Olim enim [c] nonnulli, ſanguinem & ſuffocatum pro rebus indifferentibus habentes, fornicationem etiam in rerum indifferentium ordine ponendam cenſuerunt: nam dixiſſe videntur, quæ mens aut ratio fuit Apoſtolis, ut hæc eodem ſpiritu prohiberent, niſi res indifferentes eſſent, & cognatione quadam naturali jungerentur? E diverſo: nonnulli fornicationem inter illicita & a moribus Chriſtianis ablegandа numerantes, ſanguinem etiam [ejusdem interdicti membrum] illicitum & abhorrendum exiſtimarunt. Utrique vero graviter errarunt, hujus decreti rationem & ſcopum ignorantes: cum enim Apoſtoli decretum hoc ad idololatriam ejusque ſpeciem omnem eliminandam facerent non tam ad rerum hic vetitarum naturas, quam Gentilium cultus, animos adverterunt; & conjunctim hæc omnia prohibuerunt, quod idololatræ in eorum ſacris, his præcipue, ſæpe conjunctim, uterentur. Hanc ſententiam tam perſpicuis aſtruximus argumentis, quod minime dubitamus, quin nobiſcum ſentiet, quiſquis attentius ea penſitaverit. Deinde: mirum videri non debet, quod fornicatio cum rebus indifferentibus, in hoc decreto, conſocietur; cum obvium ſit, eam, una cum [d] aliis ethnicorum actionibus (per ſe nec bonis nec malis) interdictam invenire. Hoc itaque argumentum ad nihilum recidit, quod adverſarii nullis machinis convelli poſſe ſomniarunt.

(3°.) Hac etiam ratione cauſam ſuam tuentur adverſarii: notum eſt omnibus, in Eccleſiæ monumentis non plane peregrinis, [e] hanc obſervationem *de abſtinendo a ſanguine & ſuffocato ad extrema fere uſque tempora* manſiſſe, & eccleſiam Chriſtianam hoc decretum, cum nulla veteris idololatriæ veſtigia ſupereſſent, ſacrum & inviolabile cenſuiſſe. Si itaque res ad arbitrium eccleſiæ referatur, neceſſe eſt, ut huic decreto vim obligandi perpetuam tribuamus, & a ſanguine, tanquam cibo Chriſtianis interdicto, religioſe temperemus.

Fatendum eſt quidem, eccleſiam primitivam, per aliquot annorum centurias, huic edicto ſe morigeram præbuiſſe: tunc enim paſſim vigebat Ethniciſmus, & par erat, ut eccleſia illa ſe ab omni cibo & more contineret, qui Gentiliſmum olebat, eique adblandiri videbatur. Interea vero decreti ratio [f] *Georgii Calixti* verbis aſſentiri cogit: *huic edicto ſatis diu in eccleſia primitiva obtemperatum fuit, & diutius forte quam opus fuiſſet, aut requireret intentio Apoſtolorum, & ſcopus quem illi ſibi propoſuerant*. Hoc autem inde veniſſe cenſeo, quod in eccleſiis aliquibus Evangelium gradus lentiores faceret, & multi, fidem profeſſi, diu ſemipagani remanerent; vel quod multi, ad morem tantum diu receptum attendentes, a ſanguine temperarent. Sed, utut olim ſe res habuerit; in aperto eſt, eccleſias omnes (unam & alteram excipias) jam a multis annorum centuriis, eſum ſanguinis licitum habuiſſe, & ſe canone illo Apoſtolico ſolutas exiſtimaſſe.

(4°.) Nonnulli hac ratione perſuaſi, ſanguinis eſum nobis hodieque vetitum, & hoc interdictum nondum abrogatum ſentiunt; quod ſcilicet in Scriptura ſacra nul-

a Lib. 6. cap. 12. b *Diatrib. ſup. laud. c. 50.* c [illegible] *Socrat. Hiſt. Eccl.* lib. 5. cap. 22. p. 299. 4. d *Vid. Lev. 19. 19, 20. Rom. 14. 6. Amos 2. 7, 8. Rev. 2. 20.* e *Salmaſ.* ub. ſup. p. 450. f *Expoſ.* in *Act.* 15. 20. p. 60.

lum

lum tempus aut terminus illius obligationi ſtatuatur, nec poſſibile ſit, ullum tempus in ſpecie definire, quo primum hoc interdictum Apoſtolicum vigoris ſui jacturam fecerit. Si dicatur, inquit [a] Curcellæus, *interdictum* illud *vigorem ſuum tamdiu ſolum retinuiſſe, quamdiu fuerunt infirmi, qui illius tranſgreſſione offenderentur, -- obligat adhuc hodie. Nam multi ſunt nunc Chriſtiani, qui iſtius mandati tranſgreſſione graviter offenduntur: non tantum omnes Græci, -- ſed plurimi pii & religioſi homines paſſim in Germania, Gallia, Anglia, & alibi; quibus æquum eſſet* hac *in re* nos *accommodare. Ne quid dicam de Judæis, -- quibus grave præbetur ſcandalum, cum vident Chriſtianos præcepta toti humano generi in Noacho tradita pedibus quaſi conculcare.* CAP. V.

Ictus & ille ſententiam meam inconcuſſam reliquit: cum enim Gentiliſmus ejusque ritus huic interdicto occaſionem dederint, ille vero, hic citius, alibi ſerius evaneſceret & Evangelio locum cederet; impoſſibile erat, ut Apoſtoli, decreti hujus obligationi, certos aliquos temporis aut loci terminos aſſignarent. Conſtat itaque Britannos (apud quos ethniciſmus nondum forſan exoleverat) hanc legem Apoſtolicam, ad ſera usque [b] *Bedæ* tempora coluiſſe; cum teſtetur [c] S. *Auguſtinus* eam; inter Africanos, ante ſeculum quartum, a vigore ſuo primævo excidiſſe. Nec abſurde creditur, in Eccleſiæ cujuſque poteſtate ſitum eſſe, determinare, quando legi illi ſatis obſequii datum ſit, & quando rationes publicæ requirunt ut ei diutius obtemperetur. Lex ea proculdubio poteſtatem obligandi retinuit, cum idololatræ paſſim obvii fierent, qui ſanguinis eſu ſe dæmonum ſocios & idololatriæ ritibus initiatos indicabant; cum etiam infirmi [i. e. ab idolorum cultu recens converſi, & in fide vacillantes adhuc] implerent omnia. Sub ea nempe tempora magni intererat, ut fideles e Gentibus ſanguinem & ſuffocatum pati zelo & faſtidio fugerent; ne cibi dæmonum participes haberentur, & eorum exemplum (perperam intellectum) infirmis illis πρόσκομμα fieret, iisque Gentiliſmi probati argumentum videretur. Quod ad *infirmos* attinet a *Curcellæo* memoratos, non eo loco haberi debent, ut quis eos abſtinentia a ſanguine demereri ſtudeat. Apertum eſt enim, paucos admodum (ſi cum Eccleſia Catholica conferantur) ab eorum partibus ſtare, a ſanguinis eſu nihil incommodi infirmis illis redire poſſe, illos etiam *pios & religioſos homines* non ſe gerere pro infirmis in eccleſia Dei: nam Græci omnes ab Occidentalibus abhorrent, eos per contemptum [d] αἱματοφάγους, id eſt *ſanguivoros* appellantes: *Curcellæus* ipſe dicere non dubitavit, *Chriſtianos* [eſu ſanguinis] præceptum *toti humano generi in Noacho* traditum *pedibus quaſi conculcare*: multi etiam alii, quibus religio eſt veſci ſanguine, fratres eorum (ſi quando ſanguinis eſui indulgentes) iniqua cenſura vexant, quaſi præceptum Apoſtolicum inſuper haberent, & ventri potius quam Domino inſervirent.

(5°.) Nonnulli decretum hoc juris perpetui ſentiunt, adeoque ſanguinis eſum Chriſtianis interdictum; quod rationi conſentaneum videatur, [e] ut Deus omnia ad primævam puritatem revocaret, ut Chriſtianos ad obſervandas leges ipſis Noæ filiis datas obligaret, & ut hominum valetudini caveret, quæ ſanguinis eſu læditur. Atque hæc ratio majoris æſtimanda videtur, quod etiam [f] Veteres aliqui dixerint: Deum ſanguinis abſtinentiam præcepiſſe, quod *ſit gravis, terreſtris, & multarum ægritudinum cauſa, ſi comedatur.*

At rationes illas veri tantum ſpecie fucatas eſſe, vel hebes oculus facile percipiat. Nam cui non abſurdum videtur, Deum ſanguinis eſum ſub Evangelio vetuiſſe, ut ad puritatem Noachi temporibus obtinentem omnia revocaret; cum ſanguini nihil impuritatis inſit, & Chriſtus in nova creatione [g] *omnia pura*, prout Deus in veteri *omnia bona*, pronunciaverit? Et quis tam iniquus Evangelici ſtatus æſtimator eſſe poteſt, ut ſentiat Chriſti diſcipulos, non minus quam Noachi filios, legem ſanguinis eſum prohibentem, tanquam humanitatis magiſtram deſiderare? Quis etiam, cui vel uncia cerebri, ſibi perſuadere poteſt, Deum ſanguinis eſum in ſecula vetuiſſe, quod ſuccum gravem & ſanitati prorſus inimicum pariat; quaſi Chriſtiani tam hebetes eſſent & gulæ tam abſurde dediti, quod ſanguinem (niſi lege reſtricti) comedere vellent, tantæ licet intemperantiæ culpam ſanitatis jactura certo luituri?

Cum itaque argumenta, ab opinionis hujuſce patronis allata, rationis examen pati non poſſint, abſit ut credamus, Apoſtolos hoc decretum ea mente feciſſe, ut legibus Moſaicis (de ſuffocato & ſanguine) novas vires adderent, & Chriſtianos ab

a Ub. ſup. cap. 12. b Vid. *Salmaſ.* ub. ſup. p. 452. c *Cont. Manich.* lib. 32. c. 13. Tom. 8. col. 457. C d *Curcel. Diatrib.* laud. p. 972. e *Curcel.* ub. ſup. cap. 9. & 15. f Λέγουσι γάρ τινες βαρὺ καὶ γεῶδες καὶ νοσῶδες εἶναι τὸ τῶν ἀλόγων αἷμα· *S. Chryſoſt. Homil* 27. in *Geneſ.* Ed. *Bened.* T. 4. p. 263. A g *Tit.* 1. 15.

7 T eorum

CAP. IV.

eorum eſu in ſecula cnhiberent. Anue enim rationi convenit, opinari Apoſtolos legem de vitando ſanguinis eſu figere voluiſſe, ceſſante jam veteri rerum Oeconomia, ciborum diſcrimine jam per Chriſtum abolito, cultu jam tradito (cætera naturæ & rationi conſentaneo, ipſa legis hujuſce materia multos forte ſcrupulos, nihil autem commodi hominum animis allatura, & (quod caput eſt) ſanguinis oblatione tunc abrogata vel ſtatim abroganda? Cum enim leges Moſaicæ de non comedendo ſanguioe & ſuffocato, ad religionem ſacrificiorum pertinerent, & ideo datæ eſſent, ut [a] ſanguini (præcipuæ victimarum parti) digoitatem & honorem eximium aſſererent; ſi Apoſtoli Gentiles Chriſti ſacris initiatos ad eas obſervandas obligaſſent, cauſam juſtam nimis dediſſent opinandi, ſacrificiorum cultum, etiam poſt Chriſti mortem duraturum, & brutorum ſanguinem, etiam poſt effuſum ſummi ſacerdotis ſanguinem, aliquid virtutis & dignitatis retinere.

Diſſertationi finis imponitur.

HÆC ea ſunt quæ ad hoe, Concilii omnium facile ſanctiſſimi, decretum explicandum dicenda cenſui. Eo vero libentius & diligentius in eo illuſtrando verſatus ſum, tum quod argumenti vicioitas ad id me invitaverit, tum etiam quod [b] Antiqui nos hic in meris tenebris reliquerint, & Recentiores plerique multum laboris & tædii hic fruſtra devoraverint.

a *Levit.* 17. 11, 12. b *Quis non miretur, ne antiquos ita hic de nobis meritos, ut certi aliquid pronunciarent?* Heinſ. in loc. Exerc. Sacr. pag. 300. 30.

DISSERTA-

DISSERTATIO
IN
DISTICHON ILLUD VEXATISSIMUM,

Ecce negas, juraſque mihi per TEMPLA TONANTIS,
Non credo: jura, Verpe, per ANCHIALUM.

Qua ob ARGUMENTI ſimilitudinem, fuſe agitur de juramentis apud [a] *Martialem* memoratis.

PRÆFATIO.

CUM in eo jam ſim, ut ritus moresque Judæorum, a Gentibus acceptos, & in juramentis ipſorum uſitatos illuſtrarem; cum re præſenti conjunctum eſt, jam dicto *Martialis* diſticho lucem fœnerari, cum præſertim argumento meo cognatione propinqua jungatur, & carminum eorum ſenſus & intentio tot virorum doctorum indaginem eluſiſſe videatur. Ut autem carminibus hiſce lux clarior affulgeat, par eſt ut rei totius exordium altiuſcule repetatur.

SIC itaque ſe habuit res tota quæ carminibus illis occaſionem adminiſtravit: Rumor in vulgus Rnmæ ſpargebatur, poetam quendam Judæum, *Anchialum*, *Martialis* puerum Sodomitice corrupiſſe. Arguit eum *Martialis*, quod ipſe ſcelere tam tetro ſeipſum contaminaret, cum præſertim in ipſis *Solymis* natus eſſet, adeoque ſanctior & purior haberi vellet. Judæus interim, ut criminis tam horrendi, forſan etiam capitalis, odio ſeipſum liberaret; factum negavit, & verborum ſuorum fidem, juramento per Jovem Tonantem concepto, firmare ſtuduit. *Martialis* autem, eum ſubleſtam Judæi fidem probe ſeiret, hujus juramentum pro nihilo habuit, addens:

Non credo: jura, verpe, per ANCHIALUM.

Rem hanc *Martialis* diſticho cauſam præbuiſſe, lector e verbis proxime præcedentibus haud ægre colligat,

Illud me cruciat, Solymis quod natus in ipſis;
Pædicas puerum, verpe poeta meum.
Ecce negas: juraſque mihi per TEMPLA &c.

Cum autem ex antedictis verborum occaſio ſatis intelligatur, nodos qui ſuperſunt, hoc ordine ſervato, conabor expedire. (1°.) Doctorum ſententiæ de juramento per *Templa Tonantis* erroris arguuntur. (2°.) Illius juramenti ſenſus genuinus explicatur, & ratio redditur cur *Martialis* illud nullius æſtimavit. (3°.) Sententiæ de *Anchialo*, paſſim receptæ, recenſentur, & rejiciuntur. (4°.) Auctoris opinio de *Anchialo* Theſibus aliquot exponitur & confirmatur. (5°.) Cur *Martialis* juramentum per *Anchialum* juramento per *Templa Tonantis*, tam facile præferendum cenſuit. De his omnibus ordine differendum eſt.

a Libr. xi. *Epigram.* 91.

SECT. I.

S E C T. I.

Doctorum ſententiæ de juramento per Templa Tonantis, *erroris arguuntur.*

CIRCA ſenſum horum verborum inter doctos multum diuque diſceptatum eſt. Eos autem tres opiniones præcipue diviſos habuere:

PRIMA, *Seldeni*, *Farnabii*, [a] *Hammondi*, & aliorum eſt; nempe Judæum poetam per *Templa Tonantis*, templum Hieroſolymitanum intellexiſſe, & auguſtum ejus incolam, qui ſolus de cœlo tonare novit. Nam *per Templum Dei*, vel *Dei Tonantis*, ioquit [b] Seldenus, *mihi juraſſe videtur*, id eſt בבית אלה הרעם *quod Ebræi de Templo Hieroſolymitano intelligebant.* Atque huic opinioni ſuſtentandæ fulcrum non unum excogitavit: nam (1°.) Hujusmodi jusjurandum ad illius Judæi perfidi ratiooes maxime aptum erat & accommodatum. Sententia ſcilicet impia, diu ante *Martialis* ætatem, inter magiſtros inoleverat, juramentum per Templum plane inane fuiſſe, nec jurantis conſcientiam obligaſſe. Hoc e [c] Domini verbis conſtat: *væ vobis duces cæci, qui dicitis, ſi quis per Templum juraverit, nihili eſt.* (2°.) *Tonantis* nomen Judæo illi præſto eſſe potuit, cum tonandi facultas Deo, eique ſoli, in Scriptura non raro tribuatur. Id ſcire licet e 1 *Sam.* 2. 10. *Pſal.* 29. 3. *Job.* 40. 9. *Pſal.* 77. 18. & 104. 7. & aliis Scripturæ locis: (3°.) Non erat e more Romano, per Jovis templa jurare; ſed per ipſum Jovem aut Jovem Lapidem: ideoque conſuetudo Romæ recepta locutionem illam, *Templa Tonantis*, de Jovis delubris interpretari vetat. (4°.) Cum hac ſententia bene quadrat reſponſio *Martialis.* Cum enim Judæus ille, pæderaſtiæ ſuſpectus, crimen illud, per *Templa* jurans, denegaſſet; *Martialis* ei fidem abnuit, ſtatim reſpondens, *non credo.* Hujus autem reſponſi ſenſus, aut fallor, huc redit: "probe novi, vos Judæos gentem eſſe ad omne genus libidinis projectiſſimam: ſcio itidem, vos per Templum juratos, nulla religione vel perjurii metu teneri ſolitos, voſque hoc juramento frequenter incautos fallere. Cum itaque juramento illi ſpecioſo nihil non doli & perfidiæ ſubeſſe ſoleat; palam & aperte profiteor, me nihil fidei tibi, per Templum tuum jurato, tribuendum exiſtimare.

QUAMVIS autem hæc opinio tot patronis & argumentis innitatur, non poſſum a meipſo impetrare, ut ei aſſenſum præbeam. Nam (1°.) Vix eſt ut credamus, quenquam e Judæis per Templum Dei jurare voluiſſe *Martialis* ævo, qui *Domitiano* σύγχρονος erat; cum *Titus* diu antea Templum funditus evertiſſet: veriſimile eſt enim quemvis opinionem ſiniſtram de tali juramento habiturum. (2°.) Creditu difficile eſt, juramentum hac verborum formula conceptum [*per Templa Tonantis*] inter Judæos olim in uſu fuiſſe; cum nulla iſtius veſtigia, vel in veteri Teſtamento, vel in ſcriptis Hebræorum hodie reperiantur. (3°.) Judæus ille ſibi perſuadere vix potuit, *Martialem* poetam quid fidei juramento mere Judaico dare voluiſſe, cum ille totam Hebræorum fidem cultumque dicteriis inceſſeret, ipſum Judæum jam *verpum* vocaret, & eo nomine præcipuum religionis Judaicæ ſacramentum in contemptum traheret.

SENTENTIA ſecunda eorum eſt, qui per *Templum Tonantis*, Capitolium, Templum Jovi Tonanti ſacrum, intelligendum ſentiunt. Ea ſententia præ cæteris arriſit [d] auctori nupero, qui cum repetita dediſſet illa carmina *Martialis*, continuo addit, *per Templa Tonantis intelligo Jovem Capitolinum, cui juramento ſacro obligabantur Romani: at Judæorum conceptum jusjurandum erat per Deum viventem.* Ad hanc ſententiam firmandam rationes aſſerri poſſunt haud facile contemnendæ: nam (1°.) Capitolium templum erat Romæ ſtructum, Jovi tonanti ſacrum, quod etiam templa quævis alia ſanctitate & magnificentia ſuperare, eaque omnia in ſe uno quaſi complecti, cenſebatur. Hiſce conſona *Maronis* illa, *Æn.* 3. v. 84.

Templa Dei ſaxo venerabar ſtructa vetuſto.

Templa Dei, i. e. Delubrum magnificum, Romæ ſtructum, & Jovi Capitolino dedicatum. (2°.) Titulus ille *Tonantis*, Jovi datus, aliique ſimiles, in ſcriptis Græcis & Romanis paſſim obvius eſt; cum tamen Deus, eo titulo notatus & diſcretus, nuſquam in Scriptura reperiatur. Jupiter, in ſcriptis Græcis ζεὺς βρονταῖος, & ζεὺς ὑψιβρεμέτης,

a *Annot.* in *Mat.* 23. 16. b *Lib.* de *Succeſſionibus*: *Proleg. pag.* 10. c Ap. S. *Mat.* c. 23. 16.
d *Henric. Kipping. Antiq. Roman. l.* 1. *p.* 50.

in

in ſeriptis Latinis, *tonant*, *fulgurator*, *fulminator*, frequenter appellatur. [a] *Horatius* exemplum nobis exhibet, his verbis, SECT. I.

> *At cum tonantis annus hibernus Jovis*
> *Imbres niveſque comparat:*

Cum hiſce non parum cognati habent [b] *Apuleii* illa, *Jupiter -- dicitur & fulgurator, & tonitrualis, & fulminator.* Hiſce plane gemina & germana habet [c] *Arnobius*, ſiee more Romano gentes alloquens; *ergone*, *iterum dicam*, Jupiter *tonans*, *fulgurans*, *fulminans*, *& nubila terribilia conducens.* His, ne in re trita nimius ſim, addam tantum inſcriptionem altaris a [d] *Grutero* memoratam; JOVI FULMIN. FULG. TONANTI RUSTIUS. &c. *dedicavit.* Adeo ut, quantum e jam dictis intelligo, titulus ille merum ethniciſmum ſapere, & iode principium petere videatur. (3°.) Probe norat Judæus ille ſua multum intereſſe, ut *Martialis* gratiam & ſavorem obtineret, & ita juraret ut illius verba fidem apud *Martialem*, æmulum ejus, invenirent. Ut autem hoc effectum daret, neceſſe habuir, ethnici perſonam induere, Judaiſmum ejus diſſimulare, & (eum Romæ jam ageret) Jovem Capitolinum, non *Deum Hebræorum*, innocentiæ ſuæ teſtem advocare. Se nempe perſuaſum habuit, *Martialem* juramento tam ſacro fidem facilius adhibiturum, & hac ratione ſe *Martialis* ethnici gratiam facilius initurum.

QUAMVIS autem hæe omnia veri ſpeeiem ferant, multa faciunt quo minus pro certis & indubitatis habeantur. Nam (1°.) Judæorum lege non magis vetitum erat pejerare, quam Deorum exterorum nominibus inter jurandum uti. Sic enim [e] lege ſacra ſancitum legitur, *non memorabitis nomen Deorum alienorum: non audietur ex ore tuo.* Non eſt autem vel ſimile vero, Judæum illum, timidum licet & nullius fidei virum, legem ſuam violare ſimul & pejerare voluiſſe. (2°.) Non minus a fide alienum eſt, Judæum illum, per *Jovis Templa* jurantem, contribules ſuos Romæ degentes irritare voluiſſe. Norat enim proculdubio, plagas multas, e [f] legis forenſis præſcripto, ei debitas cujus ex ore שם עבודה זרה *nomen Dei alieni* audiretur; & gentem illam zeloticam plagas eas infligere voluiſſe, nec conſultum eſſe (ſi cutem ſuam curaret) crabrones illos irritare. (3°.) Ne quidem veri ſpeciem præ ſe fert, Judæum illum poetam, *Martialis* æmulum & adverſarium, eum tam ſtudioſe colere voluiſſe, ut ejus gratia non verbis tantum, ſed etiam juramentis ad gratiam comparatis uteretur. Norat nempe Martialem *petulanti ſplene cachinnonem* eſſe, & hoe vel aliud quodvis jusjurandum, pro joco tantum & ludo habiturum.

TERTIO: quidam, hiſce forte rationibus inducti, ſe perſuaſos habent, Judæum illum, non per Jovem tantum Capitolinum, ſed Deos Deaſque omnes, juramentum præſtitiſſe. Nam per *Templa* jurans, Deos Deaſque, Templorum illorum incolas intelligere, eoſque teſtes advoeare cenſeatur. Alias enim (uti probabilius interpretor) per *Templum* potius quam *Templa* jurare voluiſſet. Deinde: cum *Martialis* Judæum illum crimine tam infami oneraſſet, ut nec ora nec oculos hominum ſuſtinere potuerit, ſi pro vero haberetur; conſentaneum eſt exiſtimare, eum per Jovem, per templa, per Deos Deaſque omnes, jurare voluiſſe, ut ſe purgaret, & a *Martialis* æmuli ſcommatis ſeipſum liberaret. Quamvis autem & hæc opinio colore ſuo minime deſtituta ſit, ei nil firmi vel ſolidi ſubeſſe judico: nam [g] lege ſacra proſpectum erat, ne Judæi *nomen Deorum aliorum* religioſe *commemorarent*, *neque jurarent per eos*, *aut ſervirent eis; ſed Domino Deo ſuo adhærerent.* Noluit itaque Judæus ille, ſi quid ei ſanæ mentis ineſſet, in legem & religionem patriam tam graviter committere, ut Deorum Dearumque omnium nomina commemoraret, & eorum omnium fidem teſtaretur: nam hac ratione ſe peſſimi nominis idololatram probaſſet, & facinus non niſi ſanguine ſuo purgandum admiſiſſet.

a *Epod.* 2. b Lib. de *Mundo*: p. 752. c *Adverſ. Gent.* lib. 4. p. 140. d *Inſcript.* Lib. pag. 21. 6.
e *Exod.* 23. 13. f *Selden.* de *Succeſ. Proleg.* pag. 10. g *Joſh.* 23. 7, 8.

SECT. II.

SECT. II.

Juramenti per Templa Tonantis *ſenſus illuſtratur, & ratio redditur cur* Martialis *illud nullius æſtimavit.*

DUCTIS argumentis jam allatis, opiniones antedictas de ſenſu & ſcopo juramenti hujus, ut argutiora tantum commenta, rejiciendas arbitror. Proximum eſt, ne forte lectoris expectationi jam deſim, ut ſententiam meam de re tam perplexa & impedita in medium proferam. Si itaque fas eſſet verum conjecturis aſſequi, dicerem, Judæum illum, per *Templa Tonantis* jurantem, perfide & doloſe ſe geſſiſſe, nec ſenſum aliquem certum & determinatum in animo continuiſſe; cum id unum curaſſe & ſtudioſius egiſſe videatur egregius ille fallendi artifex, ut verbis ad fraudem & fucum faciendum maxime accommodatis uteretur. Ut expediam paucis: Juramenti ſui formulam ſic ad Romanorum, Judæorum Romæ viventium, & *Martialis* forte, guſtum & ingenium attemperare ſtuduit; ut apud Romanos religionem fidemque ſuam diſſimularet, apud Judæos (omnia candidius in fratribus eorum interpretari ſolitos) gratioſus eſſet, & apud *Martialem*, æmulum & accuſatorem ejus, gratiæ forſan & fidei nonnihil obtineret. In hanc ſententiam variis inducor argumentis: nam

(1°.) HÆC jurandi formula (ſi quis curatius attendat) frontem tam dubiam & incertam præ ſe fert, ut ad fraudem dolumque facta & quaſi nata videatur. Cum enim per *Templa*, & *Templa Tonantis*, juraret, apud Romanos proculdubio, verba illa de *Jove* capientes, religionem fidemque ſuam ſubdole diſſimulabat, & pro Gentili habebatur: notat etiam ſe tali juramento Judæorum ſuorum malam gratiam nullatenus initurum, cum ſolus Deus ſupremus dignus ſit qui *Tonans* audiat; & Templum nuper Hieroſolymis exciſum *Templa*, potius quam *Templum*, dici meruit, ſi gloriæ & magnificentiæ ſuæ ſingularis ratio habeatur: cum etiam gentium delubra *Templorum* nomine dignati, adeoque Deos Deaſque omnes teſtari, eoſque juramenti temerarii vindices agnoſcere videretur; id egit, ut eundem cum *Martiale* Deum & ſacra colere crederetur, & hac arte felleum illius animum emolliret, & a ſeipſo minus averſum redderet.

(2°.) HUIC opinioni pondus addit ipſa Judæorum conſuetudo, qui Romæ vitam agebant ætate *Domitiani*, qui religionem & originem ſuam tegere ſolebant & diſſimulare, ne fiſcum ſibi gravem, aut Romanos infenſos, experirentur. Hoc intelligere licet e [a] *Suetonii* verbis: *præter cæteros Judaicus fiſcus acerbiſſime actus eſt: ad quem deferebantur qui veluti profeſſi, Judaicam intra urbem viverent vitam, vel diſſimulatâ origine impoſita genti tributa non pependiſſent.* Hæc autem hiſtoriola cauſam opinandi præbet, hunc etiam Judæum vafre & ſubdole ſe gerere, & ipſius naturam, fidem, originem & mores infames, ullis ſimulationum involucris tegere voluiſſe.

(3°.) MARTIALIS ipſe nullam huic Judæo, vel Juramento ſuo, fidem adhibendam cenſuit. Hoc e verbis ejus [*non credo*] clare ſatis intellectum eſt. Cur autem *Martialis* hujuſmodi juramentum nullius æſtimaret, & illius Judæi fidem, juramento licet tam ſacro firmatam, ſuſpectam haberet, hæc ſola ratio videtur aſſignanda. Promptum erat *Martiali* Judæi hujus ingenium e doloſæ gentis uſu metiri, cum præſertim hoc ipſum juramentum ſenſus tam varios admitteret, ut vel inde ſuſpicioni locus eſſet, illud ad fraudem potius quam fidem inducendam excogitatum fuiſſe. Cum itaque *Martialis* juramento ſuo tantum *non credo* tam moroſe regerit, nil vetat quo minus illius verba ſic interpretemur; "nullus dubito quin dolis inſtructus & arte Judaica "ad jurandum accedas, cum *verpus* audias, & juramentum jam præſtes, facies varias "& ſenſum ubique fallacem ferens: ſi enim *Templa Tonantis* de Templo tuo, nuper "Hieroſolymis exciſo, capiantur, mihi fraudi foret; cum notum ſit, magiſtros veſtros "impoſtores juramentum hujuſmodi omni virtute vacuum & plane nullum judicare. "Nec meliore loco res erit, modo verba tua de Jovis noſtri templis intelligantur; "cum probe norim, [b] apud vos profana eſſe omnia, quæ apud nos ſacra; & nihil vos "prius imbui quam Deos exteros contemnere, & Deum ſolummodo veſtrum vereri; "adeo ut te nulla hic religione vel perjurii metu teneri putes. Tibi itaque, tam perfido & fallaci, aram licet ipſam tenens juraveris, fidem nullam adhibebo.

a In *Domitian.* cap. 12. b Vid. *Tacit. Hiſtor.* Lib. 5. p. 115-116.

SECT.

Sect. III.

SECT. III.

Celebriores doctorum ſententiæ de Anchialo *recenſentur, & rejiciuntur.*

NON ſatis erat *Martiali*, Judæi juramento per *Templa Tonantis* fidem derogare, ſed aliam ipſe propooit jutandi formulam, *per Anchialum* oempe, qua fidem ejus exploraret. De *Anchialo* variæ inter Doctos opiniones invaluere, ut circa res longa vetuſtate prope obliteratas uſu venit. Inter eas autem hæ Sex principatum tenent.

Prima ſit ea quæ originem debet [a] *Domitio Calderino*, qui *Anchialum* intelligit de *Sardanapali* ſtatua & numine, quæ in *Anchiala*, urbe *Silicia* litorali, & *Solymis* finitima, colebantur. Per *Anchialum* autem Judæum jurare poſtulat, non ſerio ſed joco; ut ſcilicet illius Judæi patriam & mollitiem oſtenderet ſimul & exprobraret. Ab hac autem ſententia liceat aſſenſum cohibere, cum hactenus de *Anchialo*, illo *Sardanapali* numine, ne verbum legerim. Sententia, Domitii Calderini:

Sententia ſecunda [b] *Rigaltii* eſt, quam lector accipiat ipſis auctoris conceptam verbis: *rumor erat Anchialum puerum Martialis a poeta quodam Judæo pædicari. Arguit eum Martialis quod natus in ipſis Solymis, adeoque ſanctior & caſtior putaretur, tamen pædicaret. Negabat ille ſimul & per Deum jurabat. At proterve Martialis, Jura, inquit, per ipſum Anchialum, puerum meum. In odium Judaicæ religionis. Nec aſſentior viris doctiſſimis qui aliter interpretantur.* Hanc viri docti ſententiam, utpote probatione ſimul & explicatione omni deſtitutam, in medio relinquo, eique (in præſens) lapidem nec album nec nigrum apponendum cenſeo. Rigaltii:

Sententia tertia [c] *Scaligeri* eſt, quam ipſe ſuis verbis exprimat; "ſanctiſſimum "Judæis jusjurandum erat חי אלה vel חי יהוה Chaiala vel Chaiadonai. Sed tempore "Martialis pronunciabant Chiala. *Jura verpe, per Anchialum.* Quia Judæos audie"bat Chiala jurare: propterea putavit eſſe Anchialum, quod vox Anchialus ſit notior "quam Chiala. Cum autem hæc ſententia doctis innoteſceret, omnes omnia bona dicere, & *Scaligeri* fortunas laudare, qui ſententiam tali acumine commendatam inveniret. Tanta habita eſt iſtius conjecturæ felicitas, ut ſtatim theatri pene totius literarii plauſibus acciperetur. Nonnulli tamen aſſenſum cohibebant, quod illis incredibile viſum eſſet, *Chaiala* in *Anchialum* tranſire potuiſſe. Nec minus a fide alienum cenſebatur, *Martialem* poetam quicquam Hebraice calluiſſe. Deinde, cuivis *Martialis* Epigramma perlegenti pateat, eum in Judæum illum quem pæderaſtiæ reum egerat, iniquiorem fuiſſe; nec veriſimile videri, *Martialem* hujuſmodi juramentum excogitare voluiſſe, quo præſtito, *Martialis* ipſe fortis tantum calumniator, & Judæus ille caſtus haberetur. Scaligeri:

Sententia quarta [d] *Farnabii* eſt, qui ſententiæ *Scaligeri* editionem ſecundam, eamque (ſi credas) magis auctam & emendatam, in lucem protulit. Nam hæc aſſuit *Scaligeri* ſententiæ, denuo repetitæ: hujus *ingenioſiſſimi viri expoſitioni ſubſcribo, niſi quod poetam poſuiſſe Anchialum* tanquam notius vocabulum,-- *inficias eam. Quinimo totum hoc & integrum fuiſſe Judæorum juramentum contendo.* אם *enim Hebræis ſonat* ſi, *in juramentis uſitatum, ut Jerem.* 5. 2. ואם חי יהוה & ſi vivit Dominus, *atque alibi pluries in Scriptura ſacra. Quin &* אם *abſolute poſitum in jurando negat*, Pſal. 89. 36. *&* 1 Reg. 17. 1. *Quum itaque poeta ex pronunciatione* τῶ אם חי אלה ſi vivit Deus, *advertiſſet Judæos juraſſe, Hebræa non intelligens, eſſe has diſtinctas voces unius Dei nomen credidit, atque ita uſurpavit*, m *ante* ch *in* n *verſo, ad Græcas & Romanas literarum diſpoſitionis leges. Erit itaque hic poetæ ſenſus;* —— *Quoniam* fidem tuam ſuſpectam *habeo*, —— *non credo tibi neganti per Jovem jurato: verum adigo te ad juramentum per Deum veſtrum, per quem jurato tibi credam.* His omnibus operoſe refellendis nil opus eſt immorari, cum vocabulum *Anchialum* ad originem longe aliam referendum eſſe, ſatis e jam dictis, & poſtea dicendis, eluceſcat. Farnabii:

Sententia quinta *Seldeno* patrono gaudet, qui fidens aſſerit, *Martialem* hic ipſiſſimum Hebræorum juramentum, ſed nonnihil contracta pronunciatione, exacte ſatis expreſſiſſe. Nam apud Martialem, ait [e] ille, integra videtur mihi fuiſſe hæc *jurandi* Seldeni:

a *Obſervat.* in *Martial.* p. 507. b *Rigaltii Not.* ad *Martial.* l. 11. Ep. 95. c *Prolegom.* ad Lib. de *Emend. Temp.* p. 40. d *Comment.* in *Martial. Epigr.* e *Prolegom.* ad *Leges Ebræor.* de *Succeſſion.* p. 5, 6.

SECT. IV.

" formula; יפרע חי עולם *iperan chi olam*, id eſt, *ulciſcatur*, aut *vindictam ſumat* " *is, qui vivit in æternum*, ſi pejeraverim. Adeo ut *ita* potius ſcripſerit Martialis,

" NON *eredo; jura verpe*, iperan chi olam.

" Quod quam facile a Librariis, qui ignota ſibi vocabula in ea, quæ cognati ſoni noti- " ora ſunt, vertere ſolent, in *per Anchialum* mutari poſſet, nemo non videt. Ut au- " tem fides eo certior accedat ante dictis, obſervatum eſt ei, hanc ipſam juramentifor- " mulam in Daniele reperiri: nempe Cap. 12. 7. וישבע בחי העולם *& juravit per Chi* " *haolam* ſeu *per Chi olam*, id eſt, *per eum qui vivit in æternum;* unde cognomen il- " lud juramentis adhiberi ſolitum *eſt*.

HÆC & alia ſarinæ conſimilis, ad ſententiæ ſuæ fidem firmandam, attulit auctor ille præſtantiſſimus. Ea vero omnia telis ex ipſius armario petitis confodi & proſterni poſſunt: aſſerit enim (1°.) *Ipſam juramenti formulam*, hiſce *verbis conceptam*, ſe *nondum* in Scriptis Hebræorum, *compertam* habuiſſe. At proculdubio vir ille, qui in literis humaninribus ætatem pene totam egiſſe videtur, Juramentum illud in magiſtrorum ſcriptis invenire potuerat, ſi tale aliquod in ſermone quotidiano tam frequens habuiſſent. (2°.) Significationem illam *verbi* פרע *ex Syriaco ſeu Chaldao, in Rabbinicum ac Talmudicum ſermonem* fluxiſſe dicit, & verbum illud *alia notione in ſacrarum literarum Ebræo paſſim* uſurpari. Sed anne credibile eſt, magiſtros olim linguam Hebræam & Chaldæam, in tam brevi præſertim & familiari juramento, commiſceri voluiſſe; cum etiam principium ejus e *Daniele* peteret, ſi *Seldeno* credimus? (3°.) Utraque illa juramenta Romanam formam gerere, & jurare *per Anchialum*, τῷ *per Templa Tonantis* opponi, eique juramento ex adverſo *reſpondere videatur*. Et ita ſane viri docti, nullo non ævo, ſe perſuaſos habuerunt. His alia cum *Seldeni* ſententia non minus *devexa* ſubjungi poſſent, niſi quod honoris aliquid ipſis etiam erroribus & cineribus virorum inſignium deferendum exiſtimarem.

Iſaaci Voſſii: OPINIO ſexta [a] *Voſſii* ingenium ſingulare ſapit, quam verbis auctoris (ne quis fraudi ſit locus) accipiat lector: *optimus codex Thuanæus jam ante octingentos annos exaratus, qui excerpta continet Martialis epigrammata, legit hoc loco* anchalium. O- *mnino legendum eſt*,

Non credo; jura verpe per ancharium.

Ancharius vel ancarius eſt aſinus. —— *Utitur hac voce Lucilius;* —— *Unice vero confirmat hanc conjecturam verſiculus ille Petronii, ex quo liquet, Judæos olim male audiſſe, quod crederentur per Aſinum jurare.*

Judæus licet & porcinum numen adoret,
Et cilli ſummas advocet auriculas.

Inepti ſunt qui de veritate hujus lectionis dubitant. Cillus enim *eſt aſinus*, &c. Si quis conjecturis hiſce juvenilibus genii quicquam ineſſe cenſeat, illius opinioni reſragari nolo. Me quod attinet, ipſe nomen meum inter *ineptos* illos numerari patiar, qui de lectionis utriuſque veritate dubitare ſolent; cum probe norim, nec hanc nec illam teſtimonio aliquo, cui niti liceat, confirmari poſſe.

SECT. IV.

Auctoris opinio de Anchialo *proponitur, & fuſe confirmatur.*

Auctoris. UT ſententia mea de *Anchialo* clarius intelligatur, neceſſe eſt ut quæſtionibus hiſce quatuor reſponderem: (1°.) An vox *Anchialus* pro nomine proprio vel appellativo haberi debeat? (2°.) Quis eo nomine [*Martialis* puer, an alius aliquis] intelligendus eſt? (3°.) Quid ſit jurare per *Anchialum*. (4°.) Quare *Martialis* Judæum illum ad iſtam juramenti ſormulam adigere voluit eamque aliis omnibus præſerendam cenſuit.

PRIMO: an vox *Anchialus* pro nomine proprio vel appellativo haberi debeat? Hac de re Criticorum natio ſtudia in contraria ſcinditur. Ipſe me perſuaſum habeo,

a *Iſaaci Voſſii Obſervat.* ad *Mel.* Lib. I. p. 48.

vocem

vocem *Anchialum* hic nominis proprii vicem obire, adeoque perſonam aliquam eo nomine denotari. Sic judico, non tantum quod e jam dictis appareat, eorum ſententias perplexas, incertas, & impeditas eſſe, qui vocem illam nomen appellativum cenſeri volunt; ſed quod variis exemplis evinci poſſit, *Anchialum* nomen proprium fuiſſe, in veterum uſu [a] frequentiſſimum. Primum nobis exhibet *Epigramma* vetuſtiſſimum, quo *Lesbia* ſic hoſpitem affari dicit: SECT. IV.

[1] HOSPES. STA. ET. LACHRVMA. SI. QVICQVAM. HVMANITVS. INTEST
OSSVA. DVM. CERNIS. CONSITA. MAESTA. MIHI
QVOIVS. LAVDATI. MORES. ET FORMA. PROBATAST
ANCHIALO. QVEM. CVRA. ANXIA. DEBILITAT
SEI. NOMEN. QVAERIS. SVM. LESBIA. SI. DVO. AMANTES
ANCHIALVS. DVLCIS. CVM. [2] SVAUE. HOMINE. SPVRIO

Sic etiam *Orator* nominis ejuſdem, ceu proprii, mentionem ingerit; [b] *L. Egnatio — vel familiariſſime utor. Ejus Anchialum ſervum, negotiaque, quæ habet in Aſia, tibi commendo*, &c. [c] *Homerus* etiam *Anchialum* quendam inter pugiles ſuos notæ clarioris numerat verſu illo,

Ναυτεύς τε, Πρυμνεύς τε, καὶ Ἀγχίαλος, καὶ Ἐρετμεύς.
Nauteuſque, Prymneuſque, & Anchialus, & Eretmeus.

Cum re præſente conjunctum videtur, *Michaelem Anchialum*, inter Patriarchas Conſtantinopolitanos numeratum, hoc in loco memorare. Si quis ingenio magis curioſo ſit, quam ut exemplis in medium allatis poſſit acquieſcere; [d] *Phavorinum* adeat, e cujus exemplis fides paulo firmior & certior accedat ante dictis.

Si quis rem hanc adhuc in incerto manere ſentiat, quod nulla conſtet ratio cur nomen *Anchialus* hominibus tam frequenter imponeretur; reſponſio prompta eſt; *Anchialus*, mari vicinus, ad mare ſitus, litoralis, Græce denotat; voce Ἀγχίαλος ab ἄγχι *prope* vel *juxta*, & ἅλος *mare*, originem accipiente. Nec a vero alienum eſt, nomen a maris vicinia multis olim inditum fuiſſe, quod iis juxta mare naſci vel vitam agere contigiſſet. Hoc & eo credibilius exiſtimetur, quod ob eandem rationem viri quidam clariores, aut eorum majores, nomina illa cognata, [e] *Paralus*, *Enalus*, *Eurialus* [a mari vicino ſumpta] reportarent. Nec promptum eſt rationem aſſignare, cur tot urbes, apud *Strabonem*, *Stephanum* de *Urbibus*, *Pomponium Melam*, alioſque memoratæ, nominibus illis affinibus [[3] [f] Ἀγχίαλος, [g] Ἀγχιάλη, [h] *Anchialos*, & hujuſmodi,] antiquitus innoteſcerent; niſi quod urbes litorales eſſent, & in maris vicinia ſtruerentur.

Id proximo ſuccedit inveſtigandum, quis *Anchiali* nomine [*Martialis* puer, an alius aliquis] hic intelligendus eſt; Ne quæram ambages, prompte reſpondeo, me non poſſe ab animo meo impetrare ut cenſeam, quemvis alium hic intelligendum præter *Martialis* puerum, quem Judæus ille miſere deperibat, quem etiam pædicaſſe ferebatur. Nam,

(1°.) Hac ſententia, nihil expeditius, captu facilius, cum ſeipſa vel ratione magis conſtans, excogitari poteſt. Qui contendunt, ut *Anchialus* vox hybrida [partim Hebræa vel Syra, partim Romana,] cenſeatur; hærent, algent, ſudant, & nil certi probati, vel veri proferunt. Cum primum enim *Scaligeri* pia mater notionem illam de *Chiala* peperiſſet, Criticorum παῖδες ingenii ejus felicitatem impenſe mirabantur, & illius opinioni palmam humile deferebant. Poſtea vero ingenii *Scaligerani* fœtum lambere, & in formam paulo concinniorem fingere ſtuduerunt, & ita ſe geſſerunt, quaſi inventionis tam egregiæ laudem & honorem *Scaligero* ſoli non parum inviderent. Poſtquam enim *Scaliger*, e voce *Anchialus Chiala* procudiſſet; *Farnabius*, ut inventis adderet, vocem illam in אם חי אלה *Im chai alah*; *Salmaſius* in החי עלם *hachai olam*;

a *Id nominis Anchialus erat valde commune Ethnicis pueris, ſervis, & viris.* Thom. de *Pined.* in *Stephan de Urbib.* p. 20. b *Epiſtol.* L. 13. *Epiſt.* 45. *Appuleio.* c *Odyſſ.* Lib. 8. verſ. 112. d In Ἀγχιάλεια & Ἀγχίαλος Col. 29. & Col. 127. e Vid. *Harpocrat.* ad voc. Πάραλος. f *Strab.* l. 14. g *Steph.* de *Urb.* ad voc. h *Pomp. Mel.* de *Sit. Orb.* l. 2. c. 2.

1 Vid. *Gruter. Inſcript.* pag. 799. 8.
2 *Almeloveen* legit SUO.
3 Apud *Strabonem*: L. 14. p. 998. C & *Stephanum*, legitur ΑΓΧΙΑΛΗ urbs ſcil. quam *Sardanapalus* condidiſſe fertur. *Arrianus* vocat eam Ἀγχίαλον *Exped. Alex.* L. 2. p. 66.

SECT. IV. *Seldenus* rem in *Iperaw chi olam*, emendavit. Interea temporis, in hac opinionum pugna veritas non parum lædebatur: certum eſt enim, Judæorum juramentum [a] olim non fuiſſe חי אלה *Chai Ala*, ſed חי יהוה *Chai Adonai*, i. e *Vivit Dominus*, quo & hodie utuntur frequentiſſime. Manifeſtum eſt autem, ſententiam meam incommodis hiſce maxime laborare.

(2°.) MARTIALIS, in verbis præcedentibus, *pueri* tantum ſul mentionem fecerat: niſi itaque puerum illum, *Anchiali* nomine, denotaverit; fieri non potuit, ut Judæus ille *Martialis* mentem ſenſumque certo deprehenderet.

APUD ethnicos & Hebræos, jusjurandum concipientes, uſu vetere receptum eſt, per res aut perſonas jurare quas maxime charas habuerunt. Inde factum eſt, ut gentes utræque per ſuas aut amicorum [b] animas, utpote res chariſſimas, jurare ſolerent. Eadem de cauſa *Byzantii* juramento per nummos ipſorum [c] ferreos concepto ſeipſos obligarunt. Judæos antiquos juramento per liberos ſuos concepto ſeipſos obſtrinxiſſe, teſtimonio eſt Juramenti Judaici formula, in [d] *Jure Græco-Romano* memoriæ prodita; εἰ δὲ ἐπὶ ψεύδει ὀμνύω, ἐπικατάρατα τὰ ἔκγονα τῆς κοιλίας μου. *Si mendacii cauſa* nomen Domini jam ſumo, *execrationi ſint liberi e ventre meo prodeuntes*. Alia moris hujuſce teſtimonia ſtudioſi petent ex [e] *Hanſenii* libro de *Jurejurando Veterum*. Eſt itaque mori ſimul & rationi conſentaneum, ut *Martialis* Judæum illum ad juramentum per *Anchialum*, (perſonam quam in deliciis habuit) adigere voluiſſe cenſeatur.

TERTIO: curandum eſt, ut ſenſus hujuſce locutionis, *Jura per Anchialum*, paulo clarius innoteſcat. Veteres enim hujuſmodi juramenta ſenſu non uno & eodem ſolebant interpretari: & nobis in obſcuro & ambiguo eſt locutionis hujus intentio, *jura verpe per Anchialum*, cum ſenſus tam varios & diverſos capiat. Nam *jurare per Anchialum*, eſt, illius genium, tanquam perjurii vindicem, advocare, ſi quis fidem fallat: vel hæc verba ritu ſolenni fundere, *Dii perdant Anchialum*, *ſi pejeraverim*; vel *ita Dii ament Anchialum*, vel *ita Deos ei propitios velim*, ut ego jam verum aſſero: vel *ita me amet Anchialus*, ut ego illum ſemper honeſtis & amico dignis tractavi modis. Quamvis autem hujusmodi juramentum in ſenſus hos & alios inflecti poſſit, probabile judico *Martialem* id in animo habuiſſe, ut Judæus ille Diis & diris omnibus *Anchiali* caput devoveret, ſi jam datam fidem perjurio violaret. Si enim criminis tam tetri conſcius fuiſſet, veriſimile eſt, amorem *Anchiali*, vel timorem *Martialis*, eum ab hujuſmodi juramento cohibere voluiſſe.

QUARTO: dicendum ſupereſt, cur *Martialis* Judæum illum ad hujusmodi juramentum adigere ſtuduit, & illud aliis omnibus præferendum cenſuit. Si quis enim rem totam conſiderate penſitaverit, mirum videri poſſit, *Martialem* juramentum infimum [per *Anchialum* nempe, puerum ſuum] juramento maximo [per *Templa Tonantis*] præponere voluiſſe; cum præſertim nullum hujuſmodi juramentum in ſcriptis ethnicis invenire detur. Sed hujuſce rei rationes quatuor, ſi recte judico, poſſunt aſſignari:

(1°.) MARTIALIS hujus Judæi religionem turpem & odioſam, fidem etiam ſuſpectam & fallacem habuit. Ei itaque, vel per Templum Judaicum, vel Numen Romanum juranti, fidem nullam tuto adhibendam cenſuit; cum præſertim probe ſciret lubricam Judæorum fidem, eamque juramentum nec hoc nec illud obſtringere potuiſſe. Judæo itaque auctor erat, ut per *Anchialum* juraret; ut ſenſus tam certi & aperti juramentum indicio eſſet eum bona fide jam agere, & ethnicum hujusmodi jusjurandum, ſe, verpum licet, legem cultumque Judaicum ejuraſſe teſtaretur.

(2°.) APUD ethnicos olim jurare per amaſios ſuos, (eorum nempe capita, crines, oculos, vitam, & hujuſmodi) religioſiſſimum habebatur. Ethnicos, præcipue molliores hujuſmodi juramenta dare ſolitos, plurima [f] *Briſſonii* teſtimonia extra dubium ponunt. *Martialis* itaque deriſor Judæum illum per *Anchialum* jurare monet forſan ut innueret, *Anchialum* illius amaſium & delicias eſſe, nec aliud juramentum laſcivo illi Judæo tam belle convenire. Novit etiam *Martialis*, iſtiuſmodi juramentum Judæum illum Gregalium ſuorum odio, & Romanorum dicteriis exponere voluiſſe.

a Vid. *Jer.* 4. 2. & 5. 2. & c. 12. 16. *Hoſ.* 4. 15. b *Voſſ.* de *Phyſiolog. Chriſt.* & *Theolog. Gent.* L. 5. cap. 46. c. Id. ibid. d Tom. 1. pag. 119. e Cap. 12. & c. 14. & c. 26. f Lib. de *Formul.* L. 8. p. 736, 737.

(3°.)

(3°.) Martialis, Judæum illum ad hujuſmodi jusjurandum adigens, cum vili pendere, & hiſce verbis probroſis affari videatur. "Novi te verpum eſſe, nullius "fidei, frontis, aut honoris, homuncionem, & nullo non genere vitiorum infame caput; jures itaque *per Jovem*, aut *per Anchialum*, mihi perinde eſt; tibi non eredam "ipſe; ne mortuo quidem. Sect. IV.

(4°.) Non temere credidit *Martialis* eum qui juraverat *per Templa Tonantis*, juramentum *per Anchialum* honeſte recuſare minime potuiſſe. Novit autem, Judæum illum *Anchialum* ſibi maxime infenſum & adverſum habiturum; ſi pejuraret, eumque diris omnibus devoveret. Haud itaque eredibile fuit, ſe tale juramentum præſtare voluiſſe, ne *Anchialus* infenſus, illius Judæi *Ganymedes*, nudam veritatem proderet.

Si quis hæc omnia diligentius expendet, ei liquidum erit, auctores pleroſque, non ſpernendæ licet eruditionis viros, ab *Epigrammatis* hujusce mente & ſeopo prorſus aberraſſe.

Non ingratum fore arbitror in medium proferre, de *Anchialo* ſententiam doctiſſimi *Jo. Savage* de *Clothal*. in *Comit. Hertford*. S. T. P. Sentit ille vocem *Anchialum* eſſe technicam, & verbis Judæorum Juramenti Hebraicis כה יעשה לי אלהים originem ſuam acceptam referre. Meminit enim, cum *Græcam Miſſam* Romæ agi videret, ſacerdotes Romanos, linguæ neſcios, ſermone quodam incondito Græcos derideiculo habuiſſe: nil mirum itaque ſi *Martialis*, cui lingua Hebræa magis erat ignota, כה יעשה לי אלהים verteret *Anchialum*, parte deſumpta ab initio vocum, [illegible] יע–לי אלים quæ *Anglica* ſonant, *God do ſo to me*.

Digitized by Google

Digitized by Google